15/ 10,488/B
28
L XLVI

B

Spl. r.
Cf. M. III. 1

Cdr. 1

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30518817

Nº. III. 1.

D. MICHAELIS ALBERTI

REG. MAJ. BORUSS. CONSILIAR. AULIC. IN ACADEM. HALLENSI
PROFESS. MEDICINÆ ET PHILOSOPH. NATUR. PUBL. ORDIN.

INTRODUCTIO
IN
MEDICINAM PRACTICAM
GENERALEM SPECIALEM ET SPECIALISSIMAM
QUA ORDINE CONGRUO

THERAPIA
MEDICA

PRAXIS UNIVERSALIS
ET
PRAXIS EXTEMPORANEA
AFFECTUUM INOPINATORUM, RESERVATORUM AC TRAGICORUM
THESIBUS PERSPICUIS EXPLICATA
IN USUM OFFICII SUI ACADEMICI EXHIBETUR
CUM ADDITAMENTO FUNDAMENTORUM
PHILOSOPHIÆ NATURALIS
USUI MEDICO ACCOMMODATÆ
ET
CHYMIÆ.

Doublette
der
K.U.-Bibl. Erl.



HALÆ, Typis & Impenſis ORPHANOTROPHEI, MDCCXXI.

1721

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO.

QUando Hippocrates brevitati vitæ longitudinem artis ad latus ponit, imo opponit, tunc facile quisquam ſuſpicari poſſet, quaſi inter vitam & artem nullum intercederet commercium, adeoque ars ex longe aliis, imo firmioribus & ſolidioribus fundamentis erigi & formari debeat, cum neque vita arte indigeat, neque brevitas cum longitate confundi queat: aſt qui hos reſpectus paulo curatius obſervat, ille facile comprehendere poterit, quod vita animalis ſit fundamentum artis & quod brevitas vitæ efficiat, quo ars longa evadat. In ſcientiis vulgo, cum aliqua certitudine tractandis, intelligendis & propagandis, eruditi primum quoddam ſolidum & univerſale principium deſiderant & de eodem valde ſolliciti ſunt, quid quod paſſim etiam litigant; quando vero in Medicina verum, certum & indubium principium deſideramus, vix melius, certius & ſincerius principium inveniri & commendari poteſt, quam œconomia vitæ, quæ conſiſtit in obſervatione motuum, requiſitorum, ordinum, ſucceſſuum, effectuum, mutationum & conſecutionum in Hiſtoria vitæ occurrentium: & hæc eadem obſervatio reddit artem rationalem, certam & fundamentalem, quoniam ſepoſitis opinionibus ipſæ ſimpliciſſimæ naturæ operationes annotantur & ad

futuram providam & rationalem imitationem reſervantur: quare merito cum *Seneca* ex *Ep. 48.* exclamo: *Dic quid natura neceſſarium fecerit, quid ſupervacuum, quam faciles leges poſuerit, quam jucunda ſit vita, quam expedita illas ſequentibus, quam acerba & implicita eorum, qui opinioni plus, quam naturæ crediderunt.* Et qui vel paulo ſimpliciori & ſinceriori oculo introſpicit in vitæ ſacrarium, ille facile perſpiciet, quam mundum illa ſit noſocomium, adeo ut ipſa infirmi noſtri corporis duratio ſive vita, non niſi medicina quadam impetretur; corpus enim ſanum æque corruptibile eſt ac morbidum, neque unquam per totam vitam deſunt ejusmodi impuritates & perniciofæ cauſæ, quæ mortem invitare poſſunt: eapropter etiam vita animalis ita comparata & in tali indole atque facie conſtituta eſt, quoniam corpus adeo fragile & imbecille eſt: ſi quid purum, bonum, utile, ſalubre & neceſſarium corpori applicatur & in illud ingeritur, vix diu durat, quin proxime impurum, pravum, noxium & alienum exiſtat, adeoque tempeſtiva egeſtione indigeat; inde eſt, cur, ſi optime vivimus, mortis charactere prædITI ſimus: ob id juxta *Senecam de Brev. vit. cap. 7. tota vita discendum eſt mori; Ep. 24. quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ & tunc quoque cum creſcimus, vita decreſcit;* aut ſecundum *Ciceronem l. Tusc. c. 31. hæc vita mors eſt:* & cum *Greg. Nazianzen. orat. 20. Vita & mors, tametſi plurimum inter ſe disſidere videantur, inter ſe tamen quodammodo immeant, atque altera in alterius locum ſubit:* Dum itaque ſub hominis exiſtentia perpetua lucta inter vitam & imminentem mortem occurrit, hinc ex ſolido & indubio argumento atque fundamento dixi, quod vita ſit cynoſura artis: vix enim ulla methodus ſimplicior, ſincerior, evidentior, efficacior & melior inveniri & demonſtrari poteſt, qua corpus corruptibile conſervatur, quam quæ in œconomia vitæ illuceſcit & ex hac Medicina Therapiam artificialem haurire & formare debet: hanc methodum, qua natura ſponte corpus ſuum defendit, ipſe almus Creator invenit; hanc qui ſequitur, minime ordini divino repugnat, ſed ſub divino auxilio certiores effectus ſalutares

lutares ſperare, impetrare & promittere poterit; qui vero tantum humanis inventionibus, ſpeculationibus & curioſitatibus innititur, non modo ordinem divinum violat, ſed & in tenebris ambulans, minus proſperos greſſus & ſucceſſus aſſequitur: quapropter primarium boni artificis officium erit in Medicina, quo hanc Hiſtoriam vitæ exquiſite perſpectam ſibi reddat, neve in aliena caſtra tranſcendat, aut alterius fori ordinem cum vitali ordine confundat: quare iterum cum *Seneca* ex *Ep. 48.* eloquor: *quæ dementia eſt, ſupervacua diſcere, in tanta temporis egeſtate*, imo in tanta vitæ brevitate: hinc ſecundum eundem Philoſophum *Ep. 65.* & *Ariſtotel. Lib. 2. Phyſ. c. 2. §. 22. omnis ars imitatio naturæ eſſe debet:* quo magis enim ars ſubtilis, ſecreta, ſpecioſa & portentoſa eſt, eo magis ab ordine naturæ diſcedit, hæc enim omnia & perſpicue & ſimpliciter operatur; quapropter vita præſtantisſima maximeque probata cynoſura pro arte medica exiſtit & ita in medicina vita & ars optimo jure ſibi invicem ſubordinantur, non æque in eo, ut ars vitæ inſerviat, ſed ut vita artis hodegeta ſit: hoc principium quia infallibile eſt, hinc omnibus aliis principiis præferri meretur & hoc eodem etiam principio ſingulæ reliquæ obſervationes & disquiſitiones in medicina niti debent: ſeorſim vero ars medica ex œconomia & proceſſu vitæ comprehendit, quantæ dignitatis & prærogantis neceſſitatis ſint Excretiones præ retentionibus & ingeſtionibus: etenim dum ſub continuo motu, qui in corpore vivo procedit, partes mixtæ diſſolvuntur & connexæ ſeparantur, ſubinde etiam attenuantur & in ſalino-ſulphuream impuritatem convertuntur, hinc neceſſe eſt, ni corpus vivum lædi debeat, quo illæ heterogeneitates conſtanter eliminentur; ne vero ob continuantem evacuationem noxii quidam defectus occupent, hinc denuo requiritur, quo neceſſariæ ſubſtantiæ reparentur, quæ proinde poſt brevem moram denuo evacuantur: hæc conſideratio eximium uſum habet in arte medica, dum primarius labor artificialis eo dirigi debet, quo excretiones tales reſtituantur & in convenientem ordinem con-

vertantur: quid quod ſubinde prudens artifex intelligit, quam vanum & infructuoſum opus ſit, diutius emendationibus & alterationibus materiarum, aut retentionibus impuritatum & ſuperfluorum humorum inhærere; inde aperte liquet, quam effæminatæ ſint illæ cogitationes & elocutiones, quaſi ad vitam confirmandam ſangvis rectius coemendus & coacervandus, quam emittendus & ventilandus ſit: exinde porro elucescit, quod in arte medica primum principium ſit, juſtus proceſſus evacuationum, mediante quo unice vita abſolvitur, obtinetur & adminiſtratur: ob id denuo inclareſcit, quomodo communes obſervationes clinicæ tum morborum, tum efficaciæ remediorum minime primum principium artis conſtituere posſint, quippe quæ cum multis ambiguitatibus complicatæ ſunt, ut prudens artifex prius contingentes ſive accidentales, perſonales & individuales circumſtantias diſcernere & ſeparare, proinde vero obſervationes illas in genuinam ſuam ſimplicitatem convertere & denique ipſam illarum applicationem ſuscipere debeat: exinde porro fluit, quod multitudo obſervationum medicarum clinicarum non rationalem medicum conſtituat; & quemadmodum communiter multitudo rerum confuſionem parit, ita perinde res cedit cum multitudine vulgarium obſervationum. Sicut itaque hæc conciliatio vitæ & artis e multis aliis adhuc momentis inſtitui poteſt, hinc ſuffecerit hac occaſione tantum ſpecimen hujus conſiderationis edidiſſe & viam monſtraſſe, quo in pluribus aliis circumſtantiis eadem vitæ & artis pulchra harmonia & communio inveniri & demonſtrari queat: Quid vero nunc adjumenti & emolumenti afferat conſideratio Brevitatis vitæ pro Longitudine artis, perinde paucis adhuc commonſtrare placet: De ſimplici vitæ animalis ſtatu facile quisquam credere poſſet, quod intra breviſſimum temporis ambitum comprehendi & annotari queat, ut majori jure Hippocrates diſſerere debuerit, de vitæ & artis brevitate & ſciagraphia; & licet quidem ars breviori tempore & doceri & diſceri poſſit, tamen ſuis ævis omnino cauſam &

occa-

occaſionem nactus eſt Senex, quo longitudinem artis inculcaret: ſicut enim in initio ſuo nihil perfectum eſt, ita artis œconomia & complementum ſeſe in plures ætates atque periodos extendit: proceſſus quidem vitæ facile intelligi poſſet, aſt multitudo morborum, apparatus cauſarum morbificarum, verus, probatus & ſecurus effectus remediorum requirit moram & uſus propterea facit artificem: ſingula hæc ſane non tam cito ac Syſtema vitæ ad perfectam cognitionem promoveri poſſunt: imo brevitas vitæ illo ſenſu eximiam utilitatem Medicinæ ſubminiſtrat, dum vel diffuſior ordo vitalis adhuc longiorem redderet artem, ſi longius temporis ſpatium ad ampliorem vitæ campum pernoſcendum & perquirendum impendendum eſſet, vel dum ſub diuturniori vitæ proceſſu adhuc plures circumſtantiæ, plures morbi &c. occurrerent, quales artem denuo operoſiorem, difficiliorem & longiorem efficerent: hinc recte *Plinius Lib. 7. cap. 50.* dixit: *Natura nil hominibus brevitate vitæ præſtitit melius:* etenim ſi præcepta & principia alicujus ſcientiæ vel artis ſunt diffuſa & intricata, quidni ipſa ſcientia aut ars talis fuerit: deinde alio ſenſu brevitas vitæ cum artis longitudine connectit, quod hæc ſemper inveniat, quo ſincerum, ſimplicem & legitimum vitæ ſtatum atque proceſſum a perverſis opinionibus, ſpeculationibus, confuſionibus & obſervationibus repurget, in omni enim vinea occurrunt & boni & mali operatores & ingenui, conſcientioſi & periti operarii & apri devaſtantes, ubi artificibus ſemper occaſio ſuppetit, quo artem ſuam ab inhærentibus quisquiliis liberent atque in priſtinam ſinceritatem convertant; ubi confuſio ſignorum, cauſarum, remediorum, ordinum, ſucceſſuum &c: multum temporis requirit, quo emendetur, ſiquidem res corrupta ægrius & tardius melioratur, quam ſi penitus removeatur: hinc ſiniſtræ vitæ animadverſiones, applicationes & tractationes reddunt artem longam: & dum varii brevitatem vitæ corrigere atque alienis modis ac viis longævitatem producere conantur, hinc eo ipſo artem longam efficiunt: ob id Medicina non eſt

ſtudium

ſtudium unius menſis; ſed neque etiam ita diffuſum & operoſum eſſe debet, modo ſincerus hodegeta poſthabitis omnibus ambagibus atque anfractibus proximam viam ad veritatem præmonſtret, neque animum diſcentis cum alienis & portentoſis conſiderationibus oppleat atque defatiget: & quamvis adhuc multa de nexu brevitatis vitæ, cum longitudine artis moneri & indicari poſſint, tamen hoc loco meum propoſitum non eſt, in hæc verba Hippocratis diffuſiori diſcurſu commentari, quin brevis hæc prælibatio ſuffecerit, dum nonnullas animadverſiones de arte medica exponere placuit. Occaſio præſentis Scripti, quod iterum ſub omnipotenti tutela Benigniſſimi Dei in publicum emitto, talem generalem conſiderationem obtulit; poſteaquam enim hactenus per Dei gratiam nonnullas Medicinæ partes in uſum tam ſtudioſæ Juventutis quam ipſorum etiam medicorum, ſimplicem veritatem amantium, in theſes quasdam reſolutas, publico juri conſecraverim, ita deprehendi, quod exiguus labor meus paſſim non contemnendum fructum juvenibus æque ac Viris, medicinam exercentibus, obtulerit, de qua omnis honor DEO tribuendus eſt, qui impoſterum has opellas ſuæ Clementiæ commendatas habeat: mihi ſane in eo nihil tribuo, ſed coram profiteor, quod id primarium meum officium eſſe debeat, imo exiſtat, quo gloriam altiſſimi aliquo modo promoveam: interim etiam meas imbecillitates bene cognoſco & Deum precor, quo omnes defectus & errores meos mihi clementisſime condonare & cum veritate magis magisque me illuminare velit: promiſſi vero & de promiſſo paſſim admonitus fui, quo reliquas Medicinæ partes tali ſemel cepto ordine atque modo prelo committam: ſteti etiam ſub concurſu divini auxilii promisſis & partem Practicam Medicinæ elaboravi: Prodit hæc itaque nunc in lucem & ſparguntur hæ theſes iterum in publicum, ut fructum ſuum ferant: minime vero me latet, quod hoc verbum, imprimis curioſis & in aere piſcantibus ingeniis, nauſeam moveat, de quo tamen minime ſollicitus ſum, inveniet

etiam hoc verbum ſua ingenia, in quibus fructum ferre poterit: neque quidem conſultum eſt omnibus aut plurimis placere velle, cum plurima hominum pars magis erroribus indulgeat: id mihi dictum eſſe volo, quod *Seneca in Ep. 29.* eloquitur: *Non poſſum ſcire an ei profuturus ſim, quem admoneo: illud ſcio, alicui me profuturum, ſi multos admonuero:* præmiſi itaque in hoc præſenti practico ſcripto Therapiam medicam generalem, in qua fundamentales generalium medicationum fontes aperui & explicavi, ita quidem, ut methodum, qua generice talia auxilia adhiberi debeant, præpoſuerim, neceſſarias cautelas practicas inſeruerim & ſecura, probata, ſelecta & efficacia inſtrumenta, quibuscum ſalutares effectus obtineri debent, indicaverim, modum illa adhibendi ſignificaverim & eandem Therapiam a vulgatis erroribus repurgaverim, ſecutus ſum, ſicut in hac praxeos parte, ita in reliquis CELEBERRIMI STAHLII methodum atque dogmata, ex cujus ore eadem abunde cum aſſiduitate & ſingulari applicatione animi hauſi; quare eandem veritatem iterum offero, neque tamen ipſa collegia prælaudati Viri audacter, ut meum laborem vendito: ex hoc limpido veritatis fonte vero hauſta hæc dogmata tanto confidentius propino, quo magis eadem ut vera, fida & ſincera expertus ſum: addidi inſuper ſpecialiores meas obſervationes, quibus fundamentales illas veritates illuſtro: præterea vero in hac Therapia talem ſelectum inſtitui, ne animum cum communi prodigo & fallaci remediorum apparatu onerem, ſiquidem probe agnoſco, quod ſuccincta medicamentorum ſupellex ad illos effectus impetrandos ſatisfaciat, in quos ars medica aliqualem poteſtatem invenit: cum viciſſim communis ille atque ſplendidus remediorum cumulus non modo ad inconſtantiam practicam ſeducat, ſed & variis morborum confuſionibus anſam præbeat: Deinde ſubordinavi Praxin dogmaticam univerſalem, in qua illos affectus pertractavi, de quibus Pathologia mea differit: conſtitui vero, ſi Deus vitam & gratiam largitur, morbos infantum, Senum & Fæ-

minarum ſeorſim alia occaſione explicare & prelo ſubjicere: in præſenti praxi vero hunc ordinem ſervavi, ut in quolibet affectu præmiſerim nexum Pathologiæ cum Praxi & principales circumſtantias Hiſtoriæ & ætiologiæ morborum recenſuerim, quibus ſubjuncta Praxis nititur: porro palmarias cautelas practicas commemoravi, ne alicui offenſioni & temeritati occaſio præbeatur & quo reliqua poſitiva Therapia facilius comprehendatur: denique ipſam ſpecialiorem medendi methodum ſubjunxi & quibus ſelectis medicamentis illa adminiſtranda ſit, ſignificavi: Addidi porro Praxin extemporaneam Affectuum ſubitaneorum & inopinatorum, qualis tractatio nullo ſpeciali opere vulgo proſtat, ni per fragmenta inter practicos tales caſus explicati obtingant: & licet illi ſinguli mihi quidem non ſub manibus fuerint, tamen de plurimis mihi conſtat, quod ſecundum indicatam methodum Deo benedicente cum ſalutari effectu & eventu ad vota curati fuerint: porro Fundamenta meæ Philoſophiæ Naturalis hac vice adjunxi, quoniam numerus ſolertium Juvenum aliquoties petiit, quo animadverſiones phyſicas meas ſimili theſium ordine producam & quod deſiderant, mox easdem peculiari, ut ajunt, collegio, explicem: ſiquidem has meas phyſicas cogitationes tam chymicis meis theſibus, quam reliquæ theoriæ medicæ illuſtrandis accommodavi: ſed currant etiam ipſæ hac vice & patiantur ſua fata: denique fundamenta chymiæ ſequuntur, quæ perinde non univerſum Syſtema chymicum promittunt, ſed quæ inſtitutionem quandam produnt, quo reliquæ tractationes chymicæ felicius & facilius ſuccedant: plures præſentis Scripti interpretationes & applicationes, mox ſubjungenda Parænefis ad Auditores exhibebit: abrumpo nunc filum: DEUM humillime rogo, quod hunc etiam laborem benedictione ſua proſequi & ad ſalutarem uſum dirigere velit: a me alieniſſimum ſit aliqualem gloriolam affectare velle, quod illi etiam, qui labores meos ſine bile & invidia intuentur, teſtari poterunt: & ita omnia mea conamina in ſinum Dei refundo:

illic quieſcant & benedictionem ſuam expectent! Tu vero Lector Benevole, ſi de meis opellis bene & ingenue judicare cogitas, abſtine ne in nomine meo ſubſiſtas, ſed mecum Deum laudes: ſi vero ſiniſtre judicare intendis, obſerves quæſo chriſtianum amorem, patienter & continenter perferas infirmitates meas; Deum venereris, ſi meliora intelligis, imo Deum roges, ut mihi veritatem magis aperiat, aut denique mecum allabores, ut nobiscum habitemus & in propriis noſtris imbecillitatibus rigoroſum examen inſtituamus, non vero cum livore & invidia aliorum conatus reprehendamus, ſed omnia ſub provido Dei oculo, imo in timore Domini tractemus: equidem hoc loco publice deteſtor atque averſor tales novaturientium cenſuras, quibus nonnulli aliorum dicta, ſcripta & fata inique & invidioſo animo, ut glorioſi milites, carpunt, ac mercede conducti, velut canes latrantes invehunt: abſit a me longiſſime impius talis conatus, cujus ne cogitatione quidem participem me reddere mallem; tanto magis vero me puderet pro exiguo lucro improbas tales rixas excitare, aut cum protervia & ob otium litem movere alioſque ſine omni culpa irritare, neque in ingenuum veritatis patrocinium interdum modeſtas & fructuoſas animadverſiones proponere; quales promachi, contra aerem contendentes, bene attendant Salvatoris monitum: μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε! ita nunc B. L. Benignitati divinæ ab imo pectore committo.

PARÆNESIS AD AUDITORES.

AD vos me iterum converto, *Juvenes Suaviſſimi!* quorum manibus hactenus theſes meas medicas tradidi: offero vobis denuo Continuationem Introductionis meæ in Medicinam: ſequitur nunc pars Practica, ad quam hactenus ſufficiens animorum veſtrorum præparatio præmiſſa fuit: Et hic etiam genuinus ordo eſt, quo ſucceſſive ad altiora manuducamini: ſicut hactenus ad fructuoſam ſcriptorum meorum tractationem viam vobis monſtravi, ita conſultum eſſe duxi, quo huic ſcripto adhortationem aliquam præmittam, ne cum aliquo præjudicio occæcati, verum illius uſum perdatis: Praxin medicam nunc propono: qua occaſione mox eximium præjudicium vobis eximere teneor; equidem vix amplius operoſo quodam conatu atque impatienti ſollicitudine deſidero, quo me ægrotantes accerſant, aut a me frequentes viſitationes requirant, a quo officio me variæ cauſæ diſtraxerunt: interim ex vero teſtor, quod tam hic loci quam in aliis longe populoſioribus urbibus praxin admodum numeroſam adminiſtraverim, adeoque abunde addidicerim, quid ſit praxin exercere, obambulare, pulſum tangere &c: neque neceſſariis & ſufficientibus obſervationibus deſtitutus ſum; curioſi vero & infrequentes caſus, ſicut praxin non efficiunt, ita de iisdem non admodum ſollicitus ſum: poſteaquam enim vires meas uſibus academicis conſecravi & omni tempore, Deo benedicente, conſtantem, neque coactum, conquiſitum & per emiſſarios conductum applauſum deprehendi, hinc viam hanc, quam Deus mihi monſtravit, qua potui ſimplicitate & ſinceritate ſecutus ſum, neque ulterius diffuſiori & operoſiori praxi me immiſcere malui aut potui, probe conſcius, quod plures huic

practico officio ſe conſecraverint, neque hactenus, per Dei gratiam, aliqualis defectus circa illos invaluerit: quapropter peregrinationes ſemper deprecatus ſum & multas ægrotorum viſitationes declinavi, quin rectius conſcientiæ mihi duxi, ſi lucri cauſa multorum ægrotantium tractationi me dicare voluerim & proinde vel auditorium meum turbare, vel ægrotantibus negligentius proſpicere debuerim: quare in Favorem ſtudioſæ juventutis lucrum praxeos declinavi & illud commodum aliis, qui multa & varia tractare volunt, minime unquam invidi: mea interim tractavi & in hoc officio ſemper tranquillus fui, neque me aliis negotiis obtrudere cogitavi; tantum interea ſparſim praxeos ſtudio incubui, quantum per conſcientiam licuit: propterea illi omnino præjudicio ſeſe immergunt, qui peritiam in arte tantum in viſitatione patientium inquirere volunt: neque quidem praxeos exercitium unquam penitus detrectavi, ſed conſtanter cum reliquis meis laboribus conjungo: neque me vulgares ſtudiorum querelæ latent, quando ſtudia ſæpe interrumpuntur: quid quod abunde conſtat, quomodo ab Academiis ſucceſſive tali ratione ſtudioſi avertantur; interea veſtrum erit cum continentia judicare; alias empirici & nundinatores optimi eſſent medici, quia interdum diffuſiſſimam praxin exercent: Incidit hoc loco in mentem, quod *B. Bohnius de offic. med. dupl. c. 4. p. 103. 104.* proponit: *Frequentationibus his ut commodius & cum majore fructu litare queat medicus, non adeo multos horum curandos ſimul ſuſcipiat, eosque perfunctorie & currendo tantum viſitet, ſeu feſtinando illorum viſitationes expediat: cum juxta Celſum 3. c. 4. fere periculoſa ſit nimia feſtinatio & ab uno medico non multi posſint curari: ne audire cogantur, non obſervaſti, occidiſti: multum quippe differunt currere & curare* &c. Ejusmodi fatis ſubjectæ ſunt operoſæ exercitationes practicæ. Protuli itaque hoc ſcripto Praxin medicam & rationabiliter & perite adminiſtrandam, inſuper indicavi illa remedia, quibuscum Celeberrimus D. D. Stahlius ſaluberrimos ſemper præſtitit effectus: quam male vero vobis conſultum ſit, ſi

 vos

vos ad hoc vel illud arcanum dimitterem aut aures veſtras cum medicamentis, quibus portentoſa & magnifica prædicata imponuntur, vellicarem: interim variis in locis pilulas Stahlianas commendavi, quas genuinas itaque comparare debetis & quæ ad illos reſervatos affectus obtineri poterunt, modo non ad alios caſus adhibeantur, in quibus alia remedia ſatisfaciunt: dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ: quicunque itaque Practica ſtudia aggrediuntur, illi cum theoreticis ſufficienter imbuti eſſe, neque ſubito ad practicos conatus advolare debent; neque etiam patiantur quo ſub qualicunque perſvaſione atq; prætextu ad eosdem ducantur et invitentur, ſed curſui ſtudiorum ſuorum melius conſulant: doleo ſane illos, qui præcipitanter ad praxin fugiunt & autumant, quaſi illud ſit ſolum officium boni medici: hiſce enim ingeniis videtur neque gloria Dei, neque proximi commodum, ſed aurea praxis proprium commodum & lucrum curæ cordique eſſe: abſit a vobis hæc ſordida avaritia & diffidentia, qua Creatoris veſtri honorem violatis: de bono medico deſideratur etiam doctrina atque prudentia: hinc meum conſilium erit, quo præter theoretica ſtudia etiam aliis elegantioribus ſtudiis operam detis: maxime vero morum doctrinæ, quo prudenter verſari diſcatis, ne per præcipitantiam, avaritiam, invidiam, incontinentiam &c: & veſtræ & artis famæ dedecus inuratis; quo ſpectat, quod *Plato de Legibus l. dixit: recte ſciat perſvadere, ut primum doceat & perſvadeat medicus, quid ſit ægroto faciendum & non prius imperet, ita promptius parebit:* ante omnia hoc opus practicum cum calidis & piis precibus conjungatis; noſtrum ſerere enim, plantare & humectare nullius erit utilitatis, ni Deus eidem benedicat: & inde etiam eſt, cur multorum conatus tam infauſtos ſortiantur ſucceſſus: ſi poſſibile eſt Practicum ſtudium minime fugiente curſu tractetis, ſed plures occaſiones ſeligatis & aſſumatis, quibus practicæ manuductiones vobis affulgent; neque unius probati artificis operam adhibeatis, quoniam alii ſingulares inculcabunt utiles obſervationes, quas ſingulas bene annotare, rite

dis-

diſcernere & congrue applicare debetis: neque unquam propoſitum veſtrum ſit, in futura praxi, aliis invidere majorem praxin & veſtram locupletare: ſed certi ſitis quod tale propoſitum maledictio divina proſequatur: ſciatis potius, quod benedictio divina locupletet: offero itaque vobis *Therapiam medicam*, ſub cujus tractatione materiæ medicæ ſtudium ſedulo repetendum eſt, qua occaſione *Wedelianæ amoenitates Mat. Med.* & *Hoffmanni methodus medendi* conciliari poterunt: accedit *Ludovici Pharmacia moderno ſeculo accommodata*, cujus collatio multum adjuvabit ſtudium Therapevticum; imo ſucceſſive particulares tractatus Therapevtici conferantur; porro ſedulo evolvantur *diſputationes Stablianæ Therapevticæ*, quarum variæ proſtant: non infimæ notæ ac dignitatis eſt commentarius *Etmülleri in Schrœderum* & *Ludovici*: huc refero *diſſertationes Therapevticas* diverſas *Wedelianas*, *Bohnium de off. med. dupl.*: & quemadmodum præſens Therapia eſt præparatio ad ſpecialem praxin, ita illa iterum cum bona animi applicatione ſeorſim tractari debet, quoniam in ſpeciali praxi minus ſufficienter therapevticæ illæ animadverſiones explicari ſolent: minime omnium proficit in Therapia nimis copioſum apparatum remediorum affectare & indiſcretim conquirere, unde non niſi gravis perturbatio animi ortum trahere poteſt: agite itaque & de ſelectu remediorum utilium & probatorum curam habete: eximium enim damnum eſt, ſi ſingulis illis laudibus, quæ vulgo de remediis circumferuntur, abſoluta fides datur; neve in illam credulitatem conſcendite, ut omnium practicorum remedia pro divinis habeatis: eſtote providi, ne animi veſtri ſubito prædicatis illis, meum, noſtrum, polychreſtum, panacea, mercurius vitæ, &c: defixi adhæreant: non enim omnia remedia tanta fiducia digna ſunt, qualia non niſi a ſuis fautoribus & authoribus commendantur: ita hic extollit ſuum opium, alius ſuum ſal volatile oleoſum, &c: & in hoc paſſu prudentia opus eſt: experientiæ accuſatio atque tutela in omnium ore eſt, quapropter in mente veſtra firmitas requiritur, ne modo ad hanc, modo ad aliam contrariam experientiam titubetis; exinde enim confuſus fœtus

pro-

provenit qui in praxi medica infans perniciei evadit. Deinde oculis veſtris ſeſe ſiſtit *Praxis univerſalis* in cujus prolegomenis brevibus requiſita boni artificis recenſui, hæc velim, ut bene obſervetis & in uſum aſſiduum ducatis, quo futurum officium practicum a vobis ſub benedictione divina exerceatur: quemadmodum evolvi poſſunt Libri, *Botalli commentarii de ægri & medici munere, Amatus Luſitanus de Introitu medici ad ægrotum, Iulii Cæſ. Claudini Lib. de ingreſſu ad infirmos, Bohnius de officio medici duplici. &c:* præterea commendata ſcripta *Stahliana* ſedulo concilientur: conferantur *Sydenhamii, Baglivi, Ettmülleri, Riverii, Doløi* ſcripta practica, ut & *diſſertationes practicæ Wedelianæ* in quibus locis variæ utiles obſervationes reperientur: & quamvis in talibus ſcriptis varia allegentur & laudentur remedia, ita non æque neceſſe eſt in illis diu ſubſiſtere: interim abſtineatis ne indiſcretim omnia rejiciatis, ſed obſervetis, quibus medicamentis ſingulares laudes adſcriptæ ſint, quæ omnino merentur, quo ulterius in uſum ducantur: evolvantur cum tempore obſervatores ſelecti, a curioſitate liberi, nec non ſcriptores botanici, qui de medicamentorum viribus diſſerunt: medicamenta ſplendida, ſpecioſa, ſecreta &c. ne multum conquiratis, ſed ſimplicia magis præferatis, quæ plus proſunt, quam compoſita & portentoſa chymica: imprimis etiam curam habeatis, quo vobis cura diætetica rite cognita evadat: temeritatem, timiditatem & negligentiam fugite: abſit a vobis ille pruritus congerendi & conſcribendi formulas remediorum, quarum multitudo vos ad cœcam empiriam ducit: proinde etiam conſultum erit, quo ſucceſſive ægros viſitare addiſcatis & quando in diverſis caſibus dubii eſtis, ab omni cœco tentamine abſtineatis: conſulite rectius præceptores veſtros, mentem veſtram de tali morbo explicate & quæ vobis videntur proficua futura, indicate, de reliquo vero amicam cenſuram, admonitionem & conſultationem ab iisdem expectate & in tali exercitio aſſiduitatem adhibete; omnia tamen circumſpecte tractate, neque unquam audacter procedere intendite: facile enim evenit, ut quisquam audaciæ adſveſcat

&

& neceſſariam circumſpectionem atque modeſtiam negligat: interdum occaſio fert, quo noſocomia viſitari queant, aut quo aditus ad privatiores practicos pateat, quorum operationes annotare & quo ſucceſſu illæ præditæ ſint advertere decet: interim etiam occaſio ſuppetit, quo e modeſta obſervatione ſiniſtrorum eventuum & amethodiæ ab aliis commiſſæ in noſtra doctrina & circumſpectione confirmemur, imo præſervemur, ne cum aliis in idem periculum incidamus: minime vero confert aliorum errores prodere, acriter perſtingere, alios invehere, aliorum famam denigrare, aliorum praxin carpere: nobiscum ſemper habitare & ex aliorum periculis ſapere debem9, quis enim nos conſtituit, quo aliorum judices ſimus: imperiti artifices habent ſuum judicem, cui de erroribus rationem reddere debent: quare tyrones praxeos tempeſtive diſcere debent, quo lingvam compeſcant, labia comprimant, ne conſcientiam ſuam lædant & garrulitati otioſæ adſveſcant: de reliquo practica ſtudia non fugitive, aut confuſe tractanda ſunt: quo loco non poſſum non, quin quorundam corruptum ſtatum admodum reprehendam, qui collegia manuſcripta anxie conquirunt & hoc ſolatio toti defixi nituntur, cum noſſe debeant, quantum juvet ipſas ſpecialiores obſervationes & annotationes ex ore Præceptorum haurire & percipere: deinde nonnullorum pruritus ad Praxin adeo immodicus & inſanus eſt, ut tanta præcipitantia irruant, quaſi hanc occaſionem prætermitterent, qui totam ſapientiam in eo poſitam eſſe credunt, quo nudis practicis ſtudiis gaudeant: inde evenit ut tacite & ſubtiliter in empiriam conjiciantur: hinc interdum talia ingenia occurrunt, quæ annotant, quomodo diverſi medici diverſa reſervata remedia poſſideant, quorum poſſeſſionem ipſimet affectant & per modum alicujus imitationis talia remedia conficere laborant, imo tam diu de tali conatu ſoliciti ſunt, ut interdum ex eximio monte opinionum & promiſſionum riduculus mus & lepida compoſitio proſiliat: Noſtis ex parte quantæ imitationes Pilularum Stahlianarum circumvolent & ſub quibus nominibus ſeſe variorum invi-

dia & avaritia aut pleonexia illa ſordida prodat: interim minime aſſiduitatem illam rejicio, qua nonnunquam quisquam remedium quoddam tali fido & efficaci uſu comprobat, quo deinde Deo adſiſtente præ aliis medicamentis inniti queat: ſed in tali paſſu etiam fides adhibenda eſt, ne quis fumum vendat, & de ſterili remedio gaudeat. Non ſufficit alicui remedio ſplendidum aut aliud ſpecioſum prædicatum affingere; optima illa commendatio eſt, quæ magis re quam titulo ſuccedit: quodſi vero vobis aliorum celebriorum medicorum reſervata medicamenta commendentur, tunc minime vana hæc conſilia eſſe autumetis, uti corrupta & ſtupida quædam ingenia faciunt: quin potius cum neceſſaria modeſtia & gratitudine accipiatis, quod vobis præ aliis incertis, ambiguis aut inutilibus remediis talia indicentur & commendentur, quæ reliquis palmam præripiunt & veſtram futuram praxin meliorem reddunt: confuſæ vero mentis ingenia ea propter faſtidium quoddam declarant, quibus reſervata talia remedia, prout cum impudentia deſiderant, non manifeſtari poſſunt: denique iterata vice, ſed ex urgente neceſſitate moneo, ne aliorum probatorum practicorum conciliationem negligatis: turpiſſimum enim vitium philargyriæ & quod multi omnia ad ſuam utilitatem referant, ſeducit & corrumpit interdum ingenua ingenia, quando detinentur aut ſub qualicunque invidia & iniqua perſuaſione deterrentur, quo minus alios audiant, adeant & conferant, talem ſeductionem ſedulo evitetis, nam luditur vel de veſtra pecunia, vel de veſtro applauſu & ſervitio & adoratione, haud vero utilitas veſtra intenditur: abſit a me, uti noſtis, quam longisſime, ut quenquam veſtrum vel urgeam, vel per alios urgere eidemque perſvadere permittam aut annuam, quo me audiat; quod cuicunque liberum ſit: quin noſtis, quam ſæpe urgeam atque deſiderem, quod in verba mea minime jurare neque me ſolum audire & adire debeatis: ita omniſcio Deo conſtat, quanto ardore veſtrum commodum ego proſequar: neque

oculus

oculus veſter malus ſit, aut animus faſtidiens, ſi labores mei, quos cepi & ſuſcepi, non ſingulis ſemeſtribus mutationibus finem ſuum attingunt, quod mihi ſane levius opus eſſet, ſi commodum veſtrum non mihi præfixum haberem: quid itaque properate in re tam ardua? patientia & conſtantia opus eſt, quo ſemel ceptum negotium ſalutarem finem aſſequatur: quo magis vero practicum ſtudium dignitate ſua fulget, eo major ſolertia requiritur in repetitione & ruminatione illius, quod in collegiis explicatum fuit: propterea etiam in cujuscunque affectus atque caſus tractatione, Pathologicum ſtudium conciliate, deinde vero prælaudata Sthaliana & reliqua ſcripta evolvite, quando de affectu quodam neceſſariam manuductionem & informationem obtinuiſtis, quando illam intellectui & memoriæ mandaſtis: ſic experiemini verum & ſolidum quendam fructum. Præterea obtuli hoc ſcripto, tractationem quandam Caſuiſticam & *Praxin* quidem *extemporaneam de affectibus inopinatis atque Tragicis*: collegi tales ſonticos caſus, qui in Praxi medica ex improviſo nonnunquam obtingunt & multum curæ atque ſollicitudinis pariunt, quibus propterea peritus & prudens artifex rite ſuccurrere debet & ne tales tragici affectus artificem minus præparatum offendant, neceſſe erit, quo antea manuductio ſubminiſtretur, quomodo tempeſtive, promte & perite iisdem ſubveniendum ſit: & hæc ipſa etiam tractatio tantum vobis promittit & exhibet uſum, quo in futurum majori dexteritate & capacitate relationes medicas conſcribere & judiciis publicis eo melius cum iisdem ſatisfacere queatis: plurimos horum caſuum ipſe in mea praxi expertus ſum, ſicut in hac tractatione meas æque ac aliorum peritorum & fide dignorum medicorum obſervationes commemoravi, adeoque veritatem obſervationum & methodorum medendi abunde confirmavi: invenietis cum tempore Deo adſiſtente efficacem hujus tractationis fructum: ſpecialem lecturam & conciliationem aliorum authorum vobis hoc loco commendare non poſſum,

 quia

quia id ipſum in cujuslibet ſpecialioris caſus explicatione ex propoſito præſtiti, ubi diverſi authores commemorati ſunt, qui de ejusmodi affectu egerunt: veſtrum modo erit officium, quo tales authores ſedulo conferatis; ante omnia alia vero in periculoſis & tragicis talibus caſibus divinum auxilium exorandum erit, quo in tam periculoſo ſtatu commendata & adhibita remedia ſalutarem effectum acquirant: & quamvis in hujus tractationis compendio multa notitiæ veſtræ ſeſe ſubjiciant, attamen multa ſpecialioribus explicationibus & diſcurſibus reſervata ſunt: unde vobis conſultum erit, quo in tam arduis & periculoſis caſibus ſufficientem cognitionem acquiratis, ne in tanta afflictione vel temere vel timide quicquam committatis. Practicis hiſce tractationibus ſociavi *Fundamenta Phyſica* & quidem talia quæ medico ſtudio reſpondent: poſteaquam enim obſervavi, quod multæ ex communibus ſententiis phyſicis veritates medicas obſcurent magis atque confundant, quam confirment & illuſtrent, ita in eo occupatus etiam fui, quo communes errores & phantaſias, quotquot in philoſophia naturali occurrunt, e theoria medica repurgem, quo animos veſtros præſervem, ne in tales opiniones præcipites ruant, quæ neque in ratione ſana fundatæ, neque experientia ſolida & ſincera probatæ ſunt: minime quidem me latet, quantum offendiculum ſit ſtudium obſervationum & experientiæ in oculis ſpeculatorum, ad quod ipſi neque pertingere poſſunt neque volunt, qui tantum ex certis præſuppoſitis & phantaſiis ordinem & ſtatum naturalem explicare ſatagunt: neque quidem in hoc negotio confuſæ & corraſæ quædam obſervationes aut ſterilia experimenta ſatisfaciunt, ſed ſingulari attentione & circumſpectione opus eſt, ne animus cum otioſis & ridiculis curioſitatibus & crepundiis corrumpatur, neve ita confuſe & præcipitanter picturæ, icones, figmenta, ſimilia & experimenta artificioſa ad œconomiam vitæ animalis applicentur; & cum mihi etiam hoc officium

ficium ordinarium commiſſum fuerit, quo in phyſicis ſtudioſæ juventuti ſuccurram, licet ab anno 1703 hic loci privato ſtudio phyſicam docere ceperim, ita nolui aliquid in hac ſparta negligere, ſed theſibus hiſce illas cogitationes meas communicare malui, quas ad medicam & chymicam theoriam ſpectare ſcio: veſtrum iterum erit officium, quo in hoc ſtudio & demonſtrationes & approbationes ſolidas advertatis, neque animum veſtrum in indagandis inutilibus novitatibus exerceatis, aut aures curioſis vellicationibus ſubmittatis: ſacrum vobis hoc eſſe debet ſtudium, quo rectius in naturalium rerum perluſtratione Creatorem agnoſcere & venerari diſcatis, minime omnium vero cum petulantibus opinionibus & conſcientiam violetis & ſcientiam turbetis & creatorem dehoneſtetis: & quanquam in hiſce fundamentis Philoſophiæ naturalis non ſingulæ illæ tractationes occurrant, quæ vulgo in ſyſtematibus phyſicis proponuntur, tamen illæ conſiderationes, quæ omiſſæ eſſe videntur, vel in explicatione harum theſium, vel in aliis medicinæ diſciplinis & partibus a me propoſitæ ſunt: imo quoniam utplurimum deprehendi, quantus in communi phyſica defectus occurrat, circa tractationem & cognitionem Naturæ & motus, hinc quadantenus anniſus ſum, quo ex parte pro virium mearum modulo hunc defectum ſuppleam, quales animadverſiones conſtanter tam ad œconomiam Macrocoſmi, quam ad ſtatum Microcoſmi applicare ſoleo: interim communes curioſitates phyſicæ me non latent, quos ad nauſeam vidi, tum apud B. Sturmium, tum apud B. Weigelium & hunc quidem conſangvineum meum, a cujus inſtitutione in arithmeticis & mechanicis, theoreticis æque ac practicis applicationibus per ſatis notabile tempus pependi; quid quod olim in tales curioſitates totus immerſus fui, quarum plurimarum inutilitatem in vera Theoria medica tandem deprehendi: unde quidem facile credo, quod meæ ſententiæ phyſicæ ingeniis, curioſitates affe-

ſtantibus, minime arrideant, quoniam ingenua ſimplicitate nituntur: proinde meas demonſtrationes phyſicas cum ſufficienti farragine obſervationum phyſico-medico-chymicarum confirmo & in hiſce obſervationibus non corticem, ſed nucleum & ſolidum fundamentum attingo: cuicunque etiam placuerit ſub mea manuductione in phyſicis alia quædam ſcripta phyſicorum conciliare, illi commendo *Beccheri phyſicam ſubterraneam* & *Sturmii* ſyſtemata phyſica, tam *phyſicam Conciliatricem*, quam *compendium phyſicæ erotematicum*: hypothetica vero illius Phyſica nimis diffuſa eſt; cui tamen tempus vacat, illi & hæc commandata ſit. Denique etiam *chymica* mea *fundamenta* hoc ordine agmen claudunt, quæ perinde minime vel chymiam pharmacevticam, vel ſyſtema in artis formam redactum exhibent, ſed tantum cynoſuræ inſtar inſerviunt, quo reliqua dogmata & experimenta, ad chymiam ſpectantia, melius comprehendi & demonſtrari poſſint: & certe minima pars theſibus hiſce oculis veſtris ſubjicitur, cum explicatio atque diſcurſus non modo uberiores rationales deductiones, ſed & multiplicia experimenta inferat & offerat & dum ad minimum annuum temporis ſpatium ad laborem talem chymicum a me adhiberi ſolet, (ubi nulla intervalla, ſi Deus ſanitatem conſervat, intercedunt) ita facile colligere licet, quantæ reſervationes mentales ſuperſint, ſi theſibus hiſce propoſitis ſatisfacere laboro: & quando priora capita vobis ardua & obſcura videntur, ne propterea animum abjiciatis velim, cum in Halotechnia, Zymotechnia & Pyrotechnia vobis ſingula hæc fundamenta evidentiora ſint futura: & licet in quolibet ſpecialiori chymiæ parte adhuc multa monenda & indicanda ſint, tamen animus mihi minime fuit, chymiam quandam completam texere, alias quælibet pars ſeorſim tractari promereretur: quoniam vero in collegiis academicis tantum animi præparantur, quo impoſterum proprio ſtudio, hæc, quæ modo didicerunt, augere poſſint, ita ignavi & abjecti animi ſignum

eſſet

eſſet, ſi auditor tantum in collegiorum uſu acquieſcere vellet: de reliquis enim, qui negligenter res ſuas tractant, mihi minime ſermo eſt; neque etiam nuda annotatio ſufficit, ruminatione opus eſt; ſicut tractationes chymicæ ita conſtitutæ ſunt, ut æque ſedula attentione & repetitione indigeant: & quo hæc ſtudia chymica cum majori uſu tractentur, propterea privatiori ulteriori ſtudio ſedulo evolvenda erunt ſcripta chymica *Stahliana*, videlicet clavis illa ad *Phyſicam ſubterraneam Beccheri* ſpectans, *tractatus de ſulphure*, *opuſcula chymica*; hiſce ſcriptis combinari poſſunt *Barneri Chymia philoſophica*, *Bohnii Diſſertationes chymicæ*, *Zwelferi animadverſiones in Pharmacopœam Auguſtanam*, *Wedelii ſcripta chymica*, *Glauberi opera*: quæ ſcripta ſtudioſum chymiæ cum ſufficienti apparatu ſcientiæ & experientiæ inſtruent, quo in futurum, ſi placuerit, ulteriores progreſſus facere valeat: minime tamen in eo opus chymicum quisquam ponat, ut ſpiritum, aquam &c: deſtillare, ſal volatile præparare, Flores ſublimare poſſit, id quod famuli pharmacopœorum æque poſſunt; neque vera chymia principaliori ſuo ſtudio circa curioſa experimenta occupata eſt, neque in nuda proceſſuum collectione, coacervatione & præparatione conſiſtit, ſed præter hanc capacitatem adminiſtrandi experimenta, etiam requirit rationabilem circumſtantiarum intellectum atque nexum, ut eo ipſo artifex ſubjectorum ſuorum, circa quæ verſatur, indolem atque relationem rite cognoſcat: ſedulus etiam chymiæ ſtudioſus manus applicat & proceſſus, quos aſpexit, imitari ſuſcipit, ne in hac arte plane imperitus ſit: quicunque etiam majorem propenſionem ad chymiam in pectore ſuo ſentiunt, illi circumſpecti ſint, ne magis neceſſaria negligant, neve huic ſtudio adeo immergantur, ut cum raris exercitationibus tempus terant, aut de inutilibus curioſitatibus gaudeant, aut in ſordidam chryſophiliam & periculoſam ac ancipitem chryſopœiam ruant, neque Creatorem ſuum tentare audeant, indeque in tali ſterili auſu, famam, opes & vitam perdant:

perdant: ſi ullibi enim, ſane in chymia modus ſervandus eſt, quia pruritus in ſtudio chymico non modo ad eximiam garrulitatem & glorioſam oſtentationem, ſeducit, ſed & ad negligentiorem alterius officii, in proximi uſum inſervientis adminiſtrationem diſponit: ea propter in hoc ſtudio vobis circumſpectionem commendo: veſtrum nunc erit quo hiſce conſiliis annuatis, ſi utilitates illas aſſequi cogitatis, quas vobis opto: Deum denique humillime precor, quo omnes, qui tam ſalutarem artem aggrediuntur, ſancto ſuo ſpiritu impleat, ut agant, quæ ipſius beneplacito conveniunt, quo ſtudioſa Juventus fugiat toto ſtudio vitia juventutis & in præceptis Domini ambulet, *ſtultas & ineruditas quæſtiones averſetur, ſciens eas gignere pugnas. 2 Tim. 2. v. 23.* imo quilibet veſtrum reminiſcatur illius Davidici moniti *Pſalm. 119. v. 9-12. quomodo purificabit juvenis ſemitam ſuam? obſervando eam ſecundum verbum tuum: Ex toto animo meo quæro te, ne ſinas me errare præceptis tuis: in animo meo recondo ſermonem tuum, ut non peccem in Te: Tu benedicte Jehova, doce me ſtatuta Tua:* denique vos compello atque adhortor cum apoſtolico illo dico *1 Cor. 10. v. 31. & Coloſ. 3. v. 17. Quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite: quicquid feceritis ſermone aut facto, in nomine Domini Jeſu id facite, gratias agentes Deo & Patri per eum:* Et ita vos gratiæ & directioni divinæ conſtanter commendo.

THERA-

THERAPIA MEDICA.

PRAECOGNITA ET FVNDAMENTA THERAPIAE MEDICAE.

§. I.

PRaxis medica, quæ in ordine ſtudii medici partem Theoreticam excipit, vel eſt generalis, vel ſpecialis; illa tradit tales reſpectus conſeruationi & reſtitutioni corporis corruptibilis ſubſervientes ad communes & genericos uſus applicandos: hæc vero ex illis fundamentis ſpecialiores applicationes ad ſingulares & particulares ægrotationes & patientes ducit.

§. II. Dum vero juxta hunc ſenſum praxis generalis nihil aliud quam Therapia medica eſt, ita hæc partim præſervatoriam, partim curatoriam opem affert, dum ejusmodi ſumma genera medicationum ordinat, quæ genericas morborum invaſiones præoccupant & intercipiunt, ſed quæ etiam easdem ad curatorium ſcopum dirigit, dum præſentes integritatis animalis periclitationes expugnare laborat.

§. III. Vnde Therapia appellationem ſuam nacta eſt a repurgatoria ſanatione & liberatione ab impuro & variis periculis & offenſionibus inducendis apto ſubjecto, ſicut in antiqua idololatria ejusmodi cultus expiatorii & repurgatorii oblati & adhibiti fuerunt Diis illis, qui Theraphim dicti fuere & Deos domeſticos præſentabant, qui ob frequentem externam inquinationem frequenti mundificatione indiguere; unde per applicationem ad corpus immundum & corruptibile Therapia talem actum repurgationis & liberationis ab imminente pernicie denotat.

§. IV. Commendat Therapia ſumma genera, ſive generales fontes medicationum, una cum methodo ad genericam talem curam ſpectante & inſtrumentis ſelectis & ſecuris, quibuscum ſalutares & œconomiæ vitali reſpondentes effectus impetrari debent; ita quidem, ut neceſſarias obſervationes atque cautelas, exquiſite practicas, conciliet & ita rationi & experientiæ, tanquam principalibus totius medicinæ fundamentis, ſatisfaciat.

§. V. Indicat & continet proinde Therapia medica veram & ſinceram illam methodum morborum & ſubiectorum eſſentiali conſtitutioni reſpondentem, ſubinde naturæ individualis ſynergiam conciliantem, mediante qua ſingulæ illæ cauſæ, quæ partibus fluidis & ſolidis inimicæ ſunt, vel immutantur vel tempeſtive avertuntur, quo tota oeconomia vitalis integritati ſuæ reſtituatur, ſanitas confirmetur & vitalitas eo ipſo adjuvetur.

§. VI. Quemadmodum vero ars medica vix facile aut ſæpe, niſi in crasſisſimis affectibus, abſolutam poteſtatem habet in corpus vivum, ita artifex de illa intermedia cauſa apprime ſollicitus eſſe debet, per quam in corpus operari poteſt: ob id in Therapia medica curatius & Energia & Synergia Naturæ humanæ exploranda erit, quo ſub eadem ſalutares effectus inducantur & tales quidem, quales ipſa natura, ſi ſola operaretur & a via recti non aberraret, inquirit & impetrat, obtineantur.

§. VII. Et ſicut in omni operatione methodus agendi præſtantisſimum eſt emolumentum; ita Therapia medica, ſi a vana empiria libera eſſe debet, ſingula ſua negotia methodice & ordinate exercere debet & hoc ſenſu atque reſpectu Methodus Medendi eſt rationalis & ordinatus quidam proceſſus, quo iuxta indolem morbi & cauſæ lædentis per iuſtam ſecurorum & efficacium adminiculorum oblationem, imminentia pericula tempeſtive intercipiuntur, ita tamen ne vago quodam impetu & conamine ſpeculationibus magis, quam indoli morborum reſpondentes indicationes ſuſcipiantur.

§. VIII. Multum propterea refert noſſe, quid ex naturæ & cauſæ morbificæ energia fluat, quo in generico practico reſpectu ſingulis effectibus ſubvenire posſit artifex, dum e cauſæ morbificæ efficacia non niſi pernicioſæ læſiones; ex energia naturæ, libere & legitime operantis, vicisſim ſalutares operationes pendeant, quæ cauſæ ſubiugandæ & expugnandæ, inventæ ſunt atque directæ.

§. IX. Circa cauſam morbificam, condigne & legitime æſtimandam & tractandam, duplex principalis reſpectus occurrit; prior eſt, in quantum illa corrigi, emendari & ita alterari queat, ut nociva illius efficacia palliativo quodam modo invertatur; palliativo dico modo, quia hæc correctio non diu durat; alter vero reſpectus obſervat illam cauſam, ut ſimpliciter noxiam aut a-

lienam

lienam, ſuperfluam & a corpore tempeſtive removendam atque ejiciendam: & hic poſterior exquiſite medicus eſt atque vitalitati adæquate & proxime inſervit; prior vero ſecundum communem æſtimationem nudis hypotheſibus nititur & plus imaginarius, quam practicus & ſalutaris eſt; cum perſæpe optimæ & maxime ſelectæ opportunitates agendi cum vanis & hypotheticis materiarum correctionibus perdantur.

§. X. Et quanquam cauſæ morbificæ remotio proximius ſcopo medico reſpondeat, tamen interdum præparatio hujus in tantum commendanda & urgenda eſt, quo evacuatio illa eo melius, citius & facilius ſuccedat: omnis enim correctio materiæ peccantis ſine ſubordinata tempeſtiva illius excluſione, ordini vitali minime eſt conſona, quin rectius & motus vitales & corpus aggravat, impuritates accumulat & reliquas ſalutares ordinarias excretiones turbat.

§. XI. Principaliſſimum totius Therapiæ artificialis fundamentum eſt Therapia corporis ſani, ſive methodus illa, qua utitur natura humana libere & ſola agens in conſervando, præſervando & reſtituendo fragili ſuo corpore, iuxta quam conſiderationem tota noſtra vita nihil aliud eſt, quam medicina naturæ ad præoccupandam corruptionem corporis idonea atque efficax.

Conf. Stahlii Diſp. de Therapia ſani corporis.

§. XII. In hac Therapia ſani corporis ſequentes principaliores reſpectus, ad Therapiam artificialem fructuoſi & neceſſarii, annotari debent, 1) quod corpus animale nunquam perfecte ſanum ſit, ſed quod ipſi conſtanter materiæ heterogeneæ inhæreant 2) quod hæ materiæ ita conſtitutæ ſint, vt ſub qualicuncunque conceſſa mora perniciem ſuam inferant & actu denique noceant. 3) ne vero talem noxam corpori vivo inferant, neceſſe eſt, quo proximius, ſed ſubinde etiam conſtanter, ab humoribus ſeparentur, dum per hos antea e ſolidis partibus eductæ ſunt: 4) omnino vero & abſolute pro vitalitate & ſanitate obtinenda confert, quo illæ materiæ in aptis organis ſequeſtrentur & denique tempeſtive evacuentur 5) quales operationes atque effectus non niſi cum motibus vitalibus, tum progreſſivo ſangvinis, tum, & præcipue quidem, motu tonico adminiſtrantur.

§. XIII. Si porro 6) materiæ quædam in corpore noſtro occurrunt, quæ quoad craſin ſuam non pernicioſæ ſunt, tamen quoad quantitatem ſuam ſuperfluæ & moleſtæ, tunc easdem, legitime procedens natura ſibi relicta, ſponte imminuit & evacuat, dum 7) illas vel immediate & ſine mora in prima & ſincera ſua conſtitutione expellit, vel 8) antea quantiſper præparat, quo excretoriis motibus facilius obtemperent: 9) ſingulas has operationes in proportionata methodo adminiſtrat, neque confuſe cauſas lædentes commouet atque impellit, ſed 10) in tali ſalutari functione obſervat rationes temporis, quan-

titatis

titatis, qualitatis, conſtantiæ & quæ aliæ cum præoccupatione corruptionis congruunt.

§. XIV. Cauſæ vero quæ corpori inimicæ exiſtunt, ſunt 11) vel abſolute & poſitive, vel reſpective & privative mixtioni corporis animalis præjudicioſæ 12) inter illas vero quædam ſunt ſubtiles & tenues, adeoque efficaciam ſuam ſine ſtrepitu exſerunt: 13) quædam contra ſunt craſſæ, proptereaque in prima ſua operatione confeſtim ſeſe produnt 14) aliæ citius, intimius & conſtantius 15) nonnullæ vero lentius & per intervalla noxam ſuam inferunt; vnde 16) illæ cito & ſine mora imo ſub maxima vigilantia & circumſpectione 17) hæ vero per intervalla & cum remisſione atque moderatiori activitate eliminantur.

§. XV Et dum 18) maximum damnum partibus fluidis ſive humoribus imminet, qui citius corruptioni obnoxii ſunt, ita pro iisdem conſeruandis & præmuniendis natura humana primariam curam applicat: per hos humores 19) ſubinde ſolidis partibus proſpicit, eluendo & abſtergendo, quid quod in juſta flexilitate & mobilitate conſeruando easdem 20) quodſi porro continuitati corporis aliqua læſio acceſſerit, tunc eadem principaliori opera a natura reparatur citra poſitivum artis jus 21) id ipſum contingit intra juſtum ætatis ambitum, ſiquidem cum ſenectute imminente illud ſingulare decrementum circa reparatorium actum obſervatur 22) vnde vnice conſolidatio & nutritio energiæ & ſynergiæ naturæ debetur, & denique 23) in omni hoc officio cauſæ lædenti & peccanti nulla mora conceditur, ſed eadem mox ad tempeſtivam eliminationem promovetur, modo 24) ſemper proportio humorum ad motus & motuum ad humores reſpondeat.

§. XVI. Et juxta ſingulos hosce reſpectus, quibuscum legitimæ naturæ humanæ operationes expoſitæ & commendatæ ſunt, Therapia artificialis ſive medica dextre & ingenue eſt adornanda, quemadmodum adhuc in illa priori Therapia non naturali ſpecialisſimæ naturæ operationes obſervantur, quæ circa ſpecialiores cauſas & materias morbificas occupatæ ſunt, ita juxta earundem ſucceſſum perinde Therapia artificis inſtrui debet, quando illa ad ſimiles effectus requiritur.

Conf. Stahlii Disp. de miniſterio artis naturæ ſalutariter adhibendo. De Cynoſura Therapiæ, Disp. mea de motibus naturæ cynoſura medici: & Epiſt. mea de Naturæ & artis commercio therapeutico.

§. XVII. Et ſicut in genere Therapia ſani corporis verſatur circa quantitatem materiæ & motuum, ita Therapia artificialis occupatur circa humorum, præcipue peccantium, quantitatem & hanc quidem vel excedentem; vel deficientem; deinde etiam occupatur circa materiarum qualitatem inprimis vero circa craſin & conſiſtentiam earundem, minime vero circa exquiſi-

tam

tam eſſentiam principiorum conſtitutivorum, denique etiam motus in oeconomia vitali occurrentes obſeruat, in quantum vel excedunt vel deficiunt, imo etiam ratione ordinis & methodi deflectunt; juxta quas animadverſiones etiam diverſas operationes Therapevticas invenit et applicat.

§. XVIII. Quod itaque quantitatem humorum concernit, quæ Therapia medica indiget, tunc exceſſui ejusmodi reſpondet tempeſtiva & proportionata evacuatio; defectui vero illius convenit tempeſtiva reparatio: circa qualitatem humorum varii reſpectus occurrunt, qui alteratione & correctione aliqua indigent, ſive illa conſiſtat in reſolutione & attenuatione, ſive in incraſſatione, ſive abſterſione, ſive ita dicta edulcoratione, ſive alia quadam præparatione: motuum quantitates iterum obſervandæ ſunt, quatenus vel in exceſſu, qui temperari, leniri, coerceri, vel ſedari debent, vel in defectu, conſiſtunt, qui excitari debent per commoventia, calefacientia, impellentia, prouocantia, exſtimulantia, nervina & analeptica; qualitas vero motuum & modus ſive methodus dirigi & tractari debet juxta ordinem, quem Therapia non naturalis commendat.

Conf. Stahlii diſp. de præparatione corporis therapeutica.

§. XIX. Quanquam vero ejusmodi operationes Therapevticæ artificiales multiplices & diverſæ exiſtant, tamen exiguæ harum abſolutam poteſtatem habent in corpus vivum, niſi mediante natura humana illiusque activitate plurimi ſalutares effectus impetrentur; ubicunque vero ars ſine naturæ concurſu corpori ſubvenit, ibi non æque Therapia medica, quam rectius Chirurgia ſimplicius inſtrumentalis & manualis requiritur & dum in Therapia per naturæ energiam & ſynergiam operandum eſt, ita ſemper artifex ordini, ſenſui & conſenſui naturæ ſatisfacere debet.

Conf. Stahlii diſp. de Poteſtate artis medicæ.

§. XX. Quemadmodum porro Therapia medica indicat & commendat quid pro ſalubritate corporis agendum & quomodo naturæ ſubveniendum ſit, ita proinde etiam ſubminiſtrat ejusmodi inſtrumenta, media & ſubſidia, quibuscum ſalutares effectus producendi ſunt & in hisce auxiliis commendandis ſervat juſtum & utilem ſelectum, indicat quantitatem & formam offerendi remedii, nec non modum adhibendi atque dirigendi & quali regimine aut moderamine talia adminicula ſublevanda ſint, ſignificat.

§. XXI. Deinde ſalutaris & rationabilis Therapia medica fugit omnes æquivocationes & immoderatas operationes, imo laborioſas & exacte vanas commotiones vitat, ſed proximius ad illos effectus tendit, qui directe vitali & ſanitati ſubveniunt, non otioſe ſpeculando de modo agendi & operandi, ſive quomodo remedia operentur, neque curatius diſpiciendo circa mate-

riarum

riarum tractandarum eſſentiales & mere phyſicas qualitates, utpote quæ conſiderationes magis ad Therapiam phyſicam, quam medicam ſpectant & nihil quicquam directæ utilitatis ad corpus vivum tractandum conferunt.

§. XXII. Præter hæc fundamenta, quæ hactenus ad Therapiam medicam commendata ſunt, adhuc ſeorſim notandum eſt, quod ad rationalem Therapiam pertineat 1) vera Theoria medica & certitudo tam phyſiologica, quam pathologica, ex qua motuum vitalium ordines, effectus & fines propius eluceſcunt: 2) annotanda, concilianda & diſcernenda erit perſonalis hominum ſenſibilitas, ne in producendis certis effectibus eadem nimium offendatur 3) obſeruandæ proinde ſunt ſingulares conſvetudines circa diuerſas motuum ſpecies & effectus vitales.

§. XXIII. Præter hos fundamentales reſpectus ad Therapiam medicam pertinet 4) ſelectus remediorum fidorum, certorum & probatorum, cum evitatione diffuſioris multitudinis 5) magnum etiam refert & affert commodum, quando in Therapia medica evitatur multiplicatio remediorum & formularum, quæ alias ſinceros & ſimplices effectus admodum pervertit & præpedit 6) multum juvat in Therapia medica ſimplices & non mixtos effectus proſequi, aut ad minimum tales, qui ad unum ſcopum collineant 7) major ratio & æſtimatio habenda eſt evacuationum, quam nudarum alterationum & 8) ubique motus in corpore provide & dextre tractandi & dirigendi ſunt.

Conf. Stahlii diſp. de multitudinis remediorum abuſu.

§. XXIV. Non minus ſpecialisſimæ quædam regulæ fundamentales in Therapia medica commendandæ ſunt, quæ ſeſe ferme ad omnes affectus & intentiones extendunt 1) quod nihil moveri debeat, quod mobile nondum eſt, alias vanum erit noſtrum conamen 2) quod nihil moveri debeat, quod motu non indiget, ſed per ſe jam movetur, alias motus excedunt 3) quod eo minus excesſivi motuum gradus provocandi ſint, alias effectus fiunt pernicioſi 4) quod per contrarietates & extremitates Therapevta operari non debeat, quia talia oppoſita vitam deſtruunt 5) quod ubique motibus cum maxima cura proſpiciendum ſit, ne pervertantur.

§. XXV. Hinc 6) antea mobile reddendum eſt, quod moveri debet, ſi mobile eſt etiam 7) ad motus & effectus ſalutares obtinendos congruus locus atque ſufficiens ſpatium ſuppeditari debet, 8) nihil etiam contra conſenſum & concurſum naturæ, non turbatæ, ſuſcipiendum & movendum eſt 9) neque e locis incongruis aliquid emovendum erit: 10) multo minus motus contra proportionem augendi & excretiones augmentandæ ſunt, quin potius 11) omnes operationes Therapevticæ opportune i. e. in tempore juſto adminiſtrentur, & denique 12) non præmature intercipiendæ & omittendæ ſunt ſalutares functiones Therapevticæ.

§. XXVI.

§. XXVI. Quoscunque etiam effectus in Therapia medica quisquam proſequatur, in illo conamine ſemper ad fundamentum & radicem alicujus mali pertingat neceſſe eſt, exinde enim curatio e fundamento in tota medicina practica commendationem ſuam ſuſcipit; quo minus morbi palliative & ſuperficiarie tractantur, ſed ad illos effectus ſalutares proxime diriguntur, qui cauſæ morbificæ & indoli affectus apprime reſpondent: ita eveniet, ut impetratis talibus ſalutaribus directis effectibus morbus non invertatur, neve in aliud ſchema ægrotationis convertatur.

Conf. Stahlii Diſp. de Curatione e Fundamento.

§. XXVII. Denique etiam in doctrina Therapevtica occurrunt uſitatæ quædam appellationes technicæ, quæ in artificioſa morborum disquiſitione communiter applicantur, cujus tenoris eſt, quod vulgo medici appellant τὸ Indicans in aliquo affectu, quod nihil aliud eſt, quam cauſa principalis eminens & urgens in aliquo morbo, quæ certam medicationis ſpeciem requirit, adeoque indicem conſtituit, ad quem Therapevta primario oculum advertere eidemque dirigendo ſolertiam & vires adhibere debet.

§. XXVIII. Deinde juxta hunc ſenſum uſitata etiam eſt medicis appellatio Indicationis, quæ nihil aliud eſt, quam inventio alicujus auxilii idonei pro cauſa morbifica oppugnanda & expugnanda, unde totus hic actus Therapevticus in eſſentialibus ſuis requiſitis conſideratus hoc nomine vulgo venire ſolet & eſt quaſi ipſius naturæ commendatio, inventio & ordinatio, uti ipſamet in actu avtocratico, ſibi relicta, talem operationem perpetrat, eandemque propterea artifici ſimiliter commendat.

§. XXIX. Porro uſu recepta eſt notio Indicati, quod nil aliud eſt quam illud inſtrumentum, per quod actus ille ſalutaris, in quantum cauſæ morbificæ ſuperandæ competit, adminiſtratur & effectus pro cura morbi eſſentialiter neceſſarius impetratur: quale indicatum eſt vel remedium, vel conſilium, quæ utraque actui huic producendo quadrant.

§. XXX. Et ita ſingulis hisce fundamentalibus circumſtantiis & animadverſionibus nititur tota Therapia artificialis, quæ ſi citra hos reſpectus adminiſtratur, artis dignitatem amittit & empiriæ larvam induit, a qua tamen praxis rationalis medica ſtudioſe repurganda eſt: unde juxta præmiſſa fundamenta proxime ſingula medicationum genera, ad praxin medico-clinicam ſpectantia, pertractabuntur.

SECTIO I.
DE
GENERALIBUS OPERATIONUM THERAPEVTICARUM QUALITATIBUS.

CAPUT I.
DE
SPONTANEA MORBORUM THERAPIA.

§. I.

QUanquam in præmiſſis Therapiæ medicæ fundamentis hujus circumſtantiæ peculiaris mentio facta ſit, tamen digna hæc conditio corporis vivi ſolidiorem magisque particularem requirit tractationem, ſiquidem hic effectus ſpontaneæ curationis in plurimis reliquis Therapevticis intentionibus obſervandus & debite applicandus eſt, qui tamen propterea non pro fortuito habendus, aut ex neceſſitate corporis deducendus eſt, cum hæc qualitas inducendæ reſtaurationis vix rationabiliter læſo ſubiecto imputari poſſit, niſi illud ignorantiæ aſylum hoc etiam loco valeat, quod Deus ita fieri voluerit & decreverit.

§. II. Et licet hæc conſideratio ſpontaneæ morborum expugnationis in Therapia medica adeo digna & celebris ſit, tamen eadem propter hodierna principia curioſa, ſpecioſa & luxurioſa, quæ Theoriæ medicæ immiſcentur, negligenter tractatur & parum attenditur, tanquam res, quæ rariſſime accidit & non niſi cauſis inconſtantibus & fortuitis accenſenda eſt, cum tamen hæc animadverſio ob id maxime curioſis medicis non arrideat, quia reliquas vanas ſpeculationes infringit & expellit, imo quia cynoſura & fundamentum eſt alterius, magisque rationalis medicinæ, imo quia illis, qui e medicina rem mercenariam faciunt & panis lucrandi cupidi præjudicium adfert, quod corpus animale proprium habeat medicum, qui plus proficit quam omnis ſplendida & glorioſa ars.

Conf. Stahlii Disp. de autocratia Naturæ.

§. III.

§. III. Vtut vero hæc tractatio poſteritati & recentisſimis curioſis ævis perquam ſcandaloſa ſit, tamen eadem priſcis & fide admodum dignis & ingenuis medicis non modo admodum cognita eſt, ſed & ſubiectum ſuppediavit pro eximia commendatione in poſteritatem transferenda, quemadmodum Hippocrates expresſis verbis & aliquoties id profitetur, quod multi homines curentur ſine Medico; quod natura ſit morborum medicatrix: quod a nemine docta tamen faciat, quæ conveniunt, quod ſibi ipſi vias ſeligat & ſibi ſufficiat; quales enunciationes Celſus imitatur, dum dicit, quod multi magni morbi curentur abſtinentia & quiete, vbi neque Medicorum, neque proprie ſic dictorum medicamentorum reminiſcitur: cum quibus conſentiunt diverſa aſſerta Galeni, Valeriolæ & illorum, qui naturæ vires ſolertius obſervarunt, quod ex parte etiam Helmontius cum ſuo Archæo intendit, imo quo denique confugiunt recentisſimi medici curioſi, qui quando ab aliis hypotheſibus deſtituti, denique ad benignitatem hujus naturæ anxie confugiunt, citra ignorantiæ accuſationem, qua hodierni ſpeculatores aliorum ſcientiam denigrare & diffamare audent.

§. IV. Dum itaque hæc tractatio de ſpontanea morborum cura non in opinione aut nuda Theoria, ſed in quotidiana obſervatione & experientia conſiſtit, ita cum ſolidiori attentione illæ methodi annotari merentur, quibus diverſæ cauſæ morbificæ expugnantur; quid quod convenit illos caſus perluſtrare & inquirere, in quibus poteſtas naturæ tantum valet, quo morbi expugnentur, ſiquidem tales necesſitates & calamitates interdum occurrunt, in quibus ſua ſponte natura corporis integritati proſpicere non poteſt, ſed vbi artificis opem atque concurſum requirit atque expectat.

Conf. Stahlii Disp de Necesſitate artis medicæ.

§. V. Hæc Therapia ſpontanea exſerit ſeſe in diverſis evacuationsbus & remotionibus cauſarum & materiarum moleſtarum & inimicarum, tum ſangvinis, tum ſeri, tum etiam bilis, muci ſimiliumque humorum; interdum etiam occupata eſt circa præparationem talium materiarum, quo hæ commodius & facilius expelli queant, in quo tamen negotio non raro artifex, naturæ ſuppetias ferre debet, quo eo citius tale negotium ſuccedat, ſicuti in nimis ſpisſis humoribus mobilitandis, in nimis cauſtica bile temperanda &c: omnino concurſus artis neceſſarius eſt, quo tempeſtive noxii effectus intercipiantur: proinde etiam in negotio præparandæ & reſtituendæ continuitatis læſæ ſpontaneæ tales curationes occurrunt, licet quandoque ad perfectam & abſolutam curam ſive percurationem natura pertingere non queat, teſtimonio internorum abſceſſuum.

§. VI. Et quemadmodum per diverſos tales effectus in variis ſubjectis natura humana ſua ſponte morbis & cauſis morbificis conſulere & mederi ſcit, tamen in experientia medica non rari caſus occurrunt, in quibus natura nihilominus id ipſum non actu miniſtrat, quod tamen perficere poſſet, ſi videlicet vel per cauſas ideales vel materiales externas vel internas diſtrahitur & quaſi ſeducitur, in quo paſſu tamen confert, quo artifex illam methodum exquiſitius cognitam & perſpectam habeat, qua in alio ſubjecto ejusmodi periculo opem & medelam obtulit natura, quo eandem methodum dextre & prudenter in illo ſubiecto imitari poſſit, in quo tales defectus occurrunt.

§. VII. Ejusmodi ſpontanea morborum curatio præcipue ſuccedit in hominibus moderatioribus & quoad animum & reliquæ vitæ conditiones continentioribus, vbi motus in nullo extremo peccant, neque etiam in modo atque ordine oberrant, ſed qui ſubinde adhuc rerum extraordinariarum adſveti ſunt, ſiquidem inſvetudo aut deſvetudo in tractandis rebus inſolitis & minus ordinariis multum valet ad turbandam talem Therapiam ſpontaneam, qua propter illud ſolenne exemplar in medicina practica abunde conſtat, quomodo ſubjecta, quæ conſtanter illibata ſanitate gaudebant, quando ſemel ſontico quodam morbo corripiuntur, difficilius emergant.

§. VIII. Exſerit ſeſe hæc curatio ſpontanea in tempeſtiva & congrua cauſarum inimicarum remotione & inductarum læſionum reparatione, dum ex ſolidis & fluidis partibus quælibet materiæ pernicioſæ ducuntur, per convenientes & præcedentes reſolutiones, abſterſiones & ſubordinatas ſe-& excretiones, vtpote qui actus proportionatis ſucceſſibus & tempeſtivis adminiſtrationibus nituntur, quando vitalibus reſpectibus inſeruire debent.

§. IX. Luculentum & eximium tale documentum atque exemplar occurrit in negotio ſebrium, in quo obſeruare licet, quam ſæpe homines tranquilli & continentiæ ſtudentes citra artis concurſum ſponte convaleſcant, ex nudo beneficio actuum vitalium extraordinem adminiſtratorum abſterſoriorum, quippe qui ita exacte materiæ peccanti reſpondent, vt habita ratione & relatione qualitatis ejusdem efficaciæ & quantitatis tota febris ſpecies exquiſite determinetur.

§. X. Similes operationes ſpontaneæ, in reſtitutionem ſanitatis vergentes, occurrunt in commotionibus hæmorrhagicis, congeſtoriis, inflammatoriis, ſpaſmodicis aliisque particularibus humorum excretionibus, quæ ſingulæ cynoſuram pro Therapia medica conſtituunt, in qua artifex naturam imitari debet, quando antea ab eadem diſcit, quæ in diverſis afflictionibus agenda ſunt; præſtat propterea hoc ordine ſimpliciores methodos naturæ recte perſpicere & annotare, ne aliæ implicationes, aut nude hypotheticæ artificioſæ inventiones pro fundamento Therapiæ collocentur.

§. XI.

§. XI. Et quo hæc Therapia ſpontanea iterum magis inclareſcat ac pro vſu artificiali innoteſcat, multum refert in obſervationibus medico-practicis commendare & commemorare, quomodo diverſa ſubjecta in diverſis morbis ſponte ad ſanitatem pervenerint, quales hiſtoriæ reſpective longe digniores ſunt, quam reliquæ; præſtat vero in iisdem dextre recenſere quaslibet circumſtantias, quæ tam in ſubjecto, quam in morbo & morbi ſpontanea curatione occurrerunt; proinde etiam expedit ſimplices tales morborum reſolutiones annotare & declarare, neque tantum inhærere enarrationibus rarisſimorum maximeque admirandorum effectuum naturæ Therapeuticorum, ſicuti vicisſim operoſæ illæ hiſtoriæ practicæ de reſtitutione ægrorum per varia medicamenta ratione valoris & dignitatis ſuæ præ prioribus obſervationibus longe inferiores exiſtunt.

§. XII. Vnde Medicina naturæ, dextre, libere & legitime operantis, præcipua regula & norma artificis eſt; qui ne a ſuo ſcopo aberret, neceſſe eſt, quo etiam exacte intelligat, quod interdum natura a ſuo ſcopo aberret; vnde refert tales errores naturæ medicos recte inquirere & agnoſcere, neve in illis eandem imitari, ſed potius operam dare convenit, quo juxta legitimam methodum eadem natura corrigatur, adeoque ſalutares affectuique maxime competentes effectus promoveantur.

§. XIII. Non raro accidit, vt natura ſua ſponte ad oppugnandas diverſas cauſas morbificas aſſurgat, attamen ad plenarium effectum ſalutarem non pertingat, interea juxta Hippocratis aſſertum monſtret, quid pro ſanitate confirmanda faciendum ſit, in quo ipſo conatu artifex propterea naturæ ſuccurrere debet illiusque inventiones imitari, vt ita mediante hoc actu ſynergetico id impetret, quod interdum ſola natura per nudam energiam ſuam adminiſtrat, vtpote in quo officio ipſe artifex ſemet vt fidum naturæ miniſtrum offert & exhibet.

§XIV. Interea vero magna circumſpectio adhibenda eſt & id ipſum vt opus conſcientiæ artifex tractare debet, ne hasce ſimplices ſinceras & ingenuas naturæ methodos pervertat, aut ſuis ſpeculationibus & hypotheſibus adſtringat, adeoque alias vias, alios ſucceſſus & alios ordines inducat atque implicet, neve propterea indolem affectuum confundat & empirico modo per craſſas & temerarias operationes procedat atque magis contra naturam, quam pro illa pugnet & ſic deſtructioni magis, quam conſervationi corporis operam det.

§. XV. Plurimæ amethodiæ & antipraxes, quæ in medicina practica occurrunt, vt plurimum pro fundamento ſuo habent hanc ignorantiam Therapiæ ſpontaneæ, qua vtitur natura in excutiendis morbis; ſicut vero me-

thodus medendi eſt præſtantisſimum & certiſſimum adminiculum ſalutaris praxeos medicæ, ita eadem non niſi in methodo vivendi & ſanitate fruendi hæret, vt propterea artifex exquiſite ſtatum & modum vitæ & ſanitatis e Therapia medica certa atque fida noſſe debeat, ne alios effectus, oeconomiæ vitali plane contrarios provocet.

§. XVI. Et quemadmodum denique hæc eſt ſimplicisſima methodus, qua pericula a corpore humano avertuntur, ita in ea ſimplicitate & ingenuitate artifex ſubſiſtere, neque ſpecioſis & ſic dictis heroicis functionibus inhærere & invigilare, neque per multiplicatas medicationes & medicamentorum oblationes naturam obruere, quin potius id agere debet, vt, dum Hippocrates dixit, quod multi ſine medicina curentur, ſimplicisſimis tantum conſiliis ſuccurrat & in ordinem ducat, quod hactenus læſioni ſubjectum fuit: quæ ſingula ſunt potiora illa fundamenta Therapiæ ſpontaneæ, quæ Cynoſuræ inſtar pro Therapia medica inſervit.

CAPUT II.

DE CURATIONE PER EXPECTATIONEM ET ABSTINENTIAM.

§. I.

INter alia eximia requiſita rationalis & ſalutaris Therapiæ medicæ commendant ſeſe curationes morborum partim per *Expectationem*, partim per *Abſtinentiam* tractandæ & exercendæ, utpote quæ curationes Therapiæ ſpontaneæ rite dirigendæ multum velificantur, quapropter eædem etiam ſufficienter explicandæ & debite intelligendæ & commendandæ ſunt, ſiquidem caſus occurrunt in quibus artifex ſæpe nihil agendo & juſta tempora expectando plus proficit, quam ſub nimia officioſitate & præcipitantia perpetrare poteſt.

§. II. *Cura per Expectationem* non inventum poſteritatis eſt, ſed a prima medicinæ ætate & antiquitate obſervata & commendata proſtat, ſiquidem ille particularis Hippocratis labor fuit, quo exquiſita morborum tempora, nimirum initia, incrementa & decrementa recte pernoſceret & juxta hanc cognitionem artis applicationem rationabiliter & condigne inſtrueret; unde opportunitates operandi pasſim explicite & implicite commendavit,

quem

quem propterea ſequaces alii uberiori induſtria imitabantur, quo hanc notitiam magis inculcent.

Conf. Diſp. mea de Cura per Expectationem.

§. III. Et ita hæc Curatio per Expectationem minime hypothetica & imaginaria eſt, ſed potius e vera & ſimplici morborum conſtitutione ſive Hiſtoria morborum fluit, quæ ſubinde genuinum & fidum fundamentum hujus emolumenti ſubminiſtrat: quapropter etiam illa Therapiæ medicæ cura laudanda eſt, quæ circa veram cognitionem morborum occupatur, juxta Celſi aſſertum, quod qui bene cognoſcit, etiam bene curet: & hoc reſpectu etiam hæc Cura per Expectationem ſimiliter cohæret cum vera Theoria medica, quippe quæ hiſtoriam facti pro genuino ſuo fundamento habet.

§. IV. Propterea Curatio per Expectationem eſt illa methodus, qua artifex iuſta tempora medendi expectat, in quibus certæ & congruæ operationes, vel a natura ſperandæ ſunt, vel ab artifice ſuſcipiendæ: quoad priorem circumſtantiam non raro ipſa ſola natura ſibi ſufficit, modo non præmature ad certos effectus provocetur, præcipitetur & ita in continenti functionum ſuarum promotione turbetur atque exacerbetur, ſicut contra ſub tranquillo directorio & nudo regimine temporibus illis juſte appropinquantibus ſponte, tacite & facile illi actus Therapevtici occurrunt: quoad alteram circumſtantiam interdum artifex occaſionem apprehendit, ut delinquente natura ipſe ſuppleat defectum, ſed non niſi tempore convenienti atque opportuno.

§. V. Quod artifex ſæpe nihil agendo & tantum cum moderamine expectando multos ſalutares effectus in morborum decurſibus conſpicere queat, varia phænomena comprobant, e quibus potiora ſunt illa, quod interdum natura humana ſua ſponte ſangvinis abundantiam imminuat & evacuet, quando eadem moleſta & uſibus atque applicationibus vitalibus præjudicioſa evadit; ubi ex officio medici fluit, ne præmature in hoc negotium irruat & ſangvinem ſuperfluum ſubtrahere contendat, priusquam ipſe ſenſui vitali adverſus & inimicus eſt; quin potius in hoc paſſu cum tranquillitate expectet, donec opportunitas illa agendi ab ipſa natura ſeligatur atque cum hujus conſenſu ſangvis copioſus & ſuperfluus ventiletur.

§. VI. Eximium exemplar adminiſtrandæ Curationis per Expectationem occurrit in celebri & ſolenni negotio Febrium, quæ ſicut ratione hujus ſucceſſus exquiſitis temporibus commenſuratæ ſunt, ita maximus error erit, ſi artifex in iisdem præmature quicquam commiſerit, neque cum prudentia & continentia illa tempora eosdemque dies expectaverit, in quibus certi effectus, febrium indoli competentes, promovendi & inducendi ſunt,

ſub

ſub qua moderata expectatione ſæpius eveniet, vt ſibi relicta natura id ſua ſponte & quidem maxime opportune præſtet, quod interdum artifex inopportune adeoque cum damno & detrimento ſanitatis committit.

§. VII. Non minus expectare & per prudentem talem expectationem curare convenit motus inflammatorios, ne iidem præcipitentur & in juſto ſuo progreſſu turbentur; ſicut etiam in promotionibus ſalutarium Hæmorrhagiarum nihil præpoſtere & nihil præmature fieri debet; quin rectius illa tempora expectanda veniunt, in quibus, ratione periodi ſuæ, tales Hæmorrhagiæ, ſi ſponte ſuccederent, contingere ſolent: proinde in variis intricatis & obſcuris morbis eminentem ſuam utilitatem hæc cura obteſtatur, quando genuina cauſa adhuc latet, ubi rectius per privativam methodum, quam per poſitivam medicationem affectui ſubvenire convenit.

§. VIII. Excludit itaque hæc Curatio per Expectationem omnem temeritatem, præcipitantiam, immodeſtiam, inconſtantiam, impatientiam, imo ignorantiam: ſubinde etiam libera eſſe debet a negligentia, timiditate & puſillanimitate, utpote quæ ſunt potiora illa vitia, quæ praxin medicam prudentem & efficacem deſtruunt & dehoneſtant: vicisſim rectius hæc cura niti debet ingenua & certa morborum cognitione & plurimarum verarum cauſarum agnitione, ſiquidem pro illius ſubſidio privativæ medicationes ſive Abſtinentiæ ſuccurrunt, quippe quæ ſunt illud medium, quocum contra morbos interdum ſatis efficaciter pugnare licet & quod alterum objectum præſentis tractationis eſt,

§. IX. Magnum vulgo illud vocatur veteribus remedium, quod per *Abſtinentiam* in Therapia medica applicatur, cum qua Celſus magnos morbos curare promittit; opponitur itaque hæc Abſtinentia nimiæ & præcipitatæ operoſitati tam medici, quam ægrotantis; vnde diſtingui poteſt eadem abſtinentia inter illam, quæ eſt artificis & alteram, quæ eſt ægrotantis; quæ utraque in morborum cura coniuncta eo certius ſalutares effectus impetrat, quia morbus per juſtam illius abſtinentiæ applicationem neque a malo patientis regimine turbatur, neque a ſiniſtro artificis medicamine depravatur ſed propterea magis genuinum ſucceſſum nanciſcitur.

§. X. Quanquam vero medici Abſtinentia vulgari officioſitati artificioſæ repugnet, tamen eadem propterea haud eſt otioſa, ſed æque in diſquirendis ſimilibus circumſtantiis admodnm officioſa & activa; dum primario bene perpendit ſtatum & conditionem Energiæ Naturæ in tractandis præſentibus morbis & juxta eandem judicat, an neceſſarium, conſultum & fructuoſum ſit, quo poſitiva auxilia & medicamina adhibeantur & quo per illa eadem natura ad certos effectus vrgeatur.

§. XI. Quando itaque in diverſis morbis ſua ſponte motus vitales ita libere, vegete & facile decurrunt, ita quidem, ut ipſi cauſæ morbificæ ſubjugandæ & expugnandæ quadrent, ibi cum ſalutari & prudenti reſolutione artifex abſtinet, ne hunc ordinem & præſentem naturæ activitatem turbet; ſiquidem prior hæc eſt artificis operatio, ne ipſe agat, vbi natura operatur, neve hanc eo adigat, licet monitoria medico effectui impetrando conformia exiſtant; etenim in hoc paſſu ſimplicior & ſincerior illa avtocratia naturæ valde ſeducitur & in extraordinariis caſibus, legitime tractandis, ſegnis & negligens redditur, dum in aliis caſibus artificioſas excitationes expectat.

§. XII. Deinde apprime etiam in illo caſu Abſtinentia artificis neceſſaria eſt, ubi natura ſemel in motu eſt, ne hanc magis provocet, impellat & urgeat, adeoque ad immodicas, impetuoſas & exceſſivas operationes anſam præbeat; quin potius eo animum advertat, quo per omiſſionem ejusmodi tentaminum commotam naturam magis tranquillet & cum ſubordinatione boni regiminis tantum privative ſuccurrat, ſiquidem Abſtinentia medica præcipue verſatur circa omiſſionem medicamentorum & poſitivorum auxiliorum.

§. XIII. Et id omni modo eximiæ dignitatis officium medici eſt, ne corpus lædat, quando illud ſanare non poteſt, adeoque ab omni tentamine vel ſiniſtro, vel æquivoco cum maxima cura abſtineat; ſiquidem etiam in tantum Curatio per Abſtinentiam exerceri poteſt, quando non prœmaturæ medicationes obtruduntur & ante congrua tempora effectus ſalutares urgentur; neve tunc naturæ artifex ſuccurrere videatur, quamdiu ipſa per ſuas vires ad expugnandum morbum ſufficit; ſi vero denique eadem delinquit, tunc poſt præmiſſam Abſtinentiam ex officio medici fluit, quo naturæ ſubveniat; cavendo tantum, ne ſero medicina paretur neue in illo caſu per abſtinentiam operetur, vbi potius poſitiva medicatio neceſſaria fuiſſet.

§. XIV. Magnam proinde ſolicitudinem artifex in Therapia adhibeat, quo abſtineat, ne naturæ in ſalutaribus reſpectibus atque conatibus directe reſiſtat, ne illius motus & contentiones ſupprimat & a præviſo congruo fine avertat & ita talem extraordinarium ſalutarem conſeruatorium actum deſtruat; qualis error, qui maxime contra virtutem abſtinentiæ peccat, in hodierna Therapia medica perquam familiaris eſt; ſicuti id ipſum in ſolenni Febrium negotio & aliis apparatibus excretoriis frequenter eluceſcit.

§. XV. Eximie etiam refert & proficit, quo Therapevta abſtineat, ne naturam ad alios motus, ordines, vias, loca, ſucceſſus, effectus & eventus ſeducat, quales præſenti ſtatui minime competunt, ſiquidem ex eiusmodi conamine, quo artifex juxta ſuas opiniones & ſpeculationes operatur iisdemque

naturæ ſenſum & ſynergiam adſtringit, non niſi peſſima conſectaria oriuntur, quæ magis deſtruendo, quam conſervando corpori quadrant, vnde abſtineat medicus, ne talem ſeverum minusque fidum naturæ magiſtrum ſeſe præbeat, quin potius ſalutaribus illius ductibus prudenter ſubſerviat.

§. XVI. Singularis dignitatis illa eſt medici Abſtinentia, quando actuales excretiones ſalutares naturæ non offenduntur & in juſto ſuo ſucceſſu non turbantur; quin potius in tantum medicus invigilet, quo eædem legitime decurrant: facile vero viciſſim artifex ab hac abſtinentia ſalutari et neceſſaria ſeducitur & in inutilem operoſitatem derivatur, quando excretiones tales pro ſimpliciter inutilibus æſtimat, adeoque plus opinionibus, quam ſimpliciſſimis excretionum talium effectibus fidem dat.

§. XVII. Præterea prudens & ſalutaris illa eſt Therapevtæ Abſtinentia, quando circa medicamentorum ordinationes non diffuſus et luxurioſus, ſed in paucis & ſelectis commendandis prouidus & aſſiduus eſt, quoniam illa multitudo & luxuries medicamentorum ſucceſſus & ordines morborum magis deſtruit & pervertit, qualis confuſio haud prouocata fuiſſet, ſi artifex a tali diffuſione abſtinuiſſet.

§. XVIII. Abſtinendum vlterius eſt a vana illa & doloſa credulitate in medicina, quæ nititur ſpecioſis & pretioſis remediis vniverſalibus & ſic dictis panaceis, qualium remediorum ſimplex, certus & conſtans effectus ipſos ſuos fautores latet; ita vt tantum favor & perſvaſio ſimilia remedia in foro medico commendaverit: talia enim, ſi artifex credulus adhibuerit, magis empiricam methodum produnt & ſub maxima incertitudine incognitum effectum promittunt.

§. XIX. Quidquod prudentis artificis eſt, quo ſedulo abſtineat a ludicris & præmaturis promiſſionibus vel ſingularium & ſufficientium effectuum vel perfectarum reſtitutionum; utpote quæ temeritas, extra ſphæram rationalis medicinæ commiſſa, non modo famam artificis deſtruit, ſed & ægrotantem decipit & perverſis ſiniſtris tentaminibus vlterioribus anſam ſubminiſtrat.

§. XX. Quemadmodum hæc Abſtinentia requiritur in medico, ita etiam in ægrotante congrua abſtinentia deſideratur, ne hic aliis abſconditis, ſubreptitiis, clanculum commendatis remediis aut malis regiminibus, inquietudine, impatientia & ſimilibus pravis moribus invertat & pervertat, quod artifex in meliorem ordinem redigere conatur, vtpote quæ officia circa Curationem per Expectationem & per Abſtinentiam præſtandam, obſeruari debent.

Conf. Stahlii diſp. de Abſtinentia Medici.

CAPVT.

CAPUT III.

DE CONSVETVDINIS THERAPEVTICA CONSIDERATIONE.

§. I.

AD genericos Therapiæ medicæ reſpectus pertinet etiam vtilis illa diſquiſitio Conſuetudinis, quippe quæ ſingularem & notatu dignam circumſtantiam continet, quam interdum artifex operoſe profligat, quam ſubinde etiam commendare debet, ſi reliquæ connexæ afflictiones remotæ ſunt; quemadmodum non raro morbidi effectus non tam materialibus cauſis & impulſibus, quam hac immateriali Conſuetudinis vi, efficacia atque ratione nituntur.

§. II. Iuxta vulgarem denominandi modum Conſuetudo dicitur altera natura; quemadmodum vero ab omni ævo, digniori, quam plebejo ſenſu, per naturam longe aliud quid, quam nudum corpus, aut affectiones corporis intellectum & commendatum fuerat, vnde conſuetudo non cum ipſo corpore & qualitatibus, aut neceſſitatibus corporeis confundi debet, ſed a digniori & ſublimiori principio pendet hinc fruſtra reſonant in trivali opinione, quæ per meras ſuppoſitiones & craſſas allegorias laborioſa & luxurioſa eſt, illæ traditiones, quod Conſuetudines in certa corporis diſpoſitione conſiſtant.

§. III. Et quemadmodum porro Conſuetudinis magna vis eſt, primario quidem in moralibus, hæc vis vero non in nuda abſtractione & ſic dicta poteſtate conſiſtit, ſed ferme in omni individuo in concreto, id eſt, in activitate & valore ſuo obſervatur; illa ipſa etiam certorum finium, atque ordinum proſecutio non niſi motibus, peculiari ratione inventis atque directis, adminiſtratur, ita facile elucefcit, quid Conſuetudo valeat in alterandis motibus & reſpectibus finalibus.

§. IV. Perinde in vitalibus negotiis æque facile ac frequenter multiplices Conſuetudines occurrunt, quoniam eadem ſimiliter motibus adminiſtrantur, quippe qui ſub ſalutaribus intentionibus & inventionibus ad congruos fines, conſervationi corporis reſpondentes, diriguntur & applicantur; vnde eiusmodi Conſuetudines ſeſe partim intentionibus & inventionibus, partim ſingularibus motuum directoriis & exercitiis immiſcere poſſunt & ſolent, quoniam

eædem non niſi motibus abſolvuntur, qui propterea aliis commotionibus ſeſe conjungunt.

§.V. Conſuetudines vero in ſe ſpectatæ nihil aliud ſunt, quam motus ex ſingulari naturæ activitate, proclivitate & inclinatione pendentes atque ex diſcretis æſtimationibus objectorum profluentes, repetitis exercitiis & adminiſtrationibus commotionum, ſelectis finibus impetrandis convenientium, nitentes, indeque in firmam, promtam, expeditam, liberam & volubilem memoriam tracti & ex hac iterum in eandem promptam repetitam adminiſtrationem tranſeuntes.

§.VI. Cum Conſuetudinis indoles ita innoteſcat, propterea illius conſideratio in Therapia medica æque prudentem attentionem meretur, quoniam non methaphyſica aut phyſica, imaginaria & ſpeculativa eſt, quæ in moralibus & vitalibus negotiis frequenter occurrit, neque eximio illo aſylo æternarum motuum legum, aut certæ & incognitæ qualitatis & diſpoſitionis materialis nititur, quin rectius evidentes motuum alterationes, animum & corpus humanum concernentes, infert, adeoque particulares ſucceſſus & tranſitus inclinationum & directionum commendat.

§.VII. Ad Conſuetudines, in vitalibus officiis progignendas, principaliſsime requiruntur motus & illi quidem, qui in idonea organa transmiſsi ſunt, proinde in iisdem facile atque prompte adminiſtrantur, ſimul per faciles & acceptas occaſiones frequentius provocantur & itaque ſæpius exerciti, ſemper agiliores & expeditiores evadunt; ſub tali libera & prompta progresſione ſubtiliori reminiſcentiæ inſinuantur & ex hac iterum ſæpius educuntur; neque æque necesſitatem & vtilitatem, ſed propter acquiſitam promptitudinem & agilitatem repetuntur & adminiſtrantur.

§. VIII. Deinde ad Conſuetudines formandas admodum confert organorum adæquata & bona diſpoſitio, integritas atque tractabilitas, mediantibus quibus effectus præviſi in aliqua operatione facilius & citius impetrantur; ſiquidem vicisſim talis organorum aptitudo repetitum exercitium præcedentis operationis quaſi inuitat, allicit & ſuffulcit, vt propterea in ipſas illas partes vlterior mobilitas flexilitas & obtemperantia inducatur, ſicque ex hac ratione Conſuetudines generentur.

§. IX. Cum præcipua ratio in formali ſtatu Conſuetudinis hæreat in promptitudine & allacritate movendi, ita ſciendum eſt, quod promptitudo talis vel connata, vel acquiſita ſit; prior eſt intimior, tenacior & ſenſibilior, dum ab ipſa nativitate increbuit; poſterior vero perinde contumax, refractaria & valida eſt, tanto magis vero ſi jam per aliquam ætatem duravit & adolevit.

§. X.

§. X. Ejusmodi Conſuetudo verſatur partim circa actiones, ob aliquam cauſam & occaſionem ſuſcipiendas, vel omittendas, partim circa paſſiones, in tolerandis & admittendis diverſis humorum ſtagnationibus, ſecesſionibus, coacervationibus & augmentationibus; quo pertinet eximium illud teſtimonium plethoræ, diverſis individuis e moderata diæta familiaris; de quali plethora vulgo dicitur, quod in eiusmodi individuo omne alimentum in ſanguinem convertatur.

§. XI. In hiſtoria Conſuetudinis texenda notandum eſt, quod quililet homo, etiam nullo excluſo, peculiares Conſuetudines vel in moralibus, vel animalibus, vel vitalibus negotiis habeat; quæ cum in negotio vitali multum valeant ad alterandam ſanitatem, aut morborum ſimpliciorem ſtatum immutandum & ad inducenda ſingularia & individualia ſymptomata atque molimina, imo ad effectus & eventus ſonticos, cum legitimo morbi typo non ſatis adæquate correſpondentes, ita maxime proficit, quo in Therapia medica ratio Conſuetudinis ſufficienter inculcetur.

§. XII. Proinde de conſuetudinalibus motibus atque effectibus indicandum eſt, quod certius & frequentius revertantur, adeoque in oeconomia vitali ſuſtenentur, quidquod eo certius periculoſi eorundem ſucceſſus ab ipſa natura humana oblivioni tradantur; quod porrò ob ſenſibilitatem ſuam facile per conſilia & auxilia affici & alterari queant; ita vt longe citius & facilius in deteriorem ſtatum degenerent; id quod tanto certius evenit, quando directe artifex iisdem reſiſtit; ex quo conamine contingit, vt natura in generali ſua energia & reliquis ſpecialibus vitalibus negotiis valde confundatur, aut non raro in ſuſpectum operandi faſtidium delabatur.

§. XIII. Quo magis certi motus & effectus adſueſacti ſunt, eo difficilius deſuefiunt, tanto magis ſi jam in ſubjectis ætas eſt adultior & reliqua indoles contumacior: quodſi vero ætas tenerior & indoles mollior & tractabilior fuerit, tunc Conſuetudo paulo facilius emendari poteſt, interim non modo homines tenaces & auſteri, ſed & ſenſibiles, molles, agiles ad Conſuetudines acquirendas proni & faciles ſunt.

§. XIV. Quemadmodum juxta præmiſſam tractationem jam indoles & ratio Conſuetudinis clarius conſtat, ita jam ad methodum Conſuetudini in vitalibus medendi progredior, in hac vero minime conſultum & proficuum erit ejusmodi conſuetudini directe & cum auſteritate & rigore reſiſtere velle, neque expediet eandem ſimul & ſemel ſupprimere aut ſtupefacere, quoniam ex eiusmodi tractatione confuſa, rebellia & refractaria conſectaria provenire conſpiciuntur; neque tamen eidem diuturna mora & patientia concedenda eſt, quo magis enim inoleſcit, eo magis inſoleſcit & contuma-

cior evadit: multo minus tentaminibus, materiam afficientibus & corrigentibus, præoccupari aut extirpari poteſt, & dum principaliſſime motuum ratione & tractatione nititur, ſubinde etiam per animi commotiones multum ſuſtentatur, ita fruſtra per ſubſidia, nudum corpus concernentia, expugnari poteſt.

§. XV. Quanquam etiam materiales quædam cauſæ habitualibus talibus operationibus ſive Conſuetudinibus primos acceſſus & primam cauſam ſuppeditent, tamen ſi hæ Conſuetudines nunc formatæ & confirmatæ ſunt, tunc amittunt illam proportionem inter materiam vrgentem & actum oppoſitum, propterea in methodo medendi Conſuetudinibus non tam materialis occaſio & cauſa præſens & vrgens, quam illa acquiſita movendi promptitudo advertenda eſt, niſi jam adhuc exiguus quidam materialis cauſæ concurſus continuet, qui in primis initiis ſonticus & eximius fuit.

§. XVI. Quod vero paulo preſſius methodum hanc Conſuetudines curandi concernit, tunc illa duplex exiſtit, prior conſiſtit in ordinanda & applicanda ſucceſſiva deſuetudine, quæ methodus tam in junioribus, quam adultioribus Conſuetudinibus proficit; altera conſiſtit in dextro & perito vſu Specificorum remediorum, quibuscum motibus præſentibus erroneis ſubvenire convenit.

§. XVII. Quod priorem methodum attinet, tunc eadem adminiſtratur per tempeſtivam & præſervatoriam ſubtractionem illius cauſæ ſive idealis, ſive phyſicæ, quæ ad Conſvetudinem hanc contribuit: & cum magnus reſpectus habendus ſit quantitatis ſuperfluæ ſanguinis, ita huic tempeſtive ventilandæ opera danda eſt, attamen ne quid confuſi in hoc negotio committatur: deinde ſi eminus quicquam in vitali œconomia ad excitandos tales motus habituales compos erit, eidem etiam cauſæ præoccupandæ & infringendæ tempeſtivus labor adhiberi atque juſtus ordo vitalium functionum qualitercunque promoveri debet: præterea motus aliorſum placide derivandi, minime vero perturbandi, aut turbulenter excitandi, ſed moderate, repetite, ſucceſſive neque ſimultaneę avocandi, neque quaquaverſum fugandi, aut opportune ſopiendi aut coercendi ſunt.

§. XVIII. Huic methodo ſi Conſuetudines præſentes exacte & perfecte obtemperare recuſaverint, tunc poſt præmiſſam illam methodum easdem modeſtius coercere, continere, reprimere aut leniter ſopire & demulcere licet; minime vero præſtat in tali actu ſubſiſtere, ſed conſtanter prædictam mothodum conjungere atque repetere, imprimis vero ſedulo tam generales Se & Excretiones promovere, quam ſpeciales illas evacuationes adjuvare expediet, quæ ætati & temperamento præſentis individui competunt.

§. XIX.

§. XIX. In omnibus vero hisce intentionibus & conatibus nihil præcociter, aut fugitive committendum, ſed conſtanter, continenter & temperanter procedendum, nedum quidem adeo præceps reſtitutio ſperanda, promittenda & urgenda erit; lente enim & ſucceſsive Conſvetudines tanto magis adultæ & confirmatæ deſveſcunt; quodſi vero ejusmodi Conſvetudines in conſiſtentem, aut plane ſenilem ætatem transgreſſæ fuerint, cæteroquin ſubjectum moroſioris animi extiterit, fruſtra illius reſtitutio & correctio expectatur.

§. XX. Quod alteram methodum attinet, tunc illa conſiſtit in perito & dextro uſu Specificorum, quæ dum proprie alterandis & meliorandis motibus inſerviunt, ita hoc loco talia auxilia & experimenta certa, fida & ſincera ſeligenda, invenienda & commendanda ſunt; ſed cum de ſpecificis inferius agendum erit, ita in hac conſvetudinis Therapevtica explicatione acquieſco.

Conf. Stahlii Diſp. de Conſvetudinis efficacia generali in actibus vitalibus &c.

SECTIO II.
DE
EVACUANTIBUS.

§. I.

THerapia medica duplici principali actu abſolvitur uno *Evacuatorio*, altero *Alteratorio*, qua ipſa duplici operatione & humorum quantitati & qualitati & motuum exceſſui, defectui & irregularitati medice ſuccurri poteſt; unde ante omnia utriusque hujus operationis vera conſtitutio & generica indoles erit commendanda & ob id hoc ordine præmittemus generalem conſpectum Evacuationum in Therapia medica ſuſcipiendarum & promovendarum.

§. II. Sed quo dignitatem & prærogativam aliquam in hisce operationibus recte comprehendamus, merito aſſerimus, quod in ordine ad conſervandum corpus animale longe dignior ſit Evacuatio, quam Alteratio, ſiquidem per hanc imprimis omnia illa moleſta, ſuſpecta & pernicioſa objecta removentur, quæ integritatem corporis deſtruunt; unde nullo alio, quam evacuatorio actu vita & ſanitas confirmatur & abſolvitur; deinde vero utplurimum alter actus, qui alteratorius eſt, propter euacuatorium eſſe obſervatur, dum vel materiæ eapropter præparantur, quo facilius & melius excer-

ni queant, vel motus propterea alterantur, quo actus & effectus excretorius legitime ſuccedat.

§. III. Quemadmodum itaque in Therapia ſpontanea Evacuatio præſtantisſimum naturæ adminiculum eſt, per quod hæc corpori ſuo ſubvenit, ita in medica Therapia adminiſtranda primario providendum erit, an natura humana ſufficienter & ſatis vegete evacuationes adminiſtret, ne artifex vel præmature vel præter necesſitatem & utilitatem actum talem excretorium ſuſcipiat, aut naturam a dexteritate ſua ſeducat & ad ſuperfluam vel plane excesſivam evacuationem provocet & commoveat.

§. IV. Quotiescunque vero Evacuatio ſuccedit, toties verſatur vel circa materias mobiles & fluidas, vel etiam circa quasdam ſpisſiores ſubſtantias, quæ tamen aliqua volubilitate præditæ eſſe debent; deinde occupatur circa materias vel pernicioſas & mixtioni animali inimicas, quæ propterea tempeſtive proſcribendæ ſunt, vel circa materias abundantes & hac ſua inutili copia ſuperfluas, licet cæteroquin craſi ſua & reliqua qualitate non peccent: non vero facile circa ſolidarum materiarum excretionem Therapia medica verſatur, niſi interdum ad vermes expellendos & calculum eliminandum ſuccurrere deprehendatur; uſitatius vero cum ſolidorum ſubjectorum remotione Chirurgia occupata eſt.

§. V. Quoniam porro in corpore noſtro materiæ peccantes ſæpe ita diſpoſitæ ſunt, ut aliqua alteratoria præparatione ad futuram facilem emotionem indigeant, ſiquidem ille communis ordo vitalis eſt, ut ſecretio antecedat excretionem, imo in hujus commodum ſuccedat, ob id in Therapia medica minime evacuationes præcipitandæ aut præmature inducendæ ſunt, ſed potius materiæ mobilitas atque proportio ad ſubeundos motus promovenda & expectanda erit; in qua tamen præparatoria functione non nimis diu inhærendum eſt; quid quod ſi materia excernenda multa eſt & præparatio non ſimul & ſemel fieri poteſt, propterea ſuccesſive & alternatim tam præparatio, quam evacuatio promovenda & inſtituenda erit.

§. VI. Quemadmodum porro Evacuatio artificioſe perpetranda circa materias verſatur & quidem circa harum quantitatem & qualitatem, ita porro in utraque recte tractanda prudentia atque modus commendari debet: etenim Therapiæ artificioſæ maxime contrariantur repentinæ, prodigæ & immodicæ & vicisſim etiam exiguæ, inſufficientes & interruptæ Evacuationes; deinde quoad qualitatem Evacuatio ita proportionata eſſe debet, ne diu artifex præcedenti correctioni immoretur, ſed opportune & tempeſtive excretionem ſubordinet, quamprimum materiæ evacuandæ qualitercunque pro aptitudine organorum excretoriorum & proportione motuum actualibus emotionibus obtemperant.

§. VII.

§. VII. Interdum etiam Evacuatio locum invenit, quando materiæ excernendæ non quidem quantitate turgent, ſed ſi nimium commotæ proptereaque moleſtæ & turgefactæ ſunt, ubi hac ipſa ſpumefactoria commotione nocivæ redduntur; ne itaque hæc peccantis cauſæ diſpoſitio ulterioribus incommodis introducendis apta reddatur, hinc pro reliquorum motuum mitigatione aliquid hujus materiæ ſubtrahere convenit; in quo conamine vero eximia circumſpectione opus eſt, ne excretio talis ſuſcipiatur, quæ reliquæ morbi indoli contraria videtur.

§. VIII. Qanquam etiam ſimultanea, moderata tamen evacuatio materiam morbificam repente & ſimul & ſemel eliminet, tamen in hoc etiam actu prudentia opus eſt, quia non raro ſimultaneæ excretiones ad ſuſpectum exceſſum vergunt, unde rectius in ſecuriori & mitiori methodo excretiones & gradu & numero diſtingvendæ ſunt, vt, ſi circumſtantiæ permittunt, eædem repetitis vicibus, attamen cum neceſſario moderamine excitentur: aut ſi materia quædam evacuari poteſt, per gradum excretionis eminentiorem & acerbiorem, tunc proſpiciendum etiam erit, annon ſucceſſive per mitiorem evacuationis ſpeciem atque gradum illa eliminari poſſit, ſiquidem in negotio Evacuationis ſemper modeſtia uſurpanda eſt.

§. IX. In Evacuationibus provocandis præprimis ſervanda eſt modeſtia atque temperies, utpote quæ Therapia ſenſui & ordini naturæ magis accommodata eſt, dum placide & ſine turbulentia atque impetu alienam & nocivam cauſam removet & ad ſalutarem finem cum aliquo moderamine pertingit, interim conſuetum ordinem naturæ non offendit & præcipitat, neque etiam vias atque partes valde aut contrario modo aggreditur, ſiquidem in omni conamine Therapevtico artifex mitiorem magis viam, quam ſeveriorem & impetuoſiorem ſeligere & ſervare debet.

§. X. Quam ſalutares vero & viribus naturæ maxime competentes ſunt moderatæ Evacuationes, tam pernicioſæ & vel de præſenti, vel in futurum ſuſpectæ & periculoſæ ſunt ſimultaneæ & impetuoſæ excretiones, quippe quæ ſimul & ſemel naturam urgent & præcipitant, viſcera repente & immoderate offendunt, motus ſubito & nimium excitant, materiam confeſtim & confuſe aggrediuntur & exturbant, ut æque facile utiles ac inutiles ſubſtantiæ proſcribantur; inde evenit, ut ejusmodi turbulentæ & vehementes excretiones ad varios futuros perverſos motus, Se- & Excretionum confuſiones & organorum ſuſpectos infarctus diſponant.

§. XI. Proinde in Therapia medica, prudenter & dextre exercenda, multum confert, quo evacuationes opportune & tempeſtive, neque præmature neque præpoſtere & præcipitanter promoveantur; ſiquidem

præmaturæ tales excretiones vel materiam nondum ſatis aptam & præparatam offendunt, adeoque fruſtraneas commotiones inducunt, eoque ipſo ad futuras irregulares alias partium & humorum exacerbationes diſponunt; vel etiam præter urgentem neceſſitatem decurrunt, quando cauſa morbifica citra talem artificialem excretionem interdum vel ſua ſponte & magis placide & legitime eliminatur: quodſi vero ſerius evacuatio inſtituatur, tunc cauſa illa morbifica evacuanda perniciem ſuam modo vel perfecte intulit, vel inferre cepit, cui propterea ſubigendæ præſens hic actus non amplius ſatisfacit.

§. XII. In promovendis Evacuationibus duplici modo artifex ſuccurrere poteſt, uno præſervatorio, altero curatorio; & ſicut morborum præſervatio ſemper dignior & melior eſt, quam curatio, ita artifex etiam ſolide & ſollicite proſpicere debet, quo evacuationes artificiales ad præſervatorium ſcopum dirigat, ut ita tempeſtive nocivos effectus intercipiat; quodſi vero ob circumſtantiarum variationem curatorio ſcopo excretio provocanda fuerit, tunc tanto magis eadem cum moderamine adminiſtranda erit, ne reliquo ſtatui præſentis morbi aliqua vis aut turba inferatur.

§. XIII. Maxime vero convenit, quo Evacuationes directorio, ſenſui & conſenſui naturæ exacte reſpondeant, neque potius hujus intentioni & inventioni ſalutari repugnent, ſiqvidem ille valde periculoſus eſt conatus Therapevticus, quando in certis morbis aliæ & contrariæ excretiones ſuſcitantur, quales natura in reliquo ſuo actu avtocratico vix intenderat, e quo conamine non niſi luculentæ virium perturbationes redundant & ita vel proxime lethalis effectus educitur, vel morbi corrupti tali modo inducuntur.

§. XIV. In generali Evacuationum Therapevticarum diſquiſitione & commendatione porro curatius diſtingvendæ ſunt viæ conſvetæ, e quibus natura humana humores diverſos evacuare ſolet; ſecundum hanc notitiam artifex nullam confuſionem committere debet, ne ex alienis viis ſalutares excretiones perducere contendat; neve naturam a congruis viis ſeducat, adeoque in erroneas operationes transferat & ſi hæc ipſa per errorem alia loca aliasque regiones occupaverit, maxima dexteritas & prudentia adhibenda eſt, quo denuo per congruas vias evacuatio perficiatur & ita ordo vitalis promoveatur.

§. XV. Hinc omnis Evacuatio ita dirigenda eſt, quo legitimo ordini naturæ apprime conveniat, maxime vero ad hos principales reſpectus animus applicari debet, an certa Evacuationis ſpecies alicui affectui & ſtatui morboſo competat & congruat; an porro æque abſolute neceſſaria ſit, ut ſine illa radix mali auferri haud queat; an etiam ad eandem excretionem vel

propius

propius vel remotius natura humana non modo conſentiat, ſed etiam idoneo motuum apparatu concurrat & qualis denique atque quanta ad ſenſum & conſenſum illum naturæ eſſe debeat Evacuatio.

§. XVI. In ordinario ſtatu vitalitatis imprimis tres ſonticæ Evacuationes, pro vita & ſanitate neceſſariæ, occurrunt, videlicet Evacuatio alvi, Excretio urinæ & Tranſpiratio inſenſibilis: & has Evacuationes imitari poteſt artifex per congruam Purgationem, moderatam Diureſin & temperatam Diaphoreſin; extra ordinem vero occurrunt promotiones Hæmorrhagiarum, Evacuationes Vomibundæ, excretiones ſeri, e fonticulis & Veſicis, eliminationes ſalivæ, utpote quæ ſunt uſitatæ & ſolennes evacuationes pharmacevticæ, quas in Therapia medica artifex ſuſcipere & promovere debet.

§. XVII. Ad forum Chirurgicum viciſſim magis ſpectant evacuationes ſangvinis artificiales per Venæ Sectionem, Scarificationem, Arteriotomiam & Hirudinum applicationem, nec non eductiones puris ex abſceſſibus per præviam inciſionem, Trepanationes, Paracenteſes pectori, abdomini & ſcroto applicatæ, Bronchotomia, extractiones calculi, Feſtucarum Globulorum plumbeorum, Fœtus mortui, quo etiam excitatio Fonticulorum & Setaceorum ſpectat; & quamvis hæ Evacuationes magis manuales ſint, quam pharmacevticæ, tamen quædam earundem ad uſum Therapevticum diriguntur, dum in Therapia de juſto directorio & congrua applicatione harum evacuationum diſſeritur,

CAPUT I.
DE
EMESI SIVE VOMITU.

§. I.

POſteaquam in prioribus generalis conſpectus atque indoles Evacuationum innotuit, ita nunc ad ſpecialiores excretionum Therapevticarum commendationes progredior, inter illas vero ordine primo prodit excretio per *Vomitum*, quæ ſatis vehemens, magna & ſontica eſt, unde ratione directionis & applicationis eo magis explicatione medica indiget, ne cum eadem errores quidam admodum eximii atque graves comittan-

tantur, qui potius contra utilitatem pugnant, quam pro eadem confirmanda conducunt.

§. II. Et ita Emeſis eſt ſatis violenta & impetuoſa Evacuatio, quæ propterea ſubjectis ſubtilibus & ſenſibilibus atque affectibus, qui facile offendi & perturbari poſſunt, non ordinari debet, quia inter hos reſpectus nulla rationalis proportio intercedit; interim vero viciſſim experientia teſtatur, quomodo interdum ſua ſponte in diuerſis ſubjectis ejusmodi evacuatio obtingat, nonnunquam cum ſalutari deſtinatione & eventu & quomodo propterea alia ſubjecta facile, alia vero difficulter ad actualem vomitum pertingant: juxta quos reſpectus iterum Therapevta colligere poteſt, quomodo interdum artificialis vomitus cum emolumento provocari queat & quomodo deinde hæc provocatio quoad ſubjecta evemeta & dyſemeta diſcernenda ſit.

§. III. Per vomitum itaque præcipue evacuatur & purgatur ventriculus proxima via, inverſa quidem & anoterica per œſophagum, ubi nonnunquam eodem actu ſimul aliquid ex connexo inteſtino duodeno eliminatur; quid quod plane per accidens una interdum ob ſummam illam commotionem pectoris & hypochondriorum aliquid e pulmonibus, quod tamen mobile eſt, expellitur; ſicut in Catarrho ſuffocativo tum juniorum, tum adultiorum ſubjectorum inter practicos artificialis talis Emeſis vulgo commendatur: quanquam vero Vomitus ſimpliciter ſpectatus ſatis vehementem evacuationis ſpeciem conſtituat, tamen adhuc major & gravior eadem obſervatur, quando per eandem una ex inteſtino duodeno quicquam eliminatur.

§. IV. Ex hac ipſa vero conſideratione facile judicare poſſumus, quam frivolum & fallax illud ſit conamen, quo ex Ventriculo quicquam evacuare contendimus, quod tamen in Ventriculo non hæret, neque intra eundem pervenit; ſicuti abhinc antipraxes illæ craſſiſſimæ eluceſcunt, quando in anomaliis Menſium & Hæmorrhoidum in moliminibus ad vomitum cruentum ſpectantibus, in febribus quartanis & contagioſis, ventriculum expurgare & neſcias qualem materiam evacuare ſuſcipimus; ſiquidem ex ejusmodi fruſtraneo vehementi motu, ſine appropriata euacuatione decurrente, graviſſimæ affectuum corruptiones & confuſiones oriuntur.

§. V. Adminiſtratur vero vomitus vehementi ſpaſmo, imo plane cum convellente motu ventriculi & œſophagi, ita tamen proportionato, quo e fundo ventriculi contenta materia exturbetur & elidatur, quando vero hic ipſe motus inſufficiens eſt, neque e ventriculo intra fauces aſſurgit & continuat, tunc vagi & vani conatus vomendi oriuntur, qui conſiſtunt

in ſuccuſſatione fundi ventriculi ,& ſub quibus nulla evacuatio ſuccedit: eo ipſo vero facile liquet, quantus impetus ad decurſum evomitionis, per artem provocatæ, pertineat & quanta circumſpectione opus ſit, ne indiſcretim ejusmodi motus excitentur.

§. VI. Deinde perfectus Vomitus non eſt actus confuſus & turbulentus, neque a plane corrupto ventriculi motu pendet, unde etiam illius modus fiendi fruſtra nudis materialibus qualitatibus aſſignatur, quaſi irritatio & vellicatio generis nervoſi inverſum motum ventriculi ita diſponat, quo ad evacuationem alicujus materiæ pertingat: rectius vero ad vomitum provocandum communiter contribuunt materiæ ſepticæ & ventriculum in ſuperficie arrodentes, quarum præſentiam & efficaciam ægre perferens natura rationabili conſilio & conatu per proximam viam & quidem ſurſum repente & impetuoſe excutit, motu ita appropriato, quo eo citius corpus ſuum a tali offenſione & moleſto ſenſu liberet.

§. VII. Eſt itaque natura humana cauſa illa efficiens, quæ vomitum perficit, minime vero ſpiritus quidam animalis aut vitalis, aut peculiaris janitor ventriculi, neque crudus & profanus quidam ſpaſmus; hinc non modo motus in Vomitu occurrens tam accurate cum effectu, nimirum excretione, correſpondet, ſed etiam cum ſcopo, nimirum cum materiæ adverſæ tempeſtiva remotione: quando itaque in ventriculo vel pernicioſa vel ſuperflua, moleſta & adverſa ſubjecta adſunt, tunc eorundem excuſſioni mature vires applicat eadem natura; ſiquidem etiam non ſemper materia excernenda ventriculum actuali arroſione offendit, ſed alia ratione ſenſum afficit & nauſeam aliquam inducit, vel quando jam primi motus emetici imminent, materia vero hiſce motibus nondum obtemperat, tunc ingeſtum quoddam vehiculum, quod illam materiam diluit, quaſi ſubjectum emeticum, conſtituit.

§. VIII. Minime vero uſus hujus evacuationis ita extendendus eſt, quaſi ad omnium, aut plurimorum morborum præoccupationem inſerviat, ſiquidem illa traditio Helmontiana & Sylviana, quæ ad morborum geneſin applicatur, non certa & fida eſt, neque æque tempora, ſubjecta & hominum ſenſibilitates huic conatui frequenter congruunt, unde cum maximo moderamine emeſis provocari debet, neque etiam conſultum eſt, ſi ſua ſponte natura ejusmodi evacuationem committit & proſequitur, quo eadem repente obruatur & cohibeatur, quo modo ſalutaris intentio & directio mox confunditur, & ſcopus corporis ſalubritati præviſus diruitur, tunc vero ejusmodi vomitus ſpontaneus moderamine quodam indiget, quando in actualem exceſſum degenerat.

§. IX. Sub concitatione Vomitus concurrunt adhuc diverſi effectus, quorum ſedula ratio habenda eſt, ne iidem ullo modo excedant: ſunt vero tales conſtrictio ſpasmodica inteſtini duodeni, nec non concusſio hepatis & connexa conſtrictio Cyſtidis cum ductu choledocho, unde copioſior bilis affuſio provenit, diaphragma intenſius movetur & conſtringitur, hinc concurrunt anguſtiæ & cordis intenſiores commotiones; accedit major ſangvinis exagitatio & impulſio intra caput, ut & largior ſalivæ affuſio intra fauces, quæ ſingula phænomena eo majora ſunt, quo acerbior eſt Vomitus.

§. X. Proinde in excitando Vomitu provide inquirendum eſt, an ſubiectum ad eiusmodi effectum Therapevticum ſubeundum habile ſit; an non nimis ſenſibile & debile exiſtat; an non alias difficulter vomat; an ideales averſiones ſatis tenaces a vomitoriis foveat; an non talibus afflictionibus oppreſſum ſit, quales vſum vomitoriorum reſpuunt; an ratione ætatis & temporis contrariæ circumſtantiæ coincidant, & an ipſe ſexus ſatis accommodatus ſit, quales principales circumſtantiæ bene ponderandæ ſunt, quia pernicioſi effectus conſequuntur, ſi artifex contra illas vllo modo peccaverit.

§. XI. Deinde præſtat aliquot circumſtantias circa materiarum excernendarum conditiones annotare & quidem an materia per Vomitum æque expellenda ſit; an in Ventriculo hæreat, an ſit nociva & adverſa, an ita ſufficiens ſit, quo Vomitui obtemperet; an vero antea aliquo modo involvi & dilui debeat; annon in alias partes aut in ipſam maſſam ſanguineam translata ſit; annon aliarum partium læſiones concurrant; annon aliæ partes cum hac materia læſæ ſint; an hæc materia præſentaneam evacuationem poſtulet; an quælibet materia per Vomitum rejici queat &c.?

§. XII. Quidquod maxime convenit in Vomitus promotione illam modeſtiam adhibere, ne in ſimpliciori cauſa urgeatur usque ad ſinceræ bilis evacuationem; Et licet Hippocrates aſſeruerit, quod tunc materia e ventriculo evacuata ſit, quando bilis ſequitur & vomitus ſufficenter adminiſtretur, quando ſubjecta ſitiunt, tamen hæc obſervatio non pro imitatione conſcripta eſt, ſiquidem in tali paſſu excesſivus dijudicari poteſt vomitus, adeoque infructuoſus, dum cauſa variarum concurrentium afflictionum evadit; neque etiam convenit tunc Vomitus valde vrgere & ſenſibilius provocare, quando vel proxima propenſio ad eundem adeſt, vel conatus vomendi præcurrunt, & vbi ſua ſponte natura actualem Vomitum commiſit, vbi temerarium eſſet, eandem naturam vel perturbare & præmature ſupprimere vel eo magis concitare & exacerbare.

§. XIII. In ſpontaneis Vomitibus atque propenſionibus ad Vomitus maxima circumſpectio adhibenda eſt, ne aliquo modo error committatur, ſi-

qui-

quidem temerarium & periculoſum tentamen eſſet in ejusmodi paſſu per poſitiva remedia vltro Vomitum vrgere & augere velle; vnde non modo hæc evacuatio perturbabitur & confundetur, ſed & reliqui connexi affectus gravisſime offendentur & legitimus eorundem decurſus nimium quantum pervertetur.

§. XIV. Et ſi ſpontanei tales Vomitus efficaciter ſuccedunt, minime facilis aut præceps eſſe debet artifex, quo vicisſim illos Vomitus obruat & opprimat; ſed potius illud punctum expectare debet, quando Vomitus tales nunc excedunt, ſiquidem hæc ipſa obſervatio ad illos Vomitus ſpontaneos deducenda eſt, qui in acutis affectibus interdum oriuntur, quos Medicus ex una parte non præmature ita extreme exhorreſcere debet, ex altera vero parte non præcipitanter cohibere, ſiquidem Vomitus hi autocratici communiter a natura ad ſalutarem ſcopum prævíſi ſunt.

§. XV. Et quo in Therapia medica magis liqueat ſub quibus circumſtantiis & in quibus caſibus vomitoria methodo therapevtica dextre & commode ordinanda ſint, ita præſtat in ordine evolvere & percurrere Contra Indicationes & Indicationes i. e. quænam circumſtantiæ vſum vomitoriorum disſuadeant & quæ contra eundem approbent.

§. XVI. *Contra indicant* itaque vſum Vomitoriorum 1) ſpecialis mala diſpoſitio ſubjecti ad ſubeundum Vomitum 2) ſenſibilitas perſonalis & ſyndrome motuum anomalicorum 3) Phthiſis 4) Hæmoptyſis vel actualis vel moliens. 5) Cephalagiæ, imprimis Sanguinea 6) ſtatus valde plethoricus 7) Vertigo 8) Hemicrania ſimpliciter ſanguinea 9) Ophtalmia 10) Angina, Eryſipelas faucium & partium ſuperiorum inflammationes 11) Hernia. 12) Scrophula 13) vtplurimum etiam ſexus ſequior. 14) imprimis menſium vitia, niſi ſuppresſio menſium ex immodica & prava ciborum ingeſtione ortum traxerit, vbi moderatisſima Vomitus concitatio locum invenire poteſt. 15) affectus hypochondriaci & anomalici hæmorrhoidales, 19) Colica 20) febres acutæ & peracutæ ſive benignæ ſive malignæ 21) ſcirrhi in partibus abdominis, 22) anguſtationes pectoris & ſimpliciores affectus aſthmatici; maxime ſicci, 23) Hæmorrhagiæ quælibet, 24) affectus periodici, maxime vero ſanguinei & hæreditarii, 25) diſpoſitio ad vomitum cruentum, 26) ſubjecta ad alvi ſiccitatem vel ſtricturam prona, 27) defectus virium, 28) affectus podagrici, 29) affectus, qui alios anxios & operoſos motus inferunt, 30) propenſio in Lipothymiam &c.

§. XVII. Vicisſim vero Vomitoriorum vſum admittunt atque indicant ſequentes circumſtantiæ 1) quando ſubiecta evemeta & vomitoriorum vſui alias adſueta ſunt 2) quando certa ſubjecta certis temporibus atque periodis olim artificiales Vomitus ſubierunt, qui vero interdum deficiunt; 3) quando artifex

ſex de eo certus eſt quod in Ventriculo hæreat materia mucida, bilioſa, moleſta, quæ variis cardialgicis afflictionibus anſam præbet, 4) quando Ventriculus repente & nimium oppletus eſt, adeoque variis ſuſpectis conſectariis anſam præbet, vbi moderata Vomitus provocatio proficit. 5) Poſt ſuppreſſam iracundiam, quando cardialgiæ affligunt & mitioribus methodis emeſis talis provocari haud poteſt, tunc etiam temperata vomitio excitanda eſt. 6) poſt ingeſtum philtrum vel venenum, quando non ſpontanei vomitus ſuboriuntur moderatisſima emeſis provocari poteſt 7) comeſta alimenta ſpisſiora, quæ non concoqui poſſunt, ſed quæ hypochondria & pectus graviter opprimunt & anguſtant: 8 quando ingeſta ſunt alimenta minus ſecura, ſed virulenta, vt ſunt fungi aut herbæ cum impuro rore imprægnatæ, ſi non ſpontanei vomitus ſuperveniunt: 9) quando in febribus tertianis & ſubjectis aptis non tempeſtivi ſpontanei vomitus occurrunt.;10)quando ſubjecta quædam quæ antehac in irregulari diæta conſtituta fuere & modo gravem Ventriculi oppletionem ſuſceperunt, in febrem acutam incidunt, tunc licet mox in primis initiis temperatisſimum vomitorium ordinare: 11) quando in diverſis ſubjectis ructus nidoroſi affligunt & frequentius adverſi bilioſi & aceſcentes ſapores intra fauces cum cardialgicis pathematibus coniuncti adſcendunt: 12) denique quando quidam affectus, imprimis capitis, ex ventriculo primum ſuum impulſum obtinuerunt & quando in pectore nimia muciditas hæret, quæ ob quantitatem ſuam & inſufficientem commotionem tusſiculoſam educi non poteſt, tunc modeſtus vomitus provocari poteſt.

§. XVII. Quoad vſum emeticorum conſultum & ſalubre eſt, vt remediis emeticis in formula conjungantur ſtimuli alvum moderate admonentes ne totus vigor & impetus ſurſum abeat & Vomitus nimium impellat atque vrgeat; proinde commode conjungantur moderata ſtomachica remedia, quæ perinde præoccupant nimiam ventriculi commotionem & quantisper effectum evomitionis mitigant atque leniunt: abſtinendum tamen eſt a combinatione poſitivorum opiatorum remediorum.

§, XVIII. Media & inſtrumenta, quibuscum in ſubjectis adultioribus artificioſe Vomitus provocandi ſunt, varia vulgo in pharmacia & materia medica occurrunt, ſiquidem pro infantibus æque alia talia adminicula inferius ſignificanda erunt: ex emeticis aliqua tolerabiliorem, alia vero acerbiorem effectum exerunt: inter hæc emetica vero communisſimi vſus eſt *Tartarus emeticus* bene præparatus, videlicet e croco metallorum Rulandino ſolertius edulcorato cum Tartaro puro compoſitus, quippe qui præ aliis præparationibus ex antimoniatis vitris conſtantibus eminet & ſecurioris vſus atque vtilitatis eſt, & hinc ipſe exiguis granis ad hunc effectum ſatisfacit.

§. XIX.

§. XIX. In emeticorum remediorum numero proſtat etiam famoſus ille *Mercurius vitæ* qui ita ſimpliciter adhibitus minus ſecure & paulo impetuoſius operatur; ſi vero ante ſedulo edulcoratus fuit, tantum efficit, quantum tartarus emeticus operatur; vnde hoc remedio omnino carere poſſumus; neque æque ſplendida illa *Roſa minerali Angeli Salæ* indigemus, cum qualibus compoſitionibus multi medici magis ſplendorem & ornatum, quam ſingularem vtilitatem affectarunt: & ſicut hic Mercurius vitæ regulina antimonii ſubſtantia eſt, ita pro noſtra cenſura nihil refert ſive e butyro antimonii cum oleo tartari per deliquium, ſive cum aqua ſive cum urina paratus fuerit.

§. XX. Neque adeo ſecure Vomitus provocatur per ſimplicem vſum *Croci metallorum* aut per *Vitrum antimonii* in ſubſtantia, qualia corpora nimis vehementer minusque ſecure operantur; quidquod *Infuſa* horum ſubjectorum vinoſa non niſi cum eximio moderamine in hominibus admodum robuſtis adhiberi poſſunt; id quod etiam valet de poculo illo emetico, nec non de *aqua benedicta Rulandina*, *Sapa vomitoria Sylvii* & ſimilibus compoſitionibus ex vitro antimonii prodeuntibus. Inter alia vero compoſita, quæ ex eodem conſtant magis vſui Therapeutico quadrant *Syrup. emeticus Angeli Salæ* & *Oxyſaccharum emeticum Ludovici*, quæ vero vtraque perinde cum modeſtia ordinanda ſunt & in parca quantitate ſecuris applicationibus ſatisfaciunt.

§. XXI. Ita porro haud ſecuris vſibus & effectibus inſervit *Turbith minerale* & *arcan. Corall: Crollii*, quæ mercurialia remedia periculoſos effectus non raro cauſantur; proinde *Sulphur antim.* diverſo modo paratum requirit ſubjecta valde robuſta & minus ſenſibilia, quia impetuoſius operatur; qualia fortiora remedia non niſi ad certos caſus & ſubjecta idonea reſervari debent; licet alias talia remedia non alium aut ſpecificum effectum in emeſi tali exſerant, neque curioſæ præparationes horum remediorum ſecuriorem & magis ſalubrem vſum promittant.

§. XXII. Emeticis remediis, quæ paulo mitius operantur, annumerari poteſt exotica illa *Radix* Americana *Ipecacuanha*, quæ in moderata quantitate pulveriſata cum aromate remixta in ſubjectis ſenſibilioribus vrgente neceſſitate vſurpari poteſt, & licet aliquales anguſtias ſub operatione ſua exſerat, tamen eædem non tanti faciendæ ſunt, quoniam breviter iterum evaneſcunt.

§. XXIII. Occurrunt porro quædam remedia, quæ præter reliquum evacuantem effectum etiam præparantem & ſingularem reſolventem efficaciam habent, inter illa recenſendum eſt *Sal vitrioli*, quod a Langio peculiari laude commendatur in affectibus apoplecticis, ſeroſis, & quod omnino efficaciam ſuam particularem incidentem & reſolventem exhibet: Hoc Sal per

ſingularem præparationem diſtingvit ſeſe a *Gilla Paracelſi*, utpote quæ perinde Sal vitriolicum conſtituit, ſed potius non adeo ſecurum, quale ab Angelo Sala etiam nomine *Mannæ Vitrioli vomitoriæ* producitur: de reliquo vero de Sale illo Langiano in aliis affectibus nondum ſimilis discreta utilitas deprehenſa fuit.

§. XXIV. Specialis virtus etiam adſcribitur *Radici Aſari*, quæ tenerrime pulveriſata in contumacibus febribus intermittentibus, aut Chronicis morbis juxta commendationem *Ettmülleri*, *Coberi* & *Strobelbergeri* ordinatur; hæc exhibenda eſt in ſubſtantia, minime vero in decocto aut Infuſo, utpote in quibus aliis formulis alias virtutes habet; neque *folia Aſari* tantum efficiunt, licet æque emeticam vim habeant: ita e Compoſitionibus pharmaceuticis proſtat *Elect. Diaſar. Fernelii*, quod ſurſum & deorſum potenter purgat, evacuat & cum ſingulari moderamine in ſubjectis etiam robuſtis ordinari debet.

§. XXV. Inter alia remedia emetica paſſim etiam recenſetur *Helleborus albus*, qui vero ob draſticam ſuam vim nullibi in ſubſtantia, neque etiam facile in alia formula adhibendus eſt, licet in *Infuſo* cum vino calido parato, addito roborante remedio in Maniacis ſubjectis, ſub ſingulari tamen moderamine concedi queat; utpote in quo affectu & robuſtis ſubjectis ab omni ætate medicinæ practicæ ſpecifice quaſi laudatur.

§. XXVI. Quando in caſu neceſſitatis nos alia uſitatiora & mitiora vomitoria remedia deſtituunt, ſubinde etiam ſubjecta robuſtiora & aptiora exiſtunt, tunc ad concitandum Vomitum contribuit *Herba Nicotianæ*, quæ maſticata & ab hac ſuccus deglutitus ſtrenuos Vomitus excitat, ſicuti ex eadem extractum per decoctionem primam parari poteſt, quod a gr. ij ad gr. iv ſimiliter vomitum movet: non minus ex eadem herba cum vino infuſum parari poteſt: id quod perinde hisce uſibus & applicationibus ſatisfacit: interim etiam conducit, quo apta roborantia remedia conjungantur, aut poſt uſum hujus herbæ talia carminativa auxilia ordinentur, ne nimia anguſtia continuet.

§. XXVII. Quando in ſubjectis Scorbuticis ratio affectus, conditio ſubjecti & occaſio temporis permittit, quo cum vomitorio oblato craſſæ & ſuſpectæ impuritates e Ventriculo educantur, tunc quaſi ſpecifice in hoc ſtatu ad Vomitum provocandum commendatum proſtat *Decoctum Sedi Vermicularis* ſive *minoris*, cujus aliquot unc. repetitis vicibus cum moderamine tamen exhibendæ commendantur a Bellovio in Actis Nat. Cur. Dec. I. an. 6. & 7. obſ. 22. ſervandum vero eſt illud moderamen, ne in quolibet ſcorbuticorum ſtatu, maxime vero acerbiori, impetuoſa talis excretio ſuſcitetur, quæ etiam

iam non alibi locum invenit, niſi ubi in ventriculo ſaburra talis prava & inimica adfuerit.

§. XXVIII. Recenſentur etiam pasſim alia quædam emetica ſubjecta minus tamen ſecura & propterea noſtris uſibus & commendationibus haud reſpondentia, uti ſunt *Folia Gratiolæ* & varia compoſita ex *Sambuco* provenientia, nec non *radix* & *ſemina Catapuciæ* & exinde proſtans *ungventum de Lathyride*, vt & *raſura unguium humanorum*, quam Cnoephelius pro uſu emetico allegat: hæc ſingula vero cum minus probata ſint, quin potius ad vehementia draſtica & periculoſa remedia pertineant, ita ab uſu eorundem ſerio dehortor.

§. XXIX. Cum hactenus diverſa emetica pro adultis ſubjectis commendata fuerint, ita jam quædam remedia emetica pro *Infantibus* ſelecta atque proficua allegabo, & ita ipſum ſimplex *oleum amygdalarum dulcium* paulo majori quantitate oblatum Vomitum movet ſatis moderatum, ſub quo una vel e ventriculo vel e pectore contentæ materiæ egeruntur, utpote quod leniſſima efficacia ſine ullo ſtimulo ad talem effectum pertingit.

§. XXX. Porro in infantibus Vomitum provocat paulo major quantitas *Oxymelitis Sqvillitici*, quod ſubinde in affectibus pectoris infantum non inutile eſt, in natu minoribus infantibus *Antim. Diaphor.* cum duabus nitri partibus paratum, unum & alterum vomitum poſt primam oblationem excitat; id quod vero in natu majoribus infantibus, neque etiam de reliquo in robuſtis contingit.

§. XXXI. Porro pro infantibus commendatur *Syrupus emeticus* & *oxyſaccharum emeticum Ludovicianum*, qualia auxilia vero caute & moderate uſurpanda ſunt, quia alias paulo fortius operantur: denique etiam *Syrupus florum perſicorum* eandem emeticam virtutem in infantibus habet: in omni tamen conamine, vomitum concernente, in infantibus juſtum moderamen ſervandum eſt, quia teneritudo ætatis vehementiores tales excretiones non facile permittit.

§. XXXII. Cum hactenus media & ſubſidia illa commemorata fuerint, quibuscum in diverſis ſubjectis & ætatibus Vomitus provocari poteſt, ita jam ratione ordinis brevibus diſſerere placet de methodo dirigendi Vomitus arte provocatos, in qua primo dicendum erit de præparatione corporis ad vomitum artificioſum, ſecundo de promotione & directione ipſius vomitus & tertio de regimine poſt vomitum tenendo.

§. XXXIII. Quod itaque præparationem corporis ad Vomitum attinet, tunc minime convenit ita repente & promiſcue vomitorium remedium obtrudere, ſed antea proſpicere, quo alvus in ſubjecto tali libera ſit; dein-

de materia evacuanda, antea quantisper præparari, incidi, reſolvi aut dilui & emolliri debet: quodſi itaque præſumatur ſaburra in Ventriculo mucida & ſpiſſa, tunc præſtat aliquoties præmittere remedia ſalina incidentia abſtergentia, reſolventia, digerentia; ſi materia præſumitur bilioſa, acris, tunc præmittenda ſunt præparantia, nitroſa, abſorbentia, diluentia, gelatinoſa, mucilaginoſa, hordeacea &c.

§. XXXIV. Quod vero attinet modum exhibendi vomitoria & tractandi vomitum, tunc notandum, quod emetica remedia matutinis horis propinanda ſint; quid quod evitari debet, ne mox ventriculus cum cibis obruatur, imo conſultius eſt, ſi prægreſſo veſperi cibi non copioſe ingeſti fuere: proxime vero cum moderamine expectandus eſt Vomitus, cavendo, ne ſubjecta ſenſibilibus refrigeriis & immoderatis commotionibus ſeſe exponant; interim regimen temperatum præoccupat, ne ſiniſtri effectus Vomitum ſuccedentem comitentur.

§. XXXV. Poſt aſſumtionem remedii emetici non ingerenda ſunt frigida, ſive potulenta ſive alimenta, neque lacticinia, quæ poſteriora potius vomitum hebetant: quo vero vomitus moderate promoveatur, licet ſuperbibere hauſtulum modicum vel decocti calidi, vel juſculi non valde pingvis, vel cereviſiæ calidæ: quemadmodum moderata obambulatio ejusmodi vomitum facilitat atque adjuvat.

§. XXXVI. Non æque conſultum & ſalubre eſt, quo nimis frequenter Vomitus repetatur & urgeatur, ſiquidem ipſe per inquietudinem & intenſiorem corporis commotionem valde exacerbari poteſt, & ſi jam per Vomitum amarulenta egeruntur, mox cum bona continentia & corporis quiete procurandum eſt, quo Vomitus deſinat, ſiquidem frequentiorem illius ſucceſſum juſcula pingvia, lacticinia & butyri comeſtio temperare poſſunt.

§. XXXVII. Quod cum emetico remedio lenis ſtimulus catharcticus & corrigens quoddam ſubjectum moderate carminativum conjungi debeat, in ſuperioribus indicatum fuit; unde pauca adhuc dicenda ſunt de regimine ſubjectorum poſt vomitum artificioſe provocatum, adhibendo, quod in hisce circumſtantiis conſiſtit, ne mox ingerantur potulenta frigida aut ſpiſſa fæculenta & fermenteſcentia; deinde ne aſſumantur cibi craſſiores & operoſam concoctionem requirentes, neque etiam multi, ſed potius molles & temperati, quid quod confert poſt Vomitum carminativum remedium temperatum & ſelectum uſurpare, aut hauſtulum boni vini ingerere, vel juſculum vinoſum leviter aromatiſatum & poſthac provide obſervare, an alvus aperta ſit maneatque; qua deficiente moderata laxatio poſt aliquot dies ſubminiſtranda eſt, & ita in futurum bona diæta conſtanter concilianda erit.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII. Quando oblatum emeticum remedium ſperatum effectum emeticum vel non facile, vel non ſufficienter, vel plane non exſerit, tunc minime confert, mox aliam doſin emetici remedii, nedum proximo die talem ingerere; ſed potius per plures dies acquieſcere & antea præmiſſa leni laxatione deorſum alvum liberare & tunc demum poſt aliquam moram, ſi conſultum viſum fuerit, emeticum remedium repetere convenit; alias immoderatæ, impatientes, audaces & prodigæ emeticorum remediorum ingeſtiones valde pernicioſæ ſunt.

§. XXXIX. Quando contingit, ut vomitus, qualiscunque etiam fuerit, ſive ſponte excitatus, ſive arte provocatus in exceſſum degeneret & enormis reddatur, tunc præſtat eundem tempeſtive & convenienter mitigare, compeſcere & ſedare; minime vero conducibile eſt, quo repente anodyna remedia ingerantur, quin potius ordini motuum vitalium magis convenit, quo per mitiora remediorum genera hic exceſſus tranquilletur, & in hac neceſſitate conveniunt vel temperantia remedia, vel moderate carminativa, vel ſtomachica amara, vel mitiora tonica, vel denique ſelecta & ſecura ſedativa, qualia interne & externe huic ſcopo quadrant; cavendo tamen, ne remedia acria exhibeantur, neve reliqua prodige offerantur: e ſedativorum vero numero reliquis palmam præripit Chaccarilla, quæ ſine ullo præjudicio nimios Vomitus lenit: quando talis Hyperemeſis mitigata fuit, tunc ſedulo providendum eſt, quo alvus in juſto ſucceſſu continuet, ne adſtringatur aut adſtricta maneat: deinde etiam cavendum eſt, ne mox ventriculus cum multis aut incongruis alimentis obruatur.

CAPUT II.

DE

CATHARSI SIVE PURGATIONE.

§. I.

ALtera ſpecies Evacuationis eſt ſic dicta Purgatio, quæ generali hoc nomine ſignificatur, dum copioſam materiam alienam vel nocivam e corpore educit & ita eminenti effectu corpus purgat atque liberat: proprie vero conſtituit evacuationem illam catotericam per alvum ſuccedentem & diverſos humores ſuperfluos æque ac diverſos atque nocivos ſubtrahentem,

tem, mediante qua non modo longus inteſtinorum tractus a tali materia liberatur, ſed etiam porro primæ ſic dictæ regiones, imo adhuc intimius reliquum corpus ab ejusmodi materia depuratur.

§. II. Hæc ſpecies Evacuationis, licet quidem ſatis valida atque efficax ſit, & cum eximiis motuum tonicorum gradibus decurrat, ita vt interdum torminoſæ commotiones concurrant, tamen non ita impetuoſa atque violenta eſt, ac emeſis eſſe ſolet; propterea etiam non tantum afficit, neque tantas vires requirit, licet propterea æque cum prudenti moderamine ordinari & dirigi debeat, quoniam motus, quibuscum perfecta purgatio adminiſtratur, ſatis potentes ſunt, adeoque ad concitandas & exacerbandas alias commotiones æque ſatisfaciunt & contribuunt.

§. III. Hæc evacuatio paulo magis ordini naturæ accommodata eſt, quæ in vitali curſu & negotio conſtanter & ordinario impuritates ex concoctione reſiduas, per alvum ſubducit; ita, vt ad hanc evacuationem natura magis adſueta ſit & hæ viæ eidem magis vſu receptæ ſint, cum viciſſim ad ordinarium vitalitatis ſtatum evomitio non pertineat: deinde etiam hæc excretio ſenſui & conſenſui naturæ magis reſpondet, ſiquidem eadem non raro liberiori & promptiori activitate interdum ſua ſponte largiores & numeroſiores tales dejectiones alvinas inducit & proprio auſu vel lubricam vel fluidam alvum offert, quale ſpecimen imprimis occurrit in diarrhoeis ſpontaneis, præcipue vero annuis: ex qua conſideratione colligo, quod eo facilius artifex hanc methodum naturæ imitari poſsit debeatque.

§. IV. Per hanc evacuationem, deorſum procedentem diverſæ materiæ educuntur, quæ vero & quantitate & qualitate ſtatui vitalitatis & ſanitatis præjudicioſæ & inimicæ ſunt: ejusmodi materiæ vero ſunt vel ex prægresſis digeſtionibus reſiduæ, fæculentæ, terreſtres, ſpiſſæ, vel mucidæ vel ſeroſæ ſalinæ aceſcentes vel etiam bilioſæ ſive in proximis viis ſive in humoribus confluentibus cohæreant; ita vt per hanc ſpeciem evacuationis vel ſimul & ſemel a diverſis ejusmodi materiis corpus liberetur, vel diſcretive a ſimplicibus talibus impuritatibus, prout conſtitutio & ratio Temperamenti in ſubjecto involvit, arceatur.

§. V. Quanquam vero catharctica in inteſtinorum præcipue tractum operentur, tamen indicato modo eorundem efficacia latius & intimius ſeſe extendit, dum ad ipſos humores penetrant & in iisdem materiam mucido-ſeroſam ita colliquant, abſtergunt atque reſolvunt, quo poſtea copioſius ad inteſtina ſequeſtretur & efficacius atque numeroſius evacuetur: & quæcunque catharctica eo usque penetrant, vt humores afficiant, illorum effectus catharcticus haud ita præceps & ſubitaneus eſt.

§. VI.

§. VI. Et quemadmodum hæc ſpecies Evacuationis paulo mitior eſt, quam precedens, tamen illa generalis cautela vſurpari debet, ne purgatio nimis impetuoſe, vehementer & frequenter ſuſcipiatur, ſed quo potius moderamen adhibeatur, vt totus actus ordini naturæ magis reſpondeat: etenim immodicæ purgationes non modo inutiles, ſed & utiles & neceſſarios humores afficiunt & exturbant, totum corpus immodeſte commovent & ſi ſimul humores diluentes nimium educunt & partes valde afficiunt, ſucceſsive graviſſimos morbidos affectus introducunt.

§. VII. Operantur purgantia vel ſtimulando vias, vel præparando & colliquando humores; quoad primam circumſtantiam occurrunt quædam ſubjecta, quæ in inteſtinorum tractu varias & diſcretas inteſtinorum regiones, afficiunt, vt alia inteſtinum duodenum, alia inteſtina tenuia, alia vero inteſtina craſſa offendant: deinde haud aliena eſt obſervatio, quod diverſa remedia purgantia, in diverſas materias aut humores operentur & quod propterea diſcretio inter Phlegmagoga, Hydragoga, Cholagoga & Melanagoga minime falſa, ſed in experientia medica admodum probata ſit, quæ propterea ad ſolidos vſus Therapevticos commendari meretur.

§. VIII. Præſupponit præterea purgatio Therapevtica iuſtam cognitionem ſenſibilitatis ſubjectorum, imprimis in negotio liberandæ & expediendæ alvinæ excretionis: etenim quando ſubjecta alias lubricam alvum habent, tunc citius per remedia ſic dicta purgantia affici et provocari poſſunt, proptereaque cum modeſtia tractari debent; quid quod interdum accidit in eiusmodi ſenſibilibus ſubjectis, vt poſt ingeſtionem purgantis remedii vomitus ſuperveniat, qui interdum effectus adverſi ſaporis & nauſeoſæ commotionis, quandoque remedii citius ſtimulantis exiſtit.

§. IX. Effectus purgationis communis & ſimplex ille eſt, quando remedia purgantia, quæ communiter ſalinæ & reſinoſæ ſubſtantiæ ſunt, inteſtina afficiunt atque irritant, vt ad eadem partim humores copioſius transferantur, partim etiam ex iisdem hæ ſubſtantiæ efficaciter & tempeſtive removeantur; ob id augentur motus & quo magis remedia cathartica reſinoſa ſunt, adeoque intrinſecus inteſtinis firmius & tenacius adhæreſcunt, eo magis periſtalſis inteſtinorum pro abſtergendis hisce materiis augetur, eoque certior eiusmodi purgationem tormina comitantur: quædam vero remediorum talium non nudo ſtimulante effectu operantur, dum antea materias & humores in confiniis obhæreſcentes abſtergunt, reſolvunt & ad faciliorem excretionem præparant.

§. X. In ordinatione remediorum Purgantium porro artifex rationem Temperamentorum habere debet, vt diſcernat ſubjecta ſicciora ab humidio-

dioribus, ſiquidem ſiccioribus cum meliori fructu exhibentur remedia in humidam formulam converſa, & humidioribus efficacius præſcribuntur remedia in ſica forma comprehenſa; ex qua diſcreta commendatione promptior & facilior effectus fluit; deinde moderamen adhibendum eſt circa vſum quorundam Purgantium, ex quibus quædam in majori doſi oblata ſuſpectos effectus vel tenacioris adſtrictionis alvi, vel immoderatioris teneſmi poſt ſe relinquunt, vt propterea minor quantitas pro meliori effectu impetrando præferenda ſit.

§. XI. Eſt etiam quorundam Purgantium remediorum illa efficacia, ut non modo ſerum ſalinum in reliquo corpore magis commoveant, ſed & ejusdem excretionem per alia loca excitent; hinc una diureſin provocant & vias urinarias ſtimulant: qualia ſubjecta præprimis in illis occaſionibus & affectibus uſurpanda ſunt, ubi ſeri excretio neceſſaria & ſalutaris eſt: quemadmodum in morbis Chronicis conſtanter ejusmodi Purgationes præferri debent, quæ ſimul in humores mucidos, ſeroſos & in præſentem Cacochymiam ſeroſam effectum colliquantem aut reſolventem dimittunt.

§. XII. Magna vero prudentia adhibenda eſt in ſelectu gradus Purgationis & illius ordinatione, ſiquidem Hippocrates notanter indicat, quod in acutis haud locus ſit purgationibus, imo ne quidem ſemper aliqualis commotio, ad purgationem ſpectans, ſuſcipi debeat, ſiquidem tales commotiones & purgationes typum præſentis morbi graviſſime exacerbant & futuris irregularibus ſucceſſibus anſam præbent: quanquam vero etiam in acutis propterea ſalutare & conſultum non ſit alvum ſupprimere, aut ſuppreſſam relinquere, tamen hoc loco ſermo præcipue eſt de poſitivis & vulgaribus Purgationibus.

§. XIII. Proinde in uſu Purgationum Therapevticarum ratio habenda eſt congrui & opportuni temporis, quo videlicet talis actus ſecure & utiliter ſuſcipi poſſit, ubi minime conſultum & ſalubre eſſe deprehenditur, quando in exacerbationibus morborum poſitivæ tales purgationes ordinantur; quid quod conſentiente experientia longe melius eſt præſervatorio ſcopo ejusmodi evacuationem ſuſcipere & commendare, quoniam illo tempore motus tranquillius decurrunt, neque affectus facile exaſperant.

§. XIV. Sed cum poſitivæ Purgationes non ubique locum inveniant, in plurimis vero affectibus ſalutare ſit, quo alvus aperta exiſtat, attamen ſubinde contingat, ut cum præjudicio ſua ſponte alvina excretio ſubſiſtat, retineatur, aut deficiat, ita alii effectus Therapevtici in ſubſidium Purgationis vehementioris arti ſubſerviunt, adeoque tres præcipui actus Therapevtici ſuppetunt, quibus alvum admonere, liberare & provocare licet; prior conſiſtit in ſimpliciſſima *Lenitione*, altera in moderata, efficaci

tamen

tamen Laxatione & tertia in poſitiva Purgatione, quæ ultima ſummum gradum promovendæ evacuationis alvinæ conſtituit.

§. XV. *Lenitio* alvi ita ſuccedit, dum ſubminiſtrantur ejusmodi adminicula, quæ vel vias, videlicet inteſtina diluunt, emolliunt, humectant & elubricant, ut magis flexilia, mollia & tractabilia evadant, adeoque excretoriis motibus magis obtemperent; vel quæ ſpisſiores & ſicciores in inteſtinis hærentes humores & materias, fluidiores & mobiliores reddunt, ut facilius excretoriis motibus obſecundent, neve exſiccationi inteſtinis inferendæ inſerviant; unde vel ſimplicia diluentia, vel pingvia lenientem talem efficaciam affatim exſerunt.

§. XVI. Cum itaque Lenitionis effectus tam moderatus & benignus ſit, ita commode alvus in omnibus illis affectibus & occaſionibus per Lenitionem promoveri poteſt, ubi poſitive purgantia ſolicite evitanda ſunt; attamen alvus omnino tempeſtiva & temperata promotione indiget; hinc in omni ætate, ſexu, morbo & ſtatu alvus ſecure per Lenitionem facilitari poteſt, adeo ut ne quidem affectus maligni ac acuti, neque infantes neque gravidæ & puerperæ neque graviter vulnerati huic actui Therapevtico contrarientur.

§. XVII. Interea hujus Lenitionis uſus ſeſe non ultra nudam apertionem alvi inducendam extendit & non niſi tunc convenit, ubi alvus præter conſvetudinem eſt ſicca, aut obſtructa & ubi illius reſeratio & apertio abſolute neceſſaria eſt; quando vero materiæ peccantes præcipue in majori copia & numeroſiori depoſitione educi debent, ibi hæc Lenitio ſingularibus hiſce ſcopis non ſatisfacit, ſed tunc reliqui gradus promotionis alvinæ ſeligi & ordinari debent.

§. XVIII. Proximus gradus liberationis & admonitionis alvi conſiſtit in Laxatione, quæ efficaciam ſuam exhibet partim per moderatam, attamen ſufficientem materiæ impuræ & alienæ abſterſionem, colliquationem, involutionem & debitam præparationem, partim per moderatam viarum, nimirum inteſtinorum ſtimulationem & excitationem ad ultimum effectum excretorium transeuntem & ſpectantem; hinc laxantia communiter continent magis eminens & evidens principium ſalinum, partim incidens, partim incitans; attamen hic actus Laxationis perinde moderatus eſt & ſine ullo impetu ſuccedit & ita in multis affectibus & caſibus proficit, in quibus adhuc Purgatio diſſvadenda eſt.

§. XIX. Sicut itaque in uſu Lenitionis & Laxationis artifex ſecuriorem viam atque methodum invenit, ita tam exquiſitæ regulæ pro applicatione horum effectuum haud adeo neceſſariæ ſunt; inde potius quoad

Purgantium uſum major circumſpectio atque temperies commendanda erit; ob id hoc loco indico, quod Purgationes in plurimis illis affectibus atque occaſionibus contraindicentur, in quibus vomitoria nullum locum inveniunt, unde e præcedenti vomitoriorum explicatione Contraindicantia purgationis repetenda & ſeligenda erunt.

§. XX. Indicantur purgationes poſitivæ in ſubjectis paulo robuſtioribus neque valde ſenſibilibus, aut ratione ætatis admodum teneris, neque etiam nimia ſenectute oppreſſis; deinde etiam extra affectus acerbiores, ut & in ſubjectis & caſibus, ubi partim primæ regiones, partim humores & reliquum corpus nimiis impuritatibus ſeroſis & mucilaginoſis affliguntur, ut & ubi certæ corporis regiones frequenti & contumaci congeſtione offenduntur, & quando mitioribus methodis talis heterogenea colluvies non obtemperat, aut ubi per apta remedia intimius intra corpus colliquatorio & reſolutorio effectu agendum eſt.

§. XXI. Propterea etiam evenit, ut in hoc actu promovendæ excretionis alvinæ multum ſenſibilitati naturæ condonandum & invigilandum ſit, ſiquidem in talibus ſubjectis vel lenisſimum remedium nihilominus efficaciter alvum movet, vel aliquando ſapor paululum adverſus ad ejusmodi excretionem promovendam ſatisfacit, vel quandoque plane firmior imaginatio de ſubeunda purgatione eminentiorem effectum Catharcticum poſt ſe trahit: ex qua animadverſione propterea concludo, quod artifex curatius hujus perſonalis ſenſibilitatis rationem & certitudinem habere debeat, antequam indiſcretim poſitivam Purgationem ordinet.

§. XXII. Quo magis itaque poſitiva Purgatio commovet & afficit, eo magis artifex temperiei ſtudere debet, unde in uſu medico practico repetita moderata Laxatio plus proficit & ſenſui atque conſenſui naturæ magis convenit, quam ſimultanea egeſtio & Purgatio, quæ non niſi robuſtioribus naturis reſervanda eſt: & dum ſimultaneus actus catharcticus non modo vires, ſed & reliquos motus vitales valde exaſperat atque offendit, ita Laxatio repetitis vicibus ſuſcepta & viribus & motibus admodum ſubvenit.

§. XXIII. Et quo actus Purgationis rectius ſuccedat, maxime intereſt deliberare primo conditionem materiæ, quæ educenda eſt, an videlicet posſit ac debeat partim per hanc ſpeciem evacuationis ſubtrahi, an partim ejusmodi gradui evacuationis commode obtemperet: ſecundo, ſeligendum & dignoſcendum eſt tempus juſtum, quo ejusmodi evacuatio cum ſalubritate inſtitui posſit debeatque; tertio, dijudicantum eſt, an etiam materia ita præparata ſit, quo hanc excretionem admittat: quarto penſitandum

dum eſt, quamdiu & quoties hæc evacuatio ſit urgenda & adjuvanda & denique quinto, quibus probatis & ſecuris auxiliis eadem adminiſtrari posſit.

§. XXIV. Et dum antea indicatum fuit, quod alvina excretio triplici modo promoveri posſit, nimirum per Lenitionem, Laxationem & Purgationem, ita nunc ordo poſtulat, quo talia remedia, hiſce actibus quadrantia, recenſeantur & commendentur; unde primo loco de *Lenientibus* agendum erit, ſiquidem pro additamento hujus totius tractationis de aliis ſelectis & ſingularibus remediis alvum liberantibus breviter diſſerendum erit.

§. XXV. Pro lenienda alvo varia inſerviunt adminicula & illa quidem ſatis ſimplicia, ſiquidem partim ſufficiens potus ad diluenda inteſtina quadrat; unde ob defectivum illius uſum haud infrequentes exſiccationes alvi vulgo occurrunt: partim huc ſpectant auxilia ex diæta capeſſenda & ſeligenda, ut ſunt: juſcula pingvia, Gelatinæ, Mucilagines fluidæ, medullæ, axungiæ, ipſum lac atque butyrum, non excluſis oleis pro uſu diætetico aptis; quemadmodum alias ſimpliciſſima olea emollientia, Lini, Amygdalarum dulcium, chamomillæ, &c. efficaciſſime inteſtina demulcent; huc etiam ſpectant aliæ ſpecies & quidem emollientes, quarum alibi mentio fiet, ex quibus decocta parata utiliter alvum leniunt & promovent: non minus radices dulces, qualis eſt Liquiritiæ, ut & alia ſubjecta dulcia, lenientem ſuam qualitatem in promotionem alvinæ excretionis ſatis ſuperque dimittunt.

§. XXVI. Similem efficaciam lenientem habent Paſſulæ exacinatæ, citra artificioſam præparationem uſurpatæ, ſimpliciter decoctæ & quidem majores: leniunt etiam alvum fructus dulces cocti: præterea externa adminicula eundem lenientem uſum cum multa laude exhibent; unde jam in vulgus nota ſunt linimenta ex oleis lenientibus & pingvedinibus parata, abdomini applicanda, quæ ſine ulla præparatione alvum emolliunt; deinde etiam Clyſteres ex ſpeciebus emollientibus parati hunc effectum edunt, de quibus in inferioribus plura dicenda erunt.

§. XXVII. E laxantium numero perinde non pauca, aut inertia, ſed ſatis efficacia proſtant, ex hiſce vero quædam ſunt ſimplicia, quædam magis pharmacevtica; ſimplicibus ſpeciebus annumero Paſſulas atque pruna, qui fructus vel decocti vel quorum fructuum decocta uſibus hiſce inſerviunt; proinde etiam ſaccharata colliquatoria ſua efficacia alvum laxant, ſatis tamen moderate; e Pharmacevticorum remediorum numero proſtant Paſſulæ laxativæ, Roob Paſſularum laxativarum & diverſa ſalia abſtergentia, imprimis

tarta-

tartariſata aliaque amara, liberiori quantitate exhibita, quo adhuc refero aquas Nitroſas, quæ ſub ſimplici uſu hanc qualitatem laxantem ſatis ſæpe comprobant; hiſce ſpeciebus annumerari poteſt Sal Anglicanum & Magneſia alba.

§. XXVIII. Laxantium numero accenſenda adhuc ſunt varia uſitata dulcia exotica, in praxi communi perquam cognita & inter hæc præcipue eminet *Manna*, quæ licet in ſubſtantia in majori quantiate adhibita aliquam nauſeam creet, ſubinde etiam flatulentiis conciliandis ſatisfaciat, tamen in aptis ſubiectis, ætatibus & formulis adhibita non contemnendum uſum habet: interea illius qualitas flatulentiam excitans cum temperato carminativo remedio facilius corrigi poteſt: commode hæc Manna in Juſculo aſſumitur; deinde etiam proſtat Manna tartariſata & Manna liquida, quæ fructuoſe uſurpari poteſt: &quando hæc Manna cum oleo amygdalarum dulcium commiſcetur & ſolvitur, licet quantiſper nauſeoſam conſiſtentiam induat, tunc tamen ad pectoris abſterſionem vtiliter proficit.

§. XXIX. Non minus etiam in materia medica ſatis cognita eſt *Caſſia* cujus ſuccus, non niſi bene depuratus, ad hos vſus admittitur; ſyrupus vero haud uſitatus eſt: Pulpa denique Clyſteribus admiſceri ſolet; ita etiam ſuccus depuratus decoctis ad uſus laxantes deſtinatis conjungi poteſt, procurando, quo huic etiam ſpeciei lene quoddam carminativum remedium combinetur, ne, prout dulcia ſolent, perinde moleſtas flatulentias cauſetur.

§. XXX. Denique etiam *Tamarindi* pro laxante remedio circumferuntur, qui in ſubſtantia cum vino ſoluti addito aromate quodam uſurpantur, quemadmodum etiam cum fructu decoctis evacuantibus adjunguntur. Pulpa Tamarindorum pro clyſteribus aſſervatur: ſatis ſæpe in praxi medica hi fructus cum Paſſulis conjuncti exhibentur. Et cum alia adhuc proſtent laxantia, ut Rhabarb. Polypod. Sennæ fol. Myrobalani &c. tamen earundem ſpecierum in purgantium ordine mentionem faciam.

§. XXXI. Ordo me ducit ad remedia *Purgantia* recenſenda & commendanda & ad combinationem neceſſariarum obſervationum, circa uſum eorundem tenendarum: ſicut vero hæc purgantia differunt quoad materias, quas educunt, ita primo loco acturus de *Phlegmagogis* ſive ſerum fluidum & mucilaginoſum educentibus: inter hæc principem locum tenet *Jalappa*. quæ etiam a B. Ludovici aliis purgantibus remediis præfertur: hæc dum reſinoſa & acris eſt, cum modeſtia ordinari & adhiberi debet: præſcribitur vel in Subſtantia, vel in Reſina, vel in Eſſentia: ſed dum reſinoſa hujus radicis pars torminoſas commotiones poſt ſe trahit, ita in ſubjectis & ætatibus ſenſibilibus provide commendari & de reliquo cum corrigente carmi-

nati-

nativo jalappæ uſus conjungi debet: reſina jalappæ cum amygdalis dulcibus præparata & temperata, non inutile eſt remedium pro adultioribus ac junioribus ſubjectis.

§. XXXII. Ad Phlegmagoga purgantia pertinet porro *Mechoacanna*, quæ proinde adverſum ſaporem dimittit, ſed quæ paulo debilius operatur, quam jalappa vera, unde in majori quantitate præſcribenda eſt: dum vero hæc major moles eximiam nauſeam parit, ita ob præſtantiorem aliorum efficaciam, hæc merito omitti poteſt. Accedit etiam Radix *Aſari*, quæ non niſi in affectibus Cacochymicis, Cachecticis, Hydropicis, Scorbuticis & Intermittentibus groſſius pulveriſata ordinari poteſt, ſervando illam cautelam, ne ſubjectis ſenſibilioribus præſcribatur.

§. XXXIII. Ita in medicina practica ad ſerum evacuandum ulterius commendatur *Radix Bryoniæ*, quæ haud efficaciter in ſubſtantia, rectius vero in infuſo & ſucco exhibetur & hæc præcipue etiam utilitatem habet ad uterinas partes repurgandas: fæculæ quæ de hac radice parantur, nullius utilitatis ſunt; de reliquo etiam ſuccus illius famoſum illud Ungventum Agrippæ ingreditur, quod remediis epomphalis vulgo annumeratur.

§. XXXIV. Subinde in medicina antiquiori frequentius allegantur & commendantur *Hermodactili*, quorum uſus juxta obſoletam traditionem præcipue ad Arthriticos, Podagricos & Nephriticos affectus laudari deprehenditur, quaſi ſerum ſalſum, tartareum ſpasmis generandis habile educant; ſed cum hæc commendatio nuda opinione nitatur, neque effectus hactenus cum propoſitis promisſionibus cohæſerit, ita merito ad inertia purgantia referendi ſunt; interim alibi in ſubſtantia, ut & in Infuſo adhibiti obſervantur.

§. XXXV. Ita etiam MYROBALANI, CHEBULI, BELLYRICI, & EMBLICI vulgo quidem Phlegmagogis remediis annumerantur, ſed debilioris & rarioris uſus atque utilitatis ſunt, licet inter antiquos tam in ſubſtantia, quam in Infuſo & cum Syrupo involuti adhibiti obſerventur: Semen CARTHAMI potenter, impetuoſe & cum draſtica efficacia ſerum exturbat; quare cum maxima circumſpectione adhiberi debet & non niſi vel robuſta ſubjecta, vel deſperatos affectus, quoad applicationem ſuam, requirit, ſiquidem emulſionibus & clyſteribus additum legitur & deprehenditur.

§. XXXVI. Ad remedia antiquitus uſualia atque famigerata ſerum purgantia pertinet porro COLOCYNTHIS, quæ propterea alter purgantium Rex vocatur; hæc in ſubſtantia haud tuto ordinari poteſt, quia nimis draſticum evacuans conſtituit, unde etiam obſervatores allegant, quod hoc pomum manibus tantum geſtatum, aut abdomini impoſitum ſatis potenter al-

vum moveat! neque etiam cum correctis colocynthidis compoſitionibus, nude & ſimpliciter purgatio adminiſtranda eſt, ſed ſecurius hæc ſpecies pro ſtimulo purgante adhibetur & cum eadem aliorum purgantium effectus adjuvatur.

§. XXXVII. Vulgo in Pharmacia proſtant TROCHISCI DE ALHANDAL eorundemque Extracta, ut & Extractum correctum Colocynthidis, quales ſpecies ad unum vel alterum granum recipiendæ ſunt; PULPA COLOCYNTHIDIS in pet. lig. clyſteribus valde ſtimulantibus commiſceri poteſt: oleum ex Colocynthide paratum nullibi ad internos & non niſi maxima cum circumſpectione ad externos uſus admitti poteſt, neque etiam Semen illius ſingularem virtutem habet: de reliquo Ungventa officinalia purgantia, quæ Colocynthis ingreditur, perinde prudentem & peritum artificem requirunt.

§. XXXVIII. Denique ad hanc claſſem remediorum Phlegmagogorum referendus adhuc eſt AGARICVS, qui in ſubſtantia ita ſimpliciter non conducit; interim Trochiſci de Agarico aliis purgantibus formulis ad exigua grana conjunguntur, ſicut extr. de Agarico pro ſimili ſcopo inſervit: Agaricus in pet. lig. Clyſteribus ſtimulantibus, ut & infuſis vinoſis additur: de reliquo in antiquiorum Pharmacia Pilulæ de Agarico & Elect. Hieræ cum Agarico proſtant, quales compoſitiones æque ad ſerum catarrhale educendum adhibitæ fuerant.

§. XXXIX. Poſt hæc Evacuantia, quæ ſerum fluidum mucilaginoſum educunt, nunc in ordine ſequuntur *CHOLAGOGA* remedia ſive illa, quæ bilem abſtergunt, expurgant & evacuant: inter hæc principem locum obtinet RHABARBARUM, quod optime in ſubſtantia, aut in Infuſo calido vel frigido vinoſo adhibetur; & tam junioribus, quam adultioribus ſubjectis conducit, ſiquidem infantibus Syrupi Rhabarbarini proficui & ſecuri ſunt: Tinct. vero e Rhabarbaro parata, ut & Extr. Rhabarbarinum debilius operantur, unde prædictis formulis ratione uſus Therapevtici merito poſtponi poſſunt.

§. XL. Quemadmodum Rhabarbarum verum prædictam utilitatem habet, ita Rhabarbarum MONACHORUM proinde quidem bilem abſtergit & evacuat, ſed cum debilius remedium conſtituat, ita non adeo uſitatum eſt, præcipue cum in majori quantitate exhibitum nauſeam potius crete; neque etiam MIROBALANI, EBULI & INDI multum proficiunt pro bile exturbanda, licet eo commendati deprehendantur: & quamvis de Aſaro etiam dicatur, quod bilem evacuet, tamen verum Rhabarbarum omnibus reliquis cholagogis remediis palmam præripit.

§. XLI.

§. XLI. Cholagogis remediis, quæ tamen ſimul ſerum evacuant, annumeratur etiam SCAMMONIUM, quod ob draſticam ſuam vim neque ita ſimpliciter in ſubſtantia, neque primario quodam ſcopo evacuante ordinari debet, ſed ut ſtimulans remedium pro aliis purgantibus inſervit, hinc Scammonium Sulphuratum & Diagrydium, ut & Reſina Scammonii correcta ad exigua grana pro uſu medico ſatisfaciunt; cavendo & temperando, ne in ſubjectis ſenſibilioribus cum eodem Scammonio aliqualis exceſſus committatur.

XLII. Proinde ad bilis abſterſionem & evacuationem pertinet CASSIA, MANNA, VIOLA & ROSA, ſed cum de hisce ſubſtantiis in laxantium ſerie actum fuerit, non multum de iisdem hac vice repetemus: interim hæc ſunt remedia pro infantibus utilia; quemadmodum Syrupus Violarum & Roſarum ſolutivus ad hos effectus eximie quadrant, tanto magis vero ſi cum Syrupo Rhabarbarino commiſcentur: non minus hoc ordine pro infantibus laudari & commendari debet *Syrupus Domeſticus* ſive de *Spina Cervina*, qui ex inteſtinis & primis regionibus ſimiliter impuritates bilioſas & ſeroſo-mucilaginoſas abſtergit & educit.

§. XLIII. Teſtantibus Experientia & obſeruationibus quibusdam Herba CENTAURII MINORIS peculiarem qualitatem habet ad abſtergendam & educendam bilem, licet eadem ita poſitive alvum non ſtimulet, neque purgantibus remediis annumerari debeat; interea effectus tamen loquitur, quod hæc herba Clyſteribus addita efficaciam paulo majorem, bilis abſterſioni & eductioni quadrantem, exſerat.

§. XLIV. Progredior ad MELANAGOGA remedia recenſenda & commendanda; ex illis primarium locum tenet ALOES, cujus uſus eſt admodum famigeratus, imo rectius ediſſerendo a longo ſatis tempore eadem Aloes in frequenti abuſu fuit, ſiquidem variæ compoſitiones & pilulæ aloeticæ magna ubertate circumferuntur & adhibentur: conſiſtit vero hic abuſus tam in nimis frequenti, quam in copioſa Aloes ingeſtione, ſiquidem communis & vulgata doſis, qua eadem præſcribitur, variis futuris incommodis anſam præbet, ita ut cum longe majori utilitate in exigua quantitate ordinari poſſit.

§. XLV. Neque convenit ita crudam Aloen facilie exhibere, ſed potius præſtat eandem prævia præparatione corrigere & temperare, quominus in futurum effectus adſtrictorios poſt ſe relinquat: deinde non conſultum eſt cum nuda Aloe alvum ſubducere, ſed potius alia abſtergentia & alvum evacuantia conjungere, quid quod pauca grana Aloes oblata ſecurius operantur, quam ſi major doſis ordinata fuit; in ſubjectis denique alvi abſtructioni-

ctionibus valde & facilie obnoxiis cum ſingulari circumſpectione ad hiberi debet.

§. XLVI. Alterum evacuans Melanagogum, quod ferme ejusdem famæ & dignitatis exiſtit, eſt HELLEBORUS NIGER, qui propterea ab antiquis alter purgantium Rex vocatur: hujus radix & fibræ quidem in ſubſtantia non adhiberi poſſunt, vnde Extr: Helleb. nigr. ad exigua grana ſatisfacit; quemadmodum fibræ ejusdem in moderata quantitate Infuſis medicatis combinari poſſunt; interea etiam præſtat circa ordinationem Helleborinorum remediorum multam circumſpectionem adhibere, quoniam eadem in primis regionibus & præcipue in Vena Portæ ejusdemque confiniis graves periculoſas commotiones excitare poſſunt.

§. XLVII. Ad hanc claſſem Evacuantium porro ſpectat POLYPODIVM, quod in ſubſtantia neque uſitatum neque utile eſt, attamen Infuſis & Decoctis melius combinari poteſt, ita tamen ut cum aliis alvum liberantibus adminiculis conjungatur; neque ſyrupus de Polypodio ſingularem utilitatem habet: Denique etiam ad hunc numerum referenda eſt SENNA, cujus Fol. ſ. ſt. ſive ſelecta ad uſus medicos adhibentur, rectius in Infuſis & Decoctis, quam in ſubſtantia, Extracto aut alia quadam compoſitione: vbi tamen domeſticum & vulgare Sennæ cum prunis decoctæ uſum non excludo.

§. XLVIII. Denique HYDRAGOGA remedia ſequuntur, quæ communiter draſticum minusque ſecurum effectum habent, adeoque cum maxima prudentia & temperantia adhiberi debent: inter hæc vero conſtat CVCVMIS ASININVS, cujus ſuccus *Elaterium* conſtituit, quo veteres frequentius uſi ſunt, quod vero ob vehementem ſuam qualitatem recentioribus rarisſime uſitatum deprehenditur: idem etiam valet de CYCLAMINE, vnde antiquiores Medici hoc non niſi extrinſecus adhibuerunt: imo ejusdem valoris eſt ESVLA, EVPHORBIVM, LAVREOLA *ſive Mezereum* FRANGVLA, GRATIOLA, CATAPVTIA & TVRPETHVM VEGETABILE.

§. XLIX. Ad remedia Hydragoga adhuc referuntur IRIS NOSTRAS, quæ in aptis ſubjectis & ætatibus tam in Succo, quam ſubſtantia humores ſeroſos efficaciter exturbat, ita etiam *Ebulus* in ſubjectis adultis potenter alvum movet, adeoque cum prudentia adhiberi debet: ſic *Gum: Guttæ* non niſi ut ſtimulans remedium aliis evacuantibus interdum adjici poteſt: SOLDANELLA vero ob draſticam ſuam vim rectius omittitur: denique *Gum: Ammoniacum* & *Sagapenum* non niſi in majori quantitate adhibita, alvum movent; interim ad exigua grana præparatorio ſcopo aliis evacuantibus commode combinari poſſunt.

§. L.

§. L. Præter hæc evacuantia remedia, quoad has claſſes diſcreta, dantur adhuc quædam ſpecialiora & magis compoſita, de quibus ſeorſim hoc loco agere placet, quale eſt AVRVM FVLMINANS, quod in infantibus tam inquinamenta bilioſa, quam Lac depravatum potenter exturbat, ſed quod in exilisſima doſi ordinandum eſt; ſiquidem in ſubjectis adultioribus perinde alvum valde movet, cum non conſtituat nudam calcem auri, ſed adhuc cum molleculis corroſivis commixtum ſit, atque adeo potenter operetur, vt infantes valde debilitati videantur.

§. LI. Magni nominis in medicina practica eſt MERCVRIVS DVLCIS, qui etiam ad alvi promotionem interdum commendatur; in hujus uſu minime multum ſcrupuloſi & ſpeculativi eſſe debent artifices; interim cum ſolo illo Mercurio cathartica talis evacuatio promoveri neque debet neque poteſt; interim ille magis præparationi, colliquationi & reſolutioni materiarum mucido-lymphaticarum ſpisſiorum inſervit, adeoque reliquam evacuationem eorundem humorum ſublevat: ex eo rite paratus talis Mercurius ad exigua grana tam junioribus, quam adultioribus ſubjectis exhiberi commode poteſt; modo illa cautela inſuper adhibeatur, ne in majori quantitate, neve nimis frequenter ingeratur: denique non facile ille metus concipiendus eſt, quaſi hic Mercurius in corpore corroſivas qualitates aſſumat, ſiquidem in hoc aſſerto eximius error chymicus occurrit.

§. LII. Ad compoſita remedia alvinam excretionem promoventia pertinet *Extractum Panchymagogum Crollii*, quod moderate alvum ſubducit & magis laxat, quam purgat & quod propterea cum aliis auxiliis præparantibus & reſolventibus combinari poteſt: hoc extractum accedit ad indolem Melanagogorum remediorum: ita etiam in Pharmacia proſtat *Maſſa Pil: de ſuccino Cratonis*, quæ in morbis venereis paulo implicatis & contumacibus efficaciam ſuam exſerit, ſiquidem pasſim adhuc aliæ pilulæ compoſitæ commendantur.

§. LIII. Plane ſelecta & recentioris obſervationis evacuantia remedia ſunt Calx illa alcalina e matrice Nitri reſidua MAGNESIAM ALBAM conſtituens, quæ a curioſis & novitatum ſtudioſis hactenus frequenter adhibita fuit, & quidem in affectibus tum bilioſis, tum ſeroſis primarum regionum, utpote quæ lenisſime alvum laxat: aliud tale Evacuans remedium eſt SAL illud ANGLICANVM EPSOMENES dictum, cujus defectum ſupplet SAL EGRANVM; quemadmodum Salia neutra, paulo largius adhibita & Tartariſata, aut Sal Mirabile laxantem & alvum educentem qualitatem habent.

§. LIV. Cum itaque nunc illa media & inſtrumenta conſtent, quibuscum alvina excretio promoveri poteſt, ita reſtant quædam circumſtantiæ circa adminiſtrationem hujus Therapevtici actus notandæ; quando itaque purgatio inſtituenda eſt, præſtat antea præoccupare, ne alvus adſtricta ſit, haud enim ſecure ſuccedit negotium, ſi ſtricta & clauſa alvus mox cum ſtimulo afficitur, quare præſtat lenientia adminicula præmittere: deinde utile etiam erit ante poſitivam purgationem materiam aliquatenus ad futuram evacuationem præparare, quod commode cum incidentibus, attenuantibus, reſolventibus & digerentibus adminiculis adminiſtratur.

§. LV. Poſitiva Catharſis commode circa decrementum Lunæ ordinatur, ſiquidem tali tempore Natura humana facilius humores vel inutiles vel ſuperfluos dimittit, adeoque artificialis talis evacuatio magis tranquille & benigne ſuccedit: deinde remedium purgans commode matutinis horis offertur, ſiquidem effectus purgationis requirit homines vigiles & ab alia primarum regionum oppletione cum alimentis facta liberos: ſomnus enim impedit debitum ſucceſſum catharſeos: promovent etiam citiorem operationem purgantium remediorum juſcula calida, non valde pingvia, aut decocta ſuperbibita & moderata corporis commotio: abſtinendum eſt ab ingeſtione ciborum & potulentorum frigidorum, quid quod a malo regimine, præcipue vero a refrigeratione ſenſibili corporis: exinde enim Catharſis facile turbatur & ſupprimitur, vel dolorifica tormina complicantur & invitantur.

§. LVI. Cum remediis purgantibus etiam commode & utiliter conjunguntur remedia partim præparantia, videlicet reſolventia, partim etiam carminativa moderatiora, ne tormina conjungantur; quod vero præparantia attinet, tunc ſubjectis ſeroſis ordinanda ſunt remedia reſolventia efficaciora; calidis vero temperatiora & Melancholicis remedia ſic dicta antiſcorbutica. Neque confert, ſi oblatum purgans remedium effectum ſuum non præſtitit, mox altero die denuo potentius catharcticum medicamentum exhibere, quin potius præſtat per aliquot dies acquieſcere; interea vero ordinanda eſt bona diæta & moderatum regimen, ut & cum auxiliis lenientibus proſpiciendum erit, ne alvus occludatur.

§. LVII. Haud ſecurum eſt Gravidas & Puerperas poſitivis purgationibus offendere; quando vero circumſtantiæ ſvadent, quo Gravidis alvus admoneatur, tunc iisdem ordinari poſſunt correcta & parca Alöetica Rhabarbarina & Paſſulata remedia, abſtinendo ab omni ſtimulantium uſu: proinde etiam lenientia, abſtergentia & diluentia ipſis conducunt: Puerperæ vero non niſi circa exitum Puerperii ſui temperata evacuatione alvina

indigent, quo collectæ impuritates legitime educantur, alias varii affectus & inter illos etiam ſuſpecta purpura invaleſcunt; convenit vero hiſce puerperis vina medicata laxantia, reſolventia & roborantia præſcribere.

§. LVIII. Neque conſultum & ſalubre eſt ſæpius poſitiva purgantia quibusdam ſubjectis ordinare, quæ non modo vias immodeſte afficiunt & debilitant, ſed & humores diluentes & fluidos copioſos evacuant: moderatæ vero Laxationes aliquoties repeti poſſunt: quoad ſubjecta vero Infantes, Senes & Fœminæ cum maxima circumſpectione tractari debent, quibus potius moderatæ & repetitæ laxationes, quam ſimultaneæ & poſitivæ purgationes conveniunt.

§. LIX. Inter illas formulas & auxilia; quæ alvum promovent & evacuant in Therapia medica multam commendationem merentur & in praxi medica multam utilitatem afferunt *Clyſteres*, quorum applicationem quidem varia ſubjecta ob incongruam & præjudicioſam verecundiam averſantur: præprimis vero illi ſequiori ſexui conducunt & in affectibus Colicis, flatulentis, hyſtericis & ubi cito alvus liberanda aut cum laxante & purgante non excitanda eſt, multam operam conferunt, ſiquidem in affectibus acutis æque ac Chronicis, ut & in virili ſexu non raro proſunt.

§. LX. Præcipue vero hi Clyſteres quotidiana utilitate ſeſe commendant in infantum morbis, ubi ſæpe atrociſſima & periculoſiſſima ſymptomata præoccupant, ſed ſubinde etiam ad flatuum & pravorum humorum bilioſorum & corruptorum lacteorum eductionem, nec non ad inteſtinorum lenitionem conferunt, ſed eo ſecurius huc quadrant, quo minus infantes poſitivis purgantibus offendendi ſunt; quotiescunque etiam accelerata alvina apertio neceſſaria eſt, ibi Clyſterum uſus eximie ſeſe comprobat atque commendat.

§. LXI. Et dum alii Clyſteres ſunt ſimplices, adeoque tantum lenientes & emollientes, alii vero ſtimulantes, ita de prioribus maxime hoc loco ſermo eſt, cum poſteriores non niſi in affectibus contumacibus, aut extremi periculi, ut apoplecticis aut ſuffocativis conveniant: unde priores e ſpeciebus lenientibus & elubricantibus conſtant, quibus commode olea emollientia adjiciuntur; ſi vero exiguum ſtimulum exercere debent, tantillum ſalis commiſceatur, quo etiam ſapo confert: & quando majorem ſtimulum inducere debent, tunc in Pharmacia variæ ſpecies proſtant ſtimulantes, gradu tamen differentes: nutrientium vero Clyſterum uſus non ita eximius neque ita ſolennis eſt.

§. LXII. Inter illa adminicula, quæ ſecure & caute alvinam excretionem promovent & tam in infantibus, quam Gravidis & acute febricitantibus adhiberi poſſunt, referri debent Globuli Moſchati, qui in inteſtinum rectum immiſſi defectum motus excretorii reparant & ad placidam depoſitionem alvum invitant ac præparant; deinde in Gravidis, quibus frequentius alvus ſicca & ſegnis eſt, pro excretione alvina liberanda, conducit comeſtio pomorum Borſtorffianorum recentium, quæ perinde admodum tranquille alvum promovent.

§. LXIII. Denique evacuatio alvina promoveri poteſt per *Suppoſitoria* qualia quædam in Infantibus, alia etiam in adultis ordinantur: ſecuriora horum ſunt ſimpliciora & lenientia, quæ ex melle inſpiſſato aut ſebo parantur; ſtimulantia vero minime infantibus aut fœminis, neque etiam ſecure hæmorrhoidariis commendanda ſunt; multo minus ex alumine parata unquam proſunt, quia noxias alvi obſtructiones cauſantur & ſuſpectos teneſmos producunt: interim ſtimulantia non niſi in ſimilibus reſervatis caſibus adhibentur, in quibus Clyſteres ſtimulantes locum inveniunt: & quanquam non æque neceſſe ſit, quo artifex demum ſuppoſitoria præſcribat, cum talia jam in Pharmaciis tam ſimpliciora, quam ſtimulantia tam pro adultis, quam pro infantibus proſtent, ita non niſi quoad certum numerum ex officina præſcribuntur.

§. LXIV. Sicut hactenus variæ ſpecies variæque formulæ ad excitandam evacuationem alvinam commendatæ fuere, ita ante omnia ex officio prudentis artificis fluit, ne alvum ad impetuoſam, ſimultaneam & exceſſivam dejectionem urgeat, ſed melius hoc negotium cum moderamine exequatur: interim ſi contigerit, ut hypercatharſis unquam oriatur, tunc tempeſtive artifex ſuccurrere debet, quo hunc exceſſum temperet, leniat, aut moderata roboratione partium mitiget, vel, ſi neceſſe fuerit, temperanter ſopiat, aut modeſte coerceat; poſtea vero bonam diætam, maxime vero diluentem ordinet & roborantia remedia ſubjungat, quid quod proſpiciat, ne alvus inpoſterum contumacius occludatur, ſicuti antea immoderatius aperta fuit: & hæc hypercatharſeos moderatio per illa auxilia eſt præſtanda, quæ ad hyperemeſeos mitigationem ſpectant.

CAP. III.

CAPUT III.

DE DIAPHORESI.

§. I.

AD illas Evacuationes, quæ eximiam utilitatem in ſpontanea æque ac artificioſa Therapia conferunt, quaſi primario loco commendanda eſt *Diaphoreſis*, utpote quæ in legitimo ſtatu procedens, haud particularem, ſed univerſalem & e tota corporis peripheria ſuccedentem excretionem perniciosarum ſubſtantiarum exhibet, adeoque tantas utilitates poſt ſe trahit, modo etiam moderate progrediatur.

§. II. Tanto magis vero hæc Evacuatio commendatione digna eſt, quia ductui & ordini naturæ magis conformis exiſtit, ſiquidem in ordinario vitalitatis ſtatu eadem ſuccedit, dum vel ſub mitiori gradu conſvetam inſenſibilem tranſpirationem efficit, ſub intenſiori vero actualem ſudorem ſiſtit; unde etiam illi homines, qui facilius utrumque gradum hujus excretionis experiuntur, non modo tolerabilius & conſtantius vegeta ſanitate gaudent, ſed & eo facilius in morbis ſupervenientibus liberantur.

§. III. Et talis quidem univerſalis excretio in ordinario vitalitatis ſtatu diverſimode occurrit, dum in genere quidem prædicta inſenſibilis tranſpiratio ordinarie progreditur, deinde ſub conſvetis laboribus & exercitiis corporis, ſub æſtuoſiori & ſereniori cœlo, in hypocauſtis calefactis, ſub lecto, poſt alimenta & potulenta calida ingeſta & ſub intenſiori reſpiratione decurrit; extra ordinem vero & ſua quidem ſponte, præcipue in febribus eadem excretio obſervatur, licet in aliis caſibus & inter illos ſub diverſis ſiniſtris & anguſtis motuum vitalium ſucceſſibus iidem ſudores, quos anxios vulgo vocant, conſpiciantur.

§. IV. Et quemadmodum vulgo naturæ uſitatum eſt, quo ex univerſo corpore ſubtiles tales impuritates ejiciat, ita in diverſis ſubjectis individualibus particularis illa intenſior adminiſtratio ejusdem evacuationis in diverſis corporis regionibus & partibus obſervatur: quo ſpectant majores & frequentiores pedum atque manuum, aut qui ſub axillis & in inguinibus contingunt ſudores, quorum ſuppreſſiones natura humana ægerrime per-

ſert, id quod ſontici illi morbidi affectus conteſtantur, qui easdem excipiunt.

§. V. Imprimis ſeſe utilitas hujus excretionis commendat ex ipſa conſtanti euphoria, quæ ordinariam tranſpirationem inſenſibilem comitatur, ſicut vicisſim ex impedita tranſpiratione diverſa incommoda oriuntur, quæ tam univerſum corpus, quam varias illius regiones & partes affligunt: inde etiam eſt, cur Diaphoreſis vel ſpontanea vel artificialis ſubito oppreſſa varia damna poſt ſe trahat, ſiquidem in tam univerſali excretione ſimul & ſemel turbata natura, non niſi graviter exinde alteratur.

Conf. Stahlii Diſp. de impedita Tranſſpiratione.

§. VI. Diſcrepat facilior ſucceſſus tam quoad ordinariam transpirationem inſenſibilem, quam quoad actualem Diaphoreſin in ſubjectis & quidem ratione Temperamenti, cum humidioris & laxioris habitus corporis homines facilius & copioſius hanc excretionem experiantur & viceverſa: deinde ratione conſuetudinis; cum quibusdam ſubjectis familiare ſit, largius ſudorem experiri, prout videlicet cauſis illis ſudorem elicientibus minus adſveta ſunt: denique ratione abundantiæ humorum & præcipue Plethoræ; hinc homines Plethorici communiter facile & diffuſe in ſudorem incidunt.

§. VII. Tanto magis vero hæc excretio utilis & ſalutaris deprehenditur, quo magis per illam ſubtiles maximeque pernicioſæ ſubſtantiæ e corpore eliminantur, utpote quæ eo magis efficaces ſunt, quo repentinam putridam corruptelam mixtioni animali inſerant; ejusmodi ſubſtantiæ vero ſunt ſatis tenues, videlicet ſubtiles terreſtres, ſalinæ, ſulphureæ, oleoſæ, bilioſæ, ſeroſæ, acres, olidæ, ex parte volatiles orgaſticæ, quin interdum extreme fermentativæ, propterea que contagioſæ, quales ſubſtantiæ & ſapore & odore ſeſe produnt & in ſubjectis floridioris ſangvinis eo magis de ſulphurea indole participant.

§. VIII. In ſudore ſtricte ſic dicto ſingulæ hæ ſubtiles materiæ recipiuntur in vehiculum aquoſum & in aquoſa conſiſtentia educuntur, quanquam non æque ſemper aut ſæpe neceſſe ſit, morbos curare aut ſanitatem præſervare cum aquoſis ſudationibus, quæ nimis prodigæ, copioſæ & utplurimum impetuoſæ exiſtunt: propterea que in multis affectibus magis nocent, quam proficiunt & magis debilitant, quam levant, unde legitimo ordini naturæ magis conforme eſt, quo moderata talis transpiratio & magis conſtans evaporatio ſuccedat, mediante qua prædictæ materiæ longe tolerabilius excernuntur, neque ſub actu excretorio demum exaltantur & in phyſica ſua pernicioſa efficacia exacerbantur aut deteriorantur.

§. IX.

§. IX. In ſimpliciori magisque ordinario ſtatu ſudoris natura humana per hanc ſpeciem excretionis duplici ſubjecto & duplici effectu ſubvenit: quod enim ſubjecta attinet, tunc per ſudorem partim fluidæ, partim ſolidæ partes repurgantur & a prædictis ſubtilibus pernicioſis materiis liberantu; quod effectum attinet, tunc ſudor partim quantitati, partim qualitati ſangvinis opem adfert; ſiquidem in ordinario vitalitatis ſtatu conſtanter aliqua ſangvinis quantitas in ſerum convertitur, adeoque per diureſin & diaphoreſin eliminatur, ut propterea ſudor moderatus medicina pro abundante ſangvine exiſtat, quam ſimplicem & ordinariam naturæ methodum congruis temporibus & occaſionibus artifex imitari poteſt & debet: ſubinde vero ipſa craſis & qualitas humorum per hanc evacuationem eximie corrigitur & mundificatur.

§. X. Interim ſudor minime confundendus eſt cum morbo, ſiquidem ex eſſentia ſua ſudor medicina morbi eſſe debet, quid quod juſta interpretatione indiget Hippocratis judicium de ſudore, quando aſſerit quod ibi morbus ſit, ubi ſudor eſt, ſiquidem partim morbus non ſtatim ipſo actu adeſt, proptereaque cauſa morbi, nimirum materia peccans, excernitur, partim etiam ſermo eſt de inſolito ſudore, qui nulla eminenti cauſa excitatus eſt, ſed ſponte ſua profluit, adeoque aliquem morbum ſignificat, hinc omnis ſudor legitime decurrens aliquid nocivæ materiæ expellit.

§. XI. Maxime vero convenit & œconomiæ vitali tam in ordinario, quam in extraordinario ſtatu proficit, quo ſudores moderate temperanter & placide decurrant, ſiquidem tam calida medicamina, quam regimina talia non niſi ſuſpectas & impetuoſas humorum commotiones, vehementes & prodigas excretiones, ut & virium majores enervationes inferunt; quare ſi artifex & viribus naturæ & ordini motuum vitalium ſuccurrere intendit, ubique temperatiorem methodum præ impetuoſiori ſeligere debet.

§. XII. Quo loco merito reprehendendus eſt ille vulgaris & in praxi medica triviali frequenter obvius abuſus diaphoreſeos, qui committitur in gradu, in tempore & in ordinatione; quando videlicet plurimi cum impetuoſis & aquoſis ſudationibus morbos extirpare ſuſcipiunt, aut quando ſine habito reſpectu ad morborum cauſas atque indolem quocunque indiſcreto tempore tales immodicos impulſus excitant; imo quando promiſcue in initiis morborum per oblata diaphoretica vehementes tales ſudores urgent, & quamlibet cauſam morbificam cum ſpeciali hoc actu excretorio aggrediuntur.

§. XIII. Principalius vero Diaphoreſis qualitati depravatæ humorum ſuccurrit, quando hisce materiæ magis & minus ſubtiles, ſulphureæ, ſali-

ſalinæ & ſubtiles terreſtres immixtæ ſunt, quæ proinde diverſo modo eliminantur: e qua obſervatione mox liquet demonſtratio illa, quod ſudores magis conveniant, vbi dyscraſia in corpore adeſt, neque ita facile conſultum eſt ſub ſudationibus demum materiam excrementitiam præparare, unde male cedunt ſudores in febribus, qui ſub vigore æſtus immoderate urgentur; neque confert per ſudores ſangvinem demum in ſerum convertere & plethoram indirecte curare, ſed ſi antea ſub aliis magisque conſvetis commotionibus aliqua ſangvinis quantitas immutata fuit, tunc cum ſalubritate ſubordinatur Diaphoreſis; quid quod denique ſi ſub intenſioribus ſpasmis aut febrilibus commotionibus ſangvis in ſerum convertitur, tunc perinde congruo tempore illud ſerum, copioſius genitum, etiam cum diaphoreſi eliminandum eſt.

§. XIV. Sunt vero diaphoreſes in Therapia medica juſte diſcernendæ, ſiquidem materiæ excernendæ ad minimum ſubtilitate ſua diſcretæ ſunt; unde minime conſultum eſt in malignis & benignis febribus æquali gradu, motu & valore ſudores provocare; ſiquidem in malignis affectibus materia peccans nimis ſubtilis, tenuis et halituoſa eſt, quæ, ſicut ſubtili modo corpori inſinuatur, ita etiam ſubtili & moderata ratione, magis ſub forma halitus, quam aquoſæ humiditatis educenda eſt: deinde quo magis materia peccans in febribus & quantitate collecta & qualitate præparata eſt, eo liberior eſſe poteſt evacuatio; quare ipſa natura per ſpontaneam ſuam medicationem longe diffuſiores ſudores in Lentis, quam in aliis febribus efficit atque inducit.

§. XV. Præterea ſingulari dexteritate & prudentia opus eſt circa ordinationem & directionem ſudorum in morbis chronicis, in quibus vel labes viſceris vel contumax cacoſis humorum adeſt; ubi non niſi temeritati adſcribendum eſſet, ſi quisquam inconſiderate & fugitive talem dyſcraſiam per diaphoretica curare intenderet; & licet in ejusmodi morbis non penitus congruæ diaphoreſes prohibeantur, tamen invigilandum eſt, ne eædem illis temporibus ſuſcipiantur, quando materiæ excrementitiæ aliis humoribus adhuc firmius innexæ ſunt: quapropter in Chronicis morbis præcedere debet ſufficiens præparatio i. e. abſterſio, reſolutio, liberatio & attenuatio materiæ peccantis, ita poſtea eo melius, facilius & ſincerius diaphoreſis ſuccedet.

§. XVI. Eſt vero Sudor medicina febribus apprime conformis & idonea, in quibus propter intenſiorem motum non modo ſangvis quantitate aliqua in ſerum convertitur, ſed & communiter aliud eminens craſeos vitium concurrit, unde veteres medici requiſita & qualitates boni Sudoris in febri-

bus

bus magno ſtudio annotarunt & inter alias circumſtantias indicarunt, quo tempore, quo ordine, quo moderamine, qua menſura, quo loco, qua conſtantia &c. ſalutares ſudores decurrere debeant: e quibus requiſitis boni ſudoris ad alios ſtatus, aliqualis applicatio formari poteſt, ſiquidem in illo ſenſibili atque principali febrium negotio eo magis accurate & exquiſite ſudores tractantur.

§. XVII. Et ſicut in præcedentibus indicatum fuit, quod optimi illi ſint ſudores, qui tranquille & temperanter decurrunt, ita hoc loco ulterius notandum eſt, quod peſſimi ſint illi ſudores, qui coacti ſunt & quando vel præmature concitantur & impelluntur, vel nimis vehementer urgentur & continuantur, e quibus ſudationibus non modo nulla utilitas promitti poteſt, ſed potius eximium damnum prædici debet, imprimis vero in Febrium negotio: & tales coacti ſudores, qui nihil levant & ſub multa difficultate excurrunt, partim vires admodum imminuunt & proſternunt, partim præſentem morbi indolem & ſpeciem graviter confundunt aut exacerbant.

§. XVIII. Tanto magis vero in ſudorum promotione provide obſervandum eſt, an materia excernenda libera ſit & ab alio nexu atque vinculo repurgata, quemadmodum hæc excretio præcipue infert præviam ſufficientem ſeceſſionem materiæ peccantis e mixtione humorum, vel ſi nimis tenuis fuerit, neceſſariam præparationem & involutionem, quam veteres in febrium negotio coctionem vocant, quo proxima evacuatio facilius ſuccedat; exinde fluit illa practica regula, ne Sudor nimis repente & fugitive urgeatur, ſed quo antea vel ſalutaris materiæ diſpoſitio expectetur, vel promoveatur.

§. XIX. Quemadmodum etiam materia peccans, quæ per ſudorem eliminanda eſt, in univerſo corpore fluctuat & plenariæ maſſæ humorum interagitata reperitur, ita principale porro boni & ſalutaris ſudoris requiſitum eſt, quo ex univerſo corpore procedat, ſiquidem inconſveti & particulares ſudores veteribus medicis & experientia teſtante nimium quantum ſuſpecti ſunt; imprimis ſi ſimul reliqua univerſalis Sudatio deficit; proinde cum per ſudorem talis inutilis materia libere & facile emittenda ſit, ita maxime ordini ſudationum præjudicat, ſi ſub perturbato tono in ſuperficie corporis, loco tepidi aut legitimi calidi ſudoris, frigidus ſudor occurrit.

§. XX. Non incognitus eſt Medicis famoſus ille ſudor colliquativus, cujus eventus vtplurimum funeſtus eſſe deprehenditur, ſed qui etiam rarius in medicina practica obtingit, ſiquidem in defectu vitalium actionum obtingit & ſub amisſione toni e ſuperficie corporis pasſive effluit; qualis ſudor vero cum aliis largis ſudationibus ſpontaneis, ſive annuis, ſive in lenta febre orientibus, confundendus non eſt; ex quo vero in tantum eluceſcit differentia ſudo-

ris, qui ad conſervationem & qui ad deſtructionem vitæ & ſanitatis contribuit

§. XXI. Sunt itaque requiſita boni Sudoris ſequentia: 1) quando Sudor ex univerſo corpore prodit: 2) quando ſub tolerabili virium præſentia ſuccedit: 3) quando non inſigniter debilitat: 4) quando ſine multis anguſtiis decurrit: 5) quando tempeſtive remittit: 6.) quando non præmature turbatur & ſuppreſſus eſt 7) quando non cum immoderatis regiminibus provocatus eſt: 8) quando illum requies animi aut ſomnus placidus excipit: 9) quando etiam ſpontaneus eſt: 10) vel plane & legitime criticus: 11) quando ſub integra reſpiratione progreditur & denique 14) quando alvus non eſt clauſa.

§. XXII. Subinde attentionem meretur obſervatio & differentia illa, qua ſeſe excretio hæc ſuperficialis vulgo in vita humana & arte medica exſerit: etenim in ordinario ſanitatis ſtatu primus & mitisſimus gradus hujus evacuationis per *Tranſpirationem Inſenſibilem* ſuccedit: alter & medius gradus contingit per placidam *Ephidroſin* ſive *Diapnoen*, quæ conſiſtit in aucta tranſpiratione cum tranquillo madore ſuccedente, uti dicunt: Duſſten, ein duſſtender Schweiß: Tertius & ſummus gradus conſtituit poſitivam *Diaphoreſin* ſive aquoſam exſudationem, licet quoad hunc ſummum gradum artifices adhuc differentiam inter hydrotica & diaphoretica remedia forment.

§. XXIII. Quo vero ſudor poſitivus, aut etiam liberalis diapnoes contingat, tunc requiritur partim auctior motus ſanguinis progresſivus, partim copioſior ſanguinis impulſus in peripheriam corporis, partim denique moderata remisſio & relaxatio cutis, qua ultima deficiente priores commotiones nullo modo ad ſudorem efficiendum ſatisfaciunt, teſtimonio valde acutarum febrium, in quibus motus & impulſus ſanguinis interdum admodum auctus eſt, ubi tamen ob ſtricturam ſuperficialem ſalutaris & neceſſarius ſudor deficit: neque etiam calor externus ſudoris cauſa efficiens eſt, licet medium exiſtat quo ſuperficies corporis relaxetur; unde etiam non niſi erroneum phyſicorum ſpeculatorum aſſertum eſt, quod ſudor contingat, quando aer ambiens elaſticus abigitur, ut aer in ſangvine cum fluido, nerveo ad exteriora corporis premat, adeoque una ſudorem exprimat.

§. XXIV. Sicut ſpontanei Sudores præ reliquis optimæ notæ ſunt, ita vicisſim illæ ſudationes maximæ ſuſpectæ & imperfectæ, aut potius ſiniſtræ efficaciæ ſunt, quæ per narcotica remedia provocantur, quibus perperam talis virtus diaphoretica adſcribitur, qua ſanitatis commodum promovere posſint: ſiquidem non modo tales ſudores irregulariter & cum anguſtiis atque ominoſis oppletionibus procedunt, ſed & graves maximeque ſuſpectas enervationes poſt ſe relinquunt, ut nihil de reliqua morborum corruptione inferam.

§. XXV.

§. XXV. Provocatur vero Diaphoreſis ſub variis circumſtantiis & adminiculis, mitisſima maximeque ſecura ſudoris promotio contingit ſub placida & continenti quiete in lecto, vbi non æque anxium regimen & ſpiſſa obtectio requiritur: deinde adjuvatur ſudor per corporis commotiones & labores, utpote quæ diaphoreſis ſubjectis plethoricis imprimis conducit; porro promovetur ſudor per moderatum uſum decoctorum & juſculorum calidorum, deinde per externum calorem ſive in hypocauſto caleſacto, ſive in ſtupha aut ciſta, ſive ſub aura ſerena; denique etiam ſudorem eliciunt artificialia regimina & medicamina ſic dicta diaphoretica.

§. XXVI. Minus apte minusque commode difficilius procedentes ſudationes promoventur aut provocantur & coguntur juxta quorundam perſvaſionem, per illinitionem ſuperficiei corporis cum ungventis aut oleis, quippe quæ magis poros occludunt, quam permeabiles reddunt; paulo certius & efficacius Sudorem talem promovent moderatæ frictiones & imprimis e collo & pectore facilitat tranſpirationem geſtatio Camphoræ de collo, quæ agilisſimis & ſubtilisſimis effluviis non modo poros cutis reſerat & aperit, ſed & ſerum ſub cute fluctuans attenuat & reſolvit, eoque ipſo ad faciliorem excretionem præparat.

§. XXVII. Quando vero per artem Sudor promovetur, tunc id ipſum diverſo effectu contingit, ſiquidem alia remedia diaphoretica operantur per humorum reſolutionem & colliquationem aut ſimul per conjunctam eorundem commotionem atque efficaciorem impulſionem, quæ propterea dicuntur poſitive ſudorem movere, adeoque cum conjuncta incaleſcentia operantur & ſubinde communiter calidiora, acriora & potentiora exiſtunt; alia vero medicamenta privativo effectu Sudorem poſt ſe trahunt, dum ſub moderata præcipitatione & inſpiſſatione ſangvinis ſubtilioris efficiunt, quo ſerum ſubtilius paulo facilius ſeorſim ſecedat, ut poſthac liberius expelli queat: quod vero illa remedia attinet, quæ per Sympathiam Sudores eliciunt, tunc eadem in praxi rationali & experta atque ſincera non admodum fide digna exiſtunt.

§. XXVIII. Et quo Sudor per artem cum majori ſecuritate & ſinceritate provocari posſit, ita præſtat etiam hoc ordine principaliores Contraindicationes atque cautelas, deinde vero Indicationes allegare & commendare: diſſvadent vero & contraindicant artificioſum & quidem poſitivum atque aquoſum & diffuſum ſudorem 1) nimia plethora 2) nimia ſangvinis ſpisſitudo 3) perfecta pectoris vitia 4) inſolentiores capitis affectus 5) prægreſſa magna iracundia 6) cruditates primarum regionum 7) alvi ſuſpecta obſtructio 8) affectus ſpasmodici in ſua exacerbatione 9) inſignis debilitas & viri-

um langvor 10) conſumata hectica 11) infantia, ingravidatio & puerperium 12) initia affectuum cachecticorum & cacochymicorum 13) præſentia ingeſti veneni in Ventriculo 14) nimiæ oppletiones ventriculi 15) prægreſſæ ſenſibiles refrigerationes 16) affectus valde maligni, 17) habitus corporis valde ſtrictus 18) contumax dyſcraſia ſangvinis 19) diſpoſitio ad ſtupendas Hæmorhagias & 20) affectus ſenſibiles hæreditarii.

§. XXIX. Quando modo Contraindicationes recenſui, ita præprimis ſermo mihi eſt de poſitiva diaphoreſi ſive ſudatione in ſummo gradu conſtituta, & licet diapnoes ſive moderata diaphoreſis in nullo ſtatu & affectu prohibeatur, ita ſummum illum diaphoreſeos gradum indicat: 1) ſpontanea & legitima naturæ inclinatio & conſenſio ad talem evacuationis ſpeciem 2) corporis ſufficiens permeabilitas 3) ſufficiens præſentia non modo materiæ ſalino-ſulphureæ, quæ talem excretionem admittit, ſed & reliquæ humidæ aquoſæ ſubſtantiæ: 4) ut & debita utriusque materiæ diſpoſitio atque mobilitas, ne videlicet nimis tenuis neve nimis craſſa ſit: 5) virium ſufficiens præſentia 6) morbi indoles, quæ talem evacuationem tolerat: 7) interdum etiam ſebrilium paroxyſmorum remisſio poſitivam talem diaphoreſin admittit: 8) huc etiam ſpectat ætas congrua & non nimis ſenſibilis: 9) accedit plethora non niſi valde moderata neque præjudicioſa: 10) quidquod conſvetudo individualis interdum hanc evacuationem permittit atque indicat.

§. XXX. Ordo nunc requirit, quo de inſtrumentis illis tractem, quibuscum Diapnoes & diaphoreſes provocari poſſunt: ex hiſce remediis alia indicato modo poſitive Sudorem commovent & eliciunt, quæ de principio ſubtili, terreo, ſulphureo, acri, reſinoſo, ſpirituoſo participant: alia vero privative Sudores inducunt & non ſunt alterius, quam terreæ aut calcareæ & acidulatæ indolis; talium remediorum, tam poſitive, quam privative diaphoreticorum, multiplicia in quocunque regno occurrunt, e quibus aliqua in genere commendare lubet.

§. XXXI. Ita poſitive diaphoreſin excitant e vegetabili regno Radices Angelicæ, Ari, Anthoræ, Bardanæ, Carlinæ, Caryophyllata, Contrajervæ, Chinæ, Dictamni albi, Enulæ, Gentianæ rubræ, & albæ, Galangæ, Imperatoriæ, Leviſtici, Olsnitii, Pimpinellæ albæ, Petaſitidis, Sarſaparillæ, Scorzoneræ, Valerianæ, Vincetoxici, Zedoariæ: Herbæ tum harum radicum, tum etiam Scordii, Carduibenedicti, Fumariæ, Galegæ, Chærefolii, Capilli veneris, Rutæ, Salviæ, Scabioſæ, Verbenæ, Centaurii minoris, Cochleariæ, Serpilli, Chamædryos, ut & antiſcorbuticæ, Beccabungæ, Centaurii minoris, Cochleariæ, Fumariæ, Naſturtii, Piperitidis, Sedi murarii, Trifolii fibrini, Epithymi, Cæterach; Flores Sambu-

ci,

ci, Aquilegiæ, Calendulæ, Salviæ, Anthos, Centaurii min: Scabioſæ, Galegæ, Ulmariæ; Semina Angelicæ, Aniſi, Fœniculi, Citri, Aurantiorum, Rutæ: Baccæ Iuniperi & Sambuci, Nuclei Ceraſorum nigrorum, Lignum Saſſafras, Guajacum, Iuniperinum & Cortex Chaccarillæ; e quibus ſingulis variæ compoſitiones, huic effectui accommodatæ, proſtant & produci poſſunt.

§. XXXII. Et quemadmodum hæ ſpecies, quoad efficaciam ſuam, differunt & aliquæ potentiores, aliæ temperatiores exiſtunt, proptereaque cum judicio & moderamine ordinandæ ſunt, ita harum ſpecierum peculiaris diſcretio bene obſervanda & notanda eſt, dum quædam in Scorbuticis, aliæ in ſcabioſis, ulceroſis & venereis affectibus, & denique quædam in catarrhalibus morbis ordinari & præ reliquis commendari poſſunt; ſiquidem experientia, teſte illæ ſpecies diverſam ſuam operationem abunde comprobant; cavendum vero etiam eſt, ne calidiores ſpecies in malignis affectibus ordinentur; quemadmodum imprimis Fumaria in exanthematicis febrilibus infantum morbis non conducit, quæ tamen in aliis ulceroſis inquinationibus, ſine febre affligentibus, proficua deprehenditur.

§. XXXIII. Ejusmodi ſpecies longe commodius in liquida, quam alia ſpiſſa & ſicca formula ordinantur, ſiquidem præprimis Eſſentiæ & Tincturæ aut Mixturæ, decocta & infuſa ad hunc ſcopum quadrant, non neglectis illis vulgatis aquis, quæ vulgo diapnoicæ vocantur, & ſunt: Card: benedicti Scordii, Scabioſæ, Plantaginis, Galegæ, Ulmariæ, Florum Sambuci, Tiliæ, Ceraſorum nigrorum; quo loco etiam aqua Fumariæ alleganda eſt, quæ tamen ob calefacientem ſuam qualitatem cum moderamine uſurpanda: minus certo uſum & effectum diaphoreticum exſerunt ſalia vegetabilia; proinde etiam cum ſpiritibus vegetabilibus circumſpecte procedere convenit, qui in affectibus febrilibus & acutis, aut ſenſibilibus & mobilibus ſangvineis morbis non facile ordinandi ſunt, multo minus olea ex ejusmodi vegetabilibus deſtillata ad ſcopum diaphoreticum admitto: denique aceta Bezoardica tantum non efficiunt, quantum de iisdem promittitur, licet in malignis affectibus ſub Mixturis & Iulapiis cum moderamine in ſubjectis floridioribus adhiberi posſint.

§. XXXIV. E diaphoreticorum numero ſpecies quædam occurrunt, quæ ſingularibus affectibus & circumſtantiis ſatisfaciunt, ſiquidem in retropulſa Scabie, in represſis ulceribus & præmature ſuppresſis fluxibus catharrhalibus & ſeminis virulentis manationibus effectu repurgatorio, ſubinde etiam ab intra extrorſum impulſorio & ſimul diaphoretico radix Valerianæ, Pimpinellæ albæ, Herba Fumariæ, Succinum & Sulphur conveniunt, quod

 poſte-

poſterius cum aliquo moderamine adhibendum eſt, neque tamen ad alios affectus extendi debet.

§. XXXV. Circumferuntur porro Papaveracea remedia, quibus virtus diaphoretica adſcribitur, ſicut paſſim inter Medicos hæc efficacia diaphoretica cum multis laudibus Opio imputatur; unde Theriacales compoſitiones vulgo etiam ad ſcopos diaphoreticos ordinantur; ſed cum in ſuperioribus dictum ſit, quod Opiatorum vis diaphoretica minime ſecura ſit, ita ab eorundem commendatione hoc ordine, ubi remedia diaphoretica recenſentur, abſtineo.

§. XXXVI. Ad vegetabilium producta pertinet etiam Camphora & Myrrha, quibus ſubjectis paſſim mirifica virtus diaphoretica aſſignatur, ſed cum utraque valde calidæ indolis ſint & humores ſubtiliter penetrent atque impellant, ita cum maximo moderamine & prudenti uſu ordinari debent; ad minimum in valde refracta quantitate illas ſpecies exhibere decet; neque facile in acutis & febrilibus morbis admittendæ ſunt, quoniam ſiniſtri effectus ab iisdem potius metuendi erunt: & licet juxta communem perſuaſionem interdum Camphoræ talia remedia commiſceantur, quæ illius calefacientem vim temperare debent, tamen nihilominus ejusmodi miſcelæ calidorum & frigidorum ſubjectorum ſperatum effectum haud exhibent, quoniam talis inventio magis ſpeculationi, quam obſervationi ſatisfacit: quidquod ut plurimum experientia teſtatur quomodo camphora ſecundum communem modum in malignis & exanthematicis febribus adhibita, non modo impetuoſiores humorum & exanthematum impulſus, ſed & majores anguſtias cauſetur, quarum circumſtantiarum uberrima mihi conſtat obſervatio.

§. XXXVII. Præter hæc poſitiva diaphoretica vegetabilia occurrunt etiam alia ex Animalibus in praxi medica uſitata, inter quæ eminet Bezoar Lapis, qui vel in ſubſtantia vel in Infuſo vinoſo ſatis potenter ſudorem movet, proinde paſſim commendantur Serpentes & Viperæ, quorum animalium Caro & Oſſicula variis compoſitionibus commiſcentur; ſiquidem ipſa Theriaca a famoſo quodam ſerpente appellationem ſuam habet; porro etiam Buſonibus in peſtilentialibus morbis virtus diaphoretica adſcribitur, quæ vero non admodum probata eſt; ita de Lumbricis terreſtribus Sal volatile & Spiritus, ex Formicis Spiritus, e Cornu Cervi, Sal volatile & Spiritus, e Cranio, Sangvine & ſecundinis humanis Sal volatile paratum, ut & Urinæ ſpiritus quaquaverſum ad diaphoreticos uſus in variis caſibus commendantur; quæ ſingula ſubjecta vero etiam cum ſelectu & moderatione admittenda ſunt, quia ad impetuoſiores humorum & viarum commotiones provocandas quadrant.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII. Sequuntur denique diaphoretica remedia poſitivo effectu activa, quæ ad Minerale Regnum ſpectant, e quibus maxime cognitum eſt Antimonium, quod ita crudum, non niſi in reſervatis caſibus, ſubjectis & rationibus admitti poteſt: Antimonium vero diaphoreticum pervulgatum conſtituit remedium, cui quidam nimias virtutes, alii vero nullas adſcribunt & licet illius qualitas non adeo admiranda & eximie celebris ſit, multo minus ad hecticam percurandam quadret, tamen etiam non ut fatua calx denigrari debet; habet propterea temperatam diaphoreticam utilitatem tam in adultis, quam in junioribus ſubjectis, quemadmodum Ceruſſa Antimonii & Materia illa Perlata perinde ſubtilem diaphoreticam qualitatem continet.

§. XXXIX. Quando Antimonium diaphoreticum tantum cum duabus Nitri partibus præparatum fuit, tunc ob largiorem ſulphurei principii cohæſionem paulo magis diaphoreſin excitat; quod vero reliqua artificia Chymica diaphoretica concernit, ut Bezoardicum Minerale, Solare, Lunare, Martiale, tunc iisdem ex præmatura æſtimatione major virtus diaphoretica adſcribitur, quæ vero in ipſo uſu atque effectu non probata deprehenditur, reliqua vero arcana, ut Sulphur auratum diaphoreticum, Mercurius diaphoreticus, Flores Antimonii diaphoretici ſuis fautoribus reſervanda ſunt; quæ hactenus utplurimum ex aliorum quam autorum ſuorum experientia nondum adeo diſtincta & ſecuræ qualitatis eſſe deprehenſa ſunt; de Sulphuris ſpecifica vi diaphoretica actum fuit: ſeorſim de ſuccino (licet ad minerale regnum non ſpectet) idem affirmo, quod non generalem, ſed ſpecialem qualitatem diaphoreticam habeat & quidem in affectibus ex depravata lympha prodeuntibus, ut ſunt: Scabies, ulcera, Purpura &c.

§. XL. Dantur etiam remedia diaphoretica, quibus vulgo *privativus* effectus adſcribitur, quæ per incraſſationem nimis tenuium humorum operantur, ſed quibus præterea non alia eximia & ſpecialis virtus adſcribi poteſt; horum quidem remediorum e triplici regno variæ & multiplices ſpecies occurrunt, maxime vero circumſpecte cum illis procedere convenit, quia præter incraſſantem ſuum effectum etiam efficaciam adſtringentem habent; hiſce præterea fruſtra in affectibus maliginis ſelecta & eximia virtus Bezoardica adſignatur, ſicut juxta trivialem praxin cum radice Biſtortæ & Tormentillæ contingit; attamen hæc remedia privative diaphoretica pro effectu diaphoreſeos inſuper congruo & moderato quodam regimine indigent.

§. XLI. Hæc diaphoretica remedia poſterioris claſſis etiam prudenter ordinanda ſunt, ne vel in liberaliori & largiori quantitate oblata, ſuſpectam humorum ſpisſitudinem cauſentur, neve in ſubjectis, quibus ratione

tempe-

temperamenti vel intemperiei humores modo ſpisſiores adſunt, admittantur, alias illam ſpisſitudinem augent: neve etiam talibus exhibeantur quæ eminenti quadam dyſcraſia humorum laborant: ubi etiam in Therapia medica illa prudentia commendari debet, ne præferantur talia remedia, quibus ex mera plebeja & indocta perſuaſione ac opinione eximia diaphoretica virtus adſcribitur, ſicuti oſſa microcoſmi, Unicornu foſſile, Cornu Cervi ſine igne paratum, aut juxta ſpecioſum, ſterilem tamen ſtylum philoſophice præparatum, miris elogiis perperam circumferuntur.

§. XLII. Sunt vero talia diaphoretica remedia ſimpliciora terrea, abſorbentia, modo ſimplicius præparata, ab uſtione ſpecioſa libera, ubi non æque pretioſa gemmea ſeligere præſtat, neque vero viciſſim terræ lutoſæ, bolares & ſigillatæ in hoc ordine a nobis commendantur, quoniam adſtringentem ſuam qualitatem ſatis obteſtantur; multo minus ſpecifica virtus, quæ Ebori, Denti apri, Mandibulæ Lucii piſcis &c: adſcribitur, adeo probata eſt, unde magis certo & ingenue artifex, ſub conjuncto moderato regimine, per prædicta remedia, ſimplicius uſurpata, quam ſub qualicunque ſpecioſa credulitate & expectatione effectum diaphoreticum impetrabit.

§. XLIII. Alterius indolis & claſſis privative diaphoretica ſunt acida ſive vegetabilia, ſive mineralia, modeſte tamen ordinanda & cum ſufficienti humorum dilutione conjungenda, neque nimia quantitate, aut nimis frequenter ingerenda; ſiquidem inter illa Acetoſitas Citri non infimam dignitatem meretur: quid quod experientia teſtatur, quomodo Nitrum in affectibus ſpasmodicis, ſubtiliter ſtrictoriis & congeſtoriis rheumatico-arthritico-Podagricis, aliquando effectum diaphoreticum poſt ſe relinquat, non alio quam privativo operandi modo, quando videlicet acerbiores illas ſpaſticas commotiones mitigat, ut ob conjunctum temperatum regimen poſthac diaphoreſis tranquillius procedat.

§. XLIV. Hisce ſimplicioribus diaphoreticis remediis placet adhuc ſubjungere ſimpliciores quasdam obſervationes in eadem tractatione tenendas, & ita quidem e numero diaphoreticorum in praxi medica variæ compoſitiones occurrunt, quæ peculiari nota indigent: ex hisce quædam ſunt valde diffuſæ & miſcellaneæ, quales Theriacæ & Mithridatii nomine veniunt, cum quibus utplurimum credula plebs meliorem & utiliorem diaphoreſin provocare ſtudet: equidem bona fide aſſero, quod in affectibus & ſubjectis ſenſibilioribus & intricatioribus ſimpliciora & temperatiora remedia diaphoretica magis præferri & commendari mereantur, quoniam hæc diffuſa compoſita diffuſum & ſatis ſæpe confuſum effectum exhibent.

§. XLV.

§. XLV. Proinde proſtant variæ Tincturæ Bezoardicæ variorum autorum, quæ ab adſtringentibus nimis acribus & ſuperſtitioſis remediis repurgatæ, adeoque correctæ & temperatæ, ad vſus diaphoreticos admitti poſſunt; deinde circumferuntur varii ſpecioſi Pulveres Bezoardici, Cephalici & Marchionalis, qui tamen communibus ſuis laudibus non ſatisfaciunt: multa etiam ſimul circa Spiritus illos Bezoardicos & Aperitivos Busſii & Penoti circumſpectio adhibenda eſt: paulo magis vſibus medicis Mixtura Simplex, parcius camphorata, vt & decocta ex cornu cervi & Scorzonera parata ad effectus diaphoreticos producendos in certis caſibus & occaſionibus quadrant & ſatisfaciunt.

§. XLVI. Quando Sudores in hominibus, non æque actualibus morbis oppresſis, ad præſervandam ægrotationem ordinantur, tunc optimi ſunt, qui matutinis horis ſuccedunt, quando ventriculus liber eſt ab oppletione & primæ viæ plurimum exoneratæ ſunt: in morbis vero Sudores ita ſunt dirigendi, pro vt illorum indoli quadrant, ſiquidem in Febribus minime ſub paroxyſmis, ſed illis remittentibvs artificiales tales ſudationes promoveri debent, vbique vero cura eſt ſervanda, ne cum ſimultaneo quodam impetu ſudor erumpat, ſed potius gradatim e temperatioribus initiis augeſcat & ſub tranquilliori methodo decurrat, ubi interdum absque ullo ſtimulo diaphoretico vel ſimplicior calidorum decoctorum uſus neceſſariam diaphoreſin elicit atque promovet.

§. XLVII. Promotio Sudoris per Balnea præcipue ſicca, nimis eſt impetuoſa, tanto magis vero in ſubiectis calidioris Temperamenti & activioris indolis inimica, quia ad incongruas inturgefactiones ſanguinis & præcipue ad pectoris & capitis ſuſpectas oppletiones contribuit, unde rectius artifices ab hac methodo abſtineant; quod vero balnea humida attinet, tunc illa, ſub aliquo moderamine adhibita non penitus contemnenda ſunt, modo non nimius externus calor conjungatur, ſiquidem proinde ſuſpectæ commotiones ſanguinis metuendæ eſſent: inter balnea talia vel uſibus medicis quadrant Thermæ, vel etiam aquæ artificiales cum herbis temperatioribus nervinis remixtæ, abſtinendo ab aquis lixiviatis ſulphuratis, aluminoſis & ſimilibus, quæ contrarios effectus edunt.

§. XLVIII. Ita etiam ad eliciendos moderatos ſudores conducunt Pediluvia, congrue applicata, nec non fotus temperati & ſuffimigia moderate nervina ex Gummatibus & herbis temperatis ad inferiorem nudam corporis regionem admiſſa, ſervato inſuper modeſto regimine & adhibito hauſtulo decocti remisſius calidi, utpote quæ methodus eſt admodum ſelecta atque modeſta, quæ præprimis fœminis, ut in genere, ita etiam ſeorſim men-

 ſium

ſium vitiis & cacochymicis afflictionibus laborantibus utilis exiſtit, ſervata illa circumſpectione, ne ſubito ſenſibilis refrigeratio admittatur.

§. XLIX. Non parum cognita eſt in medicina practica promotio Sudoris per uſum Ciſtarum ſive Stupharum, quæ vulgo Balnea Laconica die Schwitz-Käſten dicuntur, utpote quæ ad diverſos affectus applicantur, ſeorſim quidem ad Cachecticos, Hydropicos, Anaſarcodeos, Cacochymicos & Venereos; ubi admodum refert, quo caput ab ejusmodi exæſtuatione ſubducatur, ne reſpiratio valde turbetur; unde reliquum corpus ejusmodi Stuphis immitti debet: promovetur vero Sudor, quando ad nudum corpus admittitur vel vapor aquæ calidæ vel accenſi Spiritus vini, vel quando ſuper tegulas calefactas decoctum herbarum nervinarum affunditur, ut vapor adſcendens calidior corpus contingat & tali modo ſudorem eliciat: ita ad imitationem ejusmodi lectuli ſudatorii interdum ordinantur, qui in ſimilibus caſibus uſurpari poſſunt.

§. L. Occurrunt adhuc inter obſervatores medicos diverſi alii modi provocandi ſudorem, dum a quibusdam veſicæ bubulæ cum aqua calida repletæ corpori in diverſis regionibus apponuntur; aut ſecundum Borrichii experimentum, dum ſubjecta cum ſaccis obteguntur, qui cum certis foliis vel Fraxini vel aliis repleti & deinde calefacti ſunt, loco reliquorum ſtragulorum, utpote qui modus etiam in ſubjectis difficulter ſudantibus adhiberi poteſt; licet perinde circa idem experimentum moderamen commendari debeat: & quo in ægrotantibus hydropicis, aſthmaticis, aſciticis, aut Anaſarca, Cachexia & Leucophlegmatia laborantibus ſudor difficilius erumpens promoveatur, conducit pro efficaciori humorum colliquatione & præparatione Radice Ari & Zingiberis in ſubſtantia uti, ſicut certis nationibus uſitatum eſt Piper cum Spiritu Vini aſſumtum.

§. LI. Interdum accidit, ut ſanguinis abundantia neceſſarios & ſalutares ſudores impediat, ubi convenit mature illius ventilationi conſulere, quantum quidem circumſtantiæ & qualitates morborum permittunt; ad minimum illud conſilium in tali paſſu ubique ordinari poteſt, ut ſi opportunitas pro imminuendo ſanguine deficit, tunc incommodi orgaſmi abundantis ſanguinis coerceantur, quo ſub tali temperie deinde paulo facilius ſudor decurrere poſſit: pro quo ſcopo propterea abſorbentia & Nitroſa remedia, leviter acidulata, longe certius & ſecurius conducunt, quam poſitiva Bezoardica aut Alexipharmaca auxilia.

§. LII. Hactenus dictum fuit de promotione ſudoris in variis ſubjectis atque caſibus; placet adhuc de moderatione & directione ſpontanei largioris aut exceſſivi ſudoris diſſerere: quodſi itaque contigerit, ut quædam

ſub-

ſubjecta, de reliquo ſana, facile & largius ſudent, tunc minime confert repente hos ſudores coercere, neque cum ſenſibili refrigerio impedire & repellere, aut cum præmatura induſiorum mutatione turbare, ſed potius eosdem ſudores in bono ordine conſervare, expediet; attamen pro moderatione futuræ liberalioris ſudationis præſtat abſtinere ab eximiis internis & externis exæſtuationibus corporis, aut ſimultaneis & impetuoſis ſanguinis inturgefactionibus: propterea vero non ſeligenda eſt vita otioſa, quin potius moderatâ, mobilis continuanda erit: conjungatur potus ſufficiens, una cum moderato uſu abſorbentium, nitratorum & acidulatorum auxiliorum.

§. LIII. Quando contingit, ut in febribus ob oblata medicamenta calidiora, ſudorifera & adhibita ſimilia regimina ſudor largius erumpat & impoſterum etiam copioſius ſuccedat, tunc minime confert per contraria reſiſtere eosdemque ſudores poſitive coercere; quin rectius ſub adhibito temperato & quieto regimine & uſu ſufficientis humectationis, nec non abſorbentium & nitroſorum remediorum placidus hujus ſudoris decurſus expectandus eſt; cauendo ne ſubinde valde incraſſantia, aut refrigerantia ordinentur, multo minus regimen immoderatum & inquietum concedendum eſt, ſiquidem e contrariis ejusmodi operationibus, non niſi funeſtæ febrium degenerationes prædicendæ & metuendæ ſunt.

§. LIV. Peculiarem obſervationem merentur Sudores, qui in Lenta Febre copioſius & diffuſius ſuccedunt, quos minus ſecure artifex repente turbare, imminuere aut coercere poteſt; unde potius iisdem aliquamdiu libertas hæc concedi debet: ſi vero tam in febribus Chronicis, quam aliis affectibus ſudores vere excedere videntur, tunc conducunt remedia abſorbentia leniter uſta, coralliata, acidulata, emulſiva, mucilaginoſa, nec non nitroſa & ex Hyacintho compoſita, quæ ſatis efficaciter ſuſpectum exceſſum refrenant; ſubinde vero ſedulo providendum eſt, quo reliquæ excretiones poſtea ſufficienter & conſtanter continuent.

§. LV. Quod vero terribiles illos & valde ominoſos ſudores in Phthiſi & Hectica occurrentes, olidos, ſed nondum ſumme extremos illos colliquativos concernit, tunc iidem minime ſupprimendi ſunt, ſed cum ſufficienti humorum diluitione & uſu remediorum abſorbentium teneriorum, coralliatorum, nitroſorum, emulſivorum & mucilaginoſorum mitigari debent: ſi vero peſſimi illi lethiferi Sudores colliquativi occurrunt, tunc illis præſentibus temperatiora analeptica remedia offerenda & continuanda ſunt, alia enim ſive nervina, ſive tonica externa & interna exoptatum ſuum effectum haud aſſequuntur.

§. LVI. Placet adhuc brevibus de ſudoribus particularibus copioſis, maxime vero pedum diſſerere ; hi quia peculiari activitate & conſuetudine naturæ nituntur, ita minime turbandi & ſupprimendi ſunt, licet aliquam moleſtiam creent ; ſiquidem ob inductam oppresſionem interdum periculoſos alios contumaces affectus inferunt, e quibus poſterioribus, præcipue ſpasmodici, arthritici, nephritici, rhevmatici &c. nominandi ſunt; unde potius cum modeſtia tales ſudores tolerari debent, ita ut ſedula mundificatio & abſterſio optimum auxilium in tali necesſitate ſubminiſtret : quando vero talis ſudor temere ſuppreſſus fuit, tunc cura adhibenda eſt, quo reſtituatur, id quod fieri poteſt per frictiones pedum cum linteis calidis, per pediluvia, fotus & ſuffimigia pedibus admiſſa,

§. LVII. Quod reliquum regimen, quo ſudores artificiales tractari debent, attinet, tunc, ſi præſervatorie ſudor quidam ſuſcipitur, antea alvus libera eſſe debet & deinde poſt aſſumtum remedium diaphoreticum placidum ac quietum regimen ſubjungendum eſt : quid quod ſufficit, ſi ſubjecta, quæ alias facilius ſudant, aut commotionibus ſanguinis impetuoſioribus expoſita ſunt, tantum citra uſum bezoardici remedii decoctum vulgare domeſticum, moderate calidum aſſumant & ſubinde ſub eodem tranquillo regimine temperatiori Diaphoreſi ſeſe ſubmittant.

§. LVIII. Sudor ipſe non præmature eſt intercipiendus atque turbandus, licet in hac circumſtantia quantitas ſit juxta diverſitatem individuorum commenſuranda: interim confert, quo ſudores generales paulo liberaliores exiſtant ; imo conducit pro meliori levamine individuorum, quo interdum moderatus ſudor repetatur : minime vero illa immoderata & impatiens indoles eſt admittenda, ut ſub vegeto ſudoris ſucceſſu per inquietam jectigationem & præmaturam ſenſibilem refrigerationem ſudor opprimatur : neque confert ſub ſucceſſu ſudoris frigida potulenta ingurgitare : neque etiam proficit, quando nunc ſudor bene procedit denuo calida decocta ingerere, ſed potius per moderatum & quietum regimen juſtum & ſufficientem ſudoris decurſum expectare.

§. LIX. Quando in affectibus impuris & ſpecialibus ſanguinis inquinamentis ſudationes proficuæ dijudicantur & ordinantur, tunc confert easdem non impetuoſe elicere, neque prodige continuare ; multo minus ſimultaneo decurſu urgere, ſed potius proficit illas ſucceſſive repetere & ſemper modeſte promovere atque abſolvere : deinde confert ſedulo poſt ſudores ſub congruo regimine induſia mutare, ne detur relapſus inquinamentorum expulſorum intra corpus individui, ſub quo prægresſi ſudores irriti & vani redduntur.

§. LX. Poſt ſudorem conducunt moderate roborantia, minime vero refrigerantia, adſtringentia aut incraſſantia; neque confeſtim poſt peractum ſudorem corpus cum cibis onerari debet, quin poſt aliquam moram cibi molliores exhibeantur, aut poſt aliquam requiem, ſi circumſtantiæ permittunt, hauſtulus vini præbeatur: deinde vero animus & corpus in moderata requie conſervetur; quid quod licet poſt prægreſſum ſudorem pro meliori virium refocillatione moderatum ſomnum capeſſere; deinde concedendus eſt potus ſufficiens, ne ex defectu neceſſariæ humiditatis incommodæ viarum exſiccationes & humorum incraſſationes oriantur: denique impoſterum tranſpiratio inſenſibilis in juſto ordine & alvina excretio in congruo ſucceſſu ſervanda eſt: Et hæ ſingulæ obſervationes, exquiſite practicæ, ad præſentem Diaphoreſeos commendationem ſpectant.

CAPUT IV.

DE DIURESI.

§. I.

IN ordinario vitæ & ſanitatis ſtatu quotidianis uſibus atque effectibus receptum eſt materiam aliquam, craſi & conſiſtentiæ humorum inimicam, ab intra e toto corpore notabili quantitate excernere & quidem talem, quæ totam humorum maſſam perfluit & e diverſis aliis locis excretoriis eliminatur, ita ut hæc evacuatio, quæ *Diureſis* audit, ad ordinariam methodum, naturæ conſuetam, pertineat, iterumque a mere artificialibus & a craſſa vomitione in tantum diſcrepet, quod ſenſui & uſui naturæ magis adæquata & idonea exiſtat.

§. II. Verſatur hæc Diureſis in conſueto & ordinario ſuo ſucceſſu circa ſeri ſalino-ſulphurei eliminationem, utpote quod ab internis locis ſequeſtratum, denique penitus e corpore proſcribitur: ex quo propterea neceſſitas & ſalubritas illius evacuationis tanto magis inclareſcit, quia natura humana ab intra & extra in tot locis & regionibus, imo tot ſpeciebus aliarum excretionum circa hujus ſeri conſtantem & ſufficientem expulſionem occupata eſt, utpote quæ multiplex hujus humoris evacuatio vicisſim teſtatur de illius inutili & perniciofa qualitate.

§. III. Inſert itaque ſtatus vitalitatis & ſanitatis, quo hæc urinæ excretio conſtanter ſuccedat, unde etiam refert, quo in omni morbo, omnique tempore morbi, eadem Diureſis modeſte & ſufficienter continuet, ſiquidem nunquam corpus ita liberum atque purum eſt, ut ſeri excretio tam per interna, quam per externa loca contingens ſemper neceſſaria & proficua ſit: & ſicut illa naturæ methodus eſt, qua in extraordinario ſtatu vitæ & ſanitati proſpicit, quando cum ſero alias ſubtiles & nocivas materias commiſcet atque expellit, ita multi morbi, præcipue vero Febres poſitive, eſſentialiter & efficaciter congrua Diureſi curantur & ſubjugantur.

§. IV. In communi quidem ſenſu Diureſis therapevtica intelligitur & prædicatur de majori illo gradu excretionis, qui per remedia ſtimulantia, quæ præcipue in vias urinarias operantur, provocatus eſt, ita ut poſitiva hæc Diureſis copioſam, auctam & frequentem urinæ evacuationem involvat; ſed cum hic gradus ordinario ſtatui naturæ haud conſonus ſit, ita neque tam impetuoſa & copioſa urinæ excretio in multis morbis neceſſaria & ſalutaris exiſtit, quin potius majorem utilitatem & ſalubritatem moderata Diureſeos promotio promittat.

§. V. Legitimus & ſufficiens ſucceſſus temperatæ Diureſeos imprimis laudatur a veteribus medicis, qui eundem, ut in plurimis, ita præcipue in febrilibus morbis admodum deprædicarunt, nihilominus in Therapevtica Diureſeos promotione non exigui aut rari errores occurrunt, dum loco moderatæ promotionis mox antedictus ſummus gradus ſeligitur & applicatur, dum per poſitiva & ſtimulantia diuretica immodica urinæ fluxio excitatur, unde ordo naturæ non modo graviter pertubatur, ſed & tali gradu provocata Diureſis, facile ſiniſtrum ſuum effectum obteſtatur.

§. VI. Maximum itaque commodum eſt in Therapevtica Diureſeos promotione, quo magis artifex naturalem ordinem imitetur & ita mitiori impuritatum abſterſione & reſolutione ſuccurrat, quam inimica viarum ſenſibilium ſtimulatione; confert vero in omni morbo, ſive ſanguineo, ſive ſeroſo, ſive acuto, ſive Chronico hanc urinæ excretionem facilitare, ſiquidem non modo eadem ad ordinarias evacuationes ſpectat, quæ in nullo affectu retineri debent, ſed & quia conſtans ſeri ſubtilioris eliminatio aliis humorum depravationibus, viarum ſtimulationibus atque orgaſticarum commotionum incrementis contrariatur.

§. VII. Fruſtra vero eſt empirica quadam methodo hunc actum Therapevticum proſequi & in omni morbo tantum per univerſalia ſic dicta, nimirum emetica, catharctica, diaphoretica & diuretica cœco quodam impetu & ſtrepitu graſſari velle; quin potius confert hujus Diureſeos promotionem

nem

nem reliquis etiam medendi methodis accommodare: neque etiam experientiæ & utilitati reſpondet eundem actum Therapevticum ex nuda quadam traditione & ſpeculatione ſuſcipere, uti quidem non raro contingit, quando in morbis ſpaſticis Diureſes commendantur, quo materia tartarea, tanquam ſuppoſita cauſa Spaſmorum, evacuetur.

§. VIII. Effectus & utilitas Diureſeos toti corpori ſubvenit, neque tantum ad Renes reſtringi debet, ſiquidem non modo humorum maſſa ab inimico ſero liberatur, ſed & ſolidæ partes ita repurgantur, quo minus ab eodem ſero copioſo & acri irritentur atque offendantur; quo vero talis Diureſis legitime ſuccedat, convenit, ut in partibus glanduloſis, præcipue vero hepate ſufficiens integritas & permeabilitas adſit, quo excernendum ſerum antea ſufficienter abſtergatur, ut poſthac commodius in renibus illæſis ſequeſtrari queat; fruſtra vero aſſeritur, quaſi in renibus tale fermentum ſpecificum hæreat, quod hanc Diureſin formaliter conſtituat atque abſolvat.

§. IX. Ordinarie quidem in & cum urina excernuntur principia ſubtilia ſalino-ſulphurea, cum multa terreſtreitate remixta, interdum etiam terrea limoſa & mucilaginoſa: extra ordinem vero etiam aliæ materiæ ſubtiles, quæ de ſalina & ſulphurea indole ſunt; ſed magis peregrinæ & inconſvetæ, ut & ſpisſiores & conſiſtentiores mucilaginoſæ, ſicut in Febribus occurrens Diureſis de hac circumſtantia ſufficiens teſtimonium perhibet: non minus in aliis affectibus, ut in primarum regionum morbis, Scorbutica Lue variæ alteratæ & pravæ materiæ cum urina deponuntur, quæ propterea eidem variam craſin, conſiſtentiam & tincturam conciliant: ex quo proinde liquet, quomodo renes colatorium conſtituant ad extraordinarios caſus & ſanitatis periclitationes proficuum.

§. X. Non facile fides danda eſt illis traditionibus & obſervationibus quaſi cum Diureſi evacuetur purulenta materia, quæ extra renes & veſicam urinariam genita eſt; unde fruſtra etiam erit tentare & urgere puris diureticam exonerationem in pectoris, aut aliarum partium inflammationibus, quæ in ſuppurationem tranſierunt; hinc rectius confert ſubtilium impuritatum excretionem per Diureſin proſequi, licet quidem ſub abuſu diureticorum remediorum contingat, ut loco ſimplicioris urinæ, plane ſincerus ſangvis evacuetur.

§. XI. Sicut ad ordinariam Diureſin tam motus ſangvinis progresſivus, quam præcipue motus tonicus Renum pertinet, ita mediante utroque motu in extraordinario ſtatu Diureſis facilitanda eſt, cavendo tamen, ne utrique motus nimium urgeantur, ne excesſivæ diureticæ excretiones oriantur: quicquid itaque hos motus offendit, coërcet atque impedit, illud etiam ad Diureſeos incommoda excitanda contribuit; quapropter emollientia & ſedativa

reme-

remedia minime poſitivam utilitatem diureticam habent, ni ob nimiam renum conſtrictionem neceſſarius humorum tranſitus per renes cohibeatur, ubi prædicta remedia illum nimium toni gradum leniendo futuram Diureſin quantiſper facilitant.

§. XII. Hæc promotio Diureſeos triplici modo atque gradu perpetratur, quorum prior eſt maxime ſecurus & in omni morbo & ſtatu proficuus, quando videlicet humores debite reſolvuntur, colliquantur & abſterguntur, ut principia ſalina ſulphurea, ſerum urinoſum conſtituentia, ab alio nexu humorum liberentur & educantur: unde evenit, ut ſua ſponte & nihil coacta natura humana liberatas has impuritates efficacius & copioſius per renes ſecernat & denique excernat.

§. XIII. Alter modus therapevtica arte promovendi Diureſin in eo conſiſtit, quando offeruntur remedia ſalino-ſulphurea ſubtilia, quæ propterea talia principia in humoribus augent, qualia alias natura humana per vias urinarias dimittere ſolet: quorum oblatione itaque natura excitatur, ut non modo hæc oblata & nunc in humoribus oberrantia principia, ſed & alia ſimilia, quæ antea in humoribus fluctuarunt per vias urinarias expellat, utpote qui medius gradus eſt, dum non modo per reſolventia ſed etiam per talia ſalina ſulphurea medicamenta Diureſis provocari poteſt.

§. XIV. Ultimus & ſummus quaſi gradus, qui minus ſecure in multis caſibus & occaſionibus commendari poteſt, eſt, quando talia ſpecialia remedia offeruntur, quæ ſalina quadam acrimonia urinarias imprimis vias ſtimulant, ut propterea in iisdem motus augeatur, ſub quo motuum augmento non modo naturæ ſcopus eſt, quo præſentem irritationem & adverſam materiam citius per has vias eliminet, ſed & copioſius alios humores eo advehat, quibuscum priorem involvat atque temperet: quin denique contingit, ut dum ſemel in hoc actu irritata eſt natura, hæc illum aliquandiu cum impatientia atque impetu continuet.

§. XV. Proximum erit, quod Indicationes Diureſeos adminiſtrandæ commendentur, ob id 1) Diureſis primi gradus, quæ moderate ſuccedit in omni affectu proficua eſt: 2) paulo efficacior diureſeos promotio conducit in affectibus calculoſis & quidem 3) ſcopo præſervatorio magis, quam curatorio: proinde 4) in morbis Chronicis ſeroſis cacochymicis, cachecticis, hydropicis œdematoſis, in quibus etiam diureſis primæ claſsis utilis exiſtit, ita 5) in Febribus promotio diureſeos per primum gradum admodum neceſſaria & ſalutaris exiſtit, quid quod denique 6) in menſium vitiis primi & ſecundi gradus diureſis fructuoſa obſervatur.

§. XVI.

§. XVI. Contra indicationes concernunt præcipue diuretica tertiæ claſsis, quæ propterea non conveniunt 1) in Gravidis 2) in puerperis 3) in ſubjectis ad prodigas uteri Hæmorrhagias pronis, 4) in calculi exacerbatione 5) in infantibus 6) in affectibus exanthematicis 7) in ulcerationibus internis & externis ſenſibilibus 8) in Gonorrhoëa & morbis venereis 9) in prolapſione uteri 10) in ſubjectis ad ſtranguriam proclivibus 11) in fœminis ad abortus pronis 12) in nimia plethora 13) in ſubjectis ad mictum cruentum diſpoſitis 14) & ad anomalias hæmorrhoidales pronis 15) in fluore albo, tam benigno, quam maligno 16) in inflammationibus internis 17) in ſiccitate & obſtructione alvi 18) in fœminis hyſtericis 19) in Podagra & 20) Phthiſi ac Hectica.

§. XVII. Priusquam Diureſis poſitiua & tertiæ claſſis in ipſo officio Therapevtico ſuſcipiatur, præſtat antea neceſſariam aliquam corporis præparationem præmittere, præcipue vero ſi reliquæ circumſtantiæ talem præparationem admittant: quodſi itaque ſanguinis abundantia obſtet, quominus proxime ad talem diureſin acceſſus inſtitui queat, tunc confert mature artificialem ſangvinis imminutionem præmittere: ſi in primis regionibus ſuſpectæ ſordes hærent, quæ talem commotionem diureticam nondum concedunt, tunc præſtat ordinare remedia digerentia, reſolventia, abſtergentia, laxantia præcipue infuſa vinoſa: Si alvus ſicca, ſegnis vel ſtricta eſt, confert antea eandem lenire, elubricare & aperire; quid quod denique in affectibus calculoſis præmittenda ſunt reſolventia involventia & abſtergentia, antequam actualis Diureſis inſtituatur.

§. XVIII. In commendandis auxiliis diureticis iterum triplex illa claſſis attendenda eſt; hinc *primæ* claſſis diuretica remedia ſunt *Reſolventia*, abſtergentia, quæ materiam excernendam antea mobilem reddunt & hujus indolis ſunt: Radices Apii, Ari, Ariſtolochiæ, Bardanæ, Helenii, Imperatoriæ, Caryophyllatæ, Carlinæ, Leviſtici, Valerianæ, Gentianæ, Pimpinellæ albæ, petaſitidis, maxime vero Vincetoxici & Squillæ: accedunt Herbæ amaræ antiſcorbuticæ earumque flores & ſemina pharmacevtica, ſicuti reliqua ſemina Apii, Carvi, Cumini, Petroſelini, Dauci, Sileris montani, ut & peculiari encomio recenſenda ſemina Citri, Aurantiorum, Nuclei perſicorum, Ceraſorum, Amygdala amara & ſemen Bardanæ huc ſpectant: porro conveniunt Gummata Olibanum, Galbanum, Ammoniacum, Sagapenum, Bdellium, Iuniperi um, Therebinthina & Succinum: e quibus ſingulis remediis variæ formulæ pro arbitrio artificis parari poſſunt, quæ ſatis efficaciter reſolutoriam ſuam qualitatem exhibebunt.

§. XIX. *Mediæ* claſſis diuretica remedia ſunt ut plurimum *Salina*, quæ partim ſerum augent, partim etiam colliquant & efficacius incidunt, quo eo melius & copioſius Diureſis adminiſtrari queat: ejusmodi medicamenta ſunt vel aci-

da fixa, vel alcalia tum fixa tum volatilia; e numero acidorum alia ſunt vel mineralia, vel vegetabila; e mineralibus ſunt ſpiritus acidi, e vegetabilibus ſunt herbæ, ſucci & ſyrupi acidi: quid quod ipſum Nitrum in ſubſtantia & ſingula ſalia neutra ad hanc claſſem diureticorum referri merentur: accedunt remedia tartariſata, ſive ſicca ſive liquida, quo ſubinde Tinctura Tartari pertinet, non minus Tincturæ alcalinæ, abſorbentia cum acido imprægnata numerum horum remediorum augent; ſicut denique Spiritus Volatiles ſatis eximiam diureticam vim habent, ut propterea ad ſecundæ & tertiæ claſſis diuretica remedia referri mereantur.

§. XX. Sequuntur denique remedia diuretica *tertiæ* claſſis, quæ *poſitivam* talem efficaciam habent & *ſtimulante* effectu operantur: hæc remedia vero duplicis gradus ſunt, quædam mitiora, aliqua potentiora; e mitioribus proſtant Salia Volatilia, Tincturæ Tartariſatæ, fructus Alkekengi, Cynosbati, Fragorum, Radix Petroſelini, Ononidis, Urticæ minoris, Allium, Cepæ, Naſturtium, Raphanus, Lapis percarum, ſalia vegetabilia, ut Stipitum Fabarum, Ononidis, Cardui fullonum, Imperatoriæ, Geniſtæ; Spiritus Lumbricorum terreſtrium, quæ ſingulæ ſpecies in diverſis formulis & conſiſtentiis oblatæ ſatis præſentaneam opem diureticam offerunt: quemadmodum etiam nuclei amari, quorum in ſuperioribus mentio facta fuit, mitiori tali effectu diureſin movent, ſicut a medicis ad hunc numerum Betulæ ſuccus referri ſolet.

§. XXI. Præterea poſitive diureticis remediis annummerantur Lapis Lyncis, Judaicus & Nephriticus, quorum uſus tamen non raro æquivocus eſt: ad potentiora vero ſpectant Millepedes, Cryſtalli Lunæ, Cineres Buſonum & Scorpionum; imprimis vero Cantharides & Linaria major; quæ poſteriores vero ſpecies vehementer ſtimulant, adeoque vix facile, nedum ſecure commendari poſſunt: proinde Scarabæi majales melle ſubmerſi & poſthac ſuccus illorum expreſſus ſingularem diureticam vim habent: denique ex Succino parata & ex Therebinthina varia diuretica remedia offeruntur; quod vero compoſita remedia diverſarum appellationum diuretica attinet, tunc perinde circumſpectum & peritum artificem poſtulant; ſi interim medicus cum temperatioribus remediis diureſin promovere poteſt, minime tunc ad potentiora talia confugere debet.

CA-

CAPUT V.

DE ARTIFICIALI ET THERAPEVTICA DIRECTIONE MISSIONIS SANGVINIS.

§. I.

Quod ſanguis ad vitam & ſanitatem utilis & neceſſarius ſit teſtatur ſimpliciſſima obſervatio, ſiquidem cum plenaria ſanguinis ſubtractione vita atque ſanitas ceſſant, adeo ut propterea quidam ex præmatura concluſione vitam & ſanitatem in ſanguine conſiſtere autumaverint: nihil tamen repugnat etiamſi utilitas ſanguinis ita comprobata ſit, quominus ſuperflua illius quantitas ut inutilis & ad futura incommoda & pericula inducenda habilis declaretur, utpote quod deciſum perinde quotidiana, attenta & nihil præjudicans experientia ſatis ſolide confirmat.

§. II. Et quanquam naturæ humanæ ſufficiens ſanguinis quantitas, pro motibus vitalibus adminiſtrandis, abſolute neceſſaria ſit, tamen quotidiana experientia viciſſim atteſtatur, quod eadem natura ſpontaneis hæmorrhagiis ſanguinem quantitate aliqua profundat & imminuat, citra vitalitatis & ſanitatis ſuæ detrimentum, quin potius cum ſingulari emolumento, unde in hoc actu miſſioni ſanguinis ſuperflui ipſa natura præcurrit& Therapiæ medicæ exemplum ſuppeditat, quo & hæc cum euphoria urgente neceſſitate ſanguinem ſuperfluum educat atque ventilet.

§. III. Fruſtra enim eſt vanis quibusdam & ſterilem Philologiam affectantibus narratiunculis & plebejis proverbiis juxta ſtylum Helmontianum exiſtentiam ſanguinis impugnare, cum ex diæta plena, animo tranquillo, vita quieta & ſedentaria quotidianus plethoræ ortus ſeſe abunde comprobaverit; ut ita generica hæc conſideratio, de ſuperfluo ſanguine inſtituta, ſtatim animum ducat ad ſimplicem applicationem, quæ ſuperfluam illam quantitatem pro inutili declarat & ita illius imminutioni & depletioni ſuſcipiendæ cauſam præbet.

§. IV. Tanto magis vero convenit ad ſanguinis ventilationem animum dirigere, quo magis præſens ſuperflua illius quantitas variis immoderatis & animi & corporis commotionibus impellitur, hinc in illis ſubiectis, in quibus hæ circumſtantiæ occurrunt ſponte Hæmorrhagiæ cum ſalubritate decurrentes oriuntur, quæ ſi in aliis ſubiectis deficiunt, in quibus tamen illæ circumſtantiæ con-

currunt, tunc arti & Therapiæ locus relinquitur, quo hæc ſuppleat id, in quo adminiſtrando deficit illa.

§. V. Et hæ conſiderationes tanto magis artificem a temeritate præſervant, ne hoc genus auxilii ita ludicre & promiſcue ordinet, dum a natura obſervat atque diſcit, in quo ordine, ſtatu, caſu, neceſſitate, opportunitate, tempore & gradu eadem Hæmorrhagias ſalubres exerceat, quem modum proinde artifex, judicioſe & circumſpecte imitari debet, ne contra ordinem naturæ operetur, ſed quocunque artificioſo ſuo actu ſeſe ut miniſtrum naturæ exhibeat.

§. VI. Quemadmodum itaque plethora, valde commota, variis incommodis anſam præbet, maxime vero ſuſpectis ſtagnationibus, oppletionibus, inturgefactionibus, aut actualibus ſtaſibus, ita illud remedium atque auxilium, quod ſanguinis abundantiam imminuit, etiam hiſce incommodis præſcindendis ſatisfacit: dum vero depletio ſanguinis ſuperflui per ſudorem & præviam converſionem ſanguinis in ſerum, non cuilibet ſtatui accommodata eſt, ita vix efficacior, certior & compendioſior methodus deprehenditur, quam ſi ſanguis immediate & in ſincera ſua qualitate ſubtrahitur: cum porro per diverſas rationes ubi luxuries admodum invaluit, ſanguinis abundantia perquam frequens ſit, ita artificialis talis miſſio ſanguinis contra qualescunque ſpeculatiuas rationes & dubitationes innumeris exemplis ſalubritatem ſuam comprobat.

§. VII. Sed ne hoc auxilium ultra congruos limites extendatur, ipſa ratio ſana dictitat, quod artificialis ſanguinis ventilatio non alibi locum inveniat, niſi præſente ſanguinis ſuperflua ubertate, unde minus congrua connexione in eximiis turgefactoriis ſanguinis commotionibus ejusmodi Therapeutica ſanguinis depletio ordinatur vel admittitur, quin interdum illud incommodum exinde prædicendum & metuendum eſt, quod facta tali indiſcreta miſſione ſanguinis in orgaſmis, tunc eo inſolentiores & immoderatiores reddantur eædem commotiones ſpumefactoriæ ſanguinis; quodſi vero ſubinde cum orgaſticis commotionibus evidens ſanguinis abundantia conjuncta fuerit, tunc quidem concedi poteſt prudenter inſtituta artificialis ſanguinis ſubtractio.

§. VIII Ut ut vero miſſio ſanguinis proprie abundantiam ſanguinis reſpicit, adeoque quantitatem materiæ aliquandiu imminuit, tamen cum illa non niſi plethoræ, valde commotæ, opponenda ſit, ita etiam potiori reſpectu ad diverſos plethoræ motus & effectus ex iisdem provenientes mitigandos, emendandos & compeſcendos collineat, alias ſi non aliam utilitatem eadem haberet, niſi ut ſanguinis pondus atque quantitatem imminueret, vix diu hæc ſalubritas duraret, cum poſt aliquot dies e victu pleno iterum ſubtractum antea ſanguinis pondus reſtitutum eſſet, cui phænomeno vero repugnat experientia, dum evacuationum ſanguinis artificialium utilitas ſeſe latius extendit.

§. IX. Quanquam vero utilitas miſſionis ſanguinis ſeſe ex hactenus demonſtratis circumſtantiis & rationibus comprobet, tamen illud præjudicium in Therapia medica admodum inculcandum eſt, ne ejusmodi operatio præter urgentem neceſſitatem ſuſcipiatur, neve ex utili applicatione illius in uno ſubiecto, mox præmatura concluſio ad alia inſtituatur, unde non ita promiſcue ſanguinis abundantia artificialem ſanguinis miſſionem indicat; quin potius experientia medica teſtatur, quomodo præmatura talis Therapia demum varias moleſtias e plethora prouocet, quæ haud acceſſerint, ni minus neceſſaria talis ſanguinis ſubtractio inſtituta fuiſſet, unde plebejum illud dicterium, quod prima Venæ Sectio a morte liberet, indirecte ad opportunam & neceſſariam ſanguinis artificialem ventilationem reſpicit.

§. X. Deinde multum refert ejusmodi evacuationes ſanguinis iuxta diverſitatem ætatum rite diſtinguere & recte applicare: haud enim infantilem & puerilem ætatem abundantia ſanguinis ita moleſtat, ut propterea artificialis talis ventilatio neceſſaria reputari queat: quin evenit, vt in puerili ætate moleſta plethora non raro per ſpontaneos motus benigniori methodo depleatur; proinde vero non penitus metuenda eſt adminiſtratio moderatæ artificialis evacuationis ſanguineæ in ſenili ætate, quæ haud ita penitus exemta eſt, quin interdum illam moleſta ſanguinis quantitas premat & offendat; ſiquidem potius credulæ perſuaſionis & phantaſiæ fœtus eſt, quando Medici plebejo quodam ſtylo aſſerunt, quod ſenes potius ſanguinem intra ſuum corpus coemere, quam ita ludicre ex eodem emittere debeant.

§. XI. Magnam proinde dijudicationem & applicationem in adminiſtratione miſſionis ſanguinis Therapevticæ meretur juſtus ſelectus locorum & regionum, ſiquidem in genere ſecundum diverſitatem ætatum homines vel in ſuperiori vel inferiori corporis regione certis morborum ſpeciebus corripiuntur, unde per hunc actum Therapevticum, ſubinde motuum directioni attentus & intentus eſſe debet artifex; propterea fruſtraneum & confuſum opus eſſet quaquaverſum ſanguinem ſubtrahere, utpote qui actus non niſi quantitati ſanguinis reſponderet, ubi nihil referret, ſive in ſuperioribus, ſive in inferioribus regionibus ſanguis educatur, quin rectius in genere etiam convenit ſecundum ætatum diverſitatem etiam miſſiones ſanguinis quoad diverſas regiones corporis mutare & adminiſtrare.

Conf: Stahlii diſſ: de Venæ Sectione in pede et aliis certis corporis regionibus.

§. XII. Porro ratio habenda eſt, quo evacuatio ſanguinis, ad ſalutarem uſum præviſa, iuſto etiam tempore inſtituatur, ſicut non æque ſalubritatem promovet, ſi in alicuius morbi exacerbato ſtatu & gradu ſanguis ſubtrahitur, quo tempore motus occurrentes impetuoſius ſuccedunt, neque facile ad talem alterationem attendunt, imo ipſe effectus teſtatur, quod curatoriæ ſubtractiones ſan-

 guinis

guinis haud ita proficuæ ſint, quam præſervatoriæ: quodſi vero neceſſitas poſtulaverit, ut præſente quodam morbo hæc operatio Therapevtica ſuſcipiatur, tunc eadem rectius vel in jnitio vel in fine affectus ſub ſpe alicuius utilitatis & ſalubritatis celebrari poteſt.

§. XIII. Et quemadmodum affectus & morbidæ diſpoſitiones ita inter ſe differunt, ut vel citiorem vel magis ſucceſſivam emendationem & reſtitutionem requirant, hinc miſſio ſanguinis ita dirigenda eſt, ut vel citius vel tardius alterationem ſuam exſerat, id quod non modo cum diuerſis evacuationum ſanguinearum ſpeciebus, ſed & cum qualibet ſpecie ſeorſim impetrari poteſt, ita ut hæc notitia tanto magis artificem inſtruat, quo rationabiliter & efficaciter medicationem ſuam exerceat, præprimis cum quidam morbi unam evacuationis ſanguineæ ſpeciem præ altera paulo magis admittant.

§. XIV. Sed ne in generalioribus evacuationum ſanguinearum artificioſarum diſquiſitionibus diutius hæream, dum in ſpecialioribus animadverſionibus plures notatu dignæ circumſtantiæ occurrunt, ita hoc ordine notabo illas ſpecies, quæ in Therapia explicandæ ſunt, e quibus principaliſſima & utiliſſima eſt VENÆ SECTIO, deinde paulo minoris utilitatis, attamen ſatis uſitata eſt SCARIFICATIO. Sequitur ARTERIOTOMIA, quæ antiquis Chirurgis magis, quam recentioribus uſu recepta fuit; denique prioribus annumeranda eſt HIRVDINVM applicatio, quæ magnam utilitatem praxi medicæ promittit & præſtat atque antiquioribus medicis plusquam recentioribus uſitata eſt.

§. XV. Mox vero in limine ſpecialioris hujus tractationis ſignificandæ ſunt indicationes generales, quæ ſanguinis miſſionem artificialem admittunt & involvunt: indicant itaque eandem 1) ſanguinis abundantia 2) præcipue vero moleſta & variis irregularibus commotionibus obnoxia 3) diæta plena, lauta & conjuncta vita otioſa cum concurſu variarum patheticarum commotionum 4) adſvetudo ad ſpontaneas Hæmorrhagias, quæ nunc ceſſarunt 5) frequentes orgaſticæ commotiones cum abundantia ſanguinis conjunctæ 6) molimina hæmorrhagica congeſtoria, translatoria, ſpaſmodica & inflammatoria 7) Febres quotquot ob nimiam ſanguinis abundantiam oriuntur 8) defectiva motuum vitalium vitia, ex plethora orta 9) omnes alii affectus cujuscunque nominis, qui ex abundantia ſanguinis geniti ſunt, quibus circumſtantiis denique adjungo, quod 10) imprimis evacuationem ſanguinis indicet εὐκαιρία, quoniam inopportuna ſubtractio ſanguinis magis nociva eſt: accedit 11) ſtaſis ſanguinis, aut 12) alius infarctus nobilioris partis ex abundantia & commotione ſanguinis ortus.

§. XVI. Contra indicant vero miſſionem ſanguinis therapeuticam 1) affectus, qui principalius vitioſa humorum qualitate & corruptione partium nituntur 2) plurimæ Febrium ſpecies, quæ huius indolis ſunt 3) tanto magis vero mali-

gnæ

gnæ 4) nimia virium amiſſio: 5) nimia pathematum morbidorum exacerbatio 6) valde corruptus & depravatus alicuius morbi ſtatus 7) inopportunitas temporis, ſive præpoſterus alicuius morbi ſtatus: 8) communes irritæ & ſpeculativæ Theoriæ, quæ a vera experientia diſcrepant: 9) ſtatus ſubiectorum valde emaciatus: 10) extremus morborum terminus: 11) ætas nimis tenera & denique 12) incommoda externa aeris diſpoſitio & intemperies.

§. XVII. Prima ſanguinearum artificialium evacuationum eſt VENÆ SECTIO, quæ in multis locis atque nationibus reliquis ſpeciebus præfertur, unde quidam adeo eidem patrocinantur, vt omnes morbos cum eadem emendare aut percurare cogitent, quemadmodum in vniverſali tali uſu atque encomio Venæ Sectionum præcipue Medici galli excedere ſolent: dantur vero alii, qui Helmontium antiſtitem & anteceſſorem habent, qui in altero extremo peccant & nullibi venæ ſectionem utilem, quin potius conſtanter inutilem & noxiam prædicant: cum vero hæc ſint extrema, ita potius in variis caſibus & occaſionibus utilem ſatisque probatam eſſe dico Venæ Sectionem, in cujus uſu & ordinatione propterea prudentia & animo a ſpeculationibus libero opus eſt.

Conf. Stahlii Diſp. de Venæ Sectionis Patrocinio.

§. XVIII, Nunc vero excipit quæſtio Therapeutica, ſatis ſontica, an videlicet Venæ ſectio in Febribus auxilium neceſſarium atque utile conſtituat? hanc licet per fragmenta Medici proponant, tamen ex propoſito non ſufficienter ubique decidunt, ſiquidem aliqui per affirmativam, alii per negatiuam ſententiam hanc quæſtionem componunt atque explicant; inter hos vero dantur quidam, qui aſſerunt, quod licet in genere Venæſectio ad Febres commendari haud queat, tamen quædam febrium ſpecies interdum occurrant, quæ ex ſpecifica ratione & indole Venæ Sectionis uſum admittunt, quam indolem vero artifex demum explorare & antea aliquod experimenta per mortes facere tenebitur: quod vero ab ingenua praxi alieniſſimum eſſe debet.

Conf. Stahlii Diſp. de Venæ Sectione in Febribus acutis.

§. XIX. Quando vero hanc quæſtionem practicam paulo curatius introſpicio, tunc non ita facile affirmativæ deciſioni promiſcue ſubſcribere poſſum; hinc potius rotunde tam ex ratione, quam ex experientia confirmatus edico, quod Venæ Sectio ad Febrium plurimarum curam poſitive & directe neque neceſſaria, neque utilis ſit, ſiquidem plurimæ Febrium ſpecies eſſentialiter circa depuraroriam ſanguinis correctionem & non circa imminutionem illius primario quodam ſcopo occupantur, unica interim ſupereſt Febris, Continens ſive Synocha ſimplex, quæ tamen ſatis rara eſt, in qua Venæ Sectio pro cura eſſentiali illius febris tempeſtive inſtituta admitti poteſt.

§. XX,

§. XX. Et quando quidam obloquuntur atque impugnant, quaſi Venæ Sectio in febricitantibus plethoricis conveniat, tunc ſalva noſtra manet aſſertio, quod ad Febrem curandam illa minime quadret, ſed quod ad accidens febris, nimirum ad plethoram removendam conferat, in quo tamen negotio artifex eximiam prudentiam adhibere debet, ne dum circa accidentia febris occupatus eſt, eſſentialem illius indolem negligat aut turbet; unde nedum quidem ſemper ratio & occaſio ſuadet aut permittit, quo plethoricis febricitantibus vena ſecetur, ni peculiares circumſtantiæ in ſubjecto intercedant, quod 1) illud ſit extreme plethoricum 2) immoderatis plethoræ commotionibus obnoxium 3) animi pathematibus frequentibus expoſitum 4) in diæta ſpirituoſa & aromatica conſtitutum 5) olim promptis & largis Hæmorrhagiis adſuetum 6) in climate calidiori educatum 7) anni tempore fervidiori affectu febrili oppreſſum, ſub quibus circumſtantiis demum ad moleſtum accidens abigendum tempeſtiva Venæ Sectio concedi poteſt.

§. XXI. Et licet in calidioribus climatibus experti Practici paulo magis utilitatem ex Venæ Sectione in Febribus obſervaverint, ubi non modo humores fortius commoventur, ſed & in Febrium decurſu frequentiores Hæmorrhagiæ occurſant, tamen hæc obſervatio ad frigidiores nationes non facile referenda & applicanda eſt, ſiquidem ipſe Sydenhamius hoc annotavit & ſimul indicavit, quomodo ſub decurſu huius Febris per præmiſſam Venæ Sectionem periculoſa ſymptomata invitentur, quod ipſe quidem Spirituum defectui adſcribit, unde commendat in tali paſſu ſubjungere cardiaca, qualia etiam recenſet, quæ vero non alia ſunt, quam Bezoardica.

§. XXII. Propterea etiam ſolida & attenta experientia atteſtatur, quomodo Venæſectio in Febribus continuis adminiſtrata totum reliquum legitimum Febris ſucceſſum turbet, ut neque coctio neque genuina diaphoretica excretio progrediatur, ſed ſub augmento æſtus & defectu ſudoris appropinquante die indicatorio raptus humorum ad caput contingant, qui ſeſe cum inflammatione, Phrenitide, Deliriis, Convulſionibus, affectibus ſoporoſis & apoplectodeo eventu produnt; quemadmodum tunc iterum natura ſpontaneo quodam conatu ſanguinis evacuationem in ſubjectis præcipue junioribus e capite proſequitur, cum antea ad hanc inventionem & ſpecialem eluctationem per artificialem ſanguinis ſubtractionem ſeducta fuerit; unde primarii & Febri per eſſentiam competentes effectus deficiunt, ſecundarius vero talis conatus & reſpectus hæmorrhagicus impetuoſius inducitur & continuatur.

§. XXIII. Sicut itaque in Febribus benignis Venæſectio directe neque neceſſaria neque utilis eſt, ita tanto minus in malignis conducit, ſed eo citius perniencioſos effectus & eventus involvit; quando vero ob prægnantes quaſdam cauſas in initio Venæ Sectio admiſſa & adminiſtrata fuit, tunc minime in nuda hac

ſanguinis ſubtractione acquieſcere convenit, neque remedia refrigerantia ordinari debent, quin rectius poſtea natura ad primarium febris officium manuducenda eſt, videlicet ad adminiſtrationem reſolutionis, abſterſionis, ſeceſſionis, ſeparationis, coctionis, Se-& Excretionis, quod commode fit per uſum remediorum alexipharmacorum; Sydenhaminus (ut antea innui) ex nuda experientia obſervavit, quomodo poſt Venæ Sectionem præmiſſam cardiaca remedia, qualia ipſe bezoardica allegat, offerenda ſint.

§. XXIV Quando vero obtingit, ut ob neglectam hanc methodum circa criticum diem prædicta periculoſa ſymptomata corripiant tunc fruſtra quidem eſt ita confeſtim hanc perverſam faciem Febris per alexipharmaca remedia emendare velle, ſed tunc quantiſper naturæ in hoc errore indulgendum eſt; quare artifex derivatoriam aliquam Venæ Sectionem ordinare debet, quæ conſiſtit in ſectione venarum raninarum; poſtea ſubjungenda ſunt remedia temperata analeptica & moderata Bezoardica cum regimine congruo, quo ita modeſte natura, quantum adhuc ſperare licet, in juſtum ordinem transferatur.

§. XXV. Altera & alia practica quæſtio occurrit, an Venæ Sectio in Hæmorrhagiis prodigis utilis & neceſſaria exiſtat? hæc communiter per affirmativam deciditur reſponſionem, unde ad Venæ Sectionem in Hæmorrhagiis plurimi tanquam ad ſacram confugiunt anchoram & ex illius adminiſtratione interdum ſperatam opem impetrant, interdum vero illa deſtituuntur; equidem aſſero, quod in Hæmorrhagiis Venæ Sectio non æque abſolute neceſſaria ſit, quoniam interdum ſine hac illæ curari poſſunt; quodſi vero ex ſuſpecto loco ſanguis eructaverit, aut mox in primis initiis impetuoſe profluat, tunc tempeſtiva Venæ Sectio minime contemnenda eſt: quæ ſi curatorio tali ſcopo ordinata fuit, tunc proxime iterum tempeſtive præſervatorio ſcopo celebranda erit, ni Hæmorrhagia ſubito & majori quidem vehementia recurrat.

§. XXVI. Proinde ſingularem attentionem meretur illa diſquiſitio, an per Venæ Sectionem motus ad menſium negotium ſpectantes revocari & convocari queant, aut an per Venæ Sectionem Menſes reſtitui poſſint? quæ quæſtio ſeſe ad imminutionem & ſuppreſſionem Menſium extendit; & quemadmodum per opportunam & congruam Venæ Sectionem omnino Menſium revocatio promoveri poteſt, ita etiam per incongruam Venæſectionem Menſes magis turbari & ſupprimi poſſunt: etenim ſi extra menſtruum tempus in brachio vena ſecatur, tunc eo magis motus a locis uterinis ſeducuntur & in regionem hypochondriorum aut pectoris convocantur: ſi Menſibus jam quantiſper fluentibus Venæ Sectio in pede adminiſtratur, tunc facile ob vicariam hanc ſanguinis ſubtractionem artificialem Menſes ſubſiſtunt atque ceſſant; ſi vero extra menſtruum tempus in pede moderata Venæ Sectio celebratur, tunc eo certius motus ad Menſes neceſſarii in loca uterina

provocari poſſunt: ex quibus circuſtantiis itaque inclareſcit, quæ cautela ſervanda ſit, in ordinanda Venæ Sectione ad menſium promotionem, quadrante.

§. XXVII. Iterum alia eximii momenti quæſtio practica eſt, an conſultum, imo an ſecurum & utile ſit, quo gravidis Venæ Sectio ordinetur? non deſunt varii, qui per negativam reſpondent, quando authoritate Hippocratis nituntur, qui prohibuit Gravidis venam ſecare: ſed qui Venæ Sectiones illas, ævis Hippocratiçis uſitatas, ad noſtras methodos conciliat, ille facile comprehendet, quod ab Hippocrate ad aliarum nationum medicos atque praxes non valeat conſequentia: illud quidem certum eſt, quod talis Venæ Sectio, qualis Hippocratis ævo familiaris fuit, quia in multa ſanguinis ſubtractione conſtitit, minime aliis nationibus conferat: interim moderata Venæ Sectio in Gravidis, quæ ut plurimum plethoricæ ſunt, tanto magis vero in diæta plena & vita ſedentaria degentibus, omnino conſulta, ſecura & utilis eſt.

§. XXVIII. Præterea in medicina practica Venæ Sectio diſtinguitur in Derivatoriam & Revulſoriam: prior illa eſt, quæ in affecto & ægrotante quodam loco celebratur, quo morbus mobilis reddatur & exinde facilius transferri poſſit, ſicut in inflammatoriis capitis affectibus vel raninæ vel iugulares aut temporales venæ inciduntur; antequam vero talis Venæ Sectio adminiſtretur, conſultum & utile eſt, quo tempeſtive univerſalis alia Venæ Sectio præmittatur, alias altera illa derivatoria Venæ Sectio variis difficultatibus & periculoſis accidentibus obnoxia redditur, videlicet, ut vel inflammatio illa repente augeatur & exardeſcat, quia hanc viam nunc cum impetu natura proſequitur, vel ex inciſione exceſſive ſanguis profluat, ut ſuſpectus ille fluxus non facile compeſci queat: Revulſoria vero Venæ Sectio vel in pede vel in brachio celebrari debet, ita tamen ut capacior inciſio intra venam adhibeatur; qualis evacuatio motus e loco affecto in alias remotiores magisque diſſitas regiones invitat & transfert.

§. XXIX Multum porro in praxi medica refert Venæ Sectionem in aptis regionibus corporis ordinare & adminiſtrare, ſiquidem ad affectus, qui ſuperiorem corporis regionem occupant atque detinent, Venæ Sectiones in pede apprime conducunt, quæ non tam ſanguinem, quam potius motum concernunt atque alterant; contra vero Venæ Sectio in brachio inſtituta affectus inferiorum regionum in ſuperiores partes invitat, cum vero & ſecurius & utilius ſit a ſuperioribus & nobilioribus regionibus morboſas ſangvinis commotiones divertere, ita longe magis Venæ Sectio in pede proficit: neque adeo ſalutare & conſultum eſt mox in pede, mox in brachio venam aperire, quia motus quaquaverſum ſeducuntur; ita rectius in una regione perſiſtendum eſt: in junioribus vero ſubjectis Venæ Sectio in brachio non æque rejicitur, quando vero affectus anoterici magis augeſcunt,

&

& anni accreſcunt, tunc Venæ Sectio in pede commodius & utilius ordinari poteſt.

§. XXX. Quando ſemel quisquam ſeſe Venæ Sectionis uſui dicavit, tunc illa in futurum negligenda minime eſt, ſed congrue & tempeſtive, haud vero confuſe repeti debet; etenim ſi Venæ Sectio iterum negligitur, tunc graviores exinde oriuntur affectus: neque ſtatim ſiniſtre & malevole de Venæ Sectione judicandum eſt, ſi poſt unam aut alteram adminiſtrationem non confeſtim deſideratos & exoptatos effectus præſtiterit, quoniam in quibusdam ſubjectis tandem evenit, ut poſt unam vel alteram Venæ Sectionis repetitionem demum ſperata & prævisa utilitas inſequatur: neque etiam conducit nimis ſæpe illam repetere, aut omni inopportuno tempore ſuſcipere, ſed maxime confert, quo in hiſce circumſtantiis rite dirigendis prudentia & peritia concilietur.

§. XXXI. Eſt vero Venæ Sectio adminiculum pro illis affectibus, qui maturam aliquam, neque tardius ſuccedentem opem & medelam poſtulant, unde etiam communiter citiorem alterationem cauſatur, quo magis proinde hæc alteratio præſentanea eſſe debet, eo major apertura in vena eſt perficienda, de qua Chirurgi juxta ſuum ſtylum atque formulam dicunt man müſſe der Ader einen ſtarcken Fluß geben: tanto magis vero convenit capaciorem inciſionem adminiſtrare, quando ſubjecta cum majoribus venis inſtructa ſunt, aut ſanguinem ſpiſſiorem habent, alias e minori inciſione tardius & difficilius effluens ſanguis non tam repentinam, neque tam efficacem opem & alterationem infert.

§, XXXII. Quando ſubjecta admodum plethorica ſunt, tunc in iisdem vena capacior ſeligenda & inciſio major perficienda eſt, quo ſanguis in citiori tempore ſufficienti tamen quantitate cum majori & ſenſibiliori alteratione extrahatur: quemadmodum in genere conſultius eſt venam capaciorem pro inciſione celebranda ſeligere, niſi ſubjecta valde ſenſibilia exiſtant & ex repentina ſanguinis eductione graviter alterentur, imo Lipothymicis moleſtiis ſubjiciantur, alias in virili ſexu capacior, in ſequiori vero minor venæ ramificatio pro ſectione ſeligi debet.

§. XXXIII. In venis ſeligendis proinde inter Chirurgos utplurimum non exigua intercedit vanitas & ſpeculatio, quando juxta vulgarem opinionem diverſis venis, in ſuperficiem corporis diſcurrentibus, certus conſenſus cum aliqua parte reliqui corporis adſcribitur (in quo conſenſu demonſtrando imprimis Sinenſes Medici gloriantur, quod majori notitia inſtructi ſint) interim in noſtris nationibus ſpecialis ille conſenſus nondum ita exquiſite conſtat unde diſcretioni triviali Chirurgorum, qua venas diverſis nominibus declarare & ſeligere ſolent, non ſubſcribo, ſicuti diverſa hæc appellatio uſitatis nominibus perquam cognita eſt: Die Haupt-Leber-Miltz-Gicht-Brand-

Roſen-Ader: quod vero ſelectum Saphænæ & Salvatellæ attinet aut venæ frontalis vel in dorſo manuum vel circa pollicem manuum, tunc & hic ſelectus magis ſpeculationi, quam utilitati ſatisfacit: cavendum modo eſt, ne talis vena pro inciſione ſeligatur, ſub qua propius pars tendinoſa, aut nervoſa adjacet, ne ex illius læſione periculoſa pathemata oriantur.

§. XXXIV. Quod vero tempus concernit, quo Venæ Sectio ordinanda eſt, tunc magis præſervatorius, quam curatorius illius uſus præferri meretur: ſi vero necesſitas poſtulaverit, non penitus curatorium Venæ Sectionis uſum rejicio: præſervatoria vero tempora vel in Vere vel Autumno occurrunt, proximius circa æquinoctia, ſive ante, ſive poſt tale æquinoctium; quo tempore videlicet alterationes facilius ſuccedunt & ipſa natura ad commovendos & dimittendos humores magis conſentit; deinde non inutilis labor eſt, ſi tempore quodam non valde turbido & admodum inquieto Venæ Sectio ſuſcipitur, ſed ſi moderata aeris temperies adeſt, ne in ſubjectis ſenſibilioribus ex turbida aura alteratio ſalutaris per Venæ Sectionem inducta aut ſperanda, offendatur, quapropter etiam convenit, quo talia ſubjecta illis temporibus non ita libere externis äeris injuriis ſeſe exponant, quando Venæ Sectionem admiſerunt; denique non de nihilo ſed experientiæ admodum conſentaneum eſt, ſi luna decreſcente talis præſervatoria Venæ Sectio ſuſcipitur, quippe quo tempore tota ita dicta natura magis ad imminuendos & dimittendos, quam augendos humores conſentit & concurrit.

§. XXXV. Quoad quantitatem evacuandi ſanguinis iterum ſelectus & moderamen commendari debet, etenim in ſubjectis robuſtioribus magisque plethoricis, vt & in junioribus major ſanguinis quantitas ſubtrahi poteſt, minor vero in ſenibus, debilibus & moderate plethoricis: Quando vero Venæ Sectio curatorie inſtituitur, tunc ſi in initio alicujus affectus celebratur, paulo majori quantitate ſanguinis educendus eſt, ſi vero circa finem admittitur, paulo minori: neque in frigidioribus climatibus quoad quantitatem imitari convenit mores Gallorum, qui non raro ad lipothymias usque ſanguinem ſubtrahunt: quodſi proficuum videatur, quo curatoria venæ ſectio repetito ſuſcipiatur, tunc perinde modeſtiæ ſtudendum eſt, ne nimia ſanguinis quantitas ſubtrahatur; interim a tribus unciis ad octo uncias tota quantitas ſubducendi ſanguinis in diverſis caſibus & ætatibus commenſurari poteſt.

§. XXXVI. Ante Venæ Sectionem, præſervatorio ſcopo celebrandam, utile eſt, quo alvus vel liberetur vel modeſte provocetur & partim crasſiores ſordes atque impuritates ex inteſtinis auferantur, ut poſtea alteratio per Venæ Sectionem inducenda efficacior ſit, partim quo incommoda quædam ſtrictura aut frequens obſtructio alvi reſolvatur, ne illa utilitatem Venæ

Sectio-

Sectionis futuram impediat atque offendat: hinc ante Venæ Sectionem moderata talis apertio alvi therapevtica commendanda eſt, quæ etiam nonnunquam commode poſt Venæ Sectionem repeti poteſt, quid quod perquam utile eſſe in praxi medica deprehenditur, ſi imprimis verno tempore poſt Venæ Sectionis celebrationem infuſa vinoſa & medicamenta reſolventia, abſtergentia & evacuantia, diuretica & laxantia ordinantur.

§. XXXVII. Inſtrumenta, quæ ad Venæ Sectionem adhibentur conſiſtunt communiter in illis ſcalpellis myrti formibus ſive Lancettis Chirurgorum, quæ cum ſufficienti acumine, ſed non nimis acuta cuſpite præditæ eſſe debent, neque conſultum eſt inciſionem perpendiculariter in profundum venæ dirigere, ſed in ſuperficie venæ ſecundum rectam lineam illam modeſte, attamen prompte continuare, minime vero repente & impetuoſe cuſpidem lancettæ ſurſum vibrare & ſimul inciſam venam diſtendere, ex qua minus perita inciſione gravisſimi dolores oriuntur, ita, ut in futurum vel vena ægrius coaleſcat, vel moleſti dolores & incommodæ ſuggillationes conſequantur; quidam artifices utuntur phlebotomo, ſive ſimplici ſive cum elatere prædito, qui proinde non nimis acutam cuſpidem habere debet, alias facile vena penitus pertunditur: & in hujus phlebotomi applicatione perinde prudentia eſt uſurpanda, ne nimis arcte & proxime venæ applicetur, neve longius ab eadem detineatur, alias vel vena in priori circumſtantia pertunditur, vel quoad poſteriorem nimis exiguum foramen eidem inducitur, ut poſthac ægrius ſanguis ex eadem effluat.

§. XXXVIII. Haud proficuum, neque etiam neceſſarium eſt duas venas vel in duobus brachiis, vel in duobus pedibus, ſimul aperire: neque poſt Venæ Sectionem adminiſtratam nimis arcte & firmiter pars deliganda eſt, alias vel ſuperficiales ſtagnationes & ſuggillationes moleſtæ concurrunt, vel dolores accidentales invitantur, neque etiam nimis laxe pars deligari debet: proinde non conſultum eſt nimis parce ſanguinem educere, ſiquidem in experientia medica interdum illi peculiares caſus occurrunt, ut poſt parcam talem Venæ Sectionem gravisſimi dolores tenſorii, ſpaſtici, imo plane inflammatorii oriantur, in quo paſſu non aliud conſilium & auxilium ordinari poteſt, niſi ut denuo deligata vena aperiatur & ſanguis adhuc quantitate aliqua emittatur.

§. XXXIX. Venæ Sectio ſi præſervatorie ordinatur, adminiſtranda eſt horis matutinis, quando ventriculus nondum cum conſuetis ſolidis alimentis repletus eſt, alias alteratio, quæ per illam intenditur & urgetur, vix ſingularis ſperari & promitti poteſt: antequam vero illa celebretur ſubjectum ipſum frequentibus & ſenſibilibus refrigeriis corporis ſeſe haud exponere, ſed tempe-

 riei,

riei, quoad aeris uſum ſtudere debet: & ne ex jejunio, quando ſanguinis motus per Venæ Sectionem alteratur, aliqua incommoda, imprimis lipothymica accidant, hinc ad minimum ante Venæ Sectionem una vel altera hora moderata quantitas vel decocti conſueti, vel juſculi dilutioris aſſumenda eſt: ſi poſt factam inciſionem ſanguis difficilius fluere videtur, tunc vel levis commotio brachii, vel pedis fluxum quantisper facilitat & adjuvat: ſi lipothymia imminet, tunc vena & apertura eſt deliganda & ſubjectum in locum declivem transponendum, ut ita ſub tali ſitu ſanguinis progreſſus aliquo modo adjuvetur, minime vero confert ex propoſito eo usque ſanguinem ſubtrahere donec lipothymia ſuperveniat.

§. XL. Poſt Venæ Sectionem adminiſtratam minime confert confeſtim corpus externis quibusdam alterationibus & injuriis ſubjicere, neque aliis patheticis commotionibus offendere, neque etiam nimiæ deſidiæ ſtudere: multo minus vero præſtat mox largioribus ciborum ingeſtionibus inhærere & juxta effœminatam Theoriam per valde nutrientia bonum ſanguinem reparare; quin potius aliquot diebus cibi temperatius & parcius aſſumendi ſunt, ne ita ſubito ſubtracta ſanguinis quantitas reſtituatur: præſtat potius poſt Venæ Sectionem moderatum mobile vitæ genus conjungere, cibos dilutos & temperatos ſeligere & potum ſufficientem conjungere, imo inſuper proſpicere, quo animus in juſta tranquillitate perſiſtat: quando vero quædam ſubjecta ſemel Venæ Sectionis uſui ſeſe ſubmiſerunt, tunc illius repetitionem minime negligere debent, ni gravioribus pathematibus in futurum ſupervenientibus obnoxia ſe reddere maluerint.

§. XLI. Ratione ordinis, quem in præſenti capite ſelegi, nunc Venæ Sectionem ſequitur SCARIFICATIO, quæ perinde in vulgari vita valde uſitata eſt & Tonſorum officio relinquenda: hæc, quamvis non tantas utilitates afferat & inferat, quas Venæ Sectio promittit & præſtat, propterea tamen non exigua commoda arti medicæ ſubminiſtrat: interea quidem Venæ Sectio magis locum invenit in illis affectibus, qui inſolitam repreſſionem & congeſtionem ad vaſa ſanguifera involvunt, adeoque in ſubjectis, quibus vaſa hæc capaciora ſunt, plus proficit: contra vero Scarificatio in ſubjectis carnoſioribus, ſucculentioribus & ſanguinem in partibus muſculoſis copioſius detinentibus & exilibus vaſis præditis magis conducit: & quanquam quidem Venæ Sectio etiam illis affectibus, in quibus ſcarificatio proficit, opem ferat, haud vero Scarificatio illis morbis multum medetur in quibus Venæ Sectio utilis deprehenditur, tamen in quibusdam afflictionibus Scarificatio plus, quam Venæ Sectio utilitatis affert.

§. XLII.

§. XLII. Obſervantur itaque Scarificationes majorem utilitatem exhibere in illis affectibus, qui partes carnoſas plus affligunt atque detinent & in iisdem diverſis ſtagnatoriis & congeſtoriis effectibus ſeſe produnt: quare in capitis doloribus, in ophthalmiis & frequentibus defluxionibus intra oculos, in otalgiis, tinnitu aurium, in frequenti parotidum congeſtorio-inflammatoria offenſione, in odontalgia, in nimio faciei rubore & deformatione cum varis, ut & in pathematibus ſpaſticis, arthriticis & aſthmaticis, denique etiam in frequentiori ſuperficiali inflatione in capite obtingente, utpote qui affectus ſucceſſive irruunt, per intervalla recurrunt & Chronico quodam modo decurrunt, vt propterea in iisdem præſens ventilatio ſanguinis ſpecialem utilitatem afferat.

§. XLIII. Hinc experientia teſte Scarificatio magis ad affectus in ſuperiori corporis regione occurrentes quadrat & ſubinde plus in juniori ætate conducit, quam ſi demum in valde adulta, aut plane ſenili ætate ſuſcipitur: interim etiam ſedulo notandum eſt, quod Scarificatio ſemel ſuſcepta in futurum non omittenda ſit, ni vel priſtini affectus vel majores illorum gradus vel alii adhuc graviores morbi ſupervenire debeant: interea carificatio non tam præſentanee juvat, quia alteratio ., quæ mediante illa inducitur æque minus præſentanea, ſed ſegnior eſt, dum ſanguis tardius educitur.

§. XLIV. Fruſtra Scarificatio ad impuritatem ſanguinis curandam ordinatur; unde non niſi plebeja eſt perſvaſio, quaſi mediante illa, ſanguinis acrimonia temperetur, aut acris ſalſedo inter cutem & carnem ſtagnans una cum ſanguine educatur: obid etiam perperam ad ſcabi m & ad inquinamenta venerea utilis prædicatur; quando vero ſuperficialia quædam ulcera, imprimis ſuperiorum regionum a continuante & perpetuo ſanguinis affluxu impediuntur, quo minus facile vel repurgari, vel conſolidari queant, tunc Scarificatio hæc non tam directe illis ulceribus, quam potius ſuſpecto accidenti, ulcerationem offendenti, opponitur.

§. XLV. Meretur hoc loco atque ordine allegari & commendari Exterorum imprimis Ægyptiorum applicatio & uſus Scarificationis, quando hanc internis narium partibus adhibere ſolent, adeoque variis capitis affectibus congeſtoriis & inflammatoriis cum multa utilitate opponunt, dum in defectu actualis Narium Hæmorrhagiæ hæc artificialis inciſio narium adminiſtratur, neque quidem contra rationem; unde etiam ſalubritas, quæ e tali Scarificatione prodit, experientiam & obſervationem de Ægyptiorum Scarificatione inſtitutam magis confirmat.

Conf. Stahlii Programma de Scarificatione Narium Ægyptiaca.

§. XLVI. Quoad uſum, hæc evacuatio ſanguinis artificialis magis præſervatoriis, quam curatoriis deſtinationibus relinquenda & reſervanda eſt, ſiquidem

ſiquidem per communem ſuam indolem illa magis Chronicum effectum exſerit: interim non deſunt, qui etiam in prædictis affectibus, valde urgentibus, curatoriam illius applicationem admittunt: proinde Scarificatio magis ſupernis partibus, quam infernis vulgo adhiberi ſolet, licet in ſubiectis jam ad adultiorem ætatem pertingentibus, ſucceſſive infernis corporis regionibus eadem applicari queat.

§. XLVII. Cum ad Scarificationem communiter ita dictæ Cucurbitulæ pro ſanguine educendo adhibeantur, ita hac occaſione reminiſcor illius modi inter practicos uſitati, quo in variis affectibus ſub ſpecialiori intentione cucurbitulæ coecæ applicantur, & quidem pro motibus exceſſivis derivandis & avocandis, ne partem quam occuparunt ultro moleſtent; ſicut pro motibus neceſſariis ad certas regiones advocandis & revocandis ſimilis cucurbitulas cæcas applicandi modus utilis exiſtit; unde ad Menſium & Hæmorrhoidum promotionem ab antiquis medicis paſſim commendatæ obſervantur, imo ſubinde ad congeſtionum curam utiles deprehenduntur & vocantur propterea blinde Köpfe zum ziehen.

§. XLVIII. Non æque utile, aut neceſſarium eſt, quo nimis multæ Scarificationes & Cucurbitularum numeroſarum applicationes ordinentur; ſufficiunt quatuor vel ſex tales cucurbitulæ; ſicut etiam non conſultum eſt nimis largam ſanguinis quantitatem educere, tanto minus vero ſalutare eſt iuxta plebejum morem cum ſcarificatione impetuoſas ſudationes conjungere, vtpote quæ immodica ſanguinis inturgefactio ſalutarem alterationem e Scarificatione ſperandam impedit & grauiter turbat: neque etiam peculiarem utilitatem habent Scarificationes in minus conſuetis, vt in Genis, Auriculis aurium, Dorſo manuum, iuxta aures admittere & ſuſcipere, utpote quæ ordinationes magis opinioni, quam veræ experientiæ reſpondent.

§. XLIX. Præſtat Scarificationem ſemel admiſſam impoſterum ſedulo continuare; unde quibusdam in more poſitum eſt vel quater vel ſexies per annum eandem adhibere & quidem cum notabili euphoria: quando vero Scarificatio iterum penitus negligitur, tunc varia damna in futurum hic neglectus invitat; alias quidem vel æquinoctialia vel ſolſtitialia tempora ad Scarificationem commode ſeligi poſſunt & præſtat itidem magis circa decrementum Lunæ eandem admittere; minime vero conſultum eſt confuſe illam adminiſtrare; unde etiam rectius matutinis horis celebratur, quo alteratio efficacior evadat.

§. L. Antequam Scarificatio ſuſcipiatur, utile & neceſſarium eſt, quo corpus a craſſis impuritatibus liberetur, unde alvus leni laxatione aperienda eſt, qualis laxatio etiam poſt Scarificationem admiſſam repeti poteſt; deinde

de ante Scarificationem corpus neceſſaria mobilitate exerceri debet, quo humores vegete per partes carnoſas progrediantur & ſufficienter fluidi evadant; inſuper confert potum ſufficientem conjungere, corpus vero vicisſim a ſenſibilibus refrigerationibus & incommodis tempeſtatibus ſubducere, ne ſuperficies corporis conſtringatur & juſtus effluxus ſanguinis impediatur; hinc ad Scarificationem neceſſariæ ſunt præcedentes partium ſcarificandarum frictiones.

§. LI. Scarificantur vero juxta communem morem varia loca variæque regiones, maxime vero partes carnoſæ, ubi ad tendines ſuos tranſeunt & paululum anguſtantur: uſitatiſſime vero Scarificatio adminiſtratur in ſcapulis, brachiis, femoribus & circa ſuras, imo circa genua, quanquam reliqua loca, quæ paſſim recenſentur non admodum apta ſint, neque ſingularem vtilitatem involvant aut promittant, quando videlicet in reliquo dorſo, lumbis, natibus, circa carpum, in genis, in dorſo manuum & pedum & in auriculis talis ſcarificatio ordinata legitur.

§. LII. Adminiſtratur itaque Scarificatio per uſitatum inſtrumentum atque Phlebotomum, ubi a ſatis multis temporibus inventum & receptum eſt illud ſatis commodum inſtrumentum, quo in unica ciſtula plures Phlebotomi comprehenſi, per elaterem diriguntur, ita ut uno ictu viginti & plura vulnuscula ſatis prompte atque commode infligantur & propterea moleſta et dolorifica repetitio inciſionis, quam multi homines admodum averſantur, neceſſaria non ſit, quibus vero hæc machina deeſt in illis regula eſt ordinanda, ne nimis ſuperficialiter, neve nimis profunde inciſio adminiſtretur; proinde in quibusdam ſubjectis pro copioſiori ſanguinis extractione talis inciſio commode duplicatur: & quo ad loca ſcarificanda ſanguis copioſius affluat, confert antea ſufficienter regiones fricare.

§. LIII. Maxime vero refert, quo Scarificatio cum mundo & puro inſtrumento perficiatur, ne videlicet antea inſtrumentum quoddam adhibitum fuerit ſubjectis cum ferina ſcabie, Lue venerea & gravi ſcorbuto infectis, alias contingere ſolet, ut mediante tali inquinato inſtrumento hæc lues & labes ab impuro in purum corpus transferatur; quæ malitioſa Scarificatio valde evitanda & fugienda eſt, proptereaque a peritis artificibus prohibetur, ſiquidem talia inſtrumenta vel bene antea repurganda, vel non niſi pro impuris corporibus reſervanda ſunt.

§. LIV. Quando poſt Scarificationem adminiſtratam ſanguis e vulnuſculis difficulter effluit, tunc communiter ſpiſſitudo illius in culpa eſt, quare in eiusmodi ſubjectis Scarificatio non immoderate urgeri debet, ſed rectius imposterum ordinare convenit mobile vitæ genus, exercitia corporis, labores, potum ſufficientem, remedia reſolventia, antiſcorbutica, moderate myrrhata &

crocata,

crocata, aromatica & ſalia volatilia, ut & decocta dilutiora calida, conjuncto regimine temperanter calido, quo humores in juſtam & convenientem fluiditatem convertantur & ita in futurum repeti poteſt Scarificatio, ante cujus adminiſtrationem motus corporis ſufficiens, frictio partis & ingeſtio decocti calidi commendari debet.

§. LV. Tertia ſpecies artificialis ſubtractionis ſangvinis conſiſtit in applicatione HIRVDINVM, quæ minime in recentibus ævis inventa & utilis deprehenſa, ſed quæ antiquioribus medicis admodum probata, cognita & uſitata fuit, ut ita per aliquot ſecula hoc auxilii genus in medicina practica ſeſe commendaverit: imprimis vero Hirudines applicantur & ordinantur ad talia loca, ubi neque venæ inciſio, neque Scarificatio vel poſſibilis, vel uſu recepta eſt, e quibus tamen ſangvis eductus non exiguam ſalubritatem futuram promittit: & licet hæc ſpecies depletionis ſangvinis ſenſibilioribus ſubjectis ob animalia, minus delicata, abominabilis videatur, tamen utilitas, quæ ex hac evacuatione ſperanda & promittenda eſt, aliquo modo hanc ſenſibilitatem & averſionem delinire & compeſcere debet.

Conf. Stahlii diſp. de Sanguiſugarum utilitate.

§. LVI. Ejusmodi animalia inter antiquos variis locis applicata leguntur, præcipue venis ſuperficialibus & ſecundum quosdam ipſis arteriis apponuntur, ſicut Amatus Luſitanus & adhuc alii Hirudines intra genitalia mulierum applicandas in Menſium & Lochiorum defectu commendant, ita alii interiori narium regioni easdem apponere jubent, ubi affectibus Narium, Hæmorrhagias excipientibus, mitigandis non ſine fructu ordinantur: quidam fronti, aliqui juxta aures, nonnulli pedibus imponendas eſſe aſſeverant, præ omnibus vero hisce locis magis hæmorrhoidalibus partibus & venulis illic obviis cum eximio fructu imponi debent & ita diverſam ſuam utilitatem ſatis ſolide teſtantur.

§. LVII. Allegantur a fide dignis practicis multiplices affectus in quibus hirudines applicatæ utilitatem ſuam præſtiterunt, omnium maxime vero conducunt ad dfficilem Hæmorrhoidum eruptionem & diverſas anomalias hæmorrhoidales, deinde juvant ad Malum Iſchiadicum, Nephriticum, Mictum cruentum, Vomitum cruentum, Coxendicum dolores, Podagram, Malum hypochondriacum, Palpitationem cordis, Arthritidem, ut & ad Cephalalgias contumaces, immoderatas odontalgias, Melancholiam, Deliria et ſimiles capitis affectus; proinde inter veteres occurrit teſtimonium, quod uſus Hirudinum ad ulceroſos capitis affectus proficuus deprehenſus fuerit, dum videlicet ſuſpectas & incommodas congeſtiones & affuſiones ſangvinis detinuit & revocavit; ſicut paſſim practici adhuc plures et ſpecialiores tales utilitates ex Hirudinum applicatione recenſent.

§. LVIII.

§. LVIII. Quod animalia ipſa attinet, tunc quidem illorum diverſæ ſpecies reperiuntur, ex illis vero tales Hirudines ſeligi debent, quæ e ſtagnis mundis colliguntur, quæ non valde nigricant, aut de viroſo colore participant, neque maculis flaveſcentibus & virideſcentibus conſperſæ ſunt, neque valde grandes exiſtunt; hinc ita ſelectæ Hirudines in aqua munda aſſervari & ſuſtentari, aut in ciſtula argillacea reſervatæ in puro flumine conſervari debent, quo conſtanter munda affluente aqua potiantur, interdum in ejusmodi receptaculum tantillum ſangvinis recentis grumoſi aut ſacchari deponere convenit, quo nutrimentum quoddam inveniant; ut ita aſſervatæ uſibus neceſſariis deſtinari & adhiberi poſſint.

§. LIX. Quando Hirudines ad ſelecta loca, præcipue hæmorrhoidalia applicantur, tunc antea pars illa cum aqua calida ablui & a ſordibus repurgari, deinde cum panno aſperiori moderate fricari debet, quo ſanguis intimius intra ſuperficiem illam affluat, vel ſi hirudines prompte apprehendere recuſent, tunc parti vel guttula lactis vel tantillum ſanguinis recentis aſpergi debet; deinde ipſa hirudo una vel altera, prout plus vel minus ſanguinis educi debet, cum linteolo moderate circa caput apprehenſa ad locum iſtum apponenda eſt; imo cavere convenit, ne eadem antea immodeſte comprimatur & irritetur, alias morſus inflictus vel ſuſpectam Hæmorrhagiam poſt ſe relinquit, vel non bene conſolideſcit; unde animalculum tale omnino modeſtam tractationem poſtulat, ſiquidem tubercula hæmorrhoidalia, quæ diu ſubſtiterunt in quibus ſanguis coagulatus hæret, Hirudo ob ſenſibilitatem ſuam delicatam non apprehendit, uti etiam in ſubjectis dyſcraſia ſanguinis laborantibus, vel difficulter, vel non parum ſugit.

§. LX. Quando Hirudines convenienter ſugunt, tunc non maturius ſugere ceſſant, niſi ſaturatæ fuerint; poſt obſaturationem ſponte decidunt; nunquam vero cum vi avelli debent. Quando majorem ſanguinis copiam exſugere debent, tunc ipſis apex caudæ diſcindi poteſt, unde ſucceſſive ſanguis in ſuperpoſitam patellam tranſtillat: ſi poſt ſufficientem ſuctionem non ſponte decidunt, tunc illarum avulſio promoveri poteſt, quando earundem capiti vel corpori acriores cineres, ut Clavellati vel Tabaci vel Sal commune aſperguntur, vel quando fumus tabaci easdem attingit; ſi vero nunc deciderunt & ſanguine adhuc turgidæ ſunt, tunc cum tantillo ſalis conſpergi poſſunt; unde deglutitum ſanguinem omnem iterum evomunt, ut ſanguis in quantitate ſua deinde æſtimari poſſit: denique etiam aliquando Hirudines ad varices indolentes applicari debent &, ſi poſt illarum avulſionem apertura aliquandiu ſanguinem fundere continuet, tunc uſus ſpirit: Vini rectific: ulteriorem talem fluxum cohibet.

§. LXI. Dum hactenus de applicatione Hirudinum & inter alia quidem ad loca hæmorrhoidalia ſermo habitus fuit, mox placet brevi ſignificatio-

ne huic conſiderationi ad latus jungere illam ſpecialiſſimam ſanguinis evacuationem, quando in locis hæmorrhoidalibus conſpicua quædam tubercula ſanguine repleta efflorescunt, quæ tamen non perrumpunt & quibus propterea ad præoccupandos dolores, ardores, aliosve ſiniſtros ſucceſſus tempeſtiva ventilatio concilianda eſt; præcipue ſi hirudines eadem apprehendere reſpuant; quare convenit ejusmodi puſtulas ſuperficiales & veſiculas, quæ interdum piſi magnitudinem adæquare ſolent, cum Lancetta modeſte aperire, ſed ſubinde caute proſpicere, ne inciſio nimis magna aut nimis profunda fiat, utpote quæ Chirurgica Hæmorrhoidum apertio ſæpe multam utilitatem affert.

§. LXII. Supereſt ultima ſpecies artificialis ſubtractionis ſanguinis, quæ conſiſtit in ARTERIOTOMIA, quando videlicet ſuperficialis quædam & quidem exigua arteria aperitur, ut ſanguis confeſtim & uno quaſi impetu effluat, adeoque hic effluxus repentinam quandam alterationem poſt ſe relinquat: hic modus ſubtrahendi ſanguinem antiquioribus medicis magis uſitatus deprehenditur, quam in recentioribus temporibus; quemadmodum hodienum encheiriſis ſecandi arterias Chirurgis non admodum cognita eſt, de quo defectu etiam Severinus conqueritur, vel homines delicati in hodiernis temporibus talem modum ſubducendi ſanguinem admodum averſantur, vel etiam alii nimio metu illum proſequuntur, vel ob accidentalia ſiniſtra conſectaria extreme eundem fugiunt; interim inter veteres Arteriotomiæ frequentior mentio injicitur, quemadmodum etiam obſervatores referunt, quod hic modus mittendi ſanguinem Ægyptiis olim uſitatus fuerit.

§. LXIII. Quo magis vero præ reliquis ſpeciebus artificialium evacuationum ſanguinearum Arteriotomia certis & ſingularibus difficultatibus ſubjecta eſt, eo magis propterea ad certos & ſingulares caſus illius ordinatio reſervari debet: in genere quidem conducit, ubi valde ſenſibilis & repentina alteratio neceſſaria eſt & ubi in exiguo temporis ſpatio magnam ſanguinis quantitatem emittere decet; hinc ſcriptores illius utilitatem in Apoplexia, in Phrenitide, in Vertigine caduca, in deliriis furibundis, in immodicis capitis doloribus collaudarunt, in quibus & adhuc aliis affectibus varii periti & fidi practici ex experientia Arteriotomiæ utilitatem teſtari poſſunt.

§. LXIV. Seligitur vero ſuperficialis quædam arteria exilior vel in temporibus vel circa aures, ubi Chirurgi indagationem illius arteriæ certis adminiculis & præceptis commendare & indicare ſolent; & talis arteria cum Lancetta inciditur, licet Severinus etiam plenariam diſſectionem arteriæ commendaverit, quando forte ſanguinis fluxus coerceri non poteſt, in quo ſtatu ſubſtituendam colligationem arteriæ, transverſim diſſectæ, injungit: quodſi

etiam

etiam valde exilis ſuerit arteria, qualis ramulus per gingivas diſcurrit, tunc in enormi & antehac incoercibili odontalgia, quidam medicorum illius diſſectionem ordinarunt, ubi ramulus diſſectus retrahitur & ſuccesſive obfirmatur ac coaleſcit, quale quid vero in capacioribus ramulis haud expectandum eſt, unde rectius deligatio illla neceſſaria erit.

§. LXV. Quando arteria inciditur, tunc illa difficultas interdum occurrit, quo minus facile eadem ad neceſſariam coalitionem perduci queat; unde interdum ominoſum quoddam Anevriſma accidit, quod periculoſos effectus & eventus involvit & licet artifices hanc conſolidationem per terram Vitrioli dulcem aliaque potentiora adſtringentia abſolvere ſperent, tamen hæc ſpes interdum decollat & deſtituit artificem: optime vero pro compeſcendo ulteriori ſanguinis fluxu convenit impoſitio laminæ plumbeæ & proximior & ſufficienter arcta compresſio: ſi vero tali modo conſolidatio obtineri non poteſt, mox artifex ſeſe ad deligandam arteriam accingat. Et hæ ſunt ſingulæ illæ animadverſiones Therapevticæ, quæ ad explicationem artificialium evacuationum ſanguinearum ſpectant.

CAPUT VI.

DE PHARMACEUTICA HÆMORRHAGIARUM PROMOTIONE.

§. I.

HActenus dictum fuit, quomodo Chirurgico & externo auxilio nimius & moleſtus ſanguis educi debeat, nunc agendum erit, quomodo per interna & pharmacevtica adminicula ſalutares ſanguinis excretiones promovendæ, adjuvandæ & revocandæ ſint, ut eo ipſo iterum illa vtilitas acquiratur, quo ſuperfluus, inutilis & moleſtus ſanguis ventiletur, cum illius præſentia variis incommodis & morbidis afflictionibus anſam præbeat.

§. II. Et hæc operatio Therapevtica non quidem raro in medicina practica intenditur, ſiquidem vel in ſolo Menſium negotio tot caſus & occaſiones contingunt, quo juſtus illorum fluxus facilitari aut reſtitui debeat; & in hac ipſa quidem methodo imitatur Therapevta Naturam, quæ, quando per ſpontaneos motus Hæmorrhagias tales ſalutares continuare ceſſat, tunc ejusmodi

M 3 arti-

artificiali adjumento indiget, ne in hac negligentia ſubſiſtat & inſoleſcat, ſed, quo officii ſui memor reddita, priſtinas utiles & neceſſarias Hæmorrhagias innovet atque adminiſtret.

§. III. Minus vero conſulta eſt illa operatio therapevtica, quando cognita ſalubritate diverſarum Hæmorrhagiarum indiſcretim quisque audeat ejusmodi Hæmorrhagiæ ſpeciem ludicre & ſine ulla ratione impellere & provocare, quando in ſubjecto quodam neque conſenſus temperamenti, neque ratio ætatis & opportunitatis, neque diſpoſitio ad talem ſpeciem Hæmorrhagiæ, neque prævii apparatus, nedum quidem actuales prægreſſæ eruptiones adſunt; qualis conatus non modo rationi, ſed & experientiæ repugnat & loco ſperatæ aut promiſſæ ſalubritatis eximia damna & pericula infert.

§. IV. Differunt vero Hæmorrhagiæ ſpontaneæ quoad ſimplicem ſuam utilitatem, ſiquidem primariæ tales profuſiones ſanguinis, legitime ſuccedentes, ſimpliciter utilitatem ſuam inferunt, & tales ſunt: Hæmorhagiæ Narium, Menſes, Lochia & Hæmorrhoides, ſecundariæ vero ſunt inſolitæ illæ Hæmorrhagiæ, quæ prioribus deficientibus ſubordinantur, ut: Hæmoptyſis, Vomitus cruentus, Mictus cruentus & Varices: & hæ poſteriores non modo multa incommoda involvunt, ſed & facile ſiniſtre excurrunt, licet neutiquam ad pernicioſum effectum & eventum præuiſæ & ſuſceptæ fuerint: ob id hoc loco de primariarum Hæmorrhagiarum rationabili, ſecura & perita promotione interna tractandum erit.

§. V. Et dum ſanguinis abundantia ab ipſa natura ſpontaneo conſilio atque conatu per poſitivas tales Hæmorrhagias imminuitur, ita fruſtraneum eſſet huic legitimo naturæ actui illotas manus immiſcere velle, quando ſibi ipſi ſufficit & ſatisfacit; quare Hæmorrhagiæ legitime ſuccedentes minime ita temere augendæ & impellendæ ſunt, e quo perverſo conamine magis legitimus Hæmorrhagiarum ſtatus perturbabitur; quapropter tunc hoc therapevticum auxilium locum invenit, quando natura in ſuo ſpontaneo officio deficit & delinquit, ſive nunc tales Hæmorrhagiæ exigue & in ordinate ſuccedant ſive penitus retineantur & ſuppreſſæ fuerint.

§. VI. Quam ſalubre & conſultum vero ſit, Hæmorrhagias utiles præmature & cum præjudicio ſanitatis emanentes promovere & reſtituere, tam intricata tamen & difficilis hæc eſt methodus, imprimis in ſubjectis admodum plethoricis, valde ſenſibilibus, ad febres & turgefactorias ſanguinis commotiones pronis, in quibus propterea facilius & certius incommodi quidam effectus metuendi ſunt, ita ut hæc methodus cum maxima prudentia exerceri & dirigi debeat, neque pro directa & indiſcretim probata, aut applicanda haberi & æſtimari.

§. VII.

§. VII. Et quando hæc methodus a prudenti artifice neceſſaria & utilis judicatur, tunc ante omnia proſpiciendum eſt, an ipſa natura ad talem actum adhuc conſentiat, proclivis ſit & propriis ſuis motibus concurrat; an vero ipſa contumaciter motus retineat & cum iisdem in alia loca decumbat, in quo paſſu fruſtra cum vi & impetu naturam ita errantem emendabit & coercebit artifex: deinde providendum eſt, an ſanguis, qui ad excretionem ducendus & promovendus eſt, etiam ſufficienter fluidus & mobilis exiſtat, ne, ſub defectu hujus fluiditatis, loco evacuationis ſalutaris, ſuſpectus & periculoſus partium infarctus oriatur: denique inquirendum eſt, an in ſubjectis adſit ſufficiens viarum apertura, quodſi enim hæ viæ, per quas evacuatio urgenda & promovenda eſt, rigidius conſtrictæ fuerint, tunc iterum ſuſpecta erit reliqua artificialis talis Hæmorrhagiæ promotio.

§. VIII. Eo magis vero refert, antequam hæc methodus adhibeatur, notare, an ab ejusmodi evacuationibus ſanguinis diu natura abſtinuerit & vicarios quosdam hæmorrhagicos apparatus in vias inſolitas transtulerit; ubi minime ſecurum eſt, illo tempore, quando ex aliis locis acriter natura enititur, eandem in congrua loca immoderate impellere & cogere velle: porro temerarium opus eſſet, ſi quisquam Hæmorrhagias tales urgere & promovere ſuſtineret, quando eædem non amplius rationi ætatis reſpondent, id quod valet de Narium Hæmorrhagiis, quæ in adultiori ætate non revocandæ atque excitandæ ſunt.

§. IX. Multo minus vero convenit hanc methodum ordinare, quando ex ſuppresſis Hæmorrhagiis primariis jam alia damna & pathemata in individuo orta ſunt; dum vel ſuſpecti Scirrhi, vel affectus hectici, phthiſici confirmati, cachectici, hydropici, nephritici & ſimiles alii ſupervenerunt, in quo ſtatu non modo prægreſſæ Hæmorrhagiæ ægerrime revocantur, ſed & præſentes affectus magis exacerbantur: aut, ſi denique illi ſanguinei fluxus ad perruptionem pertingunt, magis pernicioſam, quam fructuoſam efficaciam exhibent.

§. X. Quam utile vero eſſet, quo convenienter & tempeſtive tales Hæmorrhagiæ revocentur, tam difficilis tamen eſt methodus illa, per quam id præſtare debet, aut poteſt medicus, quoniam nulla talia remedia in pharmaciæ penu conſtant, quibus directe, proxime & immediate tales Hæmorrhagiæ promoveri poſſent, ſed omnia talia auxilia tantum univerſalia ſunt, licet toties Menſes moventia appellentur, dum non niſi genericum impulſum ſanguini communicant, ſub quo denique expectandum eſt, an natura ad ſpecialem hanc ſanguinis congeſtionem & perruptionem promoveri & invitari poſſet; id quod etiam valet de illis evacuationibus per interna auxilia excitatis,

quæ

quæ Hæmorrhagias promovere debent, utpote quæ iterum non niſi generali effectu ſubveniunt.

§. XI. Pro hac methodo revocandi & promovendi Hæmorrhagias ſalutares unum ſubjectum præ altero magis habile & idoneum conſpicitur, quemadmodum in aliquibus hominibus prægreſſæ Hæmorrhagiæ haud ita tenaciter obſtructæ & retentæ ſunt, quin paulo facilius reſtitui queant: & quando ob immoderata animi pathemata præcedentis Hæmorrhagiæ obſtructio cauſata fuit, tunc minime ſecurum eſt, ſubito hanc methodum applicare, ex qua contraria operatione non niſi periculoſi, repentini & acuti effectus metuendi erunt; quemadmodum etiam cum eadem methodo minime ſimul & ſemel Hæmorrhagia deficiens urgenda & impellenda eſt.

§. XII. Excipiunt itaque pro meliori applicatione hujus methodi indicationes, quæ promittunt, quo Hæmorrhagiæ ſubſiſtentes revocentur, unde talem methodum indicant 1) Subjecta, quæ antea certis & ſalutaribus hæmorrhagicis ſpeciebus adſueta fuere: 2) in quibus tamen plethora non valde turgida, ſed aliquo modo antea ventilata fuit 3) præprimis, quæ in reliquis ſuis motibus moderatiora neque nimium ſenſibilia ſunt: 4) & quæ non nimis diu tales Hæmorrhagias amiſerunt 5) ut &, quæ non interna quadam labe laborant 6) ſed quæ de temperamento tranquilliori participant 7) tanto magis, ſi in iisdem artificialis Chirurgica opitulatio ſufficienter ſuccurrere non poteſt 8) & quando ex ſuppreſſis & retentis illis Hæmorrhagiis imminens futurum damnum certius metuendum eſt 9) omnium maxime vero, quando ipſa natura individui ad reſtitutionem hujus Hæmorrhagiæ conſentit & concurrit, neque 10) in alias contumaces evagationes & anomalias degeneravit: 11) ut &, ſi ætas congrua adhucadeſt, neque denique 12) perverſæ quædam medicationes præceſſerunt.

§. XIII. Contra indicatur vero hæc methodus etiam in variis caſibus & circumſtantiis, præcipue 1) præſente Phthiſi 2) & actuali Hectica aut illius certioribus initiis 3) quando congeſtoriæ commotiones jam actu ſubjecta detinent, 4) aut quando perfecta inflammatio adeſt, 5) ſi ſubjectum vehementioribus ſpasmodicis commotionibus expoſitum aut 6) plane convulſivis affectibus obnoxium eſt 7) quando in febriles commotiones facile propendet, 8) ſi affectus actuales Cachectici & hydropici adſunt 9) ſi nimium turget plethora 10) & ſubjecta inſuper gravioribus ſpumefactoriis ſanguinis commotionibus ſubmiſſa ſunt 11) quando jam diu Hæmorrhagiæ præcedentes retentæ fuere 12) ſi ſuſpecti quidam affectus hæreditarii & habituales intercurrunt: 13) ſi viæ nimium conſtrictæ ſunt: 14) ſi eximia ſanguinis ſpiſſitudo adeſt: & ſi denique 15) ordinariæ excretiones valde turbatæ aut oppreſſæ ſunt.

§. XIV.

§. XIV. Priusquam hæc methodus ipſa applicetur, ſalutare erit, corpus ad illius efficaciorem & meliorem adminiſtrationem convenienter præparare, ne in illo aliqua offendicula remaneant, quæ ſpem & ſalubrem effectum deſtituunt: quapropter convenit tempeſtive revocationi talium ſalutarium Hæmorrhagiarum operam dare, deinde ſanguinem per motum & potum ſufficientem in convenientem fluiditatem vertere; porro crasſiores ſordes e primis viis per moderatas laxationes, præcipue per Infuſa cum epicraſi efficacia repurgandæ & educendæ ſunt: Et, ſi ſanguis nimium abundat & turget, tunc antea præſtat, ſi occaſio permittit, Chirurgica ſubtractione nimium pondus illius imminuere, quo præcipue Venæ Sectio ſpectat, quid quod denique in quibusdam ſubjectis commode uſus balnei moderatus conjungi poteſt: quæ ſingula generalia ſunt adminicula in qualibet Hæmorrhagiarum promotione ſubvenientia.

§. XV. Et ita nunc ad ſpecialem Therapevticam tractationem procedo, ubi primo loco de promotione & revocatione *Hæmorrhagiarum Narium* dicendum erit, hæc præ ſingulis reliquis difficillime revocari poteſt: & quod interna remedia attinet, tunc in quibusdam ſubjectis potus vini generoſi & cibi aromatici uſus huc nonnunquam quadrat; quo etiam motus vegetior corporis convenit: ſalium volatilium vero uſus non adeo ſecurus eſt, niſi odor illorum in ſenſibilibus quibusdam ſubjectis interdum talem Hæmorrhagiam excitet; inter alia adminicula, quæ quidem non interne offeruntur, commendatur herba Millefolii cum foliolis ſuis horumque acuminibus intra nares immittenda, præprimis illo tempore, quando molimina talia hæmorrhagica adſunt: id quod etiam Lipſius de radice Crocodilii aſſeverat: minus conſulto vero ſternutatoria in uſum trahuntur.

§. XVI. Pro MENSIUM revocatione & promotione vulgo quidem multa ſic dicta Emmenagoga remedia recenſentur, quibus etiam pasſim eximia virtus adſcribitur, quam tamen ſpeciali & directo effectu non comprobant, quin potius in genere ſanguinem impellunt atque commovent; ubi vero cum cura proſpiciendum & inquirendum eſt, an tempeſtive illa cauſa tolli posſit, quæ ad Menſium ſuppresſionem contribuit: ita enim evenit, ut, ſi Menſes e diætæ vitio ſuppresſi fuerint & incongrua alimenta vel in ventriculo, vel in inteſtinis adhuc hæreant, tunc moderata vomitio, aut purgatio Menſium revocationi inſerviat; aut ſi ex animi pathemate Menſium obſtructio ortum traxerit, ut mox animus complacetur & repetita laxatio per Rhabarbarina remedia aut infuſa Rhabarbarina commendetur: id quod etiam de reliquis cauſis valet, quæ mox in prima ſua efficacia atque concurſu corrigi debent.

§. XVII. Quod vero remedia ad Menſes promovendos & revocandos vulgo commendari ſolita attinet, tunc eorundem multa commemorantur, qualia vel humores in genere commovent, vel catotericam evacuationem intenſius urgent, ob id quoad poſteriorum conditionem repetitæ purgationes aut diureſes, quæ cum aliquo ſtimulo ſuccedunt, Menſibus revocandis deſtinantur: reliqua emmenagoga ſunt communiter calidioris indolis, & quidem Radices Angelicæ, Ariſtolochiæ, Carlinæ, Galangæ, Zedoariæ; Herbæ Artemiſiæ Matricariæ, Pulegii, Rorismarini, Sabinæ, Rutæ, Serpilli, Flores Schænanthos, Cheiri, Rorismarini, folia Lauri, & baccæ eiusdem, ſemina calida, aromata ſingula, ſynapi, baccæ Juniperi, Piper; ex quibus varia componuntur, quæ in diverſis formulis offeruntur; his accedit præcipue Myrrha & Crocus, nec non Borrax veneta, Balſamus Peruvianus, Elixirium P. P. Aloes & Balſamus ſulphur: aniſat. vel ſuccinatus, qui ultimus non niſi in fœminis frigidioris indolis admittendus eſt: & ex ejusmodi ſpeciebus parantur Infuſa, Decocta, Eſſentiæ, Spiritus, Extracta, quæ huic ſcopo applicantur, modo etiam caute ordinentur: denique Caſtoreum a quibusdam hisce remediis annumeratur, cujus effectus vero æque dubius eſt.

§. XVIII. Ad illa auxilia, quæ Menſium promotioni dicantur, magnis titulis a practicis referuntur Martialia, quibus ſpecialis virtus aperitiva adſcribitur, quanquam vero hæc efficacia ipſis haud adſit, tamen interdum pro ultima Menſium eruptione adjuvanda, moderata quantitate adhibita proſunt; id quod etiam valet de Salibus volatilibus, quæ ſubinde in ſubjectis temperatioris indolis conducunt: non minus Menſibus impellendis diæta aromatica & vini uſus quadrat, prout de reliquo mobile vitæ genus Menſium reſtitutioni non parum inſervit; cavendum tamen eſt, ne immoderata corporis commotio ſuſpectos viſcerum infarctus & moleſtas humorum ſpumeſactorias turgeſcentias inferat.

§. XIX. Præſtat vero quo hæc auxilia ſub juſta methodo adhibeantur, cum promiſcuus eorundem uſus magis ſuſpectis & ſiniſtris effectibus concitandis quadret: ob id ante omnia convenit moleſtam ſanguinis quantitatem per Venæſectionem in pede inſtituendam imminuere, deinde conveniunt repetitæ & moderatæ laxationes & pediluvia, frictiones femorum, Cucurbitularum cæcarum applicationes ad regionem coccygis atque femora, ut & Clyſteres modeſte ſtimulantes atque inſeſſus cum herbis moderate nervinis parandi; conferunt etiam Peſſaria magis e nervinis, quam ſtimulantibus ſpeciebus paranda; & quando illa tempora appropinquant, quibus Menſes recurrere deberent, tunc, & non maturius, remedia Menſes promoventia, uſurpanda ſunt; proſpiciendo, quo eadem parcis doſibus, attamen repetito offerantur: quo tempore etiam

mobi-

mobile vitæ genus, accuratam diætam, uſum vini & pediluvia conjungere præſtat.

§. XX. Sequuntur HÆMORRHOIDES, quæ etiam interdum promotione & provocatione prudenti indigent, imprimis in ſubjectis vere & exacte hæmorrhoidariis, quibus olim Hæmorrhoides actu fluxerunt, aut in quibus vera & contumacia molimina hæmorrhoidalia urgent & adſunt; in quibus tamen fluxus ſubſiſtens aut deficiens cum maxima modeſtia adjuvari & revocari debet, quoniam negotium hæmorrhoidale eximie delicatum eſt & facillime offendi & confundi poteſt; tanto magis per methodum, quæ illarum revocationi vulgo deſtinatur & cum impetuoſis commotionibus aut temerariis ſtimulationibus exercetur.

§. XXI. Auxilia vero, quæ Hæmorrhoidibus revocandis quadrant, varia occurrunt, quæ tamen perinde perita & moderata applicatione indigent: vulgo quidem Aloes & Helleborus niger huc commendantur; ſed convenit utraque remedia in parca quantitate & bene correcta, neque nimis frequenter & confuſe adhibere: & quidem ad revocandos motus hæmorrhoidales eadem in forma Extractorum conducunt: ad perrumpendas denique Hæmorrhoides in forma Tincturæ conveniunt, ſicut hoc nomine conſtat Aloetica illa Tinctura aut Elix: P. P. quemadmodum niger ille Helleborus etiam in Infuſo vinoſo pro hoc ſcopo convenit.

§. XXII. Proinde Hæmorrhoidibus provocandis & promovendis conducunt aromatica ſubjecta, imprimis vero Piper, Sinapi, Allium, Cepæ, Armoracia & Zingiber, magis diætetice, quam pharmacevtice uſurpanda, neque magnis quantitatibus aut frequentibus uſibus injungenda, quidquod magis præſervative quam curative ordinanda, multo minus vero illis temporibus urgenda, quibus incongruæ quædam commotiones ſpaſticæ anomalicæ adſunt, aut quando ordinariæ excretiones occluſæ ſunt: præterea etiam Crocus convenit, perinde parciſſima quantitate commendandus, nec non vina generoſa Gallica, Hiſpanica, Hungarica aliaque ſpirituoſa exotica, diætetice & præſervatorie magis, quam curatorie pro hac intentione ordinari & concedi poſſunt.

§. XXIII. Vtut vero minime ſecurum & rationale eſt, motus & exitus hæmorrhoidales ſtrenue, operoſe & impetuoſe proſequi, ſed potius maxima lenitas & temperatiſſima methodus requiritur, ita magis ſucceſſive, quam ſimultanee Hæmorrhoidibus promovendis opera danda eſt: hæc methodus in eo conſiſtit, ut alvus non modo placide aperiatur & leniatur, ſed & in tali tranquillo ſucceſſu conſervetur, deinde ut urgente nimia ſanguinis quantitate Venæ Sectio moderata in pede inſtituatur; porro ut alio tempore poſt præmiſſam moderatam locorum hæmorrhoidalium frictionem hirudines applicentur, ut pediluvia

N 2 con-

conjungantur, mobile vitæ genus concilietur, moderata laxatio interponatur & ita ſucceſſive prædicta auxilia tam ex diæta, quam ex pharmacia petita conferantur; utpote quæ methodus longe magis proficit, ſi Hæmorrhoidum revocatio ſperanda eſt, quam alia qualiscunque rigoroſior & impetuoſior.

§. XXIV. Sequuntur denique LOCHIA, quæ interdum aliqua promotione & revocatione indigent, præcipue cum eorundem imminutio & ſuppreſſio gravioribus morbis anſam præbeat: præſtat vero huic fluxui non niſi tempeſtive & antequam in retentione ſua confirmatus eſt, ſuccurrere, imo confert eundem perquam leniter & temperanter tractare, quoniam ex vehementi illius proſecutione vel inflammationes internæ vel repentinæ corruptiones putridæ vel febres acutæ vel etiam horridæ convulſiones oriuntur; unde perinde in illius ſecura & efficaci promotione prudentia & dexteritate opus eſt; multo minus vero convenit illum ſimul & ſemel in- & expellere, ne dum quidem per valde calida & multa talia remedia aut regimina cogere, ſed æque maxime tranquillam methodum præferre & ſeligere.

§. XXV. In promotione & revocatione Lochiorum imprimis confert advertere cauſas, quæ ad illorum defectum contribuerunt, ſicut imprimis inverſi motus tonici et ſpaſtici frequentius huic afflictioni anſam præbent, in quo ſtatu magis temperantia & ſelecta ſedativa, excluſis internis Caſtorinis conducunt: aliquando vero ad ejusmodi tonici motus alterationem animi pathemata contribuunt, quibus leniendis & componendis auxilium ordinandum eſt: nonnunquam externa refrigeria ad hæc vitia Lochiorum concurrunt, quibus per moderate calidum regimen & frictiones ſubvenitur; denique antiſpaſmodica, temperata alexipharmaca & in fœminis frigidioris indolis, remedia motus paululum excitantia, ut Myrrhata & Crocata, in refracta tamen quantitate, conducunt.

§. XXVI. Ad Hæmorrhagias hactenus hoc ordine explicatas rite dirigendas & in ordinem congruum ducendas, præ omnibus reliquis compoſitionibus, conveniunt pillulæ balſamicæ Stahlianæ genuinæ, quæ perinde ſub perito & prudenti uſu deficientes tales hæmorrhagias magis ſucceſſiva & placida methodo, quam ſimultanea quadam coactione promovent atque revocant, ita tamen, quo ſub earundem uſu debitum regimen conjungatur, &, quo iisdem neceſſaria mora pro effectu ſuo præſtando permittatur, neve illarum effectus per incongruas medicationes & ſiniſtrorum artificiorum oblationes perturbetur, ſiquidem illarum modus operandi magis temperatus & ſimul ſecurus, quam impetuoſus eſt, hinc ſub tali temperata methodo cum majori ſpe ſatisfaciunt, quam ſi temere ad tales effectus inducendos urgeantur.

CA-

CAPUT VII.

De

THERAPEVTICA SANGVINIS DEFICIENTIS RESTITVTIONE.

§. I.

Quanquam præſens tractatio haud directe huic ſectioni, in qua de Evacuatione ago, reſpondeat, tamen occaſione ita ferente eandem interpono & præcedentibus conſiderationibus therapevticis, in quibus de ſuperflui ſanguinis ſubtractione actum fuit, ſubjungo: ita enim interdum occurrunt ejusmodi afflictiones & neceſſitates, ubi neceſſaria ſanguinis quantitas actu deficit, quando vel enormis & exceſſiva Hæmorrhagia, vel eximius alimentorum defectus præceſſit, ut propterea magna pericula, omnino repente inſultantia, metuenda ſint, ni prompte & tempeſtive, attamen etiam congrue hic defectus ſuppleatur & compenſetur.

§. II. In hoc actu reſtituendi ſanguinis deficientis ars medica non ita multum valet, ſiquidem Sanguificatio non artis, ſed naturæ opus eſt, propterea etiam artifex ſollicite obſervare debet, quo una naturæ vires & activitatem concernat, ne videlicet ſub hac intentione illam languentem magis obruat, & ſimultanea remediorum aptorum oblatione turbet, quapropter in toto hoc negotio in tantum naturæ ſubvenire convenit, ut 1) eadem quoad vires neceſſarias ſublevetur & erigatur, 2) ut eadem in negotio inſtituendæ & continuandæ Sanguificationis ita modeſte tractetur, ne vel nimia vel incongrua ſubjecta eidem offerantur.

Conf. Stahlii Diſp. de Sangviſicatione.

§. III. Et dum ars medica directe officium concoctionis & Sangvificationis non adminiſtrat, ita tantum talia ſubſidia adhibet, quæ partim naturam ad hoc officium invitant atque excitant, partim quæ materiam præbent, e qua ſanguis præparari poteſt; quo loco vero cavendum eſt, ne talia alimentoſa ſubjecta exhibeantur, quæ præcurrente laborioſa præparatione & concoctione indigent; inde enim debiles naturæ vires magis deſtruuntur; proinde etiam convenit non ſimultanee magnam ſanguinis copiam præparare, quoniam in tali ſtatu nobiliora organa ob eximiam ſanguinis penuriam collapſa, imo etiam interdum conſtricta ſunt, ut ejusmodi incongruæ diſpoſitioni copioſa ſanguinis re-

paratio & alimentorum prævia ingeſtio, non ſatis apte reſpondeat, quoniam exinde periculoſæ oppletiones atque ſtaſes extimeſcendæ ſunt.

§. IV. Abſolvitur hæc reparatio ſanguinis deficientis non alio actu, niſi per præviam alimentoſarum ſubſtantiarum oblationem & converſionem chyli in lympham & ſubſequentem ipſum actum, principia, ſanguinis conſtitutioni conformia, miſcentem: quo loco quidem in mentem incidit illud quorundam curioſorum experimentum, quo per transfuſionem ſanguinem ſincerum in aliud corpus dimittere, adeoque defectum reſarcire cogitant; quod experimentum vero multis difficultatibus expoſitum eſt, neque etiam ſatis idoneum, ſi homini loco ſanguinis humani, ſanguis brutinus reſtituitur, quoniam mixtio humana plane ſpecialis eſt, ita ut corpori humano mixtum ſimpliciter brutinum non ſatis bene in eiusmodi neceſſitatibus conveniat: hinc potius talia adminicula ſubminiſtranda ſunt, quæ meliori relatione homini conducunt.

§. V. Multum porro refert circumſpicere & diſquirere, quænam ſpeciales circumſtantiæ in prægreſſa ſanguinis amiſſione concurrerint, quoniam ex nimia animi trepidatione maiores virium defectus oriuntur & concurſant, quibus ante omnia obviam ire debet artifex; alias difficulter reparabitur ſanguis, vel ſi etiam reparatur, non admodum purus & craſi ſua laudabilis generabitur: deinde interdum accidit, ut ſub prægreſſa ſanguinis dilapidatione artificia & tentamina adſtringentia oblata & liberali manu uſurpata fuerint, quæ ſuſpectam viſcerum occluſionem poſt ſe relinquunt, qualis deinde futuram ſanguinis reſtitutionem non parum impedit, cui propterea removendæ perinde ſedulam operam dare debet Therapevta.

§. VI. Proinde hoc negotium reparandi ſanguinis multum impedit atque turbat, ſi in prægreſſo affectu remedia trivialia opiata & ſimilia narcotica inconvenienter & immoderate adhibita fuere, quæ non modo gravem virium defectum poſt ſe relinquunt, ſed & œconomiam animalem reliquam ita turbant, ut negotium digeſtionis & ſanguificationis impoſterum ſatis perverſe & confuſe ſuccedat, imo reliquæ neceſſariæ excretiones cum maximo ſanitatis detrimento perturbentur; huic præjudicio in tantum proſpicere debet artifex, quo conſequentia incommoda pro viribus arceat, adeoque motus & effectus vitales in ordinem legitimum transferat, nec non ſuſpecto illi languori, qui ex Opiatorum uſu ortus eſt, rite emendando, congruam opem afferat.

§. VII. Exinde facile liquet, quam diverſos ſalutares actus ſubordinandos hæc reparatio ſanguinis involvat, ita videlicet, ut non modo juſta naturæ activitas, ſed & ordinata vitalium motuum proſecutio reverti debeat; proinde convenit, quo connexæ ſenſationes internæ & externæ iterum reficiantur

antur, ne continuante quodam languore laborent, ut & porro reſpectu œconomiæ vitalis neceſſe eſt, ſanguinem in juſta craſi & conſiſtentia conſervare, debitas Se- & Excretiones tam ordinarias, quam extraordinarias promovere & æqualem totius maſſæ ſanguineæ diſtributionem adjuvare, ita eveniet, ut non modo reparatio ſanguinis rationabiliter perficiatur, ſed & quo conſtantem atque certam euphoriam poſt ſe trahat.

§. VIII. Et juxta has animadverſiones præſtat etiam indicationes juſte adornare, quæ huic negotio reſpondent, ob id indicant reparationem ſanguinis 1) prægreſſæ excesſivæ Hæmorrhagiæ, ſed vere tales, ſiquidem in quibusdam ſubjectis cum euphoria largiores Hæmorrhagiæ contingunt 2) prægreſſa diuturna fames, ſub qua ſanguinis neceſſaria copia valde imminuta fuit, 3) prægresſi diuturni & graves morbi, in quibus ob appetitus & concoctionis defectum ſanguis nimia quantitate depauperatus fuit: 4) ſufficiens virium præſentia aut concurrentis energiæ naturæ ſufficiens reditus atque tenor: 5) debita viarum aptitudo, (ne in illis locis defectus aut vitium ſubſit,) quæ ad reparationem ſanguinis applicari debent: 6) opportunitas temporis, ne videlicet ſerius & magis præpoſtere reſtitutioni ſanguinis manus adplicentur.

§. IX. Contraindicationes fluunt ex præmisſis indicationibus, ſiquidem non modo inutile minusque neceſſarium eſt, quando in ſubjectis, quibus ſanguis non deficit reparatio ſanguinis intenditur, ſed & magis nocivum hoc erit conamen; neque etiam poſt prægreſſam largiorem Hæmorrhagiam ſubito ſanguinis reſtitutio urgenda eſt, quæ ad futuras immoderatiores Hæmorrhagias magis diſponit, ut e largis denique excesſivæ fiant & illa ſalubritas, quam natura per copioſiorem præmiſſam Hæmorrhagiam intenderat, opprimatur: præterea contraindicatur hic actus therapevticus, quando ſuſpectæ quædam viſcerum ſtricturæ & aliarum ordinariarum excretionum tenaciores occluſiones & retentiones adſunt, quæ antea reſerandæ & liberandæ ſunt, neque denique cum ſimultanea præcipitantia ſanguinem reparare integrum eſt, ſed in omni ſtatu temperiei & modeſtiæ ſtudere convenit; multo minus ſanguinis reparationi operam dare debet medicus, quando appetitus eſt turbatus, quando primæ regiones ſunt inquinatæ & quando ordinariæ evacuationes ſunt confuſæ.

§. X. Quod ipſam deficientis ſanguinis reparationem concernit, tunc ante omnia providendum eſt, ne excretio alvina obſtructa ſit, neve in inteſtinis incommoda obſtipatio adſit, quæ potius, ſi qua præſens eſt, per lenientes Clyſteres removeri debet; deinde proſpicere convenit, quo in ſubjecto neceſſariæ vires adſint, quæ huic actui promovendo ſatisfaciunt: unde vel præmittere, vel conjungere convenit ſelecta roborantia adminicula, excluſis illis,

quæ

quæ corpus valde commovent, ſed quæ potius ſenſationi grata & accepta ſunt: imprimis confert animum ſolari atque reficere bonis perſuaſionibus atque ſperatis pollicitationibus, ne anxietas quædam eundem detineat atque confundat: ex illis vero ſubjectis, quæ ſenſus reficiunt præcipue Cinnamomum & Naphæ flores commendo, quemadmodum Syrupus de Canella Cydoniatus, Borraginatus admodum gratus eſt & aquæ Cinnamomi, Cydoniatæ & Borraginatæ ejusdem utilitatis exiſtunt, accedit aqua prædictorum florum, nec non Liliorum convallium, Ceraſorum nigrorum &c; ſicut uſus vini, ſed boni & adulti pro lubitu cum pane ſaccharato reparandis viribus admodum quadrant.

§. XI. Deinde cum ejusmodi auxiliis pharmacevticis & diæteticis ſuccurrendum eſt, quæ materiam pro ſanguine reparando ſuppeditant; conveniunt eapropter Emulſiones amygdalatæ, pineatæ, juſcula pinguia, gallinacea, vulgo dicta Krafft-Brühen, gelatinæ ex animalibus junioribus paratæ, Lacticinia, pultacea, amygdalata, quæ ſingula ſubjecta magis in mobiliori & liquidiori forma, quam in ſpiſſa præbere convenit; quotquot itaque aliæ ſpecies, ut medullæ ad gelatinoſum humorem præbendum conferunt, illæ huic uſui ſatisfaciunt, cavendo tamen, ne magna quantitate aſſumantur, ſed repetitis vicibus exhibeantur, quo eo lenius & melius translatio harum ſubſtantiarum in ſanguinem & ipſa denique ſanguificatio ſuccedat: hisce ſubjectis annumero ova ſorbilia & juſcula ex Succolata parata, aut decoctum hujus cum lacte & vitello ovi, cavendo, ne tale decoctum cum principali illo ſubjecto nimium ſaturetur.

§. XII. Interea ſub hac therapevtica tractatione omne externum & internum refrigerium excludendum & arcendum eſt, ne ſuſpectæ ſtricturæ ullibi inferantur & præſtat potius ejusmodi patientem in temperato calore conſervare, quare etiam potum frigidum diſſvadeo & potius decocta & juſcula mucilaginoſa & gelatinoſa commendo; præſtat inſuper corpus externum cum linteis calidis modeſte fricare, ſed inſuper ſedulo abſtinere, ne craſſæ quædam mucilagines ingerantur, quæ ad ſpiſſioris ſanguinis reparationem contribuunt: neque penitus rejicio Clyſteres cum lacte aut Juſculis parandos; quales vulgo nutritiva qualitate præditi ſunt, dum hæ materiæ alimentoſæ in vaſa lymphatica craſſiorum inteſtinorum reſorbentur.

§. XIII. Hanc amiſſi ſanguinis reparationem quoad ſalubritatem ſuam proinde ſublevat regimen idoneum variis circumſtantiis appropinquandum & cum ob ſanguinem prodige profuſum, imprimis partes teneriores & ſenſibiliores admodum enerventur, maxime vero ſenſoria organa, ita illo tempore, quo ſanguis reparandus eſt, enervata talia organa minime ultro offendere

ſendere aut ad intenſiora exercitia applicare convenit; hinc præter tranquillitatem animi præſtat viſum a ſenſibili ſplendore luminis arcere & ita reliqua organa ſenſoria lenius tractare, alias facile in iisdem remanent conſtantes debilitationes, quæ eo magis ominoſæ ſunt, quia a ſontica tali cauſa ortum traxerunt.

§. XIV. Præterea ſalubre & neceſſarium eſt, quo tam ſub reparatione deficientis ſanguinis, quam poſt illam ſedulo & ſufficienter exhibeantur adminicula lenientia atque diluentia, quæ multiplicem uſum habent, dum prægreſſas adſtrictiones demulcent, vias elubricant, Se- & Excretiones facilitant, humores fluidificant & ad ordinem vitalem juſtum reſtituendum multum conferunt; & talia auxilia magis ex fonte diætetico, quam pharmacevtico ſe- & colligenda ſunt, quo imprimis potus conveniens & ſufficiens confert; abſtinendum propterea eſt a ſubjectis refrigerantibus, incraſſantibus, adſtringentibus & ſingulares turbas in primis regionibus excitantibus.

§. XV. Porro ejusmodi ſubjectis, quibus amiſſus ſanguis reparatus fuit, commendare decet mobile vitæ genus, quod perinde multiplices ſuos uſus affert, ſiquidem partim ad æqualem ſanguinis diſtributionem, partim ad neceſſariam expanſionem organorum colatoriorum & partium flexilitatem atque ſtricturarum ſuſpectarum emendationem ac reſerationem, quin denique ad Se- & Excretionum revocationem & promotionem exquiſite conducit; cavendum modo eſt, ne cum motu corporis voluntario repentinus quidam exceſſus committatur, quemadmodum vicisſim conſtans & ſufficiens hujus motus exercitium ad ſingulorum humorum fluiditatem conciliandam & conſervandam contribuit.

§. XVI. Et quo magis ſanguis nunc reparatus in juſtum progreſſum transferatur, eo magis licet pro tali diſtributione æquali ſanguinis promovenda poſtea aliquot doſes reſolventis & alexipharmaci remedii exhibere, cavendo, ne offerantur valde calefacientia remedia, neve largis doſibus etiam temperatiora ſubminiſtrentur, neque cum impetuoſo regimine urgeantur, ſed proſpiciendo, quo in hac etiam circumſtantia moderamen ſervetur: & ita modeſta diaphoreſis in futurum interdum ſuſcipienda non inutilis eſt.

§. XVII. Denique poſt reparationem ſanguinis provide artifex attendere debet, an ordinariæ excretiones rite recurrant atque continuent, in quibus ſi defectus quidam occurrere videtur, allaborare convenit, quo eædem legitime reſtituantur; quare temperatæ laxationes, leniores diureſes, modeſtæ diaphoreſes conveniunt, quibus ſingulis debite adjuvandis per diluentia & decocta, remiſſius calida, non ſpisſiora, ſubveniendum eſt: & ita hæc methodus tali conjuncto & apto regimine ad certiorem ſalutem dirigenda erit.

O CAP.

CAPUT VIII.

De

SALIVATIONE.

§. I.

INter illas evacuationes, quæ non modo ratione inventi ſui artificioſi paulo recentiores, ſed inſuper naturæ humanæ minus uſitatæ & quoad decurſum ſuum ſatis ſolennes & intricatæ exiſtunt, nominari nunc & annumerari meretur PTYALISMVS ſive SALIVATIO, quæ primum magis a minus peritis artificibus & rectius vocandis empiricis exercita fuit, dum antea ex Arabum uſu Mercurium adhibendi in ulceribus ſordidis inventa fuit; deinde cum naturæ ſalivam quidem ſecernere & effundere conſvetum ſit, haud vero eidem uſitatum exiſtit, quo cum ſaliva e reliquo corpore alias heterogeneitates expellat; denique etiam totus ſalivationis proceſſus ac decurſus variis incommodis ſubjectus eſſe deprehenditur.

§. II. Conſiſtit itaque Salivatio in artificioſa copioſioris ſalivæ cum peccantibus materiis imprægnatæ evacuatione & prævia ſequeſtratione in glandulis & ductibus ſalivalibus conſuetis præſtita, ubi præcurrentes motus ſecretorii augentur, ut excretio copioſior ſubordinari queat; ſed contingit inſuper ut e penetralibus corporis & quidem e partibus fluidis & ſolidis inquinamenta illa prava copioſa & ſubtilia educi & cum ſalivali humore involvi debeant; ob id hæc evacuatio univerſalem quendam ſcopum habet, quo videlicet totum corpus ab ejusmodi ſpeciali materia peccante repurgetur; ob id non ita repente decurrit, ſed notabile & ſufficiens temporis ſpatium ad legitimum & ſalutarem ſuum ſucceſſum requirit: cum viciſſim nimis præcipitanter & impetuoſe adminiſtrata, eximia damna inferat.

§. III. Dum vero Salivatio magis propter inquinamentum ſubtile, admodum fermentativum inſtituitur, ita modus hujus excretionis minime impetuoſus aut præceps eſſe debet, ſed eo magis continens, moderatus & conſtans, quo ſubtiliter & ſufficienter illud inquinamentum e corpore educatur: idque tanto magis hanc evacuationis ſpeciem ſonticam & intricatam reddit, quo magis eadem per notabile tempus continuari debet, ut &, quo magis exquiſitum regimen atque abſtinentiam requirit, proinde quo magis varia incommoda univerſi corporis involvit, nec non quo magis vires neceſſarias ſimul

conſumit & depauperat & quo minus denique facile conſueta adminicula, viribus reparandis utilia, in hoc paſſu adhiberi queunt.

§. IV. Ob id circa Salivationis ordinationem & directionem maxima circumſpectio & dexteritas adhibenda eſt, ne videlicet ita liberaliter & promiſcue admittatur, ſiquidem minime hæc evacuatio ad numeroſiores affectus curandos vel levandos extendi debet, adeoque ante omnia requirit congruam relationem morbi, in quo eadem utilis exiſtat, ne, dum aliis affectibus minus convenienter applicatur, eadem ex ſua gravitate tanto magis hosce affectus in præcipites periculoſos eventus conjiciat: & quanquam inter practicos diverſi morbi legantur, quibus Salivatio per imitationem oppoſita fuit, tamen eadem magis eſſentialiter et primario non niſi radicatis venereis affectibus adhibenda eſt & quando contingit, ut alii morbi, cum venereo inquinamento colludentes, admodum refractarii & ordinariis adminiculis minus obtemperantes, ſubjecta detineant, tunc & hæc ſpecialiſſima evacuatio ſub exacto moderamine concedi poteſt.

§. V. Quamvis quidem hæc evacuatio propriam ſuam relationem habeat ad inquinamentum venereum, corpori illatum, tamen adhuc prudenti diſcretione opus eſt, in quonam affectus venerei gradu et ſtatu illa ordinanda & admittenda ſit, cum juxta Paracelſi monitum eadem minime indiſcretim huic afflictioni quadret, neque tunc æque conveniat, quamdiu adhuc hoc inquinamentum in humoribus oberrat: quando vero jam in partes ſolidas tranſiit, tunc paulo magis in aptis ſubjectis admitti debet: proinde ab aliis medicis Salivatio ad Plicam Polonicam, ad Lepram, ad Scabiem foetidam & ferinam commendatur, in quibus morbis etiam concedi poteſt: minime vero ad affectus Catarrhales, Aſthmaticos, Hemicranicos, Paralyticos, Scorbuticos, Epilepticos febriles Quartanarios, Podagricos, Vertiginoſos, deliros &c.

§. VI. Dum vero non modo Salivatio tam diſtincta & ſontica excretio eſt, ſed & non niſi ſpecialiſſimis paucis affectibus convenit, ita merito ſerioſe reprehendendus eſt hominum imperitorum & in craſſa empiria operoſorum abuſiva temeritas, quæ in quibuslibet arduis morbis ad Salivationem tanquam ad ſacram confugiunt anchoram, ſed eo ipſo peſſimis ſucceſſibus & effectibus imperitiam & temeritatem ſuam produnt, unde ejusmodi abuſus tanto majori vigilantia evitandus eſt, quo magis cum vitæ periculo ſiniſtræ tales ordinationes decurrunt: hinc Salivatio in illis morbis, quibus convenit, non ita præcipitanter, ſed cum multa circumſpectione applicari debet, quæ ſubinde tam in ſubjecto, quam in reliqua ſua directione multam vigilantiam et dexteritatem requirit.

§. VII. Hujus Salivationis ſingularis & diſcreta conditio atque ſontica qualitas exſerit ſeſe cum ſymptomatibus illis arduis multis & moleſtis, quæ ſuc-

ceſſum illius comitari ſolent : ſunt vero tales moleſtiæ : Gingivarum laxitas & intumeſcentia, dentium vacillatio, moderata colli & faucium inflatio, corporis laſſitudo & extenuatio & ob conſtantem Salivæ affluxum ſomni impotentia, faucium obviſcatio, appetitus depravatio, difficultas deglutitionis, faſtidium animi, inquietudo, intercurrentes perturbationes vertiginoſæ, arroſiones & denigrationes dentium & imminentes inflammatoriæ faucium offenſiones ; quodſi etiam juſtus Salivationis ſucceſſus per impotentiam, incontinentiam & malum regimen ſubjecti impediatur, tunc accedunt actuales inflammationes faucium & glandularum colli, gravis dyſpnoea, tormina, vomitus, Cardialgiæ ſenſibiles & lancinatoriæ, tenſiones artuum & articulationum, imo tremores, convulſiones, Catarrhi ſuffocativi, Apoplexiæ, Paralyſes : Etſi non quidem cum vitæ diſpendio deſinat, tamen remanent interdum ſuſpecti affectus aſthmatici, vertigines caducæ, particulares ariduræ, Contracturæ & Paralyſes ; ut propterea hæc evacuatio cum maximo moderamine adminiſtrari debeat, cum nulla aliarum evacuationum tantis moleſtiis aut periculis tam familiariter ſtipata & expoſita deprehendatur.

§. VIII. Ob tantam gravitatem præſentis evacuationis, arte provocandæ, minime conſultum eſt ita facile ſubjectis eandem ordinare, unde ne quidem in mitiori venereo affectu conducit ; ſiquidem in ſimplici Gonorrhoea adhibita, non modo nihil juvat, ſed & affectum ſimpliciorem aliquo modo exacerbat : deinde ad vulgares illos nodos venereos ſic dicta Gummata & tumores ſpeciales, qui Meliceris &c. vocantur, haud proficua deprehenditur, cum horum tumorum intimiorum regionem non attingat, ut propterea ita affecti homines fruſtra cum hac ardua evacuatione defatigentur, hinc potius eadem reſervanda erit pro alio affectu, qui reliquis methodis non obtemperat, attamen quoad eſſentiam ſuam huic evacuationi non contrariatur.

§. IX. Quo vero in ordinanda hac ardua evacuatione artifex certior & ſecurior eſſe poſſit, ita eandem indicant 1) conſummata, inveterata & ſolidas partes detinens Venerea lues : 2) præſentia ulcerum Venereorum, rebellium & refractariorum 3) initia tumorum in glanduloſis partibus præſentium 4) ſymptomata fixa circa oſſa contigentia 5) quando malum jam firmius maſſæ humorum inſinuatum eſt, ut per alia conſueta adminicula extirpari haud queat : 6) virium ſufficiens præſentia & naturæ robur in ſubjecto, minorque ſenſibilitas & teneritudo animi & corporis 7) quando alia methodus & remedia non ſatisfaciunt & parum operantur 8) quando dolores nocturni valde angunt : quando ætas eſt apta & non infantilis aut ſenilis : 10) quando juſta corporis diſpoſitio & permeabilitas adeſt, 11) quando reliquæ ordinariæ excretiones ſufficienter ſucceſſerunt & adhuc liberæ ſunt & 12) quando contagium in ſubjecto multum præſumitur ex diſ-

poſitione humorum Lymphatico - ſalivalium largius confluentium. De reliquis affectibus, in quibus hæc Salivatio indicatur, hoc loco nullam mentionem facio, cum potius hæ indicationes proximius affectum venereum concernant.

§. X. Contra indicant viciſſim Salivationem 1) nimia plethora 2) excretionum ordinariarum ſuppreſſiones 3) graves virium defectus 4) ætas debilis 5) ingravidatio 6) impuritatum copioſarum in primis viis præſentia 7) corpus ſtrictum & inperſpirabile: 8) corpus impurum & ſcorbuticum 9) ſubjecta ad lipothymias prona 10) immorigerus ſubjectorum animus 11) morborum acutorum concurſus & 12) affectus valde ſpaſtici aut cum interna labe partis organicæ ſtipati.

§. XI. Medium ſive remedium per quod Salivatio excitanda eſt non certius aut ſecurius exiſtit, quam *MERCURIUS*, imprimis currens bene depuratus, unde vel per congruam deſtillationem repurgari vel e Cinnabari ſeligi & liberari debet, & ita quidem optime in ungvento, articulationibus modeſte applicando, juxta Gallorum morem adhiberi poteſt: neque vero perplacent alii modi, quando vel cum Cingulo geſtato mercurius ab extra intra corpus inſinuatur, neque cum aquis Mercurialibus Salivationis excitationem approbo; multo minus Italorum modum commendo, quando per fumum mercurium ab extra adhibent; quemadmodum tales ſuffitus Mercuriales, quoad quantitatem applicandi Mercurii haud bene dirigi poſſunt, ſed ſi ad caput & pectus admittuntur, periculoſiſſimos affectus tunc cauſantur, ut adeo conſultius ſit, talem modum omittere: omnium maxime periculoſum eſt per ſublimata Mercurialia Salivationem provocare velle, quemadmodum neque Cingulum Sapientiæ Rulandi admodum probatæ dexteritatis eſt.

§. XII. Neque deſunt ſatis probata exempla, ubi juxta inventionem Germanorum per internum uſum Mercurii Salivatio excitata conſtat, quæ perinde paulo ſecurius dirigi poteſt, ſiquidem tunc ab oblatione Mercurialium abſtinere poteſt artifex, quando Salivatio incipit: pro hac methodo optime conducit Mercurius rite dulcificatus non æque ſimultaneis & largis doſibus offerendus, ſed rectius ſucceſſive moderata quantitate exhibendus: non quidem ſimilem utilitatem habet Cinnabaris largiori quantitate oblata, quid quod propterea fortiorem minusque ſecurum effectum habet famigeratum illud Arcanum Corallinum Hartmanni, quod quidam per aliquot dies ingerunt, ita ut indies doſis uno aut altero grano augeatur: neque denique ſecuri uſus eſt Mercurius præcipitatus albus, qui in tali conſtitutione graviſſima pathemata excitat, quando vero hic moderate ſublimatur, tunc ut Mercurius dulcis commodius adhiberi poteſt.

§. XIII. Circumvolant in medicina practica ejusmodi obſervationes minus fidæ atque probatæ, quæ ſine Mercurio vel cum Saturninis, vel Venereis remediis Salivationem provocare ſingnificant & commemorant, quando in Saturninis remediis æqualitas cum Mercurialibus perperam ſupponitur; utraque vero minus ſecure cum in genere, tum pro hoc effectu ordinantur; ſiquidem priora ſuſpectos effectus adſtrictorios cauſantur, poſteriora vero extremam aliquam nauſeam & cardialgiam excitant, ſub qua Salivatio deinde minus congrua via aut methodo coacta & ſub maxima præcordiorum afflictione decurrit, ut ita talis Ptyaliſmus non modo reliquos motus graviter turbet, ſed & radicem mali minime attingat: neque antimonialia remedia pro Salivatione concitanda quadrant, ſicut quorundam perſvaſio quod cum antimonio diaphoretico aut Ceruſſa antimonii Salivatio excitari poſſit, minime certa & veritati conſona eſt, niſi unquam cum Bezoardico minerali non ſatis dextre parato & cum antimonio diaphoretico confuſo talis ſiniſter effectus Salivationis provccatus fuerit.

§. XIV. Proximum nunc eſt, ut ipſam methodum ſalivandi exponam & quomodo Salivatio dirigenda ſit, indicem, In hac methodo triplex actus therapevticus commendandus eſt 1) ut patiens ad futuram Salivationem debite præparetur 2) ut ipſa Salivatio dextre adminiſtretur 3) ut congruum regimen poſt Salivationem ordinetur, quo eo magis hæc evacuatio ſperatum effectum exſerat & impoſterum ſubjectum illud, cui Salivatio adhibita eſt, integra ſanitate fruatur, neve contra ex perverſo regimine varia damna & ſuperioris affectus æquivocæ curationes ſuperveniant.

§. XV. Quod primam operationem therapevticam attinet, tunc ante omnia præſtat ſubjectum ad ſecuram & promptam Salivationem præparare, ita quidem ut vel corpus a craſſis impuritatibus, præcipue primas regiones detinentibus, liberetur & repurgetur, ne ob præſentiam humorum bilioſorum, ſeroſorum, fæculentorum, in nobilioribus viſceribus deliteſcentium, reliquus Salivationis ſucceſſus impediatur; pro hac functione inſerviunt & conveniunt remedia efficacius abſtergentia & incidentia, reſolventia & laxantia, aut modeſte purgantia, quemadmodum in ſubjectis humidioribus commode talibus evacuantibus remediis Mercurius dulcis moderata quantitate comiſceri poteſt; pro reſolvente vero effectu conducunt amara vegetabilia cum evacuantibus conjungenda.

§. XVI. Deinde ad præparandum corpus pro inſtituenda ſalutari Salivatione confert, quo ſuperficies corporis bene permeabilis reddatur, ne illam aliqua incommoda ſtrictura detineat: & pro hac concilianda, convenit vel moderatum calidum regimen, ne videlicet ſubjecta paulo incurioſius & incommodis aeris tempeſtatibus ſeſe exponant; deinde confert perſpirabilitatem corporis directe & poſitive inducere per uſum decoctorum lignoſorum, quæ primo

&

ſecundo die ſine regimine, proximis vero diebus cum moderato diaphoretico regimine aſſumenda ſunt; huc etiam inſervit temperata Eſſentia alexipharmaca: denique etiam ad ſalutarem præparationem ſpectat, quo ſubjectum apta diæta utatur, ita quidem ut valde nutrientia alimenta excludantur; tanto magis vero diluentia & humectantia adminicula ſedulo conferantur, quo ordinariæ Se- & Excretiones continuent & corpus in juſta flexilitate permaneat.

§. XVII. Movetur inter practicos illa quæſtio, an præparatorio quodam ſcopo Venæ Sectio ordinari poſſit? pro qua decidenda ſciendum eſt, quod haud quidem facile eadem locum inveniat, attamen, ſi ſubjectum eſt valde plethoricum, e levi cauſa facile gravioribus plethoræ commotionibus expoſitum, nec non olim actualibus Hæmorrhagiis obnoxium fuit, tunc commode licet præſervatorio & præparatorio quodam fine moderatam Venæ Sectionem præmittere: etſi ſubjectum tale inſuper in orgaſticas ſanguinis commotiones inclinet, tunc perinde tam præparatorio ſcopo quam ſub reliqua Salivatione interdum pulvillum ex abſorbente et diaphoretico fixo quodam remedio paratum exhibere licet.

§. XVIII. Præmiſſa tali præparatione neceſſaria corporis præſtat proxime ipſam Salivationem ſuſcipere, quæ indicato modo vel cum inunctione Mercuriali, vel cum interno uſu Mercurii dulcis provocari poteſt: ante omnia vero cavendum eſt, ne ſimultaneo impetu Salivatio excitetur, ſed ut potius ſucceſſive & leniter provocetur: quod itaque inunctionem Mercurialem attinet, tunc cum prædicto ungvento per primos duos aut tres dies tantum carpi regio deliniri debet, attamen in loco ſufficienter calido; per proximos vero dies ſimul in tarſo hæc inunctio inſtituenda erit, quæ ſemper mane & veſperi repetenda eſt, haud vero frequentius, ni ſubjecta valde robuſta minusque ſenſibilia fuerint, ubi circa meridiem interpoſita modeſta inunctio combinari poteſt.

§. XIX. Quando itaque Salivatio inchoat, tunc per unum aut alterum diem & quidem indies vel ſemel vel bis tantum in carpis inunctio continuanda, poſtea vero omittenda eſt, quo libere Saliuatio per aliquot dies continuet & ſi imminui videatur, tunc iterum moderata inunctio per unum aut alterum diem repeti debet, quo ſufficienter, ſucceſſive tamen & temperanter hic Ptyaliſmus decurrat: incipit vero Salivatio cum inflatione Gingivarum & glandularum Salivalium & quando ſufficienter ſucceſſit, circa exitum interdum fœtida, nauſeabunda & adverſi ſaporis et odoris materia ſub Salivatione ſecedit, tanquam ultima fæx inquinamenti Venerei, ex quo indicio artifices gradum et ultimum ſtatum Salivationis decernere & determinare ſolent, de qua circumſtantia mox infra plura dicenda erunt.

§. XX.

§. XX. Quando vero placuerit per internum Mercurii uſum Salivationem promovere, tunc optime huc quadrat Mercurius rite dulcificatus, licet quidem mediante Mercurio currente cum Saccharo commixto & contrito æque Salivatio inſtitui queat; melior tamen eſt, quæ cum Mercurio dulci provocatur & ibi iterum conſultius eſt parca doſi & exiguis granis per primos dies eundem exhibere, proximis vero diebus in tali doſi paululum adſcendere licet, unde eveniet, ut facile poſt paucos dies Salivatio inchoet, ubi adhuc primo & ſecundo Salivationis die in exigua quantitate Mercurius dulcis uſus continuari poteſt; deinde ab eodem abſtinendum eſt, ubi ſua ſponte Salivatio per aliquot dies continuat, & quo ſufficienter decurrat, iterum poſt aliquam moram parcum illius Mercurii uſum repetito exhibere licet.

§. XXI. Sub Salivationis ſucceſſu in genere bonum regimen ſervare convenit, ita quidem, ne corpus refrigeriis exponatur, ſed in moderato calore detineatur: cavendum viciſſim eſt, ne corpus nimium exæſtuetur, qualis impetuoſa commotio non modo Salivationis ſucceſſum impedit, ſed & caput ſubjecti & reſpirationem valde offendit; ſubinde etiam gravioribus defatigationibus anſam præbet, hinc potius modeſtus caloris gradus præferendus eſt: neque etiam conducit vel per frigidum vel per nimis calidum potum internum corpus alterare, ſed potius cum remiſſius calido potulento, quamdiu Salivatio durat, ſuccurrere.

§. XXII. Sub Salivatione præſtat ſedulo conjungere uſum decoctorum ſic dictorum Lignoſorum, cavendo, ne valde ſaturata ſint, unde magis dilutiora proſunt, niſi ad minimum mane uſus ejusmodi decocti ſaturatioris concedatur; ex anti venereis vero ſpeciebus mitioribus Sarſaparilla prævalet, ubi minorem quantitatem Ligni Guajaci addere licet, neque male exiguum radiculæ Pimpinellæ albæ commiſcetur; circa finem Salivationis juxta peritorum artificum obſervationem paulo plus radix Chinæ, hiſce decoctis conjuncta, proficit; non vero conſultum eſt, nimis largiter per diem hæc decocta ingerere, ſed potius in hoc uſu modum ſervare præſtat: neque male pro tali decocto parando in ſubjectis vilioris ſortis Saponaria adhibetur, quæ ſimilem abſtergentem & repurgantem qualitatem exhibet.

§. XXIII. Proinde proſpiciendum eſt certis incommodis, quæ ſeſe ſub Salivationis ſucceſſu conjungunt, ubi notatu digna ſunt illa incommoda faucium die böſen Hälſe, quæ utplurimum ex hiſce cauſis oriuntur, quando videlicet ante Salivationem corpus non rite ſufficienter præparatum eſt, deinde quando nimis repente & impetuoſe Salivatio excitatur, porro, quando ſub Salivatione pectus & collum ſuſpectæ refrigerationi ſubmittuntur, nec non, quando ſub eadem Salivatione carnes pinguiores aut aliæ pinguedines aſſumuntur &c. quo vero hæc faucium incommoda tempeſtive removeantur, ita præcipue Eſſentia Pimpinellæ al-

bæ, nec non Eſſentia Succini, ſine vehiculo aſſumtæ, eximie conferunt; deinde conveniunt Gargariſmata, quæ tamen non adſtringentia eſſe debent, alias peſſimis conſectariis anſam præbent: parentur vero hæc ex radicibus reſolventibus, abſtergentibus, quibus radiculam Pimpinellæ albæ annumero, nec non ex herbis temperatioribus faucium affectibus dicatis; quale Gargariſma repetitis vicibus adhibeatur: de reliquo opera danda eſt, ut tranſpiratio auctior legitime ſuccedat & Salivatio in juſtum ordinem reſtituatur vel in eodem per quodlibet bonum regimen in debito ſucceſſu conſervetur.

§. XXIV. Sub Salivatione maxime exquiſita diæta ordinanda eſt, neque concedi debent comeſtiones carnium & pinguedinum; abſint frigida alimenta & potulenta: nocent ſalita, acida, fæculenta, ſpiſſa, refrigerantia, fermenteſcentia: neque ita commodus eſt cereviſiæ potus, tanto minus ſi valde ſaturatus vel valde refrigerans eſt; conceduntur potius cibi non valde nutrientes juſcula communia avenacea, ova ſorbilia, pultacea non ſpiſſiora, neque copioſa lactea & interdum unum aut alterum amygdalum præbere licet: quid quod confert magis a ſolidis cibis abſtinere & quæcunque eximium nutrimentum præbere poſſunt, illa evitari debent.

§. XXV. Sub Salivatione tria potiſſimum, neceſſaria requiſita conſideranda ſunt, quæ in uſum trahi, deinde in legitimo ſucceſſu conſervari, quid quod ab accidentalibus incommodis præſervari debent: Primum eſt, quo effluxus ſalivæ liberior & facilior ſit, quem in ſuo ſucceſſu præcipue laudabilis Pimpinellæ albæ radix conſervat; alterum eſt, quo tranſpiratio integra maneat, neque turbetur: ultimum eſt, quo alvus rite ſuccedat, neque opprimatur, & ſi deficit, tunc præſtat eandem leniter adjuvare & cum mitiſſimo laxante remedio facilitare, cui exiguam Mercurii dulcis quantitatem conjungere convenit: a poſitivis vero purgationibus omni cura abſtinendum eſt.

§. XXVI. Inter alias practicorum ſollicitudines illa etiam ſatis cognita eſt, qua exceſſivum Salivationis ſucceſſum metuunt eidemque ſeſe opponunt, qui tamen exceſſus non ita facile metuendus eſt, modo ante Salivationem corpus bene præparatum & ipſa Salivatio deinde modeſte provocata & promota ſit: quando vero contingit, ut hæc excretio in exceſſum delabatur, tunc minime ſecurum eſt eandem ſimul & ſemel ſupprimere, neque per regimina refrigerantia aut ſubjecta acida coërcere, unde periculoſi effectus indubie expectandi erunt, neque conſultum eſt, per poſitivas purgationes reſiſtere, e quibus expaveſcendi ſunt contumaces & ſuſpecti teneſmi, graves cruciatus colici & pernicioſi alvi fluxus: quid quod multum imaginationi reſpondet famoſum experimentum cum moneta aurea intra fauces recipienda, quin potius huic incommodo conveniunt lenes & ſucceſſivæ laxationes, minus tamen Mercuriales, ut & regimina conſtanter & mode-

ſte diaphoretica atque prudens uſus Sulphuris & abſorbentium remediorum internus.

§. XXVII. Quando evenit, ut ſub Salivatione ſuſpecta quædam Diarrhœa oriatur, tunc ſepoſito Mercurialium uſu & ſervato bono regimine, nec non conjuncto temperatiori diaphoretico regimine præſtat Eſſentias mitiores carminativas exhibere; ſi etiam ſub Salivatione moleſtæ cardialgiæ & aſthmaticæ afflictiones concurrunt, tunc præter Eſſentias diſcutientes & regimina modeſte diaphoretica conducunt abſorbentia, antimoniata fixa & parca ſulphurata, providendo etiam, quo alvus aperta & libera ſit & quo in diæta & reliquo regimine congruus ordo ſervetur.

§. XXVIII. Totus actus Salivationis minime præter urgentem neceſſitatem præmature intercipiendus eſt, alias ſperata ſalubritas minime ſubſequitur: neque etiam confert nimis diu Salivationem illam protrahere, ſed ſufficientem gradum dijudicare & æſtimare ſecundum vires ſubjecti, ut & ipſius Salivationis liberum decurſum: quodſi etiam ſponte ſpiſſior, magis fœtida illa materia non emanaverit, tunc eandem urgere minime debet artifex, ſiquidem interdum ſub reliqua moderata Salivatione talis materia non effluit, aut quandoque ſub immoderatiori Salivationis ſucceſſu eadem profluit; quodſi vero contigerit, ut præmature Salivatio intercepta fuerit, tunc in futurum ſedulo decocta lignoſa & regimina diaphoretica conferri & continuari debent.

§. XXIX. Reſtat, quo adhuc explicem regimen poſt abſolutam Salivationem ordinandum: minime itaque convenit, quo mox ejusmodi ſubjecta antiquo vitæ generi ſeſe ſubmittant, ſed præſtat poſt Salivationem ſemel aut bis laxationem moderatam continuare, aliquamdiu modeſtam diaphoreſin ſub uſu decoctorum lignoſorum, non valde ſaturatorum, prolongare, aut ad minimum Eſſentias temperatas alexipharmacas, præcipue Pimpinellæ albæ aſſumere & ita ſufficienter corpus a quibuscunque reliquiis repurgare & ſub evitatione incommodæ auræ & tempeſtatis, magis modeſte calido regimini inhærere.

§. XXX. Proinde diæta accurata ſervanda eſt, evitando plenitudinem, ſpiſſitudinem & dyſcraſiam, ut & omnia vitia, quæ nonnunquam ſub diæta committi ſolent; ita etiam inebriationes, nimiæ exæſtuationes vitari debent, porro interdum balnea temperata uſurpanda ſunt, quo ſuperficies corporis ab adhærentibus ſordibus contagioſis abluatur & bene repurgetur: arcendus eſt aër frigidus atque turbidus, quid quod potius regimen modeſte calidum continuari debet; animus ſit continens & ab immodicis deſideriis & concupiſcentiis liber, ordinariæ excretiones vel in juſtum ordinem transferantur, vel in eodem ſucceſſu legitimo conſerventur; quid quod tam ſub Salivatione

tione, quam poſt illam confert induſia ſedulo mutare, & denique hisce ſubjectis monitum Johannis 5, v. 14, acclamandum & inculcandum eſt, poſteaque dimittantur.

CAPUT IX
DE
EXPECTORATIONE.

§. I.

HÆc ſpecies Evacuationis per Therapiam artificioſam promovendæ conſiſtit in promotione excretionis materiæ vel mucidæ, vel in mucilaginoſam & volubilem conſiſtentiam redactæ e pulmonibus & aſpera arteria, in quæ loca materia illa translata & ſepoſita fuit, quæ cum reſorberi vel interdum non debeat, vel interdum non queat, ita breviori via extrinſecus excutienda eſt, ubi utplurimum Therapia medica tantum huic materiæ mobilem & tractabilem conſiſtentiam conciliat, non vero ipſo actu illam e pectore excutit, quem excretorium motum ſtrictius ſumendo ipſa natura per tusſim aut arbitrariam exſcreationem perficit.

§. II. Dum vero e pulmonibus præcipue hæc evacuatio procedit, ita facile liquet, quomodo eadem ordini naturali minus uſitata ſit, adeoque talem ſpeciem excretionis conſtituat, quæ eſſentialiter extraordinaria eſt, neque œconomiæ vitali admodum reſpondeat & utplurimum extraordinarium actum efficiat, etenim pulmones minime pro colligenda tali materia deſtinati ſunt, cum potius intra illos aër excipiendus iterumque ex iisdem emittendus ſit, ubi ſub tranſpiratione illa una ſubtilis aquoſa ſeroſa portio exhalat; attamen nunquam in ordinario ſtatu vel acris, vel ſpiſſa materia in teneram pulmonum compagem transferenda eſt, quare accidentalis plane & a ſanitatis ſtatu aliena eſt illa ſepoſitio hujus materiæ intra pulmones.

§. III. Quantus in vulgari Therapia circa Expectorationis negotium communis committatur error atque abuſus, quotidiana ſane exempla demonſtrant, dum videlicet hæc Evacuatio ita tractatur ac ſi alias naturæ uſu recepta ſit & ad ordinem vitalem pertineat; inde propterea evenit, ut hæc Expectoratio in pesſimum maximeque ſuſpectum habitum conjici queat, quando tamdiu continuatur, quamdiu per malam conſvetudinem materia talis intra pectus transfertur, ubi certe homines quotquot vel paululum diſcernere poſ-

ſunt, rerum circumſtantias annotare deberent, quod hic mucus, qui per hebdomadam expectoratur non in toto hoc ſuo quanto ſimul & ſemel in pulmonibus delituerit, ſed quod ſucceſſive e ſanguine in eosdem ſepoſitus fuerit.

§. IV. Præterea abuſus hi altero illo evidenti phænomeno ſeſe comprobant, quando ſub qualicunque pectoris afflictione multi præſumunt & hariolantur, quaſi materia tenax in pectore hæreat, quam hypothetice præſumtam, deinde practice proſequuntur, &, ſi nondum talis materia actu adeſt, tunc demum per ſiniſtrum Expectorationis uſum materia illa intra pectus ducitur & convocatur, &, ſi expectoratio tamdiu continuatur, quamdiu mucus eo affluit, tunc denique teneri pulmones actualibus corruptionibus ſubmittuntur, ut Phthiſici & Hectici effectus atque eventus ſuperveniant: & talis antipraxis ſeſe in congeſtionibus ſangvineis, pectus occupantibus, ſiſtit, aut, quando e perturbatione ſalutarium Hæmorrhagiarum ſive Menſium ſive Hæmorrhoidum Sanguineæ tales translationes ad pectus oriuntur, ubi mox imperiti Phthiſin futuram metuunt, quam per pravum talem Expectorantium uſum ipſi demum efficiunt & cauſantur.

§. V. Propterea in ſuſcipienda & ordinanda Expectoratione ante omnia artifex certus eſſe debet, an æque afflictiones pectoris præſentes talem materiam in pulmonibus hærentem vere & certo indicent, annon viciſſim in nudis congeſtionibus & moliminibus hæmoptyicis conſiſtant, quales minime per Expectorantia tractare conveniet, quoniam per illa magis deteriorantur & in contumaces aut periculoſos affectus conjiciuntur: unde non exigua prudentia opus eſt in diſcernendis affectibus, an ſint ſanguinei, an Catarrhales? quotquot etiam pectus affligunt.

§. VI. Deinde notatu etiam dignum in rationabili Expectorationis directorio eſt, quo tantum illa materia e pectore evacuetur, quæ de præſenti in eodem latet, & ne e reliquo corpore atque maſſa humorum ulterius intra pectus in futurum nova talis materia ſeponatur, unde non niſi longinqua exceſſiva & periculoſa Expectoratio expectanda & metuenda erit; quo vero hæc utilis Expectoratio rite ſuccedat, præſtat tanto magis in hoc actu moderamen adhibere & reliquis ordinariis evacuationibus promovendis operam dare, imo pectus ab ulteriori inſolito affluxu ſedulo præſervare.

§. VII. Neque etiam adeo abſolute neceſſarium eſt in omni illo ſtatu per artificioſam Therapiam Expectorationem urgere & promovere velle, ſiquidem interdum materia in pulmonibus hærens ſatis fluida atque mobilis eſt, ut tantum in eo medicus proſpicere debeat, ne in futurum pectus ulterius obruatur & cum tali materia oppleatur: tunc vero Expectoratio poſitive promo-

movenda erit, quando materia mobilis atque viſcida eſt, aut quando præter ſuam tenacitatem ac accredinem aliquali temperatione & involutione indiget: de reliquo vero provide artifex dijudicare debet, ex quibus cauſis ejusmodi pectoris oppletio ortum traxerit; quo vel ſpontaneis ejusmodi commotionibus pectus detinentibus & humidam talem ſequeſtrationem foventibus mitigandis & leniendis invigilare queat, vel quo externis cauſis, quales præcipue incongruis aëris mutationibus & tempeſtatibus nituntur, debitam medelam afferre poſſint.

§. VIII. Sicut itaque in negotio Expectorationis ad materiæ præparationem, primario quidem ſcopo artifex reſpicere debet, ita tamen, ne in futurum nova talis materia pulmones ingrediatur atque aggravet, hinc in ipſum illum motum, mediante quo Expectoratio perficienda eſt, rarisſime directe operari debet, videlicet, quo tuſſiculoſam pectoris commotionem provocet, cum hic motus potius ex activitate naturæ ad negotium Expectorationis concurrat & ſua ſponte ſufficienter ſuperveniat, modo materia evacuanda in juſtam conſiſtentiam redacta fuerit.

§. IX. Sicut materiæ in pectore hærentis Evacuatio ſub tuſſiculoſa pectoris commotione ſuccedit, ita illius materiæ præparatio ſive involutio & mobilior conſiſtentia impetratur, quando alii humores fluidi aut tenues mucilaginoſi intra pectus transferuntur, qualem mobilem mucilaginem continent remedia ſimplicius expectorantia, licet inter hæc tamen aliqua dentur, quæ ſimul vel efficacem aciditatem vel craſſam terreſtreitatem continent, mediante qua humores evacuandos inſpiſſant & intractabiles reddunt, a quibus ſpeciebus propterea abſtinendum eſt & ſimpliciora magisque ingenua præferri debent: ita ſimpliciſſimum eſt domeſticum & plebejum experimentum, quo per effectum ſepoſitionis humidioris materiæ intra pectus ipſa materiæ præparatio & Expectorationis promotio obtinetur, quando pectus cum oleis aut axungiis delinitur.

§. X. Multum vero refert in toto Expectorationis negotio conſtanter & prudenter obſervare & disquirere, an contumax quædam ſangvinea congeſtio concurrat, an ſuppreſſiones ſalutarium Hæmorrhagiarum præcurrerint, an alvinæ excretionis perturbatio atque defectus continuet, an alibi catarrhales affectus impediti fuerint, an rhevmatici morbi coincidant &c. quibus ſpecialioribus circumſtantiis in Therapevtica Expectorationis proſecutione ſollicite & perite ſuccurrendum eſt, alias non modo hæc evacuatio nihil juvat, ſed & hactenus commemoratos concurſus magis exaſperat & contumaces reddit.

§. XI. Habet itaque Expectoratio ſuas certas indicationes & quidem 1) quando pectus vere cum muciditate oppletur, oneratur & ſubinde illa non ſua ſponte evacuatur 2) quando pulmones offendit acris & tenuis ſeceſſio, ut propterea tuſſis immoderatior excipiat 3) quando in Phthiſi abſterſio & moderata repurgatio e pulmonibus non ſua ſponte evenit: 4) quando Aſthma humidum affligit, quod magis cum oppletione, quam repurgatione pectoris procedit 5) quando tuſſis cum Catarrho pectoris affligit & tamen Expectoratio neceſſaria deficit 6) quando Dyſpnoea absque tuſſi, ſed cum Catarrhali cauſa conjuncta, ſubjectum detinet, 7) ita etiam modeſta Expectoratio conceditur in Brancho 8) & quando certius præſumuntur nodi pulmonum 9) aut quando Vomica pulmonum adeſt: in quibus poſterioribus tamen tribus affectibus cum maximo moderamine exerceri debet 10) admittitur etiam Expectoratio modeſta in infantum Catarrhalibus pectoris oppletionibus 11) ut & in ſuffocativis Catarrhalibus calamitatibus & denique 12) leviſſima abſterſio pectoris concedenda eſt, poſt prægreſſam Hæmoptyſin.

§. XII. Viciſſim vero contraindicatur Expectoratio 1) ubi nimia plethora adeſt 2) in ipſa hæmoptyſi 3) in aſthmate & congeſtionibus mere ſanguineis 4) in Menſium & Hæmorrhoidum ſuppreſſionibus 5) in affectibus pectoris nude ſpaſmodicis 6) in affectibus febrilibus, pectus in conſenſum trahentibus; 7) in Cardialgia 8) in inflammatoriis pectoris affectibus, in quibus communis Expectoratio reliquum affectum valde perturbat 9) in contumaci alvi obſtructione 10) in affectu hyſterico & hypochondriaco, 11) in tuſſi ſtomachali & 12) in omni reliquo pectoris affectu, qui ſola ſanguinis congeſtione, intra pectus directa, nititur.

§. XIII. Sicut hæ potiores circumſtantiæ ſunt, quæ Expectorationem admittunt aut diſſvadent, ita in ordine ſpecialior therapevtica Expectorationis explicatio ſequentibus tractationibus abſolvenda erit 1) ut ſignificem, quibus adminiculis nimis viſcidus & craſſus mucus in pectore emolliendus ſit, 2) ut indicem, quibus mediis nimis tenuis & acris materia in pulmonibus involvenda & temperanda ſit 3) ut exponam, quibus auxiliis deficiens motus Expectorationis excitandus ſit 4) ut demonſtrem, quomodo exceſſus Expectorationis mitigandus ſit & 5) ut ſubjungam methodum, qua Expectoratio tam in junioribus, quam adultioribus ſubjectis tractari & dirigi debeat.

§. XIV. Quando itaque materia in pectore obhæreſcens valde ſpiſſa, tenax & intractabilis eſt, tunc eidem conciliari debet fluiditas ac mobilitas & quidem partim per remedia emollientia, partim per Infuſa calida aquoſa, partim per mucilaginoſa hordeacea & avenacea; ſeorſim vero huc ſpectant mucilagines liquidiores, gelatinæ, olea lenientia & emollientia, pinguedines, medullæ, lac, butyrum: efficacisſimum tale remedium eſt mel:

Hunc

Huc ſpectant Emulſiones, juſcula pinguia, Nuclei pingues, radix liquiritiæ, Caricæ pingues, Syrupi de Liquiritia, Violarum, Tuſſilaginis, de Eryſimo, Dialthææ, Sperma Ceti, ſuccus Glycyrrhizæ, Trochiſci bechici, ipſum ſperma ceti: fructus vero Sebeſten, Jujubarum & Siliquæ ſub expectorationis operatione aliqua incommoda inferunt; quemadmodum etiam variæ formulæ ex ejusmodi ſpeciebus paratæ & ſic dicta Elæoſachara expectorationem admodum promovent: in infantibus Oxymel Squilliticum multam utilitatem affert. Et hæc ſingula adhuc varias ſpecies ſub ſe comprehendunt.

§. XV. Sicut hæc remedia præcipue ad internos uſus inſerviunt, ita etiam dantur quædam ad externos uſus convenientia & quæ ipſa quidem in Junioribus ſubjectis magis proficua ſunt; hoc nomine laudantur inunctiones pectoris cum oleis lenientibus aut pinguedinibus, ſicut in quibusdam caſibus applicationes veſicarum bubularum cum aqua aut lacte calidis repletarum pectori imponendarum proficiunt: non minus Cataplaſmata emollientia eundem effectum habent; haud vero Emplaſtrorum uſum pro tali ordinatione commendo, cavendum vero eſt, ne nimis diu & copioſe ejusmodi remedia adhibeantur.

§. XVI. Quando humor in pectore obhæreſcens nimis tenuis & acris eſt, tunc illius temperatio & involutoria incraſſatio ſuccedit per abſorbentia, ſive ſimplicia, ſive cum acidis commixta, per nitroſa, emulſiva, gelatinoſa, mucilaginoſa, hordeacea, emollientia, per uſum Liquiritiæ & raparum: huc etiam ſpectant gummata, Arabicum, Ceraſorum, Tragacantum, in moderata quantitate uſurpanda: conveniunt etiam pinguia moderatius exhibenda, ut & diluentia & infuſa calida, ſemina pinguia, ſed non acria, nec non nuclei pingues, proſpiciendo, quo partim abſterſio & expectoratio per hæc adminicula promoveatur, partim diſcusſio & derivatio neceſſaria & modeſta conjungatur; omnia vero caleſacientia & acria remedia in hac pectoris afflictione ſedulo evitanda ſunt.

§. XVII. Dum interea Expectorationis negotium adminiſtratur, ſubinde conferunt auxilia, quæ reſoluente quodam effectu mobilitatem evacuandæ materiæ promovent & hoc nomine conveniunt Radices reſolventes, imprimis Ari, ſquillæ, angelicæ, helenii, Valerianæ, Zingiberis &c. Herbæ Eryſimi, Veronicæ, Chærefolii, Hyſſopi, Capilli veneris &c: Semina Aniſi, Fœniculi, Baccæ lauri & Juniperi &c: Flores Sambuci, ſtœchados arabicæ, Helenii, Crocus orientalis, Lignum Saſſafras, Juniperinum, Gummi Ammoniacum, Bdellium, Sagapenum &c: ex Sulphure parata parca tamen doſi ordinanda, quæ poſteriora, tunc conveniunt, quando affluxus

humi-

humidus ad pectus immoderatior eſt: & ex hisce prædictis ſpeciebus quædam in ſubſtantia, aliæ in Eſſentia, nonnullæ in Infuſo calido, aliquæ in aquis artificioſe deſtillatis conferunt & ubique laudabilem ſuam vtilitatem probant.

§. XVIII. Quando in affectibus pectoris & præcipue in negotio expectorationis neceſſarius motus excretorius deficit, tunc ad tusſim excitandam conveniunt remedia acida, imprimis mineralia prudenter tamen & parca quantitate ordinanda; cavendo, ne exhibeantur ſubjectis, quibus humores in genere & deinde etiam in pectore ſpisſiores ſunt, aut, in quibus aliqua dyſcraſia ſanguinis adeſt, aut quando pectus ſimul & ſemel cum mucida oppletione obrutum fuit; in quo paſſu potius vel prædicta reſolventia, vel ſelecta & mitiora emetica, ordinanda ſunt; unde præcipue in infantibus, in quibus vis illa deficit, quæ pro expectorando muco neceſſaria eſt, lenis evacuatio admodum conducit.

§. XIX. Hoc loco adhuc placet ſingulares quasdam obſervationes medico-practicas annectere & quidem, quomodo interdum oppletio pectoris, quæ expectorationem urgere videtur a ſcabie retropulſa oriatur, in quo paſſu non quidem poſitiva pectoralia remedia conducunt, ſed potius uſurpanda ſunt laxantia cum Mercurio dulci mixta; proinde conveniunt Eſſentiæ reſolventes e Succino, Pimpinella alba etc: miſcendæ; ut & parcisſimus uſus ſulphuris in hoc caſu concedi poteſt: quando vero alicubi practici de anodynorum vi expectorante diſſerunt, tunc minime huic commendationi tam facile fides danda eſt: interim ſi in aliquo ſtatu tusſis excedere videtur, & exceſſus hic non modo expectorationem turbare, ſed & oppletionem pectoris exacerbare ſolet, tunc præter emulſiva, abſorbentia, nitrata, reſolventia etc: etiam mitiora ſedativa fructuoſe adhiberi poſſunt; in qua necesſitate præ vulgaribus opiatis remediis eximiam utilitatem habet Cortex Chaccarillæ: proinde in infantibus tenellulis expectorationem levant antimoniata fixa & in adultioribus remittente nimio Expectorationis ſucceſſu Spiritus volatiles temperati roborante effectu, conducunt; quemadmodum in ſubjectis humidis & frigidis aut ſic dictæ phlegmaticæ conſtitutionis Spiritus urinoſi, moderate oleoſi, parcius adhibiti, conveniunt.

§. XX. Reſtat denique methodus mediante qua Expectoratio legitime & perite tractari debet: ante omnia neceſſe eſt, quo alvus ſit libera & aperta; unde convenit præmittere moderatam laxationem, qualis in reliquo ſucceſſu utiliter repeti poteſt: proinde præſtat congeſtiones ſanguineas a pectore avertere, per præſervatorias ſive Venæ Sectiones, ſive in aptis ſubjectis, Scarificationes: porro remediis expectorantibus ſedulo interponenda

ſunt

ſunt auxilia reſolventia & diſcutientia interna, quæ ulteriorem affluxum humorum diſſipant & avertunt: quidquod interdum moderata Diaphoreſis, imprimis in ſubjectis humidioribus tantum proficit, quo minus pectus ulterius obruatur & oppleatur.

§. XXI. Præterea ad uſus expectorantes eximie conferunt Infuſa calida ſive decocta ex herbis reſolventibus parata, additis quibusdam expectorantibus & lenientibus & ſepoſitis potioribus travmaticis: multum etiam levat atque promovet moderatam & facilem Expectorationem calor modeſtus, quam vicisſim valde turbat frigus, imprimis pectori admiſſum; maxime vero nocturnum: inſuper pro emolumento Expectorationis potus tepidior convenit; evitanda vero eſt nimia corporis oppletio cum cibis aut ingeſtio acidorum & tusſiculoſam commotionem excitantium; ulterius etiam præcavendum eſt, ne nimis diu Expectoratio continuetur, ſed quo ſub tali methodo etiam tempeſtive finiatur.

§. XXII. Quando denique oppletio pectoris e ſuppresſis Hæmorrhagiis ortum traxit, tunc maxima cura eo dirigenda eſt, quo ſalutares tales Hæmorrhagiæ, ſive Hæmorrhoides ſive Menſes fuerint, convenienter reſtituantur; ſi vero quædam Hæmorrhagiæ revocari haud poſſunt, tunc artificiali evacuatione ſangvinis præſervatorie & tempeſtive ſubveniendum eſt: in ſubjectis Phthiſicis Expectoratio cum magna circumſpectione præſtanda eſt, ita ut ſelecta & ſecura abſterſio & diſcuſſio perficiatur & nimia emollitio evitetur, & ſi ſanguineæ congeſtiones ſub expectorationis adminiſtratione concurrunt, tunc uſus pediluviorum & correctorum aloëticorum remediorum cum multo fructu conferri poteſt. Quæ ſingulæ circumſtantiæ in tota Expectorationis directione ſollicite obſervandæ, imitandæ & applicandæ ſunt.

CAPUT X.

De

APOPHLEGMATISMIS.

§. I.

AD particulares Excretionis ſpecies nunc progredior, quæ tamen in communi ordine vitali æque occurrunt, licet non in tanto gradu, ut proinde ars naturam imitetur: denotantur vero per Apophlegmatiſmos

tiſſimos evacuationes pituitæ fluidioris, mucido-ſeroſo-ſalivalis e capite, ſeorſim vero vel e naribus, vel ex ore ſub maſticatione idoneorum ſubjectorum, ut largius humor talis intra fauces profluat & denique evacuetur, quæ poſteriora ſubjecta propterea Maſticantia vocantur i. e. quæ ſub maſticatione ob ſtimulum ſuum, faucibus inductum, hanc evacuationem invitant: in quo utroque actu excretorio tam per nares, quam per fauces quotidie occupatam deprehendimus naturam.

§. II. In quantum hæc ſpecies evacuationis ab ipſa natura in communi œconomia vitæ ſponte adminiſtratur & ſubinde ad ſanitatem ſpectat, in tantum etiam artificialis imitatio ad utilitatem corporis humani dirigi poteſt; modo non præter neceſſitatem & ſubjecti diſpoſitionem talis excretio provocetur, alias quidem cum eadem non tam facile neque tam ſuſpectum damnum induci poteſt: quodſi vero ex nuda quadam abuſiva conſuetudine & citra neceſſitatem talis evacuatio ſuſcipiatur, tunc varia etiam incommoda excitari poſſunt, velut conſuetudinales capitis perturbationes temulentæ & vertiginoſæ debilitationes capitis, organorum ſenſoriorum enervationes, frequentes congeſtiones, ut & faucium, colli, pectoris atque ventriculi varia & moleſta & ſuſpecta pathemata.

§. III. Excernitur vero & educitur per has evacuationes materia, quæ communiter in corpore fluctuat, imprimis fluidior & mobilior, ſic dicta catarrhalis mucilaginoſa, quæ, quando in immobili quadam conſiſtentia ultimæ huic excretioni repugnat, antea colliquanda, reſolvenda & attenuanda eſt, quo per partes, ſecretioni ſubſervientes, facilius transvehi queat: deinde etiam excernitur materia ſeroſo-ſalina & ſalivalis; quæ vulgo in partibus & tunicis capitis glanduloſis ſeparatur, ſiquidem prior ſpecies hujus imprimis evacuationis, membranas glanduloſas ad radicem narium ſitas & intra nares ſeſe dimittentes afficit; altera ſpecies glandulas ſalivales, ſublinguales, maxillares, nec non ipſas tonſillas reſpicit & in conſenſum trahit.

§. IV. Evacuatio materiæ pituitoſo-ſeroſæ e naribus duplici effectu præſtatur, uno *Errhino*, altero *Ptarmico*; prior eſt, ubi nares ſenſibilius ſtimulantur, in iisdem humores affluentes ſubtilius reſolvuntur, ad easdem tales humores copioſius advehuntur & denique ſine impetu & ſtrepitu exprimuntur & excernuntur: Ptarmica remedia vero vocantur, quæ primario quodam effectu efficaces ſternutationes inducunt, ſub quibus non modo illa adhærentia ſubjecta ptarmica eliduntur, ſed & ſimul humor intra nares affunditur & denique effunditur.

§. V. Dantur interim remedia, quæ ſimul Errhina & Ptarmica ſunt, licet Errhinorum effectus ſit ſubtilior, Ptarmica vero remedia utplurimum

quo-

quoad conſiſtentiam & efficaciam ſuam craſſiora exiſtant: utraque vero operantur per principium ſalinum, vel ſubtilius reſolvens & colliquans in Errhinis, vel crasſius ſtimulans & vellicans in Ptarmicis; unde Errhinorum ſubtilem ſuperficialem ſtimulum ſequitur activa humorum affuſio, qui tunc ab errhinis ſubtilioribus remediis celerius attenuantur & reſolvuntur, ſed deinde ſub activa conſtrictione glanduloſarum illarum tunicarum exprimuntur; ut effluvia & principia Errhinorum cum illis humoribus nunc una eluantur & emoveantur: Ptarmica vero, quia craſſius hisce tunicis nervoſo - glanduloſis adhærent, ita craſſo motu eliſorio ſternutatorio expelluntur & ſub comitatu hoc reliquæ affluentes materiæ humidæ pro meliori partium abſterſione & liberatione excernuntur.

§. VI. Horum remediorum uſus vere medicus non adeo frequens eſt, licet interdum caſus & occaſiones obtingant, ubi eadem commendare expedit; interim ab illorum abuſu, qui hodienum valde invaluit, ſedulo diſſuadendi ſunt homines, quoniam frequens illa capitis & imprimis narium irritatio reliquos ordinarios & congruos motus turbat, adeoque variis affectibus congeſtoriis, ſpasmodicis & ſtagnatoriis invitandis ſatisfacit: & dum communiter in noſtris climatibus homines ſpontaneis talibus excretionibus, ſive ordinariis, ſive extraordinariis magis adſueti ſunt, ita contra omnem utilitatem eſt, naturam humanam a ſpontaneis ſuis directionibus ſeducere & artificialibus irritamentis ſubjicere.

§. VII. Quo vero uſus Apophlegmatiſmorum primi ordinis magis patefiat, ita iidem indicantur 1) in affectibus capitis mucidis catarrhalibus gravativis, neque ſponte facile ſuccedentibus 2) in ſubjectis phlegmaticis, quæ hiſce humoribus pituitoſis admodum abundant 3) in doloribus capitis ex gravedine pituitoſa ortis 4) in affectibus ex ſuppreſſa Coryza natis, collum, fauces, nucham & ſcapulas infeſtantibus 5) in lippitudine & ſeroſa defluxione intra oculos 6) in frequenti dentium dolore, e cauſa pituitoſa orta 7) in Suſurru aurium cum Catarrhis conjuncto 8) in Vertigine ex ſuppresſis ordinariis Catarrhis genita 9) quandoque ſternutatoria juxta Hippocratis monitum ad Secundinarum excluſionem juvant, 10) nonnunquam in affectibus Comatoſis modeſte adhibita Errhina & Ptarmica proſunt, 11) interdum in Apoplexia, & denique 12) etiam in Lipothymia conducunt.

§. VIII. Contra indicantur vero hæc Apophlegmatizantia remedia 1) in ſubjectis valde plethoricis 2) in illis, quæ ad faciles & largas capitis & pectoris Hæmorrhagias prona ſunt 3) etiam in talibus, quæ acerbioribus congeſtionibus ſanguineis capitis obnoxia ſunt 4) ut & in illis, quibus inflammationes in ſuperiori corporis regione uſitatæ ſunt 5) ubi eximii defectus facultatum

animæ adſunt 6) in ſubjectis, quibus affectus ſpaſtici & convulſivi familiares ſunt 7) ſub graviditate 8) in puerperiis, quando Lochia rite fluunt 9) in Herniofis ſubjectis 10) in ani & uteri procidentia 11) in Phthiſicis & denique 12) in quibusvis febribus acutis.

§. IX. Remedia, quæ ſimplicius Errhina vocantur, recenſentur varia, e quibus aliqua ſecurioris, alia periculoſioris uſus ſunt: potentiſſimum ex Errhinis eſt *Euphorbium*, quod etiam in parca quantitate adhibitum, vehementer nares ſtimulat; unde etiam paulo immodeſtius uſurpatum in ſubjectis plethoricis & ſpongioſis vel ſimplices, vel eryſipelaceas inflammationes provocavit, quare cum maxima circumſpectione adhiberi debet, licet illud agyrtarum ſit arcanum, quo mediante Catarrhos extemporaneo actu ſubtrahere audent: minus congrue in pulverulenta ſola ſua ſubſtantia adhibetur, unde rectius parca illius quantitas, cum majori copia aquæ diluta, ſucceſſive intra nares excipi aut ſi Euphorbium antea cum aqua quadam deſtillata ſolvitur & deinde talis aqua majori quantitati alterius pulveris communis ſternutatorii commiſcetur, tunc paulo ſecurius adhiberi poteſt.

§. X. Deinde Errhinus effectus adſcribitur *Vitriolo albo*, quod vero rarius uſurpatur, licet in catalogo talium remediorum reperiatur, quod ſecundum quorundam commendationem cum aqua aliqua deſtillata ſolutum exhibetur. Paulo ſecurius vero errhinam efficaciam habet *Sal volatile* ſive *ſimpl x*, ſive *oleoſum*, aut Spiritus urinoſus, modo modeſtius adhibeatur; quale remedium admodum penetrat, ſubtiliter ſtimulat & efficaciter reſolvit humores; ita denique cum ſimpliciori ſecuritate adhiberi poteſt *Succus Majoranæ* aut *Braſſicæ*, qualia ſingula remedia ſine ſternutationis effectu nares purgant.

§. XI. Dantur etiam remedia, quæ Errhinam & Ptarmicam virtutem ſimul habent, velut *Flores Liliorum convallium* Herbæ pulveriſatæ Majoranæ, Betonicæ, Serpilli, Thymi, Rorismarini, Flores Lavendulæ, Spicæ, Anthos, maxime vero huc referri debet *Herba Nicotiana* ſive domeſtica ſive exotica: pertinent huc ſemina Rutæ, Nigellæ, Erucæ, Sinapios, Cubebarum, Caryophilli aromatici, quin ipſe ſubtiliſſimus vapor Ceparum, ut & parciſſimus uſus Piperis valde afficit nares: accedunt Succus Betæ, Raphani ruſticani; quo aliqui purgantia referunt, ut Helleborum nigrum & album, qui poſterior denominationem ſuam in vernacula ab effectu ſternutatorio obtinuit: Radix Pimpinellæ albæ pulveriſata ſtrenuas ſternutationes cauſatur, nec non Squilla pulveriſata potens Ptarmicum remedium conſtituit; unde caute uſurpari debet; ex quibus ſingulis ſpeciebus vario modo pulveres tales ſternutatorii confici poſſunt; quibus pro grato odore vel communia ſvaveolentia, imprimis ſpecies Diambræ, Diamoſchi, nec non olea deſtillata & Balſama oleoſa commiſcentur, quibus

quibus cum poſterioribus Tabaci ſimplicioris adverſus odor quantisper corrigitur, ſi quædam ſubjecta eundem perferre non poſſunt.

§. XII. Antequam vero talis medicatio per Errhina & Ptarmica ſuſcipiatur, præſtat prius corpus debite præparare, ne huic actui therapevtico ſuſpecta quædam accidentia ſeſe jungant; unde antea alvus aperienda eſt & primæ viæ a crasſis impuritatibus liberari debent; deinde interponenda ſunt remedia diſcutientia, reſolventia, ſerum ſubtiliter colliquantia & per diaphoreſin & diureſin moderatam evacuantia, ſicut in ſubjectis pituitoſis Succinata & Saſſafrata adminicula conveniunt, quæ præcipue in Eſſentiis ordinanda ſunt, ſervando regimen moderate calidum, quo humores ſuperficiales in juſta fluiditate permaneant, ne ſpecialis illa excretio therapevtica impeditior reddatur.

§. XIII. Excipit altera Apophlegmatiſmi ſpecies cum MASTICATORIIS præſtanda, quorum uſus proinde rarior eſt in praxi medica: evenit vero interdum, ut nimia ſecretio ſeri ſalivalis intra caput talem derivationem & ventilationem inferat: contingit Maſticationis effectus, quando certa adminicula, dentibus comminuta, vel ſubtili, vel efficaciori ſuo principio ſalino-ſulphureo partes faucium nervoſas ſtimulant, ut copioſius humor ſalivalis affluat & e glandulis vicinis effluat, qui poſtea excretus connexum ſuum effectum medicum inducit.

§. XIV. Utut vero Maſticatoriorum uſus admodum reſtrictus eſt, tamen admittitur interdum 1) in ſubjectis valde pituitoſis 2) in Catarrhis capitis & faucium contumacibus 3) in frequentibus & contumacibus congeſtionibus capitis, 4) in aurium & oculorum affectibus ſeroſis 5) in Coryza habituali 6) in Gravedine 7) in Odontalgia ſeroſa 8) in frequenti infarctu partium glanduloſarum colli & faucium 9) in Decubitu affectuum catarrhalium ad ventriculum: in quibus ſingulis circumſtantiis, reliquis aliis excluſis, moderata talis Maſticatio concedi poteſt, cavendo tamen, ne in hac excretione exceſſus committatur, alias ſingula hæc incommoda exinde magis confirmantur.

§ XV. Remedia quod concernit, quibuscum excretio per Maſticationem inſtitui poteſt, tunc varia huc commendantur; potentisſimum eſt *Radix Pyrethri*, mitisſimum eſt *Maſtix*, mediæ indolis eſt *Tabacus*, qui in ſubjectis, quæ eundem non extreme averſantur vel maſticatus, vel in fumo adhibitus efficacem excretionem ſalivalem involvit; cavendo, ne ſuccus hujus Tabaci deglutiatur, qui graves cardialgias cauſatur, quibus optime per aromatica carminativa ſuccurritur; alias etiam ad maſticatorium ſcopum ſeligi poſſunt Radices Angelicæ, Imperatoriæ, Helenii, Carlinæ, Acori, Pimpinellæ albæ, Galangæ, Aromata, Semina Erucæ, ſynapios, allium, cepæ, herbæ recentes

Majoranæ, Pulegii, Betonicæ ſimilesque antiſcorbuticæ, Eſſentiæ, ex hiſce ſpeciebus paratæ, Gummata acriora, quæ ſingula vero in pauca quantitate uſurpanda ſunt.

§. XVI. Proinde etiam illa cautela in hac excretione ſervanda eſt, ne in corpore impuro & cacochymico eadem ordinetur; unde præſtat antea corpus debite repurgare & ſordes educere; proinde etiam adhiberi poſſunt remedia anticatarrhalia, abſtergentia, reſolventia & diſcutientia, ſicut proinde ad ſtatum plethoricum reſpectus inſtituendus eſt, ita ut in ſubjectis adſuetis vel tempeſtivæ Venæ Sectiones, vel congruæ Scarificationes ſuſcipiantur, ita eo ſecurior effectus & eo certior ſalubritas erit, quæ de Maſticatoriis expectatur.

CAPUT XI.

DE

PARTICULARIBUS SERI EVACUATIONIBUS SUPERFICIALIBUS PER VESICATORIA, FONTICULOS ET SETACEA.

§. I.

PArticulares tales ſubtractiones Seri, cum aliquali Lymphæ quantitate remixti, in vulgari medicina practica non infrequentes ſunt, unde tanto magis merentur quoad uſum & utilitatem ſuam dijudicari: prima harum excretionum per VESICATORIA & connexa rubefacientia atque Phænigmos præſtatur, quando in ſuperficie cutis & variis quidem corporis regionibus vel extraordinarius rubor, vel perfecta Veſica, capax & lata, excitatur, quæ cum Sero lymphatico repleta, denique vel ſua ſponte erumpit, vel arbitrarie aperitur, ut collectus humor effluat, ubi directio hujus evacuationis non tam ipſum illum humorem concernit, quam affectuum illorum ad quos veſicatoria ordinantur diverſionem & derivationem.

§. II. Quanquam vero hæc ſpecies commotionis, alterationis & evacuationis magis applicationibus Chirurgicis inſerviat, tamen quia vel ab imperitis Chirurgis, vel interdum ab ipſis medicis non exiguus abuſus cum ſin-

gul.s

gulis hiſce evacuationibus committitur, ita in Therapia rationali medica admodum neceſſarium eſt, quo juxta dexteritatem & peritiam medicam tales excretiones juſte & condigne ordinentur, ſiquidem juxta vulgarem abuſum eædem tunc demum utplurimum ordinantur, quando alia adminicula ſperatam ſuam utilitatem haud obtulerunt, adeoque merito ad ultima aſyla medica transferri debent.

§. III. Veſicatoria utplurimum operantur derivatorio ſcopo, ſed eo ipſo etiam ſimul & ſemel ſine cunctatione, cum vicisſim Fonticuli & Setacea ſingularem ſervitutem involvant & longinquiori uſu utilitatem ſuam exſerant, hinc Veſicatoria ad præcipites & impetuoſos affectus quorum decurſus eſt adeo longus, commendari poſſunt, Fonticuli vero ad morbos Chronicos, quorum decurſus languidus & lentus: deinde Veſicatoria ſatis ſenſibiles dolores, ardores & pruritus involvunt, ita quidem, ut interdum metus inflammationis accidat, præprimis in ſubjectis ſenſibilibus & plethoricis & ubi paulo immodeſtius veſicæ excitantur: propterea circa uſum Veſicatoriorum perinde prudentia & modeſtia adhibenda eſt.

§. IV. Rubefacientia operantur cum efficaci acri & cauſtico ſuo ſale, quo cutem ita ſtimulant, ut ſanguis eo copioſius congeratur, inde rubores & ardores oriuntur, ut propterea in oppoſita & affecta parte congeſtoriæ & inflammatoriæ aliæ commotiones ceſſent ac quieſcant; interim remedia ſanguinem eo non attrahunt, ſed potius natura juxta conſuetum ſuum morem ſtimulum in illo loco inductum tali ſanguinea congeſtione proſequitur: ita etiam Veſicatoria cauſtico effectu operantur in corpus vivum ſentiens, minime vero in corpus exanimatum & mortuum; unde ſubjecta ſub operatione Veſicatoriorum dolores illos cauſticos bene ſentiunt, quam ſuperficialem ſepſin & cauſin natura proinde cum tali affuſione humorum ſeroſo-lymphaticorum proſequitur, quo principia illa materialia externa quantisper diluat & in phyſica ſua efficacia infringat: quæ natura dum particulari tali motu & ſenſu majori in alia loca tranſit, ita in affectis locis vicinis priſtinum motum congeſtorium deſerit, ut deinde connexi affectus morbidi remittant, aut leniores & tractabiliores evadant.

§. V. Quemadmodum itaque per uſum Veſicatoriorum non tam materiæ evacuatio directe intenditur, quam motuum diverſio, ita practicis in more poſitum eſt in variis corporis regionibus & locis veſicas excitare: uſitatius quidem in nucha, interdum in pedum plantis aut ſuris, circa aures, ad carpum, ad inguina & crura & in interna cubiti flexura circa venam medianam, qui poſterior locus a quibusdam practicis cum ſingulari encomio commendatur ad cephalalgicos & odontalgicos affectus: uſitatisſimus tamen locus in nucha

nucha eſt, unde veſicatoria magis ad capitis affectus in vulgari praxi ordinantur & interdum etiam conducunt.

§. VI. Sicuti porro Veſicatoria primario ad capitis affectus conducunt, ita proinde magis in illis afflictionibus ſubveniunt, quæ externam capitis regionem detinent; de reliquo vero etiam Veſicatoria indicantur 1) in diuturna Cephalalgia & Cephalæa ſeroſa 2) in Ophthalmia ſeroſa & Lippitudine 3) in chronica Coryza 4) in Odontalgia ſeroſa 5) in Lethargo aliisque affectibus ſoporoſis 6) in ulcerationibus capitis diuturnis manantibus 7) a quibusdam practicis ut ſingulare remedium ad revocanda exanthemata retropulſa laudantur, ſed minus certo & felici ſucceſſu 8) indicantur etiam in Phrenitide 9) in convulſionibus ex retropulſis achoribus & ſuperficialibus ulcerationibus ortis 10) in Paralyſi linguæ 11) in auditus debilitate & ſuſurru aurium ex cauſa frigida pendente 12) in diuturnis capitis Catarrhis.

§. VII. Proinde vero Veſicatoria in variis caſibus & occaſionibus contraindicantur & quidem 1) in affectibus congeſtoriis, mere ſanguineis 2) in affectibus contumacioribus ſpaſticis, ex cauſa ſanguinea ortis 3) in febribus acutis 4) præſente plethora eximia & valde mobili 5) in gravidis 6) in inflammationibus 7) in prodigis Hæmorrhagiis 8) in moliminibus hæmorrhagicis 9) in aliis commotionibus, abundantiam ſanguinis concernentibus 10) in ſubjectis Cholericis 11) in infantibus & ſenibus 12) in ſubjectis valde ſenſibilibus & morbis corruptis: unde temperatiora rubefacientia remedia interdum conducunt ad motus contumaciores congeſtorios ſanguineos & inflammatorios revellendos.

§. VIII. Uſitatisſimum & probatisſimum adminiculum, quo mediante Veſicæ excitantur, conſtituunt *Canthariides*, qualia animalcula ſeparatis alis & capite neque valde adulta, pauca quantitate cum fermento panis, addito aceto quodam & interdum caricarum pulpa pro leniendo dolore, in maſſulam convertuntur & loco ſelecto applicantur, ita quidam Cantharides cum Theriaca aut Caricis ſubigunt & applicant: aliqui eadem animalia cum Cera, Thure, Maſtiche etc: in conſiſtentiam Emplaſtri convertunt, aut cum Emplaſtro quodam diaphoretico Mynſichti ſubigunt; ſicut etiam ſeorſim talia Emplaſtra veſicatoria in diſpenſatoriis proſtant.

§. IX. Dantur etiam remedia *Rubefacientia* e quibus potentiora ſunt Radix Pyrrethri & Euphorbium; attamen alia adhuc dantur hujus efficaciæ, ut Radix Ranunculi ſylveſtris, Cepæ, Allium, Synapi & Fimus columbinus: ſed cum his prudentia eſt adhibenda, ne in ſubjectis plethoricis & ſpongioſis inflammationem eryſipelaceam excitent; quare ad partes non valde ſenſibi-

les

les ſed potius craſſiores & robuſtiores applicari debent, ut diverſio & revulſio neceſſaria perpetretur.

§. X. Singularem notam inter curioſos eruditos promeruit exoticum illud experimentum, quo mediante ſuperficialis rubefactio per cauteriſationem excitatur, nimirum per famoſam illam *Moxam Indorum*, quæ conſtituit faſciculum lanuginoſum, qui certis corporis regionibus applicatur & accenditur, ut ita ſucceſsive deflagret atque ſuperficiem cutis cum Cauterio quodam ſtimulet: quemadmodum vero hoc experimentum magis pro ſubjectis robuſtioribus ſeſervari debet, ita non æque ſingulares utilitates in medicina Europæorum de eodem promitti poſſunt, licet quidam medicorum noſtratium loco Indicæ Moxæ aliam communem lanuginem ſubtiliorem pro eadem applicatione ſeligant atque ordinent.

§. XI. Quando artifex conſultum eſſe judicat, quo Veſicatorium applicetur, tunc antea corpus debite præparare debet, imprimis ubi aliqualis dyſcraſia vel in primis viis, vel in humoribus præſumitur: præſtat propterea præmittere moderatam laxationem, quæ inter alia cum additamento Mercurii dulcis, præcipue in ſubjectis humidioribus, perficienda eſt: deinde confert humorum fluiditatem vel per decocta dilutiora calida, vel per Eſſentias anticatarrhales adjuvare: quando vero jam Veſicæ excitantur, aut nunc provocatæ ſunt, tunc præſtat corpus in moderato calore conſervare.

§. XII. Quando Veſica ſufficienter excitata fuit, tunc remoto remedio veſicatorio aperiri debet & convenit interdum in ſubjectis valde humidis poſt contenti liquoris ſeroſo-lymphatici evacuationem affluxum & effluxum illius aliquandiu continuare; id quod quidam per folia braſſicæ, alii per modeſtam inſperſionem pulveris Cantharidum aut illinitionem olei Irini & applicationem Emplaſtri Citrini, vel de Spermate Ranarum, urgent & obtinent; pro quo ſcopo ſecurius pulveriſatæ radices, vel Gentianæ rubræ, vel Ireos florentinæ, inſerviunt: cavendum vero eſt, ne tales veſicæ, vel præter neceſſitatem, vel in genere de reliquo diutius fluant, ſiquidem alias vel inflammatoriæ commotiones vel ulceroſæ corruptiones ſuperveniunt.

§. XIII. Quando multus ardor talem Veſicam comitatur, tunc pro lenitione concilianda inſerviunt olea lenientia & moderate refrigerantia atque abſtergentia, ut oleum Chamomillæ, Spermatis Ranarum, Maſtichinum, addendo aliquid Ceruſſæ albæ, Succini albi, Camphoræ, Ceræ virgineæ &c. præterea imminentes inflammatoriæ commotiones declinandæ & mitigandæ ſunt per Emplaſtra lenientia, diſcutientia Camphorata: ſi ultra neceſſarium terminum Veſicæ ſerum fundere continuent, tunc conveniunt interna alexipharmaca & anticatarrhalia, cum debito regimine diaphoretico combinata aut mitiora laxantia; externe

R vero

vero in ambitu applicanda ſunt Emplaſtra diſcutientia: denique conſolidatio vel ſua ſponte contingit vel per Emplaſtrum Stićticum Crollii &c. promoveri poteſt.

§. XIV. Ad FONTICULOS explicandos acceſſum inſtituo, quorum adminiſtratio & applicatio inter medicos valde uſitata, imo antiquitus recepta eſt: judicarunt enim quidam e medicis, quod in diverſis ſubjectis natura per ſuperficiales ulcerationes ſatis magnam copiam materiæ ſeroſæ ichoroſæ eliminet & cum tali fluxu alia incommoda præſervet, cum viciſſim cohibitis illis ulceribus pathemata talia demum orta ſint; unde quidam illorum medicorum in eo naturam imitari & artificialia ulcera excitare laborant, quo ex iisdem ſimilis evacuatio provocetur & diverſorum morborum præſervatio exerceatur, quo ſenſu Fonticuli nihil aliud, quam ſuperficialia ulcera ſunt.

§. XV. Quam bene quidem cæteroquin hæc imitatio therapevtica excogitata eſt, tam frequens tamen cum Fonticulorum ordinatione committitur abuſus, ſiquidem notiſſimum eſt, quam male iidem ultimis aſylis medicis annumerati ſint, dum vel in affectibus non ſatis cognitis, vel perquam refractariis injunguntur & excitantur, ſed ſæpe numero ſine ulla utilitate, quin potius cum reliquæ œconomiæ vitalis vel majori, vel minori, vel præſentaneo, vel ſucceſſivo damno adhibentur, dum inſolito tali & plane inopportuno modo natura contra omnem ſuum ſenſum & conſenſum ad incongruam ejusmodi evacuationem ducitur & ſeducitur: quare in ordinatione hujus ſpecialiſſimæ maximeque inſolitæ excretionis magna prudentia & dexteritas adhibenda eſt.

§. XVI. Teſtantur inſuper Fonticuli particularem ſuam indolem atque moleſtiam, quod ſtrictam illam obligationem atque ſervitutem conſtantis continuationis inferant; ut nihil dicam de quotidiano ſpeciali ſuo directorio: ita enim, ſi ſemel excitati ſunt, non facile, aut ita cito conſolidari debent; alias ita indiſcretim conſolidati non modo antiqua pathemata, ſed adhuc graviora inferunt; unde demum ſub longa mora & ſucceſſive utilitatem ſuam promittunt, quando in aliquo caſu paulo magis directe conveniunt, proptereaque potius Chronicis morbis opponendi ſunt & quidem rectius derivatorio, quam evacuatorio ſcopo & effectu: licet enim Fonticuli per evacuationem humoris ſeroſi ſeſe exſerant, tamen ipſius hujus excretionis utilitas præviam derivationem pro ſcopo habet.

§. XVII. Excitantur itaque Fonticuli in ſuperficie corporis & quidem in loco non æque valde carnoſo, ſed ubi muſculorum tendines ſub cute reperiuntur: penetrant vero Fonticuli per cutem, qui tamen minime in ipſos tendines transferendi ſunt, multo minus vero ad partes muſculoſas perduci debent, in quo poſteriori caſu error, ſi committitur, tunc talem Fonticulum frequenter comitantur partis ardores, rubores, inflationes, dolores maxime tenſorii, quid quod plane nonnunquam ſangvis transſtillat; quæ ſingula ſigna haud bonæ

indo-

indolis ſunt; ut conſultius ſit, quo talis Fonticulus denuo concreſcat, proptereaque magis in loco idoneo novus excitetur.

§. XVIII. Formantur itaque Fonticuli uſitatius in brachio inter muſculum bicipitem & deltoideum, minus vero conſulto ad crura, femora, aut dorſum; interdum utiliter in ipſa Nucha excitantur & quidem inter ſecundam & tertiam colli vertebram; cautela tamen illa ſervanda eſt, ne ſubterjacentes tendines ſimul offendantur, alias ſuperveniunt affectus ſpaſtici, inflammatorii, aut perniciosæ corruptiones; proinde etiam confert, quo indies formatus Fonticulus humorem ſuum ſufficienter fundat & quo ipſe fundus illius Fonticuli ſemper recens ſit; malum enim indicium eſt, ſi Fonticuli liveſcunt, impalleſcunt, aut valde flacceſcunt, quale quid interdum contingit in ægrotantibus morti propioribus.

§. XIX. Sicut Fonticuli plane ſingulares ſuas utilitates habent, ita peculiares indicationes in illorum ordine notari debent: indicantur itaque Fonticuli 1) in diuturnis humidis oculorum affectibus 2) in habitualibus morbis catarrhalibus 3) in Chronicis ſeroſis pectoris oppletionibus 4) in rhevmaticis afflictionibus, frequenter recurrentibus 5) in affectibus aurium ut Tinnitu, Suſurru & Gravitate auditus e frequentiore congeſtione ad aures ortis 6) in vertigine caduca, Apoplexiam præcurrente 7) in affectibus oculorum ex male curatis Varioliſ natis 8) in principiis Cataractæ 9) in Aſthmate humido & 10) in pathematibus diuturnis atque chronicis, ex ſuppreſſo ſudore genitis.

§. XX. Viciſſim contraindicantur Fonticuli 1) in ſubjectis valde plethoricis 2) & quæ Hæmorrhagiis ſalutaribus periodicis obnoxia ſunt 3) in ſimplicioribus moliminibus hæmorrhagicis 4) in ſpaſmis 5) in febribus ſimplicibus 6) in affectibus periodicis 7) in ſubjectis quæ particularibus evacuationibus ſalutaribus adſveta ſunt 8) in gravidis 9) in infantibus & 10) in illis affectibus, ubi vera partium atonia in cauſa & culpa eſt.

§. XXI. Priusquam Fonticuli in aliquo ſubjecto formentur, præſtat antea præſentem aliquam moleſtam ſanguinis ubertatem convenienter imminuere, ſive per Venæ Sectionem ſive in adſvetis per Scarificationem; deinde confert corpus & quidem primas regiones repurgare ab inhærentibus impuritatibus; quo conducunt laxationes, quæ ſimul aliquem effectum reſolutorium in vias atque humores transferunt; unde vel Infuſa vinoſa vel etiam in pilularum forma mixta amara, ſic dicta antiſcorbutica, admodum proſunt.

§. XXII. Quod ipſam adminiſtrationem Fonticulorum attinet, tunc antiquiſſimus modus fuit per actuale cauterium aperturam talem formare; deinde vero artificibus familiare redditum fuit, quo per actualem ſectionem & inciſionem ejusmodi Fonticulum præparent; ultimis denique temporibus poſteaquam

 cor-

corroſiva remedia innotuerunt, uſitatum fuit per talia corrodentia, ſive acidæ ſive alcalinæ eſſentiæ, ulcuſculum tale excitare, uti prioris indolis eſt Butyrum antimonii, Lapis ille Chirurgorum famoſus infernalis, Oleum Vitrioli; poſterioris claſſis vero eſt Lixivium concentratum e Calce viva & Cineribus clavellatis paratum, in quorum corroſivorum applicatione illa cautela tantum eſt uſurpanda, ne corroſivum remedium latius diffluat, ſed quo in profunditatem operetur, id quod etiam artifices cum bona enchiriſi dirigere poſſunt: quando talis apertura in cutem facta fuit, tunc accreſcit eſchara, quæ tempeſtive removenda eſt & poſtea immittuntur vel piſa pro Fonticulis, vel globuli forma oblonga parati e teneriori ligno, ne valde offendant interiorem Fonticuli partem: ſicut etiam commode talia opercula parari poſſunt, quæ ſemper Fonticulum in juſta apertura conſervant.

§. XXIII. Quoad ejusmodi globulos aut opercula Fonticulis immittenda, illa cautela eſt ſervanda, ne in ullo extremo peccent, ſiquidem nimis craſſa & magna valde dilatant & locum ægre afficiunt; valde exigua contra facile ad novam Fonticuli concretionem diſponunt: quemadmodum etiam evitandum eſt, ne tales globuli cum aliqua violentia imprimantur & exprimantur; ſicut de reliquo ipſe Fonticulus non immodeſte tractari debet, hinc etiam deligatio debet eſſe apta & modeſta & quidem non nimis arcta, quia dolores cauſatur; neque nimis laxa, quia ad facilem Fonticulorum concretionem invitat.

§. XXIV. Confert præterea noſſe diverſa accidentia, quæ Fonticulis ſupervenire & hos offendere poſſunt, quibus eapropter artifex peritus obviam ire debet: quando itaque Fonticuli inſufficienter manant, ſed ſicciores ſunt, tunc conveniunt adminicula modeſte illum ſtimulantia; excludo acriora, quæ vulgo allegantur, ut Colocynthidem, Pyrrethrum, Jalappam, Helleborum nigrum & Cantharidum ſimplicem uſum; quin potius præfero applicationem globulorum e radice Gentianæ rubræ, Helenii &c, paratorum, aut inſperſionem pulveris ex radice Gentianæ rubræ vel Ireos Florentinæ vel Ariſtolochiæ, aut conducit huc globulus ex radice Ireos Florentinæ paratus, vel quando ordinario cuidam globulo exiguum ungventi Ægyptiaci applicatur & tunc intra Fonticulum adhibetur.

§. XXV. Interdum accidit ut Fonticulo ſuperveniat motus & dolor inflammatorius, pro quo arcendo & abigendo in ambitu conveniunt remedia temperata Camphorata, Emplaſtra reſolventia & temperantia cum Camphora mixta aut etiam leniter reprimentia emplaſtica auxilia: huc itidem faciunt Sacculi e ſpeciebus diſcutientibus & temperatis nervinis parati, ſive ſicci ſive vinoſi; quemadmodum conjuncta lenientia pro doloris mitigatione & connexi affluxus temperatione etiam conferunt.

§. XXVI.

§. XXVI. Interdum accidit, ut Fonticuli adverſum odorem emittant, id quod partim ex individuali dyſcraſia humorum, partim ex potu largius vinoſo contingit, ſicut æſtivo tempore ob frequentiorem ſudationem interdum paulo magis talis fœtor obſervatur: pro hoc itaque emendando præſtat Fonticulum ſedulo repurgare & nonnunquam cum vino calido eluere, aut globulum ex radice Jreos Florentinæ immittere & de reliquo alias cauſas, quæ ad hunc fœtorem inducendum contribuunt, rite avertere.

§. XXVII. Quando in Fonticulo caro luxurians accreſcit, tunc pro eadem auferenda conducunt ſeptica leniora & alia abſtergentia, aut olea empyrevmatica; cavendo ne fortiora, imprimis vero corroſiva Mercurialia adhibeantur; vulgo etiam artifices uſum viridis æris in hoc caſu admittunt, qui vero admodum providus eſſe debet: quodſi etiam dolores multi Fonticulos tales comitentur, tunc adhibendus eſt moderatus calor, nec non in ambitu uſus Camphoratorum convenit, quo proinde quadrant Cataplaſmata emollientia & reſolventia, nec non linimenta lenientia & diſcutientia, providendo, quo inſuper Fonticulus ſedulo mundificetur.

§. XXVIII. Interdum accidit, ut multus moleſtus pruritus Fonticulum comitetur, qui ex affluxu acrioris ſeri oritur, cui temperando & demulcendo artifex opem afferre debet, quo propterea conveniunt lenientia olea & terrea abſorbentia; quando vero eximiæ aut aliquæ Hæmorrhagiæ e Fonticulo ſuccedunt, tunc confert Spiritus Vini Rectificatus aut Eſſentia balſamica cum Eſſentia Hyperici mixta, vel pulvis remiſſius ſtypticus; cavendum tamen eſt, ne fortior adſtrictio committatur: & ſub ſingulis hisce hactenus recenſitis alterationibus ſymptomaticis præſtat alvum in juſta apertura ſervare & interne temperata diſcutientia remedia conjungere.

§. XXIX. Quod concernit quotidianum Fonticuli directorium, tunc ipſe ſedulo indies repurgandus eſt, ne impuritates in eodem colligantur; præſtat etiam aſſidue globulum abſtergere, aut indies novum piſum immittere; quo vero in ſuperficie pars munda maneat, tunc imponenda eſt Charta cerata vel emplaſtrum leniens & ſimul abſtergens mediocriter Therebintinatum & ceratum; ſub Fonticuli geſtatione inſuper bona diæta ſervari debet, evitando cibos impuros, aut animi pathemata, præcipue iracunda & inebriationes: & quando denique Fonticuli coaleſcunt, tunc ordinari debent repetitæ laxationes, ſanguinis ſuperflui ventilationes, una cum remediis internis temperantibus, diſcutientibus ut & regimine bono circa res nonnaturales.

§. XXX. Sequuntur denique in præſenti tractatione SETACEA, quæ magis antiquioribus Medicis & Chirurgis uſitata fuere & quæ ipſa præ prioribus paulo craſſius & ſub majori dolore operantur, unde etiam requirunt ſubjecta

 non

non valde ſenſibilia, quoniam non modo Setaceorum applicatio, ſed & effectus cum multis doloribus ſtipatus eſt; propterea etiam non æque cum aliquo diſpendio uſus Setaceorum in deſvetudinem venit, niſi ſubjecta robuſtioris indolis eorundem applicationem admittant: præſtat tamen ad minimum in Therapia medica noſſe conditiones, quæ in Setaceorum commendatione & ordinatione notari debent.

§. XXXI. Quando itaque aptum ſubjectum, cui Setaceum ordinari poteſt, præſto eſt, tunc illud indicatur 1) in affectibus capitis habitualibus 2) in ſubjectis adhuc activioris ætatis 3) in Lippitudine 4) in reliqua humida defluxione intra oculos tranſeunte & exinde emergente viſus debilitate 5) in Coryza habituali 6) in Favo & Tinea 7) in diuturno aurium Suſurru & 8) in ſubjectis humidioribus: Contraindicatur vero 1) in ſubjectis admodum Plethoricis 2) in valde ſenſibilibus 3) in fœminis bene menſtruatis 4) in hæmorrhoidariis 5, in ætate decrepita 6) in ſubjectis, quæ ad capitis eryſipelas inclinant 7) in Hæmorrhagiis & 8) in affectibus ſpaſticis.

§. XXXII. Applicantur Setacea communiter in Nucha; antequam vero adhibeantur, præſtat primas vias repurgare & qualemcunque humorum Dyſcraſiam auferre, tunc cum forcipe apta & convenienti acu transfigitur cutis in Nucha; ubi eximia cautela adhibenda eſt, ne nimis profunde & in ſubterjacentes muſculos acus continuetur, alias graves Hæmorrhagiæ, aut ſuſpectæ inflammationes ſuperveniunt: per hoc foramen poſtea transmitti debet aſperius filum, quo quidam piloſum ſeligunt, quod per aliquot tempus, imo etiam hebdomadas geſtandum & indies huc illuc ducendum eſt, quo ſub hoc ſenſu doloris affluxus humorum provocetur & derivatio affectus exinde acquiratur.

CAPUT XII.

DE EXCLUSIONE SECUNDINARUM, MOLARUM ET MORTUI FOETUS.

§. I.

AD evacuationes per artificioſam Therapiam promovendas ſpectant præſentes caſus, quando poſt legitimum partum Secundinæ diutius, quam par eſt, remanent, aut quando loco legitimi Embryonis *Mola* quædam adul-

adultior & robuſtior in utero detinetur, quæ interdum verum conceptum prodit, aut quando fœtus proxime ante partum mortuus eſt, qui deinde difficulter excluditur, adeoque partum reddit ſuſpectum & periculoſum, ita ut in tali neceſſitate & afflictione medici auxilium imploretur; ob id placet impræſentiarum de triplicis hujus calamitatis & urgentis ſtatus therapevtica directione & moderatione agere.

§. II. Quod enim *Secundinarum* evacuationis promotionem attinet, tunc artifex etiam noſſe debet, quo tempore & ſub quibus circumſtantiis eandem ſuſcipere aut aggredi debeat, ne aliquid præmature aut præpoſtere committat, adeoque magis noceat, quam proſit: quando itaque poſt partum fœtus vivi, aut mortui, aut poſt abortum diutius Secundinæ retinentur, inſuper etiam neceſſarii & congrui motus ſpaſtici deficiunt, imo jam alia ſymptomata imminent, tunc tempeſtivam & temperatam opem ferre debet artifex, id quod aliter fieri non poteſt, niſi motus illi neceſſarii revocentur & excitentur, quibus mediantibus Secundinæ denique excluduntur.

§. III. Sed cum communiter contrariæ quædam commotiones, imprimis ſpaſticæ, in ejusmodi ſtatu concurrant, propterea ante omnia alia artifex hiſce emendandis operam dare debet, alias fruſtra, aut non niſi cum damno promovebit ſecundinarum expulſionem, quoniam illi motus futuris excretoriis conatibus reſiſtunt; inde oriuntur interni infarctus, anguſtationes, oppletiones, inturgeſcentiæ, ſtagnationes, occluſiones, ſtaſes, inflammationes, convulſiones, febres, putrefactiones & ipſa denique mors: tanto magis in hoc negotio prudentia & dexteritas adhibenda erit, quo magis motus exacerbati eſſe deprehenduntur, aut quo magis fœminæ ſenſibiles, vel etiam valde enervatæ obſervantur.

§. IV. Tanto major circumſpectio in hoc negotio commendanda eſt, quo magis fœmina plethorica conſpicitur, quo magis humores valde commoti ſunt, quo magis ſpaſticæ tractiones in abdomine vagabundæ deprehenduntur, & quo minus communia remedia ad poſitivam opem offerendam ſatis faciunt, ſed tantum cum generali ſuo effectu æque facile ſiniſtris eventibus inducendis apta exiſtunt: unde etiam minime conſultum eſt, talem promotionem cum impetu proſequi, neque quidem mox ad temeraria illa Chirurgica auxilia confugere, quæ non niſi ad ultima & extrema tentamina ſpectant & æque facile ſiniſtrorum eventuum cauſa evadunt, ſed potius præſtat totam therapevticam oppitulationem & tempore opportuno & moderamine idoneo exercere.

§. V. Et cum hæc medela non aliter adminiſtrari poſſit, ſi inconſultam, æquivocam & temerariam violentiam evitare volumus, niſi motus temperanter ſpaſtici reſtituantur, ita multum refert antea auferre, quicquid huic

huic reſtitutioni obeſſe poteſt; quapropter interdum moderata alvi lenitio, per clyſteres emollientes & parcius roborantes, ſalutaris eſt; quid quod præſente nimia ſanguinis ubertate & ubi hæc plethora commota fuit inſuperque neceſſaria purgatio uterina deficit, tempeſtiva Venæ Sectio concedi poteſt: porro contrariæ commotiones ſpasmodicæ per Nitroſo-Cinnabarina, mitigari debent; quemadmodum ab extra modeſtæ calidæ fomentationes abdominis per Cataplaſmata lenientia & remisſius nervina conducunt; ita deinde ad reſtitutionem neceſſariorum reliquorum motuum propior acceſſus inſtitui poteſt.

§. VI. Interdum evenit, ut artifex, necesſitate ita urgente, abortum imminentem & haud præcavendum facilitare & adjuvare debeat, quando videlicet poſt prægreſſas eximias & ſufficientes cauſas gravidæ inopinatum ſanguinis fluxum uterinum experiuntur, qui per initia inſtar menſium erumpentium & ſuccedentium occurrit; deinde vero accidunt ſpaſtici illi dolores per intervalla increbeſcentes, ita ut exinde hoc ſanguinis profluvium augeſcat, donec tandem immaturus fœtus cum Secundinis penitus elidatur, ubi proxime Lochiorum inſtar ſanguis ex utero fluere continuat; quando hæc excretio interdum tardius & difficilius contingit, attamen ſub hiſce circumſtantiis præoccupari non poteſt, tunc artis concurſus requiritur, quo hunc abortum facilitet & futura metuenda periculoſa pathemata excipiat & præſcindat.

§. VII. Præmature abortum impellere & urgere velle, neque ſcientiæ & conſcientiæ, neque experientiæ reſpondet; unde judicium artificis requiritur, quo rite obſervet & diſcernat tempora, quando abortum promovere liceat deceatque: & quamvis vulgo ad præcavendum abortum adſtringentia remedia commendentur, imo licet interdum etiam illa ſanguinis profluvium uterinum cohibeant, ut aliqualis ſpes affulgere poſſit, quod fœtus retineatur, attamen proximus ſucceſſus teſtatur, quod hæc ipſa methodus non adeo ſecura ſit, cum poſt aliquam moram febriles, aut alii ſuſpecti ſpaſtici affectus accidant, inſuperque denuo ſub majoribus difficultatibus hic abortus urgeatur, qui deinde longe periculoſius procedit quam ſi prima vice ſucceſſerit.

Conf. Diſp. mea de Abortus noxia & nefanda promotione.

§. VIII. Præterea efficaci & tempeſtiva promotione indiget *FOETUS MORTUI EXCLUSIO*, quæ alias admodum tarde, ambigue & impedite procedit, imprimis dum neceſſarii illi motus & ſufficientes vires deficere obſervantur, quales ad expulſionem hanc conveniunt; unde interdum fœtus mortuus ita quietus relinquitur in utero, ut poſtea putreſcere plane inchoet & fruſtulatim exſcindi extrahique debeat, id quod tanto magis contingit, quando jam per aliquot dies circa hujus fœtus remotionem ambigit & occupata fuit natura, hinc tanto magis

in hac

in hac neceſſitate ad varia incommoda intercipienda tempeſtiva opitulatione opus eſt.

§. IX. Maxime convenit in fœtus mortui præſentia attendere & obſervare animum atque vires fœminæ parientis, ubi facile conſpicere licebit, quam abjectus, timidus & ambiguus ſit animus & quam debiles etiam ſint vires ſub qua enervatione ſuſpectus & inſolitus horror concurrit; ita ut ſub utriusque præſentia tam puſillanimitatis, quam debilitatis tanto minus facile fœtus mortui partus ſperandus aut promittendus ſit; ex quo artifex admonendus erit, quo virium & animi integritati revocandæ & excitandæ operam det, eo facilius reliqui motus ad partum ſpectantes provocari poterunt; ſicut viciſſim ſub plenario horum motuum defectu & conſtanti animi viriumque dejectione, nedum quidem reliqua extrema refugia Chirurgica cum aliquali rationabili ſpe adminiſtrari poſſunt, quia totus ſtatus in ancipiti hæret: turpiſſimum vero & ab omni medica & chirurgica peritia alienum eſt tentamen quando loco mortui, vivus fœtus extrahitur.

§. X. Fruſtraneum itaque, imo plane temerarium eſſet conamen ſub tali ſtatu mox ad impellentia remedia confugere velle, ubi tam confuſe & ſuſpecte ſanguis inturgeſcit, ut ſub reliquo animi & virium languore in utero non niſi vani & ominoſi, imo plane periculoſi infarctus contingerent, qui repentinis ſtaſibus anſam præbentes, tanto magis funeſtum eventum accelerant; adeoque contra naturæ conſenſum & concurſum methodo pharmacevtica in hoc paſſu quicquam facile committi haud debet, ſed omnes operationes, quæ per rationem & experientiam in hoc caſu utiles prævidentur, ſubinde in juſto & decenti ordine exercere decet.

§. XI. Denique etiam inordinata illa concrementa uterina, quæ MOLARUM nomine venire ſolent, ad tempeſtivam excluſionem promoveri debent: etenim ſi in majorem molem & grandiorem magnitudinem accreverunt, non modo reliquam vitalem œconomiam turbant & offendunt, ſed & futuram expulſionem admodum difficilem reddunt, quid quod gravem & ſuſpectam Hæmorrhagiam uterinam una involvunt; unde cum dexteritate & prudentia præoccupare convenit, ne talis Mola in tantam molem accreſcat: propterea minus conſultum eſt hujus expulſionem indiſcreto tempore & impetuoſo gradu urgere; quin rectius mitiori methodo hæc evacuatio adjuvari debet; & cum circa menſtruas periodos in fœminis talibus, quæ Molam geſtant alterationes quædam & interdum ſpontaneæ eniſiones occurrant, ita hiſce temporibus reliqua excluſio, therapevtica methodo, facilitanda & promovenda erit.

§. XII. Quando itaque tales excluſiones uterinæ therapevtice promoveri debent, tunc ſermo non eſt de Chirurgicis auxiliis, ſed potius de pharmacevticis adminiculis; hæc vero triplici indicatione abſolvuntur, vel virium neceſſariarum

S evoca-

revocatione & conſervatione, vel motuum convenientium excitatione per generalia remedia, vel per horum motuum reſtitutionem, mediantibus ſpecialioribus auxiliis: maximum commodum eſt, ſi fœminæ non nimium neque cum diſcrepantibus auxiliis afficiuntur, quæ potius ad enervationes illarum & ad perturbationes motuum contribuunt; hinc in communi experientia ita afflictarum fœminarum conſtat, ut quo plures naſutulæ aliæ fœminæ in conſilium trahuntur & quo copioſiora remedia obtruduntur, eo citius afflictæ fœminæ pereant.

§. XIII. Vulgo quidem ad ejusmodi neceſſitates & afflictiones ordinantur remedia impellentia, calefacientia & ſubtilia, quæ ad Catalogum Emmenagogorum medicamentorum ſpectant: aſt minime ſecurum eſt, quo mox univerſalia talia obtrudantur; cum ob nimiam ſanguinis commotionem magis ſuſpectæ oppletiones & uteri intumeſcentiæ ac aggravationes, quam congruæ commotiones ſpaſticæ, faciliori expulſioni reſpondentes, excitentur; unde in genere præſtat circa uſum talium remediorum eximium moderamen adhibere; tanto magis quidem in fœminis plethoricis, quoniam poſt expulſionem talem, violento motu & modo inductam, vel exceſſivæ ſanguinis profuſiones, vel periculoſæ uteri inflammationes, vel febres ſuſpectæ oriuntur.

§. XIV. Multum confert ad felicem & facilem talium ſubjectorum excluſionem extra uterum, quo vires ſint integræ & præſentes, quæ ſi labaſcere & langueſcere videantur, ſuſtentatione & ſublevatione indigent; huc præcipue pertinent vinum bonum, nec non Cinnamomum & Crocus; qui poſterior vero parciſſima quantitate exhibendus & qui ipſe etiam propterea magis ad analepticum, quam impellentem ſcopum ordinandus eſt; hinc juſcula vinoſa modeſte aromatiſata conveniunt; non minus huc ſpectant aquæ deſtillatæ Liliorum convallium, Cinnamomi, Ceroſorum nigrorum, Naphæ, Pulegii, &c. quæ roborantem ſuam vim exhibent; abſtinendum viciſſim eſt a concentratis, ſpirituoſis, oleoſis deſtillatis ſubjectis, quæ magis immoderatas internas turgeſcentias cauſantur; deinde etiam evitentur Caſtorina, quæ vires magis deſtruunt, quam erigunt: externe eadem temperata analeptica adhibita, excluſionem talem uterinam quoad primam indicationem adjuvant.

§. XV. Circa remediorum impellentium & calefacientium uſum magna circumſpectio adhibenda eſt; ad minimum talia remedia non niſi in valde refracta doſi exhiberi debent, quoniam valde ſanguinem expandunt & turgefaciunt; unde loco ſperatæ reſtitutionis motuum, ad excluſionem uterinorum ſubjectorum neceſſariorum, non niſi vanæ ſanguinis inturgeſcentiæ oriuntur; omnium maxime vero præſtat abſtinere ab uſu concentratorum oleorum deſtillatorum & ſalium volatilium: alias quidem Myrrha & Crocus & compoſitum illud Elix. P P pro hac indicatione, laudata conſpiciuntur: proinde abſtinendum eſt a quibuscun-

que

que formulis ſtimulantibus, ab extra commendari ſolitis, ut Suffimigiis, Peſſariis & Vaporibus, neque etiam ſpei & expectationi ſecuræ ſatisfacit applicatio vaporis & halitus ſalium volatilium per famigeratum illud inſtrumentum Glauberianum: rectius conveniunt pillulæ Stahlianæ pulveretenus cum hauſtulo vini exhibitæ, nec non frictiones femorum & fomenta calida abdomini applicata, ut & modeſta obambulatio; quibus cum auxiliis longe ſecurius, quam cum aliis violentis adminiculis & methodis illorum motuum reſtitutio ſperari & invitari poteſt.

§. XVI. Inter alia violentiora & craſſiora experimenta ad revocandos motus pro partu neceſſarios a practicis commendari ſolita allegantur Vomitoria; quæ vero in fœminis debilibus præſentaneum periculum exhibent, in reliquis vero minus ſecure operantur, cum vires demum depauperent; quando vero per leniſſimam & externam enchiriſin unicus vomitus excitari poteſt, tunc interdum per illum prædicti motus excitantur & revocantur: mediæ conditionis ſunt ſternutatoria, quæ non niſi mitiora in caſu neceſſitatis concedi poſſunt, ſicut adhuc tuſſis moderate arbitraria aliquando in hac neceſſitate confert: ruſtica & plus quam brutina methodus eſt, quando craſſo modo extruſiones ſuſcipiuntur, quas vocant: man ſolle die Weiber ſtürtzen, cum quo rudi conamine rariſſime ſperatus effectus obtineri poteſt.

§. XVII. Sequuntur denique adminicula quædam ſpecifica, quæ motus deficientes revocare debent; ex illis vero vulgo Exuviæ ſerpentum, deinde Pulvis & Spiritus ſecundinarum humanarum commendantur, quæ tamen deſideriis nondum ſatisfaciunt; paulo magis vero juvat Hepar anguillæ non adultum, neque vermibus corroſum, quod tunc utilitatem ſuam exſerit, quando internum uteri orificium apertum eſt; deinde etiam in hac neceſſitate aliquam utilitatem affert Borrax, quæ vero non juxta vulgares promiſſiones ſatisfacit; unde a promiſcua experientia non probata proſtat, ſed ſi utilitatem ſuam exhibere debet, juſta methodo ordinanda eſt, quo videlicet antea ſingula illa impedimenta removeantur, unde præſens partus eximie difficilis redditur; interea vero hæc Borrax non tam indubie & conſtanter laudatos effectus præbet, uti communis experientia de eadem promittit atque differit.

CAPUT XIII
DE ANTHELMINTICIS.

§. I.

AD evacuationes, methodo therapevtica adminiſtrandas, ſpectat etiam *Expulſio Vermium*, qui in hominibus generantur & ſubinde variis morbidis

afflictio-

afflictionibus anſam præbent; quæ ipſa excretio tanto magis neceſſaria eſt, quia non frequenter ſua ſponte contingit; niſi interdum cum ſcybalis irretiti tales vermes excernantur, aut in inferiora inteſtina delati & a reliqua congerie vermium ſeparati, denique eliminentur, cum vivi adhuc paulo intimius hæreant, neque ita facile ſua ſponte ejusmodi evacuationi obtemperent; unde artis concurſu opus eſt, quo corpus ab ejusmodi alieno ſubjecto liberetur & deinde pathemata reliqua e ſuo genuino fundamento percurentur.

§. II. Neque tantum hæc methodus ad vermium expulſionem deſtinata eſt, ſed etiam ad aliorum animalium in inteſtinis genitorum excluſionem applicari poteſt; cum hiſtoriæ conſtent de generatione Ranarum, Lacertarum, Bufonum, ſerpentum, in Ventriculo & inteſtinis, in quo caſu non æque rationi conſentaneum eſt, mox per ſuperſtitionem ad remedia contra veneficia confugere, quoniam talia animalia naturaliter in corpore generari poſſunt, quorum præſentia in genere ex illis complicatis anxietatibus & morbidis afflictionibus pateſcit, deinde ex obſervata aliquali expulſione talium animalium in eodem individuo facta, inclareſcit, ut propterea impoſterum artifex curam habere debeat, quo reliquum numerum eorum legitime & tempeſtive exturbet.

§. III. Utplurimum Vermes, qui in hominibus reperiuntur, in hiſce tantum familiares ſunt & per homines propagantur, qui præterea ſeſe magno cum numero in hominibus multiplicant & progenerant, ita ut vix confeſtim & repente tota congeries Vermium educi, adeoque corpus penitus liberari queat; unde ſucceſſive hæc excretio exerceri debet: interdum contingit, ut animalia talia in Ventriculo, utplurimum in inteſtinis tenuibus obhæreſcant, ut tanto magis difficile ſit per longiorem tractum deorſum eadem educere, neque ſecurum exiſtat, illa per poſitivum Vomitorium furſum expellere: utplurimum laborioſum & difficile eſt Vermes exturbare, quamdiu adhuc vita præditi ſunt, quoniam ſub aucto motu excretorio iidem non modo valvuloſis plexibus & flexuris ſeſe inſinuant, ſed & actuali morſu inteſtinorum parietibus inhæreſcunt; unde facile alia ſontica pathemata ſuperveniunt.

§. IV. Interea non modo communia gravia pathemata tales Vermes cauſantur, ſed & in futurum ad affectus atrophicos & hecticos diſponunt; ſicuti nonnunquam ita craſſe inteſtina corrodunt, ut obſervationes conſtent & proſtent, quomodo texturam inteſtinorum penitus perforaverint, adeoque ad miſerrimam mortem contribuerint: communiter quidem infantilis ætas vermibus vexatur, attamen aliquando ex hac ætate in adultiorem Vermes propagantur, ita ut in variis caſibus & ætatibus illa occaſio occurrat, qua Vermium expulſionem artifex adjuvare debeat; imo una talis evacuatio plus præſtat, quam copioſe ſuſpecta pathematum morbidorum palliatio, ita ut fundamentum curæ conſiſtat in actuali tali

vermium exoneratione; quanquam interdum etiam contingat, ut natura ſua ſponte Vermes hoſce, qui antea vitam amiſerunt, excutiat.

§. V. Minime itaque ſecurum eſt Vermium excretionem impetuoſe urgere, tanto minus vero in ætatibus tenerioribus & ſubjectis ſenſibilioribus; neque etiam admodum ſalutare eſt illis temporibus exturbationi Vermium ſtudere, quibus ita afflicti homines majores pathematum ſuorum gradus experiuntur; tanto minus ſecurum eſt ſuſpecta talia remedia exhibere & adhibere, quæ vulgo in tali neceſſitate agyrtis vermifugis uſualia ſunt; interea præſtat vermium expulſionem cum aliquali conſtantia perficere, quoniam relicto quodam ſeminio facile magna turba & ingens numerus vermium regeneratur; unde abruptæ & frequenter interruptæ tales medicationes non multum ſanitati ſubſerviunt.

§. VI. Quod ipſum uſum & ordinationem Anthelminticorum attinet, tunc haud peculiares indicationes occurrunt, quia certitudo & præſentia Vermium abſolute illorum uſum involvit atque indicat; interea tamen opportunitas agendi bene eſt ponderanda, ubi minime expedit Vermium expulſionem urgere, quando ſubjecta aliis gravibus morbis laborant eorundemque acerbiorem ſtatum experiuntur; deinde diſcretio eſt inſtituenda ratione ætatum, ſenſibilitatum & perſonalium commotionum; quoniam in ſubjectis, ad torminoſas inteſtinorum afflictiones pronis, cum anthelminticorum uſu magna circumſpectio habenda eſt; deinde in gravidis & debilibus ſubjectis ſimilis prudentia ſervari debet, ne remedia fortius operantia concedantur, quidquod rectius temperatiora, attamen ſufficienter efficacia, remedia in hoc caſu præferri merentur.

§. VII. Pro ſecuriori & meliori vermium expulſione commode præmittantur adminicula, quæ Vermes enecant, hinc impoſterum vel ſponte eliminantur, dum excretorio motui non reſiſtunt, neque inteſtinorum parietibus adhæreſcunt, vel eo facilius & lenius expelli poſſunt, ut minime potentioribus purgationibus opus ſit: fruſtra vero intenditur talis vermium enecatio per alimenta dulcia, pinguia & nutrientia; cum minime vermes ad crepaturam usque ſive mortiferam ſaturitatem tales ſubſtantias ingerant, ſed quantum neceſſitas illorum permittit; quin rectius per talia ſubjecta ſuam ſuſtentationem & detentionem in corpore individui recuperant.

§. VIII. Commodius & certius itaque enecantur vermes vel per acria, vel per amara, vel per ſalina, vel per ſpecifica. Ad acrium remediorum numerum pertinent Radices Angelicæ, Ariſtolochiæ, Carlinæ, Helenii, Imperatoriæ, Caryophyllatæ, Pimpinellæ albæ, Dictamni albi, Raphani ruſticani, Vincetoxici & ex parte Zedoariæ, quæ radices vel in ſubſtantia, vel in Infuſo vel Eſſentia proſunt; huc conveniunt eodem nomine Semen Aurantiorum, Citri, Naſturtii, Gummata Galbanum, Sagapenum &c. nec non aromata, ut Caryophylli, Piper,

 Zingiber,

Zingiber, Synapi conducunt, quæ in variis formulis exhiberi poſſunt, cavendo tamen, ne aliqualis exceſſus committatur, quia acria & vias ſtimulant & humores valde commovent; unde temperata quantitas, pro repetito tamen uſu, præferri meretur: abſtinendum etiam eſt ab acribus purgantibus Colocynthiacis, Scammoniatis ex Aſaro, Jalappa &c: paratis, quæ variis ſiniſtris effectibus anſam præbent.

§. IX. Magnæ etiam efficaciæ pro necandis vermibus ſunt amara, quæ itidem aliquali acredine gaudent, ut: Allium, Porrum, Cepæ, Gentiana rubra, Galanga, Lapathum acutum, Squilla, Zedoaria, herbæ Abſinthii, Carduibenedicti, Centaurii minoris, Cochleariæ, Fumariæ, Tanaceti, Abrotani, Naſturtii, folia Perſicorum, Ruta, Scordium, flores harum herbarum, Semen Cinæ, ipſum etiam Rhabarbarum, Myrrha & Aloes, quæ ſpecies vel in Eſſentiis & Elixiriis, vel Extractis vel Succis vel Infuſis ex parte etiam in ſubſtantia ſufficienter conducunt, Syrupi vero amari, quia mixtum ſaporem habent, non valde ſatisfaciunt; ita a multis Elix: P. P. pro hoc ſcopo commendatur; cum quibus ſingulis etiam illa temperies ſervanda eſt, ne exceſſus committatur.

§. X. Præterea vermes etiam enecant ſubjecta Salina; ſicut ipſa diæta magis ſalſa in ſubjectis verminoſis non modo illum effectum habet, ut vermes magis excitentur & pathemata conſueta interdum exacerbentur, ſed etiam ſucceſſive mortui vermes evacuentur: proinde alia Salia huc trahuntur, ſive digeſtiva, abſtergentia, tartariſata, ſive amara vegetabilia, ſive etiam volatilia; cum vero juniorum ætatum ſubjecta non bene perferant ſalium uſum, tanto minus vero volatilium, ita eadem tam pro adultioribus aſſervari, quam in hiſce inſuper diſcretive ordinari debent, ne per liberiorem Salium volatilium uſum alia ſuſpecta pathemata revocentur.

§. XI. Quando quisquam per ſalina remedia vermes enecare contendit, tunc illorum ſufficiens quantitas exhibenda eſt, unde huc etiam quadrat Sal Anglicanum, Liquor terræ foliatæ tartari, Tinctura antimonii acris, Spiritus volatiles juſta doſi inter ſe commixta, quæ ſub continuato uſu tandem vermes interimunt; ubi tamen hoc tempore cavendum eſt, ne valde alimentoſa diæta adhibeatur, alias facile debilitati vermes quaſi reviviſcunt.

§. XII. Sequuntur denique illa remedia, quæ vulgo ſpecificorum nomen tenent, e quibus conſtat famoſum illud ſemen *Cinæ*, quod amaritie ſua operatur, muſcus corallinus, qui ſalſedine & terreſtreitate ſua vermes offendit; eximiæ dignitatis eſt Mercurius, qui vel dulcis ad exigua grana oblatus, minime tamen in pulverulenta conſiſtentia ingerendus ne glanduloſis faucium partibus incommoda afferat, vel currens cum cereviſia decoctus, aut exigua quantitate cum ſaccharo contritus ad aliquot grana exhibitus, potenter vermes enecat; qualia Mer-

curi-

curialia adminicula plus quam alia vermibus reſiſtunt; unde etiam commode adhiberi poſſunt; modo cum illorum uſu etiam temperies adhibeatur: ſunt, qui ſingularem laudem anthelminticam Cornu Cervi uſto adſcribunt; quod vero non niſi largiori quantitate aſſumtum promiſſis ſatisfacit, alias vero ſpem noſtram fallit.

§. XIII. Superſunt adhuc talia auxilia, quæ vermes exturbant & expellunt & hæc quidem vulgo purgantia ſunt, cum quibus vero iterum ratione uſus prudentia adhibenda eſt, ſiquidem reſinoſa & acria talia, quæ vulgo commendantur nimis vehementer operantur. Præferimus itaque præ aliis Rhabarbarum, Aloen, Helleborum nigrum circumſpecte adhibendum; ſicut practicis valde uſitatæ ſunt Species Diaturbith cum Rhabarbaro, quæ interdum morſulis commiſcentur, modo parcius adhibeantur: præſtant vero magis ſucceſſive, quam ſimul & ſemel Vermes enecare, quoniam ſub ſimultanea expulſione dolorifica inteſtinorum tormina concurſant.

§. XIV. Interdum mitiora evacuantia cum prædictis vermes necantibus remediis conjuncta offerri poſſunt. Denique etiam a quibusdam allegantur remedia, quæ ab extra adhibita vermes interficiunt & ad evacuationem diſponunt: ſunt vero illa amara, ut Cataplaſmata ex radicibus & herbis parata, aut linimenta ex oleo Abſinthii, Zedoariæ, Amygdalarum amararum & aloë parata, quo aliqui fel Tauri, alii oleum Colocynthidis accenſent, quidam ungventum de Arthanita commendant, ſed hæc ipſa non admodum ſecuri uſus ſunt, tanto minus vero in ſubjectis puſillis & teneris aut ſenſibilibus adhiberi debent, quin rectius pro adultis & valde robuſtis aſſervari poſſunt, ubique tamen cum moderamine concedenda ſunt.

CAPUT XIV.

De

EXPULSIONE MORBORUM RETROPULSORUM.

§. I.

INter illas Evacuationum ſpecies, quæ non modo eximiæ dignitatis ſunt, ſed & frequentius in arte adminiſtrandæ occurrunt, ſubinde etiam variis difficultatibus ſubjectæ deprehenduntur, merito explicari & commendari debent Reſtitutiones excretoriæ aut translationes & ſepoſitiones morborum in interiora corporis retro-actorum; qui actus non modo in neceſſaria quadam excretione concen-

centratur, ſed eo reſpectu evacuationibus annumerari meretur, cum retropreſſa cauſſa morbifica in nobilioribus internis partibus, in ignobiliores adeoque in peripheriam corporis transferri & eliminari debeant.

§. II. Quod diverſi morbi, qui quoad ſuos effectus ſuaque phænomena in ſuperficie corporis hærere deberent, ad interiora retrolabantur, non rara eſt obſervatio, ſed antiquis æque medicis & hisce etiam ferme cum majori cura, quam recentioribus innotuit; ſiquidem diverſæ morborum ſpecies paſſim obtingunt, quæ periculoſas tales retroceſſiones ſubeunt: quando vero tales affectus genuinam ſuam ſedem mutant, tunc non modo anomalicam faciem induunt, ſed ſi nobiliores partes invadunt, magis repentinam noxam minantur; quapropter Hippocrates tam notanter inculcavit, quo inflammationes, imprimis eryſipelaceæ retropulſæ tempeſtive in exteriorem corporis ambitum reſtituantur.

§. III. Ex eo facile eluceſcit, quam falſa illa ſit aſſertio, quaſi tales morbi ſuperficiales phyſicam relationem habeant ad externum corpus, aut quaſi materia peccans proportionem figurativam habeat ad poros corporis externi; cum hoc ipſo phænomeno manifeſte liqueat, quam facile, repente & prompte ejusmodi affectus retrogredi queant, adeoque eandem relationem phyſicam ad internum habeant, quam ad externum corpus habere conſpiciuntur; ſiquidem in talibus morbis ſæpe magna vis eſt conſvetudinis, quando ſub ſpeciali ſenſu, directorio & æſtimatione natura humana ad diverſas corporis regiones particulares impuritates transfert & ex iisdem denique eliminat; teſtimonio ulcerum ſuperficialium, Serpiginum, Varorum, particularium ſudorum &c. quales apoſtaſes ſi e corpore externo ad internum reprimuntur, gravem alterationem & inſignem perniciem reliquæ œconomiæ vitali inferunt.

§. IV. Talium retropulſarum morbidarum afflictionum variæ ſpecies in praxi medica occurrunt, ex quibus quædam *Malignæ*, aliæ vero *Benignæ* indolis ſunt: ad priorem claſſem ſpectant vulgo ſic dicta *Exanthemata*, *Petechiæ*, *Variolæ*, *Morbilli*, *Purpuræ*, *Ulcera venerea*, *maculæ ſcorbuticæ*, de quibus principaliori ſenſu expulſio ab internis ad peripheriam corporis deſideratur, ſicut vulgo in communi praxi in quolibet affectu maligno tam patientes, quam medici, juxta communem ſtylum, virus a corde diſpellere & e corpore expellere contendunt, quæ expulſio tanto magis tempeſtiva eſſe debet, quo diutius remanens materia peccans gravem noxam cauſatur.

§. V. Dantur etiam benigniores tales affectus, e quibus tamen quidam perinde ſatis periculoſi eſſe conſpiciuntur, quando repelluntur, ut ſunt: *Eryſipelas*, *Podagra*, *Arthritis*, *Rheumatiſmi acres*, reliqui vero affectus ſunt: *Scabies*, *Serpigines*, *Maculæ hepaticæ*, *Vari & Jonthi*, *Gutta roſacea*, *ulcera*

ſuper-

ſuperficialia, Sudores particulares manuum & pedum, Achores infantum, quales ſinguli affectus retropulſi, varia incommoda & nocumenta cauſantur: e quibus obſervationibus itaque conſtat, quam frequenter tales caſus in praxi medica occurſent, ubi neceſſaria & prudenti expulſione retropulſorum affectuum opus eſt.

§. VI. Quam multiplices ſunt affectus retropulſioni ad interiora obnoxii, tam multiplex etiam cautela & prudentia adhibenda eſt, ne reſtitutio illorum affectuum in peripheriam unquam craſſe impulſorio modo atque effectu fiat; quamvis enim hæc vulgaris ſit methodus, ut per regimina & medicamina impetuoſioris energiæ, hæc depoſitio & translatio affectuum in priſtina ſua loca urgeatur, tamen utplurimum talis immoderata & vehemens impulſio vel ambigue, vel funeſte ſuccedit, ob id ante omnia indoles affectuum reſtituendorum bene eſt diſquirenda, ne cum ſuſpecto immoderatiori tentamine iisdem vim inferamus; plurimi vero prædictorum talium affectuum illius indolis, mobilitatis & ſenſibilitatis ſunt, ut audacem talem, vulgatis moribus uſitatam, methodum ægerrime perferant.

§. VII. Teſtantur tales affectus eximiam ſuam ſenſibilitatem, dum partim per leves & exiguas cauſas retropelluntur & a priſtino & genuino ſuo loco moventur, partim dum per fortiores & immoderatiores conatus non facile in priſtinum ſuum locum reducuntur, ſed rectius in hac ſuſpecta perverſione augentur & exacerbantur, ut præcipitem periculoſum aut funeſtum effectum & eventum nanciſcantur, imo dum in genuina ſua conditione motibus ſingularis activitatis & directorii nituntur, qui ſubitaneis alterationibus expoſiti ſunt; & hæc animadverſio tanto magis allicit Therapevtam, quo in tractatione & reſtitutione talium affectuum delicate & modeſte procedat & ab omni impetu atque audacia ſollicite abſtineat.

§. VIII. Cum itaque prima horum affectuum translatio & directio in externum corpus non mere phyſicis potentiis & qualitatibus nitatur, dum phyſica illa relatio inter materiam peccantem & peripheriam corporis admodum æquivoca & fallax eſt, ſed potius naturæ energiæ, capacitati & directioni accenſenda ſit; ita fruſtraneum conamen erit, ſi artifex citra ipſius naturæ conſentientem, placidum & moderatum concurſum hanc expulſionem per ſuas tantum vires committere & deducere laboraverit; ſiquidem nudæ illæ craſſæ commotiones humorum & externæ ſtimulationes partium non efficient, quo materia, aut reliquus affectus ita exacte & tempeſtive in ſpecialem priſtinum ſuum locum tranſeat; quapropter in tali negotio ſpecialis capacitas, efficacia, poteſtas & directio artis evileſcit; ex qua demonſtratione itaque ſequitur, quod minime per nudum artis impulſum & immodeſtum conatum hæc reſtitutio peragi debeat.

§. IX. Quemadmodum porro tales translationes materiarum peccantium & affectuum in peripheriam corporis mediantibus motibus ſolennibus & uſitatis vitalibus fiunt, ita etiam retropulſiones ad interiora primario per efficaciam motus tonici & deinde etiam cum & ſub progreſſu ſanguinis contingunt: uti porro prima excretio & ſepoſitio in ſuperficiem corporis per temperatiores tales motus ſucceſſit, ita etiam altera & ſubordinanda reſtitutio horum affectuum mediantibus hiſce motibus, admodum temperatis, conſtantibus & in ſuperficiem corporis directis, adminiſtrari debet: præſtat in hac reſtitutione vel materiam aliquam peccantem denuo in hanc ſuperficiem corporis revocare, vel & motum & materiam in illam legitime transferre & invitare.

§. X. Multum itaque confert, quo artifex & motui & materiæ rite proſpiciat; huic quidem, ne repentinam noxam exſerat, illi vero ne ſiniſtro gradu decurrat, neque in interna corporis regione perniciem promoveat, neve irregulariter translationi affectuum in priſtina ſua loca incumbat, ſiquidem ad hanc reſtitutionem ſalutarem affectuum in peripheriam corporis non niſi moderati & accurati motus requiruntur, quippe qui maximum valent in præſenti negotio, ſed qui etiam facile perverti poſſunt, ob id ab omni motuum irritamento & fortiori excitamento ſedulo abſtinendum eſt, quoniam hiſtoria practica abunde docet, quomodo talis emendatio affectuum retropulſorum non niſi mitiſſima methodo ſucceſſerit.

§. XI. Deinde hanc reſtitutionem eximie ſublevat, ſi contrarii motuum gradus, in peripheria corporis præſentes, emendantur & auferuntur, quando videlicet incommodæ & ſuſpectæ ſtricturæ adſunt, quæ repoſitionem præteritorum affectuum retropulſorum valde impediunt, hinc ſuperficies illa eſt reſeranda, abſque tamen immoderata coactione, quin rectius cum modeſto & conſtanti regimine, placida lenitione & temperata frictione, ut & cum interna ſufficienti humectatione & abſtinentia ab omni inquietudine, jectigatione & admiſſione auræ frigidæ, ita eveniet, ut hoc offendiculo remoto facilius ab intra extrorſum ſalutaris translatio inſtitui queat, quæ vero tamdiu neque tentanda neque urgenda eſt, quamdiu hæc ſuperficialis occluſio adeſt atque continuat.

§. XII. Et dum juxta præcedentem noſtram animadverſionem in artis nuda poteſtate non eſt ſolam hanc repoſitionem abſolvere, ita tamen cum prædictis adminiculis tunc demum natura modeſte excitari poteſt, quo mediantibus motibus ſuis vitalibus iterum cum hiſce affectibus ab intra extrorſum tranſeat, ad quem tranſitum vero eadem iterum non impetuoſe commovenda & impellenda, ſed leniter invitanda eſt; quare ſeligenda ſunt remedia leniora diſcutientia & alexipharmaca; excludenda viciſſim ſunt omnia calefacien-

cientia concentrata volatilia & cum orgaſtico impulſu afficientia & offendentia medicamina & regimina: ſubinde in affectibus præcipue acutis & peracutis cum temperatis & ſelectis analepticis medicamentis naturæ ſubvenire convenit, quo hæc ſub præſentia virium neceſſariarum & reliqua alacri activitate hoc negotium efficacius adminiſtret atque abſolvat.

§. XIII.. Vulgo quidem in hac methodo varia tentamina in praxi medica conſtant & proſtant; ex quibus communia ſunt remedia & regimina illa impellentia, quæ propterea dicuntur Treibende Mittel; deinde etiam laudantur irritantia & ſtimulantia, qualia ſuperficiei corporis applicari ſolent & ſunt juxta vulgarem ordinationem Veſicatoria, Phœnigmi, Rubefacientia & ad imitationem exterarum gentium ſuperficiales actuales cauteriſationes; ſed hæc methodus, quia nimis immoderata & impetuoſa eſt, ita raro votis & promiſſionibus ſatisfacit, quin rectius ipſum præſentem periculoſum affectus ſtatum confirmet: interea nonnunquam leniores ſuperficiales frictiones & cucurbitularum cæcarum applicationes ad illa loca, in quibus antea retropulſus affectus hæſit, præ prioribus tentaminibus ſalubritatem aliquam promittunt & actu exſerunt.

§. XIV. Quod itaque attinet *Exanthematum malignarum expulſionem*, tunc horum variæ ſpecies occurſant, communiores ſunt VARIOLÆ & MORBILLI, quales affectus facilioribus retroceſſionibus expoſiti ſunt: vulgo quidem pro hac iterata excretione commendantur varia *Semina* ut *Aquilegiæ*, *Napi*, *Raparum*, quæ vero tam certos atque frequentes effectus exoptatos haud præſtant; interim tamen aliquando votis reſpondere deprehenduntur; minime autem convenit talia ſemina recentia exhibere, quoniam de vaporoſa quadam mucilagine, varia incommoda in primis viis pariente, participant; unde convenit eadem ſufficienter exſiccare, aut prævia modeſta toſtione præparare & deinde in dilutiori emulſione exhibere: huc aliqui Semen Citri referunt, quod vero perinde dubiæ efficaciæ eſt; alias conducit regimen accuratum, modeſta diaphoreſeos promotio per aquas diapnoicas, non empyrevmaticas, perpetranda; cavendo, ne alvus exſtimuletur; quemadmodum præterea potiunculæ tales aquoſæ cum abſorbentibus tenerioribus remixtæ & moderato regimine conjunctæ, hanc reſtitutionem retropulſorum horum exanthematum facilitant.

§. XV. Quando PETECHIÆ retropulſæ ſunt, tunc convenit mox præoccupare, ne retropulſum miaſma repentinam perniciem cauſetur; quare remedia corrigentia, videlicet abſorbentia cum acidis ſaturata offerenda ſunt; deinde præſtat exhibere ſelectiora expellentia, quo nomine uſum Mixturæ Simplicis aut temperatæ Tincturæ bezoardicæ Scordiatæ laudamus; præterea conjungi

jungi debet regimen exactum, quietum & modeſte diaphoreticum: quadrant huc etiam leniores frictiones cum linteis calidis in dorſo, pectore & femoribus adminiſtrandæ & citra refrigerium quoddam committendæ: nec non conducunt Veſicæ cum aqua tepida repleræ hisce locis applicandæ, quo ſub relaxatione harum partium ingreſſus humorum in easdem denuo provocetur; denique etiam conjungenda ſunt temperatiora analeptica, ne ſub prægreſſa retropulſione ſubito vires ſuccumbant, neve propterea reliquæ ſalutares operationes delinquant.

§. XVI. Communiter etiam PURPURA MILIARIS retropulſioni obnoxia deprehenditur, quæ propterea ita retropulſa variis periculoſis ſucceſſibus anſam præbet; unde tempeſtiva expulſione opus eſt, quæ tamen ita modeſte & leniter dirigi debet, ne cum ullo impulſu ſuccedat; quare quodvis regimen æſtuoſum & remedium calefaciens ſollicite evitare adhibere, quin potius regimen quietum, modeſte diapnoicum in hoc paſſu convenit, una cum uſu abſorbentium cum exiguis Nitri granis mixtorum, ut & cum applicatione lenioris frictionis ad ſuperficiem corporis ſine refrigerationis concurſu conjungenda: quadrant huc etiam in quibusdam ſubjectis exiguæ guttulæ Eſſentiæ Pimpinellæ albæ & Succini; ſicut nonnunquam aquæ diapnoicæ cum abſorbente remedio mixtæ in parca quantitate conducunt; denique Infuſa ſimpliciora calida juſta methodo oblata in hac neceſſitate concedi poſſunt.

§. XVII. Vulgo quidem Practici ad expellenda exanthemata præcipue in infantibus commendant pulveres illos famoſos compoſitos, ut Marchionis, Panonicum rubrum, ſpecificos, bezoardicos ſimilesve: quibus vero minime ita facile fides danda eſt, cum ad perverſos motus excitandos contribuant; unde cum illorum uſu perquam circumſpecte aut prudenter procedendum eſt: & cum contingat, ut in affectibus exanthematicis malignis interna viſcera quantiſper occludantur, ne miaſma eo relabatur, ita quidem aliqui horum pulverum, qui in compoſitione ſua tonicas ſpecies continent in tantum hanc internam occluſionem adjuvare poterunt, ut proinde reliquum miaſma in externum corpus transferri poſſit; ſed cum hic actus variis ambiguitatibus ſubjectus ſit, ita iterato quoad uſum talium experimentorum prudentiam commendamus: neque denique pro exanthematibus malignis infantilibus expellendis Fumariam laudamus, quoniam immoderatis & periculoſis commotionibus excitandis quadrat, quæ vero rectius ad Chronicas impuritates eliminandas conducit.

§. XVIII. Excipiunt nunc in ordine aliæ reſtitutiones & repoſitiones retropulſarum impuritatum: quando itaque vel SCABIES vel ACHORES talem retropulſionem ſubierunt, tunc harum impuritatum repoſitio pro-

mo-

moveri poteſt per regimen modeſte diapnoicum, per Fumariam & Eſſentias Pimpinellæ albæ, Succini, Valerianæ, nec non per circumſpectum internum Sulphuris uſum; ſed ne interea internæ retropulſæ illæ impuritates damnum aliquod inferant, præſtat adhibere pulveres abſorbentes & moderatas laxationes: ab extra denique modeſtæ frictiones ſuperficiei corporis cum linteis calidis, inquinamenta hæc ulceroſa in peripheriam revocant.

§. XIX. Quando ALIA ULCERA, quæ aliquandiu in ſuperficie corporis hæſerunt, cum præſentaneo quodam damno retropulſa fuere, tunc interne conducunt remedia abſorbentia & nitrata, ut & laxantia, deinde modicus Sulphuris uſus æque proficit: conferri poſſunt Eſſentiæ alexipharmacæ & præcipue illæ, quæ antea notatæ fuerant; neque incongrue moderata laxatio repetitur & ſubinde interdum temperata diaphoreſis inſtituitur; quodſi varo ulcus retropulſum in priſtinam partem abſolute revocandum eſt, tunc præſtat talem partem aliquoties modeſtis frictionibus afficere & in illius confiniis Cucurbitulas cæcas applicare; interea regimen moderatum diapnoicum continuare & ne aliæ ac perverſæ commotiones prævaleant per interna diſcutientia & temperantia remedia præoccupare decet.

§. XX. Ita etiam cum retropulſis MACULIS SCORBUTICIS prudentia & dexteritas adhibenda eſt, quoniam fortior humorum commotio ad graves anguſtationes, oppreſſiones, oppletiones & totius affectus exacerbationes diſponit: præſtat rectius ordinare regimen temperatum calidum diaphoreticum & interne adhibere Eſſentias Helenii, Fumariæ, Cochleariæ, Pimpinellæ albæ parca quantitate; nec non conferre convenit diluentia ſimpliciora, infuſa lenientia calida; externe vero modeſtæ frictiones ſuperficiei corporis non parum conducunt: præterea ad mitigandos inverſos motus uſitata temperantia remedia conciliandа ſunt, abſtinendo, ne vel regimina vel medicamina calidioris indolis & efficaciæ ordinentur.

§. XXI. PARTICULARES SUDORES MANUUM & PEDUM, quotieſcunque retropulſi variis moleſtiis, incommodis, damnis & periculis anſam præbent, ut propterea & neceſſarium & utile ſit, quo imminentia hæc nocumenta tempeſtive intercipiantur & ſudores illi, quantum poſſibile eſt, in priſtinum locum reſtituantur: quoad priorem indicationem conducunt remedia temperantia, abſorbentia & moderate alexipharmaca diſcutientia, cum regimine modeſte diaphoretico; nec non præſtat proſpicere, quo alvus ſua libertate gaudeat: quoad alteram indicationem conveniunt particularia balnea, fomenta, nec non modeſtæ frictiones manuum vel pedum, ut & conjuncta adminicula interna reſolventia & temperanter diaphoretica, nec non to-

pica Camphorata manibus aut pedibus applicanda, ut ita tali methodo in priſtinas partes prægreſſa conſvetudo transferatur.

§. XXII. Magnum & repentinum etiam periculum minantur INFLAMMATIONES retropulſæ, quæ propterea longe melius & ſecurius in externo ambitu corporis tolerantur, quam in internis nobilioribus viſceribus: & in hac medica tractatione iterum primo præoccupandum eſt nocumentum ex ejusmodi retropulſione imminens; deinde, quantum ſperare licet, revocatio horum affectuum in extremitatem corporis modeſte ſuſcipienda erit: quoad priorem intentionem iterum conveniunt remedia temperantia, abſorbentia, nitrata, coralliata, antimoniata fixa, nec non decocta modeſte diaphoretica, mucilaginoſa, gelatinoſa, ut & remedia interna diſcutientia & remiſſius bezoardica: quoad alterum ſcopum ſub regimine modeſte diaphoretico & uſu temperatarum ſpecierum alexipharmacarum nec non ſelectorum analepticorum remediorum, convenit ad affectam externam partem adhibere efficaciores frictiones cum linteis calidis, aut Cucurbitularum cæcarum applicationes, aut temperatiora rubefacientia remedia: neque in tali necesſitate inefficaces ſunt emulſiones ex aquis diaphoreticis ac analepticis & nucleis pingvibus, excluſis ſeminibus frigidis, paratæ, quibus commode ſemen Cardui Mariæ conjungitur: tota vero methodus cum maximo moderamine eſt exercenda.

§. XXIII. Sic etiam SPASMI retropulſi diverſi nominis & ominis ſontica, imo repentina mala involvunt, dum vel in inflammatorios, vel oppletorios effectus tranſeunt, ut adeo perinde neceſſitas urgeat, quo efficaci & prudenti artificio iisdem ſuccurramus. Et in horum translatione interdum præſtat tempeſtive aliquam Venæ Sectionem in congruo loco inſtituere; deinde per remedia temperantia, lenientia, diſcutientia & moderate ſedantia interna, quo Chaccarillam refero, nocumenta tempeſtive reſcindere, extrinſecus vero per frictiones, congruos inſeſſus aut apta balnea, Cucurbitularum cæcarum applicationes & ſelectorum temperatorum rubefacientium ordinationes retropulſos Spaſmos in priſtina ſua loca revocare expediet.

§. XXIV. Denique mentio facienda eſt, retropulſarum MACULARUM HEPATICARUM & EFFLORESCENTIARUM VAROSARUM, quæ retropulſiones æque ſanitati inimicæ eſſe obſervantur: in harum tractatione præſtat antea invigilare, quo alvus aperta ſit, imo convenit repetita laxatio per remedia Rhabarbarina, Paſſulata, Mannata & Tamarindinata; deinde conducunt abſorbentia cum acidis conjuncta & coralliata remedia, nec non nitroſa ſalina abſterſiva & tartariſata auxilia; porro conferunt Eſſentiæ alexipharmacæ, ut & Eſſentiæ Pimpinellæ albæ, Succini, Fumariæ, Vince-

toxici,

toxici, Valerianæ & exiguum de Eſſentia Myrrhæ; providendo, quo diæta & regimen conjungantur, quæ affectui quadrant, neve vel in animo vel alibi exceſſus quidam committantur: neque denique negligendæ ſunt artificiales imminutiones ſanguinis, ſive per Venæ Sectiones ſive per Scarificationes adminiſtrandæ.

CAPUT XV.

DE

EVACUATIONUM PERIODICARUM DIRECTIONE THERAPEUTICA.

§. I.

QUamvis hactenus varia occaſione Evacuationum ſpontanearum & ſtatariarum mentio facta fuerit, tamen hoc loco ſingulari ſtudio illarum reminiſcor, quo magis in uno conſpectu indoles earundem pateat; & ſicut in præcedentibus de variarum evacuationum directa & poſitiva promotione actum fuit, ita nunc de ſpontanearum & quidem periodicarum evacuationum ſalutarium regimine & moderamine agendum erit, utpote quæ tractatio exquiſite medica eſt, quoniam ſatis inique juxta nonnullorum Neotericorum ſpeculationes tales evacuationes utplurimum pro turbulentis & ex accidenti ita procedentibus æſtimantur & declarantur.

§. II. Cum vero diverſæ tales evacuationes ſponte adminiſtrantur & quidem certis, aut interdum plane exquiſitis temporibus, ita fruſtra erit talem actum & effectum tantum corporeis cauſis adſcribere velle; præprimis cum ſequens evphoria & repetita harum evacuationum exercitatio, aut ſecundum exacta tempora inſtituta operatio, longe alios reſpectus involvat; unde potius has excretiones naturæ activitati aſſigno, quæ per illas corporis integritatem proſequitur, adeoque easdem tempore ſtato celebrat propetereaque ſalutares ſucceſſus ex iisdem impetrat.

§. III. Ex eo ſtatim prudens Therapevta colligere poteſt, quanta dexteritate tales evacuationes tractandæ ſint, ſiquidem non modo ſalubritati corporis, ſed & ſalutari activitati naturæ reſiſtit, ſi ejusmodi excretiones, vel præmature, vel citra ullam neceſſitatem obruuntur & ſupprimuntur: neque etiam rationalis

ille erit actus therapevticus, quando artifex tales evacuationes, ſua ſponte legitime ſuccedentes, magis impellit, urget & exſtimulat; quid quod ſanæ rationi contrariatur, ſi quisquam contraria methodo has excretiones intercipit, adeoque ad gravia & contumacia damna atque pathemata anſam præbet.

§. IV. Harum evacuationum in communi vita humana occurrunt ſpecies diverſæ & interdum etiam ſatis frequentes: ex omnibus ſolennius obvia eſt *Menſtrua Purgatio* fæminarum, ſicut interdum in diverſis ſubjectis *Hæmorrhoidalis* fluxus ſtatis temporibus recurſus ſuos ſervare obſervatur: in quibusdam ſubjectis contingunt *Vomitus annui*, in aliis *Diarrhoea* vel ſemel, vel bis per annum recurrentes in aliquibus *Hæmorrhagia Narium* certis temporibus revertuntur, in variis ſubjectis *Coryza* ſua certa tempora obſervat, in nonnullis *Sudores anniverſarii* procedunt, in quibusdam interdum *Febres intermittentes* ſuos annuos recurſus tenent, quædam denique ſubjecta certis anni temporibus *Efflorеſcentias cutaneas* tranſitorias experiuntur, quæ omnes ſpecies ex hoc fundamento caute & perite tractandæ ſunt, quia circa easdem evacuationes cum ſingulari ſenſibilitate occupata eſt natura.

§. V. Quod in genere has evacuationes attinet, tunc minime convenit in easdem poſitive operari, aut illas impellere & accelerare, ſed cum tranquillitate & moderamine facilitare, ita ut magis externa & interna incommoda, quotquot tales evacuationes turbare & impedire poſſunt, abigere præſtet; quo imprimis ſpectat, ut ſi vel regimen & vitæ genus incongruum fuit, illud emendetur, aut ſi materia evacuanda immobilior & intractabilior fuerit, ut ad evacuationem moderate præparetur & ut viæ ab aliis oppletionibus liberentur; minime vero conſultum eſt ipſos motus excretorios irritare, qui in antiqua activitate relicti, ſub tali impedimentorum remotione longe benignius, efficacius atque melius decurrunt.

§. VI. Quod tales evacuationes ſeorſim concernit, tunc in *Menſium & Hæmorrhoidum* promotione nil niſi continentia animi & corporis valet, ne videlicet motus neceſſarii perturbentur, ne etiam viæ congruæ alienis motibus afficiantur, aut immoderate oppleantur, ne porro humores in ſua fluiditate alterentur, neve alia offendicula objiciantur; minime vero præſtat illis temporibus quando Menſes aut Hæmorrhoides legitime erumpere ſolent, emmenagoga aut impellentia exhibere, quæ alias liberum talem fluxum in prima ſua eruptione mox ſuffocant & per incongruos ſanguinis turgefactorios motus atque impulſus turbant, ut denique e tali perverſo tentamine hæ evacuationes, quæ antea legitime decurrerunt, in eximias nunc anomalias conjiciantur; ſicut etiam inopportunæ artificiales ſanguinis ſubtractiones tales ſtatarias Hæmorrhagias graviter offendere ſolent.

§. VII.

§. VII. *Vomitus* & *Alvi fluxus* annui minime ſupprimi & repelli, neque etiam viciſſim impelli & per poſitiva remedia exacerbari, ſed potius bona tolerantia & continentia tractari debent, ita ut omnes irregularitates animi, vitæ generis & diætæ ſedulo evitentur; quando vero materia excernenda ſpisſior & intractabilior fuit, tunc ſuccurrere convenit cum remediis incidentibus, præparantibus & abſtergentibus, nec non diluentibus & lenientibus, ut ita actus excretorius quadantenus facilitetur: multum etiam hoc tempore confert abſtinentia a conſveta cibi quantitate; præſtat inſuper evitare interna & externa refrigerantia, nec non a nimia corporis commotione abſtinere expedit, ſub harum excretionum ſucceſſu vero temperatum & ſelectum roborans remedium offerre licet & ſi denique ejusmodi evacuatio excedere videatur, tunc magis per lenientia, temperantia, roborantia & ſecura ſedantia, quam per poſitiva adſtringentia ſubveniendum eſt.

§. VIII. Perquam familiaris eſt illa ſpontanea excretio periodica quæ per *Coryzam* in multis ſubjectis ſeſe exſerit, in qua minime poſitiva auxilia neceſſaria ſunt, cum utplurimum eadem ſua ſponte decurrat; unde tantum juſto regimine opus eſt, videlicet abſtinentia a ſenſibili interna & externa refrigeratione, aut nimia corporis exæſtuatione & remediis acribus, calefacientibus, anticatarrhalibus, cephalicis & nervinis; ſi vero talis Coryza paulo difficilius ſuccedit, tunc ab intra conveniunt Eſſentiæ reſolventes & temperatiores anticatarrhales; ab extra capiti applicanda ſunt Camphorata & pro odore modeſtus uſus volatilium, vna cum regimine moderate calido confert; ſi talis evacuatio actu excedit, tunc conducit moderata laxatio, ſubjungenda modeſta diaphoreſis & internorum temperantium remediorum uſus.

§. IX. Quædam ſubjecta certis anni temporibus etiam experiuntur *Tuſſiculoſam* ſuam *afflictionem*, quæ quidem magis incommoda eſt, pro qua moderanda convenit bonum regimen, ut videlicet ab interno & externo refrigerio homines abſtineant, imprimis potum frigidum ſeponant, quin rectius Infuſa calida, decoctum Veronicæ & regimen modeſte calidum adhibeant; proinde alvus eſt liberanda per lenem laxationem; ab expectorantium vero uſu ſi excretio ſua ſponte ſuccedit, abſtinendum eſt; quodſi etiam hæc paulo difficilior fuerit, tunc expectorantia moderata quantitate conjungi poſſunt, interpoſitis internis remediis diſcutientibus & reſolventibus, ſiquidem talis evacuatio pectoris commode & ſecure per laxantia & interna reſolventia præoccupari poteſt.

§. X. Magnæ conſiderationis ſunt *Sudores anniverſarii*, qui cæteroquin ſatis ſenſibiles exiſtunt, cum quibus circumſpecte procedendum eſt; maximum enim damnum ominatur illorum ſuppresſio & perturbatio, pro-

 pterea

pterea convenit illos cum continenti, leni, quieto & modeſto regimine tolerare neque præmature coercere, neque actualibus refrigeriis ſe ſubmittere; neque vero etiam neceſſarium eſt illos per alexipharmacorum & diaphoreticorum uſum augere & urgere illo tempore, quo iidem nunc libere procedunt; convenit temperantia quoad victum, potus vero ſufficiens concedendus eſt, modo non ſit craſſus, impurus, valde frigidus, aut valde ſpirituoſus; parcus vero boni vini hauſtus pro viribus conſervandis, concedi poteſt: & quoniam non facile contingit, ut tales ſudores excedant, ita pro illorum cohibitione haud poſitiva remedia ordinanda erunt.

§. XI. Adhuc unum verbum dicendum eſt de *Febribus Intermittentibus* periodice recurrentibus, quæ admodum delicate tractandæ ſunt, ita ut potentiores & impetuoſiores evacuationes excitari non debeant: optime talis febris curatur per abſtinentiam, deinde per bonum regimen: conciliari etiam poſſunt mitiores ſubſtantiæ abſtergentes & reſolventes, ut & remedia diluentia & humectantia: adſtringentia vero cane pejus & angue fugienda, quin potius roborantia & temperata carminativa ſubordinanda ſunt; imprimis vero excretiones leniter & modeſte tractari debent & quando ejusmodi ſubjecta a talibus recurſibus febrilibus immunia eſſe volunt, neceſſe eſt, quo antea cum bona diæta & convenienti vitæ genere ſibi proſpiciant.

SECTIO III.

DE ALTERANTIBUS.

§. I.

POſteaquam hactenus diverſæ Evacuationum, therapeutica methodo dirigendarum, ſpecies explicatæ ſunt, ita nunc excipit altera operatio therapevtica, quæ per Alterationem ſuccedit, cujus propterea hoc ordine etiam variæ ſpecies ſignificandæ erunt: illud vero mox in limine hujus doctrinæ agere convenit, quo vera indoles Alterationis therapevticæ explicetur & in quantum illa uſibus medicis magis reſpondeat, imo in quantum ab inutilibus ſpeculationibus ſeparanda ſit, ſignificetur, quo ex hac cognitione iterum medicina, vere practica, emolumentum quoddam nanciſcatur.

Conf. Stahlii Diſp. de Alterantibus & ſpecificis in genere

§. II.

§. II. Quando Alteratio exacte medica eſſe debet, tunc convenit, quo illa evacuationibus promovendis & facilitandis inſerviat: ex quo commercio atque vinculo utriusque actus therapevtici medicina non exiguum uſum capeſſit; ſi vero alteratio illa in abſtracto urgetur, citra applicationem & directionem ad ſubordinandam ſalutarem excretionem, tunc non modo ſine ulla medica utilitate utplurimum operatio illa ſuccedit, ſed & variis damnis & ſiniſtris effectibus anſam præbet, dum tantum in ſterili & confuſa materiarum correctione acquieſcit & neceſſariam heterogeneitatum remotionem, qua mediante unice vita & ſanitas acquiritur, negligit.

§. III. Accedit enim interdum, ut propter materiarum minus diſpoſitam & aptam conſtitutionem corpoream evacuatio tam facile ſuccedere haud queat, imo ut ipſa natura evacuationem ob ineptitudinem materiæ tam diu averſetur, unde & activitati naturæ & methodo vitali maxime conforme eſt, quo antea materia recte præparetur i. e. alteretur & ad evacuationem futuram magis habilis reddatur, quo videlicet eidem juſta craſis & debita conſiſtentia concilietur, ne per contrariam qualitatem & ſenſui naturæ & efficaciæ motuum repugnet & inimica ſit.

§. IV. Exinde liquet, quomodo differentia omnino realis ſit inter Alterationem philoſophicam ſive criticam aut ſpeculativam & medicam, practicam, realem & utilem: etenim non rarus eſt in Therapia vulgari ille ſiniſter ſenſus, ſignificatus & uſus Alterationum, quibus tantum materia noxia invertitur & cum aliqua promiſſione melioratur, ne noceat i. e. involvitur, edulcorarur, inſpiſſatur, incraſſatur, incarceratur, ut quaſi e noxia, nunc bona evadat: in qua Alteratione ſi Therapevta acquieſcit, tantum phyſice circa materiam peccantem verſatur, medicos vero effectus tunc cum damno negligit, quia materia prava, quomodocunque etiam alterata ſit, tamen tempeſtiva ſeparatione, ſecretione & excretione indiget, ſi actus alteratorius medicus eſſe & in corporis humani emolumentum cedere debet: ex quo liquet, quomodo alteratio methodo Sylviana, Tacheniana, Williſiana & ſecundum philoſophiam corpuſcularem inſtituta, non medica, ſed ſpeculativa ſit.

§. V. Ejusdem cenſus eſt ſterilis illa Alteratio, quæ alias quidem cum operoſo conatu atque ſucceſſu adminiſtratur, quando in diverſis morbis præſumuntur & præſupponuntur certæ ſpecies ſalium & impuritatum, quibus deinde medici contrarias quasdam ſpecies opponunt, dum videlicet aciditates per ſubjecta alcalina corrigere laborant, aut volatilia per fixa & vice verſa emendare contendunt; quæ alteratio non modo nimis eſt diffuſa & operoſa, ſed communiter etiam æquivoca, dum adhuc directore opus eſt, qui contraria ſubjecta, quæ opponuntur exquiſite ad illas impuritates transferre debet, qui-

bus

bus deſtinantur, ita ut aliæ materiæ non a talibus phyſicis remediis alterentur, neque etiam ulla realis utilitas ex ejusmodi phyſica correctione expectanda eſt, ſi poſt ancipitem talem laborem immutatæ illæ impuritates tamen in corpore remanent.

§. VI. Proprie vero & primario alteratio medica verſatur circa materias mobiles & fluiditati obnoxias, quo ſub hac commotione neceſſaria non modo in meliorem aliquam & tractabiliorem conſiſtentiam converti, ſed & denique tempeſtive & ſufficienter eliminari queant, quemadmodum hoc reſpectu nimis craſſæ materiæ fluidiores fieri & nimis fluidæ atque ſubtiles tantisper incraſſari debent, quæ tota operatio eo dirigenda eſt, quo deinde generalis motus humorum progreſſivus, ſeorſim quidem juſta depuratio, ſequeſtratio & evacuatio commodius inſtitui poſſit.

§. VII. Concernit etiam alteratio alias qualitates partium fluidarum & quidem craſin earundem, quando videlicet quidam humores nimis acres ſunt, vt involvantur, abſorbeantur, demulceantur & temperentur, ne ſenſibiles partes afficiant, contrarios motus excitent, aut actuales corruptiones inducant, in qua correctione vero non unice aut diu acquieſcere convenit; unde mox eo allaborandum eſt, quo tales impuritates, qualitercunque emendatæ, a corpore tempeſtive & ſufficienter removeantur, unde cum majori emolumento vitæ & ſanitatis Therapevta magis evacuatoriis functionibus, quam alteratoriis operationibus inhærere & invigilare poteſt.

§. VIII. Solidæ partes, licet ſint textæ & ſtructæ, ita directe alterationi non ſunt ſubjectæ, cum illarum emendatio methodo therapevtica obtineri non posſit, niſi interdum chirurgica auxilia, aut autocratia naturæ in tali ſtatu requirantur, quo illarum partium vitia, læſiones & mobilitatis offenſiones meliorentur & in priſtinum utilem ſtatum convertantur: quando vero in partes ſolidas ſubtiliores quædam impuritates translatæ ſunt, tunc iisdem non aliter ſubvenire licet, niſi mediantibus partibus fluidis per ſolidas progredientibus, ex hiſce heterogeneitates illas recipientibus & denique ad neceſſariam excretionem transvehentibus.

§. IX. Neque denique oblivioni tradenda eſt illa in therapia medica dignisſima alteratio, quæ motus concernit, in cujus cognitione & directione comprehendenda, artifex maximam induſtriam adhibere debet, cum in medicina conſideratio motuum, præ materiarum diſquiſitione, majoris momenti ſit; & ita tales motus interdum ſunt excitandi, interdum compeſcendi, nonnunquam temperandi, aliquando retinendi & ſedandi: & per hoc motuum directorium artifex propius commercium nanciſcitur atque exequitur cum natura, quam propterea per remedia materialia afficit, reficit, roborat,

excitat

excitat, ſopit, tranquillat & ad ordinatas operationum ſuarum adminiſtrationes diſponit.

CAPUT I.

De

ADSTRINGENTIBUS

§. I.

CUm animus ſit in ſpeciali Alterationum explicatione de motuum in vitali œconomia obviorum imminutione primo loco agere, ita mox in primo hoc acceſſu principalem aliquam tractationem therapevticam ſeligo atque præmitto, quæ ipſa ad minimum in vulgari therapia magnæ exiſtimationis eſt, ut propterea illius applicatio practica non infrequens exiſtat, ſiquidem auxilia adſtringentia in communi praxi medica ferme omnem paginam abſolvunt, quemadmodum præceps illud ad adſtringentia remedia paſſim inclaruit refugium in triviali praxi, ut ita multum etiam referat, ſalutarem, ſecurum, dextrum & probatum illorum uſum perquirere & annotare.

§. II. Proinde uſus adſtringentium remediorum hucusque in conſpicuum abuſum tranſiit, ut ſub diverſis titulis talia remedia, quæ non alterius quam adſtrictoriæ qualitatis ſunt, commendentur, ſed eapropter etiam varii irregulares motus excitantur, qui quidem repentinos & manifeſtos effectus exſerunt, ſed qui in ſuis ſucceſſibus & conſecutionibus non ſecuri, ingenui & fructuoſi ſunt; quapropter in Therapia medica judicio & prudentia opus eſt, ne juxta communem morem, ita promiſcue talia remedia ordinentur, neve in eo artifex ſalubritatem aliquam certam urgeat, quando repentinos effectus & præcipites motuum alterationes per talia remedia proſequitur, nam cum hæc adſtringentia communiter in extremitates coincidant, ita præceps talis contraria actio multarum periculoſarum anomaliarum cauſa evadit.

§. III. Verſantur præcipue adſtringentia circa motus, quos in ſuo ſucceſſu ita ſubito alterant, ut in contrarium quendam effectum tranſeant, prop65tereaque communiter excretionibus ſiſtendis & retinendis inſerviunt, dum motus ita invertunt, ut per oppoſitum effectum evacuationes retineant, vias occludant, humores appulſos reprimant & repellant, adeoque in ſtrenuum excretorii alicujus actus ſucceſſum repentinam immutationem transferant, qualis

qualis operatio præprimis reſpondet placitis ſectæ methodicæ, dum laxa ſtringi debent, ubi adſtrictoriorum remediorum uſus magis inclaruit; ſed quo magis ſenſibiliter & præcipitanter natura in aliquo actu turbatur & ad contrariam operationem ſeducitur, eo periculoſior eſt effectus atque eventus.

§. IV. Quod quidem adſtringentium modum operandi concernit, tunc eadem intrinſecus oblata utplurimum non nude phyſice qualitatem ſuam exſerunt, neque ex ſe vias ſtringunt & occludunt, dum utplurimum illas vias, quæ poſt horum uſum obſtruuntur, non attingunt, unde rectius natura humana in corpore ſuo ſenſu prædita & ſecundum diverſas materias diverſimode movens ab adſtringentium præſentia ita alteratur, ut nunc in illis locis, in quibus de præſenti evacuationes extraordinarias adminiſtravit reſtrictionem & occluſionem cauſetur & per conſequens excretionem talem retineat atque ſupprimat; quod vero utplurimum propter adſtringentium oblationem natura talem & non alium actum exerceat, adſcribendum eſt diverſæ relationi æſtimationis naturæ erga materiarum varias qualitates phyſicas.

§. V. Sicut adſtringentium uſus multiplex eſt, ita etiam eadem ad externas ordinationes medicas aſſervantur, dum vel pro incraſſatione humorum, vel etiam in locis ſenſibilioribus ad actualem conſtrictionem contribuunt, ut humores in talibus locis copioſius compulſi reprimantur, adeoque ſuperficialis quædam ſtagnatio & ſtaſis, aut partium laxitas emendetur & ita noxa metuenda præoccupetur, quam cautus vero internus adſtringentium uſus requiritur, tam circumſpectus etiam eſſe debet externus, quoniam repentina quædam retropulſio interdum gravem noxam cauſatur; nonnunquam etiam quidam affectus ita ſenſibiles ſunt, ut ab extra introrſum reprimi non debeant.

§. VI. Non minus etiam adſtringentia remedia intrinſecus oblata ad humorum incraſſationes contribuunt; in quo effectu vero æque provide adhiberi debent, ne, dum humores incraſſant & viarum conſtrictionem promovent variis periculoſis effectibus cauſam dent, & licet in diverſis caſibus moderata fluidarum partium incraſſatio non rejicienda ſit, tamen eadem vel admodum modeſte adminiſtranda eſt, vel cum aliis, quam adſtringentibus remediis perpetrari debet, vel non niſi in maxime refracta quantitate adſtringentia temperatiora ordinari poſſunt: unde liquet, quam cautus in omni paſſu eſſe debeat adſtringentium uſus.

§. VII. Adſtrictionis effectus ſecundum diverſitatem remediorum etiam gradu differt; dantur enim adſtringentia, quæ repente & efficaciter hunc ſuum effectum exſerunt, adeoque Repellentium nomen tenent: dantur vero etiam quædam,

dam, quæ quidem ſtrenue operantur, ſed non ita repente: quæ vulgaria Adſtringentia conſtituunt: dantur denique aliqua, quæ mitiorem partium fibroſarum ſtricturam, tenſionem & quaſi roborationem cauſantur, adeoque Tonicorum nomen tenent, quæ ultima præ prioribus etiam ſecurioris, uti mitioris, efficaciæ ſunt, adeoque paulo frequentius in uſu medico ſatisfaciunt.

§. VIII. In genere quidem indicantur adſtringentia in paucis caſibus & circumſtantiis & quidem 1) in extremis & exceſſive urgentibus ſanguinis vel ſeri profuſionibus 2) ad præcavendum abortum, antequam ſanguis ex utero profluere inchoat 3) ad tumorum, ſtaſium & infarctuum fientium & recenter factorum repreſſionem: 4) ad febrium intermittentium mere habitualium cohibitonem 5) ad vulnerum ſufficienter repurgatorum conſolidationem 6) ad fluxionum per accidens & paſſive ſuccedentium retentionem 7) ad veram & ſimplicem partium atoniam, ſive relaxationem; 8) ad fracturas & luxationes, ſiquidem in Chirurgia medica hæc remedia paulo frequentius, quam in praxi clinica commendantur.

§. IX. TONICA remedia paulo frequentiorem & ſecuriorem uſum habent, unde indicantur 1) in nimiis Hæmorrhagiis, quantisper mitigatis 2) in congeſtionibus ſangvineis, quando affectus paululum remittit 3) poſt prægreſſas enormes profuſiones ſeri 4) in affectu hydropico, quando alia neceſſaria adminicula præmittuntur, 5) in ſudoribus nimiis habitualibus 6) poſt prægreſſas febres intermittentes 7) in Cachexia, ex viſcerum oppletione orta, præmiſſis præmittendis 8) in Ictero 9) poſt affectus ſpaſticos 10) poſt morbos Chronicos 11) in remiſſiori ſtatu morborum chronicorum 12) in affectibus ex oppletione primarum viarum ortis 13) in Atrophia & Scirrhis exſanguibus 14) in partibus aridura affectis & motuum defectu laborantibus & denique 15) in affectibus habitualibus.

§. X. Contraindicantur viciſſim vulgata & quidem potentia adſtringentia remedia 1) in ſubjectis valde plethoricis 2) quando præcipue ad ſalutares excretiones adſveta ſunt 3) in Hæmorrhagiis moderatioribus 4) in motibus & moliminibus ſanguineis 5) in Phthiſi 6) in affectu Hyſterico & Hypochondriaco 7) in Gravidis & 8) in Puerperis 9) in Febribus legitime decurrentibus neque excretionum defectum involventibus 10) in affectibus hæreditariis 11) in Menſium & Hæmorrhoidum vitiis 12) in Hydrope 13) in Hectica 14) in ſpaſmis & Convulſionibus 15) in plurimis pectoris affectibus 16) in Nephritide ſimplici æque ac calculoſa 17) in pollutione nocturna 18) in ſterilitate 19) in infantibus aliisque ſubjectis ſenſibilibus 20) in morbis corruptis 21) in Gonorrhœa virulenta 22) in affectibus contagioſis &c.

§. XI.

§. XI. Quod remedia præcipue adſtringentia attinet tunc illorum eximius numerus paſſim proſtat; ita ut vix alia remediorum claſſis tanta penu & ubertate gaudeat adeoque in multis ſelectus ſit charus, e quibus tantum aliqua recenſuiſſe ſuffecerit; quemadmodum quodvis Regnum naturale talia remedia copioſo numero prodit, ſic conſtant Radices Pſevdoacori, Biſtortæ, Filipendulæ, Pentaphylli, Plantaginis, Tormentillæ, Symphyti, Sigilli Salomonis, Pimpinellæ Sanguiſorbæ, Rhabarbarum toſtum, herbæ Alchimillæ, Bellidis vulgaris, Burſæ paſtoris, Equiſeti, Bugulæ, Pyrolæ, Millefolii, Polygoni, Urticæ minoris, Pentaphylli, Saniculæ, Virgæ aureæ, Vincæ per vinca, Hederæ terreſtris, Herniariæ, Auriculæ muris, Uvulariæ, Nummulariæ, Flores Roſarum rubrarum, Balauſtiorum, Hyperici, Lapathi acuti, Portulacæ, Granatorum, Sophiæ Chirurgorum, Glandes, Gallæ; cupulæ Glandium, Granata, Meſpila, Mora, Myrtilli, Acaciæ, Pruna & Pyra ſylveſtria, Ribeſiæ, Sorba, Corna, Berberes, Caſtaneæ, Cydonia, Cortex Granatorum, Chinæ, Quercus, Tamariſci, Fraxini, Cydoniorum, Muſci varii arborum, Sarcocolla, Thus, Maſtix, Sangvis Draconis, Succus Acaciæ, Hypociſtidis, Unicornu ita dictum foſſile, cornu Cervi uſtum, Ebur uſtum, Bolus Armena, Terra Sigillata, Terra Lemnia, Terra Japponica aut de Catechu, Dens Hippopotami, Lapis Manati, Priapus Ceti, Hæmatites, Terra vitrioli dulcis, Gemmæ præparatæ, Species & Confectio de Hyacintho & de Gemmis, Uſnea cranii humani, Alumen, Tela Aranearum, Crepitus Lupi & ex præparatis Tinctura Corallorum, varii Croci martis, acida mineralia, Liquor mineræ Martis ſolaris, Caput mortuum florum hæmatites & florum ferri, Tinctura Vitrioli, Tinctura Martis tartariſata, Tinctura Martis Cydoniata, Tinctura Martis cum ſucco pomorum, Trochiſci de Carabe, Tinctura Terræ de Catechu, Tinctura hæmatites, Tinctura florum Bellidis, Tinctura Roſarum Vitriolata, Syrupi Corallorum Quercetani, Granatorum, Cydoniorum, Berberum, Myrtillorum, Ribium, de Symphyto Fernelii, Aquæ Polygoni, Plantaginis, portulacæ, tormentillæ, Alchimillæ, Millefolii, Saniculæ, Eſſentia Biſtortæ, Tormentillæ, Hyperici & multa alia.

§. XII. Ex hisce adſtringentibus remediis variæ ſpecies pro uſu externo in Chirurgia conveniunt, unde famoſi pulveres Styptici Chirurgorum vulgo proſtant, quales Hildanus & Fabricius ab Aquapendente commendarunt, uti e compoſitis topicis adſtringentibus remediis proſtant Unguentum Comitiſſæ & refrigerans Galeni Emplaſtrum Sticticum Crollii, de Minio, Ceratum Santalinum, de pelle arietina, de Cruſta panis, de Tacamahaca &c: ſic Alumen, Terra Vitrioli dulcis, Telæ araneorum, Pili leporis, Crepitus lupi, cortices & reliqua

qua ad uſus externos quadrant, cum quibus ſatis efficax adſtrictio adminiſtrari poteſt.

§. XIII. In hoc numero adſtringentium remediorum comprehenſa etiam ſunt Tonica, e quibus pro noſtro uſu ſelectiora ſunt Corallia, Species de hyacintho, Gemmæ præparatæ, Croci Martiales ſelecti, Tincturæ Martis Tartariſatæ & Vitriolatæ ſive ſimplices ſive cum ſuccis, tartarus vitriolatus Martialis, Spiritus Volatiles cum Tinctura antimonii tartariſata remixti, Terrea Uſta, ſed non bolaria, quæ ſingula ad uſus ſuos quadrant, quando tonicus effectus in praxi medica indicatur; quo etiam Confectiones ſpectant, quarum in ſuperioribus mentio facta fuit; cavendo, ne cum hisce tonicis exceſſus committatur ſive in quantitate, ſive in diuturna applicatione.

§. XIV. Dantur adhuc peculiaria remedia, quæ in variis caſibus externo uſu repellentem ſuam qualitatem exhibent & inter hæc principale eſt Sulphur, quod cito reprimit; unde cum damno ſcabioſum inquinamentum & œdemata ſenſibiliora ad interiora repellit, qualem efficaciam etiam in ſpaſmos habet, nec non in inflammationes ſuperficiales; deinde ſalia volatilia extrinſecus adhibita, æque fortius reprimunt, ut & remedia Saturnina, Lithargyriata aliaque metallica, imprimis Martialia, quo referri merentur Terræ bolares & Martiales Eiſenſchießige Erden & quæ magni nominis eſt inter medicos & Chirurgos Terra Vitrioli dulcis, valde repellunt & ab extra adſtringunt; neque denique Calx viva topicam ſuam reprimentem qualitatem denegat; cum quibus ſingulis ſubjectis propterea caute procedendum eſt, ne ad incongruos affectus adhibeantur, ſiquidem non rarum eſt in communi praxi medica tales ſonticos errores, cum ejusmodi ſpeciebus commiſſos, obſervare.

§. XV. Quanquam magnus hic apparatus ſit adſtringentium remediorum tamen adhuc major occurrit, cum ferme nullus practicus ſit, qui non de ſpecifico particulari & compoſito adſtringente remedio glorietur, hinc copioſe transſcribuntur & circumferuntur compoſitiones travmaticæ & ſtypticæ, cum quibus omnibus, cujuscunque etiam nominis fuerint, magna cautela eſt adhibenda, quoniam adſtringentium uſus juſto ſucceſſui motuum & effectuum vitalium ordinariorum non parum contrariatur, tanto magis vero præſtat affectus & ſubjectorum ſenſibilitates diſcernere, ſiquidem in ſubjectis tenerioribus, ſenſibilioribus aut junioribus, aut quæ diuturno morbo laborarunt, efficaciora adſtringentia remedia, aut frequentior uſus tonicorum medicamentorum non ſatis ingenuus atque probatus eſt; unde in omni paſſu circa talium remediorum commendationem circumſpectio adhibenda erit.

CAPUT II.

DE APERIENTIBUS.

§. I.

CUm in præcedentibus Adſtringentium ſive occludentium mentio facta fuerit, ita nunc contrarii cujusdam effectus & actus therapevtici reminiſcor, videlicet Apertionis, liberationis, reſerationis & periculoſæ adſtrictionis emendatoriæ ſive curatoriæ functionis, quæ tunc ordinanda eſt, quando ex accidenti adſtrictio & occluſio, aut juxta vulgarem ſtylum obſtructio occupavit, quæ liberum humorum progreſſum impedit, neceſſariam partium ſolidarum & fluidarum repurgationem offendit, ſe & excretoriam functionem ſupprimit, adeoque variis nocumentis inferendis quadrat; ex quo eluceſcit, quam ſalutaris & œconomiæ vitali conveniens actus ſit, ſi medica & non ſpeculativa apertio ita præſtatur prout circumſtantiis, vere præſentibus, non vero imaginariis, quadrat.

§. II. Vulgo quidem apertio therapevtica opponitur obſtructioni, maxime vero in primis regionibus ſuppoſitæ, ſicut talis obſtructio in hypochondriis, Meſenterio & ut ita dicunt, in vaſis minoribus in kleinen geäder, frequenter accuſatur, ex qua deinde varii alii morbidi affectus oriuntur, qui tamen etiam ex impedito ſanguinis progreſſu, aut ſtagnatione ſanguinis in hypochondriis ortum trahere poſſunt: ſed cum actualis obſtructio in corpore vivo rarior ſit, ita magis apertio impeditiori progreſſui humorum per vias & vaſa æquius opponitur, quoniam hoc impedimentum frequentius occurrit, inde etiam evenit, ut aperientia longe magis ſalubrem effectum habeant, quando adhuc qualitercunque humores progrediuntur & viæ perviæ ſunt, quam ſi perfecta ſtaſis, obſtructio, aut viſcerum infarctus adeſt.

§. III. Primario itaque apertio therapevtica verſatur circa vias non ſatis pervias, ſive ſint organa, ſive ſint vaſa; in quibus ſi aliqualis occluſio & ſufficientis ac ſalutaris tranſitus interceptio occurrerit, nihil aliud requiritur, niſi reſtitutio priſtinæ aperturæ & permeabilitatis, quæ vulgo per modum apertionis deſignatur: ex quo proinde liquet, quomodo hic effectus aperitivus comparatus eſſe debeat, ſi œconomiæ vitali exacte reſpondere debet, ubi mox omnis

nis impetuoſa commotio & operatio evileſcit, quæ potius occluſiones augere & apertiones impedire poteſt.

§. IV. Dum vero apertio therapevtica præter reſpectum ad vias, ſubinde etiam conſiderationem motus, ſucceſſus & progreſſus humorum involvit, quo hic per hanc apertionem in juſtum ordinem & gradum convertatur, propterea etiam inſtituenda erit relatio proportionum humorum ad motus & in quantum partes fluidæ ita immutari queant, quo viæ propterea occludantur; ita enim evenit, ut ſpiſſitudo humorum permeabilitatem viarum offendat, hinc reſolutio, attenuatio & fluidificatio illorum utili apertionis ſucceſſui inſervit; interdum vero motus irregulares tonici citra culpam humorum & materiarum vias occludunt, ut propterea non alio modo apertio perpetrari poſſit, niſi hi motus corrigantur; exinde liquet, quomodo in hoc apertionis therapevticæ adminiſtrandæ negotio artifex prudenter obſervare debeat, an culpa in motibus, an in humoribus, an in viis hæreat, nam ſi hæ nimis laxæ ſunt, tunc coacervationi & copioſiori ingreſſui humorum magis patent, unde denique ſuſpecta & præternaturalis quædam occluſio oritur.

§. V. Exinde iterum fluit, quomodo cauſæ, effectum apertionis poſtulantes, non ſint æquales, ſed diverſæ & quomodo propterea non per quodlibet aperiens remedium indiſcretim in omni caſu effectus aperitivus impetrari poſſit: etenim interdum lenientia, humectantia, emollientia fiunt aperitiva; interdum reſolventia, incidentia, abſtergentia, attenuantia apertionem inducunt; aliquando temperantia, mitigantia, præcipitantia aut ſedantia apertionem poſt ſe relinquunt; quandoque tonica aut mitiora adſtringentia eruptionem, reſerationem & ſic dictam apertionem perficiunt. Et hanc diverſitatem artifex cum magno judicio obſervare & applicare debet, ne per adſtringentia aperire audeat, quando apertio per lenientia adminiſtrari debet &c.

§. VI. Sicut vero cauſa, quæ apertionis uſum requirit, ita conſtituta eſt, ut ſucceſive damna ſua inferat, ita etiam utplurimum effectus apertionis proximus non extemporaneo quodam & repentino tentamine abſolvi poteſt, proptereaque notatu digna hæc cautela Therapevtica eſt, ne apertio ſimultaneo quodam impetu urgeatur; alias loco propoſitæ operationis contrarius magis effectus elicitur; unde in quovis caſu apertio rectius cum moderamine et ſucceſive eſt præſtanda, non vero cum audacia et ſimultanea commotione.

§. VII. Quanquam etiam apertionis titulus in Therapia medica admodum cognitus ſit et ſubinde multa remedia aperientia ſub variis perſvaſionibus, laudationibus & adulationibus commemorentur, tamen utplurimum hæc aperitiva medicamina ſuis encomiis dignum effectum haud præſtant, propterea, quia cauſis, apertionem requirentibus, rarius reſpondent: etenim vulgata

aperitiva medicamenta ſunt acria, calefacientia, impellentia, ſubtiliora & potentioris efficaciæ, quæ ſi adhibentur, ubi humores ſpisſi, aut ubi partes conſtrictæ, aut ubi organa infarcta ſunt, loco ſperati & promisſi effectus ob hunc inconvenientem impulſum majoribus ſtagnationibus, reſtagnationibus, infarctibus, oppletionibus & anguſtationibus anſam præbent.

§. VIII. Hæc apertio medica diverſis itaque modis adminiſtratur atque abſolvitur, vel per ſufficientem humorum fluidificationem, vel per partium & viarum debitam lenitionem, ne ſiccitas aut ſtrictura quædam præſentem occluſionem augeat & foveat, vel per motuum tam in partibus, quam in humoribus congruam promotionem, vel per tonicum effectum, quando adhuc talis vigor motus requiritur, ut ultima quædam eruptio & apertio adminiſtretur; quemadmodum alia conſentiens partium roboratio nonnunquam effectum apertionis ſublevat, ita ut tales operationes, ſicut ſuperius monui, juxta ſuas cauſas & circumſtantias diſcrepent.

§. IX. Præterea apertionis effectui varii alii actus therapevtici inſerviunt, præcipue tempeſtiva, ſufficiens atque debita ſanguinis ſuperflui ventilatio; cum ob nimiam ſanguinis copiam illæ cauſæ vel provocentur, vel augeantur, quæ apertionis effectum requirunt; deinde huc etiam quadrant debitæ & ſufficientes abſterſiones & catharſes impuritatum vel ſpisſiorum mucidarum vel ſeroſarum, quæ ad incraſſationes aliorum humorum contribuunt: nonnunquam etiam moderata diaphoreſis apertionem adjuvat, dum per æqualem ſanguinis diſtributionem particularis reſtrictio, congeſtio & oppletio reſolvitur.

§. X. Maximum commodum pro apertione præſtanda præbet motus corporis conveniens & potus ſufficiens; hic dum diluit humores, lenit vias, adjuvat Se- & Excretiones; ille vero dum legitimum progreſſum omnium humorum per corpus facilitat, adeoque particulares ſtagnationes & oppletiones viſcerum præoccupat. Et cum præcipue homines hypochondriaci & ſplenetici aperientibus auxiliis indigeant, quoniam in primis regionibus variis motus progresſivi ſanguinis incommodis ſubjecti ſunt, ita non melior medicina hiſce ordinari poteſt, quæ effectum aperitivum adminiſtrat & promovet, quam motus & potus.

§. XI. In tota hac functione therapevtica adminiſtrandæ apertionis eximia illa circumſpectio adhuc commendanda eſt, ne cum apertio propter diverſitatem cauſarum ita æquivoca exiſtat, loco ſperatæ & promiſſæ reſerationis & recluſionis major occluſio, incarceratio, oppletio et ſtagnatio excitetur: inde enim evenit, ut ſi communia remedia aperitiva, quæ calidæ indolis ſunt, promiſcue ordinantur, vel præſentes occluſiones ob incongruum humorum

impulſum

impulſum augeantur, novæ incarcerationes cum ſanguine ſpisſiori, fortius nunc commoto, excitentur & formentur; unde communibus medicamentis aperitivis non ita facile fides eſt danda, ſed præſtat rectius ubique cauſas concurrentes ſedulo dijudicare.

§. XII. Et quo minus aditus immediatus in interno corpore ad affecta loca datur, neque ita ſubito effectus apertionis ad ſuam cauſam transferri poteſt, propterea eo majori continentia & prudentia opus eſt, ne vulgaribus promisſionibus, de aperientibus formulis pasſim occurrentibus, fiduciam ſubminiſtremus, neve nimis præcipitanter effectum apertionis urgeamus, alias reliqui & ſalutares motus atque ordines magis perturbantur; quidquod conſultius eſt, quo apertio ſucceſſive perficiatur, cum cauſa & effectus occluſionis magis ſucceſſive ad vim & tenorem ſuum pertingat, eo minus vero ullus prudens artifex in hanc opinionem & credulitatem tranſeat, quaſi certa aperientia directe, ſpecifice & poſitive in occluſas partes ſimplici effectu aperiente operentur; cum rectius totus actus hujus apertionis ordini & conditioni motuum vitalium reſpondere debeat ſoleatque.

§. XIII. Cum itaque diverſa Apertionis therapevticæ acceptio & promotio ſit, hinc in ordine illæ circumſtantiæ obſervari debent, quæ in genere aperientium uſum ſvadent & indicant: indicatur itaque apertio 1) in quovis viſcerum infarctu, præcipue 2) in affectu Hypochondriaco 3) nec non in malo Splenetico 4) in Scirrhis exſanguibus 5) in affectu Hydropico 6) in Oedematoſo ſtatu, 7) in Scorbuto 8) in Ictero 9) in Hæmorrhoidum & Menſium ſuppresſione 10) in conſveta & frequenti alvi occluſione & ſiccitate 11) in Cachexia & Cacochymia Iuniorum & adultiorum 13) in affectibus Varicoſis & 14) in Venæ Portæ nimia oppletione.

§. XIV. Contraindicatur vicisſim apertio, juxta communem ſtylum therapevticum ſumta, 1) præſente nimia plethora 2) ubi affectus eſt valde corruptus 3) & quando alia generaliora impedimenta præſto ſunt 4) quando inflammatoriæ commotiones admodum urgent, aut imminent 5) quando pathemata ſpaſmodica in omni affectu perquam ſæviunt 6) in rebellibus congeſtionibus 7) in Febribus acutis 8) præſente interna aliqua ulceroſa labe, præcipue majori 9) præſente interno Scirrho ſanguineo, facile mobili et ſenſibili 10) in affectibus cholericis acerbioribus 11) in gravidis & 12) quando adhuc primas regiones multæ cruditates & impuritates opplent, quæ propterea antea repurgandæ ſunt.

§. XV. Quod remedia Aperientia attinet, tunc ſecundum communem commendationem hæc non alia ſunt, quam reſolventia, attenuantia & abſter-

abſtergentia, quorum frequentius paſſim mentio injicienda erit; tamen adhuc alia auxilia e præcedentibus noſtris obſervationibus aperientem effectum cauſantur: e numero communium aperientium vulgo proſtant quinque radices aperientes, quæ vero parum ſua laude dignum quid præſtant, cum ne quidem multum humores ſpiſſiores reſolvant; unde in materia medica præſtantiora reſolventia & pro uſu aperitivo efficaciora proſtant; communiter radices Apii, Aſparagi, Petroſelini, Ruſci, Rubiæ tinctorum, Graminis pro hoc effectu laudantur: ſed ſane ſingulæ hæ non tantum aperiunt, ut præ aliis ſeligi & commendari debeant.

§. XVI. Paulo magis apertionem promovent radices Enulæ, Taraxaci, Ari, Aſari, Pimpinellæ albæ, Carlinæ, Caryophyllatæ, Imperatoriæ, Ariſtolochiæ, Chinæ, Gentianæ rubræ, Raphani, Zingiberis, Zedoariæ, Cepæ, herbæ Abſinthii, Anethi, Beccabungæ, Capilli veneris, Cardui benedicti, Fumariæ, Centaurii minoris, Epithymi, Ceterach, Cochleariæ, Cuſcutæ, Hepaticæ nobilis, Hyſſopi, Chærefolii, Matricariæ, Marrubii albi, Naſturtii, Pulegii, Roriſmarini, Rutæ, Scordii, Folia Lauri, Flores Sambuci, Calendulæ, Centaurii minoris, Stoechados arabicæ, Acaciarum, Lavendulæ, Chamomillæ, Carthami, Enulæ, Summitates Origani, Comæ Abſinthii, Semen Aniſi, Fœniculi, Carvi, Cumini, Dauci, Petroſelini, Sileris montani, Synapi, Baccæ Lauri & Iuniperi, Aromata, nuclei amari, Lignum Saſſafras, Gummi Ammoniacum, Galbanum, Sagapenum, Bdellium, Myrrha, Aloes, Crocus &c. imprimis vero Gummi Ammoniacum paſſim a practicis ad efficaciorem reſolutionem humorum mucidorum laudatur.

§. XVII. Præterea aperitiva qualitas adſcribi poteſt certis compoſitionibus, quæ tantum in certis caſibus & minime ita indiſcretim admittendæ ſunt: hoc nomine proſtant Liquor Cornu Cervi Succinatus, Tinctura & Spiritus Tartari, Tinctura Antimonii Tartariſata, Spiritus de tribus; qualia auxilia in affectibus humidis, mucidis, ſeroſis utilitatem ſuam promittunt & exhibent: proinde Spiritus volatiles cum Tinctura antimonii mixti æque aliquando apertionem utilem adjuvant, modo in congruis caſibus ordinentur, ubi per effectum roborationis partium apertio obtineri poteſt; eadem cenſura etiam valet de aliis tonicis aperientibus & mitius adſtringentibus remediis, quæ non aliter apertionem præſtant, niſi in quo caſu aliquod adjumentum ſtricturæ requiritur: quod reliqua pharmacevtica decocta aperitiva et ſpiritus aperitivos variorum autorum concernit, tunc eadem cum maximo diſcrimine & moderamine commendanda & uſurpanda ſunt; conſultius vero eſt, ſi cum quavis lenitate apertio therapevtica promovetur; ubi prudens artifex eo etiam ſedulo attendat, quo vera illa impedimenta mature auferat, quæ apertionem difficilem

lem reddunt & occluſionem præſentem magis ſovent, uti talem methodum exquiſite medico-practicam & a nuda opinione & ſpeculatione alienam præmiſſæ obſervationes indicant.

§. XVIII. Antequam Apertio methodo therapevtica adminiſtretur, præſtat viam juſtam præparare, quo reliqua operatio rite ſuccedat & quidem ante omnia obſervanda eſt plethoræ præſentia, quæ, cum multum contribuat ad infarctus, ſtagnationes & juxta ſtylum conſuetum, ad obſtructiones, ita præſtat eandem antea deplere; porro etiam convenit craſſas ſordes & impuritates e primis viis ducere, quo abſterſiones, laxationes &c. conveniunt, ne ſub aperientium ordinatione una in maſſam ſanguineam tales impuritates transferantur.

CAPUT III.

DE

RESOLVENTIBUS.

§. I.

APerientibus indicationibus & medicationibus ſubſerviunt *Reſolventia* auxilia, quemadmodum interdum ipſa apertio per modum reſolutionis ſuccedit; propterea hoc ordine de Reſolutione therapevtica agendum erit, utpote quæ in genere reſpectum ſuum habet ad promotionem motus in fluidis per ſolida, ne præcipue illa huic neceſſario ſucceſſui reſiſtant, ſed quo attenuata & convenienter ſubtiliata, in legitimo ſuo progreſſu perſiſtant atque continuent; ſub quo effectu deinde contingit ut & partes & viæ ſemper aptæ, patulæ & permeabiles ſint, neque ulla ſtagnatio aut obſtructio oriatur.

§. II. Et hæc ipſa reſolutio adjuvat proinde neceſſarium ſucceſſum abſterſionum, ſecretionum & excretionum, cum viciſſim in materiis ſpiſſioribus, tenacioribus, immobilioribus, quæ reſolutione indigent, impuritates ſalinæ mucidæ & ſulphureæ firmius hæreant, proptereaque effectus abſterſionis et ſecretionis difficilius ſuccedit; quare hæc operatio therapeutica non modo in genere debitum progreſſum ſanguinis promovet, ſed & reliquas ſpecialiores functiones ad utilitatem abſolute pertinentes facilitat atque ſuffulcit.

§. III. Imprimis Reſolventia concernunt humores qui vel crasſi, ſpisſi & immobiles ſunt, vel in aliquo loco ita detinentur, ut liberum ſuum tranſitum non continuent, quare reſolventia ordinantur in congeſtionibus, ſtagnationibus, ſuggillationibus, tumoribus, quo qualiscunque coagulatio humorum iterum emendetur & ſpisſior conſiſtentia diſſolvatur, adeoque hæc incarceratio liberetur, licet interdum effectus reſolutionis alio quodam motu perficiatur, dum moderata adſtringentia reſtrictorio & repreſſorio effectu ejusmodi particulares coacervationes humorum auferre ſolent, qualis effectus deinde vulgo reſolutioni prægreſſæ adſcribitur.

§. IV. Eſt vero conditio humorum, qui reſolutione indigent, multiplex, cum quidam in ſimplici & communi ſpiſſitudine conſiſtant, quidam in coagulatione, adeoque majori crasſitiei gradu conſtituti ſint, quidam lenteſcente ſpisſitudine præditi deprehendantur, velut in ſcorbutica lue; deinde alia crasſities eſt in ſanguine, alia vero in lympha, alia denique in muco; ſicut nonnunquam bilioſa ſubſtantia & ſeroſa ſalina materia cum muciditate involvitur, ut exinde particularis quædam ſpisſitudo emergat, quæ deinde per incidentia & abſtergentia curanda eſt; de qua ultima functione therapevtica proximo capite agendum erit, ſecundum hanc diverſitatem etiam perluſtranda eſt diverſitas efficaciæ in reſolventibus inſtrumentis, aut diverſitas operationis, quoniam in reſolutione ſanguinis ſemper major circumſpectio & lenitas adhibenda eſt, quam in alterius reſolutionis adminiſtratione.

§. V. Communiter quidem Reſolutio therapevtica adminiſtratur per remedia ſubtilia, impellentia, calefacientia & ſanguinis motum augentia; ſed quæ ipſa non in omni caſu ſecure applicari poſſunt, quoniam temerarius talis impulſus in ſpisſiorem maſſam ſanguineam vix unquam bene cedit, aut cum ſalute ſuccedit; quin rectius reſolutio longe ſecuriori modo perfici poteſt, quando in corpore congruum ſpatium pro diſſolvendis crasſioribus humoribus ante omnia conciliatur, dum vel nimia ſanguinis quantitas imminuitur, vel viſcerum colatoriorum oppletio ab impuris materiis per repetitam abſterſionem & laxationem liberatur; deinde vero magnum commodum & ſane plus, quam e tota penu pharmaciæ pro reſolutione therapevtica accedit per uſum ſufficientis humectationis internæ & convenientis motus corporis.

§. VI. Exinde iterum demonſtro, quomodo medice & practice, ſed ſubinde etiam ſecure & fructuoſe, reſolutio perpetrari posſit; cum ſæpe in vulgari therapevtica reſolutionis explicatione magis verbales & ideales, quam reales modi reſolvendi explicentur; quemadmodum non niſi perſvaſio eſt, quod interne v. g. ſalia volatilia ita reſolvant, uti ab extra ſanguini evacuato affuſa reſolutionem conciliare dicuntur; cum interdum neceſſitas poſtulet, quo

terme

ſerme tantum pondus inſtrumenti reſolventis adhibeatur, quo pondere proſtat ſubjectum reſolvendum; e quo experimento vero non niſi temerarius ſalium volatilium uſus & periculoſa illorum applicatio provenit, ſiquidem in corpore reſolutio medica non tam cito, prompte & ſecure ſuccedit ac in animo reſolutio mentalis.

§. VII. Et quemadmodum humorum conſpicua differentia eſt & ſecundum hanc ſpiſſitudo illorum diſcrepat, ut alia ſit grumoſa, alia gelatinoſa ſive lenteſcens, ubi prior ad ſanguinem, poſterior ad lympham, cum ſero & muco connexam, ſpectat, ita etiam adminicula reſolventia in tantum differunt, ut alia magis ſanguinem, alia lympham, mucum et ſerum concernant, quæ notitia illum præcipue uſum habet, ut in qualibet ſpecie diſcreta morbi, congrua auxilia offerre & ſubordinare queamus, ſicut in hac obſervatione experientia, uſus & effectus horum remediorum diſcretus, fidum & verum teſtimonium perhibet.

§. VIII. Quod in genere humorum coagulationem attinet, tunc multi ex ſchola Sylviana illam ſibi concipiunt per modum aſſimilationis e lactis coagulatione deſumtæ, ſicut ad illam inducendam additamenta acidorum ſubjectorum contribuunt, ita multi autumant, quaſi coagulatio humorum in homine multam acidam ſanguinis inquinationem pro genuina ſua cauſa agnoſcat; ex eo vero inferunt, quod coagulatio illa non melius corrigi posſit, niſi quando peregrinæ illæ aciditates cum ſubjectis oppoſitis, alcalinis, fixis, tanto magis vero volatilibus captentur & auferantur, ita ſperant et promittunt fore, ut reliquus ſanguis denuo diffluat & in priſtinam ſuam mobilitatem refluat; quæ vero magis traditio, quam demonſtratio eſt, cum ſalia volatilia hunc ſuppoſitum effectum in corpore vivo non habeant, ſed prout antea indicatum fuit, ad inteſtinas commotiones & partium ſenſibiles ſtricturas contribuant; unde ſæpe ſuſpecti infarctus, ſtagnationes, incarcerationes, tumores contumaces, ſeceſſiones, aut hydropici & œdematoſi affectus oriuntur.

§. IX. Et cum communia reſolventia communiter ſubtiliora ſint & humoribus intimius commovendis quadrent, ita tanto magis cum communi tali reſolutione therapevtica prudentia & dexteritas adhibenda eſt, quoniam in affectibus acutis, tum febrilibus, tum aliis, nec non in morbis ſanguineis & ſubjectis ſenſibilibus hæc remedia ſecurum effectum reſolventem haud promittunt, quare in multis caſibus temperatisſima & leniſſima auxilia præferenda ſunt, ſiquidem etiam ſine ſubjectis pharmacevticis optime & ſub majori naturæ conſenſu reſolutio per convenientem uſum motus, potus & caloris adminiſtratur.

§. X. Neque tantum in intimioribus corporis regionibus reſolutio therapevtica locum invenit, ſed ſatis ſæpe etiam externe præſentibus variis ſtagnationibus, infarctibus, tumoribus &c. diſcusſio reſolutoria utilis & neceſſaria exiſtit; ita ut medicus notitiam de interne & externe reſolventibus adminiculis acquirere debeat, licet etiam externe quædam ſubjecta acrius & fortius operentur, adeoque in affectibus acutioribus & acerbioribus provide adhiberi debeant; ne calidiora reſolventia ſtagnationem & affluxum humorum exacerbent, adeoque ſiniſtrum & contrarium effectum exſerant: proinde circa externorum reſolventium uſum notandum eſt, quod ſatis ſæpe conjuncta lenientia reſolutionis effectum adjuvent.

§. XI. Sicuti reſolventia aliqualem harmoniam habent cum aperientibus, ita etiam ratione indicationum & contraindicationum conveniunt; propterea indicantur Reſolventia 1) in ſpisſitudine & tenacitate humorum 2) in oppletione & infarctu viſcerum 3) in affectibus febrilibus, ubi moderata diureſis neceſſaria eſt, maxime etiam in intermittentibus 4) in affectibus Cachecticis 5) in tumoribus hydropicis 6) in pulmonum, hepatis & glandularum vitiis 7) in impeditiori progreſſu ſanguinis e crasſitie hujus proveniente 8) in ſuppresſis Hæmorrhagiis utilibus & ſalutaribus 9) in quibusvis primarum viarum vitiis 10) in ſe- & excretionum ordinariarum turbis 11) in ſtaſibus diverſorum humorum internis & externis & ſupervenientibus inflammationibus atque congeſtionibus 12) in diverſis tumoribus ſuperficialibus.

§. XII. Contraindicantur reſolventia, poſitive ſic dicta & quidem communia 1) in nimia & turgida ſanguinis abundantia, ut & 2) in nimia humorum fluxilitate & colliquatione 3) in ſpaſmis exacerbatis 5) in febribus valde acutis, nec non 6) poſitive malignis 7) in contumaci partium ſtrictura 8) in affectibus admodum venenoſis 9) in diſpoſitione ad enormes ſanguinis profuſiones 10) in excedentibus diverſis aliis evacuationibus 11) in nimia ſanguinis ſpisſitudine & coagulatione, ubi communia & proprie ſic dicta reſolventia effectum ſperatum non obtinent, & denique 12) in ſenſibilibus Scirrhis ſanguineis, ubi remedia talia affectum magis exacerbant, quam adjuvant.

§. XIII. Nunc in ordine excipiunt illa inſtrumenta medica ſive remedia, quibus poſitiva virtus reſolvens adſcribitur; differunt vero hæc ut alia ſanguinem, alia lympham reſolvant i. e. ut alia grumoſæ, alia gelatinoſæ & lenteſcenti ſpiſſitudini ſatisfaciant; ubi adhuc quædam occurrunt, quæ mucidis ſeroſis & ulceroſis impuritatibus reſolvendis conveniunt. Pro ſanguine itaque reſolvendo inſerviunt Radices Apii, Ari, Angelicæ, Carlinæ, Caryophyllatæ, Helenii, Imperatoriæ, Leviſtici, Petaſitidis, Galangæ, Gentianæ rubræ, Vincetoxici, *Zedoariæ*: pro lympha & muco quadrant Radices Helenii, Ari, Acori, Ariſtolochiæ, Aſari, Aſ-

paragi

paragi, Calami aromatici, Cichorii, Coſti dulcis, Cyperi rotundi, Dictami albi, Valerianæ, Pimpinellæ albæ, Taraxaci, Rubiæ Tinctorum, Bruſci, Gentianæ utriusque, Ireos florentinæ, Bardanæ, Raphani, Petroſelini, Zingiberis.

§. XIV. Præterea ſanguinem reſolvunt Herbæ prædictarum Radicum nec non Abrotani, Abſinthii pontici, Beccabungæ, Betonicæ, Calaminthæ, Centaurii minoris, Ceterach, Cochleariæ, Fumariæ, Hepaticæ nobilis, Chærefolii, Geranii majoris, Bellidis hortenſis, Scordii, Cardui benedicti, Scabioſæ, Hyſſopi, Morſus diaboli, Marrubii albi, Majoranæ, Naſturtii, Origani, Pulegii, Saturejæ, Serpilli: mucum & lympham reſolvunt Herbæ antiſcorbuticæ, ut & Abrotani, Capilli veneris, Matricariæ, Tanaceti, Marrubii albi, Cuſcutæ, Scolopendrii, Chelidonii majoris, Rutæ, Salviæ, Menthæ, Meliſſæ, Calaminthæ, Rorismarini, Pulegii, Mari veri, Thymi, folia Lauri, &c.

§. XV. Porro ſanguinem reſolvunt Flores Calendulæ, Stœchados arabicæ, Sambuci, Ulmariæ, Galegæ, Centaurii minoris, Origani, Salviæ, Anthos, Chamomillæ, Cheiri, Semina fœniculi, Dauci, Sileris montani, Carthami, Cubebæ, Caryophilli, Sarcocolla, Myrrha, Crocus, Lapis bezoar; reliquos vero humores reſolvunt flores Matricariæ Tanaceti, Anthos, Lavendulæ, Thymi, baccæ Lauri, Juniperi, ſemina Aniſi, Fœniculi, Cumini, Apii, Petroſelini, Nigellæ, Cinnamomum, Piper, Coſtus verus, Galangæ, Squilla, Gummi Galbanum, Sagapenum, Bdellium, Ammoniacum, Opoponax, Olibanum, Succinum, Sandaraca, Maſtix.

§. XVI. Ex animalibus & Mineralibus in genere reſolvunt Viperæ, Serpentes, Bufones, Cantharides, quæ poſteriora animalia vero cum maxima circumſpectione adhibenda ſunt: perinde reſolvit Antimonium diaphorericum, Bezoardicum ſimplex minerale: Sulphur pro uſu interno, Mumia & illius Eſſentia, Tinctura antimonii tartariſata, Spiritus tartari & Camphora in valde extenuata quantitate exhibita, Liquor Cornu Cervi ſuccinatus; quod vero olea deſtillata attinet, tunc eadem interne raro pro hoc ſcopo conveniunt, quia valde concentrata ſunt, niſi ſubjecta fuerint minus ſenſibilia & valde humida; neque ſalia vegetabilia multum reſolvunt, niſi Sal ononidis & Geniſtæ in ſerum mucilaginoſum colliquantem talem effectum exerceat: ita etiam cum ſalibus volatilibus magna circumſpectio habenda eſt, quæ non niſi in ſubjectis pituitoſis & temperatis ſcopo reſolvente concedi poſſunt & quæ optime cum Tinctura tartariſata combinantur, ſive fuerit Spiritus Cornu Cervi aut fuliginis aut Salis ammoniaci: Sulphur denique interne ſive in ſubſtantia, ſive in Tinctura, ſive in oleo parciſſima quantitate exhibendum eſt & quidem extra affectus acutos, ſanguineos & valde ſenſibiles.

§. XVII. Dantur etiam remedia, quæ materiam mucidam ulceroſam, ſcabioſam & veneream præ reliquis magis reſolvunt & talia ſunt Rad. Pimpinellæ albæ, Vincetoxici, Valerianæ, Helenii, Chinæ, Sarſaparillæ, Mei, Gentianæ albæ, Scabioſæ, Succiſæ, Saponariæ, Herbæ Fumariæ, Saponariæ, Lignum Guajaci, Saſſafras, Juniperinum, Gummi Hederæ, Juniperinum, Succinum, Myrrha, Sulphur & Mercurius, quæ priora vel in temperatis Eſſentiis, vel in decoctis conducunt, ſicut Sulphur, interne parcius adhibitum, hunc effectum præſtat; Mercurius tam dulcificatus interne adhibitus, quam ab extra in unguentis moderate applicatus, tenacitatem lymphæ & muci colliquat, reſolvit & ad faciliorem excretionem præparat.

§. XVIII. Neque tantum hactenus recenſita reſolventia remedia internis uſibus ſatisfaciunt, ſed & multa ex iisdem ad externas applicationes quadrant, quando ſtagnationes, ſtaſes, oppletiones, congeſtiones, inflammationes, infarctus, tumores &c. reſolutione indigent; unde ab extra reſolvunt radices Angelicæ, Caryophyllata, Vincetoxici, Leviſtici, Ireos florentinæ, Sigilli ſalomonis, Bryoniæ, Herbæ Chærefolii, Hyſſopi, Scordii, Matricariæ, Majoranæ, Lavendulæ, Meliſſæ, Rorismarini, Pulegii, Menthæ, Salviæ, Serpilli, flores harum herbarum, nec non Chamomillæ, Sambuci, Spicæ, Cheiri, Schoenanthos, Cyani, Calcatrippæ, Euphraſiæ, Aquilegiæ, Semina Aniſi, fœniculi, Carvi, Cumini, Apii, Amios, Nigellæ, baccæ Lauri & Juniperi, Gummi Ammoniacum, Galbanum, Bdellium, Tacamahaca, Succinum, Maſtix, Myrrha, Olibanum, Thus, Animæ, Elemi, Carannæ; imprimis vero eximiam reſolventem qualitatem internam ſub congruo uſu habent Camphora, Myrrha & Crocus; proinde ſaponata remedia & Mercurius ab extra reſolutionem facilitant; huc ſpectant Emplaſtrum Saponatum, Diaphoreticum Mynſichti, de Spermate Ceti, de Galbano Crocatum & varia alia: ſeorſim quidam Lignum Fraxini circa ſolſtitium collectum ad tumores reſolvendos laudant, uti alii de ſanguine leporis, menſe Martio collecto, reſolventem qualitatem promittunt, quæ tamen promiſſio magis ſterili phantaſia nititur; optime etiam ab extra Vinum & urina calida reſolvunt: ex prædictis ſpeciebus parari poſſunt variæ formulæ, quibus commode emollientes ſpecies commiſcentur, quando affectus cum contumaci duritie ſtipatus eſt; ſicut etiam in tali paſſu lactis uſus cum reſolventibus mixtus convenit.

§. XIX. Præter hæc auxilia & ab intra & ab extra reſolutionem facilitant motus conveniens corporis, ſufficiens humectatio humorum & viarum, ut & temperatus calor; ſicut viciſſim frigus magis incraſſationes & incarcerationes auget & ſuſtentat; inſuper etiam vinum eſt internum efficax reſolvens ſubjectum, qualem reſolutionem etiam externe perficit, ubi pars affecta adhuc tractabilis eſt: non parum eandem reſolutionem promovet frictio affectæ partis, ſub qua ſub-

tili

tili ratione fibrillarum tonus augetur, ut præſens congeſtio, aut oppletio reprimatur & diſſolvatur : quod vero de ſanguinis hirci reſolvente efficacia deprædicatur & promittitur, illud neque integræ rationi, neque fidæ experientiæ in tantum congruit, in quantum laudes communes mira de eodem promittunt: ſicut alias Theoria de ſanguine intrinſecus coagulato, iterumque reſolvendo, valde æquivoca, aut rectius ſpeculativa, quam practica & realis eſt.

§. XX. Quo denique hæc reſolutio ſecure & efficaciter ſuccedat, præſtat etiam bene obſervare an ſanguinis plenitudo huic operationi remoram injicere poſſit, unde tempeſtiva imminutio illius abundantiæ ſuſcipi debet, quo in corpore congruum & neceſſarium ſpatium pro futura reſolutione ſubminiſtretur, deinde etiam præſtat primas vias liberare & repurgare ab omnibus ſpiſſis ſordibus, ne hæ vel ſucceſſive ſanguini communicentur, vel impediant, quo minus condigne adminicula reſolventia in ſanguinem transferri queant ; denique etiam præſtat peripheriam corporis in ſufficienti apertura conſervare, quo ſanguis ingrediens in eadem ſuam tenuitatem & fluiditatem impetrare poſſit; quapropter etiam pro reſolutione adjuvanda in diverſis ſubjectis temperatus uſus acidularum & thermarum concedi poteſt.

CAPUT IV.

DE

INCIDENTIBUS.

§. I.

AD illa auxilia, quæ proportioni humorum ad motus acquirendæ inſerviunt & præcipue ad mobilitatem & fluiditatem diverſis humoribus conciliandam quadrant, merito in Foro Therapevtico *Incidentia* remedia referuntur, quæ in praxi medica ſæpius allegantur & magnarum virium eſſe deprædicantur atque laudantur ; unde ad varios affectus ordinantur : dicuntur vero ex metaphora & allegoria incidentia, quaſi cum acuminibus & acutis ſpiculis & cuſpidibus diſcindant materias magis refractarias & ſubtiliori reſolutioni atque attenuationi non facile obtemperantes ; unde per inciſionem denotatur operatio efficacior magisque penetrans, indirecte vero ſignificatur humor, qui aperientibus & reſolventibus materiis non facile morem gerit.

§. II. Et cum humorum morbida conſiſtentia in corpore humano diverſa reperiatur, ita remedia incidentia ſpecialem talem ſingularis humoris morbi-

 dam

dam conſiſtentiam invadunt & quidem talem, quæ in lentam, viſcidam, tenacem, mucidam craſſitiem tranſiit; qualis lenteſcens ſpiſſitudo in Muco & Lympha obſervatur, utplurimum quidem in humoribus de gelatinoſa indole participantibus: inde facile liquet, quomodo incidentia remedia in lymphæ & muci vitiis, adeoque in variis ſeroſis, Chronicis, Cachecticis morbis conveniant & proinde illis partibus emolumentum afferant, in quibus alias hi humores tranſitum ſuum ſervare ſolent & per connexionem illis officiis vitalibus reſpondent, quæ circa mucum & lympham mobilem & tractabilem in reliqua œconomia vitali occupantur.

§. III. Proinde ex hac œconomia vitæ humanæ patet, quomodo præcipue in abdomine hi humores tranſitum & circuitum ſuum habere ſoleant; unde remedia incidentia utplurimum in abdominis affectibus ordinari poſſunt, in qua regione offendunt illos humores, in quos præcipue operantur: deinde etiam obtingit, ut aliæ regiones per congeſtorias commotiones cum humoribus mucilaginoſis oppleantur, qui in iisdem ſucceſſive lenteſcunt, adeoque inciſione & colliquatione tali indigent; hinc in pectoris diverſis afflictionibus, maxime vero catarrhalibus, aſthmaticis mucidis, humidis eadem incidentia ſubjecta locum & uſum inveniunt; ſed cum propius ad abdominis vias & regiones pertingant, ita primaria illorum utilitas ſeſe ad primarum regionum multiplices morbidas calamitates extendit

§. IV. Quod effectum Inciſionis attinet, tunc e theoria phyſica & chymica obſervarunt medici, quod ſalia præcipue cum talibus aculeis atque ſpiculis prædita ſint, quibuscum in ſubjecta corpora craſſiora operantur; unde etiam communiter remedia ſalina incidentia dicuntur, quæ hac ratione mucum tenacem diſſolvunt & colliquant; habent etiam hæc ſalia incidentia peculiarem activitatem, cum alias ſalia potenter corroſiva & cauſtica mineralia mucum cohærentem non attingant, quin potius magis inſpiſſent & tenacem reddant; unde illa ſalia quæ inciſionem pharmacevticam perficere debent, haud e numero acidorum & corroſivorum, ſed potius mediæ indolis ſunt, qua gelatinoſis & mucilaginoſis ſubſtantiis quadrant & cum illis congrediuntur: proinde etiam remedia ſubtiliora ſulphurea, non vero reſinoſa per modum inciſionis in lentos & tenaces humores operantur adeoque hac ratione hanc remediorum claſſem ingrediuntur; ſicut denique nonnunquam ſubtilia ſulphurea ſubjecta cum certis ſalibus mixta eandem inciſionem perficiunt, teſtimonio Nitri ſulphurati antimoniati, lapidis prunellæ &c.

§. V. Præſtat præterea cum ejusmodi ſubjectis in medicina practica illam neceſſariam circumſpectionem obſervare, ne plus quam par eſt operentur, adeoque vias nimium afficiant & colliquante ſuo effectu lædant; ſiquidem hæc

ſub-

ſubjecta ſalina etiam partes ſenſibiles aut arroſas ſtimulant, adeoque ad ſiniſtras commotiones & perverſos eventus contribuunt, ſicut etiam obſervatio practica teſtatur, quomodo liberalis uſus, aut largus abuſus eum talibus ſalibus commiſſus, denique in inteſtinis mucilaginoſam villoſo-glanduloſam tunicam efficacius abſtergat & abradat, adeoque internis ſuſpectis excoriationibus anſam præbeat: exinde ſequitur, quod variæ circumſtantiæ occurrant, quæ horum remediorum uſum diſſuadent.

§. VI. Habent itaque Incidentia auxilia in medicina practica diverſum uſum, imprimis indicantur 1) in Cacochymia in genere 2) in Cachexia 3) in affectibus hydropicis 4) in febribus intermittentibus 5) in vitiis primarum regionum 6) in catarrhis mucidis & tenacibus 7) in Aſthmate humido 8) in morbis glandularum & meſenterii 9) in Ictero, 10) in diverſis Scirrhis inrernarum partium. 11) in adultiorum morbis atrophicis & 12) in ordinariarum Se-& Excretionum defectu & impedito ſucceſſu.

§. VII. Habent etiam Incidentia remedia ſuas peculiares contraindicationes, quæ cum reſolventium contraindicantibus circumſtantiis conveniunt, imprimis vero omittenda ſunt hæc incidentia, ubi jam humores in ſufficienti fluiditate conſtituti ſunt: deinde ubi ordinariæ Se-& Excretiones continuant, ſed vitia motuum adſunt, porro, ubi partes, ad quas remedia talia perveniunt vel læſæ, arroſæ & ulceratæ, vel alias valde ſenſibiles exiſtunt, ut propterea a talibus remediis magis irritentur; nec non eadem incidentia omitti debent in ſubjectis calidi & activi temperamenti, aut ubi diæta eſt valde ſpirituoſa atque tenuis, utpote quæ circumſtantiæ non quidem illam cauſam continent, quæ cum indicantibus remediis in genuina relatione ſtant.

§. VIII. Quod jam concernit remedia quibuscum inciſionis effectus perficiendus eſt, tunc alia ſunt proprie ſic dicta ſalina, e quibus ipſum ſal commune in moderata quantitate efficaciter impuritates mucidas colliquat, neque quidem famoſum & in triviali praxi allegari ſolitum Sal digeſtivum Sylvii alterius indolis eſt, cum ex acido Salis communis & terra alcalina conſtet, adeoque haud meliorem utilitatem afferat; huc pertinent Salia media ex acido vitriolico & terra alcalina parata, ut Arcanum duplicatum, Tartarus vitriolatus, nec non acidum Nitri cum ſulplure vel communi, vel antimonii impraegnatum, quod deinde vel lapidem Prunellæ vel Nitrum antimoniatum conſtituit: accedunt remedia tartariſata, velut Cryſtalli & Cremor tartari, Arcanum tartari: hiſce annumerari poſſunt Salia vegetabilia, Abſinthii, Cardui benedicti, Centaurii minoris, & quæ peculiarem laudem merentur ſalia, quæ æque mediæ indolis ſunt, ſed ſolubiliora & fluidiora, adeoque nobiliora & in corpore efficaciora, ut Sal Epſomenſe & Sal e fontibus Egranis collectum: huc refero Tincturas alca-

alcalinas tartariſatas, quæ muciditates cum ſero mixtas colliquant; denique autores adhuc Sal ammoniacum commendant, quod quidem etiam potenter colliquat, ſed ob adverſum ſaporem & mixtum effectum non niſi in robuſtis ſubjectis, uſibus & promiſſionibus ſatisfacit.

§. IX. Præter hæc ſalina ſubjecta dantur adhuc alia incidentia, quæ tam in primis regionibus, quam in pectore hunc effectum adminiſtrant. Sunt vero talia Radices Ari, Squillæ, Helenii, Raphani, Calami aromatici, Armoraciæ, Zingiberis, Herbæ Abſinthii, Centaurii minoris, Rorismarini, Thymi, Saturejæ, Majoranæ, Baccæ Lauri, Piper, aromata, Synapi, quæ ſingula tam ſubtili ſua ſulphurea, quam ſalina ſubſtantia ſpiſſiores humores incidunt & attenuant; eo magis vero, quando in ſimplici formula exhibentur, neque valde alterantur, aut cum aliis additamentis debilitantur; unde variæ ſpecies horum remediorum optime in ſubſtantia conducunt, modo etiam cum aliquo moderamine exhibeantur: quando vero talia incidentia aliquandiu oblata fuere, tunc neceſſe eſt, quo moderata evacuatio congrua ſubſtituatur.

CAPUT V.

De

ABSTERGENTIBUS ET ABSORBENTIBUS.

§. I.

Multitudo humorum, ſpecie differentium, ut & dyſcraſiarum, quæ præcipue ad morbidos affectus contribuunt, neque tantum theoreticæ & imaginariæ ſunt, involvit ſubinde majorem copiam auxiliorum diverſorum; quare hoc ordine alia remediorum genera proponuntur, quæ ex parte cum præcedentibus, ex parte inter ſe ipſa conveniunt, ſed quæ ſubinde in ſchola medica ſatis frequenter allegantur & commendantur, ita ut eorundem juſta relatio ad diverſos humores, juſtus ſelectus, ſecura efficacia & congruus uſus in Therapia medica commendari debeat; tanto magis cum alias ſimplicia quædam horum auxiliorum minus apte applicata, ſatis ſuſpectam noxam parere obſerventur.

§. II. Quod *Abſtergentia* remedia attinet, tunc illa proprie vel ſubtilibus materiis ſalinis acribus & vias ſtimulantibus deſtinata ſunt, quæ teneriter partibus

tibus talibus adhærent adeoque congrua aliqua remotione, abraſione, eluitione ſive abſterſione indigent, vel deprehenduntur etiam talia abſtergentia dicata eſſe impuritatibus ſalinis copioſis in involucro mucilaginoſo conſiſtentibus & in tali ſaburra partibus tunicaceis membranaceis aut glanduloſis firmius inhærentibus, ut denuo ab iisdem abradi aut abſtergi debeant, adeoque nexus priſtinus aſterſorio tali effectu diſſolvendus ſit, ſi neceſſaria & ſalutaris excretio harum impuritatum conſequi debet.

§. III. Neque tantum ejusmodi abſtergentia remedia internam utilitatem afferunt, ſed & ſatis num erice ad externos uſus quadrant, imprimis ubi apertæ & manifeſtæ quædam læſiones vel abſceſſuum vel ulcerationum diverſæ ſpeciei adſunt, in quibus affluentes & contentæ impuritates ſalinæ repurgandæ, removendæ & abſtergendæ ſunt, ſi præſentis læſionis reſtitutio, aut ſperari aut urgeri debet; quidquod extendit ſeſe applicatio abſtergentium adminiculorum usque in renes & pulmones, quando hæ partes aliquo Ulcere laborant, quod, ne citius in deteriorem ſtatum ruat, tali modica & reali abſterſione mitigari poteſt, licet alias abſtergentia remedia in illis caſibus majorem & citiorem ſuam utilitatem & promittant & exhibeant, ubi immediate ſuum objectum, quod abſtergere debent, offendunt.

§. IV. *Abſorbentia* remedia ſtant in aliqua relatione cum materiis acidis, quæ vulgo cum abſorbentibus congrediuntur & ex hoc connubio ſuam corroſivam qualitatem amittunt; unde remedia illa abſorbentia vocantur, quaſi vel bilioſæ vel alterius cauſticæ acidæ ſubſtantiæ qualitatem corroſivam reſorbeant; adeoque hæc medicamenta opponuntur illis caſibus, ubi tale ſal acidum ſive in humoribus, ſive in viis, ſive in bile, ſive in ſero contentum, effectus pernicioſos exſerit, quæ abſorbentia propterea illis in majori & uſu & æſtimatione ſunt, qui tot aciditates ſtimulantes ſupponunt: interim & hoc loco notari debet, quomodo ita dicta abſorbentia ſubjecta majorem utilitatem eo conferant, ubi immediate has ſalinas impuritates attingunt & præſtat propterea in hac circumſtantia certitudinem aliqualem habere, quod ejusmodi heterogeneitates non imaginariæ, ſed actu adſint, alias cum illis ſalibus Medici Andabatarum more pugnant.

§. V. Et quanquam hæc remedia, quæ abſorbentem vim habent, in medicina practica ſingularis utilitatis ſint, tamen cum illis nihilominus circumſpectio & dexteritas conferenda eſt, quoniam quædam e numero illorum occurrunt, quæ præter abſorbentem qualitatem, adhuc incraſſant, aut penitus adſtringunt; deinde illa cautela obſervanda eſt, ne talia remedia magnis & ſimultaneis quantitatibus ingerantur, quoniam loco genuini ſui effectus aliarum ominoſarum impaſtationum & occluſionum cauſam conſtituunt; quidquod ſi denique in hu-

 mores

mores pertingere debent, longe utilius eſt, quo teneriora illorum ſeligantur, quo ſucceſſive modica quantitate exhibeantur, quo antea in primis regionibus præjudicioſæ ſalino-bilioſæ impuritates removeantur, quo abſorbentia cum ſufficienti diluentium uſu conjungantur, ut ita commode in humores penetrare valeant.

§. VI. Circumſtantiæ, quæ præſentium remediorum uſum in medicina indicant & contraindicant, conveniunt cum præcedentibus tractationibus; ſeorſim vero indicantur in affectibus bilioſis diverſæ ſpeciei & varii gradus, in Ictero, in Intermittentibus febribus cum febre bilioſa colludentibus, in internis ulceribus; in Hectica, in Calculo, in dyſcraſia ſangvinis ſeroſa & bilioſa, in Rhevmatiſmis acrioribus, in Catarrhis rhevmaticis, in Phthiſi, in quibus ſingulis affectibus præcipuum ſuum uſum exhibent, modo etiam cum aliquo moderamine adhibeantur: & ita etiam illorum uſus interdicendus eſt in nimia ſangvinis ſpiſſitudine, in viſcidis Catarrhis, in tenaci oppletione & infarctu primarum regionum, præſente alvi rigida occluſione in obfirmata glandularum meſeraicarum obſtructione, in quibus & ſimilibus aliis affectibus hæc remedia loco ſalutaris effectus magis impaſtantem & incraſſantem noxam exſerunt.

§. VII. Remedia Abſtergentia, pro interno uſu apta & efficacia, varia occurrunt & ſunt vel in præcedenti capite commemorata Salia digeſtiva, vel præter illa ſimul abſtergunt Mel, Saccharum, Tamarindi, Manna, Paſſulæ, Pruna, Jujubæ, Gummata Ammoniacum, Sagapenum, Galbanum, Succinum, Myrrha Arabicum & Tragacantha; præterea interne abſtergunt Herbæ Veronicæ, Fœniculi, Hederæ terreſtris, quæ in variis formulis decoctis, Infuſis, Electuariis hanc utilitatem afferunt; externe vero abſtergentem qualitatem habent Mel, Therebintina, Vitellus ovi, Oleum ovorum, Aloes, Thus, Succinum, Myrrha, Gummi Elemi, Sarcocolla, Opopanax, Herbæ Agrimoniæ, Alchimillæ, Saniculæ, Pyrolæ, Prunellæ, Hyſſopi, Tabaci, Hederæ terreſtris, Abſinthii, rad. Ariſtolochiæ rotundæ; ita etiam urina & ſaliva hominis jejuni ab extra abſtergunt, quemadmodum in clyſteribus urina, ſerum lactis, Vitellus ovi, Mel, Therebinthina, Sal gemmæ & commune abſterſoriam ſuam efficaciam offerunt.

§. VIII. Quod vero Abſorbentia attinet, tunc illorum etiam varia genera variæque ſpecies occurrunt; ad minus ſecura & adſtringente magis effectu prædita abſorbentia pertinent terræ foſſiles, terræ bolares, terræ quædam animales, ut dens Hippopotami, lapis Manati, Unicornu marinum & foſſile, neque famoſæ illæ terræ ſigillatæ exoticæ lutoſæ, medullares, ochræ, lac Lunæ & ſimiles ſecuræ efficaciæ ſunt: hinc potius terræ ſimplices ſeligi merentur, ut ſunt: teſtæ ovorum, Mater Perlarum, Oculi cancrorum, Chelæ cancrorum, Conchæ præparatæ, Conchylia diverſa & ita dicta Oſtracodermata, haud vero ejusmodi terreæ ſubſtantiæ, uſtæ laudantur, quoniam per uſtionem in calcaream adſtringentem indolem re-

digun-

diguntur: his utilibus terreis ſubjectis meretur accenſeri Cryſtallus montana præparata; imprimis vero eximiam utilitatem abſorbentem & abſtergentem habent terreæ tales materiæ cum acidis, ſive vegetabilibus, ſive mineralibus, maritatæ: minime vero pro acido ex humoribus abſorbendo ſalia ſive fixa ſive volatilia commendo, quæ potius variis accidentalibus ſiniſtris effectibus anſam præbent.

§. IX. Quo itaque abſtergentia & Abſorbentia remedia utilius applicentur, præſtat antea corpus præparare & a generalioribus incommodis atque impuritatibus repurgare; deinde confert hæc remedia non ſimultaneis, ſed repetitis & ſucceſſivis vicibus exhibere & ſub uſu illorum ſufficientem internam humectationem conjungere, inſuper vero expedit interea aliquando evacuationes ſubordinare & moderate promovere, quo abſterſæ & præparatæ ſordes ſucceſſive evacuentur & ita tali ordine hæc operatio juxta ſenſum & conſenſum naturæ perficiatur.

CAPUT VI.

DE

ANTISCORBUTICIS.

§. I.

AD illa remedia, quæ craſi & conſiſtentiæ ſanguinis alterandæ quadrant, pertinent *Antiſcorbutica*, quæ non niſi illo tempore innotuerunt, quo hoc malum magis hiſtorice obſervatum fuit & ſicut illud ſpecificæ indolis eſt, ita remedia, quæ huic malo mederi debent, ſpecificam qualitatem habent, qua affectui huic conveniunt, ac alia humores alterantia ſubjecta id non præſtant, licet & craſin mundificent & conſiſtentiam reſolvant, ſed quia materiarum in amplo naturæ regno diverſa eſt relatio, ita non quodlibet ſubjectum & remedium cuilibet affectui & læſioni quadrat: exinde fluit, quod antiſcorbuticorum uſus ſupponat certitudinem præſentis Scorbuti & ſpecialem efficaciam in remedio ſcorbuticis læſionibus oppoſitam.

§. II. Quam eximium vero uſum Antiſcorbutica promittunt & exſerunt, tam ſingulare viciſſim damnum cauſantur, quando juxta communem pathologiam falſam in ejusmodi affectibus adhibentur, ubi nullus Scorbuti fomes adeſt; quapropter abuſus antiſcorbuticorum remediorum in Therapia vulgari ſatis frequens merito reprehendendus eſt, quoniam remedia antiſcorbutica, ut acria

admodumque efficacia variis morborum corruptionibus & exacerbationibus excitandis inſerviunt, ſi genuinam ſuam cauſam non offendunt; eapropter ſedulo abſtinendum eſt, ne tam facile Scorbutus in diverſis morbis, qui radicaliter & formaliter ab hoc ſpecifico malo liberi ſunt, præſumatur & præſupponatur.

§. III. Eſt itaque Scorbutus malum multiplicatum, quod primario conſiſtit in inquinatione maſſæ ſanguineæ cum ſero ſalſo acri, male tamen reliquæ maſſæ intermixto, nec non confuſe internatante; concurrit proinde ſpiſſitudo & ſanguinis & lymphæ & muci & ſeri leteſcens; accidit etiam plenitudo totius maſſæ ſanguineæ, ita ut in hoc malo omnes hæ afflictiones emendari debeant; quapropter vera antiſcorbutica remedia ſunt reſolventia, incidentia, abſtergentia, colliquantia, attenuantia, ſed non generalia, verum rectius ſpecifica, quæ huic afflictioni competunt; & ſicuti Scorbutus eſt morbus contumax atque chronicus, ita remedia antiſcorbutica ſunt majoris efficaciæ, quæ intimius afficiunt, adeoque aliis affectibus mobilibus & ſenſibilibus, aut præcipitis decurſus, haud ſpecialiſſima energia conveniunt, propterea pro Scorbuto ſpecialia & experta & probata proſtant adminicula.

§. IV. Et quanquam vulgo Antiſcorbuticorum numero remedia quædam generaliora adjungantur, tamen eadem haud prærogativam in uſu medico merentur, quoniam tantum eminus affectum præparant, adeoque radicem mali non attingunt, quæ propterea copioſius oblata magis ad corruptionem Scorbuti ſpectant, id quod valet de acidis quibusdam ſpeciebus: præterea Antiſcorbutica remedia magis alterantem, quam evacuantem qualitatem habent, unde in applicatione practica methodice cum evacuantibus generalioribus (quia ſpecialia deficiunt) provide conjungenda ſunt, tota vero hæc methodus longe conſultius & efficacius cum moderamine, quam ſimultaneo impetu & conamine exercenda eſt, tanto magis, quia antiſcorbutica remedia immoderatius oblata magnam commotionem in humorum maſſam transferunt.

§. V. Exinde facile eluceſcit, quod Antiſcorbutica remedia directe huic ſpecifico malo opponi debeant, ſive fuerit in initio, ſive in incremento, ſive in complemento, ſive etiam in decremento. Et ſicut dirus Scorbutus variis effectibus & phænomenis ſeſe prodit, ita remedia illa commode applicari poſſunt, quando pathemata ſcorbutica vel interna vel externa obvia fiunt; quemadmodum eadem remedia etiam topico uſu ad ulcera ſcorbutica proficiunt; ſed cum antiſcorbutica remedia acriora ſint, ita in talibus affectibus, ubi humores & viæ facile irritari poſſunt, adhiberi non debent, quoniam ad inſignes orgaſticas commotiones contribuunt; unde in paroxyſmis febrium quarumvis, ut & in ſimplicioribus affectibus ſanguineis haud conveniunt, ſicut etiam in ipſo Scorbuto cum mo-

dera-

deramine tamen ordinari debent, ne loco congruæ reſolutionis, ſuſpectas intur-geſcentias ſanguinis cauſentur.

§. VI. Horum remediorum, quæ Scorbuto mederi debent, variæ efficaces ſpecies in experientia medica probatæ occurrunt, e quibus ſingulis principem locum tenet Herba Cochleariæ & Naſturtii; quæ longe meliori utilitate in in ſubſtantia aut ſucco, quam in Eſſentiis, Extractis, Decoctis, Aquis &c. conducunt: interim in defectu recentiorum harum herbarum moderata Extracti quantitas ſatisfacit: præterea antiſcorbuticum effectum habet Sedum murarium, Beccabunga, Fumaria, Perſicaria, Trifolium Fibrinum, Thlaſpium, Piperitis, Abſinthium, Carduus benedictus, Centaurium minus, Cuscuta, Epithymum, Scolopendrium, Scordium, quo aliqui Acetoſam & Acetoſellam referunt; quæ ſingulæ herbæ eximiam alterationem humoribus depravatis inducunt & quæ magis ſucceſſive, quam ſimultanee & prodige oblatæ juvant, modo etiam ſub illarum uſu humores ſufficienter diluantur; Salia vero, quæ e talibus herbis interdum præparantur, haud eximiæ utilitatis ſunt.

§. VII. Præter hæc principaliora Antiſcorbutica occurrunt adhuc alia remedia, quæ in Scorbuto utilia ſunt & quidem Radices Ari, Helenii, Gentianæ rubræ, Chelidonii majoris, Oxylapathi, Polypodii, Squillæ: huc etiam pertinent Cepæ, Porrum, Allium, Zingiber, Raphanus, Armoracia, Synapi; quæ ſingulæ ſpecies utplurimum diætetice uſurpatæ & moderata quantitate indies adhibitæ reſolvunt, abſtergunt, colliquant et ſubinde diureticam excretionem adjuvant, ſicut etiam nonnullæ illarum in ſubſtantia ſimpliciter ingeſtæ pro eodem ſcopo ſatisfaciunt.

§. VIII. Et horum remediorum ſalutarem effectum eximie promovet labor & motus corporis ſufficiens & qualitate conveniens; deinde vero cura adhibenda eſt, quo hiſce alterantibus & antiſcorbuticis remediis ſubjungantur evacuantia diverſæ ſpeciei, quo impuritates cujuscunque indolis ex ordinariis ſuis excerniculis conſtanter eliminentur, ob id conveniunt interpoſitæ moderatæ laxationes, cavendo ne poſitivæ purgationes ſtimulantes ordinentur; ut & proſunt modeſtæ diureſes & placidæ diaphoreſes, conjungendo diætam diluentem, evpeptam & mollem; ita eveniet, ut antiſcorbutica remedia indies magis operentur; præſentem ſpiſſitudinem lenteſcentem magis diſſolvant, acrimoniam ſpecificam corrigant & impuritates ſalinas ad promptiorem evacuationem præparent.

CAPUT VII.

De

EDULCORANTIBUS.

§. I.

QUanquam hæc operatio, quæ in communi medicina practica magni quidem nominis & ominis exiſtit, in præcedentium alterationum explicationibus, ut & paſſim ſupra in Evacuationum commendatione explicata ſit, tamen peculiarem mentionem illius hoc ordinne facere lubet, imprimis cum in triviali praxi plenis buccis ad ſanguinis edulcorationem multi Medici provocent adeoque in hac operatione quaſi principaliſſimum adjumentum pro vita & ſanitate conſervanda ponant & quærant, quoniam a dyſcraſia humorum ferme omnem apparatum & numerum morborum deducere ſolent; unde etiam multi ad ſanguinis edulcorationem & ſic dictam mundificationem auff Blutreinigende Mittel tanquam ad ſacram confugiunt anchoram.

§. II. Imo quanquam in diverſis caſibus & neceſſarium & utile ſit, quo ſangvis impurus & quoad craſin ſuam vitioſus repurgetur, tamen hæc mundificatio non juxta communem methodum ſuccedit, qua eo edulcorantia auxilia ordinari ſveverunt; maxime vero cavendum eſt, ne in eundem communem abuſum cum edulcoratoria operatione therapevtica incidamus, ubi in plurimis morbis juxta commune fatum pathologiæ medicæ magis qualitatis, quam quantitatis & motuum vitia agnoſcuntur & accuſantur; unde mirum non eſt, ſi hæc incongrua edulcoratio therapevtica non modo plurimos morbos e ſuis fundamentis haud tollit, adeoque ad ſummum, ſuperficiarie tantum affectus curat, ſed & cur ad diverſas confuſiones & corruptiones morborum contribuat.

§. III. Hæc functio therapevtica, quæ circa ſanguinis Edulcorationem verſatur, maxime innotuit & inclaruit e famoſa Pathologia ſalſa, ut & Pathologia fermentationum & effervеſcentiarum diverſarum, aut ex Pathologia ſic dictorum humoriſtarum, qua tot acredines, ſalſedines, aciditates, acrimoniæ, auſteritates, lixivioſæ & muriaticæ inquinationes ſanguinis declamantur; unde per contrariam medicationem quidam officio ſuo ſatisfeciſſe opinantur, quando ſanguinem ita ſapidum et ſalſum, vel inſipidum reddunt, vel edulcorant, adeoque talis edulcoratio proprie opponitur perverſæ craſi & ſalſæ inquinationi humorum.

§. IV.

§. IV. Eſt itaque juxta communem ſtylum atque opinionem edulcoratio ſatis vana operatio, cum non ſufficiat tantum ſaporem humorum mediantibus dulcibus ſubjectis immutaſſe, adeoque reliquas impuritates ſalinas per dulcia & mucilaginoſa involviſſe, ubi in vna eademque maſſa tamen materiæ acres et dulces hærent, poſteriores ſucceſſive etiam aceſcunt & magis ſanguinem principiis ſalinis abundantem inquinant & depravant priſtinamque dyſcraſiam augent; hinc talis edulcoratio neque rationalis, neque medica eſt, ſed potius plebeja & imaginaria: & quamvis in communi praxi ad diverſam acrimoniam ſanguinis tam ſimplicem, quam ſcorbuticam cura per lac commendetur, tamen etiam attenta experientia atteſtatur, quanti valoris & quantæ utilitatis illa in ſubſtratis caſibus exiſtat.

§. V. Interim omnino medicum opus eſt, quo qualiscunque ſanguinis dyſcraſia repurgetur; optima vero & rationi & experientiæ conſona illa eſt edulcoratoria ſanguinis mundificatio, quando heterogeneæ materiæ, cujuscunque ſaporis, ſufficienter abſterguntur, reſolvuntur & præparantur; deinde vero ſine mora evacuantur, ita ſubjectum, quod antea dulce fuit, ſi a ſalibus liberatur, denuo edulcoratur ſine ullo remedio dulci, ſiquidem ſatis ſæpe etiam ſalina, ſulphurea, acria, reſinoſa, reſolventia, incidentia, abſtergentia, involventia, diaphoretica, laxantia, diuretica, edulcoratorium effectum poſt ſe trahunt, quæ methodus exquiſite medica eſt, cum œconomiæ vitali & conſvetis motibus atque effectibus vitalibus magis reſpondeat.

§. VI. Quod uſum edulcorantium attinet, tunc ipſe indicatur 1) innoxia humorum acrimonia, præcipue 2) in Scorbuto 3) ut & in Venerea lue 4) nec non in ſuppreſſis excretionibus ſeri 5) in affectibus ſcabioſis 6) in diverſis, maxime vero diuturnis ulceroſis afflictionibus 7) in Coryza acri 8) in Rhevmatiſmis 9) in Bilis acredine ventriculo & inteſtinis moleſta 10) in febribus bilioſis 11) in Phthiſi 12) in Brancho: in quibus ſingulis affectibus illa edulcoratio locum invenit, quæ medica eſt & non palliativa aut hypothetica.

§. VII. Contraindicantur vero vulgaria & ſecundum communem ſenſum accepta edulcorantia 1) in affectibus ſpaſmodicis 2) in morbis convulſivis 3) in afflictionibus febrilibus 4) in Hæmorrhagiarum ſpeciebus 5) in paſſione hypochondriaca 6) in congeſtoriis morbis 7) in inflammatoriis pathematibus 8) in excretionibus ſalutaribus 9) in affectibus malignis & epidemicis 10) in morbis ætatum 11) in pathematibus primarum viarum ex commotione ſanguinis ortis 12) in morbis cachecticis; quos ſingulos affectus communia & proprio ſenſu accipienda Dulcificantia magis perturbant, cum potius medica edulcorantia, cum abſterſione, reſolutione, temperatione & evacuatione impuritatum efficacia in enarratis hiſce morbis non exiguam utilitatem afferant.

§. VIII.

§. VIII. Quod remedia Edulcorantia concernit, tunc & principaliora & ſecuriora ſunt illa, quæ in prædictis capitibus commemorata proſtant, qualia ſunt Reſolventia, Abſtergentia, Incidentia, Abſorbentia & impuritates ſalinas, acidas, bilioſas & qualescunque alias ad evacuationem congruam præparantia: deinde vero ultimum punctum edulcorationis abſolvunt laxantia, imprimis Rhabarbarina et phlegmagoga, diaphoretica & diuretica, quæ ſerum cujuscunque dyſcraſiæ eliminant, adeoque effective & realiter humores & partes repurgant & tali quidem methodo, qua alias in ordinario ſuo ſtatu natura corpus ſuum mundificare ſolet.

§. IX. Propius vero Edulcorationis effectui reſpondent diluentia humectantia, emulſiva, gelatinoſa, lacticinia, pultacea, farinacea, hordeacea, avenacea, juſcula carnium & pullorum, hordeum decoctum, Oryza decocta, Nuclei dulces & pingues, ut amygdalæ dulces, pineæ, piſtaceæ, nuces, accedunt Caricæ, Paſſulæ, Jujubæ; huc etiam conferunt Rapæ & Amylum accedit Gummi Arabicum, Ceraſorum, Tragacanthi; non minus proficiunt Abſorbentia ſuperius commendata, tam ſimplicia, quam cum acidis ſaturata; juvant decocta dilutiora, Herbæ Thee & Fabarum Coffee, conveniunt ſalia digeſtiva remedia tartariſata, Tinctura tartari & quæcunque diureſin moderate promovent.

§. X. Quam magnus eſt apparatus Edulcorantium, e diverſis aliis therapevticis functionibus collectorum, eo magis judicium practicum requiritur, quo hæc remedia congrue ad diverſas affectuum ſpecies applicentur, haud vero in edulcorationis actu, evacuationes prodigæ & impetuoſæ urgendæ ſunt, quin rectius convenit alternatim præparationes abſterſiones, involutiones & excretiones humorum præſtare, adeoque ſucceſſive hoc negotium perficere, quoniam impuritates quæ cum effectu edulcorationis removendæ ſunt, intimius humoribus immixtæ deprehenduntur, adeoque haud ſimultaneo effectu excludi poſſunt; maxime cavendum eſt, ne ſub edulcoratione therapevtica humores magis inſpiſſentur & e proportionata ſua mobilitate in ſuſpectam ſpiſſitudinem conjiciantur, qua deinde præſente, eo minus hæc mundificatio neceſſaria eſt, ſanguinis vero ſpisſitudo obſtat; antea huic conveniens medela ordinetur.

CAP.

CAPUT VIII.

DE

INCRASSANTIBUS.

§. I.

HActenus utplurimum actum fuit de illa humorum alteratione, quæ horum ſpisſiorem conſiſtentiam concernit, dum per reſolutionem, inciſionem, abſterſionem mobiliores & fluidiores redduntur; nunc vero in medicina interdum illi caſus oriuntur, ubi humores valde fluidi & ſubtiles ſunt, adeoque expanſoriis & turgefactoriis commotionibus facile obtemperant, aut in nimia ſua ſubtilitate partes ſenſibiles valde afficiunt, unde in ſpiſſiuſculam conſiſtentiam convertendi ſunt; qui tamen in relatione ad reliquos rariores exiſtunt; unde hæc operatio therapevtica neque tam facile neque tam liberaliter ordinanda eſt, quoniam incraſſatio humorum, præter necesſitatem commiſſa, admodum proportionem erga motus, ſucceſſus, Se- & Excretiones, lædit & confundit.

§. II. Et cum humorum in corpore vivo obviorum illa communis ſit conditio, ut vel ſua ſponte in crasſiorem conſiſtentiam delabantur, ſubinde vero in hac crasſitie ægerrime per corpus progrediantur, nec non ad variam dyſcraſiam conciliandam contribuant, dum in ſpisſiori tali conſiſtentia tenuiores impuritates ſalinæ ſulphureæ firmius detinentur; ita cum incraſſantium uſu medico, eo major circumſpectio habenda eſt, ne partim in tali caſu ordinentur, ubi humores ſpisſiores reddi haud debent; partim ne cum illorum uſu Se & excretiones, jam per ſe difficulter ſuccedentes, eo magis impediantur; partim ne cum incraſſantibus organa colatoria occludantur, adeoque variis infarctibus perniciosis in corpore animali anſa præbeatur.

§. III. Proprie quidem incraſſantia remedia duplicem humorum & materiarum, in corpore vivo occurentium, ſtatum reſpiciunt, quando humores nimis tenues &, ut vulgo ajunt, volatiles, fluidi, adeoque orgaſticis commotionibus valde obnoxii ſunt, dum vel leviter impulſi, moleſtis & ſuſpectis ſpumefactoriis commotionibus ſubjecti deprehenduntur, quæ qualitas proprie de tota maſſa ſanguinis valde fluida & florida dicitur: deinde etiam hæc incraſſatio reſpicit materias ſeroſim collectas, vel ſeroſas, vel bilioſas, nimis

tenues, ſubtiles, intimius partibus inhærentes & proinde difficilius motibus excretoriis obſecundantes; ſicut interdum in inteſtinis talis tenuis colluvies bilioſa, in pulmonibus talis ſubtilis ſeceſsio ſeroſa, in capite ſimilis rhevmatica ſubtilis tranſpoſitio humorum adeſt, quæ materia propterea aliquali correctione, coctione & ſic dicta Incraſſatione aut involutione opus habet, quo deinde in volubiliori tali conſiſtentia eo facilius abſtergi & emoveri queat.

§. IV. Secundum hanc Incraſſationis formalem & medicam rationem, præſtat in juſta applicatione therapeutica ſedulo proſpicere, quo hæc operatio incraſſandæ maſſæ ſanguineæ alteriusve materiæ, ſeorſim collectæ, ſemper in illa utili proportione adminiſtretur & ſervetur, ut Se-& Excretiones legitime ſubjungi queant, ne nimia harum materiarum ſpisſitudo & tenacitas in futurum ſalutaribus evacuationibus reſiſtat: exinde vero etiam inclareſcit, quod incraſſantia remedia triplicis conditionis ſint, dum vel addunt aliquid materiale, quod mucilaginoſam conſiſtentiam ſuis objectis affert & infert; vel dum maſſæ humorum immiſcent ejusmodi materias, quæ jam præſentes gelatinoſos & mucilaginoſos humores nimis tenues inſpiſſant; vel, dum ſubminiſtrant materias, quæ nimis acres & cauſticas impuritates abſorbent & involvunt, ut hoc ultimo reſpectu etiam terrea ſatis eminenter incraſſantem effectum largiantur.

§. V. Maxima vero cautela eſt ſervanda, ne talia incraſſantia, diverſi effectus, promiſcue ordinentur, alias ſuis objectis in corpore humano obviis non reſpondent, uti cum acidis minime incraſſatio tentanda eſt, quando in humoribus ſimul adeſt alia dyſcraſia; deinde illam prudentiam adhibere convenit, ne talia incraſſantia exhibeantur, ubi aditus ad humores & partes haud patet, quare ſi in primis regionibus quædam incommoda interpoſita fuerint, tunc minime confert per incraſſantia primas regiones magis offendere, quæ exinde magis ineptæ redduntur, quo ſalutares ſecretiones & mundificationes humorum continuent; neque denique in illo caſu ſpisſiora incraſſantia ordinanda ſunt, ubi hæc remedia per teneriores & anguſtiores vias progredi debent.

§. VI. Sub reliquo circumſpecto incraſſantium uſu tamen eadem indicantur 1) in nimia ſanguinis fluiditate 2) quando ſerum non modo copioſum, ſed & ſubtile atque acre eſt 3) in actuali Hæmoptyſi 4) in cruentatione Gingivarum 5) in aliis diverſis Hæmorrhagiis excedentibus 6) in nimio motu & ardore febrili 7) in copioſiori affluxu bilis in inteſtina 8) in affectibus cholericis 9) in Rhevmatiſmis 10) in Diabete & urinæ incontinentia 11) in ardore urinæ 12) in exceſſivis fluxibus ſeroſis 13) in acriori ſeceſſione ſeri intra pulmones & conjuncta tuſſi ſerina 14) in frequentibus & recurrentibus phlogoſibus & 15) in ſudationibus excedentibus.

§. VII. Dantur etiam varii caſus, in quibus incraſſantia haud conveniunt; in genere quidem de talibus incraſſantibus remediis, quæ per effectum adſtrictionis incraſſationem perficiunt, notandum, quod cum maxima circumſpectione adhiberi debeant; alioquin vero contraindicantur incraſſantia 1) in nimia ſanguinis plenitudine & ſpisſitudine 2) maxime vero in affectibus hypochondriacis & hyſtericis, 3) nonnunquam etiam in ſpaſmodicis afflictionibus 4) in affectibus cachecticis 5) in ſubjectis ſalutaribus excretionibus extraordinariis adſvetis 6) in Menſium vitiis 7) in cordis palpitatione, quæ cum hypochondriacis affectibus cohæret 8) in Catarrho ſuffocativo 9) in colica et flatulentia ſimplici 10) in Catarrho & Aſthmate mucido atque refractario 11) in malo venereo 12) in affectu ſcorbutico.

§. VIII. Quod jam remedia Incraſſantia attinet, tunc illorum variæ ſpecies occurrunt, imprimis huc ſpectant emollientia remedia, quæ cum mucilagine quadam prædita ſunt, deinde huc conſerunt nuclei pingues, quorum multiplex ſpecies proſtat: non minus huc quadrant fructus mucilaginoſi et dulces, ut & mucilagines conſvetæ pharmacevticæ; præterea hordeacea, avenacea, Oryza, amylum, farinæ & olea emollientia huc pertinent; accedunt varia Gummata, Ammoniacum, Arabicum, Ceraſorum, Tragacantha, Iuniperinum & varia alia, quæ nulla concentrata & evidenti acredine remixta ſunt: inſuper incraſſant fructus acidi, aut aceta diverſa, vel Tincturæ Roſarum vitriolata, Florum Bellidis, ſpecies Diatragacanthæ, de Carabe & Roob Diamoron & Dianucum.

§. IX. Præter hæc recenſita adhuc Incraſſationis effectum adjuvant Lac pingue, Butyrum, Medullæ, Gelatinæ, Pulpamenta, Emulſiones, Decocta hordeacea, Caro Cochlearum & Oſtrearum, ut & Anguillæ atque piſcium reliquorum, imprimis majorum; huc pertinent abſorbentia remedia, nec non ſperma ranarum & ceti, Ichtyocolla, ova ſorbilia, pinguedines diverſorum animalium; non minus incraſſant omnia acida, tam mineralia, quam vegetabilia; quo nomine Mixtura ſimplex ſeorſim notanda; haud vero hoc ordine commendo ſemina frigida & ſpecies refrigerantes, ut & Martialia, quæ quidem etiam incraſſant, ſed non ſatis ſecure; proinde pyra & poma, imprimis cocta, incraſſantem utilitatem exſerunt: ad bilis incraſſationem ſeorſim abſorbentia tum ſimplicia, tum cum acidis mixta, ut & Cryſtallus montana, Iuſcula, Gelatinæ, Decocta mucilaginoſa & Nitrum conſerunt.

§. X. Commodius Incraſſatio per diætetica, quam per pharmacevtica adminiſtratur, uti etiam requies corporis ad humorum Incraſſationem confert; præterea hæc therapevtica operatio ſucceſſive magis adminiſtranda eſt, inſuperque cura adhiberi debet, quo excretiones juſte procedant, præci-

 pue

pue providendum eſt, qvo alvus conſtanti ſucceſſu gaudeat; quidquod proficit cum incraſſantibus remediis ſufficienter diluentia conjungere, ne inimica incraſſatio primas regiones offendat, neve effectus incraſſationis ultra gradum utilitatis & neceſsitatis tranſeat; magis convenit in moderatiori gradu ſubſiſtere, neque tantum hunc effectum proſequi; quod denique externa incraſſantia attinet, tunc Chirurgia varia horum adminiculorum ſuppeditat, e quibus præcipue Mel, Ova, Therebinthina & quædam aquæ ſecuræ pro hoc effectu obtinendo aptum ſubjectum conſtituunt.

CAPUT IX.

DE EMOLLIENTIBUS.

§. I.

EMollitionis medicus uſus ad varios caſus & affectus ſeſe extendit, ita ut motui progreſsivo ſangvinis, nec non Se- & Excretioni exinde ſingularis utilitas accedat: dum enim neceſſarius tranſitus humorum ob nimiam ſtricturam partium præcluditur, tunc ſalutaris ſecretio, ob ſimilem conſtrictionem organorum, excretio, vel ob ſiccitatem viarum, vel ob illarum obſtructionem impeditur; hinc emollitio moderate partes lenit, ſtricturas tollit, vias permeabiles reddit, ex parte etiam ipſas materias excernendas demulcet & in mobilem conſiſtentiam convertit, ut exinde multiplex emollitionis uſus emineat.

§. II. Verſatur itaque Emollitionis effectus circa partes ſolidas & fluidas; illæ relaxantur, leniuntur & e ſua rigida ſtrictura in tractabiliorem flexilitatem convertuntur, ſubinde etiam nimia illarum ſiccitas mitigatur & demulcetur: hæ vero quando ſolidæ, ſpiſſæ & tenaces ſunt, cum ſubjectis mucilaginoſis & gelatinoſis vel obliniuntur, quo per ductus ſuos facilius tranſeant, vel volubiles redduntur, ne partibus diverſis cum tenacitate quadam adhæreant: in priori reſpectu emollitio emendat exceſsivum motus tonici gradum cum ſuſpecta & morbida ſtrictura partium conjunctum: quoad alterum reſpectum magis progreſſivo motui & partibus fluiditati alias ſubjectis aliquod neceſſarium auxilium offertur.

§. III.

§. III. Quam dignus & proficuus vero Emollitionis effectus eſſe poteſt in medicina practica, tam pravus vicisſim eſt communis abuſus, qui pasſim cum emollientibus committitur; quando mox per contrarium indiſcretim quælibet toni augmenta nuda & ſuperflua emollitione & relaxatione turbantur; ut loco moderatæ mitigationis, alia extrema exinde emergant, teſtimonio flacciditatis & laxitatis in aliqua parte perſeverantis, ut calor & ſenſus naturalis in tali parte impoſterum pereant; quemadmodum nonnunquam præternaturales intumeſcentiæ ex inconſulto & perverſo emollitionis uſu oriuntur: præterea quidem cum emollientibus in variis caſibus nimii dolores mitigari & liniri poſſunt, ſed & in hoc paſſu prudentia opus eſt, ne loco lenitionis & mediocris mitigationis ſenſus plane in ſtuporem convertantur & in futurum alia ſuſpecta & periculoſa pathemata ſuperveniant.

§. IV. Præterea emollientium uſus ſeſe extendit ad ſubſtantias ſubtiles, acres & irritantes in corpore confluentes, quæ mediante mucilagine remediorum emollientium involvuntur & in lubricam lenitatem rediguntur, in qua deinde neque partes, quibus adhærent, ultro ſtimulant, neque tam difficulter excerni poſſunt, ſicut hic uſus emollientium in oblatis venenis non irritus eſſe deprehenditur, & ita talia adminicula interne in varias partes ſeſe extendunt, uti externus & Chirurgicus emollientium uſus ſatis probatus & proficuus eſt, modo in omni applicatione horum remediorum juſtum moderamen adhibeatur.

§. V. Indicantur itaque Emollientia remedia 1) in doloribus excedentibus & valde urgentibus, qui nullis aliis remediis mitigari poſſunt 2) in Calculo renum & veſicæ, quando nimia & contumax partium ſtrictura adeſt 3) in ſiccitate alvi & inteſtinorum 4) in Teneſmo 5) in urinæ ſuppresſione 6) in ſuppurationibus difficulter ſuccedentibus 7) ad inducendam maturationem 8) in duris & pertinacibus tumoribus, qui non facile reſolutioni obtemperant, 9) in retentis flatibus 10) in colica hæmorrhoidali 11) in vehementi ani ſtrictura & occluſione hyſterica 12) in difficultate partus ex nimia orificii conſtrictione proveniente 13) ad leniendam & promovendam apertionem alvi 14) in refractaria & tenaci oppletione pectoris & 15) in coacervatione humorum acrium & viſcidorum.

§. VI. Contra indicantur emollientia 1) in inflammationibus, quamdiu adhuc ad diſcusſionis effectum promoveri poſſunt, 2) in Spaſmorum exacerbatione 3) in affectibus convulſivis 4) in abundantia muci; 5) in ſimplicibus affectibus Catarrhalibus ſuccedentibus 6) in ſimplicioribus affectibus pectoris 7) in actualibus inflammationibus pectoris, in quibus largus emollientium uſus omnino nocet 8) in quibusvis toni defectibus 9) in Catarrho ſuffocativo 10)

in quibusvis hydropicis tumoribus œdematoſis æque ac aliis 11) in affectibus Cachecticis & cacochymicis 12) in mitiori augmento motus tonici, tum in congeſtionibus, tum alibi occurrente 13) in febribus intermittentibus, ubi emollientia, mucilaginoſa, primarum regionum lentorem ex parte augere obſervantur, ſicut in multis aliis affectibus, in quibus quidem emollientium uſus admittitur, tamen moderamen adhiberi debet, ne inopportune, neve copioſe remedia talia adhibeantur.

§. VII. Sicut Emollientia tam externe, quam interne, conveniunt, ita illorum ſufficiens apparatus pro utroque uſu proſtat, unde poſthac aptæ formulæ conficiendæ ſunt, inter quas magis liquidæ & fluidæ, quam ſiccæ & ſpiſſæ emollitionis effectum offerunt; ſunt vero talia emollientia Radices Altheæ, Liliorum alb: Malvæ, Liquiritiæ, nec non Cepæ, Herbæ Altheæ, Atriplicis, Brancæ urſinæ, Malvæ, Meliloti, Chamomillæ, Mercurialis, Parietariæ, Verbaſci, Violarum, Betæ, flores Chamomillæ, Liliorum alb: Malvæ, Meliloti, Verbaſci; Semina Fœnu græci, Lini, Pſyllii, Seſami: fructus amygdalarum dulc: Caricarum pinguium, Prunorum dulcium & Sebeſten, quæ ſingula cum fluida ſua mucilagine partes ſtrictas demulcent, leniunt & humores ſiccos atque tenaces mobiles reddunt.

§. VIII. Præterea emollientem internam & externam efficaciam habent, oleum amygdalarum dulc: Chamom: Liliorum alb: Olivarum, Seſaminum, Lini, Raparum, Irinum, Ovorum, Sapo, Gummi Ammoniacum, Reſina, Therebinthina, diverſæ pinguedines & medullæ animalium, Butyrum, Cera, Mel, ſperma ceti, Lac, Unguentum Dialtheæ & quæ Chirurgicis uſibus quadrant Emplaſtra de Cicuta, Diachylum ſimplex, de Ammoniaco Foreſti, de Meliloto, Filii Zachiæ, Triapharmacum &c: ita ut pro uſibus Chirurgicis ſufficiens quantitas lenientium, relaxantium & emollientium adminiculorum præſto ſit.

§. IX. Quoad uſum emollientium illa circumſpectio obſervanda eſt, ne præter neceſſitatem mox ad emollitiones partium confugiamus, neve in continuatione horum remediorum exceſſus quidam committatur, neve etiam artifex in nuda emollitione acquiſcat, ſed ſubinde proſpiciat, quo pars in priſtinum ſuum robur, ſive tonum neceſſarium tranſeat, ne aliqua laxitas & impotentia remaneat; imprimis vero circa emollientium uſum cautela illa obſervanda eſt, quo evacuationes tam ordinariæ, quam cohærentes, rite ſuccedant: & ſi in locis excretoriis emollitio præſtita fuit, tunc cura habenda eſt, quo mitiora roborantia ſubordinentur; haud vero ſalutare eſt, ſi mox emollientia adminicula mutantur cum adſtringentibus, quippe qui contrarii effectus eo certius periculum aliquod portendunt.

CAPUT

CAPUT X.

DE
HUMECTANTIBUS ET EXSICCANTIBUS.

§. I.

NOn parum ab emollientium efficacia abludunt remedia ſic dicta *Humectantia*, quibus utrisque vero oppoſita ſunt *Exſiccantia* : utraque vero tam Humectantia, quam Exſiccantia in Medicina practica tam Clinica, quam reliqua Chirurgica utilitatem & neceſsitatem ſuam ſatis comprobant & quidem, quod humectantia attinet, tunc eadem pro ſcopo ſuo habent vel materiarum fluidarum, vel partium ſolidarum ſiccitatem, ſtricturam, deficientem mollitiem, permeabilitatem & flexilitatem, unde humectantia tam fluidis, quam ſolidis partibus motum ſufficientem conciliare debent, ſiquidem hæc proportio motuum abſolute ad vitam & ſanitatem ſpectat; quare ad totam reliquam corporis confirmationem, pro uſu vitali aptam, longe magis materiæ humidæ, quam ſiccæ inſerviunt.

§. II. Quanquam emollientia remedia humectantem aliquam qualitatem habeant, tamen proprie ſic dicta humectantia adhuc magis penetrant, quam illa, imo plurima illorum majorem fluiditatem habent & partem nimis ſtrictam, duram & immobilem citius alterant, afficiunt & mobilem reddunt: quod vero juxta vulgarem ſtylum & ſenſum de certis ſiccis ſpeciebus prædicatur, quaſi partes corporis humectare queant, tunc fruſtra eſt ab aliquo ſubjecto virtutem talem arceſſere velle, quæ ex nulla ratione in eodem hæret; interim dantur quidem ſicciores ſpecies, quæ reſolvente & colliquante ſua qualitate certis humoribus ſuam humiditatem i. e. fluidam mobilitatem conciliant, teſtimonio efficaciæ Nitri in humores lymphaticos, quo ſenſu etiam illud humectans remedium vocari poteſt.

§. III. Et ſicut humectatio ſemper juſtam relationem ad motus & effectus vitales habere debet, ita viciſſim magna cautela opus eſt, ne eadem ultra juſtum ſuum modulum exerceatur, ſiquidem exinde vel nimia humorum fluiditas, vel organorum flacciditas, vel reliquarum partium laxitas, oritur, quæ futuræ dyſcraſiæ humoribus inducendæ multum ſavet, ſicut in hiſtoria practica talia exempla conſtant, quomodo affectus Cachectici, Cacochymici

Hydro-

Hydropici & ſimiles ex humectantium uſu tanto magis abuſu in quibusdam caſibus ortum traxerint; ex eo ſequitur, quod humectatio therapevtica talem juſtum motuum gradum inducere debeat, quo proportio Secretionibus & Excretionibus ſalutaribus legitime reſpondeat.

§. IV. Quod *Exſiccantia* attinet, tunc eadem perinde duplicem generalem reſpectum habent, dum primo humores nimis tenues, copioſos, fluidos & aquoſos vel imminuunt, vel leviter inſpiſſant: quo effectu etiam Diuretica, Diaphoretica, Laxantia & Purgantia exſiccare poſſunt, quando tenue ſerum notabili aliqua quantitate evacuatur: deinde in conſiderationem ducenda eſt nimia affluxio humorum ad certas læſiones & conjuncta exceſſiva humectatio, aut ſecesſio humida intra easdem; ſicut etiam citra actualem læſionem, ex congeſtionibus contumacioribus tales humidæ ſecesſiones intra caput, pectus, aut inteſtina contingunt, ut propterea moderata quædam exſiccatio neceſſaria ſit; denique etiam partes nimia humiditate oppletæ in Cachectico, œdematoſo, hydropico ſtatu comprehenſæ, tali ſalutari exſiccatione indigent; unde jam inclareſcit, quod omnino exſiccatio varium uſum habeat, ſicut in profuſione bilis ſubtilioris ad inteſtina interdum talia exſiccantia, quæ involventem effectum ſubminiſtrant, proficua eſſe deprehenduntur.

§. V. Eſt itaque effectus exſiccationis multiplex, licet in communi phyſico ſenſu exſiccans remedium illud dicatur, quod terrea ſua qualitate reliquæ oppoſitæ fluiditati & tenuitati corrigendæ, impaſtandæ & quaſi exſiccandæ inſervit; uti hoc nomine calcarea, terrea, abſorbentia, ſemi metallica, cinerea, occalleſcentia, cicatriſantia, epulotica in Schola Medica indicantur; alias vero juxta diverſos caſus medicos interdum evacuantia auxilia, interdum temperantia, interdum tonica & nonnunquam etiam adſtringentia exſiccantem effectum poſt ſe relinquunt, ubi diverſis commotionibus & alterationibus juxta ſuam veram conſtitutionem talia auxilia offerenda ſunt, quæ non confeſtim ex oppoſito eosdem opprimunt & craſſe ſuffocant, ſed quæ rectius cauſam tollunt: alias phyſicus exſiccationis effectus Chirurgicis uſibus & applicationibus in variis caſibus inſervit.

§. VI. Sed cum exſiccatio motibus & ordinibus vitalibus in genere non ſatis appoſite reſpondeat, cum potius ſufficiens fluiditas in humoribus, permeabilitas in viis & flexilitas in partibus ad vitam & ſanitatem pertineat, ita cum exſiccantium remediorum uſu perinde ſingularis cautela obſervanda eſt, ne obſtructiones, incraſſationes, impaſtationes, nimios rigores, ariduras aut etiam majores inquinationes cauſentur; propterea etiam ille communis abuſus in Chirurgia, qui cum exſiccantibus committitur, reprehenſione juſta dignus eſt & præſtiterit propterea ſemper in promotione exſiccationis leniorem, quam majorem gradum ſervaſſe

§. VII.

§. VII. Et quo uterque actus therapevticus rite & perite tractetur, ita Humectantia indicantur 1) in ſanguinis & reliquorum humorum ſpiſſitudine 2) in contumaci ſpasmorum gradu 3) in alvi ſiccitate & obſtructione 4) in partium aridura & contractura 5) in Catarrhis tenacibus & refractariis 6) in Rhevmatiſmis 7) in tranſpirationis & ſudorum ſuppresſione 8) in congeſtoriis commotionibus 9) in febribus 10) in doloribus nimium urgentibus 11) in tumoribus duris & 12) in oppletionibus pectoris; Exſiccantia vero indicantur 1) in affectu Cachectico 2) in membris paralyticis 3) in laxitate partium 4) in nimia humorum fluiditate 5) in Catarrhis valde fluentibus 6) in diarrhœa nimium pituitoſa 7) in Diabete 8) in ulceribus valde manantibus 9) in frequenti humida ſecesſione ad organa nobilia & membranacea 10) in Scabie valde humida 11) in Synovia & 12) in tumoribus frigidis & mollibus. Quæ circumſtantiæ vero Humectantium & Exſiccantium uſum diſſvadent & contraindicant, illæ tum e præcedentibus tum etiam e recenſitis hiſce indicationibus ſatis perſpicue fluunt.

§. VIII. Sequuntur jam illa adminicula, quibus Humectatio & Exſiccatio artificialis corpori inducenda eſt; humectantia vel interni vel externi uſus ſunt: ad interna humores & vias diluentia & humectantia adminicula pertinent præcipue decocta calida, potus tenuis, ſufficiens & multum aquoſus, neque multum arte factus, proinde conducunt acidulæ temperatiores & thermæ aptæ, quæ internis uſibus inſerviunt; præterea conveniunt olea lenientia, pinguedines, juſcula pinguia, gallinacea, gelatinæ dilutiores, quæ ſingula ſimplici modo ſufficienter humectant: ita etiam temperatus Nitri uſus humectantem qualitatem habet, dum humoribus lymphaticis & mucilaginoſis fluidam aliquam tenuitatem conciliat.

§. IX. Proinde etiam varia externa humectantia ſimplicia & utilia proſtant, imprimis vero calor externus humectationis effectum admodum promovet, dum ad humorum fluiditatem & corporis exterioris neceſſariam apertionem contribuit: huc etiam quadrat moderata frictio ſuperficiei corporis inducenda, quæ ad invitandum affluxum humorum contribuit: porro balnea vel artificialia, vel naturalia, partes relaxant & conſequenter humectant, quo adhuc ſpectat veterum Medicorum enchiriſis & methodus inungendi corpus externum cum unguentis oleoſis lenientibus, ſicut emollientium remediorum externa applicatio eandem efficaciam habet, quo partes ſtrictas relaxet easdemque ad meliorem humorum ingreſſum diſponat.

§. X. Quod vero Exſiccantia remedia attinet, tunc illorum perinde diverſa internis, alia vero externis uſibus ſatisfaciunt: pro interna exſiccatione conveniunt abſorbentia, tanto magis uſta, quæ calcaream indolem habent,

quorum uſus tamen circumſpectus eſſe debet, ne adſtrictiones cauſentur; proinde exſiccationem poſtſe relinquunt repetitæ diaphoreſes, parcus potulentorum uſus & remedia incraſſantia, ſive mucilaginoſa, ſive acida; uti ſub diæta fructus acidi aliique horræi, nec non leguminoſi, exſiccantem effectum offerunt; denique etiam adſtringentia valde exſiccant, ſed internus hic exſiccationis uſus valde ſuſpectus eſt; unde cum maximo moderamine admitti debet: interea mucilaginoſa & abſorbentia ſimpliciora præ reliquis ſecurius adhiberi poſſunt.

§. XI. Topica Exſiccantia magis uſibus Chirurgicis ſatisfaciunt, e quibus ſulphuratorum remediorum externus uſus eminet, quæ vero quoniam repellentem qualitatem habent, propterea cum maxima circumſpectione ordinari debent, ita enim non ſatis tuto ſulphur ab extra applicatum ſcabiem humidam exſiccat, aut ulcera externa manantia ſimiliter exareſacit, quorum affectuum repentina repulſio maxime eſt pernicioſa; proinde ab extra exſiccant adſtringentia, Aluminoſa, Saturnina, Lithargyriata & terræ minerales variorum nominum ut Marga, ſive Medulla ſaxorum, Lac lunæ, Lapis calaminaris, Nihili, Tutia, Pompholyx, ut & terræ uſtæ, Oſſa Sepiæ & ſimilia, quæ ad varios uſus & caſus chirurgicos paſſim, ſed cum temperie, adhiberi poſſunt, ne partes ſenſibiles valde offendant & contrarios effectus exſerant: denique balnea ſicca exſiccantem aliquem effectum in ſuperficie corporis poſt ſe relinquunt, quæ in Cachexia, Anaſarca &c. proficua obſervantur.

CAPUT XI.

DE CALEFACIENTIBUS.

§. I.

HOrum remediorum non infrequens memoria occurrit in communi praxi medica, quibus etiam vulgo eximia virtus adſcribitur, eo quod per obſoletam & veteribus uſitatam traditionem calor pro pabulo vitæ habetur; unde per calefacientia eo certius quidam vitæ & ſanitati ſuccurrere ſperant: quidquod inſuper conſtat, quomodo veteres Medici diverſos caloris gradus explorare laboraverint, quo diverſis naturis, quibus ſubinde diſcrepantes caloris gradus diſtribuerunt, cum aptis calefacientibus remediis ſuccurrant:

interim

interim hæc obſoleta cura ad multas confuſiones in Therapia medica occaſionem ſubminiſtravit; unde calefacientium commendatio rectius medicis, quam phyſicis animadverſionibus perficienda erit.

§. II. Interea quidem omnino certum & verum eſt, quod calor longe magis vitæ & ſanitati conveniat, quam frigus; ſiquidem mediante illo non modo proportiones motuum, ſed & reliqui ſalutares effectus promoventur, dum videlicet humores in juſta fluiditate & partes in apta flexilitate & permeabilitate conſiſtunt, inſuperque neceſſariæ abſterſiones, præparationes, Se- & Excretiones contingunt; attamen omni modo præoccupandum eſt, ne calor hic, qui naturæ convenit, excesſivus ſit, alias ad nimias humorum commotiones turgefactorias, ad oppletiones & infarctus partium, ad nimias relaxationes & conſequentes exareſcentias tam fluidarum, quam ſolidarum partium contribuit & ita ſanitati & vitalitati penitus reſiſtit.

§. III. Exinde facile colligere licet, quam provide exceſſus cum calefacientibus adminiculis evitandus ſit, qui tamen proh dolor! in communi praxi valde familiaris eſt, ſiquidem communia remedia, quibus ſolennia & eximia encomia imponuntur, utplurimum plus quam proficuam calefacientem vim continent, teſtimonio cordialium, nervinorum, diaphoreticorum, roborantium, alexipharmacorum, antidotalium, anti peſtilentialium &c: remediorum, quæ in nimio gradu motus vitales exagitant, adeoque juſtum excretionis ſucceſſum variis modis perturbant, qui abuſus propterea in rationali & ſecura Therapia medica conſtanter excludendus eſt.

§. IV. Quod phyſicam calefactionis rationem attinet, tunc illa medicis uſibus haud apprime ſatisfacit, ſiquidem ſubjecta actu calida vix ſecure in ejusmodi caſibus, ubi calefacientia ordinantur, applicari poſſunt; imo ne quidem multa talia adminicula conſtant, quæ non niſi maxime reſervatis caſibus relinquenda ſunt; interim actualis calor vel a ſolis vel ignis calore pendet, quippe qui in morbis etiam ita mitigandus eſt, ne unquam excedat, quemadmodum etiam hujus caloris uſus non ſatisfacit, ſi ab intra naturalis calor non reſtituitur; unde frigidi ſenes ob defectum naturalis caloris conſtanter miniſterio hujus externi caloris indigent; quod alia inſtrumenta actu calefacta attinet, tunc illorum uſus magis extremis quibusdam neceſſitatibus & utplurimum Chirurgicis ordinationibus reſervandus eſt.

§. V. Et licet calefactio therapevtica directe & proprie morbidæ refrigerationi oppoſita ſit, tamen magna cautela opus eſt, ne neglecta cauſa refrigerii tantum confuſa calefactio corpori inducatur; quippe quæ cura per contraria non modo ad ſuſpecta pathemata, ſed & plane ad repentinam mortem diſponit, tanto minus vero & rationale & conſultum eſt, quando mox poſt

 præ

prægreſſum grave refrigerium eximia calefactio ſubordinatur, quæ repentina alteratio perniciofis turgefactionibus, infarctibus, oppletionibus et ſtaſibus ſanguinis anſam præbet, ſicut præterea varia exempla conſtant, ubi præſens quoddam refrigerium minime calefacientium uſum admittit, teſtimonio paroxyſmi frigoris in Intermittentibus febribus, aut actualis refrigerii ſub hyeme perpeſſi: in quibus caſibus calefacientia nedum quidem palliative refrigerationi ſubveniunt, ſed & inſuper præſentanea damna inferunt.

§. VI. Et ubi calor naturalis ex aliqua cauſa deficit, quæ ſuperficialem corporis ſtricturam involvit, longe ſecurius eſt manus admovere, quo cauſa talis rite tractetur & a corpore, methodo convenienti, removeatur; utplurimum vero defectus caloris, in corpore vivo occurſans, adſcribendus eſt vel debiliori pulſui cordis, vel tono partium leniori, vel partibus nimium relaxatis; unde medica operandi ratione longe rectius calor neceſſarius & naturalis reſtituitur, quando hi motus, pulſus & tonus, in juſtum gradum & ordinem convertuntur; ſed cum in affectibus diverſis alteratio horum morborum nitatur certis cauſis, ita perverſa erit methodus, quando hi motus exagitantur & cauſa negligitur, quin verius eveniet, ut correcta & ſubjugata cauſa, vel ſua ſponte hi motus in priſtinum gradum tranſeant.

§. VII. Quando vero hi motus, ad calorem naturalem neceſſarii, penitus languent, ut in ſenibus, tunc impoſſibilis eſt per artem medicam reſtitutio caloris naturalis; cum ille vigor pulſus & toni in effœtis ſenibus reparari haud queat & ſi talia remedia offeruntur quæ concentratiora ſunt, tunc eadem in tali caſu ob incongruam humorum commotionem & inturgefactionem haud ſalutaria exiſtunt; unde potius in defectu caloris cum externo moderato regimine ſubveniendum eſt, neque de reliquo in ullo alio caſu conducit calorem ultra naturalem gradum augere, quod augmentum perinde in exceſſum vergit: quo vero naturalis gradus excitetur, neceſſe eſt, ut per motus ordinarios vitales id præſtetur, neque per incongrua impellentia adminicula contrarius effectus provocetur.

§. VIII. Dantur quidem talia remedia, quæ eximium calorem excitant, ſed non tali motu, modo & methodo, qualis ordini vitali competit, ſed quæ humores vehementi inteſtina commotione agitant; qualia ſunt acria concentrata, reſinoſa, ſpirituoſa, oleoſa, valatilia, empyrevmatica; ſed quæ ſub hoc inteſtino impulſu magis neceſſarium ordinem motus progreſſivi ſanguinis confundunt atque turbant & propterea ad varios heteroclitos effectus diſponunt; tanto minus vero eiusmodi remedia morbido cuidam refrigerio opponere convenit, dum non modo motus reliquos vitales offendunt, ſed & cauſam morbi maxime exacerbant, unde communes calefacientium remediorum commendationes & enarratio-

enarrationes plus phyſicis, quam medicis reſpectibus competunt, propterea magis vitalitati contrarios effectus provocare adjuvant.

§. IX. Multum tamen in ordine vitali & prout uſibus medicis competit caloris neceſſarii reſtitutionem promovet ſufficiens ſanguinis fluiditas, quo humores motibus rite obtemperent & ſufficienter circulari queant; hinc ob ſpiſſitudinem ſanguinis Melancholici temperamenti homines communiter frigidiores ſunt; præterea huc quadrat juſta partium permeabilitas, qua præſente ſanguis per partes poroſas efficaciter transprimi & hinc calorem juſtum obtinere & communicare poteſt; denique etiam ſufficiens motus huc requiritur, ne videlicet ſangvis debilius & ſegnius impellatur & per partes proprimatur; hinc in ordinario ſtatu vitæ humanæ etiam ſimpliciſſimus motus corporis ad caloris naturalis vel revocationem vel augmentationem multum contribuit, qui propterea maxime efficax maximeque ſecurum calefaciens remedium conſtituit.

§. X. Quanquam Calefacientia remedia paſſim magnis nominibus commendentur, tamen eadem non niſi ſub certis indicationibus in Therapia medica admittenda ſunt: indicantur itaque 1) in humorum ſpiſſitudine, imprimis vero in lymphæ viſciditate 2) in partium ſtrictura directe morbida 3) in Apoplexia & Paralyſi 4) in Lipothymia 5) in Aridura 6) in laxitate partium 7) ad ſcopum derivatorium & revulſorium 8) in Cachexia & Hydrope 9) in aliis ſuperficialibus tumoribus frigidis 10) in ſtupore corporis & diverſorum membrorum 11) in nimio virium defectu 12) in varia partium atonia 13) in decubitu ſimplici catarrhali 14) in Anæſtheſia 15) in Chloroſi, 16) in Menſium & Hæmorrhoidum vitiis 17) in irregulari progreſſu ſangvinis 18) in defectu neceſſariarum Secretionum.

§. XI. Contraindicantur vero ſic dicta & in communi materia medica deprædicari ſolita Calefacientia remedia. 1) in Febribus 2) in Spaſmis 3) in Inflammationibus. 4) in Congeſtionibus 5) in Rhevmatismis 6) in affectu Hypochondriaco. 7) in infantibus, gravidis & puerperis 8) in nimiis Hæmorrhagiis 9) in affectu hyſterico 10) in quibusvis affectibus ſanguineis, præcipue capitis & pectoris 11) in nimiis vigiliis 12) in nimiis doloribus 13) in affectibus malignis 14) in Scirrhis Sanguineis. 15) in obſtinatis obſtructionibus & 16) in contumaci occluſione alvi.

§. XII. Quod nunc auxilia calefacientem effectum inferentia attinet, tunc eadem diverſæ ſunt indolis, prout cauſæ, quæ calefactionem poſtulant, diverſæ conſtitutionis ſunt; in partibus itaque ab extra refrigeratis ad caloris naturalis promotionem ipſa frigida ſubjecta conducunt, velut nix & aqua frigida, in quam partes illæ dimitti debent; ſicut ſucceſſive ſubjunctus uſus Spiritus ardentis calorem naturalem provocare adjuvat: peſſime vero in tali afflictione vel actualis calor

 vel

vel communia calefacientia remedia ordinantur, unde hoc frigus ſpecialem hanc medelam poſtulat.

§. XIII. Ad communem calefactionem, humorum commotionem & ingreſſus ſanguinis in partes ſuperficiales promotionem conducunt frictiones modeſtæ cum linteis calidis, balnea non valde æſtuoſa, pediluvia & intrinſecus decocta calida, uſus vini, maxime vero Spiritus Cochleariæ ad exiguas guttulas aſſumtus, qui motum ſanguinis efficaciſſime auget: huc conferunt juſcula vinoſa aromatiſata & , ſi calor ob virium defectum deficit, tunc temperata alexipharmaca & aromatica in neceſſitate ad caloris reſtitutionem conveniunt: cavendum modo eſt, ne cum talibus auxiliis cauſæ, ad refrigerationem diſponenti, præjudicium quoddam inferatur.

§. XIV. Vulgo quidem ad impellendum ſanguinem & augendum calorem, allegantur remedia acria, reſinoſa, ſulphurea, ſpirituoſa cardiaca, alexipharmaca, bezoardica, aromatica, volatilia, nervina, empyrevmatica & quidem vel Eſſentiæ, vel Spiritus, vel olea, vel aquæ ſpirituoſæ, vel concentratæ, vel ſalia, quæ ſingula tamen cum maxima prudentia ordinanda ſunt, ne in affectibus & ſubjectis ſanguineis & motibus exacerbatis ordinentur, aut ubi etiam pro illorum uſu locus adeſt, præſtat quo magis parcius, quam largius, offerantur; ſiquidem cum hisce calefacientibus ſonticus & interdum incorrigibilis error practicus committi poteſt, quare in quolibet caſu circa talium remediorum uſum maximam prudentiam adhibere debet therapevta.

§. XV. Motus corporis eſt maxime ſecurum auxilium calefaciens; deinde vero dantur adhuc calefacientia experimenta, quæ ſingularibus caſibus reſervanda, neque ita facile ordinanda ſunt. Sunt vero talia, quæ copioſiorem affluxum humorum ad certas partes & regiones provocant, e quibus rubefacientia, veſicatoria, phœnigmi &c. nominari debent; quo merito referenda eſt Moxa Indorum, ſicut ſecurioris & temperatioris uſus ſunt Cucurbitulæ cæcæ certis regionibus applicatæ, præmiſſa modeſta frictione, utpote quæ ſingula calefacientia adminicula hactenus recenſita ad diverſos caſus & variantes cauſas cum fructu, ſi circumſpecte id ſuccedit, applicari poſſunt.

CAP-

CAPUT XII.

De

REFRIGERANTIBUS.

§. I.

CAlefacientibus remediis ſimpliciter opponuntur *Refrigerantia*, quæ propterea calori, æſtui, ardori morbido, noxio, ſuperfluo & ſimpliciter præternaturali, ubicunque occurrit, interne & externe, opponuntur; ubi vero prudentia etiam opus eſt circa diſcretionem huius caloris & illius cauſæ, ne ita promiſcue & repente, ſed gradatim & cum moderamine opprimatur; etenim ſi tantum calor ſuffocatur & reliqua cauſa morbifica non expugnatur, tunc ex ejusmodi palliatione non infimæ efficaciæ pericula deſultant, ſiquidem interdum calor conſectarium eſt illius ſpontanei motus, quo mediante natura cauſam morbificam ad evacuationem congruam & tempeſtivam perducere contendit.

§. II. Sicut itaque refrigeratio therapevtica æſtui præternaturali reſiſtere debet, ita præcipue in rationali Therapia inquiſitio illa valet, quænam illa cauſa ſit, quæ ad hunc æſtum diſponit? unde longe ſecurius cauſæ ſatisfaciendum eſt, neque ita repente æſtus ſuffocari debet; ita enim v.g. in Febribus, Congeſtionibus, Rhevmatiſmis, Spaſmis, Phlogoſibus, Inflammationibus non raro major calor occurrit, in quo vero calore præſentes affectus non conſiſtunt; hinc formalis ratio horum affectuum evolvenda erit, ita eveniet, ut calor conſequens dehinc ſponte evaneſcat, quando principali cauſæ artifex ſatisfecit; ſi vero præmature calorem opprimit, tunc una illum motum turbat, per quem hi affectus ad ſalutarem finem duci debent.

§. III. Maximum quidem damnum œconomiæ vitali infertur, quando intenſioribus incaleſcentiis feſtinatæ refrigerationes objiciuntur, ubi ex repentina partium conſtrictione periculoſisſimi effectus oriuntur, qui motui progresſivo ſanguinis maxime præjudicant, ut ſunt repentinæ ſtagnationes, oppletiones, infarctus, obſtructiones, ſtaſes, aut actuales extravaſationes, ſimultaneæ nobiliorum organorum oppresſiones &c. unde etiam repentina mors cum talibus perniciosis effectibus conjungitur; quapropter in toto praxeos medicæ curſu ab illa ſimultanea & ſimplici refrigeratione maxima cura abſtinendum eſt.

§. IV

§. IV. Quanquam refrigerantium uſus valde ſuſpectus ſit, tamen illorum abuſus haud infrequens eſt, ſiquidem in communi praxi medica imprimis in Cura Febrium & Spaſmorum principem quaſi locum obtinent, dum loco curationis e fundamento, tantum vel ſymptomata, vel conſectaria quædam, deliniuntur & palliuntur, quippe qui abuſus, dum cauſam non tollit, affectum ipſum vel de præſenti mox perturbat, vel in futurum corrumpit, ita ut hac ratione refrigerantia tali methodo uſurpata, haud rationalem artem medicam, ſed magis empiriam cæcam prodant; cum potius interdum talia remedia refrigerantem effectum poſſe reliquant, quæ ſua natura calida ſunt, uti viciſſim frigida quædam ſubjecta ad calorem revocandum interdum ſatisfaciunt.

§. V. Dum communiter nimius calor a nimio ſangvinis motu, progreſſu, affluxu etſimili effectu oritur, aut a vehementiori transpreſſione per partes ſolidas, ita in tali ſtatu neque melius neque ſincerius calor ille mutatur & corrigitur, quam per auxilia hos motus vehementiores temperantia & lenientia; qualis actus propterea citra uſum poſitivorum refrigerantium, aut ſimplicioris phyſicæ refrigerationis committi poteſt, modo in eodem neceſſarium illud moderamen ſervetur, ne talis intenſior motus ſupprimatur, quamdiu adhuc in ejusmodi gradu neceſſarius eſt; hinc in rationali Therapia actualia refrigerantia rariſſime ſalutaria ſunt, ſive intrinſecus, ſive extrinſecus admittantur, cum naturæ, in œconomia vitali laborioſæ, rectius moderatus calor arrideat.

§. VI. Proinde etiam peculiarem attentionem meretur, quomodo major incaleſcentia ſub ordinario motu progreſſivo humorum oriatur, vel quando ſangvis nimis fluidus & tenuis eſt, ſub qua ſubtilitate & mobilitate ſangvis impulſus orgaſtica quadam commotione partes corporis transcurrit, vel quando maſſa ſangvinis cum multa quantitate materiæ ſubtilioris, ſeroſæ, ſulphureæ, terreſtris commixtus eſt, quæ ſub reliquo progreſſu inteſtinam ſpumefactoriam commotionem auget, adeoque exæſtuationem majorem magisque inſolitam inducit: in quibus utrisque circumſtantiis iterum facile liquet, quam parum communia & actualia refrigeria conveniant, ſed quomodo partim moderata ſangvinis inſpiſſatio, partim apoſpasmatum ſeroſorum excretio & efficaciter & rationabiliter & radicaliter refrigerationis effectum poſt ſe trahant.

§. VII. Non infimæ dignitatis illa etiam eſt conſideratio, quæ ad præſentem tractationem pertinet, quomodo ad majores exæſtuationes ſubinde ſangvinis abundantia diſponat, unde plethorici ſub levi corporis commotione, cum moleſtiori incaleſcentia afficiuntur; quando itaque in tali caſu etiam refrigerantium uſus indicatur, tunc perinde neceſſe eſt, quo refrigeratio cauſæ ſuæ reſpondeat, ne in plethoricis aliæ periculoſæ offenſiones committantur; exinde etiam fluit illa exquiſite practica obſervatio, quod ſangvinis ventilationes refrigerantem &

illum

quidem ſatis ſecurum atque congruum effectum poſt ſe trahant; hand vero propterea ubique per tale auxilium ſubvenire integrum eſt, quoniam cauſæ inſolitarum exæſtuationum differunt.

§. VIII. Et quoniam imprimis in Febribus aperta occaſio proſtat, ubi propter æſtum febrilem refrigeratio neceſſaria judicari poteſt, tamen vix intricatior & delicatior ſtatus occurrit, in quo cum maxima prudentia refrigerantia adhiberi debent, quam in Febribus, in quibus vulgaria remedia refrigerantia, aut actualis alia refrigeratio minime ſecure conveniunt; unde in hoc ſolenni morbo ita committenda eſt therapevtica refrigeratio, ne ſalutares & tempeſtivæ Se- & Excretiones turbentur; multum tamen ad ſecuram talem refrigerationem conciliandam in Febribus confert ſufficiens potus, quo mediante humores redduntur fluidiores, ut facilius & lenius per partes poroſas transfluant, deinde apoſpaſmata ſeroſa orgaſtica involvuntur & diluuntur, quo poſtea non modo facilius ſecerni queant, ſed & quo minus partes teneras moleſte afficiant.

§. IX. Quod enim actualem refrigerationem concernit, tunc illa in nullo morbo, ut ſuperius monui, ſecura eſt; unde curæ per balnea actu frigida magis perſonalibus temeritatibus & empiriis relinquenda eſt; & licet contumacibus congeſtionibus & immodicis ſanguinis commotionibus actualia talia refrigeria opponantur, tamen eventus docet, quam ſiniſtre talia tentamina ſuccedant; ob id prudens artifex merito a quibusvis temeritatibus ſimilibus abſtinet, neque tam craſſo & crudo ſenſu atque effectu refrigerationes inducit: quod enim antiquiores Medici de uſu aquæ frigidæ & balneis ſuis frigidis retulerunt, illud male a climate calidiori ad frigidum applicatur; cum in æſtuoſiori climate frigida aqua non alia niſi tepida ſit; unde fruſtra quidam ad experientiam Medicorum provocant, qui artem in Græcia, Arabia, Lybia, Ægypto & orientalibus locis exercuerunt.

§. X. Neque etiam ingenua & ſalutaris illa eſt refrigeratio, quæ juxta antiquiores quosdam Medicos cum ſuſpecte narcoticis remediis, ut cum Cicuta, Mandragora, Solano, Hyoſciamo, Opio excitatur; ubi motus & ſenſus obruuntur, quo minus calor naturalis in talibus ſubjectis vel percipiatur, vel inducatur, vel ubi uſus horum remediorum nimiam anxietatem cauſatur, quam proinde refrigeratio quædam comitatur, qualis refrigeratio ſimiliter valde ſuſpecta et ſanitati e diametro oppoſita eſt; hinc rectius ita refrigerare competit, quo motus vitales magis ſubleventur, quam confundantur, corrumpantur aut obruantur.

§. XI. Præterea ad inſolitam incaleſcentiam diſponunt affluxus & ſeceſſiones acrium materiarum in diverſas partes ſenſibiles, ſive fuerint humores bilioſi, cauſtici, ſive materiæ ſeroſæ, acres; in quali caſu iterum communia refrigerantia nihil proſunt, ſed potius talia auxilia refrigerantem effectum poſt ſe relinquunt,

quæ

quæ affluxum talem diſcutiunt & quæ materias illas leniunt, involvunt atque temperant; quales refrigerationes therapevticæ non raro in Chirurgia medica locum inveniunt, cum contra aliæ & actuales quidem refrigerationes notorium quoddam damnum cauſentur.

§. XII. Et cum exæſtuatio vel inducatur vel augeatur & ſuſtentetur a majori commotione humorum, ita viciſſim in tali neceſſitate multum contribuit ad ſecuram refrigerationem inducendam requies corporis, quale adminiculum eximiam ſuam utilitatem & applicationem obſignat in ſubjectis plethoricis & in affectibus febrilibus, ubi major inquietudo, jectigatio, impatientia &c. præſentem æſtum magis augent: quodſi itaque in talibus caſibus actualia refrigerantia adhiberentur, perſeverante illa incontinentia, tunc exinde non niſi eximia pernicies metuenda erit.

§. XIII. Quo itaque refrigerantia recte ordinentur, ita non modo præſtat præcedentes obſervationes bene ponderare & applicare, ſed & ſubinde judicare, ubi refrigerantia diſcretæ efficaciæ conveniunt: indicantur itaque vere medica & non vulgaria illa phyſica, refrigerantia, 1) in Febribus 2) in Spaſmis 3) in Phlogoſibus 4) in Inflammationibus 5) in Congeſtionibus fortioribus 6) in Rhevmatiſmis 7) in ardore urinæ 8) in affectibus bilioſis 9) in doloribus ardentibus 10) in nimio affluxu humorum ad diverſas læſiones 11) in nimiis Hæmorrhagiis 12) in excedentibus ſeroſis evacuationibus & 13) in pollutione nocturna.

§. XIV. Contraindicantur viciſſim vulgaria actualia & poſitiva refrigerantia 1) in Febribus 2) maxime vero in affectibus malignis 3) in ſalutaribus excretionibus 4) in ſpiſſitudine humorum 5) in affectu hypochondriaco 6) in morbis ſplenis 7) in affectibus Chronicis 8) maxime etiam in Cacochymia 9) in morbis partium nervoſarum 10) in vera atonia 11) in morbis convulſivis 12) in obſtructionibus alvi aliarumque partium 13) in actualibus Inflammationibus 14) in internis ulcerationibus 15) in partium aridura & contractura & 16) in morbis corruptis.

§. XV. Seqvuntur jam illa adminicula, quibus mediantibus ſecundum diverſitatem cauſarum ſecura & utilis refrigeratio excitanda eſt, vulgaria enim & communia refrigerantia remedia hoc nomine digna haud ſunt, quæ utplurimum cum craſſa ſua mucilagine, qua gaudent, motus vitales turbant & iniquo effectu refrigeria excitant; ſiquidem præcipue ad Se- & Excretionum impedimenta provocanda ſatisfaciunt; unde cum talibus refrigerantibus in medicina practica non facile ſalutaris effectus obtineri poteſt, neque etiam illa refrigerantia, quæ adſtringente effectu operantur hoc loco commendatione digna cenſemus, hinc Nymphæa, Atriplex, Parietaria, Portulaca, Endivia, Lactuca, Cucumeres, Cucurbitæ, Melones &c. ſuis fautoribus relinqui debent, dum experien-

perientia medica non talia teſtimonia prodit, quæ horum ſubjectorum certam utilitatem confirmare poſſunt; quicquid etiam vulgo de Seminibus refrigerantibus diſſeritur, perinde a fideli experientia abludit & magis communi inexpertæ opinioni atque perſuaſioni inhæret; unde vana eſt omnis promiſſio quæ de famoſis illis Seminibus vulgo declamatur & tranſcribitur: illud interim de ſuccis prædictarum herbarum & ſpecierum, imprimis Endiviæ, Lactucæ, Cucumerum, Melonum, Cucurbitarum prædicari poteſt, quod ob principium ſuum nitroſum refrigerantem effectum exercere queant; ſed cum hi ſucci in majori quantitate exhiberi debeant, ſi talem effectum poſt ſe trahunt, in tali vero quantitate exhibiti variis aliis turbis concitandis quadrent, ita rectius ab eorum uſu abſtinetur.

§. XVI. Securiori effectu temperatam refrigerationem conciliat requies animi & corporis & temperatum regimen in quolibet affectu, tanto magis vero in febrilibus morbis; unde ſucceſſive motibus exacerbatis moderamen inducitur; ne per intervenientem inquietudinem offendantur & augeantur; cavendum vero eſt, ne ſub tali quieto regimine corpus æſtuoſum liberiori & frigidiori aeris acceſſui exponatur, quale conjunctum actuale refrigerium variis morbis, maxime vero febribus inimicum eſt & dum in ſuperficie ſenſibilem & contumacem occluſionem cauſatur, ita ſalutares excretiones peſſime confundit.

§. XVII. In affectibus febrilibus refrigerantem efficaciam habent ſubjecta diluentia, lenientia, abſorbentia, nitrata, fluida mucilaginoſa & temperata acidulata; nonnunquam etiam tempeſtivæ & ſufficientes diaphoreſes æſtum febrilem ventilant, qualia adminicula in omni febrium ſtatu ſecurius adhiberi poſſunt, cum viciſſim actualia refrigerantia, præcipue circa criticos dies adhibita, lethiferos effectus exhibeant: interim hæc commendata ſubjecta ſecundum diverſitatem temperamentorum ordinanda ſunt, ubi præprimis cum acidorum remediorum uſu illa cautela obſervanda eſt, ne maſſam ſangvinis in pernicioſam ſpiſſitudinem transferant, unde ſub quocunque acidorum uſu ſufficiens diluentium adminiculorum ſubordinatio & conjunctio inculcanda & concedenda eſt.

§. XVIII. Alias etiam cum ſecuritate refrigerantem effectum promittunt abſorbentia cum acidis ſaturata, Corallia rubra præparata, remedia nitrata, Gelatinæ, decocta, mucilaginoſa ſubjecta, paſſulata, prunata, juſcula gallinacea, emulſiva, lacticinia, ſerum lactis, decoctum Cornu Cervi aliaque lenientia: in plethoricis ſubjectis opportuna ſanguinis ventilatio in futurum refrigerationis effectum promittit; in ſubjectis floridioribus acidulata & terrea remedia eandem utilitatem habent; interim ſub qualibet tali therapevtica refrigeratione providendum eſt, quo neceſſariæ excretiones in juſto ordine conti-

 nuent,

nuent, hinc effectus refrigerationis non ſimul & ſemel eſt urgendus, quin potius cum maxima tranquillitate & continentia ſucceſſive excitandus.

§. XIX. Aliquando refrigeratio inducitur, quando acris dyſcraſia humorum temperatur per abſorbentia, lenientia & diluentia: ſicut in caſibus Chirurgicis urgentes quidam dolores, certis læſionibus ſeſe conjungentes, cum ardore affligentes temperantur & hoc reſpectu refrigerantur vel per diſcutientia, vel per lenientia, relaxantia, vel per abſtergentia, quæ ſerum acre diluunt, involvunt & obtundunt; in qualibus caſibus longe minimam utilitatem habent, communia refrigerantia, niſi mucilago cum iisdem conjuncta materias illas acres & irritantes involvere & temperare adjuvet.

CAPUT XIII.

De

TEMPERANTIBUS.

§. I.

AD auxilia & ſubjecta medica ſingularis ſecuritatis & eximiæ utilitatis pertinent remedia *Temperantia*, non juxta veterum ſtylum accipienda, quaſi cum iisdem craſi & maſſæ humorum phyſica & materialis temperies concilianda ſit, ſed potius ſenſu medico & exquiſite therapevtico intelligenda, quod videlicet cum illis, motibus exorbitantibus & excedentibus neceſſarium, tempeſtivum & ſecurum moderamen induci debeat: & cum in medicina practica artifices longe frequentius cum motibus, quam cum materiis commercium habere occaſionem nanciſcantur, ita etiam illa dexteritate opus eſt, quo fidelis diſcretio temperantium genuinorum ab aliis ſuſpectis motus turbantibus ſubjectis inſtituatur.

§. II. Sunt itaque temperantia auxilia primario illius efficaciæ, quo motus vitales qualitercunque excedentes & evagantes in idoneum & ſalutarem ordinem convertere adjuvent; unde præcipue in motum tonicum operantur, mediante hoc vero in motum ſanguinis progreſſivum effectum ſuum transmittunt, hinc ad varia pulſus, progreſſus & toni vitia emendanda ſatisfaciunt, ita quidem, ne hos motus repente opprimant, neve exacerbent, aut ancipiti qualitate conſopiant, quapropter hæc temperantia remedia provide ſunt ſeparanda ab adſtringentibus,

nar-

narcoticis, emollientibus & relaxantibus, qualia remediorum genera æque priſtinos acerbiores motuum gradus immutant atque compeſcunt, licet hoc alio fiendi modo contingat, ac vere temperantium indoles involvit.

§. III. Secundario etiam temperantia remedia diverſis humorum morbidis qualitatibus alterationem inducunt, dum nimis acres humores, qui in locis ſenſibilioribus multiplices exorbitantes commotiones invitant, leniuntur, diluuntur, involvuntur & in hac vellicante acredine corriguntur, ut impoſterum motus eapropter remittant & ab immoderato ſuo gradu congeſtorio-ſpaſtico ceſſent: huc vero requiritur, quo artifex bene perquirat, an vitium tantum in motibus conſiſtat, an vero ad motuum exceſſus etiam materiæ contribuant, quo in ultimo hoc caſu & humoribus & motibus temperandis operam adhibere posſit.

§. IV. Ob id genuina temperantia remedia præcipue operantur in partes membranaceas nervoſo-fibroſas, in quibus ſubtili & leni effectu phyſico ad alium ſenſum lenitionis, ſubtilioris refrigerii, emollitionis anſam præbent, ut propter hunc ſenſum præſentes motus immoderatiores tonici quantisper remittant, adeoque leniorem gradum induant; exinde eluceſcit, quomodo hæc remedia magis motus vitales in legitimum ordinem & gradum deducant, neque in contrarios gradus convertant; proinde etiam ſenſum naturæ, in negotio vitali neceſſarium, neque confundunt neque ſtupefaciunt, neque extinguunt, aut moleſte afficiunt, ſed potius ſimili ſubtili efficacia placide mitigant, hinc talia temperantia remedia ad dolorum illorum lenitionem contribuunt, qui vel a motuum exceſſu, vel ab eminente humorum vitio & dyſcraſia oriuntur.

§. V. Indicantur itaque temperantia remedia 1) in omnibus ſpaſticis affectibus 2) in Hæmorrhagiis 3) in pathematibus ex turbatis Hæmorrhagiis provenientibus 4) in ſuppreſſionibus aliarum Se- & Excretionum 5) in aliis quibusvis excedentibus Evacuationibus 6) in quibusvis congeſtoriis commotionibus 7) in ſingulis inflammatoriis afflictionibus 8) in nimiis ſanguinis impulſibus & exinde pendentibus ardoribus 9) in Cholericis pathematibus 10) in ſingulis febribus & febrilibus commotionibus 11) in diverſis doloribus & 12) in rhevmaticis & catarrhalibus affectibus: Et hæc eadem temperantia remedia, quæ hujus ſpecialisſimæ efficaciæ ſunt, in nullo alio affectu & ſtatu contraindicantur, modo non excesſive adhibeantur, neque confuſe ordinentur, neque cum incongruis aliis remediis commiſceantur, neque cum remediis ſiniſtri effectus interpoſitis turbentur, ubi quidem hæc temperantia remedia per ſe non nocent, ſed propter has turbas utilitatem ſuam exſerere haud poſſunt.

§. VI. Quod nunc remedia temperantia concernit, tunc principem locum inter omnia reliqua tenet Nitrum, quod in ſubſtantia ſimplex depuratum exhibitum ad exigua grana innumeris jam effectibus ſeſe comprobavit, ubi fruſtra quidam magis ex opinione & imperitia de eodem alvum moventem & irritantem effectum metuunt, ſiquidem hoc Nitrum etiam in irritatis alvi commotionibus temperantem ſuam qualitatem præſentanee exhibet: neque ullus rationem habebit, quo propterea uſum Nitri metuat & abhorreſcat, quoniam cum eodem in pulvere pyrio homines interficiuntur; & hoc remedium longe digniores utilitates unquam obtulit, quam famoſus ille Spiritus Nitri dulcis & qui easdem utilitates experiri geſtiunt, eo præcipue attendere debent, quo hoc Nitrum non admodum artificioſe alterent, neque cum aliis incongruis, maxime vero acribus remediis commiſceant, neque ſimul & ſemel prodigis doſibus exhibeant, ſed ſucceſsive ad exigua grana cum abſorbente remedio mixtum ordinent; & ita talem temperantem effectum tam in junioribus, quam adultioribus ſubjectis ſecure præſtat.

§. VII. Dantur adhuc alia temperantia remedia, quæ tam motibus, quam materiis alterandis quadrant; ex illis ſunt abſorbentia, tum ſimplicia, tum etiam cum acidis maritata, deinde hoc nomine præſtant & proſtant remedia digeſtiva, diluentia, humectantia, mucilaginoſa, emulſiva, gelatinoſa lacticinia, ſerum lactis, acidulata, Corallia rubra & in reſervatis caſibus ipſa Corallorum Tinctura parcius tamen uſurpata, quæ ſingula adminicula in multiplicibus affectibus eximiam ſuam utilitatem abunde comprobarunt, imprimis vero terrea acidulata hac qualitate conducunt, tum in febrilibus, tum in congeſtoriis, ſpasmodicis & rhevmaticis affectibus; quæ ſingula ſubjecta tanto melius & certius motus & humores temperant, quo magis non prodigis & ſimultaneis ingeſtionibus deſtinantur, ſed ad ſucceſsivas moderatas repetitiones applicantur.

CAPUT XIV.

DE CARMINATIVIS.

§. I.

CArminativa remedia in communi praxi medica magno elogio allegari & commendari ſolent, præprimis ab illis, qui partim morborum ſedes in Ventriculo & inteſtinis, partim in atonia primarum regionum, partim

partim in flatulentia, partim in ſamoſo Helmontiano Duumviratu hærere & conſiſtere aſſerunt; unde anonnullis hiſce remediis polychreſtus velut uſus adſcribitur; quo ipſo vero non raro magnus abuſus cum iisdem committitur, dum varii affectus occurrunt, qui prædictis cauſis minime nituntur & qui tamen in ſua indole ſatis ſenſibiles & mobiles ſunt, adeoque per remedia talia certius & gravius exacerbantur, quam mitigantur: & licet eadem auxilia rite uſurpata eximiam utilitatem exhibeant, tamen quoad dextrum illorum uſum perinde magna prudentia in medicina practica injungenda eſt.

§. II. Proprie carminativa remedia dicantur reſtitutioni deficientis roboris & tonici motus in Ventriculo & inteſtinis, quando ex diverſa afflictione hypochondriorum, imprimis e Cardialgia, appetitus defectu, frequenti flatulentia, oppreſſoria Ventriculi moleſtia, nauſea, anguſtatione poſt paſtum, borborygmis, ita indiſcretim præſumitur debilitas & vera horum viſcerum atonia, cui carminativa remedia mederi dicuntur: adhuc propius hæc carminativa afflictioni frequentioris flatulentiæ opponuntur & dum a carminando denominationem ſuam habent, ita de iisdem aſſeritur, quod flatus carminare i. e. ex inteſtinis abſtergere & educere debeant, quo reliqui motus in iisdem in priſtinum juſtum gradum & ſucceſſum reverti queant.

§. III. Sed cum in hiſtoria practica non infrequenter moleſtæ flatulentiæ, Cardialgiæ, Colicæ, affectus Ventriculi & inteſtinorum ſine harum partium ſuppoſita atonia, ſed potius ab exacerbato aut anomalo motu periſtaltico oriantur, dum ſæpe ſanguinei morbi, Menſium & Hæmorrhoidum anomaliæ talem larvam induunt, ita fruſtra ſub tali cauſarum diverſitate carminativa remedia ordinantur, quæ ad illos caſus reſervanda ſunt, ubi actualis atonia prædictarum partium adeſt; & hæc ipſa animadverſio tantum juvat, quo communia carminativa magis circumſpecte ordinentur, quæ conſiſtunt in remediis ſulphureis acribus oleoſis, ſpirituoſis, calefacientibus & maſſam humorum impellentibus & quæ propterea in exacerbatis commotionibus eo majorem ſtimulum addunt, quo motus in illa acerbitate & evagatione perſiſtant aut increbeſcant.

§. IV. Et licet proprie Carminativorum remediorum ordinatio ad ejusmodi atoniam reſtringatur, tamen analogus effectus, qui vulgo carminativis remediis accenſetur, ex aliis & alterius efficaciæ remediis obtineri poteſt, ita v. g. recte Wedelius in Amœnitatibus Materiæ Medicæ carminativis remediis annumerat Nitroſa, digeſtiva & abſtergentia medicamenta, quæ dum præſentes inquietudines in abdomine temperant, vel impuritates abſtergunt, iterum neceſſariam periſtalſin in ordinem congruum ducunt: & dum nonnunquam talia pathemata, quæ atoniæ imputantur, ab alvi adſtrictione,

aut

aut inteſtinorum nimia ſtrictura oriuntur, ita lenientia, diluentia, emollientia, clyſteres variaque alia auxilia in tali caſu idem efficiunt, quod alibi carminativa præſtant: & cum motus ſpaſtici, circa Venam Portæ vagantes, ſecundum diverſa Medicorum placita atoniis adſcribantur, ita illa remedia, quæ hos motus tranquillant, improprie dicendam carminativam utilitatem afferunt: exinde tantum liquet, quod communia ſtomachica, aromatica, nervina carminativa non quadrent ſingulis ventriculi & inteſtinorum affectibus, quin rectius ſæpe ad pathematum ſpaſticorum exacerbationem concitandam ſatisfaciant, quando ſub illorum vigore ordinantur.

§. V. Cum itaque hoc loco ſermo ſit de poſitivis carminativis remediis, ita eadem indicantur 1) in vera Ventriculi & inteſtinorum atonia 2) in flatulentia ſimplici, quæ non e cauſa ſenſibili ſanguinea ortum traxit 3) in Colica flatulenta 4) circa exitum colicæ hæmorrhoidalis 5) remittente diarrhœa & dyſenteria 6) in fluxu lienterico 7) in ructibus nidoroſis 8) in inappetentia e prægreſſa ventriculi oppletione orta 9) in doloribus poſt partum 10) in refrigeratione moleſta, abdomini illata 11) in intermittentibus febribus, imprimis diuturnis & quando evacuationes quædam præceſſerunt 12) poſt hypercatharſin & hyperemeſin 13) in procidentia ani 14) in Tympanitide 15) in torminoſis infantum affectibus & 16) in Stranguria.

§. VI. Contraindicantur vero poſitiva carminativa remedia 1) in vigore Dyſenteriæ 2) in exacerbatione pathematum hypochondriacorum & hyſtericorum 3) durante Colica hæmorrhoidali 4) in flatulentia hyſterica 5) in vitiis appetitus e congeſtionibus ſanguinis provenientibus 6) in ſalutaris vomitus ſucceſſu 7) in vomitu cruento 8) in Colica bilioſa 9) in Diarrhœa bilioſa 10) in Palpitatione cordis 11) in Singultu ſymptomatico 12) in doloribus capitis ſanguineis 13) in Cardialgia e Menſium & Hæmorrhoidum vitiis orta 14) in Infarctu, ſcirrho & abſceſſu primarum regionum 15) in Hernia inteſtinali 16) in initiis Ilei morbi 17) in affectibus acutis 18) in gravidis 19) in libero fluxu Hæmorrhoidum 20) in internis inflammationibus 21) in alvi obſtructione & ſiccitate & 22) in Vertigine e cauſa ſanguinea orta.

§. VII. Nunc ad remedia Carminativa commemoranda progredior, quorum multiplicia vulgo occurrunt, alia quæ calidiora ſunt, alia vero temperatiora; e numero mitiorum & leniorum Carminativorum ſunt Radices Caryophillatæ, Coſti dulcis, Cyperi rotundi, Gentianæ rubræ, Helenii, Pimpinellæ albæ, Vincetoxici, Cichorii, herbæ Abſinthii, Cardui benedicti, Cochleariæ, Abrotani, Centaurii minoris, Majoranæ, Menthæ, Meliſſæ, Flores Centaurii minoris, Anthos, Anethi, Sumitates Origani, Comæ Abſinthii, Semen Fœniculi, Carvi, Cumini, Dauci, Apii, Petroſelini, Sileris montani, Nigellæ, Nux Moſchata,

Cardamomum, Cortex Aurantiorum & Citri: e potentioribus ſunt Radices Ari, Acori, Angelicæ, Carlinæ, Galangæ, Imperatoriæ, Leviſtici, Zedoariæ; Herba Calaminthæ, Roriſmarini, Rutæ, Laurus, Flores Schænanthos, Crocus orientalis, Semen Aniſi, Baccæ Lauri & Juniperi, Cinnamomum, Caryophylli aromatici, Macis, Piper, Zingiber: e quibus ſingulis remediis variæ formulæ, Eſſentiæ, Extracta, Trageæ, Infuſa parari poſſunt, ſicut variæ illorum in ſubſtantia, parca tamen quantitate oblata conveniunt.

§. VIII. Præterea jam in pharmaciis proſtant variæ aquæ carminativæ, quæ uſui medico inſerviunt, nec non Elixiria, quæ e Corticibus Citri, Aurantiorum, Cinnamomi parari ſolent; non minus conſtant Radices Cichorii & Calami aromatici conditæ & cum Saccharo obductæ, Piper & Zingiber conditum, qualia ſubjecta eandem ſtomachalem virtutem habent; interdum remedia acidulata ventriculum & inteſtina roborant, imprimis quæ ex Cydonio parari ſolent, unde Miva & Panis Cydoniorum cum aromatibus mixta talem uſum ſtomachicum exſerunt; præterea pro uſu diætetico vinum vel cum Abſinthio, vel cum Enula, mixtum ventriculum roborat; quod vero ſpecies compoſitas, in pharmacia proſtantes, attinet, tunc eædem non ſingulorum palatui accommodatæ ſunt, neque acriores Spiritus aut concentratiora Olea pro effectu carminativo facile ordinanda ſunt, quia ventriculum nimium afficiunt & alias incongruas commotiones excitant.

§. IX. Præter hæc interna Carminativa auxilia poſſunt etiam ab extra Ventriculo & inteſtinis roborationes conciliari & quidem per cataplaſmata, ſcuta ſtomachalia & linimenta; ad quæ conficienda prædictæ ſpecies ſufficientem penum ſubminiſtrant; ita Emplaſtra de Baccis Lauri, de Cruſta panis, Ceratum Santalinum, Ceratum ſtomachale, e Tacamahaca abdomen roborant; quando vero talia Carminativa remedia ordinantur, tunc non perſcribendæ ſunt ſimultaneæ & prodigæ quantitates; deinde vero providendum eſt, quo excretio alvina rite continuet, ne illa ſub carminativorum uſu langueſcat, neque nimis diu talia remedia exhibenda ſunt, quoniam alias hæc viſcera hactenus affecta debilitati ita adſueſcunt, ut in futurum ſemper carminativa remedia offerri & continuari debeant; omni ſtudio e numero horum remediorum excludenda ſunt Opiata; Vinum generoſum vero ſub diæta & interdum urgente neceſſitate vinum aromatiſatum roborantem talem effectum præſtat: haud tamen confert nimis diu, vel conſtanter, potui cereviſiario vel vinoſo medicato inhærere, quin rectius in reliquam ſimplicem vivendi rationem naturam manuducere proficit.

CAPUT XV.

DE

NERVINIS, CARDIACIS ET ROBORANTIBUS.

§. I.

QUanquam Nervina remedia proprie partium nervoſarum roborationi dicata ſint, tamen cum effectu nervino alia auxilia conveniunt, quæ hoc ordine una pervolvere placet: ſunt vero talia Analeptica & Corroborantia, quæ ſingula ad motus vitales ſufficientes & convenientes excitandos & reficiendos conveniunt, & quanquam quædam horum auxiliorum ſingularibus tantum partibus corporis, ſpecifica quaſi relatione deſtinata videantur, tamen omnia genericum uſum & effectum habent, ſiquidem in vera medicina practica haud dantur talia ſubjecta, quæ tantum cor utpote partem robuſtiorem & materialiter firmiorem roborare & ſufficientibus viribus inſtruere debeant, cum potius illa, quæ in genere motus provocant, id etiam efficiunt, quo cor poſthac cum ſufficienti robore inſtruatur.

§. II. Sunt itaque hæc adminicula in illis caſibus & neceſſitatibus uſualia & utilia, ubi motus neceſſarii deſunt, deficiunt, languidi & debiles ſunt, adeoque in defectu peccant, cum minime hoc effectu roborantia remedia in illo ſtatu proſint, ubi motus excedunt, niſi acquieſcente tali exceſſu proxime aliqualis languor atque torpor excipiat; unde interdum nervina & roborantia remedia in fine talium morborum, qui antea exceſſivos motus continuerant, proficua ſunt: interea adhuc in genere notare convenit, quod nervina remedia non tam materiis corrigendis, quam potius motibus alterandis, viribus reparandis & excitandis conveniant; ſed habent etiam hæc adminicula ad illam circumſtantiam ſuum reſpectum ſuamque relationem, quod videlicet tunc utilitatem afferre poſſint, ubi per rationem individuæ ætatis, perſonalis ſenſibilitatis & connexarum aliarum qualitatum virium excitatio ſperanda eſt, cum viciſſim ſub plenaria virium amiſſione & ceſſatione, quæ per ætatem contingit nervina remedia exoptatum ſuum effectum haud exſerant; unde impoſſibile eſt illud experimentum Paracelſi in arte & ſcientia humana: Alte Leute wieder jung zu machen & propterea tantum Nervina remedia illas vires concernunt, quæ alicui ætati competunt.

§. III.

§. III. Sicut autem Nervinorum abuſus in Therapia medica adeo frequens, ita merito ipſe etiam taxandus eſt, ne ſub nuda intentione & contentione virium reparandarum reliquas propiores morborum cauſas negligamus; propterea prudens illa diſcretio commendanda eſt inter vires ad conſuetas voluntarias commotiones neceſſarias & inter vires ad abſolvendum & ſuperandum morbum ſufficientes; cum enim utplurimum in extraordinario quodam actu vitali & ita dicto morbo adminiſtrando natura vires ſuas a voluntariis uſibus abſtrahat & ad morbum præſentem applicet, propterea fruſtraneum tentamen eſſet, tantum vires pro motu voluntario neceſſarias reficere velle & ad reliquam morbi formam non attendere; qui abuſus perfrequens eſt, dum ſub qualicunque ægrotantium querela de laſſitudine mox confortantia, corroborantia &c. ordinantur, quæ ſicut calidioris qualitatis ſunt, ita ſatis ſæpe reliquos motus in convenienti ſuo gradu offendunt, exacerbant, proptereaque pervertunt.

§. IV. Interim Nervina remedia non partium ſolidarum meliorationem concernunt, ſed ſubtilius operantur, intimius penetrant & in immateriale ſubjectum tam efficiens, nimirum naturam, quam inſtrumentale, videlicet motus, agunt, adeoque commercium ſuum habent cum natura immateriali & cum motibus immaterialibus: eapropter illi a veritate aberrant, qui vires materiales fingunt, cum vires ſtent in relatione cum poteſtate movendi, quam ſubjecta materialia non habent, ob id magis plebejæ & effœminatæ ſunt traditiones & perſuaſiones, quod vinum contineat vires, quod cibus & potus materialiter ſuppeditent vires; cum potius virium reaſſumtio, renovatio & excitatio ſecundum talium ſubjectorum vel magis, vel minus acceptorum, oblationem contingat; unde in illis, qui vinum æſtimant, vires revertuntur; qui vero illud averſantur, virium languorem experiuntur; uti viciſſim cibus, qui alios reficit iterum nonnullos debilitat, quale phænomenon propterea nititur altiori deliberatione & intimiori æſtimatione atque relatione, citra phyſicum operandi modum.

Conf. Stahlii Diſp. de Viribus.

§. V. Dum itaque Nervina remedia motus excitant, hinc eadem operantur in principium motus, quod ſecundum nervinorum applicationem & præſentiam eorundemque majorem æſtimationem motus ſuos reſtituit, aut cum illis in partem, quam deſtituit, ſufficienter progreditur; hinc remedia talia primario in Senſum agunt; quæcunque enim objecta ſenſui ſunt grata & amica, illa excitant vires & reficiunt motus; ſicut hæc conſueta animæ conditio eſt, ut accepta objecta cum qualibet activitate & deſiderio acquirendæ poſſeſſionis proſequatur & quoniam omnis ſenſus in tactu concentratur, ita illa Nervina fiunt auxilia, quæ ſubtiliori tactui & contactui in partibus nervoſis non ſunt adverſa, ſed magis ſvavia & grata; ſed cum viciſſim ſenſus per individua varient, ita in ſelectu nervinorum

prudentia illa adhibenda eſt, ne & guſtui & olfactui adverſa adhibeantur, quæ aliis accepta eſſe deprehenduntur; ſicut homines dantur, qui vinum abhorreſcunt, qui ſvaveolentia fugiunt &c. qualia ſubjecta contra alii homines cum maxima voluptate appetunt atque uſurpant.

§. VI. Analeptica remedia illa vulgo dicuntur, quæ propius animum concernunt, afficiunt, reficiunt, quando ipſe eſt in languore, torpore & faſtidio, ita ut ob hanc imbecillitatem ſimul vires deſint & corpus infirmitate eximia laboret: quæ itaque ad analepſin contribuunt, illa non viribus analyſin inducunt, ſed ipſum animum ante omnia exhilarant; hinc dantur auxilia moralia analeptica, quibuscum in ægrotantibus metus mortis & periculi imminuitur, aut idea anxia & terrifica cum alia idea gratiori mutatur, ut propterea meditatio de doloribus, de malo eventu abſtrahatur & animus in aliqualem tranquillitatem redigatur: idem etiam contingit, ſi nonnunquam ejusmodi materialia ſubjecta offeruntur, quæ ſenſibus ſunt amœna & jucunda, ut eapropter animus e ſua anguſtia egrediatur & in meliorem continentiam revertatur.

§. VII. Nervina proprie dicantur partibus ſenſibilibus nervoſo-membranaceis debilitatis, relaxatis & per multiplices cauſas & caſus infirmatis, reficiendis & roborandis; quo illa laxitas cum reſtitutione & acceſſu ſufficientis toni emendetur, ubi magis præſtat, ſi ſucceſſive neceſſarii motus in talem partem progrediuntur, neque etiam convenit per immoderata auxilia, velut per adſtringentia repente & tantum naturalem rigorem & vigorem parti relaxatæ reddere; ſicut ad extrema adminicula reſervanda ſunt illa experimenta, quando cum vi & caſtigatoria coactione motus extorquentur, uti id contingit per Phœnigmos, Urticationes, Synapiſmos & ſimilia tentamina, ſiquidem ſingulæ tales coactiones non tam bonæ & ingenuæ indolis ſunt, quam ſi cum voluptate & tranquillitate natura ad motuum renovationem ſeſe accingit.

§. VIII. Multum proinde refert in Nervinorum uſu bene obſervare & dijudicare cauſas illas, quæ defectum neceſſariorum motuum introduxerunt, e quibus quædam proximius animum afficiunt & ad morales & patheticas actiones ſpectant, dum interdum natura ob intimiorem morbi & præſentis periculi averſionem, vires ſuas excutit & ſimulat, interdum vero ob craſſius pathema & ob actuale tædium & faſtidium, quod de morbido objecto concepit, vires & motus amittit; aliquando cauſæ proximius cum corpore cohærent, quando partes læſæ, aut nimiis motibus defatigatæ, vel qualitercunque relaxatæ ſunt: accedit & illa circumſtantia, quomodo ob nimios dolores interdum vires amittantur, aut quomodo ob nimiam perſonalem ſenſibilitatem vires naturæ occultentur, in quas cauſas ſingulas artifex debite introſpicere iisdemque convenienter obviam ire de-

bet,

bet, ne confuſe in ſteriles illas opiniones reſtituendorum aut illuminandorum & cum ſerenitate reficiendorum ſpirituum concidat.

§. IX. Dantur etiam Nervina quædam auxilia, quæ non quidem ſecundum communem rationem & conditionem Nervinorum operantur, ſed quæ in tantum naturam reficiunt & viribus ſuccurrunt, in quantum arduas naturæ functiones in morbis facilitant v. g. quando materia nimis peccans nimisque maligna, ob quam pravam qualitatem natura vires ſuas conſvetas quaſi amiſit & occultavit, alteratur & emendatur, ut hujus materiæ quantiſper correctæ excretioni ſuſcipiendæ nunc lubentius & vegetius natura vires adhibeat; aut, quando ob difficilem excretionis ſucceſſum, partim impedimenta præſentia rite removentur, partim ipſa excretio promovetur; quare in morbis febrilibus congrua alexipharmaca remedia etiam analeptica evadunt: denique etiam dantur talia remedia nervinum effectum poſſe trahentia, quæ in partibus nervoſis ob ſingularem ſuum ſubtilem ſenſum, quem communicant, tonum & motum excitant; unde volatilia remedia talem cognitum & nervinum uſum in praxi medica habere deprehenduntur.

§. X. Et dum Nervinorum remediorum uſus ad revocationem motuum neceſſariorum directus eſt, ita in variis occaſionibus moderatum regimen, requies, tranquillitas ac continentia animi & corporis nervinum effectum præſtant; cum contra remedia valde commoventia & regimina perquam exagitantia & exæſtuatio magis defatigent & debilitent: imo dum ſufficiens virium præſentia juſtum calorem corporis infert & ſub eodem humores in ſua fluiditate & partes in ſua mobilitate perennant, utraque vero conditio ad virium juſtam præſentiam contribuit, ita calor moderatus corpori & partibus nervoſis amicus, frigus contra inimicum eſt: male vero in ſelectu Nervinorum & cardiacorum talia commendantur in quibus aliqua phantaſia & lepida credulitas aut ſuperſtitio humana hæret, quæ utplurimum nititur vel fabuloſa Theoria de Spiritibus, vel vana aſſimilatione cum colore rubicundo & figura imprimis cordis inſtituta; quapropter tantum experimentum lepidarum & credularum fœminarum eſt, quando infantibus pro corroborante uſu ordinatur pannum Scarlatinum in figura cordis conciſum, cordis regioni impoſitum; uti neque multum rationi & experientiæ ſatisfacit famoſum experimentum cum ſacculis pulſibus applicatis, niſi in hoc ſtatu credulitas ſubjecti et ſvaveolens odor remedii aliquid valeat.

§. XI. Et cum motuum vigor in omni affectu valde neceſſarius & utilis ſit, ita præcipue indicantur Nervina remedia 1) in nimia debilitate & virium jactura, undecunque orta 2) in morbis chronicis aut aliis diuturnis affectibus, quorum indoles alias non eſt Chronica 3) in magna ſanguinis profuſione & 4) in paralyſi 5) in Apoplexia 6) in Ariduris 7) Contracturis 8) Luxationibus 9) in multa morali an-

anguſtia 10) in morbis e terrore & mœrore ortis 11) poſt ſuperatos graves & malignos morbos 12) in violenta partium extenſione 13) in diuturna catarrhali congeſtione & ſeceſſione ad partes ſenſibiles 14) in Lipothymia 15) in aliis ſpecialioribus motuum defectibus 16) in diverſis particularibus paralyticis morbis 17) in diſtorſione partium 18) in nimia oppletione & relaxatione partium 19) in vera Atonia 20) in involuntaria qualicunque excretione & 21) in Procidentia ani & uteri.

§. XII. Contraindicantur vero Nervina & quæ ſimilia cum hiſce conveniunt remedia 1) in ſpontaneis ſalutaribus & ſufficientibus excretionibus 2) in morbis inflammatoriis 3) in affectibus ſpaſticis 4) in Congeſtionibus ſanguineis 5) in immoderatioribus moliminibus excretoriis 6) in inſolitis evacuationibus 7) in morbis acutis per ſe legitime decurrentibus 8) in palpitatione cordis 9) in Rhevmatiſmis, 10) in affectibus convulſivis 11) in Febribus fortius continuantibus 12) in orgaſmis ſanguinis 13) in Plethora commota 14) in ſimplici Cacochymia & 15) in morbis & læſionibus cum contumaci congeſtione & humorum affluxu ſtipatis.

§. XIII. Ordo me jam ducit ad commemorationem remediorum Nervinorum, inter illa vero poſitivum talem effectum habent Radices Angelicæ, Caryophyllatæ, Mei, Cyperi rotundi, Leviſtici, Ireos florentinæ, Herbæ Meliſſæ, Majoranæ, Menthæ, Roriſmarini, Calaminthæ, Rorellæ, Ocymi ſive Baſilici, Rutæ, Spicæ, Serpilli, Thymi, Lavendulæ, Mari veri, Pulegii, Origani, Polii montani, Teucrii, Chamædrios; Flores Lavendulæ, Cheiri, Liliorum convallium, Naphæ, Calendulæ, Anthos, Spicæ, Meliſſæ, Salviæ, Tunicæ, Roſarum, Violarum, Primulæ veris, Tiliæ, Acaciæ, quo imprimis Crocus orientalis ſpectat; qui tamen in refracta quantitate interne & externe ordinandus eſt; Spectant huc Semina Aniſi, Fœniculi, Aromata, Cortices Cinnamomi (qui inter Analeptica præſtantiſſimum conſtituit remedium) Aurantiorum, Citri, Coſtus Arabicus; haud vero pollicitatio de Granis Kermes experientiæ reſpondet: conveniunt porro Lignum Aloes, Santalinum Citrinum, Rhodium, Saſſafras; accedunt Ambra, Zibethum, Moſchus, Gummi Olibanum, Animæ, Elemi, Benzoes, Thus, Maſtix, Storax Calamita, Opobalſamus, Balſamus Peruvianus; quæ ſingula ſubjecta tam interne, quam externe in variis formulis ordinanda ſunt, ita tamen ut cum acrioribus talibus remediis & concentratioribus talibus formulis continentia & temperies uſurpetur.

§. XIV. A multis temporibus pro uſu roborante commendatæ proſtant Margaritæ, quæ vero ſecundum perſvaſionem, credulitatem & æſtimationem ægrotantium juvant; ſiquidem in illis præter ſubtilia terrea principia haud alia occurrunt, quæ ad diſtinctam analepſin cauſandam quadrarent;

interim

interim aliæ Gemmæ præparatæ, ut Hyacinthus, Smaragdus, Rubinus, Granatus, Iaſpis ſubtilem tonicam qualitatem in ſubjectis ſenſibilibus, adeoque ſub virium languore nervinam aliquam utilitatem promittunt: ita porro interdum congruus & modeſtus uſus Salium volatilium tonicam & roborantem utilitatem exhibet: vix vero hæc nervina qualitas tantis titulis famoſo Caſtoreo tribui poteſt, uti quidem vulgo fieri obſervatur, quod potius ob adverſum ſuum odorem vires enervare, quam reficere poteſt.

§. XV. Eximiam nervinam efficaciam habet vinum, imprimis in ſubjectis, quibus uſus vini non quotidianus, aut ſuperfluus eſt: in diverſis caſibus Succinum interne æque ac externe roborantem & nervinam utilitatem affert: princeps vero analepticorum remediorum eſt Cinnamomum: Deinde e prædictis ſpeciebus pro uſu interno conferunt paratæ Eſſentiæ, Conſervæ, Syrupi, Species, Mixturæ & Aquæ, uti aquarum analepticarum nomine eminent Aqua Cinnamomi ſimplex & vinoſa, ut & Cydoniata & Borraginata, Aqua Roſarum, Liliorum convallium, Ceraſorum nigrorum, Naphæ, nec non aquæ florum nervinorum & herbarum talium, ut Meliſſæ, Pulegii, Verbenæ, Menthæ, Rorismarini; ſeorſim vulgo commendantur Aqua Carbunculi, Hungarica, Apoplectica, Anhaltina, quæ Aquæ quidem non utilitate ſua deſtitutæ ſunt, ſed quæ non in conſveta quantitate exhiberi debent, dum humoribus commovendis ſatisfaciunt; unde magis ad aliquot guttulas ordinandæ ſunt: Aqua Borraginis vero & Bugloſſæ parum juvant; ſicut Aqua illa de Corde Cervi ſive cum, ſive ſine vino fuerit, magis ſuperſtitionibus hominum ſatisfacit.

§. XVI. Præterea roborantia talia remedia ſecundum diverſitatem affectuum & occaſionum diſtingvenda ſunt; hinc in virium langvore ex animi pathemate orto & moralis & pharmacevtica roboratio conducit & quidem in poſteriori claſſe conveniunt Vinum, Corallia rubra, Species de Hyacintho, Cinnabaris, Nitrum & bona diæta: quando virium jactura orta eſt e nimia ſanguinis profuſione, tunc analepticam & roborantem virtutem habent Emulſiones, Diæta modeſte nutriens, juſcula gallinacea, Cinnamomi temperatus uſus, nec non aquæ analepticæ & potiunculæ tales; in repentina virium amiſſione in infantibus obtingente, conducit balneum vinoſum & uſus aquarum nervinarum & ſpirituoſarum compoſitarum, magis vertici imponendarum; quod vero ſpecies illas compoſitas attinet, quæ in pharmaciis proſtant, tunc eædem cum ſingulari moderamine uſurpandæ ſunt, quia ob calefacientem ſuam qualitatem interdum vires magis deſtruunt: in nonnullis ſubjectis etiam temperata acidulata remedia vim roborantem & analepticam habent; & quod famoſam illam Confectionem Alkermes attinet, tunc illa non tanti pretii eſt, ſi in eadem Cinnamomum deficit.

§. XVII.

§. XVII. Anodyna magis nervino & analeptico effectui & uſui contrariantur, niſi ob nimios & valde atque diu urgentes dolores vires deficere videntur, in quo caſu ſelectiora ſedativa, dum dolores leniunt, etiam anſam præbent, quo vires revertantur. Quicquid porro vulgo de qualitate roborante Cervi traditur & declamatur, illud magis credulitati, quam experientiæ ſolidæ & genuinæ concedendum eſt: Spiritus e diverſis herbis & Floribus nervinis parati, ſub Mixturis parcius adhibiti non ſunt utilitate quadam deſtituti: ita etiam Salia volatilia in ſubjectis adultis & idoneis caſibus, imo quando commota plethora non urget, roborantem vim habent: Olea vero deſtillata interne nervino ſcopo non facile ſunt præſcribenda, niſi oleum Cinnamomi in plenario motuum vitalium defectu, tum univerſali, tum particulari, ad unam vel alteram guttulam abſente urgente plethora concedi queat.

§. XVIII. Sicut vero interne roborantia talia remedia haud exiguo numero proſtant & conſtant, ita etiam pro externo uſu multa nervina e prædictis ſatisfaciunt; quemadmodum recenſitæ herbæ, Flores, ſemina, cortices, Ligna & Gummata in multis caſibus partes, juſto tono deſtitutas, reficiunt; inde confici poſſunt Sacculi, Cataplaſmata, Fomenta, Balnea, Suffimigia, Linimenta, Ungventa; maxime vero externe vinum roborat, uti etiam calor moderatus ſingulare auxilium pro nervis roborandis ſuppeditat, cum viciſſim frigus nervoſas partes offendat: præſtat vero tam per externa quam per interna magis ſucceſſive virium reditum adjuvare, quam ſimultanea incontinentia viribus reficiendis inſudare, qui poſterior conatus utplurimum magis ad deſtruendas, quam ad erigendas vires quadrat.

CAPUT XVI.

DE

BALSAMICIS.

§. I.

Eximiam æſtimationem in ſchola & Therapia medica vulgo habent remedia *Balſamica*, quæ ſimplici & communi ſenſu talia ſunt, qualia putredinem, corpori animali imminentem, arcere & præoccupare, adeoque mixtionem corporis eo usque repurgare debent, quo minus inteſtina commotio & diſſolutio eandem corripiat: hic ſenſus balſamicæ efficaciæ congruit cum communi modo balſamandi corpora defuncta, quæ cum ejusmodi mate-

materiis imprægnantur, quibuscum externus liberior aeris & humiditatis acceſſus excluditur: unde reliqua humiditas in mixtione corporis obvia, eo usque coercetur, inſpiſſatur & detinetur, quominus illam inteſtinam commotionem aſſumat atque communicet.

§. II. Extendit itaque ſeſe Balſamicorum utilitas in genere quidem ad corruptibilem mixtionem corporis humani, ſeorſim vero ad partes ſolidas textas & ſtructas, æque ac ad partes fluidas, liquidas, humidas, mobiles; quippe quæ utræque partes corruptioni obnoxiæ ſunt: haud vero cum aliis Balſamicam efficaciam magneticæ cuidam obſcuræ & occultæ qualitati adſcribo; uti etiam antiquiores Arabes Medici ipſum ſangvinem balſamicum eſſe tradiderunt; interim veram hujus qualitatis rationem clarius explicare haud potuerunt: neque etiam & veritati & perſpicuitati ſatisfacit, ſi recentiores Phyſici & Mechanici balſamicam efficaciam a diverſa aeris & ætheris temperie deducunt.

§. III. Longe magis ſenſui & uſui medico reſpondet illa ratio balſamicæ qualitatis, quando a corpore conſtanter removentur illæ cauſæ, tum materiales, tum occaſionales & impulſivæ, internæ ac externæ, quæ putredinem minantur; unde propius congruæ evacuationes, realem effectum balſamicum poſtſe relinqvunt: fruſtra vero eſt a conſervatione corporum inanimatorum frivole & præcipitanter concludere velle ad conſervationem corporis vivi; cum ſimplex conſtitutio mixtionis aut corporis mixti mere externis cauſis ſubjaceat, quando conſervari debet; ratio vero vivi longe altioris indaginis eſt & ab interna diverſarum cauſarum directione pendet.

§. IV. Interim uſus Balſamicorum remediorum in Therapia multiplex eſt, dum vel interne lethifera putredo præoccupari, vel etiam externe in diverſis læſionibus, aut actualibus corruptionibus majus incrementum & acerbior progreſſus intercipi debet, ob id medicamenta balſamica interna & externa œconomiæ vitali non contrariari debent, ſed potius motus & effectus vitales adjuvare, ne vel ſtagnationes & ſtaſes humorum, vel rigidæ partium occluſiones & conſtrictiones contingant, ſed quo ſub libero & legitimo ſucceſſu motus progresſivi ſangvinis ſecretoriæ, depuratoriæ & excretoriæ functiones rite continuent.

§. V. Sunt itaque remedia balſamica vel reſolventia & ſelecta alexipharmaca vel etiam reſinoſa, oleoſa, gummatoſa, quæ perinde acriori ſua qualitate ſimilem reſolutorium effectum exſerunt; ubi tamen illa ſingularis cautela eſt obſervanda & applicanda, ne talis reſolutio immoderatior & impetuoſior ſit, alias effectum diſſolutorium & putrefactorium potius accelerat, incitat & inducit, teſtimonio Febrium malignarum, in quibus vulgaria bal-

 ſamica

ſamica remedia plus damni, quam veri & ſinceri commodi afferunt: quemadmodum proinde cum Balſamicis remediis, quæ communiter acriora ſunt, generalis cautela tenenda eſt, quo magis parca & refracta, quam liberali & prodiga quantitate commendentur.

§. VI. Habent propterea medicamenta balſamica ſuas congruas indicationes, ſiquidem in illis caſibus imprimis conducunt, ubi putredo proximius imminet, uti in Febribus malignis talis occaſio ſuppetit, proinde etiam interdum in internis læſionibus, videlicet partium dilacerationibus, aut ulcerationibus, nec non in externis ulceribus diverſi gradus & ſpeciei, ut & in Vulneribus, proficiunt: ubi vero motus vehementiores & intenſiores occurrunt, ut in Febribus continuis, inflammationibus, Spaſmis, Rhevmatiſmis, Congeſtionibus & Convulſionibus, ibi balſamica talia rectius ommittuntur, aut non niſi cum maxima continentia admittuntur: ſic etiam eadem remedia in morbis venereis, ſcabioſis, ſerpiginoſis, ulceroſis ſuperficialibus cum fructu interne commendantur.

§. VII. Quod itaque ipſa remedia balſamica attinet, tunc pro uſu interno in morbis contagioſis, malignis, non meliora ſunt, quam ſelecta & temperata alexipharmaca, velut radices Pimpinellæ albæ, Vincetoxici, Caryophyllatæ, Angelicæ; non minus etiam herba Scordii, quæ ſingularem vim balſamicam habet: præterea etiam Radix Scorzoneræ, herba Cardui benedicti, flores Sambuci diaphoretica & abſterſiva ſua qualitate in malignis affectibus putredinem arcere adjuvant: eximiam pariter laudem meretur radix Pimp. alb. præcipue in affectibus ſcabioſis, ulceroſis venereis: in aliis vero ulceroſis, ſcabioſis, venereis morbis pro interno uſu Scordium, Fumaria, Cochlearia, Myrrha, Succinum, Therebinthina & prudens Sulphuris uſus confert; haud vero Mumia talem utilitatem affert, qualis de eadem promittitur.

§. VIII. Externam vim balſamicam habet iterum Scordium in ſucco, Extracto & Decocto adhibitum, ſicut etiam Tabacus interdum vel in Decocto corruptionem avertit: principem vero locum inter externa balſamica tenet Myrrha, quæ vel in liquamine, vel in Eſſentia adhiberi poteſt, modo ad partes ſenſibiles non largius applicetur, deinde laudatam & probatam utilitatem balſamicam habet Succinum, quod in partium teneriorum membranacearum, glanduloſarum, nervoſarum, tendinoſarum &c. læſionibus egregie convenit, ita etiam Therebinthina tam in ſubſtantia quam Oleo & Spiritu rite adhibita balſamica eſſe obſervatur: præterea Maſtix, Sagapenum & Sarcocolla diverſimode eandem utilitatem exhibent.

§. IX.

§. IX. Dantur adhuc alia balſamica ſingularis præſtantiæ, modo cum prudentia ordinentur; inter illa præcipue eminent Balſamus Peruvianus & de Copaiva, qui partim interne, partim externe, modice tamen adhibiti, conducunt, ubi utplurimum refert, quo acriores tales ſubſtantiæ cum mitioribus aliis remediis temperentur; deinde Oleum Ceræ & Ovorum, nec non Liquor florum Verbaſci & Calendulæ in diverſis ſpecialibus corruptelis & læſionibus vim balſamicam habent; uti variæ herbæ Hyperici, Agrimoniæ, Alchymillæ, Saniculæ, Pyrolæ &c: necnon amaræ, in ſpecialiſſimis caſibus balſamicam ſuam utilitatem comprobant: interdum denique Balſamus Sulphuris inſpiſſatus virtutem talem balſamicam comprobat: denique Spiritus vini rectificatus etiam balſamicus eſſe deprehenditur.

§. X. Paucis denique mentionem facere lubet de *Balſamatione corporis humani inanimati;* hæc perinde involvit excluſionem & præoccupationem putrefactionis ingruentis, quæ ipſa variis modis perfici poteſt, nempe quando liber acceſſus aëris humidi & calidi provide excluditur; aut quando corpora talia exſiccantur, vel in lixivium ſalinum deponuntur, vel ſi cum Spiritu vini rectificatiſſimo humectantur, quo denique quidam certos Spiritus balſamicos referunt; imprimis pro tali balſamatione conferunt Myrrha, Therebinthina, Maſtix, Succinum, Camphora, Sandaraca, quæ corruptionem & putredinem avertunt, quibus annumeranda ſunt olea diſtillata Roriſmarini, Lavendulæ, Serpilli, Meliſſæ, Spicæ, Juniperi, deinde Camphora, Balſamus Peruvianus &c. in liquamen balſamicum converſa tale mixtum ſubjectum conſtituunt, cum quo cadavera balſamari & a putredine defendi poſſunt.

CAPUT XVII.

De

CURA PER SYMPATHIAM ET TRANSPLANTATIONEM.

§. I.

Singulari nota digna eſt explicatio & commendatio curarum ſic dictarum *Magneticarum*, *Archealium* & *Mumialium*, quæ per *Sympathiam* aut *Antipathiam*, nec non per *Transplantationem* ſuccedunt, in quarum uſu ſingularis dexteritas, prudentia & vigilantia inſtituenda & applicanda eſt, ne

 vide-

videlicet ita indiſcretim ſonticæ tales medicationes ordinentur, quoniam ex illarum promiſcuo & præcipiti uſu etiam ſingularia damna & incommoda proveniunt.

§. II. Sunt vero ejusmodi curæ Medicis ita dignæ atque celebres, ut quando reliqua adminicula in diverſis caſibus & neceſſitatibus effectum debitum & ſperatum haud præſtant, tunc demum ad illas curas confugiant & in iisdem ſpecialisſimam opem inquirant: imo non deſunt, qui in plurimis morbis illas ſpecialisſimas curationes collaudant & applicant, adeoque ordinariam methodum negligunt & tantum per ſublimia & arcana talia adminicula ſanitati conſulere ſtudent.

§. III. Vulgo hæ curationes Archeales vocantur, quæ ſic dicto Archeo communiter imputantur, ſed cum hoc monſtrum in Theoria phyſico-medica admodum confuſum & occultum ſit, ita reliqua deductio modi fiendi ſatis ſterilis exiſtit: rectius itaque principalis efficacia & operatio animæ humanæ adſcribenda eſt, quæ pro diverſa ſenſibilitate & æſtimatione, ſecundum diverſas cauſas, formata & excitata, etiam varios effectus in corpus ſuum ægrotum transfert; quemadmodum in cura per Sympathiam & Transplantationem vis imaginationis multum valet; licet cæterum ſubtiles aliæ relationes animæ ſentientis & æſtimantis ad diverſas externas cauſas occurrant, quæ magis e ſuis effectibus & conſecutionibus, quam craſſis deſcriptionibus agnoſcendæ ſunt.

§. IV. E Sympatheticis remediis varia conſtant, quæ expertæ & probatæ efficaciæ ſunt, e quibus præcipue eminet Pulvis Sympatheticus, qui utplurimum ad Hæmorrhagias cohibendas ordinatur, licet ſecundum aliorum experimenta cum eodem variis aliis immodicis evacuationibus frenum immitti queat; deinde in Medicina ſatis conſtat lignum illud vulnerarium ſive Corylinum ſive Fraxini, quocum æque Hæmorrhagiæ compeſcuntur ac vulnerum conſolidationes promoventur: præterea ipſe ſangvis humanus ſubito exſiccatus iterumque exhibitus ſympathetice ſanguinis cohibitioni dicatur: & quæ non experimenta vulgo de ſanguine menſtruo, nec non de urina humana, ut & de Perſicaria maculata, de Uſnea cranii humani, de bufone, de lapide hæmatite, de Jaſpide rubra, de manu & induſio hominis mortui, aliisque ſubjectis allegantur, de quibus experientia & obſervatores aſſidui conferendi ſunt; ſicut paſſim varii ſatisque probati effectus recenſentur, qui ad ulteriorem experientiam duci & applicari poſſunt.

§. V. Non minus Sympathiæ & Antipathiæ adſcribi debent illæ medicationes, quæ cum diverſis animalibus ſive quadrupedibus, ſive volatilibus inſtituuntur & quidem in cura Eryſipelatis, Icteri, affectuum ſpaſmodicorum alio-

rum

rumque & quæ utplurimum cum urina aut ſangvine ægrotantis ſubjecti ſuſcipiuntur, qualis cura vero variis modis & occaſionibus anceps deprehenditur, unde merito ab ingenuo & prudenti artifice poſtponitur; ſiquidem variæ harum curarum in ſubjectis debilioris imaginationis, ſuperſtitionis & credulitatis non ex voto ſuccedunt, ſi non plane contrarios effectus nanciſcuntur.

§. VI. Quod vero curam per Transplantionem attinet, tunc ad eandem imprimis ſeliguntur arbores & frutices luxurioſius accreſcentes, velut Quercus & Salix, quibus vel ſanguis, vel urina, vel ſudor, vel excrementa alvina communicantur, ita quædam tales Transplantationes committuntur, quando cum ejusmodi excretis humanis certæ plantæ humectantur, vel quando ejusmodi prædictis arboribus clavus immittitur, vel per diſciſſas tales arbores æger transmittitur &c. vel quando certis vegetabilibus implantantur talia excrementa hominis ægroti & quæcunque varia alia experimenta paſſim proſtant, uti adhuc inter Botanicos conſtat, quomodo cum certa Sorbi ſpecie affectus Iſchiadici, Arthritici, Podagrici ſimilesque ſpasmodici transplantari queant.

§. VII. Quanquam vero de ejusmodi curationibus in praxi medica conſtet, quod in variis caſibus ſperatam & promiſſam utilitatem obtulerint, tamen viciſſim negandum non eſt, quod ſæpius nihil emolumenti præſtiterint, quin potius præſentem talem affectum magis immorigerum reddiderint, aut plane corruperint, unde cum talibus curis admodum circumſpecte procedendum eſt, tanto magis vero in ſubjectis valde ſenſibilibus & immoderatioris imaginationis in quibus propterea firmiores & contumaciores viſcerum & partium occluſiones & in futurum graviores alterationes contingunt, quæ ad affectus ominoſos maximeque refractarios conſequentes diſponunt.

§. VIII. Placet etiam hoc loco brevibus reminiſci curarum illarum ſimilis dignitatis & conditionis, quæ per Imprecationem & Deprecationem aut per Exorciſmum adminiſtrantur, quales curationes inter homines ſuperſtitioſos & credulos ſatis frequenter inſtituuntur & quæ præcipue inter Catholicos numeroſiores ſunt: huc ſpectant etiam Curæ per Amuleta, Characteres, Sigilla Corollas, Numismata, Schedulas uſuales, quæ ejusdem furfuris & tenoris ſunt; equidem aſſero, quod tales curæ verum Chriſtianum, qui in Omnipotentem Deum veram fidem & fiduciam ponit, non deceant, quoniam magis ad dehoneſtationem Sacro Sancti Dei, incredulitatem & peſſimam ſuperſtitionem in animis hominum excitandam & confirmandam quadrant, unde rectius ordinarias & ſimplices medendi methodos, quas benedictio divina comitatur, præfero atque commendo.

§. IX.

§. IX. Prudens itaque, ſecurus & conſcientioſus artifex in ordinanda cura per Sympathiam & Transplantationem admodum tardus & providus eſt, neque ſubito confugit ad ejusmodi experimenta, ſed ſincerioribus operationibus therapevticis incumbit, aut quando etiam tales curationes admittit, tunc ſufficienter corpus præparat & omnia illa obſtacula ſollicite removet, quæcunque ſiniſtros ſucceſſus cauſari poſſunt, neque in tali adhibita curatione ſecurus, negligens & otioſus acquieſcit, ſed iterum cum magno ſtudio in futurum avertit & præoccupat illa irritamenta, quæ priſtinum morbum provocare poſſunt; etenim ſi talis affectus denuo ingruit, tunc non modo eo acerbior exiſtit, ſed & eo magis refractarius evadit, ut neque aliis neque ſimilibus medicationibus obtemperet, adeoque ultimus ſtatus præ priori deterior evadat.

§. X. Singularis proinde cautela circa uſum curæ per Sympathiam & Transplantationem obſervanda eſt in ſubjectis plethoricis, nimium ſenſibilibus & in affectibus ſanguineis, maxime vero talibus, qui in acutiorem indolem propendent, quoniam ex ejusmodi curis facile alii conſequentes affectus inſolentiores & periculoſiores oriuntur, quos omni ſtudio peritus artifex præoccupare debet: neque etiam conſultum & ſalubre eſt talem curam repetito in uno eodemque ſubjecto exercere: multo minus ſalutare conamen eſt, quando morboſi quidam ſtatus & motus ſimul & ſemel opprimuntur & mutantur, quemadmodum in ſubjectis præcipitis & ſenſibilis indolis eo major circumſpectio habenda eſt, ne talis cura ſiniſtros effectus ſortiatur. De reliquo prædictæ curationes in illis caſibus magis locum inveniunt, ubi motus alterati plurimum ad præſens morbi ſchema contribuunt; etenim quando culpa eſt in vitioſa materiarum qualitate, tunc eædem curationes non modo nihil proſunt, ſed & eo certius reliquos neceſſarios ſalutares motus confundunt.

§. XI. Denique etiam illud in uſu practico obſervandum eſt, ne in morbis lenioribus aliisque quicunque alia ordinaria methodo emendari poſſunt, hæ ſingulares curationes adhibeantur, alias facile e minori malo, majus oriri poteſt, neque etiam in affectibus corruptis, neque in Febribus locum inveniunt, quoniam effectus harum curarum nimium quantum motus afficit & ad contumacem reſiſtentiam diſponit: illud brevibus aſſero, quod Medicus prudens & peritus longe melius ſecurius & certius procedat, ſi ab uſu harum curarum abſtinet.

CAPUT

CAPUT XVIII.

DE ANODYNIS.

§. I.

INter illa remedia, quæ recentioribus experimentis maxime arrident, referenda ſunt *Soporifera*, *Sedativa*, *Anodyna*, *Narcotica*, Stupefacientia, quæ, ſicut nomine, ita etiam efficacia differunt & hodienum refugium ultimæ neceſſitatis in praxi medica conſtituunt; quemadmodum verus uſus anodynorum remediorum in praxi medica rariſſimus eſt, abuſus vero qui cum iisdem committitur ferme quotidianus exiſtit, qui nititur illa communi obſervatione, quod ex vulgari anodynorum ordinatione mox morbi alterentur & ad minimum illorum vehemens & impetuoſus ſtatus & decurſus, aut dolorifica moleſtia minuatur, licet propterea forma morbi non emendata ſit; inde contingit, ut ex ejusmodi inverſione poſthac verus genius alicujus affectus ita corrumpatur, quo minus deinde alia auxilia pro tali corruptione corrigenda ſuppetant.

§. II. Tanto magis perniciosum eſt conamen in arte medica, quando confeſtim & quidem in primis morborum invaſionibus talia remedia commendantur; unde evenit, ut talis affectus mox in primis ſuis initiis tam graviter confundatur & poſthac in ſuo decurſu peſſimam faciem induat; ob id in Therapia medica maxima prudentia eſt adhibenda circa Anodynorum remediorum uſum, quia hæc tantum valent, quo cauſam morbi minime quidem tollant, ſed ſenſus, quibus cauſa illa obſervatur & motus, quibus ſubjugatur, obtundantur & perturbentur; inde iterum accidit, ut cauſa morbifica ſui juris fiat, adeoque nocivam ſuam efficaciam in corpus ſubſtratum inferat & ita facile liquet, quomodo hæc remedia plus vitalitati oppoſita ſint, quam pro eadem tuenda & ſublevanda conveniant.

§. III. Proprie Anodyna remedia operantur in ſenſibilitatem naturæ, quam ſtupefaciunt & obtundunt & quia cum ſenſu præcipue interno vitali motus arcte conjuncti ſunt, ita una illi motus turbantur, quo minus tali gradu incedant, ut peccans materia, aut noxia cauſa, expelli posſit: pesſime itaque agunt, qui Anodyna ſubjectis teneris, mollibus, delicatis, debilibus & jam ad motuum amisſionem pronis, commendant; aut qui ſub perfecto motuum

tuum defectu, vel ſimulatione, vel turbata applicatione, ordinant; exinde enim eo magis vires dejiciuntur & motus confunduntur, ita ut ad corruptos morbos eliciendos nullum ſubjectum magis aptum ſit, quam anodynum remedium: continent enim ſedativa ſubjecta ſulphur adverſum vaporoſum, quod partibus nervoſis maxime inimicum eſſe deprehenditur, cum quo in corpore præſente conſveta ſenſibilitas, per nervos adminiſtrari ſolita, tamdiu imminuitur & ſub illa averſione ex faſtidio ortus ſomnus inſtituitur, donec illud halituoſum ſulphur iterum e corpore remotum & evacuatum fuerit.

§. IV. Eo minus convenit talia anodyna remedia in ejusmodi caſu & ſtatu obtrudere, quando ſalutares quædam commotiones, pro conſervatione corporis ſuſceptæ, adſunt, quas proinde talia remedia pesſime confundunt, neque rationale tentamen eſt Anodyna injungere, quando ordinariæ ſalutares evacuationes deficiunt, præprimis, quando alvus eſt occluſa; neque ſecurum eſt, ſub maximo morbi vigore eadem offerre; ſiquidem tales extremæ medicationes, quæ per oppoſita & contraria fiunt, minime ſenſui naturæ accommodatæ ſunt; tanto minus conſultum eſt vel infantes, vel ſenes, qui alias in decrementa virium propendent poſitivis anodynis offendere, quare hæc prudentia cum remediis hisce adminiſtranda, ſeſe per totam praxin medicam extendit: eo magis cum anodynorum uſu maxima circumſpectio tenenda eſt, quia damna, quæ ex illorum ſiniſtro effectu propullulant ægerrime corrigi & emendari poſſunt.

§. V. Et quanquam vulgo diverſæ aliæ laudes anodynis ſubjectis adſcribantur, tamen eædem ita æquivocæ ſunt, ut experientia attenta vix unquam fidum effectum de talibus laudibus proponere ſciat: differunt præterea hæc remedia poteſtate & valore operandi, cum quædam potentius hanc ſtupefactoriam efficaciam exſerant, adeoque Narcotica proprie & poſitive talia audiant; alia vicisſim mitius operantur & ad leniora anodyna referenda ſunt; quam differentiam artifex probe noſſe debet, ne tam facile ſenſus cum ſummo gradu ſtupefactorii effectus obruat: proinde etiam ſalutare opus eſt, ſi len ora alterius efficaciæ remedia præmittuntur & denique Anodyna ſimpliciora & efficaciora ad ſummum necesſitatis gradum reſervantur, ſiquidem in genere magis ad motuum exceſſus, quam juſtos ſucceſſus, aut plenarios defectus ordinanda & admittenda ſunt.

§. VI. Quod itaque bonum & malum Anodynorum uſum attinet, tunc eadem indicantur 1) in valde excedentibus motibus, qui non facile per alia remedia mitigari poſſunt 2) in valde urgentibus doloribus 3) in excedentibus evacuationibus, quæ lenioribus medicamentis non obtemperant 4) in affectibus hæreditariis 5) in morbis habitualibus 6) in Calculi veſicæ nimiis

cru-

cruciatibus 7) in ſubjectis non valde ſenſibilibus 8) in intermittentibus febribus habitualibus: Contraindicantur vero 1) in Febribus quibusvis legitime decurrentibus 2) in ſalutaribus excretionibus debite procedentibus 3) in affectibus ſpaſticis mitioribus 4) in morbis chronicis 5) in morbis corruptis 6) in Nephritide ſimplici 7) in Calculo renum 8) in Colica 9) in flatulentia 10) in alvi ſiccitate & obſtructione 11) in negotio Hæmorrhoidum & 12) in infantibus, ſenibus, gravidis & puerperis: quæ contraindicationes præcipue concernunt vulgaria narcotica remedia, quæ in medica praxi præferuntur.

§. VII. Remediorum Anodynorum variæ ſpecies occurrunt, e quibus quædam mitiores, aliæ vero potentiores & in uſu non ita ſecuræ ſunt: mitisſimum ſubjectum ex anodynis eſt Cinnabaris & illa quidem pura, ſive nativa, ſive factitia fuerit; ubi non æque peculiaris virtus in Cinnabari antimonii inquirenda eſt: & hæc Cinnabaris tam in infantibus, quam adultioribus ſubjectis ſecure adhiberi poteſt, ſervata tantum illa cautela, ne in magna quantitate ordinetur; alias ad acerbiores ſanguinis commotiones excitandas ſatisfacit: deinde leniorem anodynam vim habet Semen Papaveris albi, quod interne ſub Emulſionibus præſcribi poteſt, quemadmodum etiam externe tam Semen hoc quam Oleum illius ad varia epithemata conducit; non minus Syrupus Papaveris Rhœados leniorem anodynam vim habet: Huc pertinet etiam Theriaca ſive ſimplex ſive cœleſtis, quæ in variis caſibus & ſubjectis ſedantem ſuam qualitatem exhibet.

§. VIII. Inter Anodyna potentiora principem hodie locum obtinuit famoſum Opium, de quo variæ compoſitiones pasſim proſtant; ſicut vero hoc Opium ob crudum & copioſum ſuum ſulphur inimicum & vaporoſum non ſatis fidam efficaciam habet, ita varii autores illius correctioni & meliorationi operam dederunt; unde nonnulli Caſtoreum, quidam Crocum Opii alexipharmacum & corrigens ſubjectum eſſe tradiderunt: optime vero illud per acidum ſive Citri, ſive Vitrioli, ſive aliud vegetabile, aut minerale, emendatur; quo nomine conſtat Sulphur Vitrioli anodynum Crameri, quod cum Oleo Vitrioli & Opio parari ſolet: quidam acidum aceti, alii acidum Tartari ipſum Sal tartari pro correctione Opii ſeligunt, ſiquidem vel nuda Opii decoctio & depuratio adverſam illius efficaciam emendat: ratione quantitatis quodvis Opium correctum admodum extenuandum eſt, ſicut illud in Maſſa Pilularum de Cynogloſſa in valde exigua copia reperitur, quæ maſſa propterea pro ſcopo anodyno ad unum vel alterum granum in adultiori ſubjecto convenit; infantes vero ab opiatorum uſu arcendi ſunt.

§. IX. Ad Anodyna Opiata pertinent Pilulæ Wildeganſianæ, quæ in exiliſſima quantitate conducunt, nec non Pilulæ illæ Anglicanæ Matthæi, ut &

 Philo-

Philonium Romanum & Requies Nicolai, quales compoſitiones in refracta doſi variis uſibus inſerviunt; proinde famigeratum eſt Laudanum liquidum, uti ab aliis Extractum Opii cum Spiritu vini paratum aut Eſſentia anodyna præfertur: ſimiliter Opiata eſt compoſitio, quæ nomen Diacodii Montani poſſidet: inſuper narcoticam vim habet Semen Hyoſciami, quod ad unum vel alterum granum in ſubſtantia, ad plura vero, ſub Emulſionibus interdum ordinari poteſt: denique etiam Extractum Tabaci ſoporiferam virtutem habet: & præter hæc interna dantur etiam quædam, quæ ad externos uſus ſedativos adhiberi poſſunt, velut Oleum Papaveris & Hyoſciami, Aqua hypnotica, Theriaca ſimplex &c. Solanum vero furioſum & Mandragora peſſimam narcoſin efficiunt; denique poſitivorum anodynorum uſum ſupplent alia paregorica lenientia, emollientia, ut & frictiones, ſicut interne talem lenientem & ſedantem vim habent diluentia, humectantia, gelatinoſa, lacticinia, mucilaginoſa, emulſiva &c.

CAPUT XIX.

DE SPECIFICIS.

§. I.

Specifica remedia ab aliis medicamentis ſimplicioribus ſingulari Charactere efficacia, utilitate, modo operandi, nomine & omine diſtincta ſunt, quæ propterea rite & inquirenda & exploranda & applicanda ſunt, ne tam ſingularis effectus, qui ab iisdem expectari debet, ex minus conſulto illorum uſu vel perturbetur, vel deſtituatur; cum vero tam celebris ſpecificorum uſus ſit, ita & fruſtraneum & temerarium eſſet eximium ſpecificorum remediorum numerum arguere & ſupponere, ſiquidem vera experientia teſtatur, quam concinnus & parcus adhuc ſit talis numerus remediorum adeo ſplendidorum: tanto minus vero rite procedunt illi, qui generica & univerſalia remedia cum ſpecificis confundere audent, ſiquidem horum indoles penitus & abſolute ab illis diſcrepat.

§. II. Specifica remedia dicuntur illa, quæ in aliquo affectu, ſingularis & intricatæ etiam indolis, talem proximum, directum, appoſitum & ſpecialiſſimum uſum & effectum habent, qualem alia remedia in eodem non exequuntur & qualem hæc ſpecifica in alio morbo haud perficiunt. Et hæc ipſa ſpecifica, non tam in materiis tractandis & evacuandis, quam in motibus emendandis & mutandis, efficacia & utilia ſunt; quare fruſtra erit iterum ſpecifica deſiderare in talibus morbis

morbis, ubi materiarum peccantium & præparatio & excretio neceſſaria eſt; quid quod illi eximie hæſitant, qui indiſcretim de ſpecificorum exiſtentia judicant, adeoque etiam in febribus in genere ſpecificorum talium uſum & utilitatem perorant, ſiquidem ſpecifica antifebrilia Helmontii, Mynſichti, Crollii, Timæi, Kercheri, Riverii, Strobelbergeri, Rulandi aliorumque nondum ſuis laudibus digna ſe præſtiterunt, quoniam indoles febrium maxime circa materias pravas verſatur; ubicunque vero vitium in motu eſt, ibi ſpecificorum uſus magis accommodatus atque probatus deprehenditur.

§. III. Multi quidem hodienum de Specificorum exiſtentia dubitant adeoque illa remedia, quæ hoc nomine declarantur vel ad adſtringentium, vel ad anodynorum claſſem referunt, dum quædam horum ſpecificorum interdum adſtringentem conjunctam qualitatem habent; ſed cum talia etiam Specifica occurſent, quæ hujus qualitatis non ſunt, interim indubium talem effectum ſpecificum exſerunt, ita fruſtra iterum ex ſpecificis generalia remedia formantur; quemadmodum viciſſim e generalibus ſive adſtringentibus, ſive anodynis, non ſpecifica remedia formari debent, propterea Opii ſpecifica commendatio adverſus varios morbos eſt vana & improba.

§. IV. Cum Specifica remedia in praxi medica dentur, notandum tamen eſt, quod eadem nondum magna copia conſtent & propterea majori & ulteriori induſtria perquirenda ſint; dantur vero etiam talia remedia, quæ hodienum adhuc multos Medicos latent & magis ſimplicibus & imperitis hominibus cognita ſunt; inde evenit ut interdum anus aut Opilio cum ſimplici herbula, ſine ullo veneficio, admirandos effectus perficere poſſit, quales ſtupendæ eruditionis & grandiloquæ experientiæ artifex perficere non potuit; ob id neceſſe erit medicinam per ſimplicia bene evolvere & eruere & ab aliis vanis & ſpecioſis artificiis & compoſitionibus utplurimum abſtinere, qua via paulo magis occaſio ſupererit inveniendi & approbandi ſpecifica remedia.

§. V. Quod peritum Specificorum uſum attinet, tunc minime conſultum eſt eadem indiſcretim exhibere velle, ſiquidem confuſa talis oblatio ſpem artificis deſtituit; unde antea generalia & prægnantia incommoda auferenda ſunt; deinde alvus cum reliquis ordinariis excretionibus non occluſa eſſe debet, neque alia remedia confuſa & incongrua, vel præmittenda vel poſtponenda, nedum quidem cum ſpecificis conjungenda ſunt: ipſa etiam ſpecifica haud in valde artificioſa formula exhiberi debent, cum non meliora, neque certiora ſpecifica dentur, quam quo magis ſimplicia ſunt; proinde hæc remedia non prodigis doſibus neque nimis frequenter obtrudenda ſunt, quid quod admodum confert, quo Specifica etiam tempeſtive exhibeantur, antequam affectus nimium increbuit & in talia periculoſa conſectaria delapſus, quæ neque Specificis, neque genericis curari

 poſſunt

poſſunt, ut ſunt corruptiones & refractarii infarctus partium: quædam denique ex Specificis remediis ante affectuum exacerbationes & ita dictos paroxyſmos offerri debent, ſiquidem alia horum remediorum ſub paroxyſmis aut poſt illos oblata non modo nihil juvant, ſed & magis affectum præſentem augent & confirmant.

§. VI. Quod ipſa remedia Specifica attinet, tunc eadem ab aliis experimentis Sympatheticis & curis transplantatoriis diſcernenda ſunt, interim illorum varia paſſim conſtant & proſtant, ſicuti oleum Scorpionum ſpecifice medetur ictui Scorpionum; Hepar canis & lupi rapidi, adverſus morſum horum animalium proficit: Hepar, Caro & Oſſicula Serpentum & Viperarum adverſus morſus Serpentum juvant; herba Millefolii in ſpaſmis Venam portæ affligentibus conducit: Urtica minor in Hæmoptyſi, Equiſetum in Mictu cruento, Dens Hippopotami in fluxibus uterinis & hæmorrhoidalibus compeſcendis conveniunt &c. ita ſimilia plura Specifica ex ipſis ſcriptis practicorum & obſervationum, imo ex propria ſedula & attenta experientia colligenda, commendanda & communicanda ſunt.

§. VII. Illa vero obſervanda eſt cautela, ne ille communis & familiaris Specificorum numerus adeo certus & indubius eſſe autumetur, quoniam inter alia multa dantur antepileptica, quibus ſpecifica virtus imputatur: multa recenſentur hepatica & ſplenetica Specifica, quæ vero hanc virtutem in uſu & applicatione medica non comprobant, licet etiam quædam vere ſpecifica dentur, quæ tamen non aliter niſi methodice & prudenter uſurpata hunc effectum exſerunt; unde omnino in Specificorum ſelectu prudentia opus eſt, ne partim nimis ſubito artifex vulgatis promiſſionibus fidem adhibeat, neve viciſſim, quando alia ſpecificorum nomine deprædicata, ſub promiſcuo uſu, effectum promiſſum non edunt, præcipitanter contemnantur, ubi rectius confert cum attentione & continentia methodum veram & genuinam perquirere, qua remedia talia adhiberi debent.

§. VIII. Et ſi hæc prudentia circa inventionem & applicationem tum Specificorum, tum reliquorum omnium remediorum, in Therapia medica hactenus commendatorum rite adhibetur, ante omnia vero huic ingenuo, ſincero & aſſiduo ſtudio Divina Clementia annuit, tunc eo magis confidenter in negotio ſuo procedere poteſt artifex; ita etiam eveniet, ut cum ſalutaribus ſuis intentionibus, inventionibus & executionibus gloriam Summi Archiatri amplificet & commodum afflicti proximi augeat atque promoveat, ſic inveniet & poſſidebit Medicus pius & ſincerus certum & verum ſuæ Therapiæ medicæ

FINEM.

PRAXIS UNIVERSALIS.

§. I.

THerapia ſpecialior continet methodum, certis morborum ſpeciebus ita medendi, quo earundem indoli & veræ conſtitutioni exacte ſatisfaciat artifex, ubi e generali Therapia ſolidæ & ſecuræ indicationes ad ſpecialiores effectus applicantur, ita quidem, ut ubique verus ordo ſervetur, ſiquidem methodus nihil aliud eſt quam anima totius artis medicæ, qua mediante ſalutares effectus rationabiliter promoventur.

§. II. Hæc medendi methodus reddit artem ſcientificam, rationalem, conſcientioſam & probatam, ſiquidem eadem præſupponit veram notitiam ſubjecti ægrotantis, veram conditionem ægrotationis & veram conſtitutionem atque efficaciam remedii: & in hac notitia certitudinem & evidentiam proſequitur, neque e poſſibili argumentatur; quin potius in rebus obſcuris rationalem expectationem, quam temerariam officioſitatem & præcipitantiam exercet.

§. III. Inter illas virtutes, quæ ad praxin medicam, rationabiliter exercendam, pertinent, maxime commendandæ ſunt prudentia, temperantia & conſtantia, ita ut quoad primam officia ſua circumſpecte, neque nimis audacter & confidenter artem exerceat: quoad alteram, ne minus fidis aut acerbioribus & impetuoſioribus operationibus indulgeat & quoad ultimam, ne in opere ſuo multum variet & tam quoad indicationes, quam quoad indicata multiplices mutationes ſuſcipiat.

§. IV. Diſcreta vero & quoad gradum eximia illa ſunt vitia artis medicæ, quæ ex parte Hippocrates reprehendit & quæ a rationali artifice longius abeſſe debent, videlicet Audacia, Timiditas & Negligentia, utpote quæ in tractandis & dirigendis morbis multum & ſatis frequens damnum inferunt,

ferunt, dum partim morbi mox obruuntur atque conſunduntur partim cauſa morbifica non mature extingvitur & ſeparatur, partim denique opportunitates operandi omittuntur & incurioſius obſervantur.

§. V. Et quo medica ars dextre, rationabiliter & perite exerceatur, ante omnia requiritur juſta & certa notitia morborum, quo genuinæ ſpecies atque differentiæ eorundem recte conſtent, ne inter ipſos morbos aliqua confuſio aut obliteratio occurrat, qui enim male cognoſcit, male etiam curat: ob id defectus veræ & ſinceræ hiſtoriæ morborum principalem defectum totius artis conſtituit: & hæc ignorantia maxime ſuſtentatur a perverſis & falſis opinionibus, quando varii morbi finguntur, qui non facile in rerum natura deprehenduntur.

§. VI. Neque tantum ſufficit ſimplicem & genuinam morborum conſtitutionem noſſe, ſed deinde etiam multum refert veras, certas & indubias eorundem cauſas intelligere, quo deinde per artis ſubſidium cum efficacia & abſolute medicus easdem auferre queat: in quo ſtudio ætiologico animus veritatis cupidus vulgarem & hodiernam curioſitatem cum maxima circumſpectione evitare debet, ne ſibi cauſas, rationes & demonſtrationes fingat, quæ in præſente morbo deſunt.

§. VII. Interea neminem deterrere debet vulgare & famoſum illud fatum artis, quando interdum quidam morbos cito tollere poſſunt, licet veram morbi cauſam haud cognoſcant; quale tentamen magis ad claſſem empiriæ, quam ſolidæ & rationalis praxeos pertinet; ubi nonnunquam audaces fortuna adjuvat, aut natura humana magis benigna, quam artifex ſub ordinatione incongruorum remediorum tam præſens malum, nimirum malam medicationem, ſtrenue & efficaciter ſuperat.

§. VIII. Vulgo quidem ab artifice deſideratur, quod cito, tuto & jucunde curare debeat, in quo deſiderio vero non ſemper ex votis procedere licet, cum partim ipſi morbi ita conſtituti ſint, quo minus in iiſdem morbifica cauſa ſubito ſuperari queat; deinde methodi medendi & auxilia ita comparata ſunt, ut non cujuslibet ſenſui accepta eſſe videantur: quare optima eſt illa medicatio, quæ ſecura eſt: accelerata viciſſim non ſemper cauſam morbificam tollit, ſed utplurimum morbum palliative tractat: jucunda denique medicatio raro ad ſcopum ſolidum pertingit.

§. IX. Imprimis in arte medica ſolicite proſpiciendum eſt, quo morbi occurrentes e genuino ſuo fundamento curentur: etenim ſuperficiariæ medicationes non niſi ſymptomata leniunt, morbum vero & cauſam morbificam relinquunt, ita ut poſtea non modo ægrotatio ſeſe confirmet, ſed & deteriores effectus & periculoſiores palindromes atque metaſchematiſmos inferat:

rat; proinde etiam opera danda eſt, quo morbi legitime & ſincere percurentur, adeoque ars medica a peſſima illa æquivocatione conſtanter liberetur.

Conf. Stahlii Diſp. de Curatione Morborum e fundamento.
de Curatione Æquivoca.

§. X. Ante omnia in morborum cura noſſe & obſervare debet artifex methodos atque modos naturæ medicatricis, quibus præſenti afflictioni ſubvenit, ne illis perniciosum aliquod impedimentum unquam inferat, quin potius iisdem ſublevandis, promovendis, dirigendis & ab aliis accidentalibus incommodis defendendis operam det adeoque miniſtrum naturæ ſeſe offerat, inde enim eveniet, ut artifex morbos tales magis dextre & legitime curet & a qualibet corruptione & perturbatione præſervet.

Conf. Stahlii Diſp. de Miniſterio artis naturæ ſalutariter ferendo.
mea: de Motibus Naturæ Cynoſura Medici.
Epiſt. mea: de Naturæ & artis commercio Therapevtico.

§. XI. Inter alias notatu dignas circumſtantias, quas artifex in ſubjecto ægrotante obſervare debet, maxime commendanda eſt ſubjectorum perſonalis ſenſibilitas & conſvetudo in diverſis motibus ſubeundis operoſa: utraque enim hæc circumſtantia non modo ad meliorem morborum cognitionem, ſed & ad ſecuriorem eorundem tractationem ſpectat, ſiquidem ex eadem veritas illa magis inclareſcit, quod non omnis alteratio a cauſa morbifica, ſed ex indole ægrotantis ſatis ſæpe pendeat.

§. XII. Ad requiſita rationalis, peritæ & efficacis praxeos præcipue pertinet, quo medicus in ſubjecto ægrotante retroſpiciat ad prægreſſas ſolidas & ſalutares excretiones, ſive ſanguineas, ſive alias & molimina cum iisdem conſentientia: ubi ſolicite inquirere convenit, an & in quantum earundem alterationes vel ad præſentem vel ad conſentaneum præcedentem quendam morbum diſpoſuerint, ut ita e morbis prægreſſis verum morborum conſenſum & certam earundem conſecutionem intelligat atque ex hac cognitione rationales indicationes formare & ducere queat.

§. XIII. Hinc reſtat etiam ſub ipſo primo acceſſu & ingreſſu ad patientes mox perquirere, an & in quantum ordinariæ & neceſſariæ evacuationes, maxime vero alvinæ procedant; quamdiu enim hæ deficiunt, tamdiu vel præſens morbus ſuſtentatur, vel confirmatur & niſi ordinariæ evacuationes in priſtinum legitimum ordinem redactæ fuerint, reliquæ extraordinariæ excretiones haud facile cum emolumento ſanitatis reſtitui poſſunt.

§. XIV. Prærerea artifex ſelectam notitiam habere debet remediorum fidorum, probatorum & certorum; maxime vero abſtineat a vulgato diffuſo & confuſo eorundem apparatu & potius paucis, ſed illis veris & ingenuis

 uta-

utatur, ſiquidem omnis ſuperfluus remediorum numerus ad diverſos varios conatus practicos, evagationes & periculoſas inconſtantias ſeducit; ob id rationalis praxis præſupponit, quo materiæ medicæ palæſtra tanquam Augiæ ſtabulum bene repurgetur.

§. XV. Quo magis vero remedia fida ad ſalutarem effectum pertingant, eo magis convenit, quo artifex eadem conſtanter adhibeat, neque in multitudines & multiplicationes auxiliorum pharmaceuticorum degeneret, utpote qui abuſus multitudinis remediorum non modo morbum præſentem admodum confundit, ſed & reſiduas vires & naturæ genericam alacritatem nimium offendit.

Conf. Stahlii Diſp. de Multitudinis remediorum abuſu.

§. XVI. Ad fundamenta praxeos rationalis medicæ multum porro contribuit cognitio morborum, per ætates variantium, quæ ad intellectum & differentiam congruorum & incongruorum affectuum confert: non minus ratio acquirenda eſt efficaciæ diſpoſitionis hæreditariæ in morbis, nec non virium in ægrotante præſentium, ut & ipſius morbi, quamdiu videlicet patientem detinuerit, aut modo adhibitorum variorum auxiliorum & uſurpatarum diverſarum medendi methodorum &c: quo juxta ſingulas has circumſtantias artificium ſuum dextre ordinare poſſit.

§. XVII. Et cum præprimis infantes & fœminæ, maxime vero gravidæ & puerperæ in morbis multis difficultatibus & implicatis ſucceſſibus ſubjiciantur, propterea in horum ſubjectorum ægrotationibus maxima temperantia opus eſt, ſiquidem ſingularis eorundem ſenſibilitas & diſcretus atque complicatus ſtatus variis periculoſis conſecutionibus expoſitus eſt, qui eapropter facile exacerbari & perturbari poteſt, a qua offenſione tamen artifex curatius abſtinere debet.

§. XVIII. Magno etiam ſtudio in cura morborum arduorum acutorum & intricatorum abſtinendum eſt a tentaminibus practicis & vulgo ſic dictis experimentis: hæc enim, uti nondum ingenua quadam fide prædita ſunt, ita fruſtra & non niſi cum temeritate in ejusmodi morbis adhibentur: præſtat potius in tali ſtatu certa & probata auxilia præferre, neque cum abiguis operari.

§. XIX. Adminicula, quibuscum artifex morbis medetur, ſunt vel auxilia, vel conſilia, utraque ſatis digna ſatisque neceſſaria: priora inferunt poſitivam remediorum & medicationum ordinationem, poſteriora magis verſantur circa commendationem boni regiminis, prudentis abſtinentiæ & congruæ expectationis: imo interdum occaſio contingit, ut medicus per conſilia melius & ſecurius quam per auxilia ſuccurrere queat, unde etiam artifex

ſex bene diſcernere debet, ubi auxilio vel conſilio, vel utroque ſimul opus eſt.

Conf. Stahlii Diſp. de Conſilio Medico.

§. XX. Omnium maxime artifex officia ſua cum prudenti ſecuritate & circumſpectione adminiſtret, neque ſubito ægrotantem obruat, non ſimultaneas impetuoſas & magnas evacuationes provocet (niſi ſumma neceſſitas poſtulet) neque vires patientis nimium offendat, ſed ubique a tali temeraria methodo abſtineat, ſiquidem circumſpectio virtus praxeos eſt, temeritas vero vitium.

§. XXI. Eximia etiam cautela opus eſt in morbis corruptis tractandis & curandis, ubi pro honore medici militat, ne ipſe morbos alibi corruptos tam facile in curam ſuam admittat atque ſumat, ſed potius illis honorem relinquat, qui morbum talem antea depravarunt, ſi eundem iterum redintegrare & in priſtinam ingenuitatem reducere poſſunt.

§. XXII. Quemadmodum etiam praxin medicam admodum difficilem reddunt caſus dubii, obſcuri & implicati, ita in iisdem tractandis artifex ſingularem prudentiam adhibere debet, ne ſubito & facile quicquam ſibi fingat idque pro fundamento morbi agnoſcat atque tractet, quin rectius in tali neceſſitate potius privativa methodo utatur, donec circumſtantiæ quædam magis perſpicuæ comparuerint; nunquam vero juxta Hippocratis monitum in tali ſtatu a ſana & vera ratione diſcedat.

§. XXIII. Ad dexteritatem, famam & ornamentum Medici in praxi exercenda ſpectat porro quo de indole morbi quæſitus non ſubtiles, diffuſas, obſcuras & excedentes philologias proponat, quin potius brevitati & perſpicuitati indulgeat, attamen non auſtere ægrotanti hanc explicationem deneget: abſtineat ſubinde a multis philoſophicis ſubtilitatibus, quæ patienti odioſæ ſunt, neque affectum condigne ſignificant, multo minus aliquam rationem ad praxin applicandam involvunt.

§. XXIV. In morbis periculoſis minime ſecurum reddere debet Medicus ægrotantem, aut ex certo vel breviter ſanitatem promittere, utpote quæ imprudentia artem dehoneſtat; interea vero etiam artifex non ita ſubito & moroſe patienti mortem indicare eundemque omni ſpe & fiducia ſimul & ſemel privare & deſtituere debet, ſed cum moderamine imminens quidem periculum ſignificare, animum vero illius non ſupprimere, ſed potius componere, tranquillare & erigere debet: ex utroque enim prædictorum non exigua damna in ſcientiam, conſcientiam & famam artificis, ut & artis honeſtatem redundant.

§. XXV. Et cum in artis exercitio etiam viſitatio ægrorum neceſſaria requiratur, ita in hac artifex famæ ſuæ conſulere debet, ne nimis frequenti aut non deſiderata ſua viſitatione patientem magis turbet & moleſtet, quam levet, interim tamen non in omnibus morbis neceſſe eſt patientes operoſe & ſtudioſe viſitare, ſiquidem in medicina etiam curatio in charta locum invenit, quæ tamen in affectibus periculoſis & variis aut temporariis mutationibus obnoxiis, locum haud invenit.

Conſ. Stahlii Progr. de Viſitatione ægrorum. de Curatione in charta.

§. XXVI. Magnam prudentiam artifex etiam adhibere debet in æſtimandis & tractandis morbis, tam malignis, quam Chronicis, quorum illi haud cum remediis impetuoſæ efficaciæ, calidioris qualitatis, attamen non cum debilioribus auxiliis & negligentioribus ſubſidiis curandi: hi vero minime præcipitanter tractandi, neque ad ſubitaneas & indiſcretas evacuationes urgendi, ſed potius ſub circumſpecta mora & conſtanti efficacium auxiliorum uſu ſucceſſive ad ſalutares effectus promovendi ſunt.

§. XXVII. Multum etiam confert in medicina practica recte noſſe & recte dirigere morbos typicos, qui in ſuo ſucceſſu exquiſitos ordines & exacta tempora involvunt: & hosce minime confundere aut turbare debet medicus, ſed omnem aſſiduitatem adhibere, quo ſub tali conſtanti ordine rite decurrat: ſiquidem omnis perturbatio, typicis affectibus inducta, non niſi in peſſimas & haud facile corrigibiles morborum corruptiones degenerat.

§. XXVIII. Omnium maxime medicus eximiam prudentiam & dexteritatem adhibere debet in tractationibus Hæmorrhagiarum & Febrium, ſiquidem illæ cum ſuis apparatibus & moliminibus diverſos alios affectus in ſingularem communionem ducunt, ubi præcipue illa fundamentalis cautela commendanda eſt, ne artifex easdem tam ludicre & promiſcue pro morbidis reputet, ne præmature iisdem exceſſum affingat, neve ſubitaneo & ſimultaneo actu easdem opprimat: febres vero utpote actus naturæ exquiſitæ inventionis & proportionis cum maximo moderamine dirigendæ ſunt: tanto magis uterque affectus dextre tractari debet, quia in praxi medica tam frequenter occurrit.

§. XXIX. Non minus prudentia & ſollicitudo adhiberi debet circa uſum remediorum univerſalium, quæ non raro ſpecialioribus methodis præmittuntur: ſed cum univerſalia communiter in ſolennioribus evacuationibus conſiſtant, quibuscum non raro prima initia & incrementa morborum perturbari poſſunt & ſolent, ita ſæpius cura per univerſalia deducit animum, quo minus genuinæ indoli affectus ſatisfiat, unde interdum per eandem curam varia perverſa & confuſa ſymptomata provocantur.

§. XXX.

§. XXX. Ita enim non facile periti & prudentes artifices in diverſis morborum ſpeciebus curandis ad famoſa & ſpecifica illa polychreſta, panaceas & medicinas univerſales confugere debent, ſiquidem non omnia omnibus conveniunt & ob diverſitatem cauſarum etiam auxilia diverſos effectus præſtare debent, etenim non niſi fructus ſuperſtitionis & credulitatis eſt, ex Alchymiſtarum & ſterilium Chymicorum fabulis prodiens, quando medicamenta talia univerſalia mirificis laudibus deprædicantur; quemadmodum effectus abunde docet, quantum unquam ejusmodi arcana remedia ſuis elogiis ſatisfecerint.

§. XXXI. Neque ita facile prudens artifex fidem adhibeat ſplendidis illis atque ſpecioſis & pretioſis promisſionibus de remediis heroicis, mumialibus, magneticis, archealibus & ſimilibus, ut pote quæ nimium quantum vera & ſecura experientia deſtituta ſunt animumque ad ludicram ſuperſtitionem & credulitatem ſeducunt, aut potius occaſionem miniſtrant, quo medicus non modo in genere temere experimenta inſtituat, ſed & non raro experimenta per mortes faciat.

§. XXXII. Sic ſingularis dexteritas atque circumſpectio uſurpanda eſt circa uſum & ordinationem curarum Sympatheticarum, aut per Transplantationem & remedia ſic dicta Specifica, quales Therapiæ vero uti admodum ſelectæ & diſtinctæ, ita etiam raræ ſunt, neque ita facile concedendæ & commendandæ, quamdiu morbus quidam ſimplicior, per ſimpliciora auxilia curari poteſt: quidquod circa ſpecificorum ſelectum illa prudentia adhibenda eſt, ne remediis minus ſecuri effectus hæc qualitas temere imputetur & affingatur.

§. XXXIII. Non minor prudentia commendanda eſt medico artifici rationali circa uſum remediorum cardiacorum, roborantium & nervinorum: etenim cum ejusmodi remediis quidam ita liberales, imo prodigi ſunt, ut etiam in illis caſibus nervina remedia ordinent, ubi vires non deficiunt & neque motus languent, quin potius interdum excedunt, aut ut alia methodus, ex ignorantia indolis affectus, ad talia roborantia auxilia confugit, ſed eo ipſo radicem mali ſuperfugit & negligit; imprimis vero maxima circumſpectio adhibenda eſt circa roborantia ſubtiliora & acriora & circa uſum cardiacorum in febribus.

§. XXXIV. Inter alias ſonticas cautelas practicas non infimæ notæ etiam hæc eſt, ne artifices quoad uſum & ordinationem adſtringentium & narcoticorum remediorum ſeſe faciles aut promptos exhibeant: licet enim hæc remedia cito ſuſpecta ſymptomata ſubjugent, tamen hic effectus nunquam ſecure procedit; quemadmodum ex uſu eorundem remediorum vel præſen-

tanei, vel futuri periculoſi effectus & ſucceſſus me uendi ſunt, quoniam per eadem vel motus vel ſenſus ſubito opprimuntur & confunduntur, qualis actus nunquam ſalubritati humanæ ſubvenit.

Conf Stahlii Diſp. de Adſtringentium cauto uſu. de Impoſtura Opii.

§. XXXV. Imprimis a rationali & prudenti artifice requiritur, quo Therapiam generalem congruam, efficacem & ſecuram adhibere ſciat: hæc cum vel circa materiarum correctiones vel evacuationes verſetur & hæ poſteriores magis directe vitalitati ſubſerviant, ita conſultius erit in Therapia ſpeciali ſubordinanda animum & curam magis applicare ad evacuationes promovendas, minime vero diu multumque correctionibus materiarum inhærere, aut non niſi eaſdem ita exercere, quo proxime prompta & efficax evacuatio ſubjungi queat.

Conf. Stahlii Diſp. de Therapevtica corporis præparatione.

§. XXXVI. Multam præterea utilitatem habet prudens exploratio virium & idioſyncraſiæ in ægrotantibus, ubi artifex ſolicite annotare debet, quantum patiens perferre poſſit & an remedia efficaciora & activiora, an vero temperatiora & leniora admittat, ne Medicus eundem nimium aggrediatur: quæ conſideratio virium etiam in illo reſpectu habenda eſt, in quantum eædem ad morbum graviorem perferendum valeant; quoad idioſyncraſiam vero artifex illam regulam in ſuum uſum convertere debet, ne tales indicationes taliaque indicata ordinet, quæ ægrotans eximie averſatur.

§. XXXVII. Et quid familiarius eſt in praxi medica, quam pulſum attingere & explorare, quæ indaga io eo præcipue inſervit, quo artifex præſentiam & gradus virium percontetur & quo ordines motuum inquirat; unde hæc indagatio & analyſis morbi ex pulſu inſtituenda omnino praxi medicæ confert, dum non modo ad uſum prognoſticum, ſed etiam ad emolumentum Therapevticum contribuit, modo in exploratione pulſus omnis ſterilis ſpeculatio, ut aliena expurgata ſit: minime vero ita facile in medicina Europæorum integrum erit e pulſu ſpeciem morbi agnoſcere.

§. XXXVIII. Inter alia ſubſidia, officia & requiſita artificis vulgo obſervatur & commendatur Uroſcopia & Uromantia, in qua vero etiam vulgo multus error atque dolus committitur, haud enim fam ſus & diffuſus illius uſus praxi medicæ certam ſinceram, conſtantem & ſolidam utilitatem affert; & cum non niſi in exiguis morborum ſpeciebus, maxime in febribus applicari poſſit, ita prudens artifex a communi & plebejo illo abuſu uroſcopiæ abſtinere debet: interea cum moderamine credulam & ſuperſtitioſam plebem de morbi cognitione & tractatione melius inſtruat & pro regula conſcientiæ æſtimet, ne mundum decipiat, licet decipi velit.

Conf. Stahlii Diſp. de Uromantiæ & Uroſcopiæ abuſu tollendo.

§. XXXIX.

§. XXXIX. Et quo artifex eo magis ad ſalutarem ſuum ſcopum pertingat, neceſſe erit, quo qualicunque licito modo fiduciam patientis ſibi conciliet, quam imprimis modeſtia, humanitate & commiſeratione acquiret; minime vero garrulitatem & novitatum commemorationem in ſubſidium trahat; proinde etiam & conſilio & auxilio ſeſe promptum offerat, neque tamen contra lubitum & deſiderium ægrotantis ſe ſuaque officia impune obtrudat.

§. XL. Et cum multa ſæpe vana & ſterilis perſuaſio & credulitas tam ægrotantes, quam artifices impleat, quæ circa remedia pretioſa & ſpecioſa verſatur, ita brevibus indicandum eſt, quomodo eo certius otioſum quoddam ſit remedium, quo pretioſum exiſtit; etenim hoc pretium non nititur experientia & prægreſſa applicatione, ſed potius æſtimatione, ſenſuali hominum, maxime credulorum, id quod verbi gratia valet de Margaritis aliisque Gemmis, de Auro, de ſpeciebus illis præparatis pharmacevticis Gemmatis ſimilibusque; loquor vero de communi peſuaſione.

§. XLI. Ita etiam quam maxime alienum eſſe debet ab artifice conſcientioſo & prudenti, ne remedia, in majori pretio conſtituta, præſcribat, non tam ſanitatis recuperandæ gratia, quam in commodum & emolumentum Pharmaciarum privatum: quin potius bonus artifex ab omni illicito privato commodo abſtineat & æquitatem etiam in præſcribendis remediis & formulis ſervet, alias ejusmodi iniquum artificem interdum terrena infelicitas proſequitur, quo minus videlicet fiduciam & amorem ægrotantium poſſideat.

§. XLII. Imprimis allaboret artifex, quo uſum remediorum ſimplicium magis introducat, ſiquidem diffuſa compoſita & præparata ſæpe diverſos & contrarios effectus exſerunt, dum videlicet in ejusmodi compoſito remedio diaphoretica, alexipharmaca, diuretica, calefacientia, ſtimulantia, commoventia, ſed ſimul etiam narcotica, adſtringentia, refrigerantia &c. continentur, teſtimonio Mithridatii, Theriacæ ſimiliumque actorum miſcellaneorum; contra vero dum vita animalis ſimplicisſimis rationibus nititur, ita eidem artifex ſimplicisſimis auxiliis ſuccurrere debet.

§. XLIII. Præterea artifex in toto ſuo externo cultu honeſtatem offerre, neque variis adverſis odoribus inunctus nauſeam ægrotanti procreare debet, ne fiducia de illis perſona auferatur, unde jam Hippocrates de decenti ornatu & habitu Medici latius diſſeruit, ſiquidem prudens artifex verbis, vultu, factis & veſtitu modeſtiam demonſtrare debet.

§. XLIV. Quando caſus obtingit, ubi ægrotantes nulla ope humana ſalvari poſſunt, ſed paulo difficilius moriuntur, cum maxima conſcientia artifex abſtineat, ne mortem morientis acceleret, neve quibusdam ſuperſtitionibus hominum aſſentiat, ſed potius cum piis votis expectet ultimam

ſolutio-

ſolutionem atque extremum vitæ punctum; neque etiam cogitet quaſi mortem retardare debeat, ſiquidem talia experimenta communiter miſerrimum ſtatum homini morienti inducunt.

§. XLV. Requiſitum artificis Medici præ omnibus reliquis maxime dignum & neceſſarium & in quo omnia reliqua concentrari debent, eſt, quo Medicus ſit pius & omnia candide, probe & ingenue agat, Deum timeat, neque ambitioſus ſit, neve ſuis viribus inhæreat, ſed omnia ſub exoratione divinæ benedictionis committat: impius enim Medicus eſt peſtis generis humani, cujus conſilia & auxilia non ita feliciter ſuccedunt, unde etiam minime cogitet, quod ſua capacitate & dexteritate patientes reſtituat.

§. XLVI. Dum vero propius ad curationes morborum accedimus ante omnia generalis differentia praxeos quatenus vel præſervatoria vel curatoria eſt, inculcari debet; priusquam ad curatoriam methodum medendi progrediamur, præmittemus antea genericam morborum præſervationem vel quænam adminicula ad præoccupandos & imminuendos morbos conferunt.

§. XLVII. Et cum conſervatio corporis noſtri ſumme corruptibilis præcipue impetretur per excretiones inutilium & reparationes utilium, ita ſimiliter morbi imminentes intercipiuntur per excreta & retenta, ſive per evacuationes & ingeſtiones, quatenus vel poſitive cum medicis vel diæteticis auxiliis procurantur, ſiquidem diæta eximiam utilitatem habet ad morborum origines præſcindendas, quemadmodum etiam per debitam & congruam abſtinentiam magni & ſontici morbi avertuntur.

§. XLVIII. Quod evacuationes attinet, tunc in ſubjectis ſangvine turgidis & abundantibus & quibus ſuperflua quantitas ſangvinis oneri eſt atque moleſta, præcipue conveniunt præſervatoriis temporibus inſtitutæ artificiales ſubtractiones ſangvinis, moderatæ tamen & non exceſſivæ, aut ſimultaneæ, quoniam omnis exceſſus naturam humanam opprimit: hinc in ſubjectis, quibus vaſa ſangvifera ampliora ſunt, Venæ Sectio præſervatoria, in ſpongioſioribus & carnoſioribus vera Scarificatio, ut & in ſubjectis, quæ hæmorrhoidalibus anomaliis, hypochondriacis, hepaticis & ſpleneticis morbis obnoxia ſunt, ſubordinata Hirudinum applicatio conducit.

§ XLIX. Eximie præſervantur & multi & ſontici morbi, quando conſuetæ hæmorrhagiæ, Menſtruæ videlicet & Hæmorrhoidales purgationes partim in juſto ordine conſervantur, partim legitime promoventur, partim denique tempeſtive & moderate reſtituuntur: ſed cum hi ſanguinis fluxus perquam ſenſibiles exiſtant, ita circa moderationem eorundem magna prudentia, temperantia & dexteritate opus eſt; neque vero viciſſim qualescunque

que Hæmorrhagiarum anomaliæ inconſiderate aut negligenter tractandæ ſunt, quia non modo facile obfirmantur ſed & in deteriorem ſtatum plane conjiciuntur.

§. L. In quibusdam ſubjectis præſervantur morbi vel primas vias detinentes vel ex iisdem emergentes, per artificioſas emeſes & quidem quando talia ſubjecta in victu pleno & diæta craſſa, ſpiſſa & irregulari conſiſtunt; ſubinde ſufficienti robore animi & corporis prædita ſunt & talia ſigna offerunt, ex quibus colligere licet, quod interdum ſpiſſas, moleſtas & ſuſpectas cruditates contineant: tanto magis vero confert tali evacuatione iisdem ſubjectis ſuccurrere, quando eadem ſæpius hac ſpecie excretionis cum euphoria tales impuritates dimiſerunt, ubi una auxilia incidentia, reſolventia & digeſtiva conjungenda erunt; ipſe vomitus vero rectius temporibus præſervatoriis, præcipue vero vernali, non vero æſtivo excitandus & circumſtantiæ tum indicantes tum contraindicantes bene ponderandæ & conciliandæ ſunt.

§. LI. Præterea diverſi morbi præſervantur per moderatas laxationes, quando videlicet in primis viis variæ heterogeneitatesননbilioſæ, ſeroſæ & mucidæ coacervantur, quæ functiones ſecretionis, præparationis, depurationis & excretionis humorum admodum turbant; præcipue pro tali evacuatione concilianda, conducunt Infuſa verno maxime tempore ordinanda cum ſpeciebus reſolventibus, incidentibus, ſerum colliquantibus, moderate diureticis & denique evacuantibus parata, ſicuti pilulæ laxantes cum amaris Extractis conjunctæ proinde hoc loco commendandæ ſunt.

§. LII. Quando in quibusdam ſubjectis ſpontaneæ & annuæ quidem Diarrhœæ oriuntur, tunc easdem artifex nullo modo ſubito coercere & ſupprimere, neque tamen etiam propterea magis provocare & exacerbare, ſed potius operam adhibere debet, quo placide decurrant & ſi paulo difficilius procedunt, tunc confert ſuccurrere cum auxiliis vel digerentibus & abſtergentibus ita dictis ſalinis, vel reſolventibus, incidentibus, vegetabilibus moderate acribus & amaris, aut gummatoſis, ſubordinando denique temperata roborantia & ſic dicta ſtomachica: Et quemadmodum hæc promotio per materiæ præparationem fieri poteſt, ita etiam per temperatam motuum excitationem ſuccedit: quodſi denique talis Diarrhœa exceſſerit, tunc moderamine quodam indiget.

§. LIII. In quibusdam ſubjectis copioſa ſecretio & profuſio bilis variis morbidis afflictionibus futuris anſam præbet, unde etiam præcipue concoctio graviter turbatur & frequentes capitis dolores inducuntur; in tali neceſſitate confert præſervatorio ſcopo non modo ſedulo bilem abſtergere per abſorbentia & diluentia remedia, ſed etiam ſolertius per Rhabarbarina auxilia

evacuare, ſervata & conjuncta illa temperantia in diæta, ne vini potus frequens & cibi aromatici atque amaricantes copioſius aut ſæpius adhibeantur: de reliquo etiam animi continentia & acidularum temperatarum uſus commendari poteſt.

§. LIV. Attento plane animo obſervare convenit, quomodo quædam ſubjecta ſpontaneis & annuis quibusdam Sudationibus adſueſacta ſint easdemque quamdiu legitime ſuccedunt cum euphoria tolerent & tunc demum varia ſontica mala & incommoda experiantur, quando eædem vel impediuntur, vel turbantur, vel ſupprimuntur: quo itaque ejusmodi ſudores rite ſuccedant, præſtat bonum regimen ſervare & interdum temperato alexipharmaco remedio uti, quo ſpectant radices reſolventes aliaque remedia ſerum liquantia & in ſubjectis humidioribus Succinata & Saſſafrata.

§. LV. Quando vero hi ſudores excedere videntur, tunc minime cum adſtringentibus & opiatis cohibendi ſunt, ſed tunc conveniunt remedia moderate incraſſantia, decocta mucilaginoſa, avenacea, hordeacea aut remedia temperata nitroſa, abſorbentia, coralliata, terrea uſta, vel denique ex hyacintho parata; ubi cautela opus eſt, ne talis ſudor ſimul & ſemel opprimatur, ſed ſub bono regimine ſucceſsive temperetur. Et quando mitigatus eſt, tunc præſtat moderatam laxationem ſubordinare: in futurum vero proſpicere convenit, ne vel tranſpiratio inſenſibilis vel idem ille annuus ſudor penitus emaneat.

§. LVI. Occurrunt etiam ſubjecta, quæ annuis Catarrhis capitis adſveta ſunt, imprimis Coryzæ, quibus proinde præſervatio quædam ordinanda eſt, ne e minus congruo horum catarrhorum ſucceſſu variis incommodis ſubjiciantur; propterea ejusmodi ſubjectis præcipue bonum regimen ordinandum eſt, ne diverſis & perverſis aëris mutationibus, imprimis vero repentinis caloris & frigoris viciſſitudinibus liberius ſe exponant, ſed imprimis proſpiciant, quo tranſpiratio inſenſibilis æqualiter procedat: deinde etiam iisdem repetitæ & moderatæ laxationes, ut & temperatæ diaphoreſes conducunt.

§. LVII. Cum hac occaſione de præſervandis morbis juxta diverſas hominum conſtitutiones diſſeram, brevibus placet hoc loco agere de præſervatione ſubjectorum Purpuratorum, vel quæ ſeminium Purpuræ continent, ne in arduam & periculoſam ægrotationem incidant, præprimis cum hic loci atque in confiniis noſtris Purpuræ calamitas admodum uſitata ſit: præſtat itaque quo tempeſtiva Venæ ſectio ordinetur, deinde repetita moderata laxatio adhibeatur, nonnunquam remedia teneriora abſorbentia offerantur una cum Nitro mixta, ut & quo decocta avenacea & hordeacea conferantur, aliquando temperatæ diaphoreſes ſuſcipiantur & de reliquo circa aëris injurias exquiſitum regimen ſervetur.

§. LVIII.

§. LVIII. Præter ſingulas has disquiſitiones, ad præſervatoriam methodum ſpectantes, merito adhuc commendanda eſt præſervatio morborum multorum per bonam diætam: quemadmodum enim irregularis diæta non modo diverſos morbos excitat, ſed & ſemel provocatos confirmat, ita naturæ humanæ apprime conveniens ſubſidium & commodum eſt, ſi in cibo & potu ratio, moderatio, ordo & modus ſervatur, utpote quæ diætetica opitulatio non modo febrilibus, ſed & aliis, præcipue Chronicis morbis præſervandis reſpondet.

§. LIX. Cum aquarum ſubterranearum & ſic dictarum ſoteriarum uſus in medicina practica admodum innotuerit, ita placet in limine tractationis præſentis practicæ de præſervatorio uſu earundem paucis agere: ad uſus vitales vero maxime conferunt aquæ temperatiores, non ſaturatæ ſalitæ neque valde ſulphuratæ & aluminoſæ; deinde ſubjecta, quæ his aquis uti cogitant adhuc ſufficienti virium tenore prædita eſſe debent, ſiquidem imbecillia & enervata ægre ferunt has aquas medicinales: præſervari vero poſſunt cum hisce tam vitia motuum & affectus ſpaſmodici, quam initia Cachexiæ, Cacochymiæ, Hypochondriacæ afflictionis & morborum primas regiones occupantium, ut & ingruens ſpisſitudo ſanguinis & metus ſtagnationum in hypochondriis, modo etiam hæ aquæ temperanter uſurpentur & poſt earundem uſum neceſſaria roborantia & tonica remedia ordinentur.

Conf. Stahlii Diſp. de Fontium ſalutarium uſu & abuſu.
Epiſt. mea: de Thermarum & Acidularum Idolo.

§. LX. Et cum hactenus neceſſaria fundamenta rationalis praxeos medicæ per varias animadverſiones ſuppeditaverim, ita ordo nunc requirit, quo ad ſpecialiorem praxeos medicæ commendationem denique progrediar, quam etiam proximis laboribus aggredior, ita ut juxta ordinem Pathologiæ meæ affectuum diverſorum ſpecies earundemque curas & præſervationes explicem, ſervata illa utili methodo, ut in quolibet affectu fundamenta Pathologico-practica breviter præmittam, deinde cautelas exquiſite practicas ſignificem, indicationes ſimpliciores & ſinceriores cum methodo medendi denominem & genuinos ſontes remediorum in ſuccinctis theſibus recenſeam, ſpecialisſimam vero remediorum commemorationem & medicamentorum concinnam compoſitionem, in certas formulas redactam, privatiori ſtudio & explicationi reſervem.

SECTIO I.

DE GENERALIBUS MORBORUM CAUSIS CURANDIS.

CAPUT I.

DE PLETHORÆ THERAPIA.

§. I.

PLenitudo ſanguinis, licet inter varia ſubjecta variasque nationes ſatis frequens exiſtat, tamen vix promiſcue medicina & medicamento indiget, ſiquidem in variis ſubjectis ex parte temperata, ex parte etiam ita tranquilla eſt, ut tunc demum in inquietudinem & immorigerum ſtatum conjiciatur, ſi medicina artificioſa eidem adhibetur, quid quod in ſequiori ſexu ob negotium formationis fœtus temperata ſanguinis abundantia omnino adeſſe debet, quæ vero in defectu fœtus iterum ſpontaneis viribus & inventionibus legitime per menſtruas purgationes ventilatur, ſicut etiam impoſterum per Lochialem fluxum imminuitur, quando ſub ſtatu ingravidationis ſanguis in majori quantitate collectus & retentus fuit.

§. II. Neque Plethoræ ratio & æſtimatio involvit abundantiam ſanguinis impuri, utpote quæ qualitas non niſi accidentaliter Plethoræ ſupervenit, ut Plethora cum Cacochymia conjuncta occurrat, ſed juxta ſimplicem ſenſum hæc abundantia ſanguinis adhuc a qualicunque dyſcraſia aliena etiam artificioſis tractationibus interdum ſubjicitur; unde præcipue ars medica verſatur circa illam ſuperfluam ſanguinis quantitatem, quæ nunc moleſta & ſuſpecta evadit & non modo jam proximius ad ingruentes morbos diſponit, ſed & jam actu cauſa prægreſſorum quorundam morborum evadit, ubi ex officio medici fluit, quo per curam Plethoræ vel imminentes morbos tempeſtive intercipiat, vel prægreſſas afflictiones debite præſervet & præoccupet.

§. III. Quando itaque Plethora per patheticas animi commotiones & malos mores, per varia & frequentia vitia diætæ, per immoderata regimina, per immodicas commotiones & exæſtuationes corporis, maxime vero in juvenibus, per inebriationes & vulnerationes & alibi per concitatas irregulares Hæmorrhagias, aut per abortus & ardua puerperia commota & exagitata eſt, tunc evadit ſubjectum & objectum artis medicæ, ne poſthac graviores morbidæ afflictiones ſuperveniant, ſiquidem non modo certi morbi ſimplicius ex eadem generantur, ſed & ipſa hæc plethora ſeſe aliis morbis, ab eadem non pendentibus, immiſcet & complicatum adeoque magis ſuſpectum ſtatum ægrotationi communicat, id quod præcipue eluceſcit in negotio Febrium, quando ejusmodi ſchemata occurrunt, quæ veteribus Synochæ putridæ nomine venire ſolent.

§. IV. Et dum ejusmodi morbida Plethora œconomiam vitalem, adeoque effectus eo ſpectantes, admodum turbat, dum non modo conſiſtentiam humorum, ſed & ſucceſſive craſin eorundem pervertit, ut & ordinarias Se- & Excretiones impedit, ita maxime refert, quo artifex bene perquirat, quousque ille morbidus Plethoræ effectus in individuis penetraverit & an adhuc in primis limitibus conſiſtat, an vero jam organis, vitalitati & ſanitati quadrantibus, actualem labem intulerit, ubi circa futuram illius tractationem eo major dexteritas adhibenda eſt: imo attentio & prudentia in praxi medica applicari debet, ne hæc Plethora tantum in craſſo conſpectu, neve in externo habitu inquiratur, ſiquidem etiam ſæpe ita occulta eſſe ſolet, ut nihilominus vires & efficacias ſuas morbidas exſerat.

§. V. Exinde facile liquet, quomodo illi Plethorici artis officio & miniſterio indigeant, qui non modo in plena, lauta, tenui, alimentoſa, aromatica & vinoſa diæta vivunt, ſed & qui variis impetuoſis, inordinatis & interdum confuſis animi & corporis commotionibus obnoxii ſunt, in quibus ita commota ſanguinis plenitudo varia futura incommoda conciliat, ſiquidem tantó major cura pro plethora habenda eſt, quo magis præter recenſitas hasce exagitationes unà victus & potus tenuis & valde commovens adhibetur & ad ſuſtentandas & augendas reliquas commotiones concurrit.

§. VI. Et quanquam in quibusdam ſubjectis natura humana ſua ſponte interdum ſanguinis plenitudinem imminuat, quod imprimis in ſequiori ſexu per Menſium & Lochiorum fluxum contingere ſolet, tamen artifex provide inquirere & dijudicare debet, an pro reliquis individui circumſtantiis talis ſpontanea depletio ſufficienter ſuccedat & an non in diverſis ſubjectis natura humana magis ſanguificationi, quam ſanguinis evacuationi incumbat: quodſi vero per ſe ſufficienter ejusmodi Plethoræ imminutionem adminiſtra-

verit natura, tunc non modo vanus & inutilis, ſed & plane noxius labor eſt, quando artifex artificioſa methodo ultro Plethoram individui aggreditur, ex quo conamine non niſi turbæ ſpontanearum ſalutarium naturæ functionum metuendæ ſunt.

§. VII. Eximiam utilitatem etiam habet illa conſideratio in medicina practica, quando Plethora poſt mutationem vitæ generis acquiritur, dum quidam homines antea in agili & laborioſa vita conſtituti fuerant, qui nunc ſedentariam vivendi rationem ſeligunt & ſervant, in quibus omnino confert Plethoram plane inconſvetam tempeſtive deplere, ne noxam pariat; id quod etiam valet de illa circumſtantia, quando in diverſis ſubjectis vel tolerabiliori vel majori plethora præditis, vulnerationes quædam præceſſerunt, in quibus futuræ circumſtantiæ ſvadent, quo pro evitanda ulteriori ſanguinis commotione & Plethoræ moderatione talis cura adhibeatur, quæ Plethoræ conſona eſt.

§. VIII. Juxta has animadverſiones mere practicas accommodanda erit methodus Plethoræ medendi, quæ quo ſincerior exiſtat, antea has ſequentes cautelas practicas in hac tractatione obſervandas commendat: cavendum itaque eſt a confuſa, promiſcua, ſimultanea, nimis prodiga & nimis frequenti ſanguinis ſubtractione; deinde a confuſione hujus evacuationis ſanguineæ, quoad inferiores & ſuperiores regiones; porro ab aliis evacuationibus impetuoſis, maxime vero emeticis, ut & ab intenſioribus artificialibus commotionibus, a remediis volatilibus ſpirituoſis acribus & qualitercunque calefacientibus, ut & a medicaminibus adſtringentibus & ſenſibilius refrigerantibus, aut immoderatius incraſſantibus, deinde a medicamentis narcoticis & regiminibus potentioribus & calidioribus & qualibuscunque ſimilibus tentaminibus ſanguinem valde exagitantibus.

§. IX. Ordo nunc requirit, ut ſimplicem illam methodum Plethoræ medendi ſubjungam; quo vero illa melius cedat & ſuccedat, ante omnia proſpiciendum eſt, ut evacuationes ordinariæ ſufficienter continuent; præprimis alvus in juſta libertate conſervari & magis per lenientia, diluentia & humectantia diætetica aut temperatiora laxantia, quam per ſtimulantia & poſitiva purgantia adjuvari debet; proinde providendum eſt, ne perverſo regimine inſenſibilis tranſpiratio in plethoricis turbetur & ſupprimatur, neve retentæ ſubtiliores impuritates vel ſuſpectam dyſcraſiam ſanguinis cauſentur, vel perverſis orgaſticis commotionibus anſam præbeant; unde partim cum congruo regimine, partim per uſum ſufficientis potus & motus hæc evacuatio conſervanda & promovenda erit.

§. X.

§. X. Proinde Plethorici homines abſtinere debent a diæta vinoſa, ſpirituoſa & aromatica liberaliori, ut & a plenitudine victus atque potus & uſu valde nutrientium alimentorum & potulentorum, nec non a cibo & potu ſpiſſo, impuro, fæculento, nimis infrigidante & primas vias turbante, quin rectius conducunt ſufficienti quantitate diluentia adminicula, quo ſanguis in juſta fluiditate perſiſtat: quibus ipſis auxiliis magis privative proſpiciendum eſt, ne per accidens nova quantitas inimica Plethoræ ſuperveniat.

§. XI. Quod directam Plethoricorum Curam attinet, tunc illa tribus peculiaribus modis exerceri & abſolvi poteſt, primo per artificialem ſanguinis depletionem, ſecundo per abſtinentiam, tertio per labores. Quod primam methodum concernit, tunc ſubjectis Plethoricis Venæ Sectio pro ratione & neceſſitate repetita, attamen non niſi frequenter adminiſtrata, ſufficiens tamen, confert: ſicut in ſubjectis carnoſioris corporis habitus ſubjuncta Scarificatio proficua eſt; qualis ſanguinis depletio ita dirigi debet, ne ſubito per liberalem & plenam diætâm ſanguis ſubtractus reparetur: quod vero ſpecialiores circumſtantias, misſiones ſanguinis artificiales concernentes, attinet, tunc illæ in Therapia medica latius exponuntur: illud interim hoc loco notare convenit, quod plethoricis ſubjectis paulo largiores, moderatæ tamen, ventilationes ſanguinis haud ita incommodæ ſint, ac defectivæ.

§. XII. Interim dantur varia ſubjecta partim ſenſibilia, partim moroſa & immorigera, quæ ſanguinis miſſiones extreme averſantur, quæ tamen etiam labores metuunt & in victu pleno imminuendo ægre conſentiunt; unde interdum lepida illa deſideria proponunt: annon Medicus per remedia ſanguinem abundantem imminuere poſſit: Et licet Paracelſus de Helleboro ſuo nigro aliisque ſpeciebus aſſeruerit, quod ſanguinem in tanta quantitate conſumant, quanto pondere eædem ſpecies aſſumtæ fuere, tamen partim experientia Paracelſi neque ſolida & certa, partim etiam neque probata atque efficax, aut pro applicatione idonea eſt, ſiquidem parallela methodus Plethoram curandi per ſudorifera, minus ſecura exiſtit.

§. XIII. Et quoniam Plethora in diverſis ſubjectis præter univerſales turgefactorias commotiones etiam particularibus congeſtionibus, per ætates variantibus, modo ad caput, alibi ad pectus, interdum ad hypochondria, nonnunquam ad loca hæmorrhoidalia expoſita eſt, ita prudens & peritus artifex præter univerſalem ſanguinis artificioſam imminutionem dijudicare debet, quæ particulares ſubordinandæ ſubtractiones ſanguinis, ſive per Scarificationes ſ. per Hirudinum applicationes certis individuis quadrent.

§. XIV. Quando Plethorici hæmophobi huic priori methodo obtemperare renuunt & nullo modo ad miſſiones ſanguinis artificiales duci poſſunt,

ſunt, tunc altera methodus magis privativa iisdem eſt injungenda; qua videlicet in aſſumendo pleno & copioſo victu & pingui atque ſaturato potu temperantiam adhibere debeant; unde jejunium & abſtinentia commendari debet; ita tamen, ut ſub reliquo moderato alimentorum & potulentorum uſu præferant qualitatem cibi & potus humidioris & dilutioris, mediante qua reliquæ ordinariæ Se - & Excretiones in juſto ſucceſſu & ordine conſervantur.

§. XV. Tertia denique methodus Plethoram curandi & imminuendi, iterum eſt poſitiva, quando videlicet per asſiduos ſufficientes & moderatos motus & labores indies & ſuccesſive ſanguis conſumitur: inde enim eſt, cur homines vilioris ſortis & opifices e craſſa & valde larga ſua diæta nulla incommoda patiantur: hinc Plethoricis conducunt peregrinationes, exercitia corporis, minus vero Venerea: proſpiciendo, ne in quocunque corporis motu exceſſum committant.

§. XVI. De reliquo præter ſingulas haſce methodos Plethoricis inculcari debet tranquillitas animi, abſtinentia a cibis valde aromaticis & potulentis ſpirituoſis; interdum etiam & ſub commoda aeris temperie moderatus uſus balneorum concedi poteſt; quid quod in aliquibus, quibus paulo ſpongioſior eſt corporis habitus & quadantenus ſpisſitudo ſanguinis imminet, temperatarum acidularum moderata ingeſtio nec non calor modeſtus præ frigore iisdem magis convenit, proſpiciendo etiam, quo evacuationes ordinariæ in quotidiano & ſufficienti ſucceſſu conſerventur.

CAPUT II.

DE SANGUINIS SPISSITUDINE.

§. I.

INter cauſas eminentioris & evidentioris efficaciæ ad morbos inducendos, & confirmandos magnam & diſcretam attentionem meretur ſpisſitudo ſanguinis & quidem illa, quæ ſimplex atque maſſæ ſanguineæ propria & communis eſt, ſiquidem alias ſpiſſeſcentia humorum, quoad diverſas complicationes inquinamentorum differt, dum in Scorbuto, Lue venerea, Scabie & affectibus malignis non raro certæ & diſcretæ ſpecies hujus ſpisſitudinis occur-

occurrant; unde potius hoc loco de ſimplici crasſitie ſanguinis, quæ ex defe-ctu ſufficientis humiditatis & mobilitatis prodit, neque de ſpeciali inquinamento materiali participat, ſermo inſtituendus erit.

§. II. Et hæc ſpisſitudo, ſicuti ſucceſsive oritur, ita etiam diverſos morborum ſtatus & gradus producit, ſiquidem communiter ad eximium offendiculum liberi progreſſus, nec non ad varias oppletiones, ſtagnationes, infarctus & plenarias ſtaſes contribuit: ſubinde vero negotium ſalutarium Se- & Excretionum turbat & ita impoſterum anſam præbet, quo hæc vitioſa craſis & conſiſtentia ſanguinis aliam complicationem dyſcraſiæ & perfectam cacochymiam inferat, adeoque hunc complicatum ſtatum magis immorigerum & refractarium reddat.

§. III. Tanto magis hæc crasſities ipſas vires hominum aggravat atque enervat, cum immobilitas ſanguinis & metus corruptionis poſtulent auctiorem & efficaciorem motuum applicationem, ſub qua deinde majores enervationes virium concurrunt; unde non modo ipſe animus torpet & languet, ſed & reliquæ functiones ad corporis conſervationem ſpectantes imminutæ deprehenduntur: imo quo magis hæc enervatio & hic defectus energiæ neceſſariæ augeſcit atque continuat, eo majus detrimentum ſanitati accidit, ſiquidem per congruas & ſufficientes vires ſanguis denuo in convenientem fluiditatem redigendus eſt.

§. IV. Communiter quidem ſanguinis Spisſitudo conjuncta eſſe deprehenditur cum ſanguinis plenitudine, ſicut illa ex hac & interdum etiam viciſſim hæc ex illa ortum trahere poteſt: quemadmodum vero utraque ſe invicem admodum confirmat, ita non exiguus aut oblivioſus reſpectus eſt inſtituendus, quo præjudicioſa illa plenitudo ita congrue atque tempeſtive imminuatur, ne exinde ſpisſitudo ſuum accrementum nanciſcatur; ubi unà ad illas cauſas retroſpicere convenit, quæ plenitudinem ſanguinis conciliare ſolent, ne eædem hanc ſpisſitudinem comitentur.

§. V. Et ſicut hæc crasſities ſanguinis ad varias ægrotationes diſponit, ita maxime refert, quo in curandis talibus afflictionibus artifex non tam ad moleſtas ſenſationes animum dirigat & applicet, quam ad hanc mali cauſam atque radicem, imo quo magis adulta eſt talis ſpisſitudo, eo magis tenax & intractabilis exiſtit; quæ ſicut ſucceſsive generatur, ita adeo repente mutari & emendari haud poteſt: quodſi vero contigerit, ut eadem e cauſa ſubitanei effectus ortum traxerit, videlicet ex inconſueta vita ſedentaria, aut oblatis Philtris & venenoſis ſubjectis ingeſtis, tunc eo magis eadem ſuſpecta eſt, ne ſubcutaneas & periculoſas ſtaſes introducat.

§. VI. Quemadmodum hæc Spisſitudo ſanguinis non modo ad morbos ſonticos producendos inſervit, ſed & ad alios morbos, qui ex alia cauſa oriuntur exacerbandos & augendos quadrat, ita ſymptomaticus illius concurſus in praxi medica attente eſt obſervandus & dextre removendus id quod etiam valet de complicatione uſus morboſæ cauſæ in febribus tam acutis, quam intermittentibus: alias quidem juxta frequentiorem obſervationem hæc moleſta ſanguinis crasſities magis ad Chronicos, quam ad repentinos & acutos affectus diſponit, niſi interdum & quidem in caſibus reſervatis & raris extremus ſpisſitudinis gradus ad repentinos funeſtos eventus diſponat & concurrat.

§. VII. Præterea hæc ſpisſitudo ſanguinis utplurimum univerſalis eſt, ita ut non modo in internis, ſed & in externis corporis regionibus reperiatur: exinde quoad uſum prognoſticum & practicum facile colligere licet, quomodo ob cauſam morbificam, ita extenſam, cura tam cito tamque efficaciter abſolvi haud posſit; imo quia motus vitales ſub tanto eximio impedimento procedunt, propterea etiam per immoderatas artificioſas commotiones cura adminiſtrari non debeat; tanto magis, quia ejusmodi ſubjecta ad graves languores & virium defectus, per qualemcunque immoderatiorem excitationem ducuntur; unde hæc cauſa, licet crudior compareat, tamen minime crude & craſſe tractanda eſt.

§. VIII. Ob id magna ſollicitudo & dexteritas eſt adhibenda, quo ejusmodi ſubjecta, quæ ſanguinis ſpisſitudine laborant, moderate & circumſpecte tractentur & quo hæc cura eo melius, efficacius & ſecurius ſuccedat, ſequentes cautelæ practicæ præmittendæ ſunt 1) nocent immoderatæ & impetuoſæ quælibet evacuationes 2) nocent omisſiones & negligentiores repetitiones tempeſtivæ depletionis artificialis ſanguinis 3) nocent confuſæ & immodicæ ejusmodi ſubtractiones ſanguinis præcipue vero 4) in ſuperioribus corporis regionibus inſtitutæ: 5) quemadmodum etiam defectivæ ſanguinis misſiones obſunt: 6) nocent negligentiores promotiones ſpontanearum evacuationum ſanguinis: 7) obſunt medicationes per remedia volatilia, concentrata, oleoſa, acria, ſpirituoſa & ſanguinem valde commoventia: 8) omittantur repentinæ & immoderatæ commotiones corporis, ut & regimina valde calida, 9) officiunt vulgaria reſolventia aperitiva & ſanguinem diſcutientia, quæ utplurimum calidæ indolis ſunt 10) nocent artificiales & quidem poſitivæ diaphoreſes 11) nocent remedia adſtringentia & narcotica & denique 12) nocent etiam negligentiores ordinariarum excretionum promotiones.

§. IX. Cura ſpisſitudinis ſanguinis hiſce indicationibus comprehenſa eſt 1) ut generalia impedimenta, quæ reliquam medicationem offendere poſſunt, tempeſtive & conſtanter arceantur: 2) ut ipſa ſpiſſitudo per initia cum ſimplicioribus auxiliis & regiminibus emendetur 3) ut impetrata aliquali reſolutione etiam artificioſa & paulo efficaciora adminicula conſerantur 4) ut bono regimine & vitæ genere reliqua cura fulciatur & levetur & futura ſpisſitudo imminens præſervetur atque præoccupetur.

§. X. Impedimenta, quæ reliquam curam ſpiſſitudinis ſanguinis afficere & difficilem reddere ſolent, ſunt 1) ſanguinis conjuncta & moleſta plenitudo ſive abundantia, quippe quæ obſtat, quo minus in corpore individui ſufficiens locus atque ſpatium pro diluendo & reſolvendo ſanguine adſit; quin potius efficit, quo tranſitus atque progreſſus ſanguinis per illas partes in quibus fluiditas & reſolutio obtinenda eſſet, retardetur, adeoque ſpiſſitudo hæc morbida confirmetur & augeatur, unde in principio curæ opera danda eſt, quo hoc incommodum tempeſtive auferatur.

§. XI. Propterea in hac artificiali præparatione ad proximam poſitivam curam ſpisſitudinis ſanguinis tempeſtiva depletio ſanguinis per Venæ Sectionem ſuſcipienda eſt & hæc quidem ſpecies misſionis ſanguinis longe magis in hoc ſtatu conducit, quam Scarificatio, per quam non niſi parcus ſanguis ſubtrahitur: præſtat vero capaciorem inciſionem venæ inducere & ſufficientem ſanguinis quantitatem emittere, ſiquidem ad minimum unc: V. VI. ſanguinis extrahendæ ſunt: deinde etiam expedit ſeligere venam capaciorem, quoniam e minori ſanguis difficilius effluit: & ſi in certis individuis præſens ſanguinis crasſities regionem hypochondriacam moleſtius affecerit, tunc præmiſſa Vena Sectione, in pede inſtituta, ſubordinanda eſt applicatio hirudinum ad loca hæmorrhoidalia.

§. XII. Ad generalia incommoda & impedimenta pertinet 2) frequens alvi ſiccitas & occluſio, quæ ita emendanda eſt, ut reliquæ auxiliorum ordinationes magis penetrare queant & quo ſanguis per Venam Portæ liberius transfluat, quoniam impeditus progreſſus ſanguinis per illam tanto magis hanc morbidam ſpisſitudinem inducit & ſuſtentat: minime vero præſtat alvum per irritantia provocare, ſed potius conducunt lenientia, humectantia, moderate laxantia in dilutiori formula offerenda, ut & abſtergentia citra incraſſationem efficacia, ſive diætetica, ſive moderate pharmacevtica; quo inter alia pertinent colliquantia illa remedia Tartariſata: quemadmodum temperatus Aloeticorum uſus non penitus diſſuadendus eſt.

§. XIII. Quod vero ipſam curam crasſitiei ſanguinis concernit, tunc ordine primo conducunt ſimpliciora auxilia, partim diluentia, partim re-

ſolventia: quod priora attinet non alia conveniunt, quam diætetica, humectantia, decocta, Infuſa, Juſcula & Potulenta fluidiora, neque valde ſaturata, abſtinendo interea a cibis ſpisſioribus valde ſalitis, aut cum multo ſale conditis & induratis, ut & a ſpisſioribus fructibus horræis, quin rectius conjungendo molles, tenues cibos & potius parcius edendum, largius vero bibendum eſt; reſolutio ſanguinis ſimplicisſime per motum ſufficientem & congruum corporis & labores asſiduos obtinetur: cavendo ne aliqualis exceſſus in illius exercitio committatur.

§. XIV. Ad ſimpliciorem methodum diluendi & reſolvendi ſanguinem ſpiſſum pertinet etiam uſus temperatus & moderatus vini, non vero potuum concentratorum & ſpirituoſorum; ſiquidem moderata conciliatio aromatum, præprimis piperis & Zingiberis eundem effectum reſolutorium diæteticum promittit, quo adhuc ſub diæta accenſeo uſum Ceparum, Raphanaceorum, Alliatorum ſubjectorum; quemadmodum diætetica Cochleariæ & Naſturtii comeſtio eandem utilitatem diſſolutoriam pollicetur, cavendo ne cum frequenti aceti commixtione fiat: denique ex fonte diætetico oleoſa non admodum nutrientia huc conducunt.

§. XV. Ad artificialia magisque ſpecioſa adminicula referri poteſt illud experimentum, quod inter medicos magnæ quidem exiſtimationis eſt, ſed quod partim rarius adhibitum fuit, partim quod illud ſubjecta averſentur; videlicet, quando per Chirurgiam infuſoriam ſpiſſus ſanguis magna quantitate educitur & mox ſubtilior & fluidior in alio latere immittitur; utpote quæ medicina in ſubjectis non valde ſenſibilibus neque animo & corpore admodum delicatis admitti poteſt, & quæ citiorem ſalutarem effectum promittit: ſed cum molles & delicati Germani hoc experimentum abhorreſcant, ita partim antecedentia, partim conſequentia auxilia præferri merentur.

§. XVI. Quod itaque tertiam indicationem attinet, tunc ſuccesſive pharmacevtica auxilia cum prædictis diæteticis combinari poſſunt & hæc iterum partim, diluentia partim reſolventia ſunt, quo pertinent decocta ex radicibus temperatis reſolventibus herba Veronicæ, Scordii, Capilli veneris &c. hordeo excorticato, paſſulis majoribus & ſeminibus noſtratibus ſemi aromaticis parata; perinde alia remedia amara & antiſcorbutica conferri poſſunt, quæ in forma infuſorum vinoſorum commodius exhibenda ſunt; proſpiciendo tamen, quo motus moderatus coporis conſtanter conjungatur: quod vero Martis uſum concernit, cui vulgo vis aperitiva atque reſolvens adſcribitur, tunc ille non ſatis ſecurus & probatus eſt.

§. XVII.

§. XVII. Sermo adhuc brevibus inſtituendus eſt de Acidularum & Thermarum uſu ad ſpiſſum ſanguinem attenuandum: quod quidem Thermas attinet, tunc illarum uſus moderatus in ſubjectis carnoſioris habitus non contemnendus eſt, id quod etiam de reliquis temperatis balneis domeſticis valet, ſiquidem ſub relaxatione ſuperficiei corporis ſanguini affluenti major acceſſus & ingreſſus ſubminiſtratur, ut propterea in partibus poroſis aliqualem gradum fluiditatis nanciſcatur: acidulæ vero proinde temperatæ, tunc uſum ſuum promittunt, quando non dum in primis regionibus contumax hujus ſpisſitudinis obſirmatio, aut actualis quædam partis organicæ labes adeſt: ſub uſu harum aquarum mineralium conducit conjuncta peregrinatio, diæta tenuis & interpoſitus vini uſus.

§. XVIII. Ultimum ſuper eſt, quo pro tota hac cura ſublevanda & ulteriori ſpiſſitudinis confirmatione præoccupanda, juſtum regimen & congrua diæta præſcribatur: præſtat vero quoad uſum aëris eminentioribus turbis, mutationibus & impetuoſis commotionibus corpus ſubtrahere, multum & nimium acceſſum frigoris ſedulo evitare, quin potius ſerenam & temperanter calidam auram ſeligere: in diæta nocet indiſcreta voracitas & plenitudo, quin potius abſtinentia & moderatum jejunium confert; deinde conducunt cibi & potus molles, tenues, eupepti, non valde ſaturati, non fermenteſcentes, non fæculenti, non nimium ſapidi aut valde aromatici: nocet uſus potuum deſtillatorum, ſpirituoſorum: nocet fumus Tabaci: temperatus potus vini in hac calamitate proficit: motus & potus indicato modo ſunt optima medicina hujus afflictionis, nimius ſomnus nocet, multa deſidia confirmat hanc craſſitiem ſanguinis, quid quod in futurum proficit, quo evacuationes ordinariæ conſtanter & ſufficienter ſuccedant & continuent; quo etiam ſpectat, ut artificiales ſanguinis miſſiones dextre repetantur: nocent inebriationes & eximiæ animi turbæ, imprimis metus, mœror, anxia ſollicitudo &c. prodeſt honeſtum gaudium & quicquid animum erigit atque reficit.

CAPUT III.
De
CACOCHYMIA.

§. I.

AD generaliores & magis principales morborum cauſas denique refero Cacochymiam, ſive depravationem craſeos, in maſſa ſanguinea, quæ ſubinde aliquam pravitatem connexam conſiſtentiæ infert, ut vel

lympha nimis ſpiſſa, vel ſerum nimis tenue, vel bilis oleaginoſa evadat, licet potiori ſenſu atque jure hæc dyſcraſia mixtionem humorum concernat, dum hisce materiæ ſalinæ acres ſulphureæ aceſcentes, fæculentæ terreſtres, fermenteſcentes & ſimiles majori quantitate commixti ſunt, ut propterea ipſa puritas non modo fluidarum, ſed & poſthac etiam ſolidarum partium immutetur & deterioretur.

§. II. Et dum Cacochymia ſive ſimpliciorem morbidam calamitatem conſtituit, ſive cum aliis ægrotationibus complicatur, ut interdum Plethora, ſpaſmi, pasſiones hypochondriacæ, ulcera &c: cum Cacochymia, commiſceantur, ita in medicina practica multum refert hanc diverſitatem ſimplicitatis vel complicationis exacte noſſe, ſiquidem morbi alterius indolis cum Cacochymia conjuncti, longe deterioris conditionis exiſtunt, adeoque longe majorem curam, induſtriam atque dexteritatem poſtulant, cum eorundem radix ita obfirmata deprehendatur.

§. III. Ortus Cacochymiæ uſitatius lentioribus ſucceſſibus nititur, niſi philtrorum & venenorum ingeſtionem atque ſuperationem repentina talis humorum depravatio corripiat: propterea vero hæc dyſcraſia intimiores radices capesſit, adeoque humoribus firmius inhæret, quid quod ſucceſſive magis alias partes inficit & afficit; unde artifex tam ad fluidas, quam ad ſolidas partes in hac afflictione debite tractandas animum applicare debet, minime vero hunc ſtatum negligentius æſtimare, neve ſubitaneam aut acceleratam emendationem promittere & urgere, ſiquidem tota Therapia Cacochymiæ non niſi ſucceſſivis auxiliorum ordinationibus rationabiliter inſtruenda & gerenda eſt.

§. IV. Utplurimum hæc Cacochymia generatur ex prægresſis ſalutaribus excretionibus, nunc perturbatis, impeditis aut penitus ſuppresſis; ſiquidem Hæmorrhagiarum ſalutarium turbæ non raro ad Cacochymiam & Cachexiam diſpoſuerunt: & hæc ipſa quidem animadverſio inſtruit artificem, quo in veras cauſas & origines hujus afflictionis ſufficienter inquirat, ut deinde morbum e ſuo fundamento recte curare queat: & cum non raro eadem humorum depravatio ex læſa proportione motuum ad humores & vice verſa humorum ad motus ortum trahat, ita perinde cura & ſtudium adhiberi debet, quo in fundamentali hujus morbidæ conſtitutionis tractatione proportio illa reſtituatur, ſicut de reliquo diætæ & regiminis corruptiones & irregulares uſus ad hanc calamitatem diſponere ſolent.

§. V. Exſerit ſeſe Cacochymia cum eximia ſalutarium evacuationum alteratione, ſiquidem ob pravam craſin & conſiſtentiam humorum, ſecesſiones impuritatum difficilius ſuccedunt; unde etiam neceſſariæ excretiones ma

gis

gis deficiunt, quam excedunt; eo ipſo ſeſe hæc labes atque afflictio inde augmentat, ut deinde organis colatoriis ſimilis offenſio accidat, quo minus ſufficiens & commoda abſterſio atque ſequeſtratio impuritatum adminiſtrari queat: quæ ipſa obſervatio artificem manuducit, quo evacuationes ordinarias juſto ordine reſtituat & tempeſtiva atque ſufficienti impuritatum remotione reliquo ſolido corpori opem ferat.

§. VI. Fruſtraneum enim erit conamen in medicina practica alia quam hac methodo Cacochymiæ emendationem proſequi velle & vulgatis illis operoſis & ſpecioſis correctionibus pravarum materiarum inſudare; quoniam communes illæ operationes edulcorantium & mundificantium magis ſpeculativæ, quam practicæ eſſe ſolent; uti nulla utilior & præſtantior ſeligenda erit ſanguinis correctio & repurgatio, quam quæ ad tempeſtivam & ſufficientem impuritatum evacuationem transfertur; alias ſi hæc negligitur communia adminicula, ſanguinis repurgationi dicata, magis Cacochymiam augebunt & confirmabunt, quia tantam copiam principiorum ſulphureorum, ſalinorum, terreſtrium, acrium ſimiliumque ingerunt.

§. VII. Non ſine prægnanti cauſa denuo inculco, quo in exploranda & dijudicanda Cacochymia artifex etiam ſolicite inquirat, an prægreſſæ Hæmorrhagiæ ſpontaneæ ſalutares, quæ vero perturbatæ fuerunt, ad eandem, primam cauſam & occaſionem ſubminiſtraverint; quoniam hæc una e frequentioribus illis, Cacochymiam cauſantibus obſervationibus, eſſe ſolet, unde ulterior notitia promittenda eſt geneſeos & augmenti, imo efficaciæ Cacochymiæ in individuis: deinde multum refert curatius perquirere, an ex aliis prægreſſis morbis & adhibitis perverſis medicationibus talis dyſcraſia ortum traxerit, ſicut adultior talis humorum dyſcraſia maxime refractaria eſſe deprehenditur.

§. VIII. Præmisſis hiſce diſquiſitionibus Pathologico-practicis, ad præſentem tractationem ſpectantibus, nunc potiores quasdam cautelas recenſebo, quæ ad practicam præſentem commendationem pertinent; propterea in Cura Cacochymiæ cavendum eſt 1) a negligentiori conciliatione negotii hæmorrhagici cum præſenti affectu & incurioſiori judicio de utilitate tempeſtivæ misſionis ſanguinis ferendo 2) a negligentiori promotione ordinariarum evacuationum 3) ab impetuoſa & immodeſta provocatione quarumlibet excretionum 4) a nimis frequenti, præmatura & accelerata evacuationum proſecutione 5) a negligentiori impuritatum abſterſione & præparatione 6) a quibusvis ſubjectis & cauſis excretiones poſitive ſupprimentibus 7) ab uſu adſtringentium, incraſſantium & refrigerantium remediorum 8) a nimis calidis ſubtilibus & volatilibus medicaminibus 9) a remediis narcoticis & motus neceſſarios

rios ſupprimentibus 10) a præmaturo aut immoderato Thermarum uſu 11) ab acidularum ſpecioſa ordinatione & denique 12) a perverſa vivendi ratione, quoad diætam & regimen.

§. IX. Excipit itaque methodus Cacochymiæ medendi, quæ adhuc in ſimpliciori ſuo ſtatu conſideratur, adeoque ſequentes ſimplices indicationes pro illius cura rationales & ſalutares ſunt, ut 1) impuritas humorum conſtanter & ſufficienter reſolvatur & abſtergatur 2) ut ſalutares excretiones ſufficienter & in juſto ordine adminiſtrentur 3) ut primis cauſis, quæ Cacochymiam introduxerunt perite ſatisfiat: 4) ut ſymptomatici morbidi concurſus rite tractentur: 5) ut partes neceſſario & juſto motu inſtruantur & denique 6) ut diæta congrua & regimen idoneum præſcribatur.

§. X. Quoad primam Medici intentionem & indicationem ſimpliciſſimus maximeque congruus & ingenuus eſt ille conatus, quando impuritates humoribus intimius inhærentes ſeroſæ, mucilaginoſæ, terreſtres & bilioſæ pro diverſitate individuorum, ſucceſſive, tamen efficaciter, abſterguntur & reſolvuntur, quo conveniunt præcipue e vegetabili regno radices temperanter ſulphureæ reſinoſæ, quæ alias diaphoreticis & diureticis uſibus quadrant; nec non illæ, quæ impuritates nobiliori lymphæ inhærentes afficiunt atque repurgant & vulgo ad exoticorum claſſem referuntur, non excluſis herbis ſimilibus, ut & ſic dictis antiſcorbuticis e quibus parata Infuſa, Decocta, Extracta ad ejusmodi effectus ſalutares præparatorios conveniunt.

§. XI. Imprimis in hac priori medicatione ad Cachexiæ curam contribuit Arum, Zingiber, Dracunculus eſculentus, Vincetoxicum, Squilla, Pimpinella alba, ut & in certis ſubjectis Saſſafras & Succinum, e quibus quædam ſpecies in nuda ſubſtantia, in Eſſentiis, ut & in Decoctis conducunt, utpote quæ efficaciſſime heterogeneitates reſolvunt: proinde ad effectum reſolutorium conveniunt generali qualitate medica Gummata uſitatoria, non excluſo etiam modico uſu myrrhæ & therebintinæ; evitando, ne calidiores ſpecies immoderatius offerantur.

§. XII. Salium volatilium uſus minime ad initia curæ ducendus eſt, ſed poſt præmiſſas alias reſolventes ſpecies reſervandus, quæ magis in liquida quam ſicca forma offerri debent & hæc commode conjunguntur cum aliis ſpeciebus reſolventibus, quo bonam Tincturam tartari commendo; quemadmodum præter hæc remedia alia abſtergentia ſalina interponenda ſunt, ſive tartariſata ſive alterius indolis & ſic dicta neutra, modo ratione ordinis temperies & repetitus magis uſus ſeligatur.

§. XIII.

§. XIII. Quando in quibusdam ſubjectis humores acriores ſeroſi & bilioſi confluunt & Cacochymiam conſtituunt, tunc parco attamen repetito uſu aliis remediis abſtergentibus remiſceri poſſunt abſorbentia remedia, quo etiam modeſtus uſus ſalium enixorum & nitri confert; cavendo tamen ne terrea remedia liberiori quantitate ordinentur neve talia præferantur, quæ ſimul viis incommodam adſtrictionem inducunt, cum potius ſub hujus indicationis adminiſtratione ordinariæ excretiones ſemper ſuccedere debeant.

§. XIV. Quando congrua & neceſſaria humorum præparatio celebrata fuit, tunc præſtat alteram indicationem conjungere & excretiones convenientes promovere; præcipue confert alvum vel in juſto ſucceſſu conſervare, vel interdum etiam per laxantia, aut moderata purgantia aperire & admonere, ubi magis phlegmagoga, quam alia auxilia conferunt: deinde conducit diureſin facilitare & invitare, quo conveniunt vel temperatiora ſalina remedia vel Tincturæ tartariſatæ, abſtinendo a poſitivo ſtimulo diuretico, quid quod denique præſtat vel cum apto remedio vel idoneo regimine diaphoreſin excitare, pro qua facilitanda in certis ſubjectis moderatus uſus balneorum remiſſius nervinorum haud rejiciendus eſt.

§. XV. Vomitoriorum uſum ad Cacochymiæ curam non facile commendo, niſi ſubjecta robuſtioris conſtitutionis in cruda & irregulari diæta verſantia, ob congeriem impuritatum atque ſaburram, in Ventriculo, moderata vomitio, ſi aliæ circumſtantiæ non contraindicent, admitti queat: & dum acidulæ modo per alvum, modo per urinam evacuant, ita harum uſum ad promotionem harum evacuationum non niſi illo tempore approbo, quando abſterſio & repurgatio humorum ſufficienter præceſſit, ut ita magis circa exitum, quam initium curæ eædem proficiant.

§. XVI. Proxime in Therapia Cacochymiæ ratio habenda eſt illarum cauſarum, quæ originem hujus afflictionis conſtituerunt, ubi præcipue attentio dirigenda eſt ad Hæmorrhagias prægreſſas & quidem in ſequiori ſexu ad menſium fluxum & lochialem purgationem, cujus utriusque imminutio, perturbatio aut ſuppresſio non raro ad cacochymicos affectus diſponit; in virili ſexu Hæmorrhoidum prudens ratio habenda eſt, an videlicet earundem fluxus, an qualiscunque apparatus turbatus & male tractatus fuerit.

§. XVII. Præſtat propterea vel uterinam purgationem vel hæmorrhoidalem ventilationem prudenter & temperanter promovere per ejusmodi auxilia, quæ ſuo loco commendari debent; quid quod non alienum aut frivolum erit, ſi artifex alias ſanguinis depletiones in uſum traxerit, modo congruo tempore atque ordine id ipſum fiat; id quod etiam tempeſtive inſtitu-

endum eſt, priusquam Cacochymia non modo firmiores radices egit, ſed & partes organicas labe aliqua affecit.

§. XVIII. Inter alias ejusmodi cauſas attendere convenit ad incongruas ſuppresſiones tranſpirationis inſenſibilis, aut etiam annuæ ſudationis, nec non alvinarum dejectionum, aut particularium ſudorum, aut ad malas medicationes prægreſſarum febrium, ſive Catarrhalium benignarum, ſive rhevmaticarum, ſive tertianarum, quibus ſingulis cauſis ita ſatisfacere convenit, quo excretiones tales ſpontaneæ iterum libere progrediantur, aut ſuſpectæ inductæ adſtrictiones partium reſolvantur, adeoque convenienti ſecretoriæ functioni opportuna & ſufficiens occaſio præbeatur.

§. XIX. Excipit quarta indicatio in hac cura notanda, quæ videlicet concurrentium ſymptomatum legitimam directionem commendat; quod itaque concernit appetitus atque concoctionis vitia, tunc minime convenit iisdem ſtatim per initia cum remediis ſtomachicis ſuccurrere; ſed confert rectius præſens hoc malum, nimirum Cacochymiam in primis ſuis fontibus aggredi & prægreſſas indicationes dextre adminiſtrare; interea confert cum cibo parco atque molli ſuccurrere ac interdum aromatica ſubjecta exhibere & quando juxta præcedentes indicationes aliqualis ſalutaris effectus obtentus fuit, tunc ſuccesſive ſelecta & temperantia carminativa auxilia conjungi poſſunt.

§. XX. Inter alia ſymptomata Cacochymiæ familiaria pasſim occurrit alvi ſegnities atque obſtructio, conjuncta cum induratione aut intumeſcentia abdominis, quæ ſubinde ad Cardialgicas moleſtias anſam præbet: pro hoc ſymptomate, ſatis incommodo, removendo, conducit, quo alvus cum lenientibus, diluentibus & abſtergentibus remediis in bono & conſtanti ſucceſſu conſervetur; deinde quo prædicta remedia interna reſolventia & temperantia ſubordinentur & repetantur, ut & quo infuſa vinoſa pasſim commendata interdum præſcribantur & ſubinde pro commoditate affectus mobile vitæ genus conjungatur.

§. XXI. Non minus hunc affectum interdum comitantur oppresſio pectoris & difficultas reſpirandi, ut & eximia lasſitudo membrorum atque ſomnus perturbatus &c: quippe quæ ſymptomata artifex ita ſubito & ſimpliciter aggredi non debet, quin potius ipſum morbum e ſuo fundamento curare nitatur: quo vero reſpiratio magis ſublevetur, maxime confert excretionem alvinam adjuvare & præcavere, ne per irregularem diætam in Ventriculo ſiniſtræ commotiones inſtituantur: ob id potius diluentia mollia & evpepta ſubjecta ordinanda ſunt: quid quod in tali pectoris afflictione interdum Ari & Squillæ radix conducit: ad membrorum lasſitudinem nonnunquam conveniunt balnea, cum ſpeciebus nervinis parata, modeſtius tamen admittenda,

tenda, ſiquidem ſub reliqua principaliori hujus mali cura ſuccesſive ſymptomata talia præſcinduntur & imminuuntur.

§. XXII. Et cum in Cacochymia partes Se-& Excretioni ſubſervientes, ſuccesſive debilitentur, ita proxima indicatio eſt, quo poſt ſufficientem adminiſtrationem reliquarum indicationum etiam ejusmodi partes ſuccesſive & moderate roborentur, ut ad futuras functiones ſecretorias & excretorias magis habiles fiant: propterea hæc indicatio non præmature ſuſcipienda eſt, licet proxime cum reliquis indicationibus combinari posſit: ob id hæc roboratio magis ſuccesſiva, quam ſimultanea eſſe debet.

§. XXIII. Hæc roborantia ſunt duplicis Claſſis partim nervina, partim tonica, quo loco e nervinorum numero nimis concentrata & acria excludo; e tonicorum vero claſſe valde adſtringentia remedia rejicio: præſtat partim ſub diæta cum aromaticis hanc roborationem perficere, ſiquidem præter uſum Zingiberis, Macis & Cinnamomi, etiam Citrata & cortex aurantiorum, nec non pharmacevtica proſunt, e radicibus & herbis parata, magis infuſa vinoſa & ſpirituoſa: ab extra denique temperati Spiritus nervini & balnea nervina conducunt: Vini boni & generoſi uſus minime infimam utilitatem, tam interna quam externa applicatione, habet.

§. XXIV. Quod vero tonica remedia attinet, tunc hoc loco commendo temperatiora Martialia cum ſalinis abſtergentibus remediis remixta, cavendo, ne contumaciores ſtricturas cauſentur: ſub horum uſu præſtat ſufficientem potum concedere, mobile vitæ genus ordinare, excretiones alvinas promovere & diætam mollem & evpeptam conjungere.

§. XXV. Denique ex officio Medici fluit, quo in futurum proſpiciat, ne Cacochymia, undecunque orta fuerit, aliquod pabulum & accrementum nanciſcatur, neve e futuris quibusdam erroribus denuo generetur, hinc congrua diæta & idoneum regimen ordinandum eſt, ſub quo partim præcedens Cacochymiæ cura melius ſuccedit, partim firmior ſanitatis reſtitutio ſeparanda & promittenda eſt: confert itaque, quo juſta aeris temperies ſeligatur & frequens refrigerium atque aura humida, torpida, nubila, nebuloſa & impura evitetur, quin rectius conducit, ſub conſtanti & moderato calore verſari, quippe qui ad promovendas ſalutares excretiones admodum confert.

§. XXVI. Maxime refert Cacochymicis ordinare congruum victum & potum, etenim eo magis in hoc morboſo ſtatu nocent cibi ſpisſi, crudi, duri, fæculenti, valde ſapidi aceſcentes fermenteſcentes, & contra potius proſunt molles & diluti, juſcula carnium, Gelatinæ temperatæ, cibi moderate aromatiſati: præterea nocet voracitas & immoderata alimenti ingeſtio: conducunt

cunt ſubinde potus tenues, non valde fermentantes, quidquod interdum concedendum eſt vinum generoſius: proficit ſufficiens motus corporis & ſi poſſibile eſt peregrinatio: animus ab affectibus immoderatis liber ſit: nimiæ vigiliæ obſunt, evacuationes ordinariæ conſtanter et quotidie ſuccedant: in omni vero actione moderamini ſtudendum, ſiquidem etiam talis regularis vita multum contribuit, quo certius et efficacius Cacochymia præoccupatur.

SECTIO II.

DE

HÆMORRHAGIIS IN GENERE.

§. I.

Inter illos affectus, qui frequentia ſua ſeſe in experientia medica commendant maxime præferendæ et æſtimandæ ſunt Hæmorrhagiæ, quæ multiplicibus ſpeciebus per varias hominum ætates ſeſe ſiſtunt et ſubinde numericam ſalubritatem offerunt, modo e conguo loco et ſufficienti quantitate ſuccedant: quotquot etiam earum Hæmorrhagiarum cum euphoria decurrunt, irritus ſane tunc et temerarius auſus eſſet, ob levem conjunctam moleſtiam, hunc naturæ actum auferre et artificialibus adminiculis, ſubito ſubvenire, ſiquidem longe præſtantius et utilius eſt, ſi ipſa natura ſuis viribus in ſalvando et conſervando corpore utitur.

§. II. Quando itaque non omnis Hæmorrhagia poſitivis miniſteriis artificialibus indiget, ita tantum ſermo eſt de illis ſanguinis fluxibus, qui immodice et exceſſive etiam e congruis locis procedunt, aut qui e locis, vel regionibus, minus uſitatis, commodis atque ſecuris proveniunt; tanto magis qui ex iiſdem locis immodice et impetuoſe eructant, adeoque vel repentinæ mortis, vel periculoſarum conſecutionum metum incutiunt; de reliquo vero libere et legitime decurrentibus Hæmorrhagiis non alia medicina ordinanda eſt, niſi congruum regimen, et ut a qualibuscunque turbis et alterationibus præſerventur.

§. III. Minime conſultum eſt ita ſubito Hæmorrhagias promiſcue expaveſcere, aut præcipiti auſu ad impatientem illarum adſtrictionem confugere, utpote quæ repentina et ſimultanea tam congruarum, quam incongruarum

Hæmor-

Hæmorrhagiarum oppreſſio, admodum periculoſa eſt: unde melius agit artifex, quando ſub quolibet Hæmorrhagiæ ſucceſſu illum ſcopum attendit, ad quem in genere eadem collineat, videlicet ad ſupreflui et moleſti ſanguinis exonerationem et ex eo etiam bene diſcernat Hæmorrhagias ſub activo directorio decurrentes, a paſſivis illis, mere fortuitis et a craſſis cauſis utplurimum dependentibus ſanguinis fluxibus.

§. IV. Et cum hoc loco mihi non ſermo ſit de illis Hæmorrhagiis, quæ violento quodam modo provocatæ ſunt, ſed de aliis, quæ ſponte et interdum ſatis tacite adminiſtrantur; ita eo magis noſſe debet artifex, quod hæ poſteriores ſenſibiliores atque mobiliores ſint; ſiquidem per motus, ab intra adminiſtratos, deducuntur, ubi major reſpectus habendus eſt illorum motuum, impetuoſiori gradu hunc fluxum urgentium, quam materiarum, cujuscunque etiam qualitatis; uti et ratio et experientia facile teſtantur, quomodo illi motus congeſtorii longe facilius et frequentius tales Hæmorrhagias cauſentur, quam quælibet ſuſpectæ & effictæ ſanguinis acrimoniæ & turgefactoriæ commotiones.

§. V. Quando Hæmorrhagiarum generalem ſtatum paulo curatius perpendimus, tunc facile intelligimus, quod illarum ortus & ſucceſſus haud ita fortuitus & turbulentus exiſtat, ſed quod cum ſanguine copioſo & moleſto rationalem nexum habeat, ſiquidem ſpontaneus illarum ortus & liberior ſucceſſus atque ſalutaris effectus minime cauſis materialibus & mere accidentalibus reſpondet; hinc in legitimo Hæmorrhagiarum ſtatu communiter deprehenduntur ſubjecta Plethorica eſſe & quibus ſubinde ob plenum victum & immoderatas animi & corporis commotiones in genere quidem ſalubre eſt, quo ſuperflua & moleſta ſanguinis quantitas expedito & facili quodam actu in ſincera ſua conſiſtentia exoneretur.

§. VI. Quando itaque Hæmorrhagiæ e congruis locis prodeunt, temperanter procedunt, moderate exeunt, tempeſtive redeunt, neque in ulla harum circumſtantiarum fallunt, tunc ſalubritatem ſuam eximie obteſtantur & non niſi bono & conſulto regimine indigent; imo quoties conſpicere licet, quod Hæmorrhagiæ evidentem euphoriam poſt ſe relinquant, toties abſtinendum eſt, ne iisdem præmaturæ Medicæ & Pharmacevticæ directiones immiſceantur; imo ſubinde circumſpecte obſervandum eſt, an ſalutaris talis Hæmorrhagia ordinatos & opportunos ſuos recurſus ſervet, ſiquidem illa indoles naturæ bene attendenda & dirigenda eſt, quando eidem ſemel impetratus actus vitalis extraordinarius in futuris temporibus ob continuationem abundantiæ ſanguinis ſalubris eſſe deprehenditur.

§. VII. Præcipue prudens & attenta ratio habenda eſt illarum Hæmorrhagiarum, quæ quidem in legitimo ſuo decurſu nunquam deſiderata ſua ſalubritate deſtituuntur, ſed ſi eædem in eminentes irregularitates delabuntur, aut nimium ſenſiles & mobiles redduntur, ut ex levi cauſa inopportune & nimis frequenter revertantur, tunc curam habere debet artifex, quo hanc inſalubritatem accidentalem emendet & præjudicioſam conſuetudinem præſcindat, ſiquidem in hoc etiam negotio valet, quod omne nimium vertatur in vitium.

§. VIII. Proinde in Therapia Hæmorrhagiarum provide obſervanda eſt ſymptomatica harum invaſio, qua interdum ex præcedente conſuetudine ſeſe certis affectibus inopportuno tempore conjungunt eosdemque propterea magis turbant, quam levant: cujusmodi exempla occurrunt, quando in febribus continuis ægrotantium juniorum inſultus hæmorrhagici caput affligunt, aut quando phthiſicos patientes motus hæmoptyici aut hecticos & hydropicos ægrotantes apparatus hæmorrhoidales occupant: quos propterea artifex tempeſtive noſſe & dextre præoccupare debet, ne primarium gravem affectum deſtruant atque invertant.

§. IX. Quanquam Hæmorrhagiæ, legitime decurrentes, facile cohiberi queant, tamen minime ad ejusmodi præmaturam oppreſſionem artifex conſentire debet, ſiquidem ipſæ illæ oppreſſæ Hæmorrhagiæ non penitus otioſæ & quietæ deprehenduntur, ſed in futurum in affectus alios mutantur, qui in indole ſua facile dijudicari poſſunt, quod de prima proſapia Hæmorrhagica exiſtant & ita molimina ad Hæmorrhagias ſpectantia conſtituant, quæ, ne talia ſubjecta invadat, cum contumacioris indolis exiſtant, ita ante omnia prudens artifex præcavere debet, ne præter urgentem neceſsitatem talem temperatam & benignam Hæmorrhagiam opprimat.

§. X. Omnium maxime confert in Pathologia practica Hæmorrhagiarum, in genere conſiderandarum, majorem reſpectum habere cauſarum immaterialium, quæ tales ſanguinis fluxiones promovent, quam mere materialium, ad quas poſteriores refero dyſcraſiam ſanguinis acrem & ſcorbuticam obſtructionem illius & nimiam vaſorum capillarium diſtenſionem, ex quibus communibus cauſis trivialis pathologia Genealogiam Hæmorrhagiarum deſcribit, ſed quæ toti hiſtoriæ practicæ minus reſpondent: major interim vis & efficacia eſt motuum, non modo uno effectu Hæmorrhagiam urgentium, ſed & repetitis occaſionibus & ſtatariis terminis eandem proſequentium.

§. XI. Quemadmodum principaliori efficacia motuum miniſterium ad Hæmorrhagias ſatisfacit, ita tamen interdum in ipſo ſanguine nimia ſubtilitas

tilitas

tilitas atque fluiditas tantum contribuit, quo ſuccedentes Hæmorrhagiæ inſolentiores & immoderatiores evadant, ut propterea artifex neceſſe habeat, quo huic qualitati dextre proſpiciat; ſicut vicisſim prægreſſæ intenſiores corporis commotiones & provocati orgaſmi ſanguinis ad impetuoſas Hæmorrhagias excitandas concurrunt, quibus proinde in certis caſibus leniendis & tranquillandis ſedulam operam dare debet medicus: ante omnia illud tentamen ſolicite evitandum eſt, ne ſubito ſanguinis effluxio opprimatur, quando adhuc internæ reliquæ cauſæ eundem urgentes in ſuo vigore ſunt.

§. XII. Non infimæ exiſtimationis illæ Hæmorrhagiæ in medicina practica ſunt, quæ per patheticas animi commotiones ſuſtentantur & augentur, maxime vero per iracundiam, quæ ſicut impetuoſiori motuum comitatu gaudent, ita minime repentinam & ſimultaneam ſuppreſſionem admittunt, ſed cum maximo moderamine tractari debent, quoniam non modo intentio copioſius effundendi ſanguinem immoderatior eſt, ſed & reliqua maſſæ ſanguineæ commotio vehementior adeſt: in quo ſtatu artifex cum multa prudentia ad illum primum impetum & impulſum tranquillandum & componendum ſtudium applicare debet: id quod etiam de aliis affectibus valet, quotquot ad augendas Hæmorrhagias quadrant, veluti ſunt, deſideria immodica, concupiſcentiæ venereæ &c.

§. XIII. Non minorem attentionem & dexteritatem requirunt illæ Hæmorrhagiæ, quæ ex hæreditate ſuas origines habent, utpote quæ communiter immoderatiores admodumque irregulares, ſubinde etiam ſenſibiliores exiſtunt, dum privilegio hæreditatis nituntur, quarum cauſas minime in obſcura illa & per petitionem principii ſuppoſita certa diſpoſitione corporis, quam rectius in peculiari directione motuum, ex connata quadam idea proveniente, inquirenda eſt.

§. XIV. Dum vero ad Hæmorrhagiam diſponit plenitudo diætæ & activitas animi atque corporis, ita tam in ſalutari, quam excedente & ſuſpecta Hæmorrhagia, ubique bonum vitæ genus eſt commendandum, ne turbæ quædam, maxime ſuſpectæ inferantur, ita enim & continentia animi & moderamen in diæta & regimine eximium emolumentum pro utraque Hæmorrhagia recte dirigenda afferunt: tanto major vero reſpectus habendus eſt, quando ſubjecta ſunt valde ſenſibilia, vel Hæmorrhagiæ per exquiſitas periodos revertuntur, utpote quæ circumſtantiæ eo magis artificem prudentem poſtulant, quia e mala tractatione talium Hæmorrhagiarum cum hiſce circumſtantiis conjunctarum, vel repentini vel futuri pravi & corrupti affectus oriuntur.

§. XV. Et licet uſitatius Hæmorrhagiæ ex ejusmodi apertura, ſuperficiei partis inducta, proveniant, quæ circa venularum, hanc ſuperficiem attingentium, orificia obtigit & quæ propterea Hæmorrhagia paulo tractabilior exiſtit, tamen etiam in extraordinariis plane caſibus contingit, ut ſanguis ex arteriolæ extremitate, intimius intra partis ſuperficiem penetrante, proſiliat, quæ quidem tunc a crasſioribus & immoderatioribus cauſis excitata deprehenditur, ſed quæ ſubinde etiam impetuoſa magisque excesſiva eſt, adeoque repentinam aliquam opem requirit.

§. XVI. Maxime omnium diſcernere & prudenter æſtimare debet artifex Hæmorrhagias, quæ præ aliis ſenſibilioris indolis eſſe ſolent, quales ſunt præcipue fœminarum Menſtrua, aut alia uterina purgatio & virorum hæmorrhoidalis profuſio; in quarum Hæmorrhagiarum tractatione tanto major dexteritas & prudentia adhibenda eſt, quo certius vel levis error easdem valde offendere ſolet: & licet interdum ejusmodi ſanguinis fluxus juſtum gradum transcendat, minime tamen conſultum eſt, quo confeſtim omni ferocia talis exceſſus obruatur, quoniam facile ex ejusmodi crudeli & impatienti methodo ſuſpectæ & pernicioſæ conſecutiones indicandæ & metuendæ ſunt.

§. XVII. Imo non parum proficit in Hæmorrhagiarum rationali cura ſolide & ſollicite diſcernere privativas & ſubalternas ſive ſecundarias Hæmorrhagias; ſicut in ipſa hiſtoria practica ſatis certum atque probatum eſt, quod Hæmorrhagiæ non raro alternent, aut exquiſitam aliquam communionem inter ſe habeant; id quod valet de Hæmoptyſi in relatione ad Hæmorrhagiam narium, de Vomitu Cruento in comparatione cum Menſium negotio & de Mictione ſanguinis in correlatione cum Hæmorrhoidum fluxu; utpote quæ notitia varias utiles animadverſiones & applicationes practicas ſubminiſtrat.

§. XVIII. Neque oblivioni tradenda eſt illa notatu digna circumſtantia, qua Hæmorrhagiæ per ætates diſcrepant, videlicet, quando per ætates certas ingruunt, decurrunt, iterumque deſinunt; e qua cognitione generalis illa dijudicatio fluit, an videlicet Hæmorrhagia quædam occurrens congrua vel incongrua exiſtat: tanto magis vero prudentia adhibenda eſt, in dijudicando & dirigendo illo ſtatu, quando poſt prægreſſas vel largas vel prodigas Hæmorrhagias, imprimis uterinas, abſoluta profuſionis ſpontaneæ ſanguineæ ceſſatio obtingit, in quo ſtatu curam adhibere debet artifex, ne prava conſectaria, quæ nonnunquam immedicabilia exiſtunt, ſuperveniant.

§. XIX. Poſteaquam hactenus principaliores Pathologico-hiſtoricæ circumſtantiæ generales in Hæmorrhagiarum negotio propoſitæ fuere, ita ordo requirit, quo potiores cautelas practicas tum ex Hiſtoria rei, tum ex experien-

perientia fluentes, commemorem & commendem: cavendum itaque eſt 1) a confuſa artificiali ſanguinis miſſione 2) ab aliis impetuoſis evacuationibus 3) a negligentioribus ordinariarum evacuationum promotionibus 4) a præmaturo adſtringentium uſu 5) a potentiorum adſtringentium & 6) a vulgari liberali & promiſcua narcoticorum oblatione 7) a refrigerantium & incraſſantium præmatura aut immodica commendatione 8) a ſpecificorum præcipiti & confuſo uſu 9) a ſympatheticorum, magneticorum, mumialium & archealium ſic dictorum remediorum facili & repentina exhibitione 10) a remediis calefacientibus Spirituoſis & concentratis 11) a medicamentis ſuſpectis virium reſtitutioni dicatis & denique 12) a negligentiori futurorum pravorum confectariorum præoccupatione.

§. XX. Quod methodum Hæmorrhagiis in genere medendi attinet, tunc variæ genericæ indicationes hoc loco adhuc commendandæ ſunt, unde convenit 1) tempeſtiva diverſio, ſi vehementia Hæmorrhagiæ necesſitat 2) imprimis confert juſta & ſufficiens excedentium motuum mitigatio 3) concurrentis turgeſcentiæ ſanguinis moderatio 4) immodici exceſſus ſedatio, aut etiam 5) conveniens adſtrictio 6) juſta & probata ſpecificorum & ſympatheticorum conciliatio 7) congrua virium reparatio 8) neceſſaria partium roboratio & denique 9) idonea & conveniens præſervatio.

§. XXI. Circa primam indicationem, qua prudens diverſio commendata fuit, mox practica illa quæſtio movenda eſt, an VenæSectio ſit medicina pro Hæmorrhagiis nimiis? ſicut vero Venæ Sectio talem diverſorium uſum habet, ita merito artifex circa illius legitimam ordinationem, attentionem adhibere debet: etenim non quidem neceſſitas urget, quo abſolute & indiſcretim vena ſecetur, interim, ſi Hæmorrhagia cum impetu irruit & vehementer inſiſtit, tunc moderata VenæSectio non penitus diſſvadenda eſt, quæ pro citiori alteratione in brachio celebrari poteſt: quid quod quorundam practicorum ſingularis illa eſt methodus, qua pro urgente necesſitate emisſio ſanguinis ex inciſa vena poſt aliquam moram repetitur: minime vero promiſcue & prodige ſanguinem educere confert.

§. XXII. Quando ejusmodi Venæ Sectio curatorio ſcopo adhibita fuit, tunc artificis cura eſſe debet, quo brevi poſt præſervatoriam Venæ Sectionem iterum ordinet, adeoque præoccupet, ne denuo natura in priſtinum exceſſum delabatur: ſubinde etiam convenit congrua diætæ & regiminis ordinatio, ne ex iisdem præcedentes motus denuo exacerbentur. Ita etiam diverſorium uſum in Hæmorrhagiis habent legitimæ apertiones & promotiones alvi, modo absque ullo ſtimulo atque impetu ſuccedant: non minus interdum ſub reliqua cura diverſio per applicationem Cucurbitularum cæcarum ad di-

verſas corporis regiones & rubefacientium uſum ad plantas pedum adminiſtrari poteſt; in quibusdam Hæmorrhagiarum ſpeciebus conducunt moderatæ frictiones & ligaturæ partium extremarum.

§. XXIII. Altera indicatio conſiſtit in lenitione & mitigatione motuum, quo peculiaria auxilia ſpectant: hic enim primus eſt gradus admodum temperatus, mediante quo absque ulla coactione naturæ humanæ excedentes motus emendantur: ſunt vero ejusmodi mitigantia remedia, Nitrata, Coralliata & Terrea abſorbentia; lenientia vero ſunt diluentia, mucilaginoſa, gelatinoſa, lacticinia & emulſiva, quæ partim in humores, partim in vias demulcentem hanc qualitatem ſatis moderatam immittunt, ut adeo non neceſſe ſit, mox cum potentioribus remediis naturam obruere & coercere.

§. XXIV. Quoad tertiam indicationem artifex proſpicere debet, ut illam humorum craſin corrigat, quæ Hæmorrhagias prodigas ſuſtentat aut cauſatur; imprimis immodicæ ebullitioni ſanguinis providendum eſt, ita ut fluidiori maſſæ ſanguineæ moderata ſpiſſiuſcula conſiſtentia concilietur, id quod ſuccedit per remedia acidulata, ſive mineralia, ſive vegetabilia, aut per temperatiora ſubſidia, quibus refrigerans virtus vulgo in materia medica adſcribitur: cavendum tamen eſt, ne cum ejusmodi medicamentis aliqualis exceſſus committatur; ita ad eundem effectum faciunt mucilaginoſa auxilia: quodſi vero incommoda quædam ſpiſſitudo ſanguinis ad motus hoſce hæmorrhagicos contribuat, id quod præ priori qualitate paulo rarius contingit, tunc conducunt remedia diluentia, colliquantia & antiſcorbutica, magis præſervatorio, quam curatorio uſu, offerenda.

§. XXV. Quando Hæmorrhagiæ impetuoſius & immoderatius continuant, ita ut præmiſſis remediis temperantibus & lenientibus non obtemperaverint, tunc juxta quartam indicationem ſedativa ſelecta & temperata remedia in uſum trahi poſſunt: quo loco minime vel ſimplicius Opium, vel craſſius Opiata compoſita remedia commendo, ſed potius præfero Cinnabarim, Semen Papaveris, Syrupum florum Papaveris, Corticem Chaccarillæ, ſive in pulvere, ſive Extracto, ſive Tinctura; & denique etiam Maſſam Pilularum de Cynogloſſa; abſtinendo a nimis frequenti & prodigo horum uſu, ut & evitando ne alia ſuſpecta narcotica, e vegetabili regno vulgo provenientia, ſeligantur.

§. XXVI. Pro efficaciori excedentis & impetuoſæ Hæmorrhagiæ cohibitione proxime applicari poſſunt remedia poſitive adſtringentia, quorum ingens ſane numerus in materia medica occurrit, ut tantum prudens ſelectus commendandus ſit: imprimis vero circumſpectus & peritus artifex abſtinere debet, ne mox potentiora talia adſtringentia obtrudat, neve cum illorum uſu

ſimul

ſimul & ſemel Hæmorrhagiam opprimat, neque nimis liberaliter & diu talia remedia exhibeat, ſed circa illorum uſum eximiam dexteritatem & circumſpectionem applicet, ſiquidem vix citius & vix ſenſibilius Hæmorrhagiæ corrumpi poſſunt, quam per poſitive adſtringentia remedia: & horum quidem e triplici regno varia proſtant, quæ partim generico effectu, partim ſpecifica operandi ratione ſubveniunt: inter omnes ſpecies vero Mars princeps quaſi eſt, ex quo varia præparata, tam in crocis, quam Tincturis, offeruntur, utpote quæ non penitus rejicienda ſunt, modo non nimium adſtringant, ſed ſimul ob commixtionem aliorum principiorum abſterſoriam aliquam qualitatem exſerant.

§. XXVII. Et cum in cura Hæmorrhagiarum paſſim varia remedia Specifica & Sympathetica allegentur & commendentur, ita quoad uſum illorum ſingularis prudentia injungenda eſt; imprimis vero abſtinere convenit a præmatura illorum applicatione, ſiquidem utraque ſatis firmas Hæmorrhagiarum occluſiones introducere poſſunt; unde ſollicite proſpiciendum eſt, ne ſimul & ſemel per illa talis ſanguinis fluxus opprimatur: deinde invigilare convenit, quo ordinariæ excretiones legitime continuent, quid quod in futurum præſtat maturam præſervatoriam ſanguinis ventilationem ſuſcipere, ne ob ſimultaneam Hæmorrhagiæ ſuppresſionem periculoſæ ſtaſes aut inflammationes excipiant.

§. XXVIII. Quando itaque Hæmorrhagiæ per ſpecifica & ſympathetica remedia cohibita fuere, tunc præſtat ſubordinare remedia temperantia, diluentia & lenientia, ne ſuppresſio inducta in ſubtili & contumaci rigore continuet: nec non excretio alvi & urinæ poſthac facilitanda eſt & cavere convenit, ne malo regimine & immodicis animi atque corporis commotionibus prægreſſæ Hæmorrhagiæ in immoderatas congeſtorias ſpaſticas aut inflammatorias commotiones conjiciantur.

§. XXIX. Quando Hæmorrhagiæ immodicæ continuant & propterea vires per momenta vacillant atque concidunt, tunc partim ſub Hæmorrhagiarum ſucceſſu, partim poſt illarum ceſſationem remedia roborantia & analeptica externa & interna conducunt, cavendo tamen, ne ſpirituoſiora, concentratiora & acriora ſeligantur: ſed talia, quæ blandam & temperatam ſenſationem excitant & animo præcipue accepta ſunt; unde ipſum vinum moderate interne & externe oblatum, roborantem ſuam efficaciam eximie comprobat: Crocata vero remedia, quia ſubtilem commotionem turgefactoriam excitant, cum maxima circumſpectione adhibenda ſunt, quin potius Decocta & Emulſiva analeptica remedia, Julapia & potiones roborantis & analepticæ

 effi-

efficaciæ præ aliis præferri debent, ſicut etiam ex Hyacintho parata, non inutiliter ad hanc indicationem referenda ſunt.

§. XXX. Quoniam etiam poſt graves Hæmorrhagias partes debilitantur, dum ſufficiens aditus & tranſitus ſangvinis admodum imminutus eſt, propterea præſtat proxime harum partium roborationi operam dare, quam promovent ejusmodi ſubſidia quæ ſanguinis defectum iterum reſtituunt, qualia ſunt alimentoſa, tam diætetica evpepta, quam pharmacevtica decocta gelatinoſa & emulſiva e nucleis pinguibus parata: porro conveniunt poſt Hæmorrhagiæ remisſionem ſalia volatilia in forma Spirituum moderate offerenda; cavendo ne cum oleoſis concentratis ſubſtantiis remixta ſint: ita etiam moderatus vini uſus & aromaticorum temperata ordinatio haud poſtponi debet, modo ubique temperies ſervetur; externa vero roborantia magis neceſſarias partes non attingunt, unde in hac indicatione iisdem non æque magnam virtutem adſcribo, quicquid etiam vulgo de balneis nervinis promittitur; denique remedia ex Hyacintho parata partibus roborandis commode inſerviunt.

§. XXXI. Sequitur denique rationalis & perita Hæmorrhagiarum præſervatio, quæ ita adornanda eſt, quo tempeſtivæ & repetitæ Venæ Sectiones præſervatoriæ ſuſcipiantur & adminiſtrentur: deinde convenit in victu exceſſum & plenitudinem evitare, inſuper vero abſtinendum eſt ab omnibus ſubjectis ſub diæta obviis quotquot impetuoſam commotionem ſanguini conciliant: omittantur immodicæ corporis & animi commotiones & exæſtuationes: nocent partium inferiorum refrigerationes atque ordinariarum evacuationum ſuppresſiones, vel perturbationes ſubinde evitentur nimiæ vigiliæ & ſi conſveta ſanguinis ſpisſitudo ingruere videtur, tunc congrua diluentia conſerrri debent: ante omnia poſt prægreſſam enormem Hæmorrhagiam artifex operam dare debet, quo ordinariæ evacuationes rite continuent; quidquod cavendum eſt, ne futura ſedentaria vita, vel pravis conſectariis anſam præbeat, vel ipſis inclinationibus ad Hæmorrhagias magis faveat & ſtimulum adjiciat.

§. XXXII. Supereſt, quo in hac generali Hæmorrhagiarum explicatione adhuc brevibus de cura Hæmorrhagiarum Hæreditariarum & Habitualium diſſeram, quoniam hæ per motus immoderatiores, ſenſibiliores & impetuoſiores plus foventur & urgentur, unde peculiaris methodus pro hisce Hæmorrhagiis applicanda & commendanda erit, quæ tamen in hisce circumſtantiis comprehenſa eſt, ut videlicet repetitæ præſervatoriæ Venæ Sectiones inſtituantur; deinde ut animus admodum tranquillus & continens ſit, atque reliquæ cauſæ & occaſiones ſolicite evitentur, quotquot harum hæmorrhagiarum

rum recurſum excitare poſſunt: proxime vero uſurpanda ſunt remedia temperata ſedativa, quæ frequentiorem illam reminiſcentiam hujus actus ſopiunt, cavendum tamen eſt, ne craſſe narcotica & ſimplicius opiata, neve etiam poſitiva & potentia adſtringentia adhibeantur, utpote quæ hunc ſtatum ſenſibiliorem citius corrumpunt.

CAPUT I.

DE HÆMORRHAGIIS NARIUM.

§. I.

EX Hæmorrhagiis, quæ ratione benignitatis & ætatis primum locum obtinent, occurrunt *Narium Hæmorrhagiæ*, quæ alias ſatis frequentes ſunt; ſubinde in congruo ſuo decurſu eximiam ſalubritatem afferunt, ita ut in tali legitimo ſtatu artifex magis curam habere debeat, quo præoccupet omnes illas cauſas & occaſiones, quotquot hunc ſalutarem ſanguinis fluxum impedire, turbare, aut opprimere poſſunt atque ſolent, unde conſultum & rationale eſt, ne medicus ſubito talem ſanguinis fluxum abhorreſcat, neve ad illius momentaneam abolitionem animum, intentionem & vires applicet.

§. II. Quando contingit, ut Narium Hæmorrhagia vel in incongruo ſubjecto, vel incongrua ætate, vel ſub concurſu incongruarum circumſtantiarum prodige & excesſive procedat, tunc opem ſuam rationalem & ſinceram offerre debet, ſub illa tamen prudenti diſcretione, ne largiorem talem Hæmorrhagiam pro excesſiva reputet & tractet, neve ſucceſſive excedentem pro impetuoſe & extreme excesſiva æſtimet & curet, adeoque in indicationibus ſuis ſecuris & ſalubribus inveniendis atque applicandis graviter aberret & ita vero ſuo ſcopo medico deſtituatur.

§. III. Præcipue in cura Hæmorrhagiarum Narium illa methodus eximiæ dignitatis commendanda eſt, ne exceſſus occurrentes ſimul & ſemel obruantur & opprimantur, etenim cum talis Hæmorrhagia interiorem capitis partem levet & ventilet, ita ex repentina illius cohibitione ſub continuatione motuum, impetuoſe congeſtoriorum, evenit, ut interiora capitis periculoſe oppleantur & effectus vertiginoſi, apoplectici, inflammatorii & ſimiles ſuperveniant,

niant, quibus itaque prudenter intercipiendis, artifex invigilare debet, quo motibus immoderatioribus congeſtoriis temperiem & continentiam aliquam conciliet, ita longe ſecurius curabitur talis Hæmorrhagia.

§. IV. Præterea etiam provide artifex attendere debet rationem cauſarum, quæ ad exceſſivam talem Hæmorrhagiam contribuunt, an nimirum patheticæ ſint, an ex alia craſſa aut ſubtili ſpontanea corporis & ſanguinis commotione proveniant, quibus ſubinde ſeorſim recte complacandis operam dare debet: porro obſervare debet rationem ætatis, an videlicet quoad hanc ſubjectum, vel magis, vel minus huic Hæmorrhagiæ obnoxium ſit: inſuper inquirere debet, an prægreſſæ, ſed nunc omiſſæ aut occluſæ aliæ ſanguinis profuſiones ad ejusmodi exceſſum Hæmorrhagiæ e naribus primariam anſam dederint.

§. V. Non minoris dignitatis eſt obſervatio Hæmorrhagiarum Narium criticarum, quæ in Febribus obtingunt & communiter ſatis ſtrenue ſolennes & prodigæ ſunt adeoque actum naturæ ſingularis utilitatis & deſtinationis exhibent, quem minime confeſtim Medicus expaveſcere debet, memor illius antiqui dicterii: quod nihil paucum ſit criticum; unde potius in hoc opere natura humana eſt ſublevanda, minimeque repente & immodice ſupprimenda, ni luctuoſi & periculoſi effectus ſupervenire debeant.

§. VI. Diſtingvenda inſuper eſt Narium Hæmorrhagia, quæ a cauſa violenta ortum traxit, ab altera, quæ ſua ſponte invadit & ſecundum hanc diſcretionem medicatio eſt mutanda, ſiquidem prior illa & paſſiva talis Hæmorrhagia facilius tempeſtivam cohibitionem admittit: quodſi etiam contigerit, ut ex arteriola, quæ in ſuperficiem Narium decurrit, per aliquam vim disrupta, hic fluxus ſanguinis immodicus ſuccedat, tunc iterum matura cohibitio inducenda eſt, quia intra breviſſimum temporis ambitum alias hæc Hæmorrhagia in extremum exceſſum delabitur.

§. VII. In cura Hæmorrhagiæ Narium, quæ ratione ordinis nunc explicanda eſt, iterum ſpecialiores cautelæ præmitti debent, licet generaliores illæ, quæ ſuperius traditæ fuerant, huc etiam quadrent: ante omnia vero cavendum eſt 1) a præmatura hujus fluxus oppresſione 2) a nimis craſſa & immoderata cavitatis Narium obſtructione, quoniam alias facile ſanguis retrofluit & per infundibulum intra fauces confluit 3) a nimis profunda remediorum immiſſione intra nares, quæ ſuſpectam ſternutationem poſt ſe trahit 4) ab applicatione ſubjectorum ſpirituoſorum acrium & vellicantium 5) a præmaturo uſu refrigerantium 6) a vulgari refrigeratione regionis hepatis & ſcroti 7) ab actualium cauteriorum uſu 8) ab immoderata & inquieta capitis commotione 9) a nimis anxia perturbatione 10) a nimia exæſtuatione tum reli-

qui

qui corporis, tum præcipue capitis 11) a nimia organorum ſenſoriorum offenſione & denique 12) ab immoderata Narium frictione, poſteaquam hic fluxus ceſſavit.

§. VIII. Abſolvitur itaque Hæmorrhagiæ Narium medicatio ſequentibus ſpecialioribus indicationibus 1) ut tempeſtiva diverſio & revulſio adminiſtretur, tanto magis ſi neceſſitas poſtulat 2) ut motus immoderati temperentur & leniantur 3) ut omnia illa offendicula, quæ partim ex mala conſtitutione humorum, partim ex aliis irregularibus motibus proveniunt, excludantur & removeantur 4) ut urgente neceſſitate magis ab extra, quam ab intra exceſſus coërceatur, aut ſimul 5) immoderatus illius ſucceſſus ſedetur 6) ut ſpecifica & ſympathetica remedia dextre applicentur 7) ut viribus enervatis congrue proſpiciatur & denique 8) ut tam de præſenti, quam in futurum idoneum regimen ordinetur.

§. IX. Circa primam indicationem notari debet, quod non æque ubique talis derivatio & revulſio locum inveniat, interim ubi prima initia hujus Hæmorrhagiæ ſtatim immodica & valde impetuoſa ſunt, tunc uterque actus Therapevticus concedendus eſt, ſiquidem tempeſtiva, moderata tamen Venæ Sectio in brachio celebrata conducit: proinde frictiones inferiorum partium cum linteis calidis non penitus inutiles ſunt, quid quod cucurbitularum cœcarum applicationes ad inferius dorſum quandoque proficiunt; haud vero veſicatoria admitto, quorum effectus in hoc affectu incertus & æquivocus eſt, licet interdum rubefacientia ad pedum plantas concedi queant.

§. X. Altera indicatio commendat talia auxilia, quæ immoderatas commotiones congeſtorias concernit & hæ quidem tempeſtive & efficaciter mitigandæ & leniendæ, haud vero temere opprimendæ ſunt; pro ſcopo temperante conveniunt pulveres Nitroſi, abſorbentes & remiſſius Cinnabarini parcis doſibus, ſed repetitis vicibus, exhibendi; quemadmodum Corallia rubra commixta proinde temperare adjuvant; leniente vero ſcopo conveniunt dilutiora gelatinoſa, mucilaginoſa, emulſiva & lacticinia, unde antiquioribus medicis ſerum lactis uſuale fuit, quod in ſubjectis activioribus non inutilem efficaciam habet: & in quibus ſubjectis ſanguis non nimium fluidus eſt in iisdem potus ſufficiens tam curatoriam, quam præſervatoriam efficaciam promittit: denique juſcula dilutiora, ex recentibus carnibus parata, aut gallinacea, ad hanc indicationem referri merentur.

§. XI. Sed cum interdum accidat, ut partim nimia ſanguinis ſubtilitas & prægreſſa vehemens turgefactoria commotio, partim repentina extremitatum tonica conſtrictio & alvi occluſio, firma atque contumax ad impetuoſam talem anotericam commotionem & exceſſum Hæmorrhagiæ anſam

præ-

beat, ita in tertia hac indicatione hiſce incommodis ſubveniendum eſt, quod quidem ſuccedit, quando pro tranquillanda orgaſtica ſanguinis commotione ordinantur moderata quantitate acida remedia, tam ſub decoctis mucilaginoſis, quam ſub conſveto potu; quo reſpectu etiam ipſam Mixturam ſimplicem admitto: deinde pro aperienda alvo vel Clyſteres emollientes, ſed ſimul leniter ſtimulantes, vel ſuppoſitoria remisſius ſtimulantia, vel pilulas Stahlianas pulveriſatas aut correctas aloëticas, vel aliquot grana Extracti Panchymagogi Crollii commendo: denique pro reſeranda ſuperficie corporis moderatas frictiones ordino.

§. XII. Interdum acerbitas & impetuoſa conditio hujus Hæmorrhagiæ requirit, quo poſitiva cohibitio atque adſtrictio inducatur, quæ indicatio modo magis per externa, quam per interna remedia præſtanda eſt, adeoque conducunt vel externa moderata refrigeria, quæ ſubtilem ſtricturam ſuperficialem poſt ſe trahunt, vel proſunt injectiones moderatæ, ſolutionis aluminoſæ aut Nitroſæ, vel decocta travmatica: non minus conferunt pulveres lævigati adſtringentes intra nares moderate attracti: porro fronti, vertici & temporibus applicanda ſunt epithemata ex ſpeciebus adſtringentibus & vino, aut aceto parata: proinde vapor aceti ad nares admiſſus Hæmorrhagiam obſtruit; ſic ſucci urticæ & millefolii in aqua aut vino aut aceto ſoluti, moderate intra nares attracti, conferunt, minus vero efficaciter compreſſiones venarum exceſſum hunc tollunt, niſi talis compresſio cum inſtrumentis frigidis perpetretur, ubi magis frigus quam compresſio juvat: ſordidum & ſimul dubium experimentum eſt, quando ſuillum ſtercus applicatur, neque adeo ſecure Crepitus Lupi intra nares attractus proficit: paratur etiam Crocus e minera Martis Solari, qui ad unicum granum vel ſub lingva detentus, vel intra nares exceptus, ſubtiliter adſtringit: interim hactenus recenſita adminicula ſatis efficaciter huic indicationi ſatisfaciunt.

§. XIII. Ab expertis Practicis fuligini, in maſſulam redactæ, eximia virtus contra Narium Hæmorrhagias adſcribitur: præterea Radix Ireos flavæ paluſtris, ſive Pſevdoacori, juxta Pancovii commendationem, recenter effoſſa & in taleolos conciſa, ſub lingva detenta, immodicas Narium Hæmorrhagias compeſcit certiori experimento atque effectu quam Radix Nigellæ, quæ a Simone Pauli commendatur: & dum a quibusdam Spiritus Vini, cum ſyringa intra nares dimiſſus, laudatus deprehendatur, ita illius efficacia non facile admittenda eſt, quoniam partes valde ſtimulat & ſuſpectas ſternutationes cauſatur; quando vero talia adſtringentia adminicula applicantur, tunc interne ſedulo remedia temperantia & lenientia continuanda ſunt, ne e ſimplici adſtrictionis effectu damna oriantur.

§. XIV.

§. XIV. Quando hic ſanguinis fluxus impetuoſe continuat, tunc præter cohibentia externa remedia etiam interna temperata ſedativa conjungenda ſunt, quæ motus vehementes refrænare adjuvant: præſtat vero communes compoſitiones largius opiatas evitare & potius temperatas ſpecies præferre; hinc præfero uſum Cinnabaris cum prædictis pulveribus Nitroſis combinandæ; huc etiam quadrant emulſiones remisſius papaveratæ; accedit Maſſa Pilularum de Cynogloſſa: conjungi poſſunt remedia coralliata & tonico interno ſelecto effectu proſunt Species de Hyacintho, utpote quæ auxilia ab intra motus impetuoſos coërcere juvant.

§. XV. Inter alia ſelectiora auxilia, quæ contra nimiam Narium Hæmorrhagiam commendantur, occurrunt pasſim alia, quæ Specifica vocantur, alia vero Sympathetica: ex ſpecificis vulgo recenſentur Succi herbarum adſtringentium, ut Urticæ, Millefolii, Sempervivi & ſimilium, qui intrinſecus circumſpecte ordinandi & adhibendi ſunt. Sympatheticorum variæ ſpecies pasſim recenſentur, velut ſanguis exſiccatus aſſumtus, cujus utilitas tamen haud probata eſt: deinde Pulvis Sympatheticus in ſenſibilibus ſubjectis non inefficax, ſed caute etiam admittendus eſt, ad minimum poſt illius efficacem uſum tempeſtiva præſervatoria Venæ Sectio adminiſtrari debet: accedit Lapis Hæmatites cujus efficacia eſt perquam fallax & non niſi in ſubjectis credulis probata: certioris utilitatis eſt Buſo exſiccatus ab Helmontio commendatus, vel manu detentus, vel ſub axillis geſtatus, vel capiti alligatus: a Borello laudatur Jaſpis rubra, quæ vero nondum condigne in experientia probata eſt; denique Lignum Vulnerarium aliquot experimentis ſuam utilitatem comprobavit, quæ ſingula commodis occaſionibus reſervanda ſunt.

§. XVI. Interea magna cura eſt habenda, quo partim ſub impetuoſo hoc ſanguinis fluxu, partim poſt illum, vires valde debilitatæ, erigantur & reſtituantur, id quod partim per interna, partim per externa remedia fieri poteſt: ab extra quidem talia remedia omittenda ſunt, quæ organa ſenſoria & caput valde & repente opplent atque reficiunt: hinc a ſubtilibus ſpirituoſis & vaporoſis admodum ſvaveolentibus, moſchatis & ambratis dehortor; quin rectius temperata ſvaveolentia, quo ipſius generoſi vini odorem refero, applicari debent: ab intra conducunt emulſiones ex aquis analepticis paratæ, cavendo a ſpeciebus refrigerantibus; porro conferunt juſcula gelatinoſa modeſte aromatica, aliaque dilutiora auxilia, quæ operoſam concoctionem non requirunt; ſicut poſt ceſſationem hujus Hæmorrhagiæ internus moderatus vini uſus concedi poteſt.

§. XVII. Denique etiam in Cura Hæmorrhagiarum Narium idoneum regimen ordinandum eſt, quod eo præcipue dirigi debet, ne partim ſubito

poſt prævium ceſſationem hic ſanguinis fluxus denuo irruat, neve in futurum iterum cum eodem impetu recurrat: quoad priorem circumſtantiam abſtinendum eſt, ne nares ullo modo offendantur, ne ſternutationes concitentur, ne ſubjecta odorem graviter afficientia offerantur, ne immoderate nares fricentur, neve titillatio, quæ ſub conſolidatione internæ rupturæ contingit, offendatur, ſed eſchara cum oleo leniente ad faciliorem ſeceſſionem promoveatur & reliqua facilior concretio cum Eſſentia balſamica moderate & immediate ad affectum locum applicanda, adjuvetur.

§. XVIII. Quoad futura tempora cavendum maxime eſt, ne caput valde exæſtuetur & commoveatur: nocent animi pathemata imprimis ira & immodica deſideria: nocent compotationes & inebriationes, aut ſpirituoſorum ingeſtiones: nocent liberaliores converſationes ſub æſtuoſa aura: nocent repentina refrigeria pedum, quid quod exquiſita intemperies quoad res non-naturales ſervandas commendanda eſt: præſtat inſuper quo alvus ſit conſtanter aperta, quo tranſpiratio inſenſibilis æqualiter ſuccedat & quominus ſæpius immodica talis Hæmorrhagia recurrat, eo magis confert præſervatoriam Venæ Sectionem in pede ordinare, interdum pediluvia conjungere & a plenitudine victus abſtinere & ita quoad quaslibet hasce circumſtantias bonam continentiam conjungere.

§. XIX. Paucis denique iterato mentionem facere placet Hæmorrhagiæ Narium criticæ: hæc cum communiter largior ſit, ita minime confeſtim expaveſcenda eſt, neve ſubito ſupprimenda, ſed ſi paulo fortius & impetuoſius ſuccedere videtur, præſtat ſingulis alternis horis pulvillum temperantem Nitroſum exhibere & ſi penitus excedit, tunc per mitiora externa refrenantia ſubveniendum eſt, cavendo a fortioribus adſtringentibus, aut ſuſpectis narcoticis remediis: præterea in hoc paſſu conferenda eſt quies animi & corporis, quia omnis inquietudo eo facilius motus ſanguinis & motus congeſtorios auget. Et hæ ſingulæ practicæ indicationes & operationes Deo benedicente & efficaciter & ſecure ſatisfaciunt, quo impetuoſa hæc ſanguinis profuſio rationabiliter & perite curetur.

CAPUT

CAPUT II.

DE SPUTO CRUENTO.

§. I.

AFfectus, qui hanc denominationem tenet, vix ita ſuſpectus eſt, qualis illis videtur, qui eundem in corpore ſuo experiuntur; unde non æque eximia & operoſa Therapia pro eodem commendari meretur, quid quod interdum pro illius levamine magis Therapia privativa, quam poſitiva proficere deprehenditur, ne videlicet incongruæ quædam medicationes ſuſcipiantur, quæ ſimplicem affectus indolem plus perturbant, quam ſublevant.

§. II. Et dum Sputum cruentum non raro ſuam communionem cum Hæmorrhagiis Narium molientibus habet, ita neceſſario prudens artifex ad illas ſedulo reſpicere debet, inde eveniet, ut ſi motibus illis ſubvenerit, etiam hic affectus eo facilius & ſecurius mitigari poſſit: deinde dum hæc cruenta dejectio tranſitoria Gingivarum, vel laxarum, vel nimio ſanguine oppletarum, cruentatione nititur, ita ſubinde generalis ſtatus plethorici obſervatio, dijudicatio & bona tractatio commendanda erit.

§. III. Quemadmodum etiam præſens affectus in indole ſua mitior & tolerabilior eſt, ita minime convenit cum ſpecioſa medicatione & arduis atque ſonticis operationibus therapevticis eidem ſuccurrere & opponere; unde vel bonis & moderatis tantum regiminibus ipſe cedit: interim etiam reliquæ accidentales cauſæ provide conciliandæ ſunt, ne Medicus mali ſedem in alia regione, parte & cauſa inquirat & ſuſpecta quadam antipraxi & amethodia e minori malo, majus atque gravius producat.

§. IV. Interim negari non poteſt, quod per accidens, maxime vero per inconvenientem medicationem hic affectus in alia incommoda & faucium & pectoris pathemata degenerare queat & quidem vel congeſtoria, vel inflammatoria, vel rhevmatica, vel hæmorrhagica, vel ſcirrhoſa, vel etiam in actuales corruptelas, quæ tamen non ita facile ſuperveniunt, ni affectus hic craſſo aliquo modo turbatus fuerit.

§. V. Quo itaque præſens affectus eo magis rationabiliter atque ſecure tractetur, ita præcipue cavendum eſt 1) a confuſa ſanguinis evacuatione

2) a negligentiori præſentis & commotæ Plethoræ tractatione 3) ab oblivioſa conciliatione aliorum motuum hæmorrhagicorum 4) a famoſa correctione acrimoniæ ſanguinis, quæ pro hujus affectus cauſa ſupponitur 5) a negligentiori ordinariarum excretionum promotione 6) a remediis quibusvis calidis & maſſam ſanguineam valde exagitantibus 7) a nudis adſtringentibus, refrigerantibus & incraſſantibus 8) a communibus narcoticis 9) a remediis pectoralibus vel poſitive expectorantibus vel adſtringentibus 10) a vulgatis antihecticis, quando ex hoc affectu per fallacem prognoſin hecticus affectus prædicitur & denique 11) ab incongruo regimine & vitæ genere.

§. VI. Cura Sputi Cruenti ita dirigenda eſt, ut ſubjectis, quæ hunc affectum frequentius experiuntur præſervatoriæ Venæ Sectiones bis per annum repetendæ ordinentur & præcipue in pede adminiſtrentur: Et ſi eadem ſpongioſioris corporis fuerint, tunc inutile haud eſt, quo interdum Scarificationes interponantur, ita tamen, ut hæ ventilationes ſanguinis ordine congruo ſuſcipiantur, neque prodige celebrentur; proinde vero cum bono regimine ſubleventur: quibus mediantibus ſuccesſive tales particulares & imperfectæ commotiones congeſtoriæ divertuntur, ne in frequentiorem talem effectum tranſeant.

§. VII. Neque enim convenit in cura hujus affectus multa & eximii nominis famigerata poſitiva auxilia ordinare, quin potius præſtat bono regimine & congrua diæta illis cauſis præoccupandis operam dare, quæ alias affectum talem excitare ſolent; præcipue abſtinendum eſt a ſingulis illis occaſionibus, quæ ad immoderatiorem ſanguinis commotionem contribuunt, ſive intrinſecus ſive extrinſecus talis ſuſpecta ſanguinis turgefactio provocatur: quin rectius temperatæ diætæ & reliquæ temperantiæ ſtudendum eſt.

§. VIII. Præterea admodum convenit, quo ordinariæ reliquæ excretiones rite procedant, imprimis præſtat alvum in liberum & legitimum ſucceſſum transferre & interdum per lenem laxationem, aut correctorum aloëticorum remediorum moderatius offerendorum admonere: nec non interdum conjungi poſſunt pediluvia, quibuscum anotericæ illæ congeſtiones ſuccesſive avocari debent: nec non confert a nimia deſidia abſtinere, ne exinde alvina excretio turbetur: porro proficit nimias vigilias & nocturnas lucubrationes evitare, quæ in ſubjectis, capite ſenſibilibus, facile inſolitas tales commotiones, caput occupantes, excitant.

§. IX. Ad poſitivam motuum congeſtoriorum concurrentium mitigationem conveniunt partim uſitata temperantia, partim lenientia & demulcentia remedia. Ad priorem claſſem ſpectant pulveres Nitrati abſorbentes Cinnabarini; ad alteram claſſem vero referri debent remedia mucilaginoſa,

noſa, gelatinoſa, lacticinia, ſerum lactis, emulſiva, pultacea teneriora, quæ concurrentem majorem ſanguinis commotionem componunt atque tranquillant: Externa nulla hoc loco proficiunt, neque æque præter neceſſitatem hic affectus profligandus eſt; cum præmaturæ & minus ſecuræ adſtrictiones per conſenſum locis affectis communicandæ non ſatis rationabili methodo reſpondeant.

CAPUT III.

De
HÆMOPTYSI.

§. I.

HÆc ſpecies Hæmorrhagiæ omni occaſione & in omni ſubjecto, ſive mitior, ſive gravior fuerit, ſatis ſuſpecta eſſe obſervatur & licet interdum tam præſentaneam noxam haud inferat, tamen ſi repetito recurrit, eo certius irreparabile quoddam damnum infert, quod vel ſimultaneum eſt, vel ſucceſſivum; ſiquidem Hæmoptyſis facile in Phthiſin inclinat, quæ eo certius atque citius ſequitur, quo magis hic ſanguinis fluxus repente & immoderate per famoſa adſtringentia remedia cohibitus & ſuffocatus fuit, imo quo magis hæc eruptio e profundis pectoris contingit: ex quo nunc facile eluceſcit, quanta cum prudentia & dexteritate hæc Hæmorrhagia tractari debeat.

§. II. Hæc Hæmoptyſis utplurimum e pulmonibus provenit, qui ob teneram ſuam texturam largum & conſtantem ſanguinis affluxum & perpetuum motum variis periculoſis conſecutionibus ſubjiciuntur; ita ut vel ſua ſponte etiamſi nullus error in cura obtigerit, in ſuſpectum effectum atque eventum hæc ſanguinis excretio propendeat: cum hoc loco non æque de violenta Hæmoptyſeos indole ſermo ſit; ſed de ſpontaneo & tacito illius ortu, ita quidem in eadem ſcopus naturæ agnoſci & demonſtrari poteſt, quando ſanguinem ſuperfluum & moleſtum per hanc corporis regionem ſalutari quidem generica intentione, ſed minus felici executione eadem eliminare contendit, ubi magis obſervanda eſt partis affectæ indiſpoſitio, quam totius negotii evagatio.

§. III. Ob id hæc Hæmorrhagia minime pro turbulento & abſolute pernicioſo actu dijudicanda & tractanda eſt, ſed potius pro motu naturæ, ad imminuendum ſanguinem moleſtum deſtinato, cui propterea non ita temere atque crude reſiſtendum eſt, quia craſſæ & directæ tales oppoſitiones communiter extremum & funeſtum eventum nanciſcuntur, dum ex ſimultanea Hæmoptyſeos oppresſione vel momentaneæ ſuffocationes vel repentinæ ſtaſes, impetuoſæ inflammationes & emortuales corruptiones oriuntur: contra vero ſecuriori & prudentiori methodo huic naturæ molimini ita ſubveniendum eſt, quo præcurrentes & concurrentes hi motus excretorii tranquillentur, ita reliqui fluxus moderatio eo melius & ſincerius perfici & obtineri poteſt.

§. IV. Imprimis proſpiciendum eſt, cum natura humana ſemel talem viam atque exitum ſelegerit, ne poſt primam huius fluxus medicationem in futurum frequentius ipſe revertatur, adeoque non modo in genere periculum renovet, ſed & majori ſuo gradu atque impetu illud periculum augeat: hinc ex officio boni & periti artificis fluit, quo hanc ſuſpectam naturæ viam modeſte præſcindat & alia congrua methodo ſanguinem ſuperfluum imminuat adeoque iterum intentioni & motui naturæ recte dirigendis ſedulam operam adhibeat: de reliquo etiam proſpiciat, quo, quantum in poteſtate artis eſt in priſtino affecto loco omnis ſuſpectus effectus arceatur.

§. V. Et dum totus hic affectus quoad indolem ſuam non parum periculoſus eſt, ita in cura illius eo magis artifex a ſiniſtris tentaminibus ſollicite abſtinere debet: propterea in Therapia Hæmoptyſeos cavendum eſt 1) a præpoſtera aut etiam nimis parca ſanguinis ventilatione artificiali: 2) ab evacuationibus quibuslibet impetuoſis & per immoderatos ſtimulos provocatis: 3) a medicaminibus ſanguinem valde commoventibus & turgefacientibus calidis & concentratis; 4) a præmaturo uſu adſtringentium & repellentium: 5) a remediis valde incraſſantibus & communibus refrigerantibus 6) a vulgatis narcoticis 7) a famigeratis travmaticis & ſic dictis pectoralibus 8) ab emollientibus & motus ad pectus magis provocantibus 9) a præmaturo uſu antiphthiſicorum & anti hecticorum 10) a quibuslibet remediis tusſiculoſas commotiones excitantibus, & 11) a negligentiori neceſſariarum & ordinariarum excretionum promotione.

§. VI. Cura Hæmoptyſeos per ſequentes indicationes practicas adminiſtrari debet: 1) quo tempeſtive artificialis ſanguinis ſubtractio inſtituatur & ita efficax naturæ diverſio inducatur 2) quo motus immoderati excretorii temperentur & leniantur; 3) quo urgens excretio cohibeatur & ſedetur, aut 4) quo ſuſpecta ſymptomata auferantur & præoccupentur 5) quo viribus conſervandis vel reficiendis opera adhibeatur & denique 6) quo congrua præſervatio ordinetur.

§. VII.

§. VII. Quando Hæmoptyſis nunc actu erumpit & adhuc in primis ſuis principiis conſtituta eſt, tanto magis vero, quando impetuoſe mox corripit, tunc & neceſſarium & utile eſt, tempeſtivam Venæ Sectionem injungere, qua cum ſufficiens ſanguinis quantitas educi debet; & præſtat pro efficaciori & citiori alteratione in brachio eandem celebrare: quando vero Hæmoptyſis ex turbatis & repente ſuppresſis Menſibus aut Hæmorrhoidibus ortum traxit, tunc non modo ad inducendam alterationem, ſed & ad derivandos motus inverſos Venæ Sectio in pede ordinanda eſt: & quo hæc diverſio & alteratio melius, certius & citius contingat, cura inſuper eſt habenda, ut alvus aperta ſit, vel modeſte aperiatur, cui intentioni impetrandæ Clyſteres, lenientes magis, conveniunt, quam interna remedia, quorum operatio & effectus tardior exiſtit.

§. VIII. Deinde convenit motibus excretoriis tonicis auctioribus proſpicere, quo illi mitigentur & leniantur: mitigatio ſuccedit per remedia paſſim hactenus commendata Nitrata, abſorbentia, Coralliata, Cinnabarina; ſicut uſus abſorbentium cum acidis conjunctorum, cum Coralliis rubris præparatis commixtorum non inefficax eſt, quales pulvilli ter vel quater per diem exhibendi ſunt; Lenitio vero exercetur per remedia emulſiva, minime refrigerantia, ſed ſimpliciora, ut & per decocta mucilaginoſa, gelatinoſa & lacticinia, quæ tam univerſo corpori, quam parti affectæ lubrica ſua conſiſtentia hanc moderatam emollitionem & relaxationem conciliant.

§. IX. Quando Hæmoptyſis contumacius inſiſtit, impetuoſius ſuccedit, aut mox cum vehementi gradu invadit, tunc efficacior cohibitio & ſedatio motuum excretoriorum inducenda eſt: quoad priorum remediorum indolem multa proſtant remedia, ita dicta adſtringentia; quo pertinet Crocus Martis Antimoniatus Stahlii, Crocus ex minera Martis Solari paratus, Tinctura Corallorum & de Catechu, Liquor mineræ Martis, Tinctura Vitrioli Martis & adhuc varia alia; quæ ſingula tamen cum aliquo moderamine uſurpanda ſunt, ne videlicet largior quantitas illorum ingeratur: tonicam & ſimul moderate reſtringentem qualitatem habent remedia ex Hyacintho parata: alterius vero claſſis remedia ſunt Cinnabarina, Papaveracea, Maſſa Pilularum de Cynogloſſa, Chaccarilla & Semen Hyoſcyami, quod ultimum tamen provide adhibendum eſt.

§. X. Præterea pro efficaci Hæmoptyſeos cura paſſim occurrunt probata remedia ſpecifica & ſympathetica, quæ urgente necesſitate in hoc affefectu ordinari poſſunt: e numero Specificorum plurima adſtringentis indolis ſunt, licet in A. N. C. oleum Lini etiam hoc ſpecifico effectu ad Hæmoptyſin laudetur, cujus vera efficacia experientiæ ulteriori relinquenda eſt; deinde

Urtica

Urtica, Centumnodium & ſimiles herbæ eodem effectu ſpecifico ad Hæmoptyſin, commendantur: e Sympatheticis imprimis Pulvis ſympatheticus & Bufo exſiccatus in hac cura interdum adhiberi poteſt.

§. XI. Accidunt interdum Hæmoptyſi periculoſa & ominoſa ſymptomata, quæ propterea tempeſtive auferenda ſunt, maxime vero nocet repentina alvi occluſio, quæ per lenientia & emollientia Clyſmata, ut & per remedia rhabarbarina ſolvenda & liberanda eſt: deinde nonnunquam ſupervenit ſuſpecta tuſſis, pro qua mitiganda conveniunt vel emulſiva, vel temperata diſcutientia, vel remiſſius expectorantia, vel ſecura ſedativa, ubi inſuper abſtinendum eſt, ne talia remedia offerantur, quæ tuſſim excitant, ut ſunt acida & pectus valde offendentia; ſi denique commotiones febriles concurrunt, tunc conferunt remedia nitroſa, abſorbentia & coralliata, ut & temperata alexipharmaca; cavendo ab omni immoderata ſanguinis commotione.

§. XII. Quando ſuſpicio ſubeſt, quod in pectore aliqua ſanguinis effuſi quantitas deliteſcat, tunc moderata pectoris abſterſio inducenda & ſuſcipienda eſt, & huic intentioni ſatisfaciunt remedia modeſte pectus reſolventia, repurgantia & roborantia, ejusmodi ſunt mellita, gummatoſa & ſeorſim in moderata quantitate proficua vegetabilia, ut Veronica, Scordium, Salvia, Chærefolium, Sanicula, Menta Saracenia &c. quemadmodum modeſtus uſus Myrrhæ, Succini & Thuris pro hoc ſcopo non rejiciendus eſt: & hæ ſingulæ ſpecies in forma apti Electuarii ordinari poſſunt; proſpiciendo, quo interea alvus aperta maneat, attamen hæc auxilia non maturius ſunt adhibenda, niſi jam primus impetus, imo totus reliquus decurſus Hæmoptyſeos ceſſaverit & ſuſpectum ſymptoma anguſtationis futuræ acceſſerit.

§. XIII. Et cum in omni ſpecie Hæmorrhagiæ, quotiescunque decurrit, non exigui virium lapſus concurrunt, ita illis reparandis & ſublevandis opera adhibenda eſt, cavendo, ne acriora & ſpirituoſiora remedia offerantur; unde rectius ſub Hæmoptyſeos ſucceſſu conveniunt emulſiones aut potiones ex aquis analepticis paratæ, remixtæ cum ſpeciebus, aut confectione de Hyacintho; imprimis ex Cinnamomo temperata & parata auxilia huc egregie conducunt: accedit requies animi & corporis; quando nunc Hæmoptyſis remiſit, tunc ex diæta juſcula moderate aromatiſata vinoſa eximie conferunt, cavendo, ne immodice ſanguis commoveatur.

§. XIV. Denique præſervari debet Hæmoptyſis repetitis & tempeſtivis Venæ Sectionibus, in pede adminiſtrandis, repetitis moderatis laxationibus, conſtanti requie animi, abſtinentia ab omni immodica corporis commotione & pectoris offenſione, a compotationibus, inebriatione, vomitionibus,

nibus, clamoribus, ſtrenua ſermocinatione, admiſſione auræ inquietæ & inquinatæ fuliginoſæ & cum perverſis fumis depravatæ, ut & abſtinentia a tractatione inſtrumentorum muſicorum, quo pectoris uſus requiritur: ſeligenda eſt diæta temperata non nimis plena, neque nimis opipara, aut valde aromatiſata & ſpirituoſa; ſeponenda ſunt acida, quæ ad incongruas tusſis commotiones contribuunt, corpus in moderato calore ſervetur; pedes non nimiis refrigeriis exponantur & ita quoad res non naturales talis temperies exacte ſervetur.

CAPUT IV.

DE

VOMITU CRUENTO.

§. I.

ALia ſpecies fluxus ſanguinis ſatis ſuſpecti eſt *Cruentus Vomitus*, qui quoad actualem eventum præ reliquis Hæmorrhagiis infrequentior, attamen quoad ſua molimina ſuosque apparatus familiarior eſt & ubicunque occurrit, licet non præſentanee funeſtus exiſtat, tamen ubique ſuſpectus eſſe deprehenditur, ita ut propterea vel in leniori, vel acerbiori gradu conſtitutus, prudentem & tempeſtivam medelam requirat, quoniam e mitiori ſtatu in deteriorem conſtitutionem degenerare ſolet, ita ut tota œconomia vitalis deſtruatur & periculoſi effectus hectici ſupervenientes miſerum huic tragœdiæ finem imponant.

Conſ. Diſp. mea de Vomitu Cruento.

§. II. Quanquam inter practicos variæ Vomitus Cruenti ſpecies recenſeantur, tamen nulla digniorem conſiderationem & diſquiſitionem meretur, quam ſi hic vomitus aliis primariis ſalutaribus Hæmorrhagiis, aut motibus hæmorrhagicis turbatis, ſubordinatur, ut in alia regione & parte vices præcedentium motuum atque fluxuum ſuppleat: unde quidem facile commonſtrari poteſt, quod hujus Cruenti Vomitus adminiſtratio in genere ad ſalutarem ſcopum collineet, tamen ob inverſionem motuum & minus conſuetam applicationem partis ſiniſtros non raro effectus nanciſcatur: ut itaque in Pathologia practica ante omnia hæc communio hujus Hæmorrhagiæ cum aliis bene penſitanda & ad uſus practicos applicanda ſit.

 §. III.

§. III. Conſpirat itaque hæc Hæmorrhagia cum Menſibus atque Hæmorrhoidibus turbatis aut represſis, unde a quibusdam hic vomitus cruentus fluxus menſtruus vel hæmorrhoidalis e Ventriculo dicitur, ſiquidem hæc cruenta emeſis non meliori auxilio percuratur, niſi illæ celebriores Hæmorrhagiæ reſtituantur; & ex hoc fundamento haurienda eſt tota ætiologica tractatio: ſi vero hæc animadverſio negligitur, tunc eo minus cura affectus hujus feliciter ſuccedit, ſed cum ulteriori Menſium & Hæmorrhoidum perturbatione deteriora conſectaria infert.

§. IV. Præter hanc ſpeciem Vomitus Cruenti occurrunt etiam quidam tales effectus ex diuturnis & corruptis ſpleneticis morbis prodeuntes, qui in cura medica parum ſpei relinquunt, dum in tali ſtatu præſens afflictio ita conſummata & deperdita eſt, ut vix idoneam & efficacem medelam admittat, imo interdum contingit, ut talis ſuſpecta eructatio ſanguinis ſemi corrupti repentinum funeſtum exitum inferat: quando vero ſanguis per ventriculum erumpit ob prægreſſum excesſivum vomitum, aut gravem contuſionem & eroſionem Ventriculi, tunc ſine alio quodam ſingulari reſpectu ad cohibitionem hujus cruenti vomitus labor applicandus eſt.

§. V. In hac Hæmorrhagia non tam animus dirigendus eſt ad craſſum illum modum excernendi ſanguinem, qui in vehementi vomitu conſiſtit, utpote qui facile quidem compeſci poſſet, ſed potius iterum illi motus bene perpendendi ſunt, qui ad translationem & eructationem ſanguinis intra ventriculum ſpectant, quibus durantibus minus ſecurum eſſet conamen tantum Vomitum coërcere velle, unde cum hi motus juxta præcedentes Hæmorrhagias turbatas ad propoſitum finem tranſeant, ita etiam minus conſultum eſt iisdem craſſe & inconſiderate opponere velle, qui rectius in juſtum ordinem converti & prout præcedentibus Hæmorrhagiis reſpondent, emendari debent.

§. VI. Quo itaque primaria talis vomitus cruenti ſpecies rationabilius, ſecurius & efficacius curetur, cavendum eſt 1) a negligentiori obſervatione & conciliatione illius communionis, in qua Vomitus ille cruentus ſubſiſtit 2) ab ulteriori Menſium & Hæmorrhoidum perturbatione & ſuppresſione 3) ab inferiorum regionum majori occluſione 4) ab incongrua ſanguinis misſione 5) a præmaturo uſu adſtringentium 6) tanto magis vero a potentiorum adſtringentium ordinatione 7) a liberali & incongrua carminativorum oblatione 8) a remediis calefacientibus, volatilibus, concentratis, acribus & ſpirituoſis 9) vicisſim vero a refrigerantibus & crasſius obviſcantibus 10) ab excretionum ordinariarum negligentiori promotione 11) a ſuſpectis narcoticis medicam

dicamentis & famoſis Caſtorinis remediis, denique 10) a rerum non naturalium minus ſecura conceſsione & applicatione.

§. VII. Methodus Cruento Vomitui medendi in ſequentibus indicationibus conſiſtit 1) ut generalia quædam incommoda tempeſtive auferantur 2) ut motus immoderati excretorii temperentur 3) & urgente neceſsitate cohibeantur, aut ſedentur 4) ut viæ affectæ debite repurgentur & roborentur 5) ut reliquus ſtatus in juſtam illam originem reducatur, e qua talis Hæmorrhagia prodiit & denique 6) ut congrua præſervatio ordinetur, ne hæc Hæmorrhagia vel frequentius recurrat, vel in ſuſpectam conſvetudinem delabatur.

§. VIII. Quoad primam indicationem duo communia generalia incommoda penſitanda & recte tractanda ſunt, primo, quando alvus rigide clauſa atque ſuſpecte ſicca eſt, unde contingit, ut ob defectum excretionis alvinæ motus congeſtorii & ſpaſtici excretorii contumacius & immoderatius in ſuperiores regiones tranſeant: haud vero in primo hujus affectus inſultu congruum eſt alvum moventia interne exhibere, quæ ob ſenſibilem ventriculum vel mox revomuntur, vel ſiniſtras commotiones cauſantur, vel tardius operantur, unde potius præfero uſum clyſterum lenientium, remisſius roborantium & cum temperato ſtimulo ſalino mixtorum.

§. IX. Alterum incommodum conſiſtit in nimis urgente & turgente Sanguinis quantitate, ut & in nimis immodica reſtrictione ſanguinis congeſtoria ad hypochondria, in quo ſtatu ita effero tempeſtivam Venæ Sectionem in pede celebrare licet, quamvis non æque promiſcue ad curam Vomitus cruenti ſanguinis misſio artificialis neceſſaria ſit, ſiquidem affectus hic, in mitiori ſtatu comprehenſus, etiam ſine Venæ Sectione curari poteſt: quando vero ob circumſtantias urgentes talis ſanguinis ſubtractio utilis & neceſſaria judicatur, tunc tempeſtive inſtituenda eſt.

§. X. Secunda indicatio injungit motuum eluctatoriorum & eructatoriorum debitam mitigationem, quæ commode per uſitata remedia nitrata & antiſpaſmodica obtinetur, quo pulveres ſalini Cinnabarini & abſorbentes ſpectant, qui in exigua quantitate ter & quater per diem exhibendi ſunt & quibuscum maximus impetus hujus excretionis demulceri debet: quin confert reliquis indicationibus congruis temporibus ejusmodi remedia ſedulo conjungere & ſubordinare, ne inverſi tales motus hæmorrhagici in contumacia ſua aut confirmentur, aut perſiſtant & inſoleſcant: minime vero in hoc paſſu lenientia remedia, niſi diluentia fuerint & viarum atque humorum humectationi quadrent hisce impetuoſis motibus, in hoc caſu temperandis, ſatisfaciunt.

§. XI. Tertia indicatio commendat auxilia partim cohibentia, partim ſedantia: ex cohibentibus alia ſunt generalia, alia ſpecialia; e numero il-

lorum conveniunt ſelecta Martialia tam in Crocis, quam in Tincturis, ſicut etiam Tinctura Corallorum & de Catechu in caſu necesſitatis adſtringente vegeto effectu ſeſe comprobant; ſpeciale vero cohibens remedium conſtituit Millefolium, quod vel in Decocto vel in Eſſentia conducit, cum qua alia quædam moderate roborans Eſſentia commiſceri poteſt: neque inconſulto ejusmodi cohibentibus auxiliis etiam ſedantia conjunguntur, ex illis vero vel cortex Chaccarillæ ſive in Pulvere ſive Extracto & Tinctura, vel Maſſa Pilularum de Cynogloſſa proficit; abſtinendum vero eſt a minus ſecuris narcoticis aut fortioribus adſtringentibus remediis.

§. XII. In quarta indicatione commendantur talia auxilia, quæ vias affectas repurgant atque roborant: repurgatio maxime illum ſtatum concernit, ne in Ventriculo aliqua ſanguinis effuſi quantitas remaneat, poſteaquam Vomitus cruentus cohibitus fuit, alias ob corruptionem illius ſanguinis retenti varia prava conſectaria metuenda ſunt; quapropter præſtat poſt vomitus remisſionem exhibere lene laxans remedium, quod tamen absque ullo ſingulari ſtimulo operatur, cum quo conjungi poteſt ſufficiens abſterſio, humectatio & emollitio Ventriculi & inteſtinorum: roboratio Ventriculi propterea neceſſaria eſt, quia poſt vomitus ceſſationem communiter tunicæ Ventriculi laxiores, flaccidiores, magisque enervatæ ſunt, quæ, ne copioſiori ingreſſui & oppleti[o]ni ſanguinis obtemperent, adeoque futuris moleſtis anguſtationibus anſam præbeant, tali moderata confortatione indigent: præſtat ſeligere temperatoria carminativa aut uſitatam noſtram Mixturam tonicam; alia potentiora & acriora provide evitare convenit.

§. XIII. Sed quo fundamentum hujus affectus in juſtum ordinem ducatur, adeoque hæc Hæmorrhagia e fundamento curetur, neceſſe erit ad principales illas cauſas ſollicite retroſpicere, quæ ad hunc Vomitum contribuerunt; propterea confert in fœminis Menſtruam purgationem ſub moderata methodo revocare & in ordinem idoneum reſtituere; quamdiu enim Menſes ſuppreſſi manent, tamdiu hic affectus non ſecure acquieſcit: in viris præſtat ad evacuationes hæmorrhoidales ſedulo attendere & ſi eædem antea in ſubjectis occurrere, illas iterum prudenter & temperanter revocare decet; maxime cavendum eſt, ne talis conatus unquam impetuoſe urgeatur.

§. XIV. Excipit porro præſervatoria methodus, quæ in Vomitu Cruento ordinanda & uſurpanda eſt, ubi ante omnia convenit præſervatoria Venæ Sectione in pede ſuccurrere, deinde ordinarias evacuationes adjuvare; maxime confert alvum in juſto ſucceſſu conſervare & tam congrua diæta, quam interdum leni abſtergente remedio promovere; corpus in conſtanti & moderato calore ſervari debet, maxime a pedibus ſenſibilis refrigeratio excludenda

da eſt, quin potius interdum pediluviorum uſus repetitus convenit, deinde diæta ſeligatur mollis, ſufficienter humida, evpepta & quæ primis regionibus nullas turbas infert, potus conjungatur ſufficiens, in futurum etiam modeſte mobile vitæ genus conjungatur & ante omnia etiam qualiscunque animi perturbatio curatius evitetur.

§. XV. Quod Curam Vomitus Cruenti violento modo provocati attinet, tunc requiritur antea, quo alvus aperta ſit; unde Clyſterum emollientium uſus ſub occluſione alvi non eſt incongruus, proxime confert adhibere pulveres uſitatos nitratos & moderate tonicos, ſive vomitum compeſcentes, quo ſuperius allegata remedia cohibentia conducunt, quibus commode Cortex Chaccarillæ ſive in ſubſtantia, ſive in Tinctura miſceri poteſt: porro ſubordinanda ſunt remedia interna reſolventia & imprimis decocta, ne aliqua labes in viſcere quodam remaneat; alvus vero in apertura conſervanda eſt & ſi ſubjecta valde plethorica fuerint, non inutilis eſt tempeſtiva Venæ Sectio: cavendum denique eſt, ne repentina quædam hujus vomitus oppresſio periculoſas ſtaſes introducat.

CAPUT V.

DE

NIMIO MENSIUM FLUXU.

§. I.

EXcesſivis ſanguinis profuſionibus annumerari debent *Menſes* prodige aut nimium fluentes, qui interdum in virginibus, interdum etiam in mulieribus occurrunt & hoc ſuo exceſſu exquiſite circumſpectam Therapiam poſtulant: in hac cura illa offenſio ſollicite evitanda eſt, ne, dum artifex hujus fluxus exceſſum coërcere laborat, ſimul legitimum illius ſucceſſum turbet, quoniam Menſium fluxus in futurum nihilominus legitime continuare debet: ſi vero exceſſus Menſium ſimul & ſemel opprimitur, tunc non modo ſalutaris & neceſſarius Menſium ſucceſſus legitimus obruitur, ſed & imposterum gravia admodumque periculoſa pathemata varii nominis & ominis ſuperveniunt; quæ offenſio propterea a prudenti artifice ſedulo eſt declinanda.

§. II. Exſerit ſeſe nimius Menſium fluxus duplici peculiari modo, primo, quando longinquiori ſua duratione in exceſſum delabitur, licet interea motus congeſtorii & excretorii non ita impetuoſi & impatientes exiſtant: deinde, quando uno impetu erumpit & ſimultanee atque immoderate inſiſtit adeoque intra brevem temporis terminum ad eximium exceſſus gradum pertingit, quippe quæ poſterior excesſivi Menſtrui fluxus conſtitutio non modo periculoſior eſt, ſed & magis tempeſtivam atque efficacem medelam poſtulat, ita tamen, ne in reliquo ſuo impetuoſo decurſu ſimultanee motus excretorii invertantur & obruantur, ni exinde repentina, extrema, maximeque periculoſa conſectaria ſupervenire debeant.

§. III. Quod interdum Menſes excedant, non tam in culpa ſtructuræ corporis & ſanguinis acrioris conſiſtit, ſed potius in culpa motuum immoderate & impatienter congeſtoriorum & excretoriorum inquirendum eſt: exinde etiam artifex palmarium ſuum ſtudium non tam ad ſanguinis & corporis, quam motuum alterationem dirigere debet; ita quidem, ut hanc cynoſuram nunquam offendat, quod videlicet motus Menſium ad ſalutarem ſcopum ſint directi: propterea in hisce motibus prudenter verſari debet artifex, ne eosdem craſſe offendat aut ludicre perturbet.

§. IV. Proinde etiam convenit ad remotiores impulſivas & occaſionales cauſas attendere, inter quas præcipue patheticæ commotiones bene obſervandæ ſunt, ſiquidem eædem ad perturbationem negotii Menſium nimium quantum conferunt: præterea providendum eſt, ne ejusmodi excesſivi fluxus frequentius revertantur, qui præter alia morbida conſectaria juniores fœminas plane ita alterant, ut infœcundæ reddantur, aut ad periculoſos abortus futuros diſponantur; adultiores vero in affectus Chronicos, imprimis vero hecticos incurabiles conjiciantur, hinc eo maxime in Therapia hujus exceſſus reſpiciendum eſt, quo tam poſitiva, quam privativa methodo Menſtruus fluxus in ordinem juſtum convertatur.

§. V. In hoc nimio Menſium fluxu porro rite dijudicando, confert ſubjecta quoad diverſas circumſtantias rite penſitare & quidem, ne liberior aut largior Menſium fluxus ſtatim pro excedente & nocivo reputetur: deinde quando antea aliquandiu in certis fœminis Menſes ſubſtiterunt & nunc largius erumpunt, ne confeſtim coërceantur, ut & quando in adultis fœminis, naturali Menſium ceſſationi propioribus, talis prodigus fluxus contingit, ne ludicre opprimatur, neve ita oppreſſus deſeratur, aut impoſterum negligatur, alias in futurum eo certius majora ſanitatis detrimenta prædicenda & metuenda erunt.

§. VI.

§. VI. Quo itaque meliori & ſecuriori methodo Menſium exceſſus condigne curetur, præſtat has cautelas practicas antea notare & poſtea ſedulo applicare: 1) ne fugitiva & confuſa misſio ſanguinis curatoria ordinetur 2) ne craſſæ & immodeſtæ revulſiones commendentur 3) ne aliæ immoderatæ evacuationes ſuſcipiantur 4) ne reliquæ neceſſariæ & ordinariæ evacuationes, vel turbentur, vel negligentius promoveantur 5) ne mox remedia adſtringentia obtrudantur & ſimul & ſemel immodici fluxus opprimantur, ne 6) craſſa narcotica remedia vel exhibeantur, vel frequenter repetantur 7) ne ſenſibilia interna & externa refrigerantia nobilioribus partibus deſtinentur & applicentur 8) ne contra remedia calida ſpirituoſa concentrata, ſic dicta roborantia offerantur 9) ne uſu interno famoſa caſtorina exhibeantur 10) ne alia famigerata uterina remedia, quæ calidioris indolis ſunt, conjungantur 11) ne externa fomenta & peſſaria adſtringentia adhibeantur, neve denique 12) incongrua regimina & turbulentæ præſervationes præſcribantur.

§. VII. Therapia ſpecialior excedentis Menſium fluxus ſequentibus indicationibus abſolvitur 1) ut effectus, qui hunc fluxum exacerbant & ſuſtentant tempeſtive removeantur 2) ut motus impetuoſi, qui illum proſequuntur ſufficienter temperentur, aut 3) ſi nimis immorigeri fuerint, coerceantur & ſedentur. 4) ut ſimpliciora adminicula tempeſtive ordinentur & denique 5) ut juſta & neceſſaria præſervatio commendetur.

§. VIII. Prima indicatio injungit quarundam cauſarum, nimium hunc fluxum exacerbantium, tempeſtivam abolitionem inter illas primo loco inordinati ſucceſſus excretionis alvinæ mentionem injicio; propterea præſtat ſtatim talem excretionem ſubſiſtentem, attamen citra ullum immoderatum ſtimulum revocare, quare vel Clyſteres emollientes oleoſi & parcisſime roborantes, vel rhabarbarina auxilia, conducunt, excluſis aloeticis, aut aliis alvum afficientibus, minus ſecuris, ſubjectis: Venæ Sectio curatoria neceſſaria non eſt, etiamſi plethora in ſubjecto conſpicua adſit, quæ magis præſervatoriis uſibus reſervanda & deſtinanda eſt: quando immoderatum animi pathema præcesſit, tunc conveniunt remedia Coralliata ex Hyacintho parata & nitrata: quando immodicus ſanguinis orgaſmus concurrit, qui hunc fluxum exaſperat, tunc præter terrea Coralliata etiam alia abſorbentia acidulata, aut remedia modeſte acidiuſcula præbenda ſunt.

§. IX. Quando hic Menſium exceſſus impetuoſe continuat, tunc poſt præmiſſa remedia temperantia, proxime cohibentia & ſedativa conjungenda & adhibenda ſunt, cum illo tamen moderamine, ne fortiora ex iisdem ſeligantur, ne ſimul & ſemel fluxus cohibeatur, ne nimis largæ adſtringentium doſes ordinentur, ne nimis diu etiam ſelecta cohibentia remedia continuentur,

ne

ne ſola talia exhibeantur & ne poſt exceſſus cohibitionem remedia temperantia & auxilia diluentia omittantur ; quo etiam ſpectat, ut poſt Menſium refrenationem alvus rite ſuccedat : ex ejusmodi cohibentibus auxiliis conducunt Martialia remedia, ſive in Crocis, ſive in Tincturis exhibenda : ut & ſucci herbarum, quibus interdum ſpecialis vis adſcribitur, moderata quantitate offerendi : e ſedativorum numero vel ſimpliciora papaveracea, vel Semen de Hyoſciamo vel Maſſam pilularum de Cynogloſſa vel corticem Chaccarillæ commendo, quæ prioribus cohibentibus remediis commode miſceri poſſunt.

§. X. Inter alia auxilia paſſim a practicis diverſa externa & ſympathetica ordinantur: e numero externorum vulgo proſtant Peſſi & Suffitus adſtringentes, quos vero hoc loco non approbo : alii commendant refrigerantia remedia, regioni pubis, hepatis & osſis coccygis apponenda, quæ quidem per refrigerationis effectum in ſubjectis ſenſibilibus hunc fluxum cohibent; ubi etiam prudentia artificis requiritur, ne repentina ſuppresſio exinde oriatur : ita veteribus in more poſitum fuit cucurbitulas cæcas regioni hepatis, aut, juxta Hippocratis monitum mammis, applicare, quarum effectus vero eſt anceps : quid quod talia topica facile ſimultaneum adeoque ſuſpectum adſtrictionis effectum exſerunt.

§. XI. Quod Sympathetica attinet, tunc varia vulgo commendantur, ut pulvis ſympatheticus, ſanguis menſtruus pulveriſatus, Jaspis rubra, Linteola cum ſanguine menſtruo inquinata &c. quæ vero effectus vel exoptatos vel ſecuros non præſtant ; inter reliqua hoc loca commendo Bufonem exſiccatum, ſemori alligandum, dorſo appenſum, nec non arctiores ligaturas extremitatum digitorum cum filo ſericeo ; quod experimentum Practici quidam in Hæmorrhagiis uterinis aliquoties utile, efficax & ſecurum deprehenderunt : dantur etiam alia ſympathetica, quæ vero magis ex opinione quam experientia allegantur.

§. XII. Quando principalior impetus exceſſivi Menſtrui fluxus mitigatus eſt, tunc circa exitum curæ volatilia remedia modeſtius oblata ſecurius proſunt, quam maturius exhibita, quæ non modo reliquum fluxum paululum immoderatum compeſcunt, ſed & affectas partes ita roborant, ne citioribus immoderatis affluxibus pateant ; unde aliquo modo ſuſpectum recurſum hujus excesſivi fluxus intercipiunt : non minus Pilulæ Balſamicæ Stahlii, in hac afflictione repetito exhibitæ multum conferunt & incongruos motus menſtruos emendant & tranquillant.

§. XIII. Denique in Therapia præſentis affectus idonea & ſalutaris præſervatio præſcribenda eſt : ob id confert circa illa tempora, quibus menſtruus

ſtruus fluxus recurſu ſuo denuo imminere ſolet, Venæ Sectionem ordinare & quidem in junioribus interdum in ſuperiori corporis regione, in paulo adultioribus vero in inferiori, niſi alia conſuetudo ſanguinem ſemper ex inferiori regione emittere urgeat: deinde circa tempora menſtrua præprimis libera eſſe debet alvus & conducunt pulveres nitroſo-cinnabarini aliquoties offerendi; proinde ab omni impetuoſa animi & corporis commotione abſtinendum eſt, ut & libidinoſæ concupiſcentiæ & exercitationes evitari debent: diæta conferatur non ſpirituoſa & valde aromatica, ſed temperata & mucilaginoſa, ut & corpus a nimia in caleſcentia atque ſenſibili refrigeratione arceatur & ſub omni temperato rerum non naturalium uſu ſuccesſiva prægresſi exceſſus deſuetudo expectetur.

CAPUT VI.

DE

IMMINUTIONE ET SUPPRESSIONE MENSIUM.

§. I.

Cum in præcedentibus vitium fluxus Menſtrui, quod in exceſſu conſiſtit explicatum ſit, ita nunc aliud vitium, quod in defectu hæret explicandum erit & hoc conſiſtit vel in inſufficienti Menſium fluxu & ita dicta *Imminutione*, vel in plenario quodam defectu & ſic dicta *Suppreſſione*: unde gradu differunt hæc poſteriora vitia quorum ultimum gravius eſt, licet prius æque multa & ſatis ſontica morbida pathemata inferat, unde in utroque ſtatu tam imminutorum, quam ſuppreſſorum Menſium debita promotione & reſtitutione ſufficienti & convenienti opus erit.

§. II. Et tale quidem vitium menſtrui fluxus ſatis frequens eſt, quæ frequentia etiam per nationes & diverſos hominum mores atque variantes conſuetudines, imo etiam per diverſa climata diſcrepat: multum vero refert ejusmodi defectui tempeſtive ſubvenire, priusquam per tempus durabile & notabile obfirmatus ſit; in quo poſteriori ſtatu ægerrimum eſt, imo plane nonnunquam impoſſibile Menſes revocare; tanto magis, ſi e prægreſſo tali defectu Menſium aliæ læſiones & vel humorum vel partium actuales depravationes ortum traxerunt.

§. III. Quemadmodum Menſium fluxus per varias cauſas turbari & impediri poteſt, ita in Therapia harum turbarum maxime refert ad illas cauſas retroſpicere & tunc demum ad motuum excitationem operam adhibere, dum præmatura Menſium impulſio ſub negligentiori præcedentis cauſæ emendatione non modo intentionem & ſpem noſtram deſtituit, ſed & ſiniſtros plane effectus involvit; unde interdum ad Menſium vitia defectiva ſanguinis ſpiſſitudo, aliquando viarum ſtrictura, non raro errores diætetici, ut & prava regimina, frequentius animi pathemata, aliquando ſpontaneæ motuum inverſiones atque tranſitus in regiones ſuperiores, nonnunquam torpor neceſſariæ activitatis, quandoque immoderatus & confuſus animus contribuunt: ubi ſimul inquirere convenit, an poſt qualemcunque Menſium perturbationem nunc talia vel humorum vel viarum vitia orta fuerint, quæ futuram Menſium promotionem impediunt, quibus ſingulis itaque tempeſtive corrigendis & intercipiendis induſtriam applicare debet artifex, neque ita præcipitanter & impatienter in Menſium expulſiones ruere & operari.

§. IV. Imprimis etiam notandum eſt, quod Menſium defectivis vitiis introducendis utplurimum faveant & ſatisfaciant motus perturbati, ſive illæ turbæ ex læſa proportione humorum provenerint, ſive ex idiopathica quadam anomalia & perverſione occurrerint; quo quidem interdum aliæ cauſæ imprimis materiales contribuunt: interea ipſi illi motus vel vias inhabiles reddunt vel per incongruam obrigeſcentiam & occluſionem, quo minus Menſium ſucceſſus obtineri poſſit, vel viciſſim illæ a materiis quibusdam offenduntur & occluduntur, ut propterea illi motus poſthac in talem perturbationem incidant: quapropter maxime convenit in cura harum afflictionum motibus rite dirigendis animum & ſtudium adhibere.

§. V. Quo ſecurius & efficacius hoc fiat, maxime proficit omnes illos conſentientes actus ſecretorios, depuratorios, præparatorios & excretorios, quotquot in primis regionibus ordinarie fieri debent, bene dirigere & in ordine juſto conſervare; cum viciſſim ex omni illorum offenſione ſimul Menſes non exiguam confuſionem ſuſcipiant: multo minus conſultum eſt, hos motus in toto ſuo ſtadio delicatos & valde ſenſibiles cum impetu urgere, quippe qui conatus rigoroſus & indoli naturæ & ſpeciali rationi Menſium, imo interdum viarum aptitudini & humorum proportioni contrariatur.

§. VI. Tanto magis circumſpectio commendanda eſt, partim in fœminis ſingulariter ſenſibilibus, partim in Menſibus per animi ataxiam turbatis, ne impetuoſæ methodi ſeligantur & applicentur; unde facile peſſimi & repentini effectus oriuntur; quidquod in omni reliqua methodo Menſes reſtituendi, actus therapevtici ita inſtruendi & dirigendi ſunt, quo ordini vitali

conſo-

conſonent; unde primario ſtudio promotioni quotidianarum excretionum inhærendum eſt, ne in iisdem ſontici quidam defectus occurrant, qui deinde reliquos menſtruos motus impedire & confundere adjuvant.

§. VII. Sed quo hæc cura, alioquin ſatis ardua, prudenter atque dextre exerceatur, cavendum eſt 1) a negligentiori promotione neceſſariarum & ordinariarum evacuationum 2) a confuſa ordinatione miſſionum ſanguinis, maxime vero 3) ab eductione ſanguinis e ſuperioribus corporis regionibus, ut & a nimis prodiga & ſimultanea tali evacuatione ſanguinis artificiali 4) a promiſcuo vomitoriorum uſu 5) a purgationibus poſitivis & impetuoſis 6) a præmaturo uſu remediorum ſic dictorum emmenagogorum 7) a remediis valde calidis, acribus & concentratis, illorumque indifferenti uſu 8) ab externis ſtimulantibus & vias valde irritantibus 9) a remediis hypothetice tantum aperitivis, practice vero adſtringentibus 10) unde etiam a Martialium & Volatilium uſu liberali atque præmaturo ſedulo abſtinendum eſt, 11) a negligentiori præparatione humorum & viarum, ut & a qualicunque turbatione & retropulſione motuum neceſſariorum, denique 12) a diſſoluto regimine.

§. VIII. Ad Therapiam Menſium Imminutorum & Suppreſſorum ſequentes indicationes, e Pathologia practica fluentes, ſpectant 1) ut corpus debite præparetur 2) ut motus, ad Menſium negotium neceſſarii, in congrua loca invitentur 3) ut motus ad eruptionem Menſium ſufficientes excitentur 4) ut incommoda & ſymptomata intercurrentia mitigentur 5) & ut juſtum regimen ordinetur; quibus ſingulis operationibus, tali ordine præſtandis, magis tum œconomiæ animali, tum etiam cauſis horum vitiatorum Menſium ſatisfacit, artifex ut ad alias anti praxes & imaginarias methodos haud confugiendum ſit.

§. IX. Circa præparationem corporis varii reſpectus occurrunt dum vel viæ, vel humores, aliqua idonea prædiſpoſitione indigent: quod vias concernit, illæ vel nimium oppletæ vel nimium ſtrictæ ſunt: quod humores attinet, illi vel in quantitate, vel in qualitate peccant: viæ iterum vel a ſangvine, vel ab aliis humoribus repletæ deprehenduntur: humorum quantitas reſpicit præcipue ſangvinem ſuperfluum, qui reliquam ſubordinandam medicationem plus impedit: qualitas humorum vel in nimia ſangvinis ſpisſitudine, vel in varia illius dyſcraſia conſiſtit, ob quam non modo Menſes in ſuis defectibus confirmantur, ſed & reliquæ ſalutares ſe & excretoriæ functiones turbantur.

§. X. Ante omnia ad Menſium promotionem & revocationem requiritur alvi apertura, lenitas & conſtans ſucceſſus, deinde impuritatum primas vias detinentium aſſidua evacuatio, ne tali modo ſuſpecta quædam ſegnities aut ſtrictura in iisdem occupet, ob id conducunt interna lenientia,

 lubri-

lubricantia, diluentia & emollientia, ſub diæta magis, quam e pharmacia offerenda, quemadmodum etiam externe ſimilia adminicula, quæ præſentes alvi occluſiones & ſtricturas demulcent, offerri merentur: nec non interdum moderatæ laxationes proficiunt, quo craſſiores heterogeneitates removeantur, ut reliquæ indicationes eo certius ad ſalutarem effectum pertingant.

§. XI. Quando deinde nimia ſanguinis quantitas præſto eſt, quæ reliquam curam impedire videtur, tunc demum præſtat præſervatoriis intentionibus atque uſibus illam debite imminuere & quidem per Venæ Sectionem non in brachio, ſed in pede inſtituendam, neque tamen in ullo extremo peccantem; ſubinde etiam juſtis temporibus præſervatoriis repetendam; quando vero Venæ Sectio confuſe ordinatur, tunc non modo nihil prodeſt, ſed & eo certius præſentia incommoda auget & confirmat.

§. XII. Quando Menſes ex ingeſtis incongruis alimentis ſubito & ſub ipſo fluxu ſuppreſſi fuere, ſimul vero Medicus certo præſumere poteſt, quod talia ingeſta alimenta adhuc in Ventriculo hæreant, tunc, & non alibi, in idoneis ſubjectis, in quibus nullæ ſpeciales contraindicationes occurrunt, leniſſima methodo per Vomitorium eadem ingeſta denuo expellere licet; mox per ſubjuncta temperantia remedia, ut & per pediluvia & poſt aliquam temporis moram per laxantia ſuccurrere convenit, quo motus neceſſarii iterum in loca conſueta transferantur.

§. XIII. Ad impedimenta, Menſium ſuppreſſionem ſuſtentantia & confirmantia, multum valet depravata ſangvinis qualitas, ſive craſis ſive conſiſtentia vitioſa: hæc præcipue ſpiſſior & immobilior reddita non modo defectiva Menſium vitia cauſatur, ſed & auget; unde per motum & potum ſufficientem, per animum tranquillum & quietum & per decocta e temperatis & reſolventibus ſelectis & antiſcorbuticis parata, neceſſaria ſanguinis fluiditas concilianda eſt: quando vero dyſcraſia ſangvinis invaluit, tunc repetitis vicibus infuſa & decocta e ſpeciebus reſolventibus antiſcorbuticis, modeſte diureticis, mundificantibus & laxantibus parata conveniunt; denique ad ſangvinis fluiditatem promovendam modeſtus uſus balneorum, tam naturalium, quam artificialium conducit.

§. XIV. Quando potiora hæc incommoda ſufficienter emendata & ablata ſunt, præſtat paulo propius ad Menſes promovendas & reſtituendas accedere: minime tamen conſultum eſt confeſtim impetuoſe irruere, ſed temperata methodo Menſium fluxum adjuvare: quapropter antea motus, ad Menſium negotium pertinentes, legitime invitandi ſunt: & hoc ipſum quidem iterum non confuſe fieri debet; ſed præcipue illis temporibus ſuſcipiendum & adminiſtrandum eſt, quibus Menſes reverti debent: ad hanc mo-

tuum

motuum invitationem perficiendam conferunt moderata pediluvia, modeſti inſeſſus, temperata ſomenta, frictiones inferiorum regionum cum linteis calidis, applicationes Cucurbitularum cæcarum ad femora & coxendicum regionem, mitiores laxationes, mobile vitæ genus & interdum etiam Clyſteres plurimum quidem lenientes, ſed modeſte etiam ſtimulantes atque roborantes.

§. XV. Ad invitandos motus neceſſarios in loca, Menſium fluxui dicata, inter alia conveniunt apta ſomenta, ſuffimigia aliique idonei vapores, vel cum tubulo apto & inſtrumento congruo genitalibus admittendi, vel ita generice & ſimpliciter eo applicandi: antequam vero hæc auxilia offerantur, præſtat proſpicere, ne ſanguis ſuperfluus & valde commotus, neve alvus ſicca & adſtricta ſit, ſed quo hæc generalia impedimenta antea convenienter remota fuerint: ita tunc ſpiritus Salis Ammoniaci in vapore ad prædicta loca admiſſus, in ſubjectis temperatioribus non inutilem efficaciam habet, modo circa hujus experimenti ordinationem modeſtia adhibeatur: de reliquo ſive ſomenta ſive ſuffimigia ex vegetabilibus reſolventibus & nervinis parari poſſunt.

§. XVI. Quando hæc auxilia hactenus ordinata & appropriata convenienter & ſufficienter præmiſſa fuere, tunc licet ad proximam indicationem procedere, quo videlicet motus, ad eruptionem Menſium neceſſarii, ſufficienti valore, gradu & impulſu inſtruantur; & huc pertinent remedia vulgata Emmenagoga, ut radices acriores, herbæ uterinæ Artemiſiæ Menthæ, Pulegii, Matricariæ, Roriſmarini, quo vulgo famoſa Sabina refertur, circa cujus uſum tamen magna prudentia adhibenda eſt; accedunt Flores Cheiri, Chamomillæ utriusque, Anthos, Schænanthos, Semina Aniſi, Baccæ Lauri, aromata, Myrrha aliaque Gummata acriora, imprimis etiam Aloes & Crocus; unde vulgo in hac afflictione famoſum Elix. P. P. uſurpatur; neque denique Borrax excludi debet; e quibus remediis variæ formulæ paratæ proſunt; ubi præcipue liquidas commendamus, adeoque infuſa exinde parata referimus, non excluſis pilulis pro hoc ſcopo deſtinandis.

§. XVII. Et hæc remedia præcipue illo tempore ordinanda ſunt, quando Menſes recurrere deberent: cavendum inſuper eſt, ne quando hisce temporibus ſpontaneæ acerbiores commotiones ſanguinis tum generales, tum in abdomine adſunt, hæc remedia impellentia frivole & liberaliter exhibeantur; ubi potius temperata præferenda ſunt, quemadmodum valde ſecuris & temperatis compoſitis auxiliis, Menſes promoventibus, annumero Pilulas Stahlianas, aut genuinas Beccherianas, quæ circa hanc periodum per aliquot dies in conſveta doſi præberi debent; proſpiciendo tamen quo antea præcipua incommoda remota ſint & ne harum pilularum effectus [illegible]

alia remedia turbetur: denique in ſubjectis temperatioribus Liquor Cornu Cervi Succinatus & volatilia remedia parcius exhibita pro hac intentione conveniunt, cavendo tamen ne eadem nimis præmature offerantur.

§. XVIII. Vulgo porro practici ad Menſium revocationem commendant Mercurialia remedia, quæ vero ita promiſcue uſurpata, non modo ſperatum & promiſſum effectum non exhibent, ſed eo certius ad ſiniſtrum effectum excitandum conferunt: quando vero omnes legitimæ præparationes, hactenus commendatæ, præmiſſæ fuere & jam ultima Menſium perruptio imminet, ita ut non niſi lenis ſtrictura pro eadem requiratur, tunc admitto uſum prudentem Martis non craſſe & potenter adſtringentis; cavendo, ne nimis prodige aut ſæpe ipſe exhibeatur, imo eo magis proficit, ſi cum aliis remediis reſolventibus & modeſte laxantibus conjungitur & poſt hujus uſum advertere licet & decet, quo ordinariæ reliquæ excretiones conſtanter continuent.

§. XIX. Sed cum ita afflictæ fœminæ præter hunc Menſium defectum varias occurrentes morbidas calamitates & ſymptomaticas offenſiones experiantur, ita proximum eſt, quo ſub reliqua cura hæc ſymptomata præſcindantur, ne ex illorum acerbiori concurſu & augmento principalis cura graviter impediatur: & ex ejusmodi ſymptomatibus præcipue notari merentur ſpaſticæ commotiones, quæ vel ſimplices ſunt, vel imprimis circa Venam Portæ graſſantur; unde convenit easdem temperare per remedia nitrata, lenire per diluentia & modeſte ſedare per Cinnabarina & ex Chaccarilla proſtantia auxilia interne; per Caſtorina vero externe: illæ vero, quæ Venam Portæ præcipue affligunt per prudentem Millefolii uſum compeſcendæ ſunt: ſicut ad ſingulorum horum ſpaſmorum efficacem mitigationem Clyſmata lenientia, repetito adhibita, conducunt.

§. XX. Præterea curam præſentis afflictionis non parum offendit, intercurſans orgaſtica ſanguinis commotio, quæ per remedia abſorbentia & nitrata temperanda eſt; deinde ſæpius ita affectas fœminas invadit aſthmatica calamitas, pro qua tranquillanda, eadem ſecura antiſpaſmodica remedia & ſelecta ſedativa conferunt: huc numerari debent frequentes flatulentiæ & alvi ſtricturæ, quæ per clyſteres lenientes & modeſte roborantes leniendæ ſunt, interpoſitis idoneis laxantibus adminiculis; quemadmodum variis talibus incommodis uſus pediluviorum & temperata balnea conferunt: quodſi contigerit, ut eximia appetitus turbatio concurrat, tunc antea alvus eſt lenienda & cibi molliores & parciores aſſumi debent, excludendo remedia vulgata ſtomachica, quæ magis hanc ventriculi afflictionem exacerbant.

§. XXI. Non parum diverſis arduis ſymptomatibus præoccupandis conducit uſus Mixturæ roborantis, nobis uſitatæ, præprimis quando alvus libera

bera eſt; quale remedium maxime ad intercipiendos recurſus immoderatos ſpaſticos proficit & quamdiu talia ſymptomata urgent & angunt, tamdiu ad primarios ſcopos promovendos manus applicanda haud eſt: quodſi etiam contigerit, ut in diverſis ſubjectis ob acerbitatem affectus a menſtruis temporibus degeneraverit natura, tunc primariæ intentiones, promotioni Menſium deſtinatæ, circa eminentiores lunæ mutationes ad uſum & effectum applicandæ ſunt.

§. XXII. Ultimum ſuper eſt, quo pro tota reliqua cura ſublevanda idoneum regimen & diæta congrua ordinetur: & in hisce circumſtantiis conſiſtit dimidia cura; propterea quoad res non naturales fœminæ affectæ exactam temperiem ſervare debent: proficit animus quietus & ab omnibus perturbationibus liber: conducit mobile vitæ genus, evitatio internæ & externæ refrigerationis, præcipue ſenſibilis atque frequentis: in cibo & potu ratione quantitatis & qualitatis moderamen adhibeatur: potus ſit ſufficiens, non ſpiſſus, ſed tenuis & interdum etiam vinoſus, alimenta ſint humidiora, dilutiora & ita diſpoſita, ne in primis viis turbas excitent: excretiones ordinariæ in juſto ordine continuent; unde ad promovendam & leniendam alvum conſtans moderatum auxilium offerendum eſt, quod vero non ſemper artificioſum eſſe debet; præſervatoriæ Venæ Sectiones non ſunt negligendæ & interdum pro circumſtantiis fœminarum hujus affectus ſatis ſolenne & efficax remedium eſt matrimonium.

CAPUT VII.

De

MENSIUM ANOMALIIS.

§. I.

INter alia vitia, quæ Menſium ſtatum, ſucceſſum atque ordinem concernunt, ſingularem notam merentur Anomalici eorundem progreſſus, ſive irregulares & quandoque confuſi ſucceſſus, qui non raro in hiſtoria practica occurrunt, adeoque multam difficultatem cauſantur: & licet hæ Anomaliæ ſeſe facilius defectivis Menſium vitiis complicare ſoleant, tamen eædem etiam ſub reliquo qualicunque Menſium ſucceſſu concurrere obſervantur, ut

ita

ita ex officio artificis fluat, quo hunc ſanguinis fluxum, ceteroquin perquam ſenſibilem, in ordinem juſtum transferre laboret.

Conf. Diſp. mea de Menſium Anomaliis: de Menſium Anomaliis Convulſivis.

§. II. Et hæ Anomaliæ præcipue motuum perverſis & inverſis applicationibus ſeſe ſiſtunt, quippe qui errores ſuos vel quoad temporis rationem produnt, dum Menſes extra juſtam menſtruam periodum procedunt: vel quoad quantitatem, dum vel copioſioribus vel parcioribus Menſium fluxibus complicantur & hos cum diverſis gradibus alteratæ tonicæ commotionis comitantur: porro quoad loca, quando non modo inconſvetis partibus, ſed in aliis etiam locis immoderatiores tales commotiones exercentur: præterea quoad qualitatem, dum interdum Menſes ſinceri ſub variis irregularibus ſucceſſibus effunduntur, ſed etiam nonnunquam Menſes decolores per eosdem exorbitantes motus ſiſtuntur: denique quoad ſpeciem evacuationis, dum non æque raro anomalia talis illo moleſto phœnomeno fluoris albi loco fluxus Menſtrui ſeſe manifeſtat.

§. III. Et cum primario Anomaliæ tales motuum vitiis adſcribi mereantur, propterea eædem quoad indolem ſuam admodum tenaces & refractariæ exiſtunt, ut non modo ſucceſſive magis confirmentur, ſed facile in ſuſpectos corruptos affectus conjiciantur, quid quod denique in immedicabiles afflictiones delabantur; ob id principiis obſtare convenit & quidem medicatione admodum convenienti & temperata, quoniam hæc qualitas depravati Menſium fluxus ſub reliqua ſua tenacitate ſenſibilis eſt & per temerarias methodos eximie offendi ſolet, ſicut in genere omnis ataxia deterioris indolis eſſe deprehenditur.

§. IV. Præterea convenit in rationali Anomaliarum harum dijudicatione & tractatione illas cauſas ſollicite ponderare & perſpicere, quæ nonnunquam ad easdem contribuerunt & ſicut frequentius vel animi pathemata, vel reliqua immorigera & nimis ſenſibilis animi conditio easdem provocant, ita præcipue hæc circumſtantia provide attendenda eſt; deinde præſtat obſervare quantitatem & qualitatem humorum, permeabilitatem partium, ſucceſſum ordinariarum excretionum prægreſſarum, incongruas medicationes, vitæ genus, diſpoſitionem hæreditariam & regimen corporis, quo genuinæ cauſæ talium irregularitatum magis inclareſcant eædemque e genuino quodam fundamento curari queant.

§. V. Quo magis ejusmodi Menſium Anomaliæ ſenſibiles & intricatæ ſunt, eo magis in medendi methodo prudentiam & dexteritatem adhibere convenit, quæ in eo primario invigilat, ne talia admittantur, quæ affe-

ctum

ctum magis offendunt; ob id antea ſelectæ cautelæ practicæ in hoc negotio tenendæ erunt, hinc 1) cavendum eſt a miſſionibus ſanguinis curatoriis turbulentis & in ſuperioribus corporis regionibus ſuſceptis 2) a quibuslibet fortioribus & immoderatioribus evacuationibus, maxime vero anotericis 3) a negligentiori ordinariarum evacuationum promotione 4) a remediis caleſacientibus & humores atque vias valde commoventibus 5) a vulgatis & famoſis uterinis & antihyſtericis remediis, quæ communiter calidioris indolis ſunt 6) a medicamentis motus neceſſarios vitales opprimentibus & ita dictis fortioribus adſtringentibus 7) a famigeratis Caſtorinis & communibus narcoticis remediis 8) a quibuslibet & medicaminibus & regiminibus ſanguinem incraſſantibus & vias occludentibus 9) a vulgatis remediis emmenagogis 10) a ſingulis illis methodis motus, qui alias nunc irregulares ſunt, quaquaverſum turbantibus 11) a communi Acidularum & Thermarum uſu & denique 12) a malo animi & corporis regimine.

§. VI. Quoad ipſam curam hujus irregularitatis, in Menſium negotio occurrentis, convenit duas fundamentales indicationes notare, prior occupata eſt circa remotionem cauſarum, quotquot has anomalias inducunt atque conſervant, poſterior verſatur circa promotionem motuum regularium atque congruorum ad Menſes rite abſolvendos neceſſariorum: minime tamen convenit has indicationes præpoſtere exercere & poſteriorem priori præmittere, alias ſub hac inverſa curatione eo magis anomalicus talis ſtatus confirmabitur, ut deinde prior indicatio minus efficaciter adminiſtrari poſſit.

§. VII. Quod cauſas attinet, quæ has irregularitates invitant, tunc quædam illarum hærent in animo, nonnullæ in functionibus vitalibus & aliquæ in ipſo corpore: circa animum notari debet ſubjecti ordinaria & extraordinaria conſtitutio & ſi in ordinariis functionibus fœmina valde ſenſibilis & immoderata fuerit, maximopere præſtat prudenti perſvaſione & modeſta reprehenſione ad quamcunque animi emendationem contendere, inſuperque talia commendare, quantum quidem posſibile eſt, quo animus in placida quiete conſervetur: quoad extraordinarias operationes omnium maxime pathemata evitanda ſunt & proinde ipſe animus conſtanter tranquillandus eſt, ne illius continuantes perturbationes reliquam presſius medicam methodum deſtruant.

§. VIII. Circa functiones ad vitam ſpectantes variæ cauſæ & occaſiones has Anomalias invitantes & conſervantes obtingunt & quidem ante omnia perturbatus ſucceſſus excretionis alvinæ, ſiquidem per alvum occluſam ſimul viæ uterinæ occluduntur & motus alibi transgrediuntur & evagantur; quapropter convenit alvum modeſte & efficaciter liberare & lenire, quo præ-

Pp cipue

cipue ſpectant vel clyſteres emollientes & moderate roborantes, vel ſalina abſterſiva remedia, vel infuſa rhabarbarina & primas vias cum flatulentia haud offendentia, quin potius abſtergentia, reſolventia, moderate roborantia & unà motus neceſſarios deorſum promoventia; abſtinendo ab omni ſtimulo, tanto magis ſi Menſes ſub reliquo ſuo anomalico ſucceſſu quantitate non deficiunt.

§. IX. Præterea providendum eſt, quo defectus in Menſium negotio occurrentes methodo temperata & approbata reſarciantur, nec non quo motus concurrentes irregulares vel generice, vel ſpecifice mitigentur, id quod fieri poteſt quoad prius, per uſitata antiſpaſmodica; quoad poſterius per prudentem Millefolii uſum; conjunctis adminiculis reſolventibus, diureſin facilitantibus & partes affectas remiſſius roborantibus: quodſi vero hi motus valde contumaces comparuerint, adeoque efficaciori freno indigeant, tunc conjungenda ſunt ſelecta ſedativa, quo nomine interne Chaccarillam, externe famigeratum Caſtoreum admitto: ubique tamen neceſſe eſt, quo alvus conſtanter aperta ſit.

§. X. Quando Anomalia ſeſe exſerit per inordinatum recurſum Menſium, tunc minime convenit illum fluxum inopportune ſupprimere, ſed ſub optimo animi & corporis regimine dirigere; interea excretionem alvinam conſervare & remedia temperantia continuare decet; contra vero, quando juſtum tempus Menſium revertitur & tunc denuo Menſes redeunt, præſtat hoc tempore hunc fluxum moderato quodam ſtimulo adjuvare, quo eo ipſo in juſtum ſuum ordinem revertatur & propterea præſtat motus magis ad inferiores regiones invitare; ſubinde ſollicite evitare convenit, ne per malum & incongruum regimen bona hæc intentio & indicatio pervertatur.

§. XI. Et quando contingit, ut hæ Anomaliæ magis in ſuperiora loca vergant, tunc moderata & efficax medela adhibenda eſt, quo hi motus in inferiores regiones transferantur & pro hac indicatione conducunt Infuſa modeſte laxantia per epicraſin efficacia, nec non Clyſteres, pediluvia, frictiones pedum, applicationes cucurbitularum cæcarum ad femora & coxas, ut & alia interna alvum in conſtanti abſterſione conſervantia; huc etiam ordino prudentem aloëticorum uſum, interpoſitis temperantibus, quæ anotericas commotiones mitigant: ſubinde cavendum eſt, ne ullo modo magis magisque per incongruas medicationes hi motus evagantes in loca ſuperiora inviтentur.

§. XII. Altera indicatio verſatur circa promotionem regularium motuum ad Menſium negotium ſpectantium: & hæc promotio ita tractanda & dirigenda eſt, quo imprimis animus fœminarum in neceſſaria continentia conſer-

ſervetur, deinde quo bonum vitæ regimen ordinetur, ne ex inverſo rerum non-naturalium uſu magis motus convenientes perturbentur, præcipue excretio alvina in juſto ſucceſſu conſervanda eſt; deinde confert pediluviorum uſus, nec non temperatorum inſeſſuum applicatio, accedit mobile vitæ genus & regimen modeſte calidum, ne ex inferiorum partium ſtrictura motus magis evagentur: ſubinde etiam præſtat per vices continuare remedia tam deorſum ſanguinis commotionem promoventia, quam moderato impulſu ſanguinis emotionem adjuvantia; quo nomine conducunt correcta & temperata aloëtica, nec non parcius myrrhata, ita tamen, ut in hisce debitus ordo ſervetur & ſub conciliatione bonæ diætæ tempeſtiva medela afferatur antequam hæ Anomaliæ in pravam conſvetudinem degenerarunt.

§. XIII. Ad promotionem motuum in congrua loca ſpectant præſervatoriæ Venæ Sectiones in pede adminiſtrandæ, ſed cum bono regimine animi & corporis ſublevandæ: nihil vero aquæ vulgares ſubterraneæ interno & externo uſu directe conferunt, quin potius variis accidentalibus turbis concitandis quadrant: interea potus ſufficiens perinde medicinæ locum obtinet, dum humores & viæ ſufficienter diluuntur: & ne externa aëris injuria variis incommodis ſtricturis provocandis anſam præbeat, ita invigilandum eſt, quo transpiratio æqualiter ſuccedat: abſint denique cogitationes & concupiſcentiæ libidinoſæ, quæ Menſibus ultro turbandis plus inſerviunt.

CAPUT VIII.

DE DECOLORATIONE MENSIUM.

§. I.

Decolores Menſes dicuntur, qui quoad qualitatem & quidem quoad craſin & conſiſtentiam eminenter permutantur, dum ſanguis Menſtruus non vivido & ſincero ſuo colore præditus, conſpicitur, ſed vel pallidus & albicans, inſtar loturæ carnium, vel nigricans, vel virideſcens, vel flaveſcens, vel grumoſus, vel mucilaginoſus effluit, adeoque a bono ſtatu valde diſcretus eſt: qualis decoloratio non modo de toto reliquo corporis ſtatu alterato teſtatur, ſed hæc ſub variis irregularibus menſtruis commotionibus & ſucceſſibus decurrit, ut propterea talis Menſium fluxus non modo plane

nullam

nullam utilitatem afferat, ſed & varias morbidas afflictiones atque moleſtias inferat, quin denique in maxime refractaria morborum ſchemata ſubjecta conjiciat, quare hæc Decoloratio antiquioribus medicis valde ominoſa extitit.

§. II. Vulgo quidem omnes Decolores Menſes quoad indolem ſuam perquam refractarii ſunt, dum intimiorem cauſam atque radicem habent, quapropter eo minor ſpes ſubeſt impetrandæ citioris reſtitutionis, cum non modo humorum & viarum, ſed & motuum vitia præſto ſint & ſucceſſive augeſcant & inſoleſcant, ita ut aliquando ſincerus Menſium fluxus plane ceſſet & famoſus ille albus fluor, Menſium loco ſuperveniens, perinde decolores Menſes conſtituat: propterea in præſentis afflictionis cura eo major prudentia, dexteritas & aſſiduitas adhibenda eſt, cum illo admodum neceſſario moderamine, ne artifex curam ſuam præcipitanter inſtituat & continuet, neve negligenter eandem proſequatur.

§. III. Dum itaque huic calamitati medicina ordinanda eſt, hinc ante omnia notare convenit, quod diverſarum talium decolorationum cauſæ atque origines ſint diverſæ & quod primaria cura habenda ſit, quo hæ legitime tractentur, ita evenit, ut quilibet horum affectuum radicitus & e fundamento curari queat, modo etiam cura tempeſtive ſuſcipiatur & congrue exerceatur: ante omnia obſervet artifex vitioſam humorum craſin & conſiſtentiam, turbatum ordinariarum excretionum ſtatum & immutatum neceſſariorum motuum gradum atque ordinem; quemadmodum interdum ad tales decolorationes interni viſcerum infarctus, aut actuales partium genitalium ulcerationes contribuunt: quas ſingulas & adhuc ſpeciales alias cauſas bene indagare, rite ſeparare & dextre tractare debet medicus.

§. IV. Maxime dijudicare convenit, in quantum ætas patientis adhibitam curam ſublevet aut impediat: deinde in quantum genericus reliquus naturæ vigor therapevticis operationibus faveat & reſpondeat, ut & in quantum motus vel magis, vel minus, exorbitent, aut ſucceſſive etiam ſua ſponte corrumpantur: præcipue medicus advertere debet ſubjecti patientis ſenſibilitatem, mores & inclinationes, vitæ genus, conſuetudines; præcipue etiam explorare præſtat, quibus medicaminibus & regiminibus antehac eadem ſubjecta ſubmiſſa fuere, ut ex ſingulis hiſce circumſtantiis certitudinem in prognoſi & cynoſuram in Therapia veram & rationalem medicus acquirat.

§. V. Et quo ſecurius & rationabilius artifex in tali affectu procedat, cavendum eſt 1) a confuſis ſangvinis miſſionibus 2) ab impetuoſis & inopportunis aliis evacuationibus 3) a remediis valde calidis & vias atque humores perquam offendentibus 4) a præmaturo uſu Emmenagogorum remediorum 5) a me-

a medicamentis adſtringentibus & humores atque vias incraſſantibus 6) a negligentiori ordinariarum evacuationum promotione 7) ut & ab humorum ulteriori inquinatione & depravatione, aut vicisſim 8) a confuſa maſſæ ſanguineæ repurgatione & emendatione, vel nuda correctione ſub omisſis neceſſariis evacuationibus 9) a minus ſufficienti cauſæ intimioris ſublatione & nimis præcipitata medicatione 10) a diæta & regimine minus conſulto & irregulari, 11) ab aquarum ſubterranearum præmaturo aut nimis largo uſu & denique 12) ab omni methodo & medicamento ordinarios naturæ motus turbante & offendente.

§. VI. Methodus huic intricatæ afflictioni medendi hoc ordine & hiſce indicationibus circumſcripta eſt, 1) ut cauſa primaria harum Decolorationum auferatur 2) ut motus convenientes invitentur & promoveantur 3) ut partes decenter roborentur 4) ut ſymptomata urgentia mitigentur, & 5) ut congruo regimine ſubveniatur, quippe quæ indicationes juſta continentia & patientia exercendæ ſunt, ſiquidem ſtatus morbi ejus conſtitutionis eſt, ut haud ita cito talibus indicationibus obtemperet; quemadmodum omnis confuſa methodus affectum non modo confuſum ſed & eo magis contumacem reddit.

§. VII. In cura præſentis intricati vitioſi Menſium ſtatus primario ſcopo illæ fundamentales cauſæ abigendæ ſunt, quæ ad talem Decolorationem contribuerunt: harum vero diverſæ occurrunt, primo enim in culpa eſt præſens quædam Cacochymia, undecunque illa ortum traxerit, hæc itaque tempeſtive & ſufficienter removenda eſt: & huc conferunt auxilia humores & vias reſolventia, abſtergentia, depurantia, communia antiſcorbutica, temperatiora diuretica, balſamica, ſaſſafrata, ſuccinata et interpoſita temperata volatilia, nec non colliquantia ſalina digeſtiva, quibus ſingulis interponenda ſunt evacuantia laxantia, diuretica et moderate diaphoretica, pro qua ultima excretione interdum promovenda balnea humida, cum herbis nervinis imprægnata, conveniunt: in quolibet vero tali conatu opera adhibenda eſt, ne artifex negotia ſua impetuoſe adminiſtret.

§. VIII. Quando dyſcraſiaællioſa cauſam præſentis Decolorationis Menſium conſtituit, tunc cura dirigenda eſt ad efficacem et ſufficientem bilis abſterſionem ex humoribus et viis et ad plenariam denique evacuationem partim ex primis viis per repetitas laxationes partim ex humoribus per moderatas diaphoreſes: abſtergitur vero bilis per remedia abſorbentia teneriora ſimplicia aut cum acidis ſaturata, vel per ſalina nitroſa digeſtiva et tartariſata, nec non per decocta mucilaginoſa et ſimul reſolventia atque attenuantia: qualia remedia aliquandiu offerre et alternis vicibus atque uſibus laxationes Cholagogas repetere convenit: ſed ne hæc bilioſa colluvies regeneretur, tam quoad ani-

animum, quam quoad reliquum vivendi genus bonum regimen præſcribendum eſt.

§. IX. Interdum contingit ut Decoloratio Menſium nimia ſanguinis ſpisſitudine et conjuncta plenitudine nitatur: in quo ſtatu convenit cum congrua et opportuna Venæ Sectione ſuccurrere, deinde fluidificationi ſangvinis proſpiciendum eſt, ſed magis per diætetica, quam per pharmacevtica, unde ordinari debent ſufficiens potus atque motus corporis, ſive labores et exercitationes, proinde diæta conferenda eſt tenuis et diluens, inſuperque illa auxilia, quæ ſuperius de ſangvinis ſpisſitudine tradita fuere, in uſum trahenda ſunt, abſtinendo ne medicamenta impellentia et calefacientia præmature offerantur.

§. X. Aliquando decolorantur Menſes, quando vel in ipſo utero, vel in vagina uterina ulceratio contingit, ubi ante omnia artifex obſervare debet, an tale malum ſimplex, an vero compoſitum ſit et quoad poſteriorem circumſtantiam an venereum an carcinomaticum exiſtat: in tali ſtatu ante omnia præſtat partim per interna, partim per externa præſentem afflictionem repurgare et emendare, propterea interne conveniunt remedia reſolventia, mundificantia, abſtergentia et modeſte diuretica, ut et ſubordinata laxantia; quo perinde modeſtum Mercurialium uſum refero; imprimis huc quadrant formulæ Infuſorum et Decoctorum, quæ efficacius penetrant, quibus addenda ſunt lignoſa et talia adminicula, quæ propius ad ulcerum abſterſionem proficiunt: interponenda etiam ſunt interne ſulphurata, temperata tamen doſi, externe vero conferunt injectiones e reſolventibus, abſtergentibus et mundificantibus ſubjectis paratæ.

§. XI. Quando ejusmodi cauſæ ſufficienter remotæ ſunt, tunc altera indicatio applicanda & exercenda erit, ut videlicet motus menſtrui convenientes in juſtum ordinem transferantur: ſed cum hujus indicationis aliquoties in præcedentibus affectibus mentio facta fuerit, propterea eadem auxilia hoc loco commendo, monendo, quo hæc promotio neceſſariorum motuum modeſte & ſine impetu perpetretur, ita, ut per externa & interna leniora adminicula motus in regiones uterinas transferantur: quo loco propterea prudentia circa Emmenagogorum remediorum uſum adhibenda erit & ſubinde ex impellentibus remediis temperatiora ſeligi debent: in quo paſſu adhuc vinum generoſum commendationem meretur, ſicut de reliquo vinoſa infuſa pro hoc ſcopo idonea & utilia ſunt.

§. XII. Et cum ſub tali affectu partes, uſibus vitalibus dicatæ, non parum neque etiam raro ſiniſtre affligantur & quidem vel motibus, præter ſolitum auctis, vel oppletionibus & aliarum materiarum translationibus atque

que ſecesſionibus, ita proximum erit, quando e ſuis fundamentis ſuſpectæ illæ decolorationes quadantenus emendatæ fuere, quo impoſterum partes, hactenus affectæ, roborentur, id quod duplici modo fieri poteſt, naturali & artificiali, quando primo idonea diæta ordinatur, ne corpus alienis & ſuperfluis materiis oneretur, neve ordinariæ Se- & Excretiones valde intendantur: deinde quo ſub diæta congruus aromaticorum uſus conferatur: ſicut vini boni ordinatio ad eundem ſcopum collineat; denique e pharmaciæ penu huc quadrat vel Mixtura noſtra tonica, vel Tinctura Martialis Tartariſata, vel Eſſentiæ temperatæ carminativæ, vel infuſa vinoſa e ſpeciebus roborantibus parata: ſub quorum ſingulorum applicatione & continuatione providendum eſt, quo ordinariæ excretiones legitime procedant. Præter hanc internam roborationem conjungi poteſt externa; quo conferunt balnea nervina, cataplaſmata, linimenta, fomenta vaporoſa & ſuffimigia modeſte nervina, non nimis frequenter adhibenda.

§. XIII. Præterea in præſentis affectus cura animus dirigendus eſt ad concurrentia ſymptomata urgentia, quæ legitime tranquillari debent: ex illis primario notandi ſunt immoderati ſpaſmi, qui non raro Decolores Menſes comitantur, quibus mitigandis lenientia & temperantia adhiberi debent; e priorum numero ſunt diætetica, juſcula moderate pingvia, pruna decocta, paſſulæ coctæ, ſicut interdum etiam externe linimenta lenientia & parcius nervina ſociari poſſunt: e temperantibus ſunt uſitata antiſpaſmodica, nitrata & cinnabarina, uti ſub acerbiori ſpaſmorum continuatione ſelectiora ſedativa adhiberi debent, cavendo, ne illorum uſui nimis frequenter artiſex inſiſtat.

§. XIV. Non parum etiam in hac necesſitate & menſtrui fluxus perturbatione coincidit moleſta flatulentia, quæ partim per bonam diætam evitari, partim per clyſterum uſum ſubtrahi poteſt, ſubjungendo Eſſentias temperatas carminativas: quando orgaſticæ ſangvinis commotiones & phlogoſes moleſtæ concurrunt, tunc conveniunt remedia nitrata, coralliata & abſorbentia cum acidis ſaturata; quando multa cardialgia affligit, præſtat alvum cum Clyſtere lenire, pediluvia conjungere & remedia nitrata & ex Chaccarilla parata ordinare qualia poſteriora etiam conveniunt, quando conatus vomendi affligunt: alvus nunquam permittatur clauſa vel ſicca & ſi durities abdominis concurrerit, tunc præter uſum clyſmatum emollientium & moderate nervinorum ſubordinentur & adhibeantur remedia antiſpaſmodica & denique infuſa reſolventia, roborantia & modeſte laxantia.

§. XV. Totam hanc curam eo magis promovet bonum regimen, huic ſtatui accommodandum, id quod propterea poſt abſolutam hanc medica-

tio-

tionem continuari & injungi debet, id ipſum vero in eo conſiſtit, ut in diæta ſelectus & ordo adhibeatur & omne id ſedulo evitetur, quod dyſcraſiam ſangvinis inducere ac augere, nec non primas regiones inquinare poteſt: interim ſufficiens potus, aromatum & vini modeſtus uſus, diluentia & humectantia alimenta, motus corporis moderatus, conſtans & ſufficiens, internæ & externæ ſenſibilis refrigerationis excluſio, perquam proficiunt, accedit animi continentia, perverſorum deſideriorum evitatio, conciliatio Thermarum temperatarum & præſervatorio ſcopo repetitio Venæ Sectionis, promotio excretionis alvinæ & quicquid cæteroquin ordinem vitalem ſublevat atque reſtituit.

CAPUT IX.

DE

INSOLITIS MENSIUM VIIS.

§. I.

CUm hactenus de diverſis Menſtrui fluxus vitiis actum fuerit, ita adhuc de inſolitis evacuationibus menſtruis, aut Menſes deficientes ſupplentibus, dicendum erit: merentur vero omnino quo notentur hæ evagationes naturæ, quando hæc per congrua loca negotia ſua adminiſtrare & fines ſuos obtinere non poteſt: laudanda tamen inſuper eſt illius ſingularis activitas, dum in nuda Menſium ſuppreſſione non acquieſcit, ſed defectum hunc in alia regione atque parte compenſare laborat, ſiquidem multiplices tales & admodum mirificæ viæ a practicis obſervatæ fuere, per quas ſub Menſium defectu illis temporibus, quibus Menſes recurrere debuerant ſangvis cum aliqua euphoria evacuatur.

Conf. Stahlii Diſp. de Inſolitis Menſium viis.

§. II. Sed cum hæ viæ magis ad avia referri mereantur, ubi natura a juſtis ſuis ordinibus diſcedit & ſucceſſive magis gravioribus & ominoſioribus anomaliis adſveſcit, ita ſane conſultius eſt, quo in ordinem juſtum eadem reducatur, quoniam non raro ejusmodi digresſionibus alia accidentalia damna, quæ præter naturæ intentionem contingunt, metuenda ſunt: quid quod denique tales declinationes ita inſoleſcunt, ut difficile impoſterum deprehendatur veros motus & fluxus menſtruos reſtituere; ob id longe melius

lius eſt primariis Hæmorrhagiis promovendis & coordinandis operam dare quam ſecundariis confirmandis & tolerandis incumbere.

§. III. Præſtat proinde, quo in inſolitarum Menſium diſquiſitione artifex curatius obſervet atque diſcernat, quænam harum viarum ſecurioris aut inſecurioris indolis ſint; uti inter alias vicarias menſtruas purgationes Narium Hæmorrhagia ab antiquiſſimis medicis bona prædicata fuit; quo hæmorrhoidalis fluxus merito referendus eſt, qui ſub Menſium defectu haud exiguam ſalubritatem affert: & circa has ſecundarias menſtruas purgationes tractandas magna cautela uſurpanda eſt, ne facile offendantur: eo magis vero urgent medicam opem reliquæ variæ Menſium evacuationes e pectore, Ventriculo & urinaria veſica procedentes, quibus eo magis dirigendis & in juſtum ordinem convertendis operam dare debet.

§. IV. Eximiæ dignitatis in præſenti conſideratione practica eſt, magis in hoc negotio obſervare & inculcare energiam motuum, quam dyſcraſiam materiarum: quemadmodum ejusmodi inſolitæ evacuationes Menſtruæ minime materiali quadam efficacia atque neceſſitate nituntur, ſed per motus in alias regiones & partes directos atque translatos abſolvuntur: quapropter in initiis inſolitorum talium progreſſuum nulla ſangvinis Cacochymia conſpici, aut præſumi poteſt, niſi per accidens demum talis depravatio ſuperveniat: e qua animadverſione itaque fluit, quod circa inſolitos Menſium progreſſus artifex non modo bonam notitiam habere debeat de indole & efficacia motuum vitalium, ſed & eo maxima cura alloborare, quo hi motus circumſpecte & dextre tractentur.

§. V. Quo minus hæc efficacia motuum agnoſcitur & pro fundamento præſentis evagationis Menſium tractatur, eo minus talis affectus e fundamento curari poteſt, ſed eo magis vel confuſe, vel palliative curatur, aut eo certius implicatur & variis pravis conſecutionibus ſubmittitur: hinc etiam minus conſultum eſt præcociter & immoderate hiſce inſolitis excretionibus reſiſtere velle, unde eo gravius totum Menſium negotium perturbatur, ut vel repentini periculoſi affectus ſuperveniant, vel anomaliæ Menſium augeantur & confirmentur & denique neceſſaria illorum reſtitutio valde difficilis, aut plane impoſſibilis reddatur.

§. VI. Quo itaque præſens Menſium digreſſio & evagatio perite & e fundamento curetur, cavendum eſt 1) ne evacuationes ex inſolitis viis procedentes ſubito & immoderate repellantur, 2) ne motus, ad juſtum Menſium ſucceſſum pertinentes, impetuoſe in inferiores regiones corporis provocentur 3) ne confuſe ſanguinis miſſiones adminiſtrentur, imprimis 4) ne in ſuperioribus corporis regionibus admittantur 5) ne aliæ impetuoſæ & craſſæ evacua-

tiones exerceantur 6) ne vulgaria remedia emmenagoga ordinentur 7) ne alia ſubjecta calida concentrata & corpus valde commoventia admittantur 8) ne communia adſtringentia, refrigerantia & incraſſantia injungantur 9) ne vulgata uterina, antihyſterica, roborantia ordinentur 10) ne communis opiatorum uſus in tali caſu concedatur aut præcipiatur 11) ne ordinariæ evacuationes negligentius tractentur aut perturbentur, denique 12) ne ab extra partes uterinæ ſtimulentur & incongrue afficiantur.

§. VII. Ad poſitivam præſentis caſus curam ſequentes indicationes contribuunt 1) ut generalia impedimenta & offendicula ad hanc naturæ evagationem contribuentia & futuram Therapiam turbantia tempeſtive auferantur 2) ut inſolitæ evacuationes menſtruæ mitigentur & modeſte coerceantur 3) ut ſolitæ purgationes menſtruæ modeſte & efficaciter invitentur & promoveantur 4) ut Symptomata intercurrentia & præſentem curam offendentia tempeſtive & legitime mitigentur & denique 5) ut pro totius curæ levamine & efficaci ſucceſſu bonum regimen commendetur.

§. VIII. Impedimenta, quæ reliquam curam turbare poſſunt, varia occurrunt, e quibus principaliora ſunt, quando primo ordinariæ evacuationes minus ordinate procedunt, ſed diverſis turbis ſubjectæ ſunt; unde præſtat antea primas regiones tam ab incommoda ſtrictura, quam moleſta oppletione & ſuſpecta flatulentia liberare; hinc conveniunt adminicula diluentia, lenientia, laxantia & interdum etiam clyſmata, ne incongrui quidam ſtimuli commiſceantur: cui ſcopo ſatisfaciunt diætetica, quæ inteſtina & primas regiones leniunt atque demulcent & quæ humectante ſuo effectu congruam diureſin adjuvant & facilitant, ſicut pro ordinaria transpiratione ſuperficiali bonum regimen & infuſa calida modeſtius uſurpata conducunt,

§. IX. Præterea juſtam & liberam Menſium directionem impediunt ſuſpecta plenitudo & moleſta ſpiſſitudo ſanguinis: pro priori auferenda, conducit præſervatoria & moderata Venæ Sectio in pede celebranda, pro poſteriori præ pharmacevticis ſpecioſis auxiliis conveniunt diluentia, lenientia, potulenta decocta, proinde maxime proficit ſufficiens & conveniens motus corporis atque exercitium laborum: porro conducunt moderata balnea aut inſeſſus, regimen moderate calidum, quo humores ſufficienter per partes poroſas & ſuperficiales circulentur, adeoque magis attenuentur: minus vero confert per pharmacevtica media huic incommodo obviam ire, ne præmaturo quodam impulſu & fluidæ & ſolidæ partes ægrius afficiantur.

§. X. Non minus multum impediunt juſtum regreſſum motuum menſtruorum præmaturæ & irregulares ſpaſticæ commotiones in hypochondriis ſuccedentes; tanto magis, ſi fixiores fuerint; unde easdem tempeſtive lenire

nire expedit; minime vero conſultum eſt, præmaturis ſedativis remediis ſubvenire, quin potius mitiori methodo ſpaſmorum præſentium impetum refrenare præſtat; unde ſimplicia temperantia, nitroſo-abſorbentia remedia, aut etiam lenientia diætetica commendo; quemadmodum pro internis hisce præmaturis & immoderatis motibus irregularibus tranquillandis clyſteres lenientes & modeſte roborantes conferunt: quodſi etiam tales ſpaſmi meſenterium & reliquam connexionem Venæ Portæ valde affligant, tunc approbo uſum Eſſentiæ Millefolii cum temperata Eſſentia roborante commixtæ; providendo tantum, quo alvus juſto ſucceſſu gaudeat.

§. XI. Quando Menſes in ſolitas vias reduci debent, tunc antea præſtat inſolitas evacuationes modeſte refrenare & temperare, quæ indicatio vero in evacuationibus ſanguinis vicariis menſtruis ſalutaribus & ſenſibilibus minime per adſtringentia & repellentia confundenda eſt; ſicuti temerarium eſſet conamen Hæmorrhoides aut Narium hæmorrhagias, Menſes excipientes, ſupprimere velle, ubi tantum temperantia & lenientia auxilia conferunt; e numero talium ſunt partim nitrata & abſorbentia, partim emulſiva, lenientia & diluentia; quippe quæ ſingula exerrantes congeſtorias & translatorias commotiones mitigant: e numero refrenantium conferunt partim revellentia, laxantia, pediluvia, frictiones efficaciores, cucurbitularum cæcarum applicationes ad Coxarum & femorum regionem, nec non interna mitiora tonica, externa vero diſcutientia & reſolventia prout ipſa ſpecies inſolitæ evacuationis menſtruæ permittit.

§. XII. Minime vero conſultum eſt inſolitas tales evacuationes menſtruas ſimul & ſemel opprimere, ſed cum maximo moderamine easdem tractare convenit; & ſi ſenſibiles quædam evagationes fluxus menſtrui curatoriam opem non admittant, tunc ſucceſſive præſervatoriis conatibus motus menſtrui ab inſolitis viis in ſolitas transferendi ſunt, id quod fit per continuatas laxationes, per pediluvia, per frictiones inferiorum regionum, quanquam in illo caſu, ubi Hæmorrhoides Menſium defectum conſequuntur, minime ſecurum, neque etiam poſſibile ſit ad impellendos Menſes curam adhibere, niſi per hanc methodum etiam ſalutaris illa hæmorrhoidalis purgatio perturbetur & confundatur.

§. XIII. Proxime, ſi non ſua ſponte natura in conſvetas & ſolitas vias revertitur, artifex eo niti debet, quo ſolitos motus atque fluxus menſtruos promoveat: pro hoc ſcopo ordinando illa auxilia conducunt, quæ paſſim in ſuperioribus affectibus & eadem indicatione commendata fuere; imprimis laudo uſum Pilularum genuinarum Stahlianarum vel verarum Beccherianarum, quæ poſteriores tamen cum aliquo moderamine adhiberi debent: pro-

inde conveniunt remedia correcta aloëtica & helleborina, parca tamen doſi; juvant moderatæ laxationes, Infuſa per epicraſin efficacia, pediluvia, inſeſſus, frictiones inferiorum locorum, fomenta vaporoſa locis uterinis admittenda & peſſaria ex nervinis tantum ſpeciebus, minime tamen e ſtimulantibus paranda, quæ ſingula moderate adhibita motus menſtruos in ſolitas vias atque partes convocant.

§. XIV. Sed cum in hoc caſu contingat, ut varia moleſta Symptomata intercurrant, quæ reliquam curam non parum offendunt atque impediunt, ita neceſſarium & ſalutare proinde eſt, quo ſucceſſive etiam talia ſymptomata leniantur: quando itaque moleſtæ orgaſticæ ſanguinis commotiones obtingunt, tunc præſtat eaſdem mitigare per remedia nitroſa, abſorbentia, coralliata, Cornu cervi uſtum, ſpecies de Hyacintho, aut per gelatinoſa, mucilaginoſa, emulſiva, lacticinia & diluentia, cavendo partim a valde acidis, partim a communibus opiatis remediis: præterea etiam ad evitandos tales orgaſmos in motu corporis, externo calore & reliqua diæta juſtum moderamen ſervandum eſt, ne talia committantur & admittantur, quæ turgefactorias tales commotiones excitare & exaſperare ſolent.

§. XV. Quando in hoc caſu frequentes cordis palpitationes concurrunt, tunc eadem temperantia adminicula proſunt; non minus moderata balnea conferunt, quo itidem pediluvia ſpectant & interdum inſtituendæ moderatæ laxationes, ut & præſervatoriæ ſanguinis ventilationes artificiales; ſubordinando magis præſervatorio quam curatorio ſcopo, Mixturam noſtram roborantem & cavendo a narcoticis: quodſi moleſtia flatulentiarum cum hoc caſu coincidat, tunc ſuperius commendata auxilia repeti poſſunt; id quod etiam valet de frequentibus cardialgiis, quæ nituntur congeſtoriis commotionibus ad hypochondriorum regionem; & ſi denique Cacochymia quædam inſultare videatur, tunc conferunt aſſiduæ impuritatum ſalinarum & bilioſarum abſterſiones atque evacuationes, una cum illis adminiculis, quæ quodvis accrementum Cacochymiæ præſcindunt, ſive ſanguinis plenitudo, ſive ſpisſitudo, huc contribuat.

§. XVI. Denique in hoc caſu multum confert bonum regimen, quod ſeſe ad animum & cauſas externas extendit, hinc laudatur tranquillitas animi & patheticarum commotionum ſollicita evitatio; porro confert modeſte calidum regimen & excluſio ſenſibilioris & frequentioris refrigerii, maxime ad partes inferiores admiſſi; unde ſenſibiles fœminæ temperiem aëris ſeligant, proinde etiam adhibeant mobile vitæ genus, potum ſufficientem, diætam dilutam & primis viis nullas turbas inferentem, quin magis lenientem atque remiſſius aromaticam; quoad uſum ſpirituoſorum ſervetur moderamen;

neque

neque æque acidulæ & thermæ ad radicem hujus caſus quicquam conferunt: interdum denique matrimonium ad ſolitos motus menſtruos conciliandos conducit.

CAPUT X.

DE

HÆMORRHOIDIBUS EXCEDENTIBUS.

§. I.

LEgitimus Hæmorrhoidum fluxus tempeſtive occurrens & recurrens nulla poſitiva medica opitulatione indiget, niſi tantum cum bono regimine foveatur, ne turbas patiatur: quando vero negotium hæmorrhoidale vel in exceſſu vel in defectu peccat, tunc maturam, ſecuram & fructuoſam opem medicam expectat: & quoniam in Hæmorrhagiarum tractatione præcipuus ſermo eſt de fluxu ſanguinis, ita hoc ordine de tali fluxus hæmorrhoidalis qualitate acturus, quæ praxi poſitivæ medicæ ſubjacet; unde tractatio de exceſſivo Hæmorrhoidum fluxu excipit.

Conf. Diſp. mea de Hæmorrhoidibus excedentibus.

§. II. Sicut omne nimium in vitium vertitur, ita exceſſus hæmorrhoidalis illam ſalubritatem deſtruit, quæ e juſto ſucceſſu Hæmorrhoidum expectanda & ſperanda eſſet; ſed cum ſub hoc exceſſu etiam reliquus ſucceſſus comprehenſus ſit, ita minime conſultum eſt, uno repentino actu ſucceſſum & exceſſum opprimere; unde cum tali ſtatu Hæmorrhoidum circumſpecte procedendum eſt, quoniam ex una parte ſatis immodicus & impetuoſus, ex altera vero ſatis ſenſibilis & intricatus eſt, ut itaque facile artifex in utroque ſtatu impingere queat, ſi vera indoles negotii hæmorrhoidalis non condigne conſtiterit.

§. III. Proinde etiam bene perpendendum eſt, quod legitimus Hæmorrhoidum ſucceſſus per congruas commotiones ad eliminandum moleſtum & ſuperfluum ſangvinem deſtinatas adminiſtretur & quod propterea hic actus non tumultuariis cauſis & effectibus accenſeri debeat: ita etiam exceſſus Hæmorrhoidum minime paſſive decurrit, quaſi tantum ſangvis e partibus apertis elabatur, ſed perinde per eosdem motus, nunc excedentes & ſuperfluos, abſol-

ſolvatur ; ex quo in Pathologia practica curatius motuum efficacia advertenda eſt, ne poſtea in ipſa applicatione artificiali talia ſuſcipiantur, quæ craſſo modo hos motus turbant & pervertunt.

§. IV. Interea omnino convenit in dijudicando excesſivo Hæmorrhoidum fluxu illas cauſas conquirere & conciliare, quæ impulſiva quadam efficacia influunt, quibus mitigandis tanto magis operam dare debet artifex, quo eo magis liberior ſucceſſus conſervetur, neque offendatur, ſed quo illi reſpectus, ad excesſivum fluxum pertinentes, in ordine atque nexu juſto æſtimentur & tractentur: interea nunquam conſultum eſt opus, ſi ſimul & ſemel talis ſuperflua profuſio opprimitur, licet quidem hic exceſſus duplici phænomeno ſeſe conſpiciendum præbeat, dum vel ſimultaneus eſt, vel longinquiori duratione præviſam ſuam ſalubritatem deſtituit.

§. V. Et dum excesſivus Hæmorrhoidum fluxus imprimis nititur prægresſis quibusdam vel impeditioribus Hæmorrhoidum ſucceſſibus, vel illatis offenſionibus, quæ præcipue in regionem hypochondriorum efficaciam ſuam immiſerunt & ad motuum inſolentius augmentum contribuerunt, ita multum refert, antea recte dijudicare, quam tractabiles & emendabiles ſint tales præcedentes circumſtantiæ; quoniam interdum eædem ita refractariæ ſunt, ut difficile, imo etiam ſuſpectum ſit, fluxum hæmorrhoidalem confeſtim coërcere, quoniam exinde eo certius periculoſæ conſecutiones metuendæ erunt, unde potius convenit probatas & temperatas præparationes ad futuram Hæmorrhoidum excedentium cohibitionem inſtituere.

§. VI. Tanto major circumſpectio adhibenda eſt in fluxus hæmorrhoidalis, etiam excedentis, directorio, quando ipſe nunquam legitime, libere, facile & largiter ſucceſſit, aut quando in aliquem habitum tranſiit, aut quando denique ex hæreditaria diſpoſitione ortus eſt, juxta quas circumſtantias minime poſitivam aut fugitivam & firmam oppresſionem tolerat, ne exinde in periculoſum ſtatum degeneret: in quo paſſu propterea, prudens artifex congrua præſervatoria medela id efficere debet, ne impoſterum ſuſpectus talis exceſſus metuendus ſit: uti de reliquo ſemper conſultius opus eſt, legitimum Hæmorrhoidum fluxum tolerare, quam per qualemcunque ſubordinatam medicationem & vicariam ſublevationem extingvere.

§. VII. Quo itaque excedentes Hæmorrhoides rite & perite tractentur cavendum eſt 1) a Venæ Sectionibus liberalibus atque promiſcuis 2) ab evacuationibus quibusvis fortioribus 3) ab ordinariarum evacuationum ſalutarium oppresſionibus, perturbationibus & negligentioribus promotionibus 4) a poſitivis, præcipue vero præmaturis, hujus fluxus ſuppresſionibus & obſtructionibus 5) ab anti hæmorrhoidalium ſpecificorum remediorum fa-

cili

cili & præcipiti ingeſtione 6) ut & a communi & vulgato adſtringentium uſu 7) a vulgarium opiatorum ordinatione 8) a medicamentis communibus carminativis 9) ab indiſcreto volatilium uſu 10) aliisque caleſacientibus acribus aut vicisſim 11) a refrigerantibus valde incraſſantibus & denique 12) a perverſo regimine.

§. VIII. Methodica ſecura, efficax & rationalis cura excedentium Hæmorrhoidum ſequentibus indicationibus abſolvitur 1) quo communia præjudicia & obſtacula tempeſtive excludantur 2) quo excedentes motus leniantur, temperentur & ſecure ſedentur 3) quo immorigeri tales motus, urgente necesſitate, provide coërceantur 4) quo futura ſiniſtra conſectaria tempeſtive præoccupentur 5) quo juſta roboratio primis regionibus concilietur & denique 6) quo conveniens regimen ordinetur.

§. IX. Quoad primam indicationem communia offendicula illa ſunt, quæ motus in locis hæmorrhoidalibus acerbiores & rigidiores reddunt, quo nomine vel actualem alvinæ excretionis retentionem, vel irregularitates, circa hanc excretionem occurrentes, noto; unde præſtat alvum lenire & modeſte laxare, quo præcipue ordino ſimpliciora remedia Rhabarbarina, abſtinendo a confuſaneis formulis aut ſtimulantibus aliis remediis & quotquot cum flatulentia operantur; neque quidem convenit nimis frequenter curatorio præcipue ſcopo hanc laxationem urgere: quodſi proinde contigerit, ut in hoc caſu moleſtæ flatulentiæ & dolorifici teneſmi concurrant, tunc præſtat etiam moderatum uſum Clyſterum lenientium conjungere, quorum in hoc paſſu multiplex eſt efficacia atque utilitas.

§. X. Non quidem neceſſarium eſt curatorie per Venæ Sectionem ſangvinis ubertatem deplere, ſiquidem illo tempore quo jam actu excedentes ſunt Hæmorrhoides Venæ Sectio non modo graviores enervationes cauſatur, ſed & ad futuram Hæmorrhoidum plenariam retentionem contribuit: quodſi vero ad exceſſum Hæmorrhoidum præcurrens nimia animi & corporis commotio diſpoſuerit, tunc hoc offendiculum tempeſtive removere convenit per complacationem animi & per remedia temperantia, coralliata & ſangvinis orgaſmos refrenantia, cavendo ab adſtringentibus & opiatis, ſicut in hoc pasſu moderatus uſus ſpecierum de Hyacintho concedi poteſt.

§. XI. Proximum eſt, quo excedentibus motibus hæmorrhoidalibus idoneum auxilium offeratur, id quod primo fit per lenientia remedia, qualia non alia ſunt, quam emulſiva, elubricantia & vias demulcentia, quo pertinent decocta dilute mucilaginoſa, gelatinoſa, juſcula pinguia & lacticinia; hiſce ſubjungenda ſunt deinde temperantia, quo nomine pulveres ſimpliciter nitratos & abſorbentes repetitis oblationibus commendo. Et ſi hæc ob gravitatem affectus non ita prompte & mature ſperatum effectum exhibent,

bent, tunc convenit conjungere temperatiora ſedativa, velut papaveracea aut Maſſam Pilularum de Cynogloſſa, vel denique Extractum Chaccarillæ; proſpiciendo quo remedia reſolventia & temperantia ſedulo interponantur, ne affectus in ſolo ſedantium uſu & effectu acquieſcat.

§. XII. Quando neceſſitas urget & affectus eſt valde importunus tunc licet hunc exceſſivum fluxum moderate coërcere; cavendo ne ſimul & ſemel opprimatur: ad hanc cohibitionem inducendam convenit Cornu cervi uſtum, ſpecies de Hyacintho, Crocus Martis Antimoniatus, aut Cachecticus Quercetani, Tinctura Martis Tartariſata, Tinctura Vitrioli Martis, Tinctura Corallorum: deinde inter practicos magnis nominibus commendantur ſpecifica illa anti hæmorrhoidalia, ut ſunt Dens Hippopotami, Lapis Manati, Priapus Ceti, quæ etiam in paucis granis illam efficaciam habent, ut ſubito vehementer & firmiter exceſſum & ſucceſſum Hæmorrhoidum occludant, ut difficile ſit partim Hæmorrhoides revocare, partim prava conſectaria præoccupare: quare prudentius agit, qui ab horum uſu abſtinet.

§. XIII. Speciali efficacia ad motus hæmorrhoidales coercendos & ad reliquam ſpaſmodicam inquietudinem in Vena Portæ refrenandam conducit Millefolium, quod in Eſſentia cum Tinctura temperata roborante & ſedativa exhibitum multam opem affert, modo etiam provide adhibeatur, neque in magnis doſibus ingeratur: quod vero Extractum Millefolii attinet, tunc illud non tam ſecuri uſus & probatæ utilitatis eſt: ſed præſtat etiam proſpicere, quo per hoc remedium non ſimul & ſemel fluxus deobſtruatur; denique ad cohibendum hunc exceſſum, ſi maximus impetus antea mitigatus fuit, Spiritus volatiles parcius adhibiti conveniunt.

§. XIV. Sed ne adhibita remedia cohibentia ſive adſtringentis, ſive ſedativæ indolis fuerint, ſiniſtrum effectum demum poſt ſe relinquant, ita præſtat futuris ſucceſſibus proſpicere & prava conſectaria præoccupare: quando itaque Hæmorrhoidum exceſſus cohibitus eſt, tunc obſervare convenit, an alvina excretio legitime continuet, quæ, ſi deficere, aut ſegnis eſſe videtur per repetitum Rhabarbari uſum revocari debet; ſi vero alvus poſitive adſtricta & exſiccata occurrit, tunc clyſteres lenientes ordinandi ſunt: & in hac ipſa neceſſitate tam ad conſervationem ordinariarum excretionum, quam ad temperationem excedentium vel irregularium motuum hæmorrhoidalium eximiam opem afferunt Pilulæ Sthalianæ aut correctæ Beccherianæ, quæ ſubinde præoccupant, ne ſuſpectæ ſtricturæ in primis regionibus remaneant aut periculoſæ ſtagnationes oriantur.

§. XV. Præterea præmiſſis ſedativis & adſtringentibus ſubordinanda ſunt remedia temperantia & mitiora reſolventia; e claſſe priorum commen-

do pulveres nitratos abſorbentes, per vices adhuc offerendos & continuandos, e poſteriorum numero laudo Eſſentias moderatas alexipharmacas, quæ diſcutiente ſuo effectu adjuvant, ne ſuſpecta ſtagnatio oriatur, adeoque ad æqualem ſangvinis diſtributionem contribuunt: præterea adhibenda ſunt lenientia, diluentia, humectantia interna, quæ partim vias elubricant, quo excretiones ordinariæ juſte continuent, partim præſentes ſtricturas demulcent & relaxant, partim denique humores in neceſſaria fluiditate conſervant: denique etiam moderatus corporis motus commendandus eſt, qui proinde ad æqualem ſangvinis commotionem per hypochondria contribuit.

§. XVI. Dum ex ejusmodi exceſſu hæmorrhoidali non parum vires ſubjecti enervatæ ſunt, maxime vero viæ affectæ ob excedentes motus debilitatæ, ita confert etiam circa finem curæ remedia roborantia ordinare; ex horum numero laudari merentur Eſſentiæ temperatæ carminativæ, nec non aromata, uſu moderato adhibenda, ut & herbæ roborantes mitiores; neque excludo modeſtum uſum boni & adulti vini, haud tamen exotici, aut valde ſpirituoſi, quia talia vina motus hæmorrhoidales denuo excitant: laudo præterea Infuſa vinoſa ex ejusmodi ſpeciebus paranda, ſicut Mixtura nobis uſitata, ex Spiritu volatili & Tinctura antimonii parata, eundem roborantem effectum exhibet.

§. XVII. Et ne hic exceſſus facile iterum recurrat, præſtat præſervatoria methodo Venæ Sectionem juſto tempore etiam in pede ſuſcipere; deinde convenit animum tranquillum atque moderatum ſervare & a patheticis commotionibus præſervare: Diæta ita ſit comparata, ne in primis regionibus turbæ oriantur, unde ab alimentis & potulentis ſpisſis, frigidis & fermentantibus abſtinendum eſt: evitentur nimiæ commotiones corporis, mobile vero vitæ genus modeſte conjungatur: alvus ſit conſtanter aperta: nocet frequentior uſus aloeticorum, tanto magis communium, aut ſubjectorum alvum ſtimulantium: nocent immoderata & frequentia exercitia venerea & compotationes, aut inebriationes: de reliquo corpus conſervetur in moderato calore; ita commode præſervabitur ſuſpectus talis Hæmorrhoidum exceſſus.

CAPUT XI.

DE HÆMORRHOIDIBUS SUPPRESSIS.

§. I.

ALterum vitium evidens & eminens, quod hæmorrhoidalem fluxum concernit, eſt Suppreſſio & Imminutio Hæmorrhoidum, quando videlicet vel totus fluxus conſtanter & abſolute retinetur, ut juſtis ſuis periodis atque temporibus recurrere & progredi ceſſet, vel quando inſufficienter erumpit & decurrit, adeoque ex utroque latere vel magis, vel minus deficit; unde aliter fieri haud poteſt, quin gravia & intricata pathemata morbida mox ſuperveniant, dum antea juſtus Hæmorrhoidum ſucceſſus eximiam ſalubritatem & utilitatem obtulit: propterea talis morbidus ſtatus tempeſtivam opem deſiderat & involvit.

Conf. Diſp. mea de Hæmorrhoidibus Suppreſſis.

§. II. Illa enim eſt uti Hæmorrhagiarum ſpontanearum ſalutarium in genere, ita etiam Hæmorrhoidum indoles, ut inductam Imminutionem & Suppreſſionem mox copioſa, diverſa & ardua incommoda ſequantur, quæ interdum ita increbeſcunt & inſoleſcunt, ut immedicabilia evadant; unde admodum refert tempeſtiva opitulatione ſuccurrere, quæ tamen cum maximo moderamine & eximia prudentia offerenda & dirigenda eſt, quo magis Hæmorrhoides ſenſibiles ſunt & facile in deteriorem ſtatum conjici poſſunt, ſi vel leviter immodeſtius impellantur; ſiquidem ipſe juſtus ſtatus Hæmorrhoidum ſine omni impetu & ſtrepitu procedit.

§. III. Præſtat in promotione Hæmorrhoidum curatius efficacias cauſarum, quæ ad defectiva Hæmorrhoidum vitia contribuerunt, perpendere & ſollicite obſervare, quam cito, quam craſſe & quam vehementer Hæmorrhoidum fluxus impeditus fuit, ut ſecundum qualitates cauſarum ipſa Therapia poſſit inſtrui: deinde dijudicandum eſt, quamdiu tale vitium defectivum duraverit, ubi ſub largiori ſuppreſſione vix facile ſperanda, nedum promittenda, aut urgenda eſt promotio Hæmorrhoidum & ſufficiens reſtitutio; in quo poſteriori ſtatu maxime præſtat ab impetuoſa & temeraria methodo abſti-

abſtinere, neque indiſcretim ad Hæmorrhoides commovendas animum & vires applicare.

§. IV. Quando itaque Hæmorrhoidum reſtitutio ſperanda eſt, tunc confert bene obſervare temporis opportunitatem, adeoque tempeſtive ſuccurrere, ne hæc obſtructio inſoleſcat: quando vero ob contumaciam retentionis juſtus Hæmorrhoidum fluxus revocari haud poteſt, tunc in eo artifex acquieſcere haud debet, ſed aliis vicariis auxiliis in tantum ſuccurrere, quo imminentia damna & pericula tempeſtive præoccupentur: & cum Hæmorrhoidum fluxus & reditus non quolibet promiſcuo & confuſo tempore contingat, ita etiam illius promotio & revocatio non indiſcretim ſuſcipienda aut urgenda, ſed illis maxime temporibus promovenda eſt, quibus antehac Hæmorrhoides erumpere & decurrere conſveverant.

§. V. Tanto minus conſultum erit Hæmorrhoides proſequi, quando jam actualis quædam labes in aliquo viſcere interno occupavit; in quo ſtatu methodus illa in genere nullum locum invenit, qua Hæmorrhagiæ promoveri & debeant & poſſint; unde hoc negotium propter hunc reſpectum tempeſtivam medelam requirit, ita tamen ne indiſcretim in corpus individui artifex operetur, ſed neceſſarias & ſalutares præparationes præmittat: omnem laborem vero, quemcunque ad Hæmorrhoidum promotionem præcipit & ſuſcipit, cum maximo moderamine exercere debet, præprimis, quando ſimul illa cauſa, quæ ad ſuppreſſionem Hæmorrhoidum influxit & adhuc continuat legitime & ſucceſſive præſcinditur & extirpatur.

§. VI. Eo magis artifex tempeſtivæ revocationi & ſufficienti fluxioni Hæmorrhoidum providere debet, quo magis antehac in ſubjectis Hæmorrhoides libere, prompte & ſufficienter, aut etiam ex aliqua hæreditate ſucceſſerunt; in quo caſu etiam in tantum opera adhibenda eſt, quo in defectu tempeſtivæ reſtitutionis Hæmorrhoidum alia neceſſaria medela offeratur: in genere nunquam artifex ad Hæmorrhoidum commotionem & promotionem properare debet, quamdiu ſontica quædam offendicula adſunt, quæ liberum progreſſum ſangvinis per hypochondria turbant atque afficiunt; ſiquidem hæc reſtitutio Hæmorrhoidum ante omnia alia legitimum & facilem progreſſum ſangvinis per abdomen præſupponit.

§. VII. In cura præſentis caſus maxime refert indicare, inculcare & intelligere illas communes offenſiones, quotquot ſcopum therapevticum premere & opprimere poſſunt; quapropter in negotio reſtituendarum Hæmorrhoidum cavendum eſt 1) a quibusvis impetuoſis atque craſſis evacuationibus, præcipue anotericis 2) ab ordinariarum evacuationum ulteriori perturbatione, aut plenaria obſtructione, ut & 3) a negligentiori illarum promotione 4) a

qualicunque ſangvinis accumulatione 5) nec non ab omisſione neceſſariæ ventilationis ſangvinis, aut 6) a commisſione ſubtractionis ſangvinis in locis ſuperioribus 7) a remediis valde calefacientibus, commoventibus, acribus & ſtimulantibus 8) a Clyſteribus & Suppoſitoriis acribus & irritantibus 9) a qualibuscunque topicis loca hæmorrhoidalia cum ſuſpecta ſepſi offendentibus, quæ facile periculoſas inflammationes internas cauſare poſſunt. 10) a communi uſu remediorum largiter aloeticorum & helleborinorum, tanto magis vero minus correctorum & depuratorum 11) a præmatura Hæmorrhoidum impulſione antequam viæ permeabiles redditæ ſunt & 12) a qualicunque immoderata & præcipitata methodo, quæ magis ſuppresſionem obfirmat, aut totum negotium hæmorrhoidale craſſe & periculoſe offendit.

§. VIII. Quo vero meliori ordine atque methodo Hæmorrhoides reſtituantur, ita præſtat indicationes ſequentes practicas obſervare & imitari 1) ut potiora offendicula reſtitutioni Hæmorrhoidum contraria tempeſtive & modeſte removeantur 2) ut deinde juſtus motus atque fluxus Hæmorrhoidum ſuccesſiva efficacia & opitulatione promoveatur 3) ut pro totius curæ emolumento idoneum regimen præſcribatur & conferatur; quæ ſingulæ indicationes continenter, patienter, prudenter & conſtanter exerceri debent, ut ita magis ſuccesſive & ſub modeſta motuum directione, quam ſimultanea, craſſa & ſuſpecta impulſione Hæmorrhoides promoveantur.

§. IX. Offenſiones, quæ legitime Hæmorrhoidum reditum concernunt in hiſtoria practica variæ occurſant e quibus prior eſt, quando non modo in locis hæmorrhoidalibus ſed & in connexis reliquis inteſtinorum & hypochondriorum tractibus contrariantes quædam ſtricturæ & obſtipationes adſunt, quas tempeſtive & ſufficienter reſerare convenit; unde ordine primo providendum & ſuccurrendum eſt, quo alvus & inteſtina leniantur, emolliantur, humectentur, laxentur & liberentur: & quod poſteriorem effectum concernit, tunc ille cum modeſtia provocandus eſt, quo ſpectant remedia Rhabarbarina & ſalina laxantia non excluſa etiam illa Neotericorum curioſa Magneſia alba.

§. X. Præterea facilem & ſalutarem Hæmorrhoidum recurſum admodum impedit plenitudo ſangvinis, ſive univerſalis in toto corpore, ſive particularis in abdomine & Venæ Portæ tractu; quare præſtat hanc ſuſpectam ubertatem ſangvinis tempeſtive & opportune tam univerſaliter, quam particulariter ventilare & imminuere: ob id conveniunt Venæ Sectiones præſervatorie in pedibus adminiſtrandæ, quibus commoda occaſione, ſed perinde præſervatorio ſcopo, hirudinum applicatio ad loca hæmorrhoidalia ſubordinanda eſt; quamdiu enim nimia ſangvinis copia adeſt, tamdiu

diu peculiaris impulſus ad Hæmorrhoidum promotionem ſuſcipi & tentari haud poteſt.

§. XI. Non parum liberum Hæmorrhoidum reditum impedit ſpiſſitudo ſanguinis, quæ ex ſuppreſſis Hæmorrhoidibus ortum traxit, aut quæ interdum ſuppresſionis Hæmorrhoidum cauſa eſt: huic etiam tempeſtive ſubvenire convenit, non vero maturius, quam antea ſuſpecta plenitudo imminuta fuit: pro hac ſpisſitudine ſanguinis emendanda, conveniunt remedia primas vias a ſpiſſo muco repurgantia, quo conferunt Infuſa Sennata, polypodiata & helleborina, additis ſpeciebus amaris reſolventibus & colliquantibus & ſubjunctis ſalibus incidentibus digeſtivis: deinde confert ſufficientem potum adhibere, juſcula lenientia & diluentia uſurpare, nec non mobile & laborioſum vitæ genus conciliare, ſpiſſam vero diætam evitare, modeſte calidum regimen conſervare & nonnunquam balnea temperata uſurpare licet.

§. XII. Maxime vero promptum & ſalutarem Hæmorrhoidum reditum impediunt ſpaſmi in hypochondriis decurrentes, nec non flatulentiæ, quæ poſteriores cum Clyſteribus lenientibus & modeſtius carminativis mitigandæ ſunt, priores vero confert per lenientia aut temperantia tranquillare, quibus antiſpaſmodica, remiſſius ſedantia interponenda ſunt; quemadmodum pro acerbiori & contumaciori ſpaſmorum continuatione prudens & temperatus Millefolii uſus conducit; de reliquo nitrata remedia, ut & ex Chaccarilla parata ſpaſmodica talia tormenta mitigare & ſedare adjuvant; proſpiciendo tantum, quo alvus juſta & conſtanti libertate gaudeat.

§. XIII. Præmiſſis hiſce medicis auxiliis proxime ſubſtituenda eſt poſitiva Hæmorrhoidum promotio, quæ tamen non indiſcreto, ſed juſto tempore perficienda eſt & quidem tali, quando nunc aliquo modo ſua ſponte ad hæmorrhoidalem fluxum expellendum concurrit natura; quo itaque melius motus in loca hæmorrhoidalia tranſeant, propterea præſtat præmittere clyſteres lenientes & moderate roborantes, porro uſurpanda ſunt remedia correcta aloëtica & helleborina, temperata tamen quantitate; concilianda ſunt pediluvia & frictiones locorum hæmorrhoidalium modeſtiores, cum panno aſperiori: proinde applicare licet hirudines ad loca hæmorrhoidalia, quando proxime indicata frictio præmiſſa fuit: ut & licet tali tempore, ſi non irregulares ſpaſmi orgaſticæ ſanguinis commotiones & inconſvetæ alvi perturbationes intercurrunt, conferre uſum boni & generoſi aut ſpirituoſi vini, ut & diætæ aromaticæ: quo etiam ſpectant Juſcula vinoſa modeſte crocata.

§. XIV. Quando Hæmorrhoides nunc propius erumpere videntur, ita ut venulæ in locis hæmorrhoidalibus moderatæ protuberent, tunc ab extra illis locis adhibere licet herbam Millefolii recentem aut contuſam herbam ur-

ticæ minoris recentem, quæ ſubtilibus ſuis aculeis & cuſpitibus loca hæc, ſanguine intumefacta, incidunt, ut aliqualis apertio concilietur, ſicut pro tali apertura adjuvanda interdum Chirurgica inciſio illarum venularum & applicatio hirudinum confert, quæ animalia mox iterum convenienter removeri poſſunt, ut ſua ſponte Hæmorrhoides fluere continuent; totum vero hoc negotium cum eximio moderamine perficiendum eſt, propteareaque a qualibet impetuoſa commotione abſtinere decet.

§. XV. Sed quo tota hæc cura melius, ſincerius & efficacius ſuccedat, præſtat denique bonum regimen præſcribere, quod præprimis in eo conſiſtit, ut ſubjectum ab omni exceſſu conſtanter abſtineat, diætam mollem & diluentem adhibeat, quamlibet primarum regionum offenſionem evitet, potum ſufficientem & interdum moderatum vinoſum uſurpet, mobile vitæ genus ſervet, animi immorigeros mores atque affectus arceat, modeſte calidum regimen conferat, aromaticorum uſum diæteticum conciliet, in uſu veneris moderamini ſtudeat & ita ubique temperiem ſeligat, ut privative excludantur omnia illa offendicula, quæ ex uſu rerum non-naturalium negotium hæmorrhoidale offendere & perturbare poſſunt.

CAPUT XII.

De HÆMORRHOIDIBUS CÆCIS.

§. I.

INter alia incommoda, quæ motus hæmorrhoidales afferre ſolent, merito recenſendæ ſunt intumeſcentiæ illæ hæmorrhoidales fluxu tamen neceſſario deſtitutæ, quæ vulgo Cæcarum Hæmorrhoidum nomine veniunt: ad quas etiam in communi praxi magis animus applicatur, ita ut propterea perperam in univerſum Hæmorrhoides pro moleſto incommodo & nocivo accidenti declarentur; cum tamen probe hic accidentalis Hæmorrhoidum ſtatus, a ſuo legitimo ſucceſſu diſcerni debeat: quoniam vero occluſi tales, attamen furentes motus hæmorrhoidales non exiguas moleſtias, ſed inſuper ſatis doloriſicas ſenſationes inferunt & ſuſpectas conſecutiones involvunt, hinc labor adhibendus eſt, quo in medicina practica non modo occurrentes moleſtiæ atque

que dolores leniantur, ſed & totum reliquum hæmorrhoidale negotium in ordinem juſtum transferatur.

Conf. Diſp. mea de Hæmorrhoidibus cæcis.

§. II. Et ſicut Cæcæ tales Hæmorrhoides in ejusmodi protuberantiis ardentibus, tenſoriis & cum incommodis ſtricturis ſtipati exiſtunt, ita, ut non fortuito ſanguis in hisce locis incarceratus & occluſus, ſed ſub concurſu motuum hæmorrhoidalium in hæc loca congeſtus ſit, propterea major reſpectus habendus eſt illorum motuum ad hæmorrhoidalem fluxum ſpectantium, quam ſymptomatum & accidentium connexorum; ſiquidem facile contingit, ut poſthabitis illis motibus e nuda ſymptomatum cura ſiniſtræ & inconvenientes conſecutiones ſuperveniant, quæ deinde præſentem affectum e fundamento non tollunt, ſed aliis metaſchematiſmis morborum anſam præbent, qui tamen ſolide & ſollicite evitari poſſunt, ſi motus hæmorrhoidales rite diriguntur.

§. III. Dum motus hæmorrhoidales in culpa ſunt, quod ejusmodi infarctus geniti ſint, ita imprimis refert illos motus curatius examinare, adeoque perpendere, quænam cauſa horum effectuum exiſtat: in quo negotio vel culpa hæret in ipſis motibus, irregulariter decurrentibus & ſangvinem non ſatis arcte congerentibus, vel interdum in viis, ſanguinem intimius non ſufficienter recipientibus, ſed propter aliquam ſtricturam illius neceſſarium aditum reſpuentibus: vel denique in humoribus, qui ob aliqualem incommodam ſpiſſitudinem ad promptam perruptionem perduci non poſſunt, ſed tantum in ſuperficie ita obhæreſcunt & connexos cruciatus inferunt.

§. IV. Et quando hæc afflictio ſub nomine Hæmorrhoidum Cæcarum venit, contra vero conſtat, quo libere fluentes Hæmorrhoides non modo nihil dolorifici inferant, ſed inſuper multum incommodi afferant, ita præcipua cura prudentis artificis eſſe debet, quo tales Hæmorrhoides ita condigne tractet, ne easdem penitus obruat & opprimat, ſed quo tam motum quam fluxum hæmorrhoidalem in ordinem juſtum reſtituat & quantum posſibile eſt has occluſiones & cæcitates aperiat atque ſolvat, quo ipſo præſenti defectui tanquam cauſæ horum incommodorum directe ſuccurrit, inſuperque præcavet, ne talis afflictio heteroclitos effectus poſt ſe relinquat: interim & hic cæcus Hæmorrhoidum ſtatus de generali ſenſibilitate hæmorrhoidali participat, propterea in cura hujus affectus magna circumſpectio adhibenda eſt.

§. V. Quo itaque tales Cæcæ Hæmorrhoides rite & ſecure tractentur, cavendum eſt 1) a commotionibus impetuoſis alvi & remediis poſitive purgantibus 2) a clyſteribus & ſuppoſitoriis acribus, ſtimulantibus & loca hæmorrhoidalia qualitercunque inique afficientibus 3) ab internis remediis fluxum immoderate urgentibus & impellentibus, qualia ſunt calefacientia & concen-

centrata acria 4) a vulgari helleborinorum & aloëticorum uſu 5) ab internis adſtringentibus incraſſantibus 6) a communi narcoticorum ordinatione 7) ab externis corroſivis ſtimulantibus, rubefacientibus & cauteriſantibus 8) a nimia externa partium emollitione 9) a repellentibus & motus repente ſupprimentibus 10) a metallicis ſepticis ſaturninis ſimilibusque 11) a ſpecialiter ſulphuratis medicamentis & denique 12) ab ungvinoſis, valde pingvibus & facile ranceſcentibus.

§. VI. Ad Therapiam Cæcarum Hæmorrhoidum ſequentes indicationes ſpectant 1) ut irregulares motus hæmorrhoidales & reliqua connexa offendicula emendentur 2) ut protuberantes & Cæcæ Hæmorrhoides tempeſtive aperiantur, aut 3) mature & convenienter diſcutiantur & reprimantur 4) & ſi reſolvi non poſſunt, poſthac opportune ad moderatam ſuppurationem promoveantur, iterumque rite conſolidentur 5) ut in futurum negotio hæmorrhoidali recte conſulatur & denique 6) ſubjectis talibus congrua præſervatoria methodus præſcribatur.

§. VII. Prima indicatio commendat juſtum directorium motuum hæmorrhoidalium, irregulariter decurrentium, aliorumque connexorum impedimentorum; unde præſtat ordine primo proſpicere & obſervare, an alvus clauſa, vel ſicca & ſtricta fuerit, quæ propterea lenienda & facilitanda eſt, partim per clyſteres lenientes & moderate oleoſos, partim per uſum Rhabarbarinorum remediorum, ſiquidem tam ad aperiendam alvum, quam ad mitigandos reliquos irregulares motus hæmorrhoidales utiles ſunt Pilulæ Stahlianæ, cavendo tamen ne aliæ Pillulæ incongrue aloëticæ exhibeantur, quæ magis præſentia offendicula exacerbant.

§. VIII. Proinde proſpiciendum eſt, quo lenitas viarum & humiditas humorum modeſte promoveatur, ne ex utriusque defectu hic affectus ſuam confirmationem nanciſcatur, ob id commendo humectantia, diluentia, lenientia, interna emulſiva, gelatinoſa, dilute mucilaginoſa & lacticinia: maxime confert irregulares motus ſpaſticos concurrentes temperarare per uſitata nitroſo-cinnabarina & abſorbentia: ſubinde etiam convenit immoderatas congeſtiones ad loca hæmorrhoidalia derivare per pediluvia & frictiones pedum, ut ita undique motus hæmorrhoidales anomalici corrigantur & in ordinem juſtum transferantur.

§. IX. Non minus conveniunt auxilia æqualem ſanguinis commotionem promoventia & eo ipſo particulares & ſimul irregulares internas congeſtiones reſolventia, qualia ſunt interna diſcutientia, moderate eſſentificata & ſubjectis humidioribus temperata balſamica ſuccinata; quemadmodum uſus Pimpinellæ albæ in hoc affectu laudabilis eſt, tanto magis vero ejusmodi Eſ-

ſentiæ

ſentiæ balſamicæ conducunt, quando Hæmorrhoides cæcæ in ulceroſum quendam ſtatum degenerant: non minus in ſubjectis de multo ſeri confluxu participantibus moderata diuretica conferunt, quo nomine Tincturam antimonii laudo: quodſi etiam motus contumaciores ſpaſmodici circa Venam Portæ concurrant & continuent, tunc prudentem Millefolii uſum adhuc in prima hac indicatione collaudo, ſicut pro efficaciori horum motuum mitigatione Chaccarillæ uſum commendo.

§. X. Proxime in praxi medica acceſſus inſtituendus eſt, quo conſpicuæ tales protuberantes Hæmorrhoides modeſte aperiantur, quæ apertio fieri poteſt vel per tempeſtivam applicationem hirudinum ad easdem, quæ omnino tempeſtiva eſſe debet, quia deinde hirudines easdem non apprehendunt; vel per actualem, moderatam tamen inciſionem, ubi cavendum eſt, ne eadem nimis profunda ſit, alias excesſive fluere poſſunt Hæmorrhoides, quem excesſivum fluxum tali modo provocatum externa applicatio Spiritus vini rectificati ſecurius, quam aliud adſtringens remedium coercet: interea vero quo ſub tali apertione omnia accidentalia incommoda evitentur, præſtat uſum internum remediorum temperantium, lenientium & diſcutientium ſedulo continuare.

§. XI. Ad apertionem Hæmorrhoidum tum in genere molientium, tum ſeorſim cæcarum, quidam frictionem commendant; quæ vero ſi aſperior fuerit & fortior dolores auget & affluxus immoderatos exacerbat, ſubinde etiam excoriationes valde dolorificas & ſenſibiles inducit; modeſta tamen & lenis frictio non nocet: alii commendant applicationem foliorum ficus conquaſſatorum, vel rectius illius ſucci lacteſcentis, qui interdum aliquid utilitatis afferre videtur; de reliquo ſuperius commendatum Millefolium & commemorata Urticæ herba ad Hæmorrhoidum apertionem adjuvandam nonnunquam conferunt.

§. XII. Quando circumſtantiæ concurrentes talem apertionem diſſvadent, tunc tempeſtiva diſcuſſio, reſolutio & repreſſio ſuſcipienda eſt & pro hac præſtanda conducit Urtica mortua, nec non exoticum illud ſpecificum contra cæcas Hæmorrhoides laudatum remedium tunicaceum, videlicet illud concrementum marinum, quod piſcis Rajæ ſive Rochæ nomine venit, tempeſtive & moderate in ſuffimigio uſurpandum: pro eadem indicatione conducunt Cataplaſmata e ſpeciebus reſolventibus roborantibus moderate reprimentibus & ſimul lenientibus parata, evitando fortiora adſtringentia: huc etiam conveniunt ſuffimigia e Gummatibus reſolventibus & herbis atque floribus moderate nervinis & adſtringentibus parata, quæ vero proinde tempeſtive adhibenda ſunt, antequam ſanguis in ſuis tuberculis in coagulum tranſiit:

eodem nomine conducunt linimenta lenientia & diſcutientia, ſicut imprimis oleum & unguentum Verbaſci ad hunc affectum laudatur: denique etiam utiliter prædictis Cataplaſmatibus & linimentis tantillum Camphoræ atque Croci commiſceri poteſt: neque penitus contemni poſſunt modeſti inſeſſus cum ſpeciebus reſolventibus conjuncti & parati.

§. XIII. Quando contingit, ut Cæcæ Hæmorrhoides motu congeſtorio & inflammatorio urgeantur, neque diſcuti, reſolvi nedum quidem aperiri queant, tunc præſtat tempeſtive, attamen cum aliquo moderamine, maturationem protuberantiæ promovere, quæ optime ſuccedit per uſum emollientium & conjunctorum moderate reſolventium & nervinorum remediorum in forma Cataplaſmatum adhibendorum: quæ ſuppuratio, quando ſufficienter inducta fuit, tunc tempeſtive & convenienter aperiri debet, in qua apertione illa cautela obſervanda erit, ne nimis profunda, neve nimis lata, neque etiam nimis exigua ſit: varia etiam incommoda affert, ſi præmature ac præpoſtere talis ſuppuratio aperitur; quare in hoc actu prudentia & dexteritate opus eſt: in promotione maturationis evitanda ſunt vel tenacia, vel valde pingvia facileque ranceſcentia.

§. XIV. Poſt apertionem & puris ſufficientem evacuationem præſtat adhibere mundificantia, abſtergentia corruptionem præſervantia & denique legitimam conſolidationem promoventia; quo nomine conducunt decocta, extrinſecus applicanda, e vegetabilibus abſtergentibus parata, addendo ipſis aliquid mellis, croci, Therebintinæ venetæ & Myrrhæ; porro conducunt balſamica ex Myrrha, Succino, Therebintina, Maſtiche, Thure parata, quo etiam pro effectu abſterſorio oleum ovorum & ſi ulceroſa inquinatio ſupervenerit, ungventum de linaria & prudens Mercurii præcipitati albi, bene edulcorati, uſus ſpectat; denique pro inquinamento ulceroſo removendo etiam olea empyrevmatica conveniunt & ultimo pro conſolidatione inducenda præter modo allegata gummatoſa Hypericum in moderata quantitate adhiberi poteſt.

§. XV. Quando denique tali ratione & ordine Hæmorrhoides cæcæ curatæ ſunt, tunc in futurum artifex operam dare debet, quo negotium hæmorrhoidale in juſtum ordinem transferat & ſi poſſibile eſt, in juſtum fluxum reſtituat; imprimis vero præſervatorius hirudinum uſus laudem meretur, nec non illa adminicula in præcedente capite ad promotionem Hæmorrhoidum commendata ſucceſſive & modeſte ordinanda ſunt, cavendo ne unquam hic ſcopus impetuoſe, aut temere urgeatur, ſicut etiam ſucceſſive modeſtæ laxationes & ſufficiens viarum atque humorum humectationes pro hoc fine conveniunt.

§. XVI.

§. XVI. Reſtat denique præſervatoria cura, quæ eo dirigenda eſt, ne talis afflictio frequentius invadat: conducunt itaque præſervatoriæ Venæ Sectiones & hirudinum ſubordinatæ applicationes, præſtat quo alvus conſtanti libertate gaudeat, imo interdum placide abſtergatur, conjungenda eſt diæta temperata, quæ primis viis nullas turbas infert, potus ſit ſufficiens, conducit mobile vitæ genus, proſunt interdum pediluvia & moderati inſeſſus, animus ſit continens, ſervetur moderamen in veneris uſu & de reliquo ſedulo evitetur, ne alvus unquam poſitive occludatur, hac ratione præſervabitur novus inſultus Hæmorrhoidum Cæcarum.

CAPUT XIII.

DE

HÆMORRHOIDUM ANOMALIIS.

§. I.

Quanquam hactenus varii reſpectus in Hæmorrhoidum negotio concernendi occurrerint, qui anomalicos hujus fluxus ſucceſſus produnt & denotant, tamen ob dignitatem hujus Hæmorrhagiæ adhuc ſeorſim irregularitates, quæ in eadem obtingere obſervantur, recenſere placet, quo tanto majori cura & vigilantia in medico ſuo officio artifex proſpiciat, præprimis cum ob communia fata, quæ negotium hæmorrhoidale premunt ejusmodi anomaliæ haud infrequentes ſint & quæ ipſæ ſubinde plane aliis cauſis & caſibus adſcribuntur, propterea que longe aliter, quam quidem decet tractantur, ut exinde in communi praxi non modo tales anomaliæ magis obfirmentur & augeantur, ſed utplurimum ad periculoſos effectus & eventus præparentur & præcipitentur.

Conf. Diſp. mea de Hæmorrhoidum Anomaliis.

§. II. Manifeſtant ſeſe ejusmodi anomaliæ hæmorrhoidales in variis circumſtantiis, maxime quidem quando fluxus Hæmorrhoidum vel inſufficienter ſuccedit, vel plane cohibitus & ſuppreſſus eſt, deinde etiam quando inordinate procedit, aut quando in molimine aliquo remotiori conſiſtit & certis moleſtis protuberantiis ſeſe prodit, ut denique, quando penitus excedit: omnium maxime vero tales anomaliæ occurſant, ſi per incongrua præmiſſa artificia & medicamina vel motus, vel fluxus hæmorrhoidalis offenſus & turba-

tus fuit, ubi tunc affectus haud penitus acquieſcit, ſed in varia morborum ſchemata transfiguratur, quæ in genere ſatis exacte cum Hæmorrhoidibus connexa ſunt, ſed ſeorſim in vagabundo & exorbitante tali ſtatu ſeſe produnt.

§. III. Quod ipſas anomalias hasce attinet, tunc eædem principalius conſiſtunt in motibus hæmorrhoidalibus exorbitantibus ſive gradu auctis & immoderatioribus congeſtoriis atque ſpaſmodicis, qui interdum in inflammatoria ſchemata degenerarunt & quales incongrui motuum gradus nonnunquam inferiorem abdominis tractum affligunt; interdum in alias regiones excurrunt, præcipue hypochondria occupant, per Meſenterium vagantur, ventriculum invadunt, pectus ingrediuntur, ad ſplenem & hepar decumbunt, caput afficiunt, quin plane in extremitates corporis exſpatiantur: proinde ordinarias functiones quascunque valde turbant & ita morbidum ſtatum evidenter teſtantur: ubi fruſtra nituntur Pathologi, quando materiales cauſas primario accuſant, cum omnes hæ anomaliæ per hosce motus illorumque apertas perceptiones ſeſe manifeſtent.

§. IV. Habent etiam anomaliæ hæmorrhoidales illud peculiare, quod facile in alios connexos ſiniſtros effectus delabantur, ſive fuerint inflationes, ſive infarctus & oppletiones, ſive ſtagnationes, ſive occluſiones & incarcerationes, ſive actuales vicariæ quædam perruptiones, ſive neceſſariarum depurationum & ordinariarum Se-& Excretionum ſufflamationes, ſive denique completæ corruptiones: ex quo ipſo reſpectu iterum gravitas harum anomaliarum confirmari poteſt, ita ut tanto magis artifex admonendus ſit, ne eo usque expectet, quo denique in tales ſuſpectos effectus anomalicus Hæmorrhoidum ſtatus irrumpat, ſed quo tempeſtive eosdem præſcindat & præoccupet.

§. V. Quando præſens anomalicus Hæmorrhoidum ſtatus in juſtum ordinem ducendus eſt, tunc ſequentes practicæ cautelæ obſervandæ ſunt 1) ne huic caſui ſero medicina paretur, alias ita increbeſcit, ut difficulter emendari queat, 2) ne ordinentur craſſæ & immoderatæ evacuationes anotericæ æque atque catotericæ 3) ne turbentur aut negligantur ordinariæ ſalutares evacuationes 4) ne præpoſtere aut confuſe ſanguinis misſio adminiſtretur, aut plane negligatur aut omittatur 5) ne uſurpentur remedia concentrata calefacientia acria & ſpirituoſa 6) ne volatilia & impellentia, aut ſanguinem expellentia remedia ſcopo curatorio injungantur 7) ne tantum ſymptomatum ſopitioni & mitigationi cura adhibeatur inſuperque fundamentum mali negligatur 8) ne remedia ſtomachica & carminativa communia tam facile & inopportune exhibeantur, quando in hoc affectu fons morbi in flatulentia inquiritur 9) ne commendentur remedia crudiora aloëtica & helleborina 10) neve in uſum trahantur vel fortiora adſtringentia vel communia Martialia, ſub ſpe effectus

aperi-

aperitivi 11) ne narcotica communia ordinentur, neve 12) confuſa quædam methodus & irregulare regimen adhibeatur.

§. VI. In cura Anomaliarum hæmorrhoidalium ſequentes indicationes therapevticæ obſervandæ & hoc ordine etiam imitandæ & exercendæ ſunt 1) ut generalia & ſpecialia offendicula, has anomalias invitantia & ſuſtentantia, congrue & tempeſtive removeantur 2) ut ipſi anomalici motus emendentur & mitigentur 3) ut juſto tempore legitimi motus hæmorrhoidales invitentur & reſtituantur 4) ut palmaria ſymptomata leniantur 5) ut regimine convenienti tota reliqua cura ſublevetur & promoveatur.

§. VII. In prima indicatione generalia offendicula ſunt partim primarum regionum inquinationes & oppletiones cum materiis heterogeneis mucido-bilioſis, quæ vel e pravo regimine, vel ex turbato motu progreſſivo ſanguinis per hypochondria illic coacervatæ fuerunt, partim etiam plenitudo & futura ſpisſitudo ſangvinis accuſari poteſt, quæ utraque ad evagationes motuum hæmorrhoidalium & ſuppresſiones neceſſariorum fluxuum contribuit: quod itaque priorem circumſtantiam attinet, tunc maxime conveniunt abſterſiones, reſolutiones & laxationes moderatæ, ſive per infuſa per epicraſin efficacia, ſive per ſalia abſtergentia & laxantia; quo loco etiam additamentum ſpecierum amararum commendo, quæ in primis regionibus & confiniis hæmorrhoidalibus, alias utiliter reſolvunt & abſtergunt: cavendum vero eſt, in hac præparatione ab aloeticis aut a poſitivis purgantibus & ſtimulantibus remediis.

§. VIII. Remotis hiſce impuritatibus, convenit deinde incommodæ plenitudini ſangvinis opem ferre, unde præſtat præſervatorias Venæ Sectiones in pede ordinare & deinde in diæta providere, ne ſangvis citius accumuletur: quando vero ſpisſitudo ſangvinis adeſt, tunc conveniunt illa adminicula, quæ ſæpius pro hac emendanda laudata & allegata ſunt, maxime præſtat abſtinere a ſedentaria vita, quin potius, quantum poſſibile eſt conſtanter mobili vitæ generi inhærere: quodſi denique etiam interdum genericæ quædam orgaſticæ & ſpontaneæ ſangvinis commotiones & ebullitiones concurrant, tunc præſtat pro hoc offendiculo removendo uſurpare remedia abſorbentia fixiora, lenisſime uſta, aut coralliata, aut abſorbentia cum acidis ſaturata, vel pulveres nitroſos.

§. IX. Ad ſpecialiora impedimenta, motus & fluxus hæmorrhoidales offendentia, ſpectat ſtrictura frequens in locis hæmorrhoidalibus obvia, unde non modo legitima excretio alvina retinetur, ſed & viæ hæmorrhoidales occluduntur, ut eo magis motus hæmorrhoidales ad evagationem talem morbidam diſponantur: pro avertenda tali ſtrictura conveniunt partim cly-

ſteres emollientes, lenientes, ſimplicius oleoſi ſine addito ſtimulo, partim interna remedia lenientia, diluentia, pingvia, humectantia juſcula gelatinoſa dilutiora, abſtinendo a ſpisſioribus magisque incraſſantibus: proinde conjungenda eſt talis diæta quæ ad ulteriorem alvi poſitivam occluſionem non contribuit, neque in primas vias ſingulares perturbationes immittit, ſed quæ potius lenitiva ſua qualitate mollitiem & lubricitatem inteſtinorum craſſorum conſervat.

§. X. Porro motus hæmorrhoidales turbant frequentes reſtrictiones ſangvinis, in loca ſuperiora translatæ, quando ab inferioribus regionibus per mala regimina hæc reſtrictio invitatur, ad quam multum contribuit irregularis diæta, maxime vero nimia oppletio Ventriculi, aut compotatio & inebriatio & undecunque præterea motus vomibundi excitantur, ut eapropter tales errores ſedulo evitari debeant; deinde ad mitigandas illas reſtrictiones anotericas conveniunt pediluvia, moderati inſeſſus, nec non correcta aloetica, cum effectu laxante operantia: abſtinendum tamen eſt ab omni vehementiori impetu & gravi commotione humorum & viarum.

§. XI. Excipit nunc altera indicatio, qua motuum anomalicorum correctio & mitigatio commendatur, hæc ipſa perfici poteſt lenitione, temperatione, ſedatione & ſpeciali cohibitione: quando hæ anomaliæ primario in ſpaſticis & congeſtoriis commotionibus conſiſtunt, tunc mitior gradus eſt, quo eædem leniantur & quidem magis per diætetica, quam pharmacevtica, qualia in liquida formula primas regiones penetrant & in iisdem obtingentes ſtricturas ſpaſmodicas relaxare adjuvant, quo nomine conveniunt juſcula pingvia & gelatinoſa, decocta dilute mucilaginoſa, lacticinia, emulſiva, nec non externa linimenta emollientia & parcius roborantia, abſtinendo a commixtionibus acrium & ſtimulantium ſpecierum.

§. XII. Temperandi vero ſunt ejusmodi motus anomalici præcipue per pulveres nitratos uſitatos, repetito exhibendos, ut & per abſorbentia teneriora: hiſce ſubordinari poſſunt Eſſentiæ temperatiores diſcutientes & inteſtina roborantes, quo in eadem neceſſarii motuum gradus transferantur, neve per alias regiones evagentur & tales ſunt: Eſſentiæ Helenii, Caryophyllatæ, Pimpinellæ albæ, Vincetoxici, Gentianæ rubræ, Abſinthii, Centaurii minoris &c. quando hæc temperantia non ſatisfaciunt propter motuum acerbitatem, tunc ſedantia conjungi poſſunt, ut Cinnabarina, Species de Hyacintho (quæ etiam tonicam qualitatem habent) Maſſa pilularum de Cynogloſſa & Chaccarilla: ad plenariam denique cohibitionem talium motuum vel in genere contribuunt Croci Martiales teneriores, vel Tinctura Martis tartariſata, vel prudens uſus Tincturæ Corallorum: ſeorſim in uſum trahi

poteſt

poteſt Millefolium, quod prudenter adhibitum anomalicos hoſce motus compeſcit.

§. XIII. Quando motus anomalici quantisper mitigati ſunt, tunc præſtat ſuccesſive ad revocationem motuum legitimorum hæmorrhoidariorum curam applicare & in hac indicatione quidem conveniunt repetitæ præſervatoriæ Venæ Sectiones, ſubjunctæ hirudinum applicationes ad loca hæmorrhoidalia, moderatæ laxationes & correctorum aloeticorum temperatæ ordinationes: imo confert talibus temporibus, quo in ſubjectis illis modeſtus uſus Elixirii Paracelſi parca quantitate offeratur: conjungi etiam poſſunt hoc tempore pediluvia, frictiones pedum, moderati inſeſſus, juſcula vinoſa remisſius crocata & vini generoſi uſus; modo abſint anomalici illi motus, ſub quibus Hæmorrhoidum perruptio minime urgenda eſt, alias tota hæc methodus ſiniſtre ſuccedit.

§. XIV. Sequuntur jam ſymptomata & illa quidem potiora, quæ anomaliis hæmorrhoidalibus ſeſe immiſcere ſolent, ex illis primo occurrunt graves cardialgiæ & hypochondriorum affectiones, quibus mitigandis conveniunt clyſteres lenientes, ſubordinandi pulveres Nitroſo - Cinnabarini & eſſentiæ prædictæ roborantes: ſi flatulentia multum urgeat, tunc conveniunt iisdem clyſteres lenientes & modeſte roborantes, nec non ſubjunctæ Eſſentiæ temperatæ carminativæ: ſi anguſtationes circa Ventriculum contumaces adſunt, tunc præter pulveres antiſpaſmodicos miſcela ex Eſſentia Millefolii, Chaccarillæ & Corticum Aurantiorum parata proficit, qualia adminicula etiam conferunt, ſi vomitus imminent aut intercurrunt: ſi reſpiratio valde ſupprimitur, tunc conducit moderata laxatio, aut lenitio alvi, nitratorum remediorum ordinatio, ut & Chaccarillæ uſus: ſi ſangvinis orgaſmi affligunt, tunc proſunt abſorbentia cum acidis ſaturata, Corallia rubra præparata, Tinctura Corallorum, remedia nitrata, modeſtus uſus Specierum de Hyacintho, cavendo a valde incraſſantibus & multum adſtringentibus remediis.

§. XV. Denique in Hæmorrhoidalium anomaliarum ſecura, juſta, prompta & efficaci directione therapevtica conjungi debet congruum regimen, quod tam ſub tota cura ordinandum eſt, quam poſt illam continuandum: conveniunt in hoc regimine omnia illa conſilia & auxilia, quorum in ſuperioribus mentio facta fuit: maxime injungenda eſt animi tranquillitas diæta regularis, evitatio omnis exceſſus, abſtinentia a multis & diverſæ methodi remediis, denique etiam mobile vitæ genus & ordinariarum evacuationum legitimus ſucceſſus multum in hoc caſu emolumenti afferunt.

CAPUT XIV.

DE MICTU CRUENTO.

§. I.

EX illis Hæmorrhagiis, quæ perinde inſolitæ ſunt attamen ſingularis indolis, occurrit Cruenta Mictio, quæ, licet ceteroquin rarior exiſtat, attamen peculiari conſideratione digna eſt: ſicut vero quælibet Hæmorrhagia vel ſponte oritur, vel per violentiam excitatur, ita etiam hæc, licet prior conditio Mictus cruenti majorem annotationem mereatur, quando videlicet ſub alio nexu obtingit, ita ut præcedens talis cauſa in medicina practica magni momenti ſit: poſterior non niſi poſitivam & promptam cohibitionem involvat, quia ſine ullo alioquodam reſpectu adeoque cum poſitivo quodam damno ſangvinis effluit.

Conf. Diſp. mea de Mictu Cruento.

§. II. Sponte ſuccedens hic Mictus cruentus communiter in attentiori & ſaniori Pathologia deprehenditur cohærere cum negotio hæmorrhoidali, ita ut merito illum ad inſolitas Hæmorrhoidum vias referre queam, ſiquidem vel motus, vel fluxus Hæmorrhoidum ſuppreſſi, aut turbati, imprimis vero externi in hanc partem decumbunt & vicariam ſuam exonerationem commoti & moleſti ſangvinis abſolvunt; tanto magis vero, quando ab ejusmodi ſubjectis illæ cauſæ admittuntur & conceduntur, quæ ad Hæmorrhoides in genere impellendas & in loca genitalia & connexam veſicam urinariam ducendas quadrant, ſicut tota hiſtoria Mictus cruenti hujus animadverſionis teſtem producit; & licet non ſemper actu fluxus hæmorrhoidales præcurrerint, tamen moliminum hæmorrhoidalium, quotquot præceſſerunt, ratio ſollicita eſt habenda & inſtituenda.

§. III. Ob id in hoc Mictu cruento non tam ad nudum ſangvinis fluxum attentio dirigenda eſt, ſed potius illas intentiones, quæ ſub eodem fluxu concurrunt, quando videlicet natura ſangvinem ſuperfluum & moleſtum expellit, quo corpus ſuum ab eodem ventilet & liberet: unde fruſtraneum erit in dijudicando hoc Mictu multum inhærere contemplationi qualitatum materialium peccantium, cum potius culpa in motu hæreat, ſiquidem hæc ſanguinis perruptio minime fortuito & ſub turbulentis motuum ſpaſmodico-

dicorum adminiſtrationibus contingat, ſed eadem curatiori & exquiſitiori motuum congeſtoriorum applicatione nitatur.

§. IV. Quo magis vicaria hæc eſt Hæmorrhagia, quæ præcedentem ſenſibilem Hæmorrhoidum ſtatum excipit, eo magis & ipſa ſenſibilis eſt, præprimis cum ſubjecta in tali ætate utplurimum ſint conſtituta, in qua ſiniſtræ Hæmorrhagiarum medicationes facile in periculoſos effectus & eventus degenerant & licet hic Mictus cruentus aliquando lenior ſit, tamen ob evagationem hæmorrhoidalem in libertate ſua concedi haud debet, ſiquidem ſenilior ætas in tali exorbitantia non ſemper cum moderamine acquieſcit, unde rectius præſtat in tali caſu naturam ſublevare & tempeſtive avertere, ne accidentales quædam pernicies ſuperveniant; quare ab utroque latere hujus Hæmorrhagiæ cura cum eximia prudentia & dexteritate adminiſtranda eſt.

§. V. Quo itaque hujus affectus cura magis ſcite, perite, ſecure & fructuoſe exerceatur, cavendum eſt, 1) a confuſis & ſimultaneis miſſionibus ſangvinis curatoriis 2) a neglectis aut confuſis ſubtractionibus ſangvinis præſervatoriis 3) a quibuslibet fortioribus aliis evacuationibus 4) a negligentiori conciliatione & poſitiva perturbatione negotii hæmorrhoidalis 5) ab uſu fortiorum & præmaturorum adſtringentium 6) a remediis communibus & ſuſpectis narcoticis 7) a vulgatis nervinis & roborantibus 8) ut & aliis calefacientibus concentratis, acribus & ſpirituoſis medicamentis 9) a poſitivis refrigerantibus & fortiter incraſſantibus 10) a concentratis Therebinthinatis, juniperinis, ſuccinatis, aniſatis & oleoſis ſulphuratis 11) a crasſioribus aloeticis & denique 12) ab iniquo & turbulento regimine.

§. VI. In cura Mictus cruenti ſequentes valent indicationes 1) ut generales offenſiones auferantur 2) ut motus excretorii temperentur & leniantur 3) ut pro necesſitate urgente viæ moderatæ incraſſentur & conſtringantur 4) ut ſub affectus contumacia motus convenienter ſedentur, aut per ſpecifica cohibeantur 5) ut poſt cohibitam hanc Hæmorrhagiam viæ affectæ repurgentur & roborentur 6) ut denique præſervatio ita ordinetur, prout fundamentali cauſæ præſentis affectus competit, quo hunc Mictum cruentum non alia & quidem periculoſiora pathemata excipiant.

§. VII. Antequam ad poſitivam curam hujus affectus acceſſus inſtituatur, ſeponi prius debent illa offendicula, quæ ullo modo hunc affectum ſuſtentare ſolent & ex illis primo occurrit præſentia & obhæreſcentia impuritatum bilioſarum in primis regionibus, quæ tempeſtive abſtergendæ ſunt, quo conveniunt adminicula Rhabarbarina, abſtinendo a poſitivis purgantibus & ſtimulantibus remediis: deinde interdum adeſt incommoda & tenax ſtrictura & occluſio alvi, quæ demulcenda & lenienda eſt, quo conveniunt

 clyſte-

clyſteres lenientes & remisſius roborantes, additis herbis Veronicæ, Matricariæ, Virgæ aureæ & oleis emollientibus: quamdiu enim utraque cauſa adeſt, tamdiu motus excretorii inſolentiores & contumaciores eſſe deprehenduntur.

§. VIII. Proxime ad motus præſentes excretorios acceſſus inſtituendus eſt, qui per initia modeſtius tractandi & leniendi, demulcendi atque temperandi ſunt; lenitio adminiſtranda eſt per emulſiva, lacticinia, juſcula gelatinoſa, decocta mucilaginoſa & Infuſa calida, nec non Elæoſacchara lenientia: Temperatio præſtanda eſt per abſorbentia & nitrata, quæ motus congeſtorios tranquillant, ne in primo impetu continuent & talia quidem remedia repetitis vicibus ordinanda ſunt, ſicut pro eodem ſcopo gelatinæ & domeſticæ culinares & pharmacevticæ non parum conducunt.

§. IX. Interdum gravitas affectus poſtulat, quo efficacior viarum incraſſatio, aut promptior conſtrictio adminiſtretur, quæ utraque actio vero non præmature committi debet, niſi affectus gravitas eandem urgeat; incraſſatio perficitur per remedia mucilaginoſa, aut per gummata hujus indolis, velut eſt Tragacantha, Gummi Arabicum, Ceraſorum, Thus, Maſtix; adſtringentia vero ſint ſelectoria, quæ ipſa etiam caute ordinari debent, quo nomine conveniunt Croci Martiales, Zvvelferi, Ludovici, Stahlii, aut Tinctura Martialis tartariſata Ludoviciana, vel Tinctura Corallorum; cavendo ne adſtrictio ſimul & ſemel excitetur, ſed potius mitiori effectu præſtetur, quemadmodum cum talibus adſtringentibus ſubjectis vel temperantia conjungi debent, vel talia prioribus interponenda ſunt.

§. X. Interdum necesſitas poſtulat, quo ad contumaciam præſentis affectus refrenandam ſelecta ſedativa, aut ſpecifica remedia cum prudentia uſurpentur; e priorum numero excluſis ſimpliciter opiatis ex Chaccarilla parata remedia aut Semen Papaveris albi Emulſionibus commixtum conveniunt; e poſteriorum claſſe conducit Millefolium, Equiſetum, Urtica minor, Virga aurea, quæ in decoctis additis reſolventibus & roborantibus uſurpata proſunt, ſicut aliqua illorum vel in pulvere, vel in ſucco itidem conveniunt, modo poſt illorum uſum & ſperatum effectum temperantia & diſcutientia remedia adhibeantur.

§. XI. Quando itaque hæc Hæmorrhagia ceſſat tunc circa exitum curæ partes roborari & ab inhærentibus quibusdam reliquiis ſangvineis repurgari debent: Roboratio fiat per uſum Mixturæ uſitatæ tonicæ, aut per Eſſentias Pimpinellæ albæ, Caryophyllatæ, Succini, Gentianæ rubræ & Corticis aurantiorum, aut per Elæoſacchara cum exiguis guttulis olei deſtillati mixta, quo præcipue oleum Corticis aurantiorum & citri ſpectant: viarum repurgatio

tio adminiſtranda eſt per oblationem pilularum modeſtius aloëticarum additis extractis amaris & Gummatibus quibusdam balſamicis, aut exilisſima quantitate balſami exotici mundificantis: cum quibus ſingulis remediis tamen juſta temperies ſervanda eſt, ne ullus exceſſus committatur: de reliquo etiam proſpicere convenit, ne alvina excretio ſubſiſtat aut deficiat.

§. XII. Et ſi tota cura perfecte abſoluta fuit, tunc præſtat futuris ſuccesſibus providere & congruam præſervationem ordinare; in hac præcipue confert præoccupare, ne ejusmodi motus hæmorrhagici denuo inſultent, unde præſervatoria Venæ Sectio & ſubordinanda hirudinum applicatio ad hæmorrhoidalia loca exquiſite conveniunt: Et ſi e conditione circumſtantiarum posſibile eſſe comparuerit, quo moderate hæmorrhoidalis fluxus reſtitui posſit, tunc pro hac intentione prudens & modeſta methodus applicanda eſt: de reliquo talibus ſubjectis commendari debet continentia animi, abſtinentia ab omni intemperantia, ut & a libidine, diæta ſit mollis, non valde ſpirituoſa & aromatica, alvina excretio ſit conſtans; evitentur vulgata famoſa domeſtica remedia aloëtica concentrata, therebintinata & aniſata, mobile vitæ genus ſit modeſtum, vitando nimiam concusſionem inferioris regionis corporis; abſint ſpirituoſæ & multæ ingeſtiones, ex quibus ſingulis talibus & ſimilibus cauſis anomalici motus hæmorrhoidales immodeſtius exacerbantur.

§. XIII. Si contigit, ut Cruentus Mictus a cauſa violenta ortum traxerit, tunc dijudicandum eſt, an effectus illius cauſæ fuerit corroſivus, ſicuti per ſtimulantia & acria, velut per uſum Cantharidum Cruentum Mictum excitatum fuiſſe experientia teſtatur; in quo paſſu conducunt lenientia, lacticinia, emollientia oleoſa interna, mucilaginoſa & gelatinoſa; ſubjunctis ſelectis cohibentibus & incraſſantibus: ſi a gravi contuſione ortus fuerit, tunc præter oblationem Cataplaſmatum nervinorum, diſcutientium & moderate adſtringentium pectinis regioni applicandorum, interne conveniunt pulveres ex Coralliis rubris præparatis, Cornu cervi uſto, ſpeciebus de Hyacintho, Nitro depurato præparati, ſubjunctis decoctis ex herbis Veronicæ, Fœniculi, Scordii, Cardui benedicti, Millefolii, Saniculæ, Virgæ aureæ, Agrimoniæ, Corticibus Aurantiorum, Citri, Cinnamomi paratis, proſpiciendo, quo alvus aperta maneat & quo poſt cohibitum talem ſangvinis fluxum prædictæ pilulæ abſtergentes ordinentur: ſi a nimia Venere ortum traxerit, tunc conveniunt pulveres ſic dicti præcipitantes nitrati, abſorbentes, Coralliati, ſubjuncta Tinctura Corallorum, quo etiam conveniunt ſubtiles Croci martiales vel antimoniati, vel alii, quo adhuc Caput mortuum, ex ſublimato hæmatite exiguis granis cum abſorbente remedio mixtum, ſpectat.

CAPUT XV.

DE
SUDORE SANGVINIS.

§. I.

LIcet hic affectus in hiſtoria practica infrequentius occurrat, tamen pro completo praxeos ſtudio illius hoc ordine mentio injicienda erit, dum ad Hæmorrhagiarum ſpecies & extraordinarios quidem caſus refertur; in quo affectu æque ſingulares circumſtantiæ ponderandæ ſunt, ne craſſæ, fortuitæ, turbulentæ & confuſæ cauſæ juxta vulgarem modum accuſentur, ubi ſecundum communem pathologiam præſens talis affectus omnino frequentius occurrere poſſet, imo etiam deberet, ſed cum ad inſolitas naturæ vias accenſendus ſit, ita ex eo illius infrequentia tanto magis illuceſcit.

§. II. Et quemadmodum hic Sudor ſangvineus vel univerſalis, vel particularis eſt, ita ad utriusque verum fundamentum & genuinam cauſam animus & attentio dirigi debet, quapropter eundem non nude & ſimpliciter raritate & ſenſibilitate ſangvinis niti affirmo, ſed potius a ſingulari naturæ directorio dependere demonſtro; ſiquidem tota hiſtoria medica variis phœnomenis teſtabitur, quomodo hic ſudor vel præſenti ſtatui plethorico, vel aliis quibusdam motibus & fluxibus hæmorrhagicis reſpondeat; eaque propter eundem pro vicaria ſangvinis ſuperflui exoneratione agnoſco, pro cujus actuali ſucceſſu reliquæ circumſtantiæ ita conſentiunt, prout intentioni materiæ & effectui conveniunt, cum alias ſangvis licet extreme fluidus ſit, non tam facile, uti quidem vulgo creditur, e peripheria corporis effluere poſſet.

§. III. Ob id admodum refert etiam in hac Hæmorrhagia provide obſervare, prudenter æſtimare & perite tractare motus naturæ ad talem ſcopum deſtinatos & connexam primariam Hæmorrhagiæ ſpeciem, cujus levamini hæc ſecundaria, nimirum ſangvinis ſudor, exercetur; licet quidem in hoc negotio æque habilitas & proportio, ſive mobilitas ſangvinis ad hunc motum & effectum ſubeundem conſiderari debeat, ita ut perinde ſufficiens ſangvinis fluiditas & ſubtilitas pro tali effectu neceſſaria ſit: proinde etiam ex illa circumſtantia ſingularis naturæ activitas, intentio & deſtinatio agnoſci poteſt, quoniam utplurimum talia ſubjecta, quæ hoc affectu laborant, non ſegnioris & torpidioris indolis, ſed potius calidioris & agilioris temperamenti ſunt.

§. IV. Fruſtra itaque diu immoramur in dyſcraſia & cacochymia, ſive univerſali, ſive ſcorbutica ſanguinis accuſanda, cum præcedentes reſpectus ſolidiores & hiſtoriæ magis quadrantes conſiderationes ſuppeditent & mirum omnino eſſet, cur hæc hæmatopnoës non frequentior ſit in hiſtoria practica, cum tamen juxta communem pathologiam terribiles illæ dyſcraſiæ ſanguinis, tanto magis vero ſcorbuticæ, adeo frequentes eſſe reputentur: ob id in applicatione medico practica magis ad reales, quam imaginarios reſpectus cauſales advertere convenit, licet qualiscunque ſimplicior relatio, in ſanguine occurſans, videlicet ſingularis ipſius fluiditas, æque in uſu therapevtico recte conſideranda & dextre tractanda ſit.

§. V. Et quo inſolita & ſingularis hæc ſanguinis profuſio rite & perite tractetur, cavendum eſt 1) a confuſis artificialibus ſanguinis ſubtractionibus 2) a qualibuscunque aliis impetuoſis evacuationibus 3) a negligentioribus promotionibus ordinariarum excretionum 4) a negligentiori conciliatione ſtatus plethorici aliarumque primariarum Hæmorrhagiarum connexarum 5) a repentina hujus ſudoris ſuppreſſione 6) a potentioribus & præmaturis adſtringentibus remediis interne & externe oblatis 7) a remediis valde incraſſantibus 8) a medicaminibus poſitive & multum refrigerantibus 9) ab ordinatione remediorum antiſcorbuticorum 10) a medicamentis, tantum ad dyscraſiam ſanguinis corrigendam, directis 11) a craſſis narcoticis & liberali aut diuturno uſu ſelectorum anodynorum 12) a remediis calidis acrioribus nervinis & humores atque vias valde commoventibus.

§. VI. Præſentis affectus cura variis indicationibus congruis abſolvitur 1) enim ordinariæ & neceſſariæ excretiones promoveri debent, ſi ullo modo deficiunt 2) inſoliti tales motus atque exitus leniendi, temperandi, coercendi & ſedandi ſunt, ne vias tales incongruas ultro proſequantur 3) ipſi humorum maſſæ aliqua proportionata conſiſtentia induci & conciliari debet, ne propter nimiam ſuam fluiditatem extraordinariis talibus motibus atque viis obtemperent & denique 4) juſtum regimen præſcribere convenit, ita tamen, ut reliqui motus & exitus hæmorrhagici cum hoc affectu conſentientes bene obſerventur & perite tractentur.

§. VII. Quando ad curam hujus affectus acceſſus & præparatio inſtitui debet per legitimam ordinariarum excretionum promotionem, reſtitutionem & provocationem, tunc multum confert attendere ſucceſſum evacuationis alvinæ, ſiquidem hujus qualiscunque perturbatio ad diverſas anomalias hæmorrhagicas invitat & ſeducit: quodſi etiam alvus liberata fuerit, tunc una urinæ excretio ordini ſuo reſtituitur: propterea præſtat per auxilia Rhabarbarina, Paſſulata, Prunata, Tamarindinata alvum aperire & ſi inſolitæ ſtricturæ

ræ & ſiccitates concurrunt, aut unà retentæ flatulentiæ angunt, tunc conferunt clyſteres emollientes & remisſius roborantes: deinde providendum eſt, quo alvina talis excretio conſtanti libertate gaudeat, neque denuo perturbetur.

§. VIII. Imo præſtat, quando alvus aperta quidem eſt, per modum alicujus diverſionis, modeſtam laxationem ordinare, ubi mitiora & correctiora aloëtica, Extractum Panchymagogum Crollii, Salia tartariſata, Sal Epſomenſe, Magneſia alba & ex paſſulis & prunis parata laxantia pro hoc ſcopo conveniunt; qualis laxatio tam in principiis hujus affectus quam circa illius exitum repeti poteſt; proinde omnis impetuoſa commotio & ſtimulatio excludenda eſt, licet poſt laxantis remedii uſum denuo per lenientia adminicula proſpicere conveniat, ne alvus occludatur.

§. IX. Directe & proxime ad præſentis affectus Curam ſpectat, quo excretio hæc & conjuncti motus primo leniantur, id quod commode fit per lacticinia, ſerum lactis, nec non per emulſiva, ſine refrigerantibus ſeminibus paranda; quo itidem juscula gelatinoſa conveniunt, nec non ipſæ gelatinæ; ſicut hoc reſpectu Julapia ex decoctis mucilaginoſis & paſſulatis, Gelatina Cornu cervi & Syrupo Papaveris conducunt: deinde conjungenda ſunt temperantia, ſive abſorbentia ſimpliciora, ſive cum acidis ſaturata, nec non nitrata commixta remedia, qualia repetitis vicibus offerenda ſunt & quæ ipſa leniori methodo motus inſolitos & exacerbatos mitigant & complacant.

§. X. Quando præſens affectus præcedentium remediorum uſui haud obtemperat, tunc conveniunt remedia ſelecta cohibentia ſive tonica ex Marte parata, ſive ad abſorbentium indolem ſpectantia, ad quæ poſteriora pertinent Corallia rubra, Cornu Cervi Uſtum, Species de Hyacintho; ad priorem claſſem pertinent Croci Martis nobis uſitati, Tincturæ Martiales, Tinctura Corallorum, quæ ſingula cum juſta temperie exhibenda ſunt: quid quod licet urgente neceſſitate ſelecta ſedantia conjungere, videlicet Cinnabarin, papaveracea ſimpliciora, Maſſam Pilularum de Cynogloſſa & ex Cortice Chaçcarillæ parata.

§. XI. Interdum accidit, ut Sudor hic Sanguineus multum nitatur ſubtilitate & fluiditate ſanguinis, quæ propterea magis reſpondet motui excretorio, unde præſtat hanc ſubtilitatem quadantenus corrigere & aliqualem conſiſtentiam maſſæ ſanguineæ inducere, propterea conveniunt auxilia mucilaginoſa, emulſiva & acidulata, quemadmodum uſus Mixturæ ſimplicis non incongruus eſt, illa tantum circumſpectio ſervanda erit, ne vel ſimul & ſemel, vel immodice hæc humorum incraſſatio adminiſtretur: proinde præſtat ab extra quantisper ſubvenire, quo ſuperficiei quadantenus relaxatæ, aliqualis tonus

tonus reſtituatur: cavendum tamen eſt, ne ſubito repellentia adminicula adhibeantur, neve talia ordinentur, quæ ad expanſionem orgaſticam ſanguinis contribuunt, unde rectius inſeſſus tepidos ex ſpeciebus nervinis & modeſte tonicis paratos commendo.

§. XII. Quo vero hic Sudor ſanguineus ſecurius & benignius ceſſet, neque damna quædam poſt ſe trahat, præſtat bono conſilio ſuccurrere, quod regimen juſtum & congruam præſervationem concernit: quoad prius ita affecti patientes ab omni commotione & expanſione ſanguinis abſtineant, ſed potius quieti & continentiæ indulgeant; ſubinde etiam regimen externum calidum excludant, per intervalla temperatiora analeptica auxilia conſerant: quoad præſervationem conveniunt Venæ Sectiones temporibus præſervatoriis adminiſtrandæ, deinde reliquarum ordinariarum evacuationum modeſtæ promotiones, nec non primariarum ſalutarium Hæmorrhagiarum placidæ reſtitutiones: neque contemno moderatum uſum acidularum temperatarum & denique animus in bona continentia & tranquillitate conſervetur, nimia commotio corporis evitetur; haud vero ſedentaria vita ſervetur, ſed in omni rerum non-naturalium uſu moderamen ſeligatur.

CAPUT XVI.

DE

CRUENTATIONE GINGIVARUM.

§. I.

QUanquam hæc ſpecies Hæmorrhagiæ levis & vix ita digna videatur, quo uſibus & concurſibus artificioſis medicis ſubjiciatur, dum non modo frequenter contingit, ſed & facile tranſit, neque communiter vel nullum incommodum aut periculum involvit, tamen cum in hiſtoria practica etiam ejusmodi ſpecies Cruentationis Gingivarum occurrant, quæ prodigæ & immodicæ ſunt, adeoque actuale quoddam periculum includunt, ita de tali ſpecie Hæmorrhagiæ, quæ poſterioris claſsis eſt, hoc ordine tractare conveniet, quo ſerente occaſione eidem condigne ſuccurrere queamus, neve ex aliquo craſſo conceptu contra concurrentes ſenſibiles circumſtantias impingamus.

§. II.

§. II. In tali affectu communiter occurrunt illæ neceſſariæ obſervationes in ſubjecto inſtituendæ, quomodo præſentia ſanguinis abundantioris & proclivitas ad inſolitas commotiones plethoræ ſubinde ad talem dentium Hæmorrhagiam contribuant, ubi una concurrit discreta ſenſibilitas in ſubjectis ita affectis, aut etiam diſpoſitio ad ſubeundos apparatus, vel actuales largiores ſucceſſus hæmorrhagicos, ita ut ejusmodi circumſtantiæ collectim ſumtæ facile denotent, quomodo talis cruentatio non penitus paſſiva aut tumultuaria exiſtat, ſed peculiaribus reſpectibus Hæmorrhagiarum ad certum finem inſtitutarum accenſeri mereatur.

§. III. Exinde iterum inculco, quod in tali affectu prudens artifex animum non tam ad viſibilem craſſum affectum atque nudum fluxum dirigere debeat, ſed quo ſedulo obſervare, conciliare & dextre etiam tractare debeant motus ab intra concurrentes & talem profuſionem ſanguinis urgentes, augentes, inducentes & abſolventes, quibus motibus natura præſentem aperturam, undecunque etiam inductam, ita proſequitur, ut hunc exitum peculiari activitate ſeligat & amplectatur, & ſanguinem abundantem moleſtum & variis commotionibus expoſitum notabili quantitate evehere & deplere contendat.

§. IV. Quo itaque Hæmorrhagia rationabiliter & perite tractetur, opus eſt circumſpectione, quæ ſequentibus cautelis comprehenſa eſt 1) abſtinendum eſt a ſubitanea præſentis Hæmorrhagiæ ſuppreſſione 2) a remediis fortius adſtringentibus 3) ut & a medicamentis ſenſibiliter corroſivis & ſepticis 4) a præmaturo uſu actualis cauterii 5) ab immoderata & nimis profunda cauteriſatione 6) a remediis externis ita ſtimulantibus, quo humorum affluxum magis provocent 7) a negligenti tractatione internarum commotionum 8) ab otioſa promotione neceſſariarum & ordinariarum evacuationum 9) a minus ſollicita conciliatione ſtatus plethorici 10) a remediis internis calefacientibus & impellentibus 11) ut & a nervinis ſpirituoſis concentratis & denique 12) a ſuſpectis narcoticis.

§. V. Quod Therapiam præſentis Cruentationis Gingivarum concernit, tunc illa triplici indicatione abſolvitur 1) ut motus ab intra concurrentes immoderatiores congeſtorii tranquillentur 2) ut effluxus ſanguinis in loco affecto ſecure cohibeatur; minime vero ſimul & ſemel ſuffocetur, aut per inconſulta tentamina opprimatur & 3) ut in futurum præoccupetur, ne anotericæ tales congeſtoriæ commotiones denuo invadant & aliis affectibus partium ſuperiorum congeſtoriis, inflammatoriis, ſpaſticis & rheumaticis anſam præbeant.

§. VI.

§. VI. Quoad primam indicationem expedit ante omnia obſervare & inquirere, an ordinariæ evacuationes liberæ & non impeditæ ſint; quodſi itaque contigerit, ut alvus obſtructa aut ſegnis fuerit, tunc eandem leni laxatione promovere convenit, quo vel Rhabarbarina auxilia, vel Pilulæ modeſte aloëticæ conducunt; deinde confert motus congeſtorios temperare per remedia abſorbentia, nitrata, coralliata & lenire in ſubjectis ſenſibilioribus per emulſiva atque diluentia; ſedare vero quando neceſſitas poſtulat per Cinnabarina aut Maſſam Pilularum de Cynogloſſa; quemadmodum potiunculæ ex aquis reſolventibus, Syrupis acidulatis atque Papaveris rhæados paratæ hisce motibus componendis quadrant.

§. VII. Quod externam hujus Hæmorrhagiæ cohibitionem attinet, tunc minime conveniunt ſimplicia & fortia adſtringentia, ſed potius incraſſantia, glutinoſa & elubricantia præferri merentur: inter alia vero ſubtilioris tonicæ efficaciæ remedia confert Spiritus Vini rectificatus; ex incraſſantibus conducunt Gummi Arabicum, Ceraſorum, Tragacantha, Thus, Maſtix, Ichthyocolla, Albumen ovi, qualia cum remediis remisſius adſtringentibus, aut aliis parca doſi admixtis in maſſulam aliquam, aut linimentum converti posſunt; uti in hoc caſu ſimul conducit Aloës, Alumen, Oleum hypericonis, Sanguis draconis, Acetum quæ ſingula in parca quantitate prioribus conjungenda ſunt: quodſi denique affectus valde deſperatus fuerit, tunc actuale cauterium, cum prudentia tamen, ad affectum locum adhiberi poteſt.

§. VIII. Quando itaque hæc Hæmorrhagia tali modo mitigata & cohibita fuit, tunc in futurum præcavere convenit, ne ulterius tales immoderatæ commotiones ſanguinis congeſtoriæ caput, aliasque ſuperiores partes offendant, ob id in fœminis præcipue proſpicere convenit, ne menſium negotium aliquas turbas & anomalias patiatur, aut, ſi quædam perverſiones menſium actu adfuerint, convenit easdem emendare; de reliquo præſervatoriæ Venæ Sectiones in pede, nec non liberi ſucceſſus alvinarum excretionum conducunt; ſicut interdum moderatæ laxationes ordinari debent, inſuper vero omnia illa adminicula concilianda ſunt, quæ ad juſtum ſangvinis abundantis regimen ſpectant & frequentius in ſuperioribus tractationibus propoſita & commendata proſtant.

CAPUT XVII.

DE

NIMIO LOCHIORUM FLUXU.

§. I.

IN numero ſanguinearum morbidarum profuſionum interdum medicum concurſum & auxilium poſtulant *Lochia*, quando nimium & excesſive ſuccedunt, qualis exceſſus vel ſimultaneus eſt, vel diuturniori continuatione hujus fluxus abſolvitur, qui ipſe vero eo citius perniciem aliquam minatur, quo magis aliæ circumſtantiæ conjunctæ ſunt, velut prægreſſum puerperium, gravis virium proſtratio, orgaſtica ſangvinis commotio & eximia interna dilaceratoria læſio, quæ omnes concurrentes rationes eo magis eventus ſuſpectos, ſiniſtros aut plane funeſtos accelerant.

§. II. Dum hic caſus in hiſtoria medica non penitus rarior exiſtit, ita illius notitia eo magis inculcanda eſt, quia in eodem tot ſontici reſpectus concurrunt, qui in aliis Hæmorrhagiis uterinis deſunt: maxime vero confert Lochiorum ſucceſſus ab actuali illorum exceſſu diſcernere, ſiquidem longe melius eſt, ſi Lochia ſufficienter fluunt, quam ſi parcius procedunt; quapropter liberaliorem Lochiorum ſucceſſum minime offendere & ſupprimere decet; eo minus vero, quando fœminæ alias inſigniter plethoricæ, aut quando antehac facilioribus, frequentioribus & majoribus plethoræ commotionibus expoſitæ fuerunt, aut quando olim liberaliores menſtruæ profuſiones ſucceſſerunt; tanto magis vero ſi ante partum inſignes quædam plethoræ agitationes præceſſerunt, quas circumſtantias tam in Pathologia, quam in Therapia artifex bene annotare, æſtimare, deliberare & dirigere debet.

§. III. Exinde facile colligere licet, quomodo Lochia non abſolute propter continuitatis læſionem decurrant, ſed quod per concurſum motuum congeſtoriorum ad efficaciorem moleſtæ plethoræ depletionem directorum abſolvantur, unde etiam artifex ad hosce comitatus activos curatius reſpicere debet, neque ita repente largiores fluxus Lochiales ſuffocare, quia in tali paſſu non modo commotam naturam, ſed & commotam plethoram graviter offendit & ad repentinas pernicioſas conſecutiones occaſionem ſubminiſtrat, præprimis cum e nimio Lochiorum ſucceſſu non tanta & tot prava conſectaria extimeſcenda ſint, quam ex actuali illorum defectu.

§. IV.

§. IV. Et quo magis rationabiliter & prudenter in Lochiorum Excedentium cura artifex procedat, ita maxime neceſſe eſt, quo præter primariam hanc motuum congeſtoriorum disquiſitionem ſubinde aliæ cauſæ bene colligantur, quando videlicet gravis ſpumefactoria ſangvinis commotio concurſat, aut eximia abundantia ſangvinis in fœmina adſuit &c. quemadmodum in toto hoc ſtatu negotia ita dirigenda ſunt, ne ſub exçeſſus directione reliquus ſalutaris ſucceſſus offendatur, quoniam ex ſimultaneis converſionibus exceſſivorum fluxuum in actuales ſuppresſiones repentinæ & plane extremæ noxæ metuendæ ſunt.

§. V. In hoc nimio Lochiorum fluxu ſedulo cavendum eſt 1) ab omni vehementiori tentamine Therapevtico, quoniam Puerperæ non illud ſubjectum ſunt, in quo experimenta talia ſecure inſtitui poſſunt 2) ab omni immoderata evacuatione, ut & 3) ab ordinariarum excretionum turbatione & obſtructione 4) a repentina Lochiorum ſuppresſione 5) ab uſu remediorum valde incraſſantium 6) a ſuſpectis narcoticis 7) ab interna Caſtorinorum ordinatione 8) a remediis vulgatis uterinis 9) ut & ab aliis nervinis concentratis & acribus 10) ab externis ſenſibiliter & efficaciter repellentibus 11) a quibusvis remediis calefacientibus & denique 12) a perverſo regimine.

§. VI. Quare rectius in Therapia hujus excesſivi Lochiorum fluxus hæ indicationes applicandæ & exercendæ ſunt 1) ut fœminæ ad futurum juſtum Lochiorum fluxum præparentur 2) ut inconvenientes & immoderati motus emendentur 3) ut prodigus fluxus urgente necesſitate ſecure coërceatur 4) ut virium præſentium congrua ratio habeatur & juſtum regimen præſcribatur & denique 5) in futurum proſpiciatur, ne ex immodico hoc Lochiorum ſucceſſu aliqua incommoda aut frequentia pathemata oriantur.

§. VII. Præparantur vero fœminæ ad legitimum Lochiorum ſucceſſum, quando in plethoricis ſubjectis & quæ facilioribus turgefactoriis ſangvinis commotionibus obnoxia ſunt, proxime ante partum moderata Venæ Sectio inſtituitur, ut & quando ex inteſtinis impuritates bilioſæ per Rhabarbari uſum educuntur & eo ipſo alvus legitime aperitur, nec non, quando proxime ante partum & mox poſt illum remedia temperantia exhibentur, quæ orgaſticam ſangvinis commotionem præoccupant, qualia ſunt abſorbentia, coralliata & parcius ſalina, cavendo, ne ſalium abſterſivorum magna quantitas offeratur.

§. VIII. Quando jam excesſivi Lochiorum fluxus adſunt, tunc convenit concurrentes motus excedentes qualitercunque lenire, temperare, corrigere & ſecure ſedare: ante omnia inquirendum eſt, an alvus libera & aperta ſit, quæ, ſi ſegnis, ſicca aut obſtructa fuerit, per clyſteres lenientes, oleoſos,

emollientes & parcius roborantes promoveri debet, quemadmodum in hoc ſtatu Pilulæ Stahlianæ partim huic liberationi excretionis alvinæ, partim mitigationi immoderatorum motuum proſpiciunt: ab aliis alvum moventibus, aut plane irritantibus ſollicite abſtinendum eſt.

§. IX. Deinde conveniunt auxilia lenientia, diluentia humectantia, decocta mucilaginoſa & parcius roborantia, ut & emulſiva; porro conjungi poſſunt temperantia uſitata abſorbentia & nitrata, quæ motuum exceſſum mitiori gradu emendant & cum hisce interdum ſecura & ſelecta ſedativa combinari debent, inter quæ in hoc paſſu præcipue Chaccarillam commendo; denique ad motuum horum correctionem quadrant interna temperata reſolventia & roborantia, ut ſunt Eſſentiæ discutientes & roborantes, paucis tamen guttulis exhibendæ, quibuscum irregulares commotiones, in inteſtinis occurrentes, corriguntur.

§. X. Quando immoderatus Lochiorum ſtatus inſiſtit atque urget, tunc tonica remedia, modeſta tamen quantitate, ordinari poſſunt & quidem in hoc caſu uſus Millefolii prudens admittitur, nec non Tinctura Corallorum, Species de Hyacintho, Tincturæ Martiales Tartariſatæ abunde ſatisfaciunt, ut potentioribus adſtringentibus opus haud ſit; hisce vero cum cura interponenda ſunt remedia prædicta temperantia & roborantia, imo inſuper invigilandum eſt, ne alvus occludatur, quid quod hæc indicatio ita dirigi debet, ne exinde repentina Lochiorum oppresſio oriatur.

§. XI. Ad cohibendum nimium Lochiorum fluxum conferunt etiam ſpiritus volatiles, tunc demum exhibendi, quando prægreſſus impetus nimius quantisper mitigatus fuit; præterea in fœminis ſenſibilibus & animo mollibus ad Lochiorum cohibitionem conveniunt ligaturæ digiti, aut etiam geſtatio Bufonis exſiccati: & quanquam a quibusdam etiam Lapis Hæmatites & Jaspis rubra manibus detinenda ordinentur, tamen hæc experimenta non niſi in credulis & ad imaginationem atque perſvaſionem promptis ſubjectis interdum ſperatos effectus exſerunt.

§. XII. Sed cum ſub exceſſivo Lochiorum fluxu ob concurſum tam variarum circum[illegible]arum vires admodum concidant, ita pro illis aliqua medela ordinanda eſt: haud vero conveniunt remedia potentiora & concentratiora, ſed ſimpliciora, quemadmodum diætetica roborantia plus proſunt, quam pharmacevtica, quo ſpectant Juscula modeſtius aromatiſata & citrata, lacticinia, emulſiva, pultacea, amygdalata; parcus uſus Cinnamomi aliaque, quæ primis viis nullas turbas conciliant; cum quibusdam adminiculis conferri posſunt Eſſentiæ roborantes modeſte carminativæ, ita ut & corpori & ſenſui tali roboratione condigne ſuccurratur.

§. XIII.

§. XIII. Proinde hoc exceſſivo Lochiorum fluxu affectæ juſto indigent regimine, quod præcipue in hisce circumſtantiis comprehenſum eſt, ne ab intra & extra puerperæ nimio & anxio calore offendantur, neve vicisſim actuali refrigerio afficiantur: concedendus eſt potus bene defæcatus & non admodum ſpiſſus, cum tantillo citri vel Nucis Moſchatæ mixtus: Cibi ſint molliores & ita comparati, ne ullas turbas in primas regiones inferant: quando maximus impetus præteriit, tunc parcus uſus vini boni non denegandus eſt; deinde convenit requies animi & corporis & abſtinentia a quibusvis arduis functionibus.

§. XIV. Quando hic exceſſus denique ceſſavit, tunc in futurum invigilare convenit, ne aliquæ offenſiones remaneant, unde imprimis poſtea in diæta & reliquo vitæ genere ordo ſervari inſuperque præoccupari debet, ne menſium negotium turbulentis ſucceſſibus ſubjiciatur; neque poſt talem Hæmorrhagiam nimium deſidiæ indulgere convenit, neque tamen vicisſim gravioribus animi & corporis commotionibus ſeſe exponere debent fœminæ: abſtineant etiam a carnali cohabitatione, ne confeſtim loca uterina irritentur; quid quod ab internis exæſtuatoriis commotionibus ſeſe ſubtrahant, quo ſub reliquo congruo ordine functiones vitales leniter & juſte decurrant.

§. XV. Denique paucis placet reminiſci illius communis auxilii practici in nimiis Hæmorrhagiis, quod propterea ad Lochiorum exceſſum utplurimum applicari ſolet, videlicet quando per Venæ Sectionem aliqua alteratio inducitur, quam artificialem ſangvinis ſubtractionem non æque ſub reliqua commendata methodo adeo neceſſariam eſſe æſtimo, niſi in extremo quodam caſu quisquam illam ſelegerit; unde potius mitiorem Therapiam commendo atque applico, quoniam hic motus per Venæ Sectiones nimias Hæmorrhagias compeſcendi variis difficultatibus obnoxius eſt, tanto magis vero in debilitatis puerperis, ut propterea circa uſum hujus auxilii prudentia opus ſit.

CAPUT XVIII.

De DEFECTU LOCHIORUM.

§. I.

LOnge plus involvit Lochiorum repentina ſuppresſio & magna imminutio, cum non modo largior fluxus nullum damnum inferat, ſed & exceſſus illorum non ita ominoſus ſit ac defectus, quippe qui æque ac aliæ

aliæ uterinæ Hæmorrhagiæ frequentius occurrit; deinde vero pathemata morbida gravia & ſuſpecta repente induci, nec non variis cauſis & occaſionibus, ut & alterationibus ſubjectus eſt, propterea hic præternaturalis ſtatus, in quo Lochia, quæ legitime & ſufficienter fluere deberent, ſubſiſtunt, tempeſtiva, prudenti, efficaci & convenienti medela opus habet, quo imminentia pericula eo certius & citius intercipiantur.

§. II. Eo magis periculoſum accidens eſt, quo magis repente Lochia turbantur & opprimuntur, quo magis ſimul & ſemel retinentur, quo magis fœminæ ſunt plethoricæ, quo magis partus præceſsit laborioſior, quo magis olim liberalibus ſangvinis fluxibus expoſitæ fuere, quo magis ſangvinis abundantia commota eſt, quo magis fœminæ activioris indolis ſunt, quo magis fœtus grandior fuit &c. ſub quibus circumſtantiis repentini & periculoſi affectus talia Lochiorum vitia excipiunt, qui communiter in acutam indolem delabuntur, & ob præcipitem ſuam invaſionem & progresſionem non raro neceſſariam & efficacem opem eludunt.

§. III. Neque quidem de eiusmodi defectivo Lochiorum vitio adeo crude judicare convenit, quaſi obſtructio quædam prima illius cauſa ſit; cum rectius ratione ordinis & conſecutionis talis obſtructio e Lochiorum oppresſione oriatur, quæ deinde variorum periculoſorum effectuum, quibus natura humana tam per inflammationem, quam per febrem reſiſtit, cauſa evadit, quæ cognitio eo inſervit, ne artifex in illam temeritatem conjiciatur, ut huic vitio omni impetu & vehementi impatientia reſiſtat, neve deinde in hac ſua moderata methodo ſtatum hunc periculoſum in majus periculum conjiciat.

§. IV. Ob id in Lochiorum defectu ratio habenda eſt, illorum reſpectuum activorum, id eſt, illorum motuum tonicorum, undecunque etiam alteratorum, qui in culpa ſunt, quo vel ipſa tota uteri textura, vel exitus uteri rigide occludatur, adeoque neceſſaria purgatio uteri opprimatur; unde Lochiorum fluxus non aliter reſtitui poteſt, niſi ejusmodi motus contrarii atque vitioſi corrigantur & id ipſum mature fieri debet, ne talis inverſio motuum proxime pravis illis conſecutionibus anſam præbeat: proinde etiam ſollicite providendum eſt, an talem motuum alterationem immaterialis ſubtilis pathetica, attamen ſummopere efficax, an vero crasſior & corpus magis concernens cauſa invitaverit.

§. V. Et quo hæc methodus Lochiorum defectui rationabiliter medendi juſte & dextre procedat, cavendum eſt 1) a confuſis misſionibus ſangvinis 2) a quibusvis fortioribus evacuationibus 3) a perturbatione & negligenti promotione ordinariarum evacuationum 4) a remediis impellentibus, calefacien-

cientibus & quæ hujus indolis ſunt 5) a regimine æſtuoſo, anxio & immoderato 6) a vulgatis uterinis remediis 7) præcipue ab interno Caſtorinorum uſu 8) ab aliis vulgaribus & craſsis narcoticis remediis 9) a nervinis ſpirituoſis & commoventibus 10) ab externa irritata partium uterinarum offenſione 11) ab interna motuum contrariorum majori irritatione & denique 12) a nimis retardata & præpoſtera medicatione.

§. VI. Quo præſens periculoſus ſtatus ex Lochiorum defectu imminens, dextre & tempeſtive curetur, ſequentes indicationes obſervandæ erunt 1) ut tempeſtive cauſæ generales, ad inferendam noxam aptæ, removeantur 2) ut motus, per quos Lochia turbata ſunt, legitime & efficaciter corrigantur 3) ut fluxus Lochiorum, ſi necesſitas poſtulat, poſitive reſtituatur 4) ut palmaria Symptomata tempeſtive leniantur & denique 5) ut juſtum regimen cum congrua præſervatoria mothodo ordinetur.

§. VII. In prima indicatione ſpecialis ratio habenda eſt harum circumſtantiarum, an Lochia ſimul & ſemel ſuppreſſa fuerint, an ſtatim in primis ſuis initiis oppreſſa ſint, an ſangvinis quantitas magna ſit, an motus ſangvinis orgaſticus concurrat, an olim ſanguis per menſtruas evacuationes copioſe & ſtrenue purgatus ſit, an febrilis commotio immineat &c. quibus circumſtantiis urgentibus præſtat tempeſtive Venæ Sectionem adminiſtrare, non quidem valde largam, attamen etiam non paucam, quid quod conſultius eſt in pede eandem celebrare; præterea proſpiciendum eſt, an alvus non turbata ſit, quæ ſi poſitive occluſa fuerit, tempeſtive per clyſteres emollientes & modeſte roborantes promoveri debet.

§. VIII. Secunda indicatio injungit præſentium & concurrentium motuum irregularium correctionem, quæ ſuccedit per moderatam lenitionem & per ſelectam temperationem, ut & per ſecuram roborationem; a narcoticis vero ſedulo abſtinendum eſt: & ſpecialiores operationes vel interne vel externe conveniunt, interne lenientem ſuam qualitatem exſerunt juſcula pingvia, decocta gelatinoſa & emulſiva: temperant vero remedia abſorbentia, nitrata, Coralliata & parcius Cinnabarina: roborant denique interpoſitæ Esſentiæ Pimpinellæ albæ, Caryophyllatæ, Helenii, Gentianæ rubræ, Corticum aurantiorum, herb. Meliſſæ cum additamento moderatæ quantitatis Tincturæ Chaccarillæ.

§. IX. Ab extra etiam lenientia, roborantia & ſelecta ſedantia adhiberi poſſunt, abſtinendo a diverſis ſuffimigiis & a ſuſpectis peſſariis ſtimulantibus, quin potius hoc loco commendo Cataplaſmata hypogaſtricæ regioni applicanda, aut ſacculos genitalibus imponendos & pro ejusmodi formulis conficiendis conducunt ſpecies temperatiores vegetabiles reſolventes,

ner-

nervinæ, roborantes; admiſceri poſſunt olea lenientia, ut & tantillum Camphoræ, Croci orientalis & Caſtorei, qualia adminicula longe ſecurius ſub conciliatione congrui regiminis motus perverſos emendant.

§. X. Quando hi motus irregulares ſufficienter mitigati ſunt, tunc vel ſua ſponte Lochia redeunt, quæ ſi ulterius reſiſtunt, tamen cum aliquo moderamine promoveri poſſunt & huc quidem ſpectant interna diluentia, infuſa calida, juſcula vinoſa, parcius crocata; huc conferunt Eſſentiæ reſolventes cum tantillo Eſſentiæ Croci remixtæ, proſpiciendum vero eſt, ne crocata remedia adhibeantur, quando æſtus quidam inſolitus adeſt: multæ utilitatis in hac indicatione ſunt Pilulæ balſamicæ Stahlii & in fœminis temperatioris indolis & paulo robuſtioribus parcus uſus Elix: P. P. concedi poteſt, ſiquidem communibus Eſſentiis alexipharmacis ſeorſim conjungi poſſunt Eſſentiæ Meliſſæ, Cinnamomi, Pulegii cum tantillo Artemiſiæ; ab extra vero conducunt pediluvia & fomenta vaporoſa ex herbis nervinis temperatioribus parata, providendo, quo in omni tali intentione & medicatione temperies & neceſſaria modeſtia adhibeatur.

§. XI. Præterea cum cura proſpiciendum eſt, quo præcipua & ſontica Symptomata maxime urgentia mitigentur, ita enim haud ſalutare eſt, ſi alvus eſt obſtructa, quæ propterea per clyſteres emollientes & moderate nervinos promoveri debet; quando æſtus febrilis adeſt, tunc conveniunt pulveres nitrati, abſorbentes & moderate coralliati, quando nimia cardialgia affligit, tunc conducunt clyſteres lenientes & pulveres antiſpaſmodici Cinnabarini; quæ remedia una cum conjuncto & ſubjuncto Chaccarillæ uſu conducunt, quando conatus vomendi ſuperveniunt: in gravi virium dejectione convenit modeſtum regimen & dilutioris emulſionis uſus: ſi caput affligitur, conducunt Clyſteres prædicti, pediluvia, frictiones pedum & pulveres antiſpasmodici, utpote quæ ſunt communia & palmaria pathemata, quæ cum Lochiis ſuppresſis coincidunt.

§. XII. Multum denique in tota hac cura valet congruum regimen, quod ita conſtitutum eſſe debet, ne valde anxium & æſtuoſum ſit, ſed præſtat etiam fœminas ab interno & externo ſenſibili refrigerio arcere, potus concedendus eſt ſufficiens, ſed talis, qui nullas turbas primis regionibus infert, cibus non eſt obtrudendus & animus qualicunque ſtudio componi debet: quodſi denique hæc afflictio debite percurata fuerit, tunc in futurum invigilandum eſt, quo menſtruæ purgationes juſte revertantur, ubi privativo ſtudio evitandæ ſunt illæ cauſæ, quæ vitia ex animo, regimine & diæta afferre poſſunt; poſitivo auxilio vero alvus in juſto ſucceſſu eſt conſervanda & per temperatum vinoſorum & aromaticorum uſum ſub mobili vitæ genere, animo

mo quieto, potu ſufficienti, pediluviorum & inſeſſuum uſu menſes promovendi ſunt, quemadmodum denique præſervatoriæ Venæſectiones in pede in hac indicatione etiam ſuam utilitatem conferunt.

CAPUT XIX.
DE
HÆMORRHAGIIS ABORTUUM.

§. I.

QUanquam in præcedentibus circa Lochiorum explicationem illa ſpecies Hæmorrhagiæ uterinæ pertractata fuerit, quæ partum legitimum atque maturum ſequitur, tamen hoc ordine dignum nobis viſum fuit, quo illam Hæmorrhagiam ſubjungam & exponam, quæ illegitimum & præmaturum partum excipit, adeoque cum abortu vel imminente vel facto decurrit, quæ quia tum de præſenti, tum in futurum ſpecialiores circumſtantias involvit, ita illius hoc ordine ſpecialis mentio occurrit, quo eo certius connexa particularia incommoda præoccupari queant.

Conf. Stablii Diſp. de Abortu & Fœtu mortuo.

§. II. Quod enim ipſam hanc Hæmorrhagiam attinet, tunc illa de præſenti antequam abortus perfecte ſucceſſit, (quando tamen aliqualis avulſio ſecundinarum contigit,) ob nimias ſpaſmodicas uteri commotiones ſatis vehemens, impetuoſa & exceſſiva eſt, ita ut non raro plus ſangvinis, quam in Lochiorum fluxu, profundatur, licet deinde, quando abortus perfecte factus, hæc impetuoſa profuſio quantiſper remittat; interim prægreſſa nimia Hæmorrhagia variis anomaliis anſam præbet, adeo ut talis facile pro exceſſiva Hæmorrhagia declarari poſſit, quæ ſub extraordinario tali actu, nimirum ſub præmaturo partu, certius in reliquam animalem œconomiam ſontica pathemata infert, unde talis abortus ſatis ſæpe longe plus difficultatis & damni excitat, quam verus & perfectus partus.

§. III. Quoad futuram conſecutionem vero ex ejusmodi Hæmorrhagia grave præjudicium in negotium conceptionis & geſtationis futuræ redundat, inde per præcedentem exceſſivum actum ita ſenſibilis redditur natura, ut

ſi nova conceptio contingit & ſangvinis abundantia adeſt, hæc ſub concurſu alicujus accidentalis commotionis iterum facile ad novum & repetitum abortum contribuat, inde in hiſtoria medica occurrunt teſtimonia abortuum, qui ter, quater, quinquies in una fœmina ſe invicem exceperunt, aut plane periodici facti ſunt: quales circumſtantiæ de aliis Hæmorrhagiis haud ita certo atque facile metuendæ ſunt.

§. IV. Exinde facile liquet, quomodo talis Hæmorrhagia abortuum non in nudis materialibus cauſis & ſimplici ſangvinis quantitate ſuperflua inquirenda ſit, ſed quod rectius ſenſibiles & ſingularis activitatis atque directionis motus in culpa ſint, qui in acerbiori gradu a natura adminiſtrantur, ſed ſubinde talem qualitatem in eadem relinquunt, quo in futurum in negotio generationis, geſtationis & partus variæ anomaliæ occurrant, quæ ex eadem motuum efficacia & impetuoſa adminiſtratione fluunt, ut propterea prudens artifex hujus circumſtantiæ bene conſcius & memor eſſe debeat, ne contrariis artificiis has exacerbationes motuum magis offendat & prædictis futuris incommodis magis patrocinetur.

§. V. Quo itaque hæc Hæmorrhagia rite & perite tractetur cavendum eſt 1) ab omni alia quacunque impetuoſa evacuatione 2) ab uſu remediorum impellentium & abortum immoderate præcipitantium 3) viciſſim vero a remediis fortioribus adſtringentibus & abortum retinentibus, ſed eo ipſo hanc excluſionem abortus turbantibus 4) a remediis quibusvis calefacientibus, acribus, ſubtilibus & concentratis 5) ut & a famoſis uterinis, quæ communiter acriora & potentiora exiſtunt 6) a vulgatis narcoticis medicamentis 7) ab interno Caſtorinorum uſu 8) a nimis multa & variabili medicamentorum oblatione 9) a conciliatione temerariæ & immoderatæ artis obſtetricatoriæ, 10) a nervinis valde commoventibus 11) a nimis præcipiti uſu adſtringentium remediorum poſt abortum 12) a qualicunque alio immoderato regimine.

§. VI. Pro ſecuriori & meliori præſentis Hæmorrhagiæ tractatione ſequentes indicationes exerceri debent 1) ut inevitabilis abortus modeſte promoveatur 2) ut concurrentes & continuantes motus immoderati emendentur 3) ut virium valde delinquentium ratio habeatur 4) ut in futurum præoccupetur, ne prædicta incommoda conſequantur, ſed quo negotium generationis ab omni accidentali perturbatione liberetur: quo ipſo etiam in tantum præcavetur, ne in utero ſuſpecta quædam concrementa oriantur, quæ futuris & abortibus & Hæmorrhagiis talibus anſam præbent.

§. VII. Cum præſentes Hæmorrhagiæ exacerbationes ſuas ex illis ſpaſmis nanciſcantur, qui ad fœtus abactionem tendunt, ita primum artificis officium erit, quo ſecura & temperata methodo imminentem abortum facilitet, ſi de eo certus eſt, quod fœtus conſervari nequeat & hæc promotio triplici modo fieri poteſt, vel per alvi modeſtam provocationem & lenitionem cum Clyſteribus emollientibus & modeſte roborantibus perficiendam, vel per uſum Pilularum genuinarum Becherianarum aut Stahlianarum, vel per motuum ſpaſmodicorum temperationem cum remediis uſitatis temperantibus & lenientibus exercendam, quo denique interna & externa modeſte roborantia pertinent, ut juſcula vinoſa parcius crocata & cataplaſmata lenientia, nervina & remisſius caſtorina.

§. VIII. Deinde vero ipſius Hæmorrhagiæ ratio habenda eſt, ut concurrentes immoderatæ commotiones leniantur, temperentur & modeſte ſedentur. Lenitio contingit per diluentia, pinguia & fluida ſua mucilagine efficacia: Temperatio perficienda eſt per pulveres Nitroſo-cinnabarinos & Coralliatos: Sedatio omisſis vulgaribus narcoticis per ſelectorum ſimplicium papaveraceorum, aut Corticis Chaccarillæ uſum præſtari debet: qualia remedia præcipue tunc majori cura ordinanda ſunt, quando abortus præceſſit, ubi inſuper ad ipſum fluxum immodicum reſpicere convenit, qui ſi excedit poſt præmiſſam applicationem prædictorum lenientium & temperantium remediorum etiam modeſte cohibentia remedia adhiberi poſſunt, ut temperatiora Martialia, Eſſentia Millefolii, Tinctura Corallorum & ſi maximus impetus tantisper remiſit, tunc etiam volatilium uſus cum circumſpectione conjungi poteſt.

§. IX. Quoniam vero hæ Hæmorrhagiæ Abortuum inſignes virium jacturas involvunt, quia non modo cum inſolito quodam partu procedunt, ſed & quia admodum copioſæ ſunt atque prodigæ, propterea hisce viribus debite proſpiciendum eſt, ne nimium langveant, neve propter hunc languorem partes valde flacceſcant, adeoque variæ pernicioſæ alterationes conſequantur: præſtat itaque tam per emulſiva, quam per temperata vinoſa, nec non per juſcula pingvia, per lacticinia & molliora pultacea, imprimis per temperatum Cinnamomi uſum ſuccurrere & exeunte hac Hæmorrhagia Mixturam noſtram roborantem ſubordinare, ita ut ſubinde & animi & corporis requies conjungatur & omnis accidentalis offenſio atque error in animo, diæta & regimine evitetur: quidquod pro hac indicatione adminiſtranda conducunt Species & Confectio de Hyacintho, decocta gelatinoſa, cum aquis analepticis mixta, haud tamen admodum acidulata.

§. X. Quando denique hæc Hæmorrhagia mitigata & de præſenti curata fuit, tunc providendum eſt, ne in fœmina remaneat diſpoſitio ad futuros novos Abortus, propterea ſanitati proficuum erit, ne tales fœminæ breviter iterum concipiant, ſed quo congruo tempore præſervatoria Venæ Sectio administretur; quando vero conceptio facta fuit, tunc confert in primo menſe moderatam talem Venæ Sectionem ordinare, quæ etiam in medio geſtationis tempore repeti poteſt, ſiquidem plures tales obſervationes practicæ proſtant, quomodo per Venæ Sectiones tempeſtivas abortus efficaciter præoccupatus fuerit; proinde concilianda eſt diæta temperata, neque valde plena aut luxurioſa, quidquod animus in continentia conſervandus eſt; inſuper etiam illæ cauſæ internæ & externæ ſedulo excludantur, quæ ad commotiones tum univerſi corporis, tum ſeorſim maſſæ ſangvineæ contribuunt: denique uſus Pilularum Stahlianarum in hac indicatione hactenus laudabilem ſuam efficaciam præſtitit.

CAPUT XX.

DE

HÆMORRHAGIIS UTERI.

§. I.

LIcet Menſes, Lochia & Hæmorrhagiæ abortuum nihil aliud quam Hæmorrhagiæ uterinæ ſint, tamen peculiari ſtudio adhuc placet de ſingulari ſpecie Hæmorrhagiæ uterinæ diſſerere & per hanc non intelligo exceſſivum Menſium aut Lochiorum fluxum, ſed potius talem inſolitam ſangvinis eruptionem & profuſionem extra uterum, quæ tunc obtingit, quando propter juſtam rationem ætatis nunc in fœminis adultioribus menſes penitus ceſſarunt, ubi poſt aliquam moram extra juſtum tempus copioſa imo excesſiva hæc ſangvinis evacuatio continuat, quando imprimis in ejusmodi fœminis adeſt naturalis vigor & diſcreta activitas, deinde ſangvinis plenitudo, porro diæta plena & bona, nec non animi frequens commotio, aut interdum luxurioſa & libidinoſa animi conditio.

§. II. Ex eo vero facile eluceſcit, quod in tali Hæmorrhagia non tam corpus accuſari poſſit, quam ipſa natura, quæ priſtinarum frequentium copioſarum & liberalium evacuationum menſtrualium & Lochialium memor,

ob

ob conſvetam ſuam alacritatem, præſentem ſangvinis plenitudinem ægre tolerat adeoque priſtinam conſvetudinem renovat & a moleſto pondere ſangvinis per talem locum ſe liberat, e quo antehac ſalutarem talem imminutionem præſtitit: exinde porro eluceſcit, quod talis Hæmorrhagia non confuſa, turbulenta, violenta & pasſiva, ſed quod ſecundum concurſum & valorem cauſarum præſentium ad imminutionem nimii & moleſti ſangvinis inſtituta & deſtinata ſit.

§. III. Quapropter hic affectus ita agnoſcendus eſt, uti natura eandem activa quadam deſtinatione ad imminutionem ſuperflui & moleſti ſangvinis ſuſcepit: eo minus etiam conſultum eſt, hunc fluxum ſangvinis repente ſupprimere, quoniam per ejusmodi contrariam actionem ſubito naturæ intentio & deſtinatio offenditur; unde contraria talis medicatio pesſimorum conſequentium morborum, velut acrioris affectus hypochondriaci, convulſivi, Cardialgici, hectici &c. cauſa evadit: tanto magis confert cauſas connexas ſollicite dijudicare, imprimis vero ad concurſum patheticarum commotionum, aut diſcretæ ſenſibilitatis in individuo curatius advertere, quippe quæ ſingulæ neceſſariæ animadverſiones eo magis ad ſecuram, prudentem & efficacem Therapiam contribuent.

§. IV. Quoniam itaque hæc Hæmorrhagia tam diſcretæ conſtitutionis & cæteroquin cum ſingulari ſenſibilitate prædita eſt, ita in illius cura ab omni amethodia & antipraxi ſedulo abſtinere convenit, ſeorſim vero cavendum eſt 1) a quibusvis fortioribus evacuationibus 2) a ſubtractionibus ſangvinis in regionibus ſuperioribus 3) ab ordinariarum evacuationum perturbatione, obſtructione, aut negligentiori promotione 4) a præmatura hujus Hæmorrhagiæ ſuppresſione 5) a remediis potentioribus adſtringentibus 6) a communi narcoticorum uſu 7) a vulgatorum uterinorum oblatione, quæ utplurimum acrioris indolis & activioris efficaciæ ſunt. 8) ab interno Caſtoriorum uſu 9) a nimis multiplicata remediorum oblatione 10) a perverſo regimine animi & corporis 11) ab externa ſenſibili partium uterinarum offenſione & 12) a quibusvis remediis motus intrinſecos magis turbantibus aut offendentibus.

§. V. Quanquam præſens Hæmorrhagia ratione ſuæ Therapiæ non multum a præcedentibus uterinis ſangvinis fluxibus diſcrepet, ſed quoad eſſentialem rationem cum iisdem apprime conveniat, tamen hoc ordine breviter applicandæ erunt neceſſariæ indicationes practicæ ad præſentem caſum pertinentes, quales ſequentes exerceri debent 1) ut motus excedentes & inconvenientes legitime corrigantur 2) ut partes langventes & delinquentes dextre roborentur 3) ut denique juſta præſervatio ordinetur.

§. VI. Quod itaque motuum excedentium & irregularium moderamen attinet, tunc illud triplici modo adminiſtrari poteſt, 1) debita lenitione, quando remedia interna diluentia, humectantia, mucilaginoſa gelatinoſa, emulſiva & ſimilia offeruntur 2) ſelecta mitigatione per abſorbentia ſimpliciora, Coralliata, Nitrata aliaque ſalina temperantia 3) ſecura ſedatione per Cinnabarina, ſimpliciora Papaveracea & Chaccarillæ congruum uſum; quo vero ſinguli hi actus bene cedant & ſuccedant, præſtat præoccupare, ne alvus ſit adſtricta, cui accidenti per Clyſteres lenientes oleoſos, emollientes & leniſſime roborantes ſuccurritur.

§. VII. Quando fluxus ultra modulum adeoque nimium continuat, tunc præmiſſa prima indicatione convenit hunc exceſſum cohibere per temperata tonica, quo vel generalia adſtringentia ſpectant, ut temperati Croci Martis, Terræ uſtæ, Dens Hippopotami, Species de Hyacintho, Tinctura Corallorum, Tincturæ Martis Tartariſatæ &c: vel ſpecifico uſu huc convenit Millefolium, cujus Eſſentia cum Eſſentia quadam temperata roborante & Tinctura Chaccarillæ remixta admodum utilis eſt: quid quod ſi primus impetus hujus Hæmorrhagiæ mitigatus fuit, tunc ſubjunctus uſus Salium volatilium reſiduum hujus Hæmorrhagiæ emendabit.

§. VIII. Proinde maxime convenit roborationi partium, hactenus affectarum, poſt hujus Hæmorrhagiæ curam, operam dare; unde pro hoc ſcopo interne uſus Mixturæ roborantis uſitatæ ex Spiritu volatili & Tinctura Tartariſata paratæ conducit: nec non conveniunt Eſſentiæ temperatiores carminativæ, ut Helenii, Pimpinellæ albæ, Caryophyllatæ, Gentianæ rubræ, Corticum aurantiorum: cum quibus conferri debent diætetica, ut juscula Gallinacea, moderate aromatiſata, juscula remiſſius vinoſa, cavendo tamen, ne talia exhibeantur, quæ in primis regionibus turbas excitant: Externe conveniunt abdomini apponenda Scuta Stomachalia, Cataplaſmata e temperatis ſpeciebus nervinis parata, cum quibus tantillum Caſtorei miſcere licet, qualia topica remedia etiam in cura hujus Hæmorrhagiæ & quidem cum prima indicatione conjungi poſſunt.

§. IX. Præſervatio denique ita eſt inſtituenda, ut tempeſtiva Venæ Sectio in pede adminiſtretur, ut diæta temperata, neque valde nutriens concilietur, ut animus continens & moderatus injungatur, ut ſuſpecta commotio corporis & humorum evitetur, ut imprimis arceantur potulenta ſpirituoſa, ut motus corporis moderatus continuetur & ex omni parte illæ cauſæ evitentur, quæ e rebus non-naturalibus qualibuscunque commotionibus vehementioribus excitandis inſerviunt.

CAPUT XXI.

DE

VARICIBUS TURGENTIBUS ET MANANTIBUS.

§. I.

ULtima hæc ſpecies eſt Hæmorrhagiæ ſponte exorientis & ſub particulari directorio naturæ conſtitutæ, ubi mox indico, de qua Varicum conſtitutione mihi impræſentiarum ſermo ſit, cum dentur ejusmodi ſpecies Varicoſarum intumeſcentiarum, quæ e cauſis crasſioris efficaciæ & ſemi violentis oriuntur, ut propterea in tali ſtatu non niſi pasſiva adflictio adſit, neque peculiares directiones atque ſcopi concurrant; uti quidem in Varicibus, ſponte exorientibus, talis naturæ deſtinatio ad exterminandum ſangvinem moleſtum & ſuperfluum occurrit, qualis ſtatus proinde a priori Varicum ratione & conſtitutione bene diſcernendus eſt.

§. II. Et quanquam Varices turgidi atque cæci præ manantibus & ſponte erumpentibus frequentiores ſint in hiſtoria practica, tamen in hoc ordine magis fluentium, quam ſubſiſtentium Varicum mentio facienda eſt, licet cæteroquin Varices rarius ſponte aperiantur: ſed cum hiſtoriæ practicæ nihilominus teſtentur ſpontaneas tales perruptiones, ita neceſſarium eſt, quo vera Varicum indoles cognoſcatur, ut inde cognitio illa utilis emergat, quomodo tam turgentes, quam manantes Varices per internam motuum directionem tractari debeant, nam quod externorum auxiliorum applicationem attinet, tunc eadem in Chirurgicis explicata ſunt.

§. III. Dum itaque Varices ita ſponte & tacite oriuntur, propterea concurrentes illi particulares motus ad certum præfixum ſcopum collimant, qui non alterius indolis eſt, quam qualem alii motus congeſtorii & ſpaſtici in multis caſibus intendunt, eapropter ſpontanea Varicum eruptio hunc genuinum finem concurrentium illorum motuum teſtatur; exinde etiam liquet, quod hæc Hæmorrhagia non paſſivis & violentis ſangvinis fluxibus, ſed activis & ad imminutionem ſuperflui ſangvinis deſtinatis excretionibus accenſeri mereatur, qualis neceſſaria cognitio Medicum inſtruit, quo ordine & qua ratione cum ejusmodi Varicibus commercium ſuum artificioſum inſtituere & adminiſtrare debeat.

§. IV. Utplurimum etiam hiſtoria & obſervatio practica teſtatur, quod Varices cum alio negotio hæmorrhagico cohæreant, maxime vero cum Hæmorrhoidibus, ſicut ipſe Hippocrates in tali conſenſu Hæmorrhoidum & Varicum fluxum ad inſaniæ curam laudavit & hic nexus tanto magis confirmat artificem, quod motus, qui Varices comitantur, non ſint corporis aut tumultuarii & confuſi, ſed naturæ, ad ſangvinis moleſti exonerationem directi: quid quod hic nexus inſtruit attentum medicum, in quo ordine & in qua ratione curam Varicum exercere debeat, ita ut ſemper animum advertat ad Hæmorrhoidum legitimam & tempeſtivam apertionem, nihil obſtante, etiamſi Hæmorrhoides nunquam ad genuinam & ſimplicem eruptionem pertigerint: interdum etiam pro naturæ inventione Varices ſponte orientes in ſuperioribus regionibus cum aliis Hæmorrhagiarum ſpeciebus conſentiunt, quam communionem exacte noſſe debet Medicus.

§. V. Inſuper etiam obſervatio attenta practica teſtatur, quomodo Varices ſive turgentes, ſive fluentes cum diverſis ſpasmorum ſchematibus videlicet podagricis, Iſchiadicis, nephriticis, arthritico-Iſchiadicis & vagis conſentiant, quales ſpaſmi alias cum motibus & fluxibus hæmorrhoidalibus cohærent, ut etiam in hoc conſpectu Varices harmoniam ſuam cum negotio hæmorrhoidali exſerant: inde etiam eſt, ut legitime promotis & reſtitutis fluxibus hæmorrhoidalibus hi Varices, vel ſua ſponte omittant, cum contra ſub acerbiori horum recurſione & continuatione motus hæmorrhoidales in tanto majorem anomaliam conjiciantur.

§. VI. Et hæ præmiſſæ obſervationes practicæ, de Varicibus inſtitutæ, ſequentes cautelas practicas, in illorum Therapia tenendas, inculcant: 1) cavendum eſt a confuſa ſangvinis ſubtractione artificiali 2) maxime vero in locis ſuperioribus 3) a negligenti conciliatione Varicum cum negotio hæmorrhoidali, aut ulteriori motuum hæmorrhoidalium perturbatione 4) a remediis calefacientibus, impellentibus & volatilibus, præcipue curatorio ſcopo ordinandis 5) contra vero a remediis adſtringentibus, incraſſantibus, refrigerantibus & ſuſpecte præcipitantibus 6) a nuda alteratione & profligatione dyscraſiæ ſangvinis, qua hic affectus radicaliter non nititur 7) a quibusvis fortioribus & impetuoſioribus evacuationibus, quæ cum gravi humorum & partium commotione & offenſione procedunt 8) a negligentiori ordinariarum evacuationum liberatione, promotione & provocatione 9) a ſimplici & vulgato narcoticorum remediorum uſu 10) a nimis repentina hujus ſangvinei fluxus repreſſione & cohibitione 11) a remediis externis ſulphuratis copioſis, ungvinoſis, tenacibus, acrius emplaſticis, ſepticis metallicis, repente exſiccantibus & ſimili-

milibus, denique 12) a negligentiori ſtatus plethorici dijudicatione, conciliatione atque regimine perverſo contra hanc circumſtantiam impingente.

§. VII. Cura Varicum ſequentes involvit indicationes 1) ut generaliora impedimenta tempeſtive & opportune removeantur 2) ut motus præſentes & reliqui etiam excedentes leniantur & temperentur 3) ut fluxus ſuperveniens legitime tractetur 4) ut potiora ſymptomata congrue mitigentur 5) ut non modo præſervatio conveniens ordinetur, ſed & reliquus conſenſus negotii hæmorrhoidalis condigne attendatur & dextre tractetur; ita eveniet, ut hic affectus e fundamento curari poſſit, cum vicisſim palliativæ medicationes varia pathemata, imprimis ſpasmodica inſequentia inferant.

§. VIII. Quod generalia incommoda, quæ præſentem affectum interdum comitantur, concernit, tunc illa conſiſtunt vel in nimia atque urgente ſangvinis copia, quæ utilius vel præſervatoria methodo, vel curatoria mox in primis initiis hujus affectus in pede adminiſtrata Venæ Sectione imminuenda eſt: deinde nonnunquam alvinæ excretionis perturbatio hujus affectus exacerbationem cauſatur, quare confert vel per lenitionem, vel per moderatam laxationem alvum liberare & quoad poſteriorem vel Rhabarbarina remedia vel correcta & temperata aloetica conveniunt, ſicut etiam Paſſulata & Prunata auxilia, aut infuſa vinoſa laxantia & per epicraſin efficacia huic ſcopo ſatisfaciunt.

§. IX. Deinde propius ad præſentem affectum accedendum eſt, ita ut motus concurrentes congeſtorio-ſpaſmodici emendentur & hæc correctio ſuccedit lenitione, temperatione & ſedatione: leniente ſcopo conferunt Emulſiva, Gelatinoſa, mucilaginoſa, juſcula pingvia diluentia, humectantia interna: Temperante ſcopo quadrant abſorbentia, Coralliata, nitrata & ſalina digeſtiva: Sedativo denique effectu conferunt Cinnabarina, Papaveracea, Maſſa Pilularum de Cynogloſſa & Cortex Chaccarillæ: quippe quæ remedia hoc ordine erunt offerenda, ne ultima prioribus præferantur, ſed tantum in ſubſidium trahantur, quando acerbitas affectus priorum remediorum uſui non ſatis obtemperat: proinde hiſce motibus coërcendis quadrant interna diſcutientia temperata ut Eſſentiæ reſolventes & in ſubjectis temperatioribus Liquor Cornu Cervi Succinatus, Tinctura Tartari, Spiritus Tartari & Tinctura nobis uſitata tonica; quæ poſteriora remedia non alio tempore offerenda ſunt, niſi quando priora aliquoties præmiſſa fuere: & quando in hoc affectu orgaſticæ commotiones concurrunt, tunc poſthabitis Cinnabarinis & aliis anodynis remediis conducunt abſorbentia cum acidis mixta, Corallia rubra, Cornu Cervi uſtum & modeſtius acidulata auxilia.

§. X. Quando Varices ad actualem eruptionem pervenerunt, tunc minime confeſtim, aut præmature hic fluxus ſupprimi, ſed aliquandiu concedi debet, cavendo tamen, ne excedat, ſiquidem hiſtoriæ practicæ proſtant, quæ teſtantur de excesſivo & ferme lethali Varicum fluxu; quando Varices impetuoſius fluere continuant, tunc non modo interne remedia temperantia, lenientia & ſedantia continuanda ſunt, ſed etiam externe in ambitu aperturæ vel diſcutientia Camphorata vel Cataplaſmata lenientia adhiberi debent, quibuscum acerbiores congeſtiones mitigantur: denique etiam modeſta deligatio combinari debet & quæ in Chirurgicis ad uſum externum commendata proſtant, illa etiam hoc loco concilianda ſunt.

§. XI. Ratio etiam habenda eſt in Varicum cura potiorum quorundam ſymptomatum, quæ præſentem affectum magis exacerbare ſolent, quare præſtat ſedulo invigilare, quo alvina excretio conſtanter ſuccedat; deinde concurrentes orgaſtici ſangvinis motus vel per Nitrata, vel per Coralliata, vel per acidulata remedia temperari debent; nec non ab extra urgentes ardores, qui contumaciores congeſtiones cauſantur, per diſcutientia & lenientia mitigari debent; nec non proſpicere debet artifex, ne nimium a ſuperficie reliqua corporis ad locum affectum ſangvis reſtringatur, neve propterea præſens congeſtio augeatur, quare vicisſim interna diſcutientia, Eſſentiæ temperatæ reſolventes & diureticæ, ab extra vero modeſtæ frictiones conducunt, quo ſangvis per reliquum univerſum corpus æqualiter diſtribuatur.

§. XII. Quoad ultimam denique Indicationem ipſa præſervatio ita eſt ordinanda, ut opportuno tempore Venæ Sectiones in pede celebrentur, ut reliquæ ordinariæ excretiones conſerventur, ut alvus ita per Rhabarbarina remedia abſtergatur, ut verno tempore vina medicata laxantia cum tantillo Hellebori nigri mixta ordinentur, ut mobile vitæ genus conjungatur, ut diæta temperata diluens & non largiter nutriens adhibeatur, ut vita caſta ſervetur, ut potus ſufficiens concilietur, quo humores in bona fluiditate conſerventur; ut animus tranquillus ſit & ut in hæmorrhoidariis qualicunque moderata methodo Hæmorrhoidum fluxus promoveatur, unde etiam in hisce ſubjectis Hirudinum uſus ad loca hæmorrhoidalia ſalutaris eſt, quemadmodum nonnunquam curatorie ad contumaces intumeſcentias Varicoſas cum utilitate hirudines applicari posſunt.

CAPUT

CAPUT XXII.

DE

HÆMORRHAGIIS VIOLENTIS.

§. I.

CUm hactenus latiori explicatione Hæmorrhagiarum ſpontanearum & ab interna cauſa dependentium mentionem injecerim, ita paucis adhuc pro colophone hujus Sectionis ſermo inſtituendus erit de *Medico directorio Hæmorrhagiarum paſſivarum* & a craſſa & violenta cauſa excitatarum, in quibus nullus peculiaris aut principalis ſcopus ad imminuendum ſuperfluum ſangvinem ſtatim adeſt, licet interdum cum ejusmodi Hæmorrhagiis, per vim inductis, præcipue in ſubjectis plethoricis, talis activa ſangvinis congeſtio, appulſio & profuſio copioſior concurrat, quam circumſtantiam propterea probe annotare debet artifex, ne totum talem fluxum mere fortuitum & ſimpliciter præter naturalem eſſe æſtimet; ſicut nonnunquam vulnera minora largam ſangvinis profuſionem involvunt, id quod de multis aliis Hæmorrhagiarum ſpeciebus valet.

§. II. Quemadmodum enim hactenus recenſitæ Hæmorrhagiarum ſpecies ſub naturæ directorio ſtant, quando ſponte & tacite erumpunt, ita nihilominus accidere ſolet, ut quælibet harum Hæmorrhagiarum per meram vim provocari poſſit in ſubjectis, quæ nunquam ad talem ſangvinis profuſionem adſveta fuerant, aut in tempore maxime inopportuno, ſicut v. g. Narium Hæmorrhagia e gravi contuſione Narium & immoderata emunctione &c. Hæmoptyſis e gravi alliſione & contuſione pectoris; Vomitus cruentus ex hyperemeſi in plethoricis & cauſticorum ingeſtione: Hæmorrhagiæ uterinæ e gravi contuſione lumborum aut regionis hypogaſtricæ: Hæmorrhoides ex hypercatharſi & injectione acrium & valde ſtimulantium ſubjectorum &c. Mictus cruentus e calculo, valde diureticis, cauſticis, Cantharidum uſu vel contuſione regionis pectinis &c.

§. III. Quamvis quidem talis violenta Hæmorrhagia nullum directum uſum ſalutarem involvat, adeoque ſimplicior concluſio valeat, quod hæc abſolute præternaturalis Hæmorrhagia tempeſtiva cohibitione opus habeat, tamen illa peculiaris cautela annotanda eſt, ne ſub efficaci & præcoci illius ſuppreſſione, vel in loco affecto ſuſpectæ & periculoſæ ſtagnationes ori-

antur, vel ſangvis, qui in talem partem effuſus, ſed non penitus evacuatus eſt, nunc intra illam occludatur, ut denique in corruptionem ruat & in futurum periculoſos affectus involvat, cui accidenti præoccupando propterea prudens artifex operam dare debet, cum non ſemper integrum ſit, ſubito talem Hæmorrhagiam opprimere.

§. IV. Imprimis etiam in tali paſſiva Hæmorrhagia conferendi ſunt hi reſpectus, an ſub provocatione hujus fluxus ſangvinei ſenſibilia & contumacia animi pathemata concurrerint, quæ adhuc cum efficacia ſua continuant, an ſubjectum ſit valde plethoricum? an antehac ad ſpontaneas, vel artificiales ſangvinis evacuationes adſvetum ſit? an fluxus ſangvinis ſit ſimultaneus an ſucceſſivus? quæ ſingulæ circumſtantiæ ſpeciales indicationes therapevticas commendant, ut eo magis artifex circumſpecte in hujus Hæmorrhagiæ cura procedat, ne periculoſa conſectaria metuenda ſint: proinde in futurum invigilandum eſt, ne violenta talis cauſa ſpontaneis moliminibus hæmorrhagicis denuo ſupervenientibus anſam præbeat.

§. V. Præſtat propterea & quo magis ſecure Hæmorrhagiæ violentæ tractentur in Therapia abſtinere 1) ab indiſcreto uſu artificialium ſangvinis ſubtractionum 2) a quibusvis internis immoderatis commotionibus, maxime vero 3) a remediis calidis, acribus et ſangvinem valde commoventibus 4) a vehementi & repentina adſtrictione 5) ab immodica incraſſatione 6) a vulgari refrigerantium oblatione 7) a prodigo ſedantium uſu 8) a remediorum balſamicorum exoticorum, acrium, Myrrhatorum liberali ordinatione 9 a medicamentis metallicis, exſiccantibus, imprimis ſaturninis 10) a negligentiori collatione ſtatus plethorici & concurſus motuum congeſtoriorum 11) a nuda harum Hæmorrhagiarum ſuppreſſione & conſectariorum negligentiori diſquiſitione atque præoccupatione 12) & denique a ſamoſis artificiis ſympatheticis horumque promiſcuo uſu.

§. VI. Cura violentarum Hæmorrhagiarum ita eſt tractanda ut 1) generaliora obſtacula tempeſtive removeantur 2) ut fluxus ſangvinis paſſivus coerceatur 3) ut vel præſentes vel ſupervenientes motus congeſtorii mitigentur, 4) ut partes affectæ debite abſtergantur & ab inhærente ſangvine liberentur 5) ut virium neceſſaria ratio habeatur & 6) ut omnia futura incommoda & pericula debite avertantur & intercipiantur: quæ ſingulæ indicationes & continenter & temperanter & ſufficienter applicandæ ſunt, quo talis afflictio etiam e ſuo fundamento curetur.

§. VII. Quod juxta primam indicationem offendicula attinet, quæ talem Hæmorrhagiam premere ſolent, tunc ordine primo inquirendum eſt, an excretio alvina non actu obſtructa & clauſa ſit, quæ retentio propterea tempe-

tempeſtive reſolvenda eſt, quia ex eadem alias pasſivis illis Hæmorrhagiis activæ & ſatis quidem contumaces congeſtiones accidunt: haud vero occaſio permitttit per interna auxilia alvum liberare, unde potius externa adminicula adhibenda ſunt, velut Clyſmata aut ſuppoſitoria emollientia & leniter ſtimulantia.

§. VIII. Proinde inquirendum eſt, an affectus homo ſit valde plethoricus, an plethora ſit valde commota, an hæc commotio unquam fuerit uſitata, an hæc adſvetudo etiam olim in actuales alias Hæmorrhagias tranſierit; quibus circumſtantiis præſentibus artifex tempeſtivam, moderatam Venæ Sectionem in brachio committere poteſt, ubi omnino illæ circumſtantiæ ſervandæ ſunt, ne talis ſangvinis misſio ſerius inſtituatur, ne in eadem aliqualis exceſſus committatur, cum uterque error non leve damnum in præſentem ægrotandi ſtatum conjiciat.

§. IX. Quando etiam gravia et ſenſibilia animi pathemata concurrunt & continuant, tunc inſuper præſtat hoc offendiculum removere, partim per moralem, partim per pharmacevticam Therapiam, ſiquidem animus qualitercunque tranquillandus eſt; e pharmacia conveniunt pulveres abſorbentes, nitrati, Cinnabarini, Coralliati, ſpecies & confectio de Hyacintho, potiones & emulſiones analepticæ, requies neceſſaria animi, quidquod ipſe moderatus uſus vini, vtpote quæ pharmacevtica auxilia præoccupant contrarias commotiones quotquot ex ejusmodi patheticis motibus corpori damnum minari poſſunt.

§. X. Proximum erit, ut juxta valorem ſecundæ indicacationis Hæmorrhagia præſens coerceatur; qui actus duplici modo fieri poteſt, uno mitiori, altero efficaciori: prior contingit per lenitionem & incraſſationem, quo mucilaginoſa diverſæ ſpeciei pertinent, ut Gummi Arabicum, Ceraſorum, Tragacantha, Maſtix, Thus, Olibanum; poſterioris clasſis auxilia adſtringentia, quo conducunt vel Croci Martiales, vel Tincturæ Martiales, vel Tincturæ diverſarum terrarum, vel Terræ diverſæ, vel ſpecies vegetabiles adſtringentes, ſpecies de Hyacintho, Trochiſci de Carabe, Succi adſtringentes Millefolii, Urticæ, Polygoni, quæ ſingula variis Hæmorrhagiarum ſpeciebus coercendis quadrant: maxime vero in tali afflictione conveniunt formulæ liquidæ, quæ citius ſeſe extenuant & effectum adſtrictionis accelerant, quemadmodum etiam decocta pro hoc ſcopo commode ſatisfaciunt.

§. XI. Præterea magna cura habenda eſt, quo concurrentes motus congeſtorii etiam tempeſtive leniantur, temperentur, aut ſi neceſſitas poſtulaverit, ſedentur & quidem per eadem auxilia, quæ in Hæmorrhagiis activis ſa-

tis diſerte & diffuſe commendata proſtant; imprimis convenit nitrata medicamenta adſtringentibus remediis ſedulo interponere, ne inducta adſtrictio periculoſa conſectaria poſt ſe trahat, ſed quo ad minimum neceſſarii ſucceſſus humorum & excretionum conſerventur, unde etiam illa cautela obſervanda eſt, quo adſtrictio magis ſucceſsive, quam ſimultanee præſtetur, alias præceps talis effectus non niſi ſuſpectas ſangvinis occluſiones involvit.

§. XII. Et ne poſt Hæmorrhagiam talem cohibitam in affecta parte ſangvinis extravaſati quantitas aliqua remaneat occluſa, ita præſtat congruas abſterſiones ſecundum quartæ indicationis tenorem adminiſtrare, ubi in Hæmoptyſi conducunt Electuaria & remedia temperata mellita, cum Syrupis abſtergentibus & roborantibus conjuncta: in Vomitu cruento & violentis hæmorrhoidibus conducit uſus Rhabarbari, aut Clyſterum lenientium & roborantium: in Mictu cruento perinde conducunt Electuaria, nec non remedia amara temperata Juniperina & balſamica therebinthinata, myrrhata, ex Copaiva & balſamo de Peru modeſte præparata, nec non uſus Veronicæ, Fœniculi, Hederæ terreſtris &c.

§. XIII. Interea etiam virium ratio habenda eſt, imprimis ubi multum ſangvinis profuſum fuit, quo loco conducunt Emulſiva, juſcula modeſte vinoſa aliaque e fonte diætetico aptata, quæ plus conferunt, quam pharmacevtica; maxime ex Cinnamomo non exigua roboratio ita affectis ſubjectis advenit: proinde curatius cavendum eſt, ne ſubtilia & valde concentrata offerantur, licet tamen tunc, quando Hæmorrhagia talis ceſſavit, uſitatam noſtram Mixturam roborantem exhibere.

§. XIV. In futurum proſpiciendum eſt, quo conſequentia incommoda evitentur; præſtat in diverſis ſubjectis, ad plethoram inclinantibus, præſervatorias Venæ Sectiones ordinare; præſtat etiam in diæta & regimine juſtam temperiem ſervare & ab omni exceſſu abſtinere; præſtat denique mobile vitæ genus ſervare, ne in futurum poſt gravem talem Hæmorrhagiam viſcera occluſa maneant, ſed in juſta permeabilitate conſerventur. In quibus omnibus reſpectibus & conſiderationibus tota therapevtica tractatio Hæmorrhagiarum conſiſtit.

SECTIO

SECTIO III.

DE
MOLIMINIBUS HÆMORRHAGICIS ET CONSECTARIIS MOTUUM HÆMORRHAGICORUM.

CAPUT I.

De
CONGESTIONIBUS SANGVINIS IN GENERE.

§. I.

HÆmorrhagiarum ſpontanearum præmiſſa tractatio ducit me ad *Congeſtionum Sangvinearum* practicam explicationem, quæ cum negotio Hæmorrhagiarum ad præfixum ſalubritatis ſcopum impetrandæ deſtinatarum arcte & ingenue cohærent & cum hæc obſervatio practica in communi medica tractatione vulgo ſatis rara deprehendatur, licet in hiſtoria practica ſatis frequens, copioſa & ſpecioſa ſit, ita proprio ſtudio de eadem hoc ordine acturus & quidem ſub tali nexu, ut præcedens Hæmorrhagiarum commendatio hanc præſentem illuſtret, quo tam illæ Hæmorrhagiæ, quam hæ congeſtiones non ſuperficiarie & ut ajunt, palliative, ſed radicaliter e fundamento rationabiliter & ſecure percurentur.

§. II. Sunt vero Congeſtiones Sangvineæ nihil aliud, quam augmentum motus tonici in certas regiones certaque loca translatum & ad ſangvinis ſuperflui moleſti exonerationem directum, inde pendent variæ morbidæ ſenſationes, ut dolores tenſorii, oppletorii, pulſatiles, lancinatorii, diſtenſorii, fremebundi, ardentes &c: quando ſub tali conatu denique illa perruptio præfixa obtinetur, ut ſangvis ſufficienter evacuetur & imminuatur, tunc impetrato hoc fine a reliquo molimino deſiſtit ac quieſcit natura, quapropter Hæmorrhagiæ congruæ optimam medicinam pro hisce congeſtionibus conſtituunt & vicis-

viciſſim Hæmorrhagiæ ſuppreſſæ, aut urgens ſangvinis plenitudo has congeſtorias commotiones invitant, quæ propterea juxta hanc demonſtrationem hiſtorico-pathologicam cum Hæmorrhagiis in exacta harmonia, relatione & conſangvinitate conſiſtunt.

§. III. Juxta communem pathologiam poſſent etiam Congeſtiones cum famoſis vellicationibus partium teneriorum & nervoſarum conjungi, ubi quidem negandum non eſt, quod interdum congeſtoriæ commotiones talia irritamenta ſequantur, ſed ſæpe etiam evenit, ut antea in ejusmodi partes per motus congeſtorios ſtimulantes ejusmodi materiæ transferantur, teſtimonio afflictionum rhevmaticarum aut Catarrhorum cum Rhevmatiſmo conjunctorum, unde poſtea evenit, ut hæc irritatio præſentes congeſtiones exacerbet: rarius interim evenit, ut per ſe talis acris materia in certis locis colligatur, quæ deinde congeſtiones provocare poſſet & cum frequentior ille ſit congeſtionum ortus, qui ſuperflui ſangvinis emotionem concernit, propterea a potiori denominanda, æſtimanda & decidenda erit hæc obſervatio, licet de reliquo etiam illæ diſcretiones inculcari mereantur, quando v. g. bilis acris alicubi transfuſa, aut ſerum acre in certis partibus ſequeſtratum tales congeſtiones concitant, ſub quibus ad affecta loca affunditur dilutior & fluidior humiditas pro temperando & involvendo ejusmodi acriori humore aptata.

§. IV. Sicut præterea Hæmorrhagiæ differunt ſecundum regiones, loca, tempora & ætates, ita etiam Congeſtiones propter principalem illam communionem cum Hæmorrhagiis ſecundum has circumſtantias differunt, propterea dantur Congeſtiones Capitis, Pectoris, hypochondriorum, inferioris abdominis, imo externi & interni corporis, quales ſub diverſis morborum ſchematibus dehinc ſeſe produnt aut diſtingvunt: & hæc cognitio eximiam utilitatem in praxi medica habet, ne congeſtoriæ tales afflictiones confuſe & indiſcretim tractentur, ſed ſemper in relatione ad congruas ſuas Hæmorrhagiarum ſpecies æſtimentur & tractentur, ubi proinde etiam obſervare debet artifex, an congeſtiones non quoad prædictas circumſtantias delinquant & aberrent, ſicut interdum Hæmorrhagiæ aberrare conſpiciuntur, quæ propterea incongruæ, adeoque magis intricatæ æque exiſtunt ac Congeſtiones, quæ de eadem indole participant.

§. V. Magnam ſubinde attentionem meretur illa animadverſio in hiſtoria congeſtionum, ſcitu perquam digna, quando interdum longe alii effectus atque eventus e præcedentibus motibus congeſtoriis, ad ſangvinis evacuationem deſtinatis, proveniunt; ubi contingere ſolet, ut quandoque Congeſtiones capitis excipiant Catarrhi fluentes, aut congeſtiones pectoris ſequantur tuſſes humidæ, aut congeſtionibus in hypochondriis ſuperveniant alvi fluxus;

fluxus; in quo ſtatu minime prudens Medicus a prima congeſtionum & illa quidem fundamentali & formali dijudicatione & deliberatione diſcedere debet; ſiquidem ſæpe ejusmodi affectibus per opportunas ſangvinis depletiones conſulitur, ubi non tam ad accidentalem eventum, quam ad eſſentialem & primarium reſpectum, ubi natura ſangvinis exonerationem intendit animus applicandus eſt.

§. VI. Interim tamen negandum quidem haud eſt, quod ejusmodi Congeſtiones, quæ in alium quam ſangvineum exitum deſinunt, deinde in futurum ab hoc primario ſcopo deflectant & ſecundariæ excretioni ſeroſæ aut catarrhali continuandæ intentæ obſerventur, quo non raro ipſum individui temperamentum, diæta & vitæ genus, imo externæ tempeſtates contribuunt: aſt neque in tali ſtatu artifex abſolute a primario illo ſcopo, quo per initia ſangvinis evacuatio urgebatur, diſcedere & aberrare debet, ſed totam hanc faciem hujus congeſtoriæ afflictionis in relatione ad priorem & principaliorem excretionem legitime dirigere, alias contingit, ut ejusmodi ſpecies affectuum in longe contumaciorem magisque refractariam, aut complicatam & plane confuſam atque corruptam indolem degenerent.

§. VII. Deinde illa prudentia in dijudicandis Congeſtionibus adhibenda eſt, ne tam facile, uti quidem vulgo fieri ſolet, humorum pravitatem tanquam principalem cauſam materialem efficientem & impulſivam agnoſcamus & accuſemus, adeoque ſine aliquo fructu tempus perdamus cum implicata illa humorum alteratione, hinc præſentem affectum non in ſuo fundamento attingimus, ſed vel ſuperficiarie tantum delinimus, vel contra genuinam ſuam indolem pervertimus, in alios ſucceſſus transferimus, alios effectus provocamus & ita iterum ſucceſive a vero fundamento aberramus & ad futuros morbos complicatos, contumaces & corruptos anſam ſubminiſtramus: interea etiam providus artifex non negligere debet obſervationem illam, quando e congeſtionibus non bene tractatis, aut ingenue decurrentibus, ſucceſive & per accidens humorum depravationes concurrunt, cui accidenti poſtea debita medela ferenda eſt.

§. VIII. Imprimis eximiam attentionem merentur Congeſtiones, quæ partim a ſalutarium excretionum turbis ortæ, partim per craſſas & efficaces cauſas, imprimis patheticas & ideales, conſervatæ fuere; præcipue provide obſervandæ ſunt illæ Congeſtiones, quæ ex aliqua hæreditate ortum ſuum duxerunt, quippe quæ non modo ſenſibiliores & acerbiores, ſed & mobiliores & in ſua indole contumaciores exiſtunt, quas eapropter artifex eo majori lenitate, circumſpectione & dexteritate tractare debet: & quod Congeſtiones prioris claſſis, quæ ex ſuppreſſis evacuationibus ortæ ſunt, attinet, tunc non modo hoc loco intelligo evacuationes ſangvineas, ſed etiam ſeroſas, quas in futurum

rum per motus congeſtorios natura humana in ſalutari in - & contentione proſequitur.

§. IX. Neque denique oblivioni tradenda eſt obſervatio, quando Congeſtiones jam actu cum aliis affectibus complicatæ ſunt, neque amplius in ſimplicitate & prima integritate conſiſtunt; ſicut nonnunquam cum commotionibus ſpaſticis, quandoque cum motibus febrilibus, interdum cum prælimінaribus commotionibus inflammatoriis, aliquando cum effectibus ſtagnatoriis concurrunt, adeoque eo acerbiores evadunt; in quo paſſu tanto major continentia in artifice requiritur, ne confirmatas tales & exacerbatas Congeſtiones magis irritet, aut ſiniſtre & ex alio fundamento tractet, ſed eo majori cura ſtudeat, quo ad verum & genuinum affectus fundamentum pertingat & ſicut ſucceſſive talis complicatus affectus ortus eſt, ita etiam ſub quolibet neceſſario moderamine atque lenitate ſucceſſive ad illius emendationem operam & induſtriam applicare conferat.

§. X. In Cura generali congeſtionum cavendum eſt 1) a negligentiori obſervatione & conciliatione ſtatus plethorici & hujus influxus ad præſentem afflictionem 2) ab inopportuna & confuſa ſangvinis artificiali imminutione 3) a quibuscunque immoderatis & cum ſenſibili ſtimulo provocatis evacuationibus 4) a negligentiori ordinariarum excretionum promotione 5) a præmaturo uſu roborantium & nervinorum 6) a remediis impellentibus & vias atque humores valde commoventibus 7) a præmatura oblatione ſalium volatilium 8) a ſimplici materiarum alteratione & evacuationum negligentiori tractatione 9) ab ordinatione remediorum adſtringentium 10) a vulgari uſu narcoticorum 11) ab incongruis revellentibus 12) ab operoſa profligatione accidentalium effectuum, in quos congeſtorii motus tranſeunt & negligentiori Therapia mali e ſuo fundamento 13) a topicis adſtringentibus, repellentibus aut nervinis intempeſtive oblatis 14) ab interno & externo uſu refrigerantium & humores atque motus inique alterantium artificiorum 15) a nimis diverſa & multiplicata medendi methodo, quæ ſatis ſæpe in congeſtoriis afflictionibus tentatur 16) a balneorum tam domeſticorum quam naturalium inopportuna commendatione & 17) a regimine atque præſervatione inconvenienti.

§. XI. Quo itaque affectus congeſtorii recte & ſecure tractentur, præſtat ſequentes indicationes obſervare 1) ut generales offenſiones & antecedentes cauſæ tempeſtive auferantur 2) ut immoderati motus congeſtorii vel corrigantur vel 3) revellantur 4) ut effectus accidentales atque conſecutiones harum congeſtionum emendentur & a futuris gravioribus affectibus præſerventur, 5) ut partes hactenus affectæ condigne roborentur & denique 6) ut conveniens & fundamento mali reſpondens præſervatio ordinetur.

§. XII. Generalia incommoda, quæ huic affectui præjudicant, ſunt vel moleſta plenitudo ſangvinis, vel ſuſpecta ſpisſitudo illius, vel abundantia impuritatum ſeroſo mucidarum in humoribus, vel denique alvi perturbatus ſucceſſus: primo incommodo & nimiæ ſangvinis abundantiæ non aliter ſuccurrendum eſt, quam per opportunam Venæ Sectionem, præcipue in inferioribus corporis regionibus adminiſtrandam, quæ vero longe efficacius atque melius utilitatem ſuam obteſtatur, quando extra affectum congeſtorium celebratur, adeoque illa magis præſervatoriis uſibus relinquenda eſt, quæ licet curatorio ſcopo adhibita per initia affectum mitigare videatur, tamen non modo eundem diſponit, quo citius recrudeſcat, ſed & quo in futurum neque curatoriis, neque præſervatoriis talibus misſionibus ſangvinis obtemperet: niſi in eo aliquod auxilium obtineri posſit, ut, quando curatorie unquam adminiſtrata fuit Venæ Sectio, mox eadem præſervatorio ſcopo repetatur, quo eo ipſo priſtinus naturæ ſenſus corrigatur.

§. XIII. Neque minus incommoda eſſe deprehenditur ſangvinis ſpisſitudo quæ congeſtiones tanto magis contumaces dolorificas & complicatas reddit; unde pro hac emendanda tam præſervatorie, quam curatorie conducit ſufficiens humorum & viarum diluitio; quare veteres in talibus affectibus, quos nunc Congeſtionibus adſcribimus, uſum ſeri lactis laudarunt; equidem hoc loco commendo infuſa calida dilutiora, quæ ſatis ſæpe vel ſimplici uſu Congeſtionis impetum mitigarunt, quo proinde conferunt alia conſveta potulenta, neque æque proinde conferunt alia conſveta potulenta, neque æque decocta ſpecioſa pharmacevtica ſic dicta aperitiva neceſſaria ſunt.

§. XIV. Ad generalia impedimenta, quæ Congeſtiones affligunt, pertinent etiam concurſus dyſcraſiæ ſangvinis, e qua varii ſecundarii effectus, ad Congeſtionem Sangvineam proprie non ſpectantes, oriuntur, ut ſunt ſeceſſiones ſeroſæ, mucidæ oppletiones, aut rhevmaticæ afflictiones: propterea præſtat eminus impuritates tales removere & conveniunt pro hoc ſcopo infuſa vinoſa reſolventia, mundificantia & lenia laxantia, nec non decocta e radicibus reſolventibus Apii, Bardanæ, Scorzoneræ &c. & herbis Scordii, Fumariæ, Veronicæ, Fœniculi, Centaurii minoris &c. parata: conferunt itidem pilulæ ex Extractis amaris, Gummatibus Ammoniaci, Galbani, Bdellii &c. & laxante, aut evacuante ſubjecto compoſitæ; quo etiam pertinet Maſſa Pilularum de Succino Cratonis: interponantur abſorbentia, ut & Eſſentiæ reſolventes diureticæ & remedia Succinata atque Saſſafrata, cum aliquo moderamine commendanda.

§. XV. Denique adhuc valde Congeſtiones offendit & exacerbat alvi inſufficiens ſucceſſus, propterea magna cura adhibenda eſt, quo hæc ex-

cretio promoveatur, cavendo tamen, ne impetuoſa ſtimulatio adhibeatur; unde vel lenientia, vel mitiora laxantia ſatisfaciunt; præcipue remedia Rhabarbarina & Magneſia alba in ſubjectis bilioſis; aloëtica correcta vero in Melancholicis & Pituitoſis, cavendo, ne unquam cum talibus aloëticis remediis exceſſus committatur; quando alvus per laxantia ſemel aperta fuit, tunc in legitimo hoc ſuo ſucceſſu per lenientia, diluentia, humectantia, paſſulata & prunata conſervari debet.

§. XVI. Quando hæc offendicula potiora ſufficienter remota ſunt, tunc præſtat motus congeſtorios emendare, ne in præſenti ſua acerbitate continuent: hæc correctio variis modis ſuccedit, vel lenitione, quo ſufficiens interna humectatio, infuſa moderate calida, emulſiva dilutiora, ſerum lactis, juſcula mucilaginoſa & ſimilia lenientia pertinent: vel conducunt temperantia, videlicet abſorbentia teneriora nitrata, coralliata & in ſubjectis floridioris ſangvinis modeſte acidulata; vel confert huc temperata interna diſcusſio, quo ſangvis per totum corpus æqualiter diſtribuatur, quæ per Eſſentias reſolventes obtinetur, vel denique urgente necesſitate ſelectiora ſedativa in hoc paſſu conveniunt, velut Cinnabaris pura, cujuscunque ſortis & conditionis, cortex Chaccarillæ, Maſſa Pillularum de Cynogloſſa, Emulſiones Papaveraceæ, quibus ſingulis adminiculis hi motus corrigi poſſunt, ita ut nulla adſtrictione & fortiori narcoſi opus ſit.

§. XVII. Pro motibus hisce congeſtoriis, imprimis ſuperiora corporis affligentibus, emendandis conferunt nonnunquam revellentia, quæ tamen cum moderamine uſurpanda ſunt, quia alias ob exceſſivum effectum motus congeſtorios e ſuperioribus locis avocant & in inferiora provocant: habent vero talem revellentem uſum remedia laxantia aloetica & helleborina, ut & pediluvia & moderati inſeſſus, frictiones pedum cum linteis calidis, curcurbitulæ cæcæ femoribus applicandæ aut mitiora rubefacientia, neque æque ita ſimpliciter & indiſcretim fonticuli & veſicatoria neceſſaria ſunt, niſi congeſtiones in habitum degeneraverint & cum ſeroſis ſeceſſionibus complicatæ fuerint, ubi præter hæc ultima auxilia etiam repetitæ laxationes moderatæ conducunt.

§. XVIII. Præterea omni ſtudio præcavendi ſunt ſiniſtri ſucceſſus atque effectus, ut & perverſæ quædam conſecutiones, ſive conſiſtant in particulari ſeceſſione humorum, ſive in oppletione partium, ubi pro priori incommodo interne conveniunt reſolventia & diſcutientia remedia continuanda, quo prædictæ Eſſentiæ ſpectant; vel etiam remittente congeſtorio motu confert uſus Salium Volatilium cum Succinatis mixtis, quidquod eo tempore proſunt moderatæ diaphoreſes, quæ in vigore affectus non tantum contribuunt,

licet

licet ſub toto tali affectu æqualis ſangvinis diſtributio perquam proficiat: ab extra vero conveniunt frictiones modeſtæ & in quibusdam ſubjectis embrocationes aut auxilia reſolventia & diſcutientia, quo imprimis pertinent Camphorata remedia, vel in ſpiritu vel in ſicca forma adhibenda; non minus ſacculi ſicci e ſpeciebus diſcutientibus, moderate nervinis, addito tantillo Camphoræ parati, uti liquamen Lumbricorum terreſtrium cum Spiritu vini Camphorato mixtum etiam huc quadrat: ab adſtringentibus vero & repellentibus ſollicite abſtinendum eſt, niſi ſubjecta fuerint minus ſenſibilia minusque tenerioris corporis.

§. XIX. Quando hic impetus congeſtionis ſufficienter mitigatus & cohibitus eſt, tunc convenit operam dare, quo partim ab intra, partim ab extra corpus & imprimis partes hactenus affectæ roborentur, ne in iisdem aliqua debilitas remaneat, adeoque aptitudo ad futuros infarctus & ſupervenientes congeſtorios motus relinquatur: interne itaque conducit Tinctura nobis uſitata roborans, abſtinendo a ſpirituoſis nervinis, oleoſis internis; externe vero conveniunt nervina illa adminicula, modo commendata, vel Camphorata & Crocata, vel ſacculi nervini vel balnea nervina vinoſa parti affectæ adhibita; qua medela procurandum eſt, quo ſucceſſive talis roboratio contingat, evitando, ne ſenſibiliora repellentia in uſum trahantur, ita eveniet, ut ſub reliquo moderamine eo facilius corpus in priſtinum ſuum robur revertatur.

§. XX. Supereſt adhuc quo congrua præſervatio in congeſtionum tractatione commendetur; optime vero congeſtorii motus præſervantur per evacuationes, quæ in juſto ordine conſervari debent, imprimis convenit evacuatio ſangvinis, in quibusdam ſubjectis per Venæ Sectionem, in aliquibus per ſubordinatam Scarificationem adminiſtranda; deinde præſtat interdum lenes laxationes ordinare et ſubinde ab omni immoderata commotione animi & corporis abſtinere, neque ordinariæ excretiones qualescunque ſunt turbandæ, quare juſtum regimen circa aëris qualitates, imprimis circa calorem atque frigus, commendari debet: præſervatorie pediluvia, nonnullis ſubjectis hirudinum applicationes ad loca hæmorrhoidalia, ut & potus ſufficiens & temperatus, neque tamen ſpirituoſus, motus etiam corporis conveniens, quo ſangvis in ſuo conſtanti progreſſu conſervetur, proſunt; de reliquo etiam diæta ſit regularis aliæque res non-naturales in congrua temperie adhibeantur: in aliquibus ſubjectis imprimis ſpongioſis uſus Acidularum & Thermarum temperatarum ad præſervatoriam curam applicari debet.

CAPUT I.

De

CEPHALALGIA SANGUINEA.

§. I.

QUando congeſtionum ſpecies ſeorſim exponere animus eſt, tunc inter illas nulla ferme frequentior eſt, quam præſens, quæ nomine *Cephalalgiæ ſangvineæ* ſalutatur: hæc ipſa & junioribus & magis plethoricis ſubjectis familiaris eſt, eo ipſo vero ſimplicem ſuum reſpectum, quem ad Narium Hæmorrhagias habet, obteſtatur; quemadmodum nonnunquam ex prægresſis, ſed intermiſſis, aut ſuppreſſis talibus Hæmorrhagiis ortum trahit; nonnunquam iterum cum evphoria in talem ſangvinis fluxum tranſit, ita ut exinde facile attentus Medicus colligere poſſit, quomodo ejusmodi Hæmorrhagia alio reſpectu cauſa, alio vero medicina hujus Cephalalgiæ exiſtat.

§. II. Et quamvis interdum talis capitis dolor partim in ſubjectis occurrat, in quibus nunquam Hæmorrhagia Narium obtigit, tamen ex eo negari haud poteſt, quod hæc congeſtio non molimen ſit ad Hæmorrhagiam illam collimans; unde interdum hæc afflictio fœminis familiaris eſt, quando Menſium vitia patiuntur, aut viris, quando hæmorrhoidales anomalias experiuntur; idem etiam judicandum eſt de talibus Cephalalgiis, quando extra congruam ſuam ætatem ſubjecta affligunt, ſiquidem in futurum naturæ liberum eſt, prægreſſos ſalutares ſangvinis fluxus in eadem regione urgere, donec ſucceſſive præcedens Hæmorrhagia ſub congrua congeſtionum remisſione in aliam ſpeciem fluxus ſangvinis ſpontanei tranſeat, ubi ex alia regione ſangvis ſuperfluus & moleſtus imminuitur: quæ obſervatio multum lucis affundit obſervationi medico-practicæ in Metaſchematiſmo Hæmorrhagiarum obviæ.

§. III. Et quanquam in hoc affectu dolores imprimis urgeant, tamen illi non ad principalem & formalem reſpectum ſpectant, hinc fruſtra tantum varii doloribus leniendis, obtundendis, ſtupefaciendis & demulcendis anxie intenti ſunt, quando neque cauſam primariam horum dolorum legitime tollunt, neque congruo tempore reſpectum finalem, quo videlicet hic affectus contendit, rite tractant: quod enim illam cauſam attinet, tunc ſane

dolores

dolores non aliunde, niſi ab augmento tonici motus ſangvinem intra caput copioſius ingerentis pendent, eapropter perverſum conamen eſſet, dolores demulcere velle, quamdiu hi motus vigent.

§ IV. Sed cum hi motus tonici aucti non ad alium finem reſpiciant, quam ad ſangvinis ſuperflui & moleſti ſalutarem & neceſſariam emotionem, ita iterum minus rarionabile minusque ſecurum opus eſſet, ſi quisquam hos motus turbulenter vellet opprimere, deſtruere, repellere, cum impetu avertere & tamen huic reſpectui finali non ſatisfacere, qualis conatus omnino perturbaret naturam, ut in reliqua ſua œconomia animali negotia ſua æque turbulenter perpetraret; quapropter hæc Cephalalgia, ſi e fundamento curanda eſt, ad illum ſcopum modeſte duci debet, ad quem ipſa natura per congeſtiones ſuſpectas tendit.

§. V. Ex eo facile liquet, quam parum ſalubritati & reſtitutioni conciliandæ inſerviat traditio illa, quando mox in tali Cephalalgia accuſatur obſtructio vaſorum ſangviferorum, aut atonia nervorum, aut confuſus quidam ſpasmus, aut flatus cerebrum opplentes, cum ſingulæ tales cauſæ ſuppoſitæ non alia quam calida, diſcutientia, nervina, roborantia, ſpirituoſa remedia indicarent, quæ tamen remedia, quia in tali Cephalalgia magis officiunt quam proficiunt, ita facile colligere licet, quod prædictarum cauſarum accuſationes magis imaginariæ & hypotheticæ, quam reales atque veræ ſint.

§. VI. Et quo ſenſibilius talis Cephalalgia rite tractetur, cavendum eſt 1) a confuſa ſangvinis misſione 2) a quibuscunque fortioribus evacuationibus ſive emeticis ſive catharticis 3) ab internis & externis remediis communibus nervinis calidis & vias atque humores impellentibus 4) ut & vicisſim a famoſis refrigerantibus & valde incraſſantibus 5) tanto magis ab adſtringentibus & repellentibus præprimis internis 6) maxime omnium a vulgatis narcoticis 7) a poſitivis ſudationibus 8) a negligentiori ordinariarum evacuationum promotione 9) ab indiscreto uſu remediorum, quæ vulgo Cephalica dicuntur 10) a carminativorum oblatione, quæ atoniam Ventriculi & conſenſum generis nervoſi curare dicuntur 11) a volatilium interno & externo curatorio uſu 12) ab oleis deſtillatis, maxime vero Succini & aromatum, tum quoad internum tum quoad externum uſum 13) ab ungvinoſis & emplaſticis, refrigerantibus, repellentibus & narcoticis 14) ab immodica harum congeſtionum revulſione in alias regiones & 15) a confuſo ſpecificorum ad hunc affectum vulgo allegatorum remediorum uſu.

§. VII. Specialior Therapia Cephalalgiæ Sangvineæ hisce indicationibus comprehenſa eſt 1) ut motus congeſtorii emendentur 2) ut etiam a locis

cis affectis avertantur 3) ut dolores per apta externa remedia mitigentur 4) ut partes hactenus affectæ roborentur, ne tam facile novis inſultibus congeſtoriis obtemperent 5) ut congrua præſervatio præſcribatur, quo præſens tale malum radicitus extirpetur, ne in ſuſpectam aliquam conſvetudinem degeneret & hic ordo etiam indicationum ita ſervari debet, ne per topica tantum affectus tractetur, quæ ſæpe fruſtra ſuccedunt, quando intrinſecus congeſtorii motus contumacius continuant.

§. VIII. Cum motus congeſtorii maxime intimiorem ſuam ſedem ſuumque curſum habeant, ita præcipue per interna apta remedia iidem corrigi debent & hæc moderatio variis effectibus ſuccedit, vel Lenitione, vel Temperatione, vel Sedatione: Pro Lenitione conveniunt humectantia, diluentia, decocta vel domeſtica, vel gelatinoſa, nec non emulſiva & in quibusdam ſubjectis dilutiora lacticinia: Temperatio adminiſtratur per abſorbentia, per Nitrata & in ſubjectis floridioris habitus per Coralliata, ut & per modeſtum uſum acidulatorum: Sedatio præſtatur per papaveracea ſimpliciora, per Cinnabarina & per Maſſam Pilularum de Cynogloſſa; ſicut interdum Chaccarillæ cortex & interno diſcuſſorio & ſedativo effectu conducit: neque æque interna alexipharmaca aut ſudoriſera in hoc affectu conveniunt, cum per regimen moderatum & per decocta ſimpliciora idem effectus ſalutaris longe ſecurius, quam cum illis remediis impetrari poſſit.

§. IX. Proinde vi ſecundæ indicationis motus congeſtorii avertendi ſunt, ubi ante omnia proſpiciendum eſt, ne in ſubjectis capite laborantibus alvus occluſa ſit; quid quod interdum præſtat ad revellendos hosce motus alvum moderate provocare, quo conveniunt remedia correcta & parca aloëtica & helleborina in ſubjectis idoneis, aut in junioribus Rhabarbarina & Tamarindinata; cavendo, ne ſtimulantia draſtica exhibeantur: præterea tam curatorie, quam præſervatorie conducunt pediluvia, cum moderamine adhibita, cavendo ne nimis diu pedes in iisdem relinquantur, adeoque prima alteratio eo ipſo turbetur; ubi etiam quadrant frictiones regionum inferiorum cum linteis calidis, aut in contumaciori Cephalalgia proſunt Cucurbitæ cæcæ e ſupernis regionibus in inferiores ducendæ; ſubinde cautela eſt adhibenda, ne vel pedes valde refrigerentur vel totum corpus admodum exæſtuetur.

§. X. Præter hæc interna adminicula conferunt etiam externa, quæ vel effectu diſcutiente & reſolvente, vel leniente & ſedante, vel roborante, vel etiam repellente, utilitatem ſuam exhibent, ex illis quædam ſunt evporiſta & domeſtica, alia vero pharmacevtica & magis artificioſa: ſelecta talia adminicula ſunt epithemata e ſeminibus roborantibus & baccis reſolventibus parata,

ut

ut e ſemine Carvi, Cumini, Nigellæ, baccis Juniperi & Lauri, addita mica panis, aceto ſimplici, tantillo Salis & aquæ Roſarum: porro conducunt etiam crocata cum moderamine adhibita: proſunt epithemata ex nucleis amaris & aquis reſolventibus parata: conferunt Herbæ Matricariæ, Verbenæ, Betonicæ, vel recentes contuſæ, vel cum vino decoctæ: proſunt aceta Roſaceum, Rutaceum, Lavendulatum: & ſedante quidem effectu conducit aqua Hypnotica, aut exigua quantitas olei hyosciami; reprimente effectu confert Ungventum Alabaſtrinum; quæ poſteriora remedia cum discutientibus combinanda ſunt; denique in ſenſibilioribus ſubjectis Radix & Lignum Rhodii, hoc vero magis, quam illud, ſub epithematibus ordinari poteſt.

§. XI. Quando jam maximus impetus præſentis Cephalalgiæ mitigatus fuit, tunc confert proxime per interna auxilia affectas hactenus partes roborare, ne ita facile futuris congeſtionibus pateant; præcipua roboratio capiti accidit per regimen moderatum ac quietum; deinde confert Mixtura ex Tinctura antimonii tartariſata & Cornu Cervi parata & quamvis ſuccinata remedia æque interdum roborantem qualitatem habeant, tamen eadem in hac ſpecie Cephalalgiæ non tantum juvant ac in Cephalalgia ſeroſa & Cephalæa: ab extra roborant Crocata remedia congrue adhibita, cavendo ne cum iisdem exceſſus committatur; alia denique concentrata Cephalica & nervina haud præſenti indicationi ſatisfaciunt.

§. XII. Ultimo loco præſervationis mentio facienda eſt, in qua ante omnia proſpiciendum eſt in fœminis, quo Menſes rite ſuccedant, in reliquis ſubjectis alvus in juſto ſucceſſu conſervanda, imo interdum cum moderato laxante aloëtico remedio provocanda eſt: eximie conducit præſervatoria artificialis ſangvinis imminutio, maxime per Venæ Sectionem in pede adminiſtrandam & in ſubjectis adſvetis per Scarificationem: conferunt etiam pediluvia: diæta ſit diluens, temperata & moderata, potus ſit ſufficiens, ſed non valde ſpiſſus & exæſtuans, neque valde ſpirituoſus, conducit decoctum herbæ Thee: nocet frequens refrigerium, maxime ad pedes admiſſum; nocent vigiliæ, neque etiam veſicatoria & fonticuli pro hac Cephalalgia ſangvinea præoccupanda proprie conferunt: de reliquo animus continens ſit & quælibet vehementiores commotiones & exæſtuationes ſedulo evitentur.

CAPUT II.

DE
CEPHALALGIA SEROSA.

§. I.

ALia ſpecies dolorum capitis conjuncta eſt cum Seroſa qualitate, licet primario motus congeſtorius genuina cauſa ſit, quo mediante non tam ſerum, quam ſangvis intra caput copioſius affunditur, cujus commotionis perinde non alius principalis finis eſt, quam ſuperflui ſangvinis emotio & imminutio e capite perficienda; quemadmodum talis Cephalalgia viciſſim quaſi radicaliter a ſangvinis abundantia ſuſtentatur & per artificialem ſangvinis depletionem mitigatur; ut propterea fruſtra ſit ex ſeroſo hoc accidenti aliam fundamentalem cauſam ſupponere & urgere, aut ad intemperiem & dyscraſiam ſangvinis primarium reſpectum dirigere velle, ſiquidem non raro in hiſtoria practica evenit, ut moliminum hæmorrhagicorum eventus non ſangvinei, ſed ſeroſi conſpiciantur.

§. II. Seroſa itaque hæc vocatur Cephalalgia, quia in ſubjectis de Phlegmatico temperamento una participantibus, interdum effectus & accidentia ſeroſæ ſeceſſionis, coacervationis & evacuationis oriuntur; qui affectus vero abſolute nituntur illa præcedente congeſtione non ſeri, ſed ſangvinis & quæ congeſtio ſangvinis in principali ſuo reſpectu longe aliam, quam ſeri exonerationem pro ſcopo habet, licet cum tempore denique contingat, ut, quando cum euphoria ſuperflua ſeroſa & pituitoſa materia e capite evacuata fuit, in futurum natura principaliorem ſcopum eliminandi ſangvinis amittat & ſecundarium hunc actum proſequatur; utpote qui ipſe non niſi cum præcedentibus congeſtoriis commotionibus abſolvi poteſt, ubi ſatis ſæpe urgens ſangvinis plenitudo tunc affectum comitatur, qui propterea ſub illis congeſtoriis commotionibus dolorificas tales moleſtias inducit.

§. III. Multum itaque refert, quo in hoc affectu curatius obſerventur motus, qui horum effectuum proxima cauſa ſunt & propterea aliquo moderamine indigent, ita quidem, ne vel exacerbentur, vel opprimantur aut confundantur, ſed in relatione ad ſuas deſtinationes rationabiliter & prudenter tractentur; deinde obſervare convenit in quantum ſalubritas & conſvetudo evacuationum ſangvinearum cum hiſce motibus communicet, nec non in quantum ſub iiſdem commotionibus accidentales hi effectus concurrerint, aut deni-

denique quomodo natura has ſecundarias ſeroſas depletiones loco ſangvinearum ſelegerit & in illarum ſucceſſu acquieſcat atque contenta ſit; quomodo vero vicisſim plenitudo ſangvinis urgens ſemper has commotiones augeat atque confirmet.

§. IV. Juxta tenorem harum obſervationum ipſa Therapia præſentis affectus rationabiliter inſtituenda eſt, propterea cavendum eſt 1) ab impetuoſis & crasſis evacuationibus ſeri 2) ab artificioſis vehementioribus diaphoreſibus 3) a rudi & incontinenti ordinatione Veſicatoriorum, Fonticulorum, Apophlegmatizantium &c: 4) a communi commendatione vulgarium anticatarrhalium 5) ab inopportuno uſu Salium volatilium 6) ab interna oblatione concentratorum, deſtillatorum oleoſorum remediorum 7) a negligentiori conciliatione & tractatione ſtatus plethorici 8) a negligentiori promotione ordinariarum evacuationum 9) a ſimplici uſu nervinorum & roborantium internorum & externorum medicamentorum 10) a remediis communibus ſedativis & narcoticis 11) a nuda dyscraſiæ ſangvinis correctione & proſecutione & denique 12) a qualicunque perturbatione motuum congeſtoriorum in hoc affectu occurrentium.

§. V. Quo itaque hic affectus e ſuis fundamentis ſcite & perite tractetur, præſtat ſequentes indicationes obſervare & adminiſtrare 1) ut antecedentes & generales difficultates hujus affectus auferantur 2) ut motus immoderati mitigentur 3) ut effectus ſeroſi emendentur 4) ut conſecutiones doloroſæ leniantur 5) ut juſta præſervatio præſcribatur, quæ ad fundamentum hujus affectus dirigenda eſt, ne ludicra quædam palliatio, ullibi commiſſa, hunc morbum magis perturbet, aut corrumpat, ut in futurum habitualis evadat, aliisque ſalutaribus conſiliis & auxiliis non amplius reſpondeat; ſiquidem imprimis tales affectus complicati ſingulari attentione & accurata tractatione indigent, ne genuinæ & eſſentiales intentiones & contentiones naturæ cum accidentalibus ſuccesſibus & eventibus confundantur.

§. VI. Quoad primam indicationem, præſtat omnino generales illas cauſas, quæ ad hunc affectum diſponunt, tanquam antecedentes, tempeſtive & congrue removere, prior harum eſt abundantia ſangvinis, quæ non tam curatorie, quam præſervatorie per Venæ Sectionem in pede celebrandam ordinanda eſt & licet hoc auxilium non penitus malum tollat, tamen ad radicem mali moderandam & præparandam maximum contribuit: poſterior eſt abundantia ſeri in maſſa ſangvinea, quæ per moderatas & repetitas laxationes & per liberum ſucceſſum transpirationis inſenſibilis aut per promotionem diaphoreſeos & diureſeos imminuenda eſt, quæ ſingulæ excretiones vero magis

 ſuc-

ſucceſſive, adeoque cum moderamine magis, quam cum ſimultaneo tentamine perpetrandæ ſunt.

§. VII. Sed cum hæ Cephalalgiæ præcipue nitantur motibus congeſtoriis, ita etiam confert eosdem quovis ſecuro & probato modo mitigare: conducunt huc partim lenientia & diluentia decocta gelatinoſa calida & remedia emulſiva aut dilutiora lacticinia, vel conferunt temperantia & ſedativa, ut ſunt pulveres nitrati, Cinnabarini abſorbentes, Coralliati repetito offerendi, quo adhuc conveniunt reliqua ſelecta ſedativa, quæ in præcedenti caſu commendata ſunt: quemadmodum pro iisdem motibus emendandis moderata laxantia conveniunt, ut & pediluvia, frictiones pedum & quæcunque a ſuperioribus regionibus humores avertunt; ſervata illa cautela, ne tales operationes præcipitanter & impetuoſe, ſed cum neceſſario moderamine perpetrentur.

§. VIII. Præterea cura adhibenda eſt, ne ſub ejusmodi congeſtoriis commotionibus accidentia quædam ſeroſæ ſtagnationis & ſepoſitionis occurrant; unde præſtat interne adhibere discutientia, reſolventia, moderate diuretica, cum temperato regimine diaphoretica conjuncta: huc conveniunt vel Eſſentiæ alexipharmacæ in ſeri reſolutionem efficaciores vel Succinata remedia aut Tincturæ antimoniatæ alcalinæ, quæ ad diureſeos promotionem inſerviunt; vel conducit modeſtus uſus Salium volatilium cum aliis reſolventibus remediis conjunctorum, quo Liquor Cornu cervi Succinatus inter alia adminicula ſpectat; cavendum tamen eſt, ne vel nuda volatilia, vel nimis larga exhibeantur; præterea pro interna reſolutione præſtanda conducunt cum prædictis laxantibus remediis combinanda Extracta alexipharmaca & quæ majorem efficaciam reſolventem in humores catarrhales exſerunt, ut Extractum Angelicæ, Helenii, Pimpinellæ albæ, Fumariæ, Cochleariæ, Vincetoxici, Valerianæ, quæ tamen perinde in refracta quantitate exhibenda ſunt.

§. IX. Sed quo ab extra etiam affectui & concurrentibus doloribus ſubveniatur præſtat adhibere partim discutientia, partim moderata nervina & ſimul roborantia; quare huc convenit Spiritus vini Camphoratus cum Eſſentia Croci mixtus, commixtis quibusdam Spiritibus nervinis, ut Liliorum convallium, Meliſſæ, Rorismarini, Roſarum, cum tantillo Spiritus Serpilli; præterea conferunt Sacculi ex ſpeciebus nervinis parati, quibus aliquid Camphoræ admiſceri poteſt, quales cum aliquo Spiritu humectati, vertici aut fronti applicari poſſint; non minus conducit moderatus uſus Spirituum volatilium, cum oleis nervinis mediocriter mixtorum, tam pro odore, quam ad exiguas guttulas vertici applicandorum; ita etiam Emplaſtra, e gummatibus nervinis & reſolventibus parata, temporibus applicata, quantisper conducunt.

§. X.

§. X. Denique etiam præſervationis congruæ ratio & mentio habenda & facienda eſt; propterea conveniunt Venæ Sectiones præſervatoriæ, moderatæ laxationes, pediluvia & ubi præſens affectus in habitum degenerare videtur, tunc conferunt temperatæ acidulæ, aut etiam veſicatoria; ſiquidem præter hæc adminicula diæta & regimen conveniens obſervari debent & quando hæc Cephalalgia in contumacem habitum tranſiit, tunc in quibusdam ſubjectis fonticuli proſunt: confert ſubinde mobile vitæ genus & æqualis ſangvinis diſtributio; cavendo, ne immodicæ reſtrictiones ſangvinis e peripheria ad interiora corporis excitentur; quæ omnia adminicula ſucceſsive ordinanda ſunt, quoniam hic affectus magis Chronicus eſt.

CAPUT III.

DE

CEPHALALGIA ILIACO-HÆMATICA SIVE CLAVO HYSTERICO.

§. I.

HIc capitis dolor ſpecialisſimæ conſtitutionis eſt, ſicuti ſpeciali titulo notatur, qui in genere cum Cephalalgiis ſangvinis in tantum convenit, in quantum ad ſangvinis evacuationem, e capite perficiendam, contendit, licet eventus non reſpondeat intentioni, adeoque & hæc Cephalalgia in nudo molimine hæmorrhagico ſubſiſtat, neque unquam ad actualem perruptionem perveniat; propterea tamen minime in applicatione therapevtica ab hoc fundamento declinare decet; ſiquidem aliæ cauſæ vel in ventriculo ſuppoſitæ, vel ex confuſis ſpaſmis conquiſitæ, vel ex nudis flatulentiis deductæ haud curationem e fundamento, in hoc affectu proficuam, ſubminiſtrabunt.

§. II. Hæc Cephalalgia Iliaca præ reliquis illam ſingularem qualitatem continet, quod non modo ſimplicioribus congeſtoriis, ſed contumacibus & potentibus ſpaſmodicis commotionibus abſolvatur, adeoque reliquas Cephalalgias acerbitate ſua ſuperet: hunc concurſum efferorum ſpaſmorum hic dolor capitis ex alio præcurrente affectu ſpasmodico capesſit, ſicut ex Iliaco, nimirum colico-hypochondriaco-hæmorrhoidali-hyſterico ſchemate ortum trahit, utpote tale malum formaliter ſpasmis abſolvitur, unde etiam hoc ſympto-

ma Cephalalgiæ, in quod natura interdum progreditur partim talibus motibus, qui Cephalalgiæ competunt, partim talibus commotionibus, quæ originali malo prædicto conveniunt exercetur; ex quo iterum eluceſcit, quod hic affectus ob complicationem alterius ſontici morbi & alterius gradus motus tonici eo magis contumax, refractarius & dolorificus ſit.

§. III. Ex eo facile eluceſcit, quomodo hæc Cephalalgia cum anomaliis Menſium & Hæmorrhoidum eſſentialiter cohæreat & quomodo natura cum hisce congeſtorio-ſpaſticis motibus e capite ſangvinis evacuationem urgeat, cum per ſimiles motuum ſpecies atque gradus in abdomine talem finem proſecuta ſit; unde ſub legitimo Menſium atque Hæmorrhoidum ſucceſſu, talis capitis affectus haud corripit, qui propterea ſuam communionem cum motibus menſtruis & hæmorrhoidalibus exacte obteſtatur: interim cum Menſium vitia & Hæmorrhoidum turbæ in tali ſtatu non levia, ſed omnino gravia ſint, ita ratione indolis ſuæ etiam hæc Cephalalgia hyſterica, aut hæmorrhoidalis gravis, ardua & tenax eſt, eoque minus palliativa methodo excuti poteſt, cum radix illius in individuo ſemper urgeat & in perpetuo motu eſſe obſervetur.

§. IV. Ob id magna attentio in hac Cephalalgia dirigenda eſt ad motus & non æque ad ſimplices dolores, nam ſi motus non e fundamento curantur, tunc reliqua dolorum lenitio & conſopitio haud citra confuſionem & corruptionem reliqui affectus ſuccedit; proinde ratio habenda eſt, quod illi motus non turbulenti & ſteriles ſint, ſed quod ad ſangvinis promotionem & emotionem a natura æque in capite dirigantur ac ſimiles motus congeſtorio-ſpaſtici in Iliorum regione & hypochondriis ad ſangvinem menſtruum vel hæmorrhoidalem provocandum & emovendum contendunt: præterea obſervare convenit, an & in quantum ſangvis quoad conſiſtentiam ſuam hisce motibus excretoriis reſpondeat, quo omne impedimentum debite avertatur & proinde affectus quoad ſingulos reſpectus legitime percuretur.

§. V. In contumaci & intricato hoc affectu cavendum eſt 1) a quibusvis impetuoſis evacuationibus, maxime vero a vomitoriis 2) a confuſa ſangvinis ſubtractione 3) imprimis in ſuperioribus corporis regionibus 4) a negligentiori ſangvinis ventilatione & 5) reliquarum ordinariarum excretionum incongrua promotione 6) a remediis quibusvis calefacientibus 7) a volatilium curatorio uſu 8) a refrigerantibus, adſtringentibus et ſuſpecte præcipitantibus 9) a vulgatis narcoticis 10) a communibus uterinis 11) maxime caſtorinis internis remediis, 12) ab externis nervinis acrioribus & vulgatis Cephalicis 13) a deſtillatis oleoſis ſpiritibus ſuccinatis ſimilibusque remediis 14) a repellentibus ſulphuratis, topicis 15) ab externis emollientibus, ungvinoſis, emplaſticis & fa-

tuis

tuis aliis valde humectantibus ſubjectis & denique 16) a qualicunque alia interna & externa motuum congeſtoriorum exacerbatione.

§. VI. In cura præſentis affectus hæ indicationes practicæ obſervandæ ſunt 1) ut generaliora impedimenta tempeſtive removeantur 2) ut immoderati motus congrue mitigentur 3) ut urgentes dolores debite leniantur 4) ut convenienti præſervatione radix hujus affectus præſcindatur & illa cauſa, ex qua oritur, rite tractetur, utpote quæ cura ad fundamentum hujus affectus tendens magis præſervatoriis, quam curatoriis reſpectibus & uſibus reſervanda eſt, cum ſub ipſius affectus exacerbatione haud ita facile radix mali adminiſtrationibus therapevticis obtemperet.

§. VII. Quoad primam indicationem obſervare convenit an excretio alvi cohibita & obſtructa ſit & an deinde moleſta & morbida flatulentia concurrat; pro utroque incommodo tollendo, imprimis convenit tempeſtiva lenitio & apertio alvi, quæ minime cum poſitivis ſtimulantibus remediis perficienda eſt, ſed potius omnem uſum laxantium & purgantium internorum admodum ſuperat clyſterum repetita ſubordinatio; conveniunt itaque clyſteres non ſtimulantes, ſed potius emollientes & leniter roborantes & quando excretio alvina in ordinem juſtum redacta fuit, tunc convenit ſubjungere pilulas genuinas Beccherianas, quæ hanc excretionem in juſto ordine conſervant; non minus pro eodem ſcopo conferunt inſeſſus moderate roborantes, attamen cum aliqua temperie applicandi.

§. VIII. In ſecunda indicatione ratio habenda eſt motuum congeſtorio-ſpaſmodicorum, qui corrigi debent per lenientia, temperantia & ſedantia, quo illa adminicula conferunt, quorum in ſimili indicatione in præcedentibus mentio facta fuit; ſeorſim ad hoſce motus in radicibus ſuis compeſcendos præmiſſa apertione, lenitione & temperatione conducit Herba Millefolii, quæ vel in decocto, vel in Eſſentia adhibita & cum Tinctura Corticis Chaccarillæ & Eſſentia Pimpinellæ albæ mixta apprime confert; ab aliis vulgatis narcoticis maximo ſtudio abſtinendum eſt, ſiquidem rectius lenientia & temperantia remedia præ aliis conveniunt: non minus hoc tempore ad emendandos motus anomalicos in abdomine occurſantes conferunt externa vel cataplaſmata e moderatis nervinis remediis parata, linimenta lenientia & modeſte ſtomachica, quibus formulis ſecure tantillum Caſtorei admiſcere licet.

§. IX. Sicut in hac Cephalalgia primario ſcopo motus per interna præcipue mitigandi ſunt, ita etiam dolores in eodem affectu aliquali lenitione & temperie indigent, quamvis fundamentum hujus lenitionis in motuum temperatione conſiſtat: præterea in præſenti affectu etiam topica adminicula conveniunt, quæ ſpaſmodico-congeſtorios hoſce motus discutiunt, tempe-

rana

rant & ex parte etiam ſedant. Conveniunt itaque Camphorata, quæ ſi certis ſubjectis adverſa fuerint cum Sacculis nervinis commutari debent, qui parari poſſunt e radicibus Ariſtolochiæ rotundæ, Caryophyllatæ, Ireos florentinæ, Leviſti, Herbis Rorismarini, Menthæ, Pulegii, Serpilli, Matricariæ, Hyſſopi, flor: Sambuci, Stœchados arabicæ &c. addendo tantillum de Caſtoreo, quales ſacculi cum pauxillo fervidi vini impraegnari poſſunt; alias confert Spiritus vini Camphoratus, miſcendus cum Spiritu formicarum, Liliorum convallium, Rorismarini & exigua quantitate Eſſentiæ Coſtorei: præterea conveniunt frictiones cum pannis calidis & paululum aſperis in dorſo et femoribus adminiſtrandæ; ſicut modeſtus embrocationum nervinarum uſus non diſſvadendus eſt.

§. X. Quando hic dolor capitis plurimum remiſit, tunc circa finem curæ ordinanda eſt Mixtura uſitata roborans; in futurum affectui primario hypochondriaco-hyſterico præſervatoria methodo ita ſubveniendum eſt, quo ſalutares ſangvinis fluxus, quantum fieri poteſt, in juſtum ordinem revocentur: quando vero hic effectus conatus noſtros fallit, tunc præſervatoriæ Venæ Sectiones in pede, aut in aptis ſubjectis & caſibus hirudinum applicationes ad loca hæmorrhoidalia conducunt. Non minus cura habenda eſt, quo alvus in juſta apertura perennet; deinde diæta ſit tenuis non valde nutriens neque primis regionibus turbas inferens, ſed evpepta & mediocriter aromatica: inſuper ſufficiens potus & conveniens corporis motus, nec non pediluviorum, inſeſſuum & temperatarum thermarum uſus concedendus eſt: præterea talia ſubjecta a veneris uſu abſtineant & omnes animi affectus ſedulo evitent, inſuperque moderatum calorem tam in diæta, quam in externo regimine ſervent. Sic artificioſa methodo Deo benedicente hic intricatus capitis affectus præſervabitur.

CAPUT IV.
DE CEPHALALGIA PRODROMO APOPLEXIÆ.

§. I.

INntér illos capitis dolores, qui eximia dexteritate tractari & ſingulari ſollicitudine præſervari debent, etiam illi ſunt, qui cum ſuſpecto omine interdum eventus paralyticos, hemiplecticos & apoplecticos præcurrunt, quip-

quippe qui alias Cephalalgiarum ſpecies & repentina inverſione & contumaci gradu ſuperant, licet aliquot peculiaribus indiciis ſeſe una diſtinguant: Neque quidem in tali affectu dolores adeo attendendi ſunt, quam potius futuri eventus metuendi, unde viciſſim non tam doloribus leniendis, quam cauſis genuinis & radicalibus tempeſtive extirpandis cura applicanda eſt; etenim quo magis palliative hæc Cephalalgia tractatur, eo certius atque citius periculoſi & pernicioſi illi eventus erunt metuendi.

§. II. Interea & hæc Cephalalgia non in vano quodam motu ſtrictório ſpaſtico conſiſtit, ſed adeſt una contumax naturæ contentio ad ſangvinis evacuationem e capite perficiendam: ſed cum non ſatis accurate hæc methodus a natura tractetur & in alias regiones magis poſticas, quam anticas capitis motus illi dirigantur, propterea etiam eventus non eſt genuinus, ſed potius ſiniſter, ſiquidem adultior ætas & inſvetudo perſonalis multum contribuunt, quo minus convenienter hic conatus naturæ excretorius abſolvatur: de reliquo urgens ſangvinis ubertas illa principalis cauſa eſt, quæ naturam allicit, quo tales motus ſuſcipiat, hinc inconveniens & inſufficiens ille actus eſt therapevticus, quando tantum motus coercentur & tamen cauſa, propter quam illi committuntur, negligitur; unde pro efficaciori & promptiori medicatione hujus affectus tempeſtive vicario quodam actu therapevtico urgens illa cauſa removenda erit, ita eveniet, ut reliquæ commotiones eo ſecurius et ſincerius emendentur.

§. III. Quo itaque intricata hæc Cephalalgia congrue tractetur, cavendum eſt 1) a quibusvis, maxime vero anotericis fortioribus evacuationibus 2) a negligentiori promotione ordinariarum evacuationum 3) ab intermiſſione ſalutaris evacuationis ſangvineæ 4) a negligentiori tractatione prægreſſarum & nunc ſuppreſſarum ſpontanearum Hæmorrhagiarum ſalutarium 5) a remediis calidis & maſſam ſangvinis impellentibus, ut & 6) a regiminibus æſtuoſis & ſudoriferis 7) a vulgatis narcoticis 8) ab internis & externis refrigerantibus & adſtringentibus 9) a remediis incraſſantibus 10) ab externis nervinis & communibus cephalicis 11) a topicis repente repellentibus & 12) a multitudine methodorum & incongruarum ſubſtantiarum medicarum.

§. IV. Cura hujus Cephalalgiæ hisce indicationibus abſolvitur, 1) ut tempeſtiva revulſio adminiſtretur 2) ut immodici motus mitigentur 3) ut ſangvis ſufficienter ventiletur 4) ut bonum regimen ordinetur: Siquidem ſingulæ hæ indicationes magis ad præſervatorios, quam ad curatorios uſus, ſe extendunt, unde in curatione omne moderamen ſervandum eſt, ne ex qualicunque fortiori commotione talia irritamenta oriantur, quæ potius in totius affectus præjudicium cedere poſſunt.

§. V. Quod revulſionem tempeſtive inſtituendam attinet, tunc contumaces hi motus anoterici mox e regionibus ſuperioribus avertendi ſunt, ita quidem, ut tamdiu Ventriculus ab ingeſtione ciborum arceatur & potius ab inhærentibus impuritatibus per abſtergentia liberetur, cavendo, ne vomitus excitentur; proinde rectius catharſes conducunt, quæ per aloëtica & helleborina remedia, nec non per correcta ſcammoniata perfici debent, quibus cum congeſtio ſangvinis a capite avertitur: ſubinde etiam licet pro conſervanda hac avocatione motuum interdum laxationes tales continuare, cavendo, ne talis etiam excretio cum impetu & gravi partium atque humorum commotione ſuccedat.

§. VI. Proinde motus contumaces congeſtorios revellunt pediluvia, frictiones pedum, phœnigmi plantis pedum applicandi, ut & urgente affectu Venæ Sectio in pede inſtituta & licet quidam e practicis in tali caſu arteriotomiam commendent, tamen loco hujus hirudines circa proceſſus maſtoideos applicati eandem utilitatem promittunt, qua ultima evacuatione derivatio contingit, cui ſubjungere licet prædicta reliqua revellentia auxilia, præcipue pediluvia & laxationes moderatas: quibus ſingulis adminiculis præſentibus contumacibus congeſtionibus magna alteratio inducitur: maxime cavendum eſt, ne modo commendata hirudinum applicatio præmature ſuſcipiatur, neve ante univerſalem ſangvinis ventilationem committatur, alias potius contumacem affluxum intra caput auget, unde rectius talia revellentia & derivantia remedia juſto ordine commendanda erunt.

§. VII. Præterea motuum congeſtoriorum ratio habenda eſt, quo ab intra mitigentur & ſecure ſedentur, ſubinde etiam ab extra diſcutiantur & temperentur: per interna auxilia ſuccedit hæc correctio, quando offeruntur nitrata remedia repetitis vicibus & antiſpaſmodica Cinnabarina; nec non conveniunt diluentia, lenientia, emulſiva, non valde pingvia & leviter papaveracea & quo hi motus contumaces paulo efficacius emendentur, licet etiam ſelecta & ſecura ſedativa remedia conjungere, e quibus vel ſimpliciora papaveracea, vel Maſſa Pilularum de Cynogloſſa vel Cortex Chaccarillæ conveniunt; externe conducunt Camphorata aliaque remedia motus ſpaſmodicos temperantia, ut ex formicis & lumbricis terreſtribus parata, nuchæ, occipiti & vertici applicanda; cavendo, ne calida, oleoſa, volatilia, concentrata ſuccinata o dinentur.

§. VIII. Imprimis in hoc affectu tertia indicatio, quæ ſangvinis ſufficientem ventilationem injungit proficit: & hæc ipſa quidem præſervatoriis uſibus relinquenda eſt, licet urgente affectu etiam curatorie committi queat, ubi tamen illa circumſpectio ſervari debet, quo in futurum præſervatoria talis

ventila-

ventilatio ſangvinis ſubordinetur: præſtat vero talem imminutionem ſangvinis ſuperflui in inferioribus corporis regionibns adminiſtrare per Venæ Sectionem & ſi ſubjecta vel actualibus Hæmorrhoidum profuſionibus, vel moliminibus hæmorrhoidalibus obnoxia fuerint, tunc cum magno uſu præmiſſa Venæ Sectione hirudines in conſilium vocari poſſunt, ita ut locis hæmorrhoidalibus applicentur. Hiſce evacuationibus ſangvinis prædicta laxantia & reliqua revellentia ſubjungere licet, quo hac methodo conſtanter motus anoterici avertantur.

§. IX. Denique in hoc affectu ordinandum eſt bonum regimen, quod in hiſce circumſtantiis conſiſtit, vt patiens animo apprime continens ſit, deinde in diæta admodum temperiei ſtudeat, cibos non largiter ingerat, neque etiam valde nutrientia alimenta uſurpet, quidquod ab aromaticorum multo uſu abſtineat, ſed potius diluentia & ordinarias excretiones adjuvantia in ſubſidium trahat: potus ſit tenuis non valde vinoſus neque ſpirituoſus; nocent compotationes & inebriationes; nocent lucubrationes nocturnæ & multæ vigiliæ; alvus in juſto ſucceſſu conſervetur; motus corporis ſit ſufficiens, ſed non repentinus & nimius; ſenſibile refrigerium maxime in pedibus arceatur & potius calor moderatus, minime vero exceſſivus, concilietur; interdum repetantur laxationes aut Infuſa medicata, ſicut etiam præſervatorie imprimis in hæmorrhoidariis pilulæ genuinæ Stahlianæ conferunt: acidulæ vero & thermæ aut balnea domeſtica haud proſunt.

CAPUT V.

DE

CEPHALALGIA VENEREA.

§. I.

Ut plurimum famoſo affectui venereo ſeſe tanquam moleſtum ſymptoma jungit contumax capitis dolor, qui propterea radicaliter hoc ſpecifico inquinamento nititur, adeoque non e cauſa idiopathica deducendus eſt; ſiquidem etiam ratione principaliorum ſenſationum dolorificarum ab alia ſimpliciori Cephalalgia diſcrepat, imo ſubinde in reliqua indole ſua pertinax maximeque refractarius hic capitis dolor eſt, ut & quaſi periodicus evadit, ſiquidem indies illis horis exacerbari incipit, quibus reliquum inquinamentum venereum augmenta ſua ſuſcipit, hinc talis venerea Cephalal-

phalalgia ex alio plane fonte tractari debet, licet cæteroquin in ſubjectis plethoricis, aut ſangvinis commotionibus obnoxiis, aut antehac ſangvineis cephalalgiis expoſitis ſub primario venereo ſchemate nonnunquam etiam per accidens hæc ſangvinea complicatio contingat.

§. II. Provenit itaque talis Cephalalgia a læſione vellicatoria, quæ pericranio inducitur per inquinamentum venereum, nunc ſpecifice ſalſuginoſum & fermentativum; unde ſenſus eſt pungens, rodens, pruriens, vellicans, ſtimulans, ardens, terebrans, qualis dolor una reliqui corporis perioſtia affligit: præterea contingit, ut ob tales moleſtas vellicationes congeſtiones ſangvinis & reliquorum humorum caput invadant, quæ deinde primarios & prædictos dolores cum tenſoriis, diſtenſoriis, oppletoriis, ardentibus moleſtiis augent, ad quem concurſum propterea artifex etiam reſpicere debet: de reliquo hic affectus non cedit, niſi fundamentum & irritamentum illud venereum extirpatum fuerit.

§. III. Pro ſecuriori & meliori hujus Cephalalgiæ cura cavendum eſt 1) a confuſis evacuationibus 2) a negligentioribus neceſſariarum evacuationum promotionibus 3) ab incurioſa & inſufficienti venerei contagii eradicatione 4) a remediis internis & externis refrigerantibus 5) a medicamentis incraſſantibus & adſtringentibus 6) ab uſu remediorum narcoticorum 7) ab ordinatione internorum & externorum cephalicorum & nervinorum 8) a confuſo & inopportuno diſcutientium uſu 9) a negligentiori tractatione concurrentium congeſtionum ſangvinearum 10) ab alvinæ excretionis perturbatione & obſtructione 11) a quibusvis remediis calefacientibus & impellentibus & 12) a confuſis quibusdam tentaminibus & evacuationibus chirurgicis.

§. IV. Cum hæc Cephalalgia magis ſymptomatica exiſtat, ita pro illius cura ſpeciales indicationes commendari haud poſſunt, propterea cura ita dirigenda eſt, ut antea contagium venereum removeatur & affectus e ſuo fundamento auferatur; quamdiu enim hæc lues in ſuo vigore eſt, tamdiu omnis palliatio in hoc affectu vana & fruſtranea exiſtit; præcipue ſtudendum eſt, quo alvus aperta maneat, ne ex hujus obſtructione humores magis ſuperiores regiones offendant; deinde confert horis veſpertinis, quibus hi dolores ingruere ſolent, exhibere decocta dilutiora & remisſius lignoſa: denique etiam proſpiciendum eſt, quo placida diaphoreſis ſuccedat, ut aliqualis humorum dyscraſia ventiletur.

§. V. Et quo eo magis materia peccans a perioſtiis disſipetur, tanto magis convenit vel generales, vel ſpeciales internas discusſiones & derivationes ſuſcipere; hoc nomine proſunt in quibusdam ſubjectis pediluvia, in nonnullis balnea, in aliquibus frictiones, quæ perinde ad horum dolorum mitigationem

tionem concurrunt; ab extra moderatus uſus Camphoratorum non penitus rejiciendus eſt, ſervata illa cautela, ne talia nimis largiter nimisque frequenter uſurpentur: proinde interna diluentia non parum contribuunt, quo materia peccans partim in qualitate ſua acri temperetur, partim a locis affectis magis eluatur; conſultius decocta ex vegetabilibus, ut ex radicibus Apii, Chinæ, Sarſaparillæ, Scorzoneræ, Liquiritiæ, herbis Fumariæ, Veronicæ, Saponariæ & tantillo Paſſularum majorum parata, quam cereviſiæ potus conducunt.

§. VI. Non parum ad mitigandam & curandam hanc Cephalalgiam conducit Eſſentia Pimpinellæ albæ, quæ & veſperi & noctu repetito exhibenda eſt, ſubjuncto regimine leniori diaphoretico: proſunt etiam teneriora abſorbentia & coralliata remedia cum tantillo antimonii diaphoretici conjuncta & ſi congeſtoriæ commotiones intercurſant, tunc interdum, ſed cum moderamine, parca quantitas Nitri cum prædictis pulverulentis ſpeciebus exhiberi poteſt: ſubinde etiam confert interdum laxationes ordinare & quidem tales ac cum talibus remediis, quæ ſpecifice huic contagio reſiſtunt, quo ordine magis ſucceſſive hic dolor curandus erit, omiſſis remediis ſedativis & repellentibus: denique prudens ſulphuris uſus internus, parcus tamen & extra orgaſticas humorum commotiones in hoc affectu non contemnendus eſt.

CAPUT VI.

DE

CEPHALALGIA STOMACHALI.

§. I.

ALterius porro & diſcretæ indolis eſt illa Cephalalgia, quæ e ſtomacho primas ſuas impulſiones nanciſcitur, quæ vero cum ſimplici Cephalalgia aliqualem convenientiam habet, dum in ſubjectis ad congeſtiones ſangvineas pronis talis afflictio provocatur per qualescunque Ventriculi offenſiones, ubi fruſtra tantum conſenſus illius nervi ſiniſtrum Ventriculi orificium ambientis cum capite accuſatur, quaſi hic ab ingeſtis prematur, vellicetur, aut alio modo moleſte afficiatur; ſiquidem ab ejusmodi objectis talis Cephalalgia excitari ſolet, a quibus nulla talis acrimonia, aut offenſio preſſoria

deduci poteſt, dum utplurimum perſonalis averſio talium objectorum occaſionem ſubminiſtrat, quo congeſtiones conſvetæ caput occupent.

§. II. Et quamvis circa præſentiam adverſi objecti in ventriculo tales capitis dolores ſubjecta affligant & detineant, nec non abſente tali objecto affectus talis complacetur, tamen propterea minime motus ille ad capitis dolorem contribuens e ſtomacho aſcendit, aut per nervos communicatur, ſed potius conſveta congeſtio ſangvinea per illam adverſam cauſam, in ſtomacho hærentem, propterea exacerbatur, quia nunc natura circa hujus objecti vomibundam exonerationem ambigit & operoſa eſt, unde illa contenta Ventriculi non niſi remotiorem cauſam impulſivam ſuppeditant, ex cujus præſentia natura antiquum ſuum motum congeſtorium repetit, qualis congeſtio primario ad ſangvinis exonerationem tendit, licet poſthac citra realem hujus finis proſecutionem ex mera quadam conſvetudine, attamen ſub concurſu aliorum impulſuum hæ commotiones congeſtoriæ continuent.

§. III. Et cum in hujus Cephalalgiæ cura varia occaſio a vero ſcopo aberrandi occurrat, ita cavendum eſt 1) a poſitiva artificiali emeſi 2) ab actuali curatoria alvi purgatione 3) ab uſu communium ſtomachicorum remediorum 4) a præmatura ordinatione carminativorum & roborantium medicamentorum 5) a quibuscunque acribus ſpirituoſis & concentratis auxiliis 6) a negligentiori promotione ordinariarum evacuationum 7) a nudo aut præmaturo anodynorum uſu 8) a negligentiori conciliatione ſtatus plethorici & evacuationum ſangvinearum adminiſtrandarum 9) a methodo medendi, tantum ad ventriculum directa 10) a poſitiva alvinæ excretionis occluſione 11) a concurrentium flatulentiarum ſiniſtra tractatione & 12) a confuſo uſu topico nervinorum & cephalicorum remediorum.

§. IV. Quo vero hæc Cephalalgia meliori ordine & e fundamento curetur, præſtat ſequentes indicationes obſervare 1) quo cauſæ impulſivæ tempeſtive & congrue removeantur 2) quo inſolentes & immoderati motus mitigentur 3) quo partes quælibet in hoc affectu detentæ in futurum roborentur & 4) quo primaria hujus affectus cauſa ſucceſſive & opportune removeatur, ſervato 5) & conjuncto congruo regimine, ne ex ulla occaſione hic affectus exacerbationes ſuas capeſſat.

§. V. Cauſas impulſivas quod attinet, tunc quædam eſt adhuc in Ventriculo contenta & conſiſtit in ingeſtis qualitercunque adverſis: in hac neceſſitate, ſi congrue fieri poteſt, prudens & moderata enchireſis adhibenda eſt, quo ingeſta talis materia tempeſtive removeatur; quare modeſtus vomitus conducit, qui etiam minime per pharmaca excitandus, ſed potius externo quodam levi auxilio invitandus eſt, pro hoc ſublevando convenit uſus

di-

diluentium, imprimis decoctorum calidorum, ſiquidem in hoc paſſu magis calida, quam frigida conveniunt, quod tamen de potulentis dictum eſt; ſi vero talis vomitus non ſucceſſerit, tunc conveniunt vel digerentia, abſterſiva, ſalina vel reſolventia amara, quæ ſimul excretionem alvinam adjuvant; quo nomine vel Pilulæ Stahlianæ pulveriſatæ, vel in ſubſidium pilulæ ex Extractis amaris paratæ, vel Eſſentia quædam amaricans conducunt.

§. VI. Quando cauſa eſt extra ventriculum & in inteſtinis continetur ac ſeſe per moleſtam flatulentiam prodit, tunc quam primum cura eſt adhibenda, quo flatus educantur; quo nomine conveniunt vel urgente neceſſitate clyſteres emollientes & roborantes, vel Eſſentia quædam temperata reſolvens & roborans, vel etiam ab extra linimentum leniens & roborans abdomini applicandum; cavendo, ne remedia anodyna interne ordinentur, quæ, licet de præſenti aliquam ſalubritatem ſimulatam promittant, tamen in futurum variis ſuſpectis conſecutionibus anſam præbent.

§. VII. Dum vero motus congeſtorii hanc Cephalalgiam proximiori influxu afficiunt, ita proximum etiam erit, quo hi motus ab intra & extra mitigentur, leniantur, temperentur & diſcutiantur; conveniunt propterea partim diluentia & quidem decocta calida; deinde etiam proſunt uſitata nitrata remedia & pulveres antiſpasmodici Cinnabarini: quodſi etiam hi motus nimis contumaces fuerint, tunc licet talibus temperantibus remediis aliud ſelectum & ſecurum anodynum conjungere: multum etiam ad hos dolores complacandos conducit requies, ab extra proſunt illa diſcutientia, quorum in ſuperioribus ſæpius mentio facta fuit, quo commode referuntur domeſtica ſimplicia topica reſolventia & roborantia, cavendo, ne acriora & concentratiora remedia ordinentur.

§. VIII. Quando hi motus utplurimum in tranquilliorem gradum tranſlati ſunt, tunc præſtat capitis internæ roborationi ſtudere, ne futuris novis inſultibus Cephalalgicis facile obtemperet: pro hac roboratione ſatisfaciunt ſalia volatilia, circa exitum hujus affectus offerenda, uti Mixtura roborans in uſum tracta admodum proficit: habet etiam aliqualem utilitatem Succinum, cujus Eſſentia cum tali Mixtura conjuncta conducit; haud tamen neceſſe eſt ab extra roborantia ordinare, tanto minus vero oleoſa balſamica conveniunt, multum hanc roborationem ſublevat neceſſaria animi & corporis requies: quemadmodum in ſubjectis adſvetis uſus boni vini non modo Ventriculo, ſed & reliquo corpori roborantem qualitatem promittit.

§. IX. Interim pro fundamentali hujus affectus cura abſolute neceſſarium eſt, quo principalis cauſa, quæ in hoc affectu laborat, recte tractetur, hæc conſiſtit in urgente ſangvinis abundantia, quæ tantis alterationibus

&

& irritamentis expoſita eſt, ubi convenit præſervatoriis temporibus Venæ Sectionem in pede ordinare & in fœminis providere, quo menſes in juſto ordine continuent & quo hæc congeſtio ſangvinis tam curatorie, quam præſervatorie a capite avocetur, ita pediluviorum uſus commendandus eſt, de reliquo ventilatio ſangvinis, ſicut ordinate adminiſtranda, ita etiam cum bono regimine ad ſalutarem effectum promovenda eſt.

§. X. Cum vero ventriculus in hoc affectu irritamentum ſuppeditaverit, ita pro meliori regimine, quod in hac Cephalalgia tam curatorie quam præſervatorie congruum eſt, præcipue regularem diætam ſeligere convenit, ubi ſingula illa alimenta & potulenta evitanda ſunt, quæ ullas turbas in primis regionibus cauſari ſolent & ſecundum diverſitatem individuorum differunt; proinde confert alvum in juſto ſucceſſu conſervare, flatulentias evitare, externa & interna refrigeria maxime abdomini & pedibus imminentia arcere & negotium concoctionis qualicunque moderato auxilio ſublevare, ſubinde etiam reliquas cauſas avertere, quæ ad congeſtorias tales commotiones provocandas ſatisfaciunt.

CAPUT VII.

DE

CEPHALÆA.

§. I.

AD peculiares & certis circumſtantiis diſcretas ſpecies dolorum capitis pertinet *Cephalæa*, quæ quidem rarior eſt, quam vulgaris Cephalalgia, interim e communi Cephalalgia utplurimum ortum traxiſſe obſervatur, unde quoad fundamentalem rationem cum illa communicat & ex eodem fundamento decidenda eſt: conſtituit quidem affectum diuturnum, contumacem & valde moleſtum, qui etiam non tam facile quibuscunque congruis medicationibus obtemperat, unde patienter tractandus eſt, cum viciſſim hic affectus per inconvenientia experimenta & tentamina tractatus, facile in deteriores complicationes aliorum morborum magis ſuſpectas corruptiones & contumaciorem indolem converteretur.

§. II. Principaliori quidem ratione hic affectus congeſtiones ſangvinis intra caput nunc habituales involvit: ſed ſubinde complicatur cum aliquali

quali partium capitis & imprimis vaſorum venoſorum extenſione & laxitate, ut ob hanc atoniam affluxus ſangvinis copioſior, profluxus vero & refluxus tardior & difficilior ſit, unde una contingunt aliarum confluentium humiditatum, imprimis ſeroſarum in ſubjectis pituitoſis ſeceſſiones, inde cum Cephalæa complicantur non raro affectus & effectus ſeroſi, quæ ſingulæ concurrentes paſſiones & afflictiones tanto magis præſentem affectum exaſperant.

§. III. Et cum hic affectus quoad indolem ſuam intricatus & contumax exiſtat, ita eo majori moderamine opus eſt, ne pervertatur, ob id cavendum eſt 1) ab evacuationibus artificialibus impetuoſis, 2) maxime vero anotericis emeticis exturbationibus 3) ab ordinariarum excretionum perturbationibus & ſuppreſſionibus 4) a ſangvinearum evacuationum artificialium & ſpontanearum confuſis tractationibus 5) a remediis valde calefacientibus & humores impellentibus 6) a frequenti & copioſo narcoticorum uſu 7) a nuda oblatione nervinorum remediorum 8) a refrigerantium & adſtringentium interno & externo uſu 9) a præmatura oblatione ſalium volatilium 10) a negligentiori ſangvinis impurioris repurgatione 11) a præmaturo uſu experimentorum Chirurgicorum, ſeri evacuationem arceſſentium & denique 12) a perverſo regimine & nimis confuſo modo remedia diverſa exhibendi.

§. IV. Therapia Cephalææ ordinem ſequentium indicationum infert & commendat 1) ut ordinariæ evacuationes promoveantur & ſangvis ab omni intemperie liberetur, 2) ut inordinati motus corrigantur 3) ut partes ab intra & extra decenter & ſufficienter roborentur 4) ut motibus & affluxibus humorum idonea diverſio & derivatio opponatur & denique 5) ut regimen & præſervatio conveniens præſcribantur: quoniam vero hic affectus diuturnus eſt, ita commemoratæ indicationes in applicatione ſua non ſunt præcipitandæ, ſed partim cum optimo moderamine continuandæ, partim etiam cum exacto regimine ſublevandæ.

§. V. Quoad primam indicationem præcipue confert, quo excretio alvina artificioſe interdum provocetur & impuritates mucidæ bilioſæ & pituitoſæ evacuentur; ſubinde etiam confert, quo qualiscunque dyſcraſia ſangvinis concurſans una repurgetur, hinc conducunt vina medicata e ſpeciebus reſolventibus, diureticis, roborantibus & laxantibus parata; non minori etiam efficacia conducunt amara abſtergentia tam Extracta, quam etiam Salia digeſtiva, ſicut in ſubjectis humidis & pituitoſis efficaciora reſolventia conveniunt: & hæc remedia per intervalla exhibenda & continuanda ſunt, ita tamen temperanda, ne prodigas & ſimultaneas commotiones & evacuationes cauſentur.

§. VI. Præſtat etiam quo in ſubjectis cum Cephalæa affectis, imprimis humidioribus, excretio diaphoretica, moderata tamen, interdum provocetur; qualis provocatio vel ſub uſu moderatorum balneorum, vel ſi commoditas loci permittit, ſub uſu temperatarum thermarum, vel alias cum pediluviis adminiſtrari poteſt, quemadmodum alias Eſſentiæ reſolventes & alexipharmacæ, imprimis etiam in phlegmaticis ſubjectis ſuccinata & ſaſſafrata remedia, Liquor Cornu cervi ſuccinatus ad hanc diaphoreſin conciliandam conducunt, quæ tamen ſub illa cautela exercenda & dirigenda eſt, ne nimis ſæpe, neve nimis frequenter ſuſcitetur.

VII. Deinde motibus congeſtoriis concurrentibus mitigandis opera danda eſt; fieri poteſt, quo hæc mitigatio vel per temperationem vel per ſedationem ſuccedat; priori effectu & uſu conducunt antiſpaſmodica Nitroſo-Cinnabarina remedia, poſteriori modo interdum exhibenda ſunt ſedativa ſelecta; cavendo tamen, ne craſſiora narcotica conjungantur; e ſelectis vero conducit vel Maſſa Pilularum de Cynogloſſa vel extractum Chaccarillæ; quibus dehinc ſubordinanda ſunt interna diſcutientia & temperantia remedia, providendo quo evacuationes ordinariæ rite continuent.

§. VIII. Tertio loco partibus roborandis artifex ſtudere debet, quia communiter in hoc affectu laxitas vaſorum ſangviferorum in capite concurrit: & talis roboratio vario modo perfici poteſt, vel, quando exhibentur Infuſa vinoſa, ſuperius commendata cum nervinis ſpeciebus conjuncta, vel quando ordinatur Mixtura e Spiritu Cornu cervi & Eſſentia Succini parata, quemadmodum modeſtus aromatum uſus ſua utilitate non caret; extrinſecus conducunt ſacculi parandi ex ſpeciebus nervinis & ex radicibus Leviſtici, Caryophyllatæ, Ireos florentinæ, ſerpentariæ virginianæ, Angelicæ, Mei, herbis Roriſmarini, Serpilli, Baſilicæ, Thymi, Menthæ, Matricariæ, Verbenæ, Pulegii, Salviæ, floribus Lavendulæ, Spicæ, Croco orientali, additis quibusdam Gummatibus ſvaveolentibus & ſi ſubjecta perferre poſſunt Ambrata ſimiliaque, tunc & illa talibus ſacculis conjungi poſſunt: ſpectant huc ligna ſvaveolentia, maxime ſaſſafras, lignum aloes, radix Rhodiæ, quales ſacculi in vinum fervidum intincti, vel cum Spiritu vini Camphorato, Spiritu Liliorum convallium, Roriſmarini, Serpilli, Formicarum humectati aliquandiu in vertice geſtati conveniunt: non minus emplaſtra Maſtichina in temporibus geſtata quantiſper proſunt; ita etiam in ſubjectis temperatis parcus uſus balſamorum oleoſorum, vertici adhibitorum, confert, uti & aromatica, imprimis Nux Moſchata, vertici impoſita, ſucceſſivam utilitatem ſpondent.

§. IX.

§. IX. Et dum hic affectus refractarius & immorigerus eſt, ita porro ſucceſſiva diverſio atque revulſio motibus induci debet; hæc adminiſtratur variis modis, vel per repetitas laxationes ſive cum aloeticis, ſive cum Infuſis vinciſis evacuantibus, inſtruendas, vel conferunt pediluvia, vel etiam in ſubjectis humidis & pituitoſis Veſicatoria aut fonticuli concedi poſſunt, ita quidem ut interea corpus ab impuritatibus ſpecialioribus ſedulo repurgetur, nec non ut ordinariæ evacuationes in debitum ſucceſſum convertantur, quemadmodum nonnunquam moderatæ diaphoreſes hunc revellentem effectum promittunt & ſi forte alii reſpectus, imprimis hæmorrhoidales, concurſant, tunc hirudinum applicatio ad hæmorrhoidalia loca pro eadem intentione conducit; neque denique negligenda eſt illa revulſio, quæ per Venæ Sectionis in pede adminiſtrandæ uſum præſervatorium præſtatur.

§. X. Denique regiminis & præſervationis mentio injicienda eſt; Regimen ordinandum eſt temperatum a nimia exæſtuatione & ſenſibili refrigeratione corporis liberum; aura ſeligatur ſerena & temperata; motus corporis & moderatæ peregrinationes non inutiles ſunt; diæta ſit non valde ſpirituoſa ſubinde etiam diluens mollis & evpepta; vini boni uſus non denegari poteſt; porro conjungatur potus ſufficiens; præſervatorie conveniunt laxationes, moderatæ diaphoreſes, temperatæ ſangvinis miſſiones, uſus thermarum, aliæque Chirurgicæ particulares excretiones, animus ſit quietus & reliquæ ordinariæ evacuationes juſte & legitime continuentur.

CAPUT VIII.

De

HEMICRANIA.

§. I.

Quanquam hactenus variorum capitis dolorum mentio facta fuerit, tamen adhuc hæc ſpecies, quæ *Hemicraniæ* appellationem tenet in praxi medica occurrit, quæ cum indole ſua contumacior & immoderatior ſit, ita brevi conſideratione peculiarem annotationem meretur, quanquam fundamenta tam pathologica, quam practica, in præcedentibus

Cephalalgiarum ſpeciebus reperiantur: utut vero hic dolor capitis tantum dimidium capitis latus detinet, tamen propterea eo acerbior eſt, eoque magis tempeſtivam medelam poſtulat, ſiquidem ex hac impetuoſiori ſua qualitate in diverſis ſubjectis nonnunquam denique in alios intricatos & contumaces affectus degenerat, quales ſunt rhevmatici & arthritici; unde & propter hanc conſecutionem neceſſe eſt, quo tempeſtive huic affectui medela conveniens ordinetur-

§. II. In tantum hæc Hemicrania cum ſimpliciori Cephalalgia convenit, in quantum cum motibus congeſtorio-ſpaſmodicis natura acerbiori vigore & importuniori rigore ſangvinis moleſti exonerationem proſequitur, ad quas commotiones variæ externæ & internæ cauſæ contribuunt, ita ut etiam ex Ventriculi afflictionibus hic affectus æque ac Cephalalgia ſtomachalis excitari poſſit: dum vero in hoc capitis dolore motus ſpaſmodici concurſant, ita eo magis cura eſt dirigenda, ne tales ſpaſmi inſoleſcant & in futurum ex perverſo habitu continuent; id quod tanto facilius fieri ſolet, quia hic affectus in paulo adultioribus ſubjectis obſervatur, in quibus alias capitis dolores magis obfirmantur.

§. III. In medica præſentis affectus tractatione eædem cautelæ obſervandæ ſunt, quæ in Cephalalgiæ ſangvineæ et ſtomachalis deductione commemoratæ fuere; unde ſpecialis cura Hemicraniæ ita eſt exercenda, ut in ſubjectis robuſtioribus, in quibus eximia diætæ vitia præcurrerunt & moleſta ſaburra in ventriculo juſte præſumitur modeſta emeſis excitetur, quæ magis præſervatoriis quam curatoriis applicationibus reſervanda eſt; curatorie in talibus ſubjectis conveniunt præmittenda digeſtiva, abſterſiva, tartariſata & ſubordinanda laxantia, tam directe evacuatorio, quam revulſorio ſcopo; providendo tamen, quo talis excretio cum neceſſaria lenitate celebretur, qualis propterea urgente neceſſitate repeti poteſt & ſi in quibusdam ſubjectis ſub hoc affectu moleſtia flatulentiæ affligit, tunc Clyſterum emollientium & roborantium uſus admodum conducit.

§. IV. Deinde ordinanda ſunt remedia, quæ motibus congeſtoriis et ſpaſmodicis tranquillandis inſerviunt, ut ſunt lenientia, nimirum decocta mucilaginoſa, gelatinoſa, emulſiva, lacticinia; deinde temperantia Nitrata, abſorbentia, coralliata, remiſſius acidulata; aut ſedativa Maſſa Pilularum de Cynogloſſa, Chaccarilla, ſimpliciora papaveracea, qualia ſingula remedia eo majori cura & induſtria adhibenda ſunt, quo magis affectus urget & quo ab extra eidem aliquod adjumentum feratur, ita conveniunt frictiones dorſi, applicationes cucurbitularum cæcarum ad dorſum, Spiritus vini Camphora-

tus

tus cum Spiritu Serpilli, Liliorum convallium, Formicarum, Lumbricorum terreſtrium mixtus; ſicut etiam topica anodyna illa conferunt, quorum in præcedentibus mentio facta fuit: præſervatorio ſcopo & quoad regimen idoneum illa pariter adminicula huc quadrant, quorum in antecedentibus ſæpius mentio injecta fuit.

§. V. Non parum ad efficaciorem Hemicraniæ curam & præſervatorium ſcopum conveniunt roborantia remedia prædictis auxiliis denique ſubordinanda: proinde artifex ſollicite attendere debet, quo in quibusdam ſubjectis prægreſſæ ſpontaneæ Hæmorrhagiæ vel hæmorrhoidales, vel menſtruæ rite continuent, ſiquidem in hæmorrhoidariis ſubjectis hirudines, locis hæmorrhoidalibus applicatæ, conducunt; quemadmodum vicisſim in acerbiori hujus affectus gradu hirudines ad aures appoſitæ derivatoriam aliquam utilitatem exſerunt: multum denique mobile vitæ genus, diæta regularis & congruum regimen in hoc affectu conferunt: uti hic affectus viciſſim ex ejusmodi animi & corporis aberrationibus graviter exaſperatur: in ſubjectis ſpongioſioribus moderatus uſus acidularum & thermarum non inutilis erit.

CAPUT IX.

DE

OPHTHALMIA.

§. I.

Sicut commotiones congeſtoriæ in junioribus ſubjectis in genere quidem caput affligunt, ita ſeorſim certas illius regiones corripiunt, in quas ut plurimum per diverſas cauſas concurrentes invitantur & hujus indolis eſt conſideratio affectuum in Oculis obviorum, qui inter ſe ratione conſecutionis non ſuperficiariam communionem habent; ex illis oculorum cardinalibus affectibus *Ophthalmia* eminet, quæ, ſi ſimplicior eſt mere ſangvinea exiſtit, licet in ſubjectis pituitoſis etiam ſeroſam complicationem aſſumat & cum moleſta Lippitudine decurrat: hoc vero loco integrum erit talem affectum in ſimplici ſuo ſtatu perpendere, quo deinde Therapia in illis complicatis afflictionibus cum majori ſalubritate ad genuinum fundamentum mali

 dirigi

dirigi queat, ni alias e ſuperficiali & magis palliativa curatione talis affectus non modo in ſua contumacia obfirmetur, ſed & in deteriores conſecutiones conjiciatur.

§. II. Abſolvitur itaque talis Ophthalmia ſimplicior cum iisdem congeſtionibus ſangvinis, intra oculum decumbentibus, ſed haud ita fortuito eo pervenientibus, quin rectius ſub bona naturæ intentione eo deſtinatis, quo ſangvis ſuperfluus moleſtus & commotus, qui alias per nares in hac ætate effundi ſolet, nunc ad ſimilem neceſſariam & ſalutarem exonerationem transferatur; interim in ejusmodi ſubjectis variæ cauſæ impulſivæ occurrunt, quæ naturam invitant, quo has particulares congeſtiones intra oculos transferat, uti ſunt frequentes ploratus & illacrymationes, aut oculorum offenſiones per auram turbidam & frigidam, aut per applicationem ſubtilioris & ſenſibilioris luminis, aut vaporum & ſabulorum communicationes & accesſiones intra oculos &c: quales cauſæ etiam ita diſpoſitæ ſunt, quo ab ordinario motu hæmorrhagico e naribus naturam ſeducant & in inſolitas tales vias invitent.

§. III. Ob id in tali affectu principalis reſpectus eſt dirigendus ad motus, quibus natura hunc præfixum ſcopum proſequitur, neque enim primario culpa hæret in vitio ſangvinis, aut dyscraſia, neque in atonia organi, niſi conſecutive frequens congeſtio & infarctus, in oculis contingens, talem moleſtam membranarum tenerrimarum extenſionem & ſucceſivam enervationem cauſetur, quæ deinde ad frequentiores & habituales quaſi ſangvinis decubitus intra hanc ſenſibilem partem disponit; unde primario artifex horum motuum congeſtoriorum ſcopum obſervare & deinde dextre promovere & adjuvare debet, ne dum formam hujus afflictionis offendit & perturbat, ſubinde variis corruptionibus anſam præbeat.

§. IV. Et quo hic affectus dextre & ſecure curetur, cavendum eſt 1) a quibusvis impetuoſis & ſimultaneis evacuationibus 2) maxime vero ex ſuperiori corporis regione provocatis, quæ congeſtiones anotericas magis augent 3) a negligentiori conciliatione & tractatione prægreſſorum motuum hæmorrhagicorum & actualium fluxuum ſangvineorum 4) a negligentiori promotione aliarum neceſſariarum & ordinariarum excretionum 5) a remediis primario ſcopo dyscraſiam ſangvinis alterantibus, quoniam hujus affectus ratio fundamentalis non eſt impuritas ſangvinis 6) a remediis acribus & humorum maſſam valde impellentibus 7) viciſſim etiam a medicamentis internis adſtringentibus & neceſſariam ſangvinis mobilitatem invertentibus 8) a communium narcoticorum uſu, ſicut ipſi periti medici, inter quos Ettmüllerum nomino, in oculorum affectibus opiata damnant 9) ab externis calidis ſpirituoſis nervinis

vinis & ſtimulantibus remediis 10) ut & a topicis repente repellentibus, immoderate adſtringentibus & refrigerantibus tentaminibus 11) a ſepticis pingvibus & oculos moleſte irritantibus ſubjectis & denique 12) ab evacuationibus Chirurgicis, Fonticulis præcipue & indiſcreto Veſicatoriorum uſu.

§. V. Poſitiva Therapia Ophthalmiæ ſimplicioris hisce indicationibus erit exercenda 1) ut generales ſordes e primis regionibus educantur & una motus congeſtorii avertantur 2) ut hi motus immoderati leniantur & mitigentur 3) ut intrinſecus etiam diſcutiantur 4) ut concurſans accidentalis humorum impuritas removeatur, ne ad ulteriores affectæ partis offenſiones & accidentales ſiniſtras conſecutiones anſam præbeat 5) ut partes hactenus affectæ roborentur, ne futuris novis congeſtoriis invaſionibus pateant & obtemperent 6) ut denique juſtum regimen & congrua præſervatio pro hoc affectu ordinetur.

§. VI. Quo itaque melior & efficacior acceſſus ad hos motus congeſtorios pateat, ita antea crudiores impuritates e primis viis educendæ ſunt, ſub qua temperata laxatione ſimul efficax revulſio in hoc affectu utilis adminiſtratur: in junioribus itaque ſubjectis e Rhabarbaro & Manna parata adminicula proſunt; in adultioribus vero correcta aloëtica, temperatus Hellebori nigri uſus, Extractum Panchymagogum Crollii conveniunt & in quibus hic affectus contumacius inſiſtit, frequentius recurrit & cum aliquali климаte bilioſa ſangvinis dyscraſia conjunctus eſt, in illis infuſa vinoſa reſolventia & laxantia conveniunt: quid quod licet temperatam talem laxationem repetere, ſi affectus contumacius continuat; ab actuali tamen purgatione & ſenſibili partium ſtimulatione ſedulo abſtinendum eſt.

§. VII. Deinde confert, quo præſentes motus congeſtorii leniantur & temperentur. Lenitio ſuccedit per interna humectantia, mucilaginoſa, gelatinoſa, emulſiva, lacticinia, decocta calida, quæ poſteriora una cum effectu ſangvinem æqualiter diſcutiente operantur: Temperantia ſunt abſorbentia teneriora & ſi ſangvinis orgasmus concurrit, cum acidis ſaturata, nec non Corallia rubra præparata; maxime Nitrata remedia, quæ quidem ſufficienter conducunt, ut aliis ſimpliciter acidis ſubjectis opus non ſit, neque etiam pro harum congeſtionum moderamine ſedativa remedia conducunt, quæ in oculorum affectibus non ſatis ſecura & probata ſunt; unde rectius lenientia interna illorum vices ſupplere debent: multum etiam ad horum motuum mitigationem regimen congruum conducit, ne videlicet aliqualis interna exæſtuatio aut ab extra excitata turgefactio ſangvinis concitetur.

§. VIII. Adjuvat porro horum motuum mitigationem & correctionem interna conveniens & temperata discusſio, quæ perpetranda eſt cum Eſ-

ſentiis temperatioribus reſolventibus, ut Helenii, Caryophyllatæ, Vincetoxici, Pimpinellæ albæ & ſi ſubjecta de quadam pituitoſa intemperie participant, tunc commode Eſſentia Succini prioribus commiſceri poteſt, ita etiam decocta calida hanc efficaciam diſcutientem interne habent; in temperatioribus ſubjectis conceditur Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, qui non modo reſolventem, ſed & roborantem utilitatem habet: præſtat vero talia remedia eſſentificata in ſubjectis junioribus parcius ordinare, neque regimen calidum ſubordinare, quemadmodum in adultioribus non niſi temperatisſima diaphoreſis concedenda eſt, quoniam fortior ſangvinis impulſus non modo præſentem affectum exacerbat, ſed & periculoſiores conſecutiones cauſatur.

§. IX. Cum hisce internis auxiliis conjungenda etiam ſunt externa & quidem diſcutientia & moderate reprimentia, nocent vero acria oculis applicanda, unde rectius vel circa oculum, vel ſupra pupillam Camphorata remedia adhiberi poſſunt, licet Camphora cum nucleis pingvibus ſubacta in emulſionem converſa ita temperari queat, ut etiam commode intra oculum dimitti posſit; deinde conveniunt aquæ puræ, non vetuſtæ, neque rancidæ & empyrevmaticæ deſtillatæ, ſimpliciter reſolventes, roborantes & tonicæ, ut ſunt Roſarum, Fœniculi, Verbenæ, Calcatrippæ, Euphraſiæ, Cyani, Hyſſopi, Hyoscyami, Plantaginis, quæ commiſceri poſſunt cum aliquo remedio tonico, quod in membranis oculi affecti ſtrictoriam commotionem excitat, quo ſangvis congeſtus reprimatur: ſunt vero talia ſubjecta Vitriolum album, Tutia præparata, Nihili album, Saccharum ſaturni, quæ tamen in parciſſima quantitate adhiberi debent; male pro hac Ophthalmia Crocus metallorum commendatur, neque etiam Lapis medicamentoſus Crollii in ſimplici Ophthalmia proficit; Leniente denique effectu conducit applicatio fruſti carnis vitulinæ, recenter mactatæ; quemadmodum albumen ovi, perinde ab extra uſurpatum, hujus affectus ardorem demulcet.

§. X. Interdum ad hunc affectum, tanto magis, quando ſimul exteriores partes compatiuntur, conducunt extrinſecus oculo affecto applicati ſacculi, e ſpeciebus reſolventibus, diſcutientibus, moderate reprimentibus & nervinis parati, in fervidum vinum intingendi: vulgo etiam a practicis Croci orientalis uſus ad Ophthalmiam laudatur, qui vero cum magna circumſpectione adhibendus eſt; neque quidem contemnenda eſt illa formula, quando parca illius quantitas cum lacte tepido mixta interdum, ſed non nimis frequenter, adhibetur: & quando Ophthalmia ſeroſa eſt, tunc interne prædicta diſcutientia, externe vero reſolventia & nervina, ut & Collyria illa cum ſpeciebus reprimentibus mixta, conveniunt, uti maſſula e melle, albumine ovi, Camphora & Vitriolo albo parata & cum tantillo aquæ Roſarum humectata in ta-

li affectu opem affert; denique etiam aquis Ophthalmicis exiguam portionem Nitri conjungere & intra affectum oculum applicare licet.

§. XI. Dum vero interdum hic affectus a concurrente dyſcraſia ſangvinis non modo augetur, ſed & cum alia afflictione complicatur, ita pro dyſcraſia illa emendanda opera adhibenda eſt; propterea conveniunt repetitæ laxationes & in ſubjectis adultioribus infuſa vinoſa, laxantia per epicraſin efficacia; deinde interne conducunt partim abſorbentia, ſive ſimplicia, ſive cum acidis conjuncta, partim diſcutientia & mundificantia, quo Eſſentias Vincetoxici, Pimpinellæ albæ, Caryophyllatæ, Fumariæ, Succini & ligni Saſſafras refero, ut ſucceſſive impuritas ſeroſa, tam per diaphoreſin, quam per diureſin removeatur: ſubinde etiam talis diæta & tale regimen conjungi debet, ne denuo corpus inquinetur, ſed ex omni occaſione mundificetur.

§. XII. Quando hæc congeſtio ſangvinis, intra oculos facta, utplurimum mitigata fuit, tunc roborationi neceſſariæ inducendæ ſtudendum eſt, quare circa exitum curæ conducit Mixtura noſtra roborans, parcis doſibus, ſed repetitis uſibus, adhibenda; ab extra Sacculi nervini aliquandiu continuari poſſunt; quemadmodum miſcela ex Spiritu vini Camphorato, Spiritu Serpilli, Liliorum convallium, Roriſmarini & Eſſentia Croci, ab extra palpebræ adhibita, roborantem hanc efficaciam exſerit; Fomenta vero qualitercunque etiam nervina fuerint, non approbo, ſiquidem ab omni vapore communi organon hoc ſubtrahi debet; multum tamen roborationem hanc allevat, quando organon ab intenſiori applicatione avertitur & potius in aliquali quiete continetur.

§. XIII. Quod denique regimen & præſervationem in hoc affectu concernit, tunc præſente eodem conducit quies animi & corporis, imprimis quo pars affecta in quiete relinquatur; deinde præſtat, quo motus ſangvinis æqualiter per totum corpus diſtribuatur, quo moderatus calor conducit; præſervatorie conveniunt vel promotiones ſpontanearum ſalutarium Hæmorrhagiarum, vel Venæ Sectiones, aut Scarificationes in aptis ſubjectis & ætatibus, nec non conferunt pediluvia, ut & laxationes interdum per aloëtica remedia inſtitutæ; oculi in officio ſuo non abuſibus applicentur, ſed modeſte uſurpentur; omnis immodica exæſtuatio & commotio corporis, aut ſubitanea refrigeratio nocet; excretio alvina ſit maneatque libera & denique illæ cauſæ evitentur, quæ antea tam in genere ad excitandas congeſtiones ſangvinis, quam ſeorſim ad offendendos oculos contribuerunt: in adultioribus ſubjectis applicationes cucurbitularum cæcarum ad inferiores regiones conducunt, ita juxta artis regulas præſervabitur hic affectus.

CAPUT X.

DE HYPOPYO.

§. I.

HÆc ſuppuratio oritur e prægreſſa inflammatione in oculo facta, qualis nonnunquam ex acerbiori Ophthalmia ſive congeſtione ſangvinis in oculo provenit, quo ordine itaque cohæret præſens afflictio ſenſibilioris hujus organi cum præcedenti affectu, ubi haud negandum eſt, quod ſub tali abſceſſulo oculi adhuc congeſtoriæ commotiones continuent, quæ interdum præſentem affectum acerbiorem & deteriorem reddere poſſunt; ita, ut propterea in praxi medica ad ejusmodi congeſtiones continuantes animus applicandus ſit, ne futura concretio vel impediatur, vel confundatur & irregularis reddatur, adeoque in oculo concrementa quædam oriantur, quæ viſum offendere ſolent; unde præter viſibilem conſpectum hujus afflictionis, etiam ad reliqua accidentia alioſque concurſus, hunc affectum prementes & complicantes advertere decet.

§. II. Ne vero hic affectus offendatur, cavendum eſt, ne oculus talibus internis & externis remediis afficiatur, quæ commotiones & congeſtiones ſangvinis revocant, aut exacerbant & ſuſtentant; neque ab extra pingvia conducunt, imprimis rанceſcentia & emollientia, neque craſſiora terrea, aut ſenſibiliora adſtringentia, aut ſeptica ſuſpecta & ſimplicia, aut refrigerantia nimium emollientia, aut valde humectantia, ordinanda ſunt; neque conducunt acriora, quæ ſenſibile hoc organon irritant & affluxum humorum intra illud conſervant; neque etiam convenit concretionem hujus abſceſſuli præcipitare, aut cunctare, in quo utroque errore damnum perverſæ coaleſcentiæ imminet, unde rectius temperatiora & leniora remedia erunt ordinanda.

§. III. In poſitiva Cura Hypopyi ordinanda ſunt auxilia, quæ ad dirigendam internam corporis œconomiam quadrant & quidem laxantia, quando congeſtio & affluxus humorum ad oculum adhuc continuat, ubi in ſubjectis ſeroſis ſimul modicus uſus Mercurii dulcis conferendus eſt; deinde conducunt interna diſcutientia, ut ſunt Eſſentiæ in Ophthalmiæ tractatione commendatæ; præterea proſunt ſubjuncta temperantia, maxime abſorbentia cum Antimonio diaphoretico juncta & ſi ſubjecta de humida intemperie parti-

tici-

ticipent, præſtat etiam modicum Sulphuris uſum internum conjungere.

§. IV. Deinde in hoc affectu pro uſu externo conveniunt vel Camphorata, vel Sacculi diſcutientes & nervini pro avertenda ulteriori congeſtione; intra oculum vero conducunt moderate exſiccantia, ut Saccharum finiſſimum ſubtiliſſime pulveriſatum, nec non Tutia præparata, Vitriolum album & Vitriolum Cyprinum, quæ cum aquis Ophthalmicis mixta, abſceſſulum præparant, ne inquinationem aliquam aſſumat: huc etiam moderatus uſus Sacchari ſaturni, ut & temperata applicatio Sarcocollæ quadrat & ſi ad præſentem abſceſſulum humores copioſius affluunt, tunc mitiora & ſelectiora, adeoque bene præparata ſeptica conjungi poſſunt, velut Crocus metallorum & Vitrum antimonii bene excocta & attenuata, parca quantitate & exacta enchireſi ad abſceſſulum applicanda: huc etiam ſpectat Vitriolum Cyprinum modica quantitate cum Aqua Roſarum ſolutum; neque rejiciendus eſt Lapis medicamentoſus Crollianus, imo in ſubjectis, quibus aliqualis humorum impuritas adeſt, convenit oleum Laterinum cum albumine ovi temperatum; ſicut remittente affectu parcus uſus pingvedinis Serpentis cum vitello ovi temperati concedi poteſt.

§. V. Circa exitum curæ ordinanda ſunt interna roborantia, ſuperius commendata; deinde oculus ab omni offenſione præſervandus eſt, ne mox talibus cauſis applicetur, e quibus primam ſuam irritationem nactus fuit; præſervatorie conveniunt illa, quæ in Ophthalmia allegata proſtant, ſiquidem præcipue eo ſtudium applicandum eſt; quo congeſtiones ab oculo ſedulo avertantur: quodſi enim frequentius tale Hypopyum oriatur, tunc denique ipſe oculus perditur.

CAPUT XI.

DE

EPIPHORA.

§. I.

AD ſeroſos oculorum morbos ſpectat affectus, qui *Lippitudo* ſive *Epiphora* audit & conſiſtit in chronica & pertinaci affuſione & ſeceſſione, ſub continuantibus congeſtoriis commotionibus contingente, humoris ſeroſo-ſalivalis, qui non modo ſenſibile organon admodum afficit &

vellicat, ſed & ſuccesſive colliquat & neceſſariam illius denſitatem & integritatem lædit, ut ob laxiorem talem conſtitutionem poſt hac non modo copioſius humores ingrediantur & partem affectam oppleant, ſed & decubitus humorum intra partem illam magis adſveſcat & in contumaciorem indolem degeneret, ita ut poſthac motus illi confirmati, adulti & habituales ægerrime emendari queant.

§. II. Subinde hiſtoria practica teſtatur, quomodo talis affectus conſentiat cum moliminibus hæmorrhagicis; ſiquidem præcurrentes & adhuc concurrentes congeſtoriæ commotiones ad ſangvinis promotionem & emotionem e capite perficiendam collineant; unde hic affectus cum aliis Hæmorrhagiarum Narium moliminibus communicat & alternat; propterea in tractatione medica artifex attentionem ſuam dirigere debet ad tempeſtivam ſuperflui ſangvinis imminutionem, vel ſalutarium Hæmorrhagiarum perturbatarum reſtitutionem, quemadmodum idem affectus non æque raro in fœminis communionem habet cum Menſium negotio: quod vero indoles hujus morbi ſit ſeroſa, tunc connexa conſtitutio humida & pituitoſa eo contribuit, licet denique in vera hujus afflictionis æſtimatione ad accidentalem concurſum dyscraſiæ humorum advertendum ſit, ne ex eadem toti morbo major magisque refractaria indoles accedat.

§. III. Quo itaque hic complicatus & intricatus morbus oculorum e fundamento tollatur, cavendum eſt a negligentiori conciliatione motuum & reſpectuum hæmorrhagicorum, tum præcurrentium, tum concurrentium: deinde evitandæ ſunt immoderatiores & magis ſimultaneæ evacuationes, maxime vero e ſuperiori corporis regione ſuſceptæ; ut & incurioſæ promotiones ordinariarum excretionum aut temerariæ perturbationes, aut oppresſiones illarum; porro abſtinendum eſt a præmaturo uſu evacuationum ſeroſarum Chirurgicarum: nocent repentinæ internæ humorum commotiones & remedia valde concentrata, aut volatilia, minus caute uſurpata: neque etiam affectum leniunt, aut e fundamento tollunt nudæ alterationes humorum & emendationes materiarum: nocent ſuſpecta narcotica aliorumque temperatiorum anodynorum frequens uſus: obſunt externa refrigerantia, immoderata adſtringentia, pingvia relaxantia, mucilaginoſa, ranceſcentia, repente repellentia, valde acria & vehementiora ſeptica, quæ omnia præſentem affectum magis exaſperant, quam mitigant.

§. IV. Seorſim Epiphora ita tractanda eſt, ut in Cura præmittatur apertio & promotio alvi, qua partim craſſiores impuritates educi partim contumaciores congeſtiones revelli debent; in junioribus ſubjectis iterum conducunt Rhabarbarina & Mannata, in adultioribus vero Sennata, Aloetica

Scam-

Scammoniata, ex Agarico parata, Helleborina, in utriſque commode Mercurii dulcis uſus conferendus eſt. Et cum talibus evacuantibus conferenda etiam ſunt præparantia, nimirum talia, quæ ſerum mucilaginoſum colliquant, reſolvunt, abſtergunt & ad faciliorem excretionem ſubeundam diſponunt: & talia evacuantia quidem ſub continuatione præſentis curæ cum multa utilitate repetenda ſunt, quo hæc revulſio motuum & correctio dyſcraſiæ in hoc morbo tam neceſſaria continuet.

§. V. Deinde proſunt interna remedia diſcutientia, reſolventia, moderate diaphoretica & temperanter diuretica: hoc nomine conferunt Eſſentiæ Angelicæ, Ari, Helenii, Carlinæ, Caryophyllatæ, Vincetoxici, Pimpinellæ albæ, Fumariæ & in ſubjectis humidioribus Eſſentia Succini & Ligni Saſſafras: non minus in ſubjectis phlegmaticis confert Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, Spiritus Salis Ammoniaci ſuccinatus, aut Spiritus Cornu cervi cum Eſſentia Succini mixtus; qualia volatilia aliis reſolventibus remediis interponi poſſunt; interdum pro intimiori & ſelectiori reſolutione & diſcuſſione interna præſtanda, confert uſus Sulphuris internus; nec non ſub diæta in aptis ſubjectis, ceparum & allii uſus etiam proficit, licet ab antiquioribus in oculorum affectibus hæc ſubjecta rejiciantur, quod tamen de uſu externo illorum magis valet, ſub quo oculos offendere poſſunt: præterea nonnunquam interponenda ſunt abſorbentia, nitrata & abſtergentia digeſtiva, parca tamen quantitate, cum quibus poſterioribus motus congeſtorii immodici ſubinde temperantur.

§. VI. Cum hiſce hactenus commendatis auxiliis conferenda etiam ſunt externa adminicula & talia quidem primario conveniunt diſcutientia, moderate reprimentia, ſed ſimul roborantia, nervina; unde ſacculi ex ejusmodi ſpeciebus parati, in vinum fervidum intincti, ab extra nonnunquam oculis affectis applicati, conducunt; cavendo, ne oculi nimium humectentur; perinde etiam extrinſecus confert applicatio Spiritus vini Camphorati, commiſcendi cum Eſſentia Croci, Spiritu Serpilli, Liliorum convallium & Roriſmarini: intrinſecus intra oculum vero conducunt aquæ ophthalmicæ in præcedentibus commemoratæ, cum terreo tonico ſubjecto mixtæ, ſive cum Saccharo Saturni, ſive Tutia præparata: pingvedines, quales alias in morbis oculorum allegantur, nihil conferunt: proinde etiam per intervalla adhibenda ſunt pediluvia, ut & in ſubjectis valde humidis Veſicatoria interdum adminiſtrata conducunt: in illis, ubi major reſpectus plethoræ & evacuationum ſangvinearum habendus eſt, confert præſervatoria Venæ Sectio, aut etiam Scarificatio: conſtant etiam exempla, ubi in contumaci Epiphora Fonticuli, in nucha excitati, ſub interpoſito laxantium uſu, efficaciſſimam opem obtulerunt.

CAPUT XII.

DE

PTERYGIO.

§. I.

Singularis etiam hic affectus eſt, qui oculum afficit & liberum atque neceſſarium officium cum illo præſtandum turbat & conſiſtit in irregulari membranacea excreſcentia a cantho oculi interno utplurimum in corneam tunicam & ſuper ipſam denique pupillam ſeſe extendente, quæ a figura alata, quaſi etiam Papilionis referat, Pterygium audit; ſi vero magis albicans eſt, tunc ob aliam aſſimilationem Ungvis vocatur, quaſi eminentiam ungvis referat; ſi mollior eſt & quantisper rubicunda, tunc panni appellationem tenet; in quo poſteriori ſtatu vaſcula exilisſima ſangvifera huic excreſcentiæ conjuncta eſſe conſpiciuntur; unde liquet, quomodo talis afflictio præternaturali quadam ratione nobile hoc organon viſus affligat, ut propterea non alia medela requiratur, niſi ut hæc concretio membranacea tempeſtive removeatur.

§. II. Pro meliori hujus ſingularis affectus cognitione adhuc notare convenit, quomodo ipſe interdum originem ſumat a prægreſſo Hypopyo, non ſatis accurate tractato, aut etiam a ſenſibili contuſione oculo illata; unde e ſtaſi tum ſangvinis, tum ſubtilioris lymphæ enata, quæ futuræ huic irregulari concretioni anſam præbet; interim etiam contingit, ut hic affectus non modo cum concurrentibus congeſtoriis commotionibus conjungatur, ſed & ab iisdem foveatur & augeatur, ut propterea multum referat in uſu practico ad has congeſtiones concurrentes curatius advertere, quo reliqua afflictio eo melius removeri poſſit.

§. III In cura hujus affectus omitti debent præmaturæ operationes Chirurgicæ, tanto magis vero actuales oculi violationes; deinde etiam nocent remedia acriora, ſenſibili oculo applicata, ut & nimis emollientia & relaxantia; porro officiunt refrigerantia ſuſpecta ſeptica, fortiora adſtringentia, metallica minus correcta & ſimpliciora, neque etiam e fundamento affectus curabitur, quando internæ motuum & humorum præparationes omittuntur, aut quando potius remedia humores valde commoventia exhibentur, quidquod nocet, ſi primæ hujus afflictionis origenes inpræſenti medica tractatione non bene conciliantur, neque etiam rite tractantur.

§. IV.

§. IV. Specialior Cura præſentis affectus hoc ordine eſt dirigenda, ut antea corpus a generalibus impuritatibus repurgetur & primæ viæ præcipue evacuentur; quo conveniunt laxationes, ſecundum diverſitatem conſtitutionis ſubjectorum inſtituendæ, ſicut in quibusdam ſubjectis Mercurii dulcis uſus aliis laxantibus remediis combinari poteſt; deinde conveniunt interna diſcutientia, reſolventia & mundificantia, quo præprimis Eſſentiæ in præcedentibus tractationibus ſæpius commemoratæ conveniunt: in quibus ſubjectis adhunc affectum commotiones hæmorrhagicæ contribuunt, in illis præſervatoriæ ſangvinis imminutiones, ſive per Venæ Sectionem, ſive per ſubordinandam Scarificationem adminiſtrandæ in aptis ætatibus conferunt; imo ſingula illa adminicula in uſum commodum ducenda ſunt, quæ ad diverſionem motuum & revulſionem illorum a capite perficiendam ſatisfaciunt, ſicut in ſubjectis humidioribus, & ubi affluxus & congeſtio intra oculos contumacior eſt Veſicatoriorum & Fonticulorum applicatio interdum proficit.

§. V. Extrinſecus conducunt remedia partim duriorem talem concretionem lenientia & emollientia, quo ſpectant pingvedines mundæ & non adultæ, ſive ſerpentis ſive ſic dicti piſcis Aſciæ, qualis pingvedo vel cum oleo Liliorum alborum, vel cum melle, vel interdum cum oleo laterino miſceri poteſt; partim conferunt auxilia, quæ cum ſubtili ſepſi hanc excreſcentiam, ſi adhuc tenerior fuerit, auferunt, quo e mitioribus referri merentur Saccharum finisſimum, Oſſa ſepiæ, teſtæ ovorum leniter calcinatæ, e potentioribus proſtant Tutia præparata, Vitriolum album, Saccharum Saturni, neque contemnendum eſt experimentum, quando Mel cum repurgato ærugine æris & tantillo aluminis uſti aut olei laterini commiſcetur, vel ſi in æneo vaſe tamdiu teritur & tractatur, donec moderate viridem colorem aſſumſerit: in robuſtioribus ſubjectis confert Lapis medicamentoſus Crollii, ut & Crocus Metallorum bene excoctus, uti in ſubjectis, quæ pulverulenta perferre non poſſunt, aquæ ophthalmicæ cum prædictis pulverulentis mixtæ vel cum Vitriolo cyprio conjunctæ conveniunt.

§. VI. Dum hæc externa adhibentur, præſtat etiam avertere & præoccupare ab extra ſupervenientes humorum affluxus & congeſtiones, quo tum Camphorata remedia, tum etiam Sacculi diſcutientes, nervini vinoſi juvant; quando hæc excreſcentia jam in majorem molem accrevit, aut etiam cum oculorum tunicis firmius concrevit, tunc pharmacevtica auxilia non ſatisfaciunt, ſed potius Chirurgica in ſubſidium ducenda ſunt & huc confert modeſta ſectio & ſeparatio, quæ cum provida manu inſtituenda eſt, ne tunicæ oculorum lædantur, utpote quæ operatio propterea expertis enchiriſibus artis Chirurgicæ committenda eſt.

CAPUT

CAPUT XIII.

DE

CATARACTA.

§. I.

QUanquam hic affectus magis Chirurgiæ illiusque dexteritati remittendus ſit, tamen cum eodem ſub certis circumſtantiis praxis medica commercium habet; quando videlicet vel in primis ſuis initiis & in crementis exiſtit, vel quando cum motibus congeſtoriis conjunctus eſt, vel denique quando per qualemcunque humorum dyſcraſiam ſovetur & acceleratur, ubi non tam Chirurgi prudentia & cognitio hisce circumſtantiis condigne proſpicere poteſt, ſed potius a medico tam internorum motuum directio quam humorum præparatio deſideratur: interim ſive Cataracta, juxta antiquiores, in pellicula aliqua, ſive in obſcuratione cryſtallini humoris conſiſtat juxta neotericos, ubique inveniet providus artifex, quo ulteriora hujus mali accrementa præſcindat: & ſi hæ ſuffuſio ad ſummum ſuum gradum pervenerit, tunc nihilominus id agere convenit, quo corpus & ſpeciales motus præparentur, ut futura Chirurgica oppitulatio eo melius ſuccedat.

§. II. Et cum hic affectus adeo diſtinctus & in indole ſua contumax ſit, ita eo magis providendum eſt, ne tales medicationes ſuſcipiantur, quæ eundem potius augent; quare cavendum eſt a neceſſariarum & ſalutarium evacuationum perturbatione aut intermisſione; a medicaminibus & tentaminibus motus & humores confuſe impellentibus; ab evacuationibus prodigis & immoderatis; a nuda dyscraſiæ correctione & concurrentium motuum offenſione; ab externis valde ſepticis aut nimium relaxantibus & oculum graviter offendentibus ſubſtantiis; ab adſtringentibus & refrigerantibus, aut vicisſim etiam acrioribus & immodeſtum affluxum humorum provocantibus remediis: denique etiam ab intermiſſa neceſſaria diſcusſione & roboratione, affecto oculo inducenda.

§. III. Ad ſpecialem Cataractæ curam primo pertinent evacuationes congruæ, quæ pro diverſa ſubjectorum conſtitutione ordinandæ ſunt; imprimis præſtat interdum moderatas laxationes ordinare, quo vel correcta aloëtica remedia, vel infuſa vinoſa per epicraſin efficacia, vel pilulæ de Agarico, de ammoniaco, de Succino Cratonis conveniunt: deinde circumſpiciendum eſt,

an

an in ſubjectis ſpeciales commotiones ſangvinis congeſtoriæ & eluctatoriæ ſucceſſerint, in quo ſtatu præſervatoriæ Venæ Sectiones aut Scarificationes conducunt, quæ depletiones ſangvinis, licet non pro illa intentione ordinentur, quo præſentem affectum curare debeant, tamen eo conducunt, ut acerbius illius augmentum & contumacior confirmatio præſcindatur.

§. IV. Præterea interne interdum conveniunt diſcutientia & reſolventia, ut ſunt Eſſentiæ Vincetoxici, Caryophyllatæ, Angelicæ, Pimpinellæ albæ, Helenii, Ari, nec non Eſſentia Fumariæ & Succini: ita etiam conducit Liquor Cornu Cervi Succinatus & per intervalla confert Mixtura ex Spiritu Salis Ammoniaci, Eſſentia Succini & Tinctura antimonii parata; in ſubjectis humidioribus & magis pituitoſis interdum convenit modeſtus uſus Sulphuris & Mercurii dulcis; nonnunquam interponenda ſunt abſorbentia cum acidis conjuncta & ſalia digeſtiva pro impuritatum ſeroſo bilioſarum abſterſione: per intervalla conferunt moderatæ diaphoreſes, nec non præſervatorio ſcopo veſicatoriorum uſus in junioribus & fonticulorum ordinatio in adultioribus proficit: proſunt etiam nonnunquam inſeſſus moderati, quibus ſingulis adminiculis avertuntur humores a loco jam affecto, quemadmodum etiam cucurbitularum cæcarum uſus dorſo applicandarum in hac neceſſitate cum reliquis auxiliis aliqualem utilitatem promittit.

§. V. Conducunt etiam quædam externa, imprimis in Suffuſione incipiente, diſcutientia & reprimentia; quo ſpectant partim Camphorata; quando videlicet exigua Camphoræ quantitas cum tantillo Croci & Vitrioli albi ſubigitur cum amygdalis dulcibus & cum addita aqua Ophthalmica interdum intra oculum applicatur; huc etiam conferunt Sacculi vinoſi e ſpeciebus diſcutientibus & nervinis parati intra oculum applicandi: non inutilem deprehendi in tali caſu Eſſentiam Orphanotrophei dulcem, quæ cum lacte aut aqua Roſarum mixta, aliquoties intra oculum inſtillanda; conducunt proinde alia reprimentia, ut Saccharum Saturni, Vitriolum album, quibuscum ſingularis ille affluxus humorum avertitur: Antimoniata vero remedia, ut Crocus metallorum & vitrum antimonii non admodum conferunt in hoc caſu, licet eo pasſim commendentur: an denique ſpecifica quadam efficacia interne Millepedes, externe ſuccus Chelidonii majoris, pingvedo Serpentis, Liquor piſcis Muſtelæ in hac Cataracta ita conducant, prout pasſim allegantur, uberior experientia, quæ adhuc deficit, conſulenda erit.

CAPUT XIV.

De

OTALGIA.

§. I.

COngeſtoriæ commotiones, quæ ſangvinis evacuationem proſeqvuntur, interdum intra aures decumbunt & has affligunt: ex ejusmodi motibus præcipue oritur *Otalgia* affectus in indole ſua acutus, qui aliquando ſponte & tacite e præcedentibus congeſtionibus ſangvineis ortum ducit, aliquando ex repente impedito tranſitu & progreſſu ſangvinis per & circa auditus organon provenit: ut ut vero hic affectus primario in conatu inflammatorio conſiſtit, tamen ordo cauſarum & effectuum, quotquot ad illum affectum diſponunt, ita comparatus eſt, ut ſtagnatio, aut actualis ſtaſis ſangvinis inflammatoriam talem commotionem inferat; ſtagnatio vero illa, aut præcedens ſtaſis vel a congeſtorio præcurrente molimine hæmorrhagico, vel a repente impedito motu ſangvinis pendet.

§. II. Exinde facile liquet, quomodo in diverſis caſibus & ſubjectis hic affectus cum moliminibus hæmorrhagicis exacte conveniat, ad quem ſcopum etiam artifex negotia ſua in cura dirigere debet & quidem magis præſervatorio, quam curatorio opere, quoniam hic affectus in acerbiori gradu conſtitutus, jam propius in inflammatorium apparatum contendit; unde non in nudis pasſionum & obſtructionum curationibus ſubſiſtendum eſt, ſed potius motuum, ex activa directione pendentium, ratio haberi debet, proinde etiam advertere convenit, quomodo Otalgia vel ſimpliciter decurrat, vel ut moleſtum & ſuſpectum ſymptoma gravioribus, præprimis febrilibus morbis ſeſe aſſociet, ubi tanto major circumſpectio in artifice requiritur, quo magis ex hoc ſingulari accidenti ſpecialisſimæ primarii affectus collimationes inclareſcunt.

§. III. Quo magis hic affectus in acutam indolem propendet, eo major dexteritas in illius ſecura & ſolida cura requiritur, cavendum vero eſt 1) ab immoderatis evacuationibus, præcipue anotericis 2) ab indiſcreto uſu artificialis miſſionis ſangvinis 3) a negligentiori exploratione concurrentis, aut præcurrentis moliminis hæmorrhagici in præſenti affectu 4) a negligentiori promotione, aut actuali perturbatione ordinariarum & neceſſariarum evacuatio-

cuationum 5) a motuum præſentium congeſtorio-inflammatoriorum oblivioſa æſtimatione & tractatione 6) a remediis calefacientibus & humores atque vias valde commoventibus 7) a curatorio volatilium uſu 8) a communi narcoticorum medicamentorum oblatione 9) a poſitivis ſudationibus 10) ab externis & affluxum humorum augentibus ſubjectis 11) a refrigerantibus, repellentibus & immodeſte ſtimulantibus ſubjectis internis & externis & denique 12) ab inconvenienti regimine & præſervatione.

§. IV. Poſitiva & ſpecialis præſentis affectus Therapia hiſce indicationibus incluſa eſt 1) ut generaliora urgentia impedimenta tempeſtive auferantur 2) ut immodicæ commotiones temperentur 3) ut largiores affluxus diſcutiantur 4) ut ab extra reſolutio in parte affecta promoveatur 5) ut inevitabilis maturatio & reliqvus conjunctus ſtatus rite tractetur 6) ut ſiniſtra conſectaria evitentur & pars affecta roboretur & denique 7) ut conveniens præſervatio ordinetur, quo vero hujus affectus fundamento artifex ſatisfaciat.

§. V. Cum hic affectus præcipue motibus inſolentioribus abſolvatur, ita iidem non facile leniri & emendari poſſunt, ni generalia quædam obſtacula ſeponantur: ita enim interdum alvi ſegnities, ſiccitas aut actualis occluſio hunc morbum acriter confirmare ſolet, eapropter præſtat in tali neceſſitate tempeſtive alvum liberare, vel per lenientia, vel per laxantia & hæc pro diverſitate ſubjectorum, vel Rhabarbarina, vel correcta aloëtica remedia proſunt, cavendo, ne poſitiva purgantia ordinentur: deinde quando nimia ſangvinis copia & præcedens gravis orgaſtica commotio urgent, ipſe vero affectus ſubinde præceps & gravis eſt, adeo ut repentinum quoddam damnum imminens metuendum ſit, tunc pro hoc impedimento removendo Venæ Sectio curatoria concedi poteſt; quando vero hæ circumſtantiæ deſunt, tunc hæc artificialis ſubtractio ad præſervatorium ſcopum relinquenda eſt.

§. VI. Proxime motus præſentes aliquali congrua correctione indigent, qui partim leniendi, partim temperandi, partim ſedandi, partim etiam revellendi ſunt: Lenitio perficitur per diluentia, lacticinia, decocta gelatinoſa, gelatinas, juſcula pingvia & in ſubjectis tenerioribus per Emulſiva. Temperatio perpetratur per pulveres abſorbentes, nitratos & Coralliatos: Sedatio perficitur per Cinnabarim, ſemen Papaveris albi, Syrupum Papaveraceum, ut & per Tincturam Chaccarillæ & Maſſam Pilularum de Cynogloſſa: Revulſio abſolvitur per repetendas laxationes, per pediluvia & per cucurbitularum cæcarum applicationes ad dorſum, quæ ſingula auxilia juſto ordine & prout affectus præſentis ſtatus infert adhibenda erunt, ne videlicet remedia fortiora & efficaciora commendentur, quando indoles Otalgiæ lenioribus & mitioribus remediis obtemperat.

§. VII. Admodum confert, quo immoderati humorum affluxus ab affecta aure transferantur, ne exinde affectus exacerbetur; hæc diverſio hujus affluxus variis modis perfici poteſt, vel repetita modeſta laxatione alvi, vel ordinatione pediluviorum, vel frictionibus pedum, vel internis diſcutientibus & reſolventibus remediis, vel cucurbitularum cæcarum applicationibus ad dorſum, vel denique in ſubjectis ſangvine turgidis hirudinum applicatione ad confinia aurium, quibus remediis utiliter interponuntur auxilia temperantia Nitrata, quo ſimul motus acerbiores mitigentur, ita eo certius eoque melius nimius ille affluxus emendabitur.

§. VIII. Præterea in hoc urgente affectu ab extra æque ac intrinſecus neceſſaria diſcusſio & reſolutio ſuſcipienda eſt: extrinſecus confert tum circa aurem affectam, tum intra illam remedia Comphorata & remisſius Crocata uſurpare, ſiquidem vel Spiritus vini Camphoratus, vel emulſio Camphorata, vel Camphora in ſubſtantia pro hoc uſu convenit: non minus Emplaſtra lenientia & reſolventia conferunt, ut de Meliloto & Crocatum, Ceratum cum Camphora mixta: ſic ſacculi ex ſpeciebus diſcutientibus, nervinis & leniter reprimentibus, ſive ſicci, ſive cum vino calido humectati conducunt; quemadmodum iisdem etiam Camphora utiliter commiſceri poteſt: intrinſecus diſcuſſio & reſolutio ſuccedit, quando Eſſentiæ temperatæ alexipharmacæ, aut etiam Eſſentia Succini commixta, exhibentur.

§. IX. Quando præſens affectus in nimiam acerbitatem increbeſcit, ita ut tempeſtiva & neceſſaria diſcuſſio impetrari haud queat, ſed præſentes motus ad maturationem properent, tunc hæc ſuppuratio tantum cum bono regimine adjuvanda eſt, quoniam intra aurem congrua remedia maturantia adhiberi non poſſunt, interim extrinſecus continuanda ſunt diſcutientia, ne inſiſtens humorum affluxus hunc affectum valde impediat: facta maturatione quocunque modeſto modo abſceſſus apertio facilitanda eſt; deinde intra aurem deponi poſſunt mundificantia, imprimis Eſſentia Balſamica ex Eſſentia Succini & Myrrhæ parata; huc etiam conducit Balſamus Peruvianus, vel de Copaiva, cum Melle & vitello ovi ſubactus, uti oleum Ceræ & Ovorum æque abſtergentem & lenientem efficaciam in tali neceſſitate exhibent.

§. X. Ne vero contraria quædam conſectaria remaneant, ita præſtat affectam aurem bene dirigere & a qualibet injuria ſubducere; extrinſecus etiam Camphorata, Crocata aliaque nervina remedia continuare, interne circa exitum curæ etiam ordinare convenit roborantia, velut Liquorem Cornu Cervi ſuccinatum, Eſſentiam Pimpinellæ albæ cum Eſſentia Succini mixtam, aut Mixturam noſtram roborantem; cavendo, ne intrinſecus immoderatiores humorum

morum commotiones provocentur, ita ſub concurſu congrui regiminis interna concretio legitime ſuccedet.

§. XI. Quod denique præſervatoriam curam in præſenti affectu obſervandam attinet, tunc confert ſollicite ſangvinis evacuationes artificiales in inferioribus corporis regionibus adminiſtrare, aut ſuppreſſas ſalutares Hæmorrhagias iterum revocare & promovere: deinde conferunt repetitæ temperatæ laxationes, nec non regimina a nimia exæſtuatione & repentina refrigeratione aliena: omnis exceſſus eſt evitandus, animus ſit in quiete: imprimis aures ſubtrahantur a nimis liberali & frigido auræ afflatu, caput & pedes in conſtanti & modeſto calore foveantur, potus & motus ſufficiens conjungatur, ſic Deo benedicente præſervabitur Otalgia.

CAPUT XV.

DE

TINNITU AURIUM.

§. I.

QUemadmodum hoc loco de morboſo Tinnitu aurium ſermo eſt, ita hujus diverſæ cauſæ ex hiſtoria practica conquirendæ ſunt, quo ſecundum diverſam illarum indolem medicatio condigne inſtrui & applicari queat, etenim interdum hic affectus cohæret cum motibus hæmorrhagicis, nonnunquam conſentit cum irregulari partium nervoſarum commotione & ſtrictura, interdum provenit a morbida aurium ſiccitate, aliquando cohæret cum ſenſibili refrigeratione, auribus admiſſa: ad quas ſingulas cauſas itaque artifex bene attendere debet; proinde etiam illa ſingularis obſervatio annotatione digna eſt, quomodo alios morbos maxime vero acutas febres comitetur & in hisce tanto magis ad molimina hæmorrhagica referri mereatur: communiter hic Tinnitus non aliquali laxitate & imbecillitate partium, quam potius irregulari commotione in partibus nervoſo-membranaceis commiſſa nititur, quæ propterea debita correctione indigent.

§. II. Quo itaque hic affectus e fundamento curetur, in genere abſtinendum eſt ab evacuationibus quibusvis immoderatis, impetuoſis & inopportunis; a negligentiori obſervatione & conciliatione ſtatus plethorici & moliminis hæmorrhagici; a remediis calefacientibus & humores valde impellentibus

tibus, viciſſim a refrigerantibus & adſtringentibus, nec non ab intempeſtivo volatilium uſu; porro a communi Opiatorum ordinatione; deinde a negligentiori promotione ordinariarum evacuationum; ab externis tentaminibus affluxum ſangvinis intra caput exacerbantibus & ſimilibus aliis experimentis motus magis perturbantibus, quam corrigentibus.

§. III. Cura ipſa ſecundum diverſitatem cauſarum ita dirigenda eſt, ut, ſi hic affectus cum moliminibus hæmorrhagicis conſentit præſervatoriæ & tempeſtivæ ſangvinis misſiones in inferioribus corporis regionibus ſuſcipiantur, nec non ut modeſtæ laxationes cum remediis correctis aloëticis & helleborinis, pro revulſione adminiſtranda, inſtituantur: porro ut pediluvia per intervalla commendentur, nec non ut interne temperantia Nitrata & diluentia, videlicet decocta ſimpliciora ordinentur, ut denique temperatiora diſcutientia interna & externa exhibeantur, priora quidem alexipharmaca, poſteriora Camphorata, quo concurſans congeſtio & ſangvinis affluxio debite diſſipetur.

§. IV. Quando Tinnitus aurium ex irregulari commotione partium nervoſarum provenit, tunc interne conducunt partim laxantia, quibuscum ad aliam motus ſpeciem occaſio exhibetur, partim interna reſolventia, ut ſunt Eſſentiæ Pimpinellæ albæ, Succini, Caryophyllatæ, Vincetoxici, Saſſafras, quo etiam Liquor Cornu cervi ſuccinatus ſpectat, non excluſa Mixtura e Tinctura antimonii tartariſata, Spiritu Cornu cervi & Eſſentia Succini parata, quemadmodum pro ſedativo ſcopo Tinctura Chaccarillæ cum præcedentibus Eſſentiis combinata confert: ita etiam juvant remedia nitrata & in ſubjectis ſenſibilioribus emulſiva ex aquis reſolventibus & analepticis, nucleis pingvibus & ſemine papaveris parata; extrinſecus confert Spiritus vini Camphoratus cum Eſſentia Croci, Spiritu Formicarum, Liliorum convallium, Roriſmarini, Matricariæ & Serpilli mixtus, ſicut etiam ſacculi e ſpeciebus reſolventibus & nervinis parati, cum vino fervido humectati, ad affectam aurem adhibiti, conferunt, quo denique fomenta vaporoſa nervina adjungo.

§. V. Quando hic Tinnitus aurium præter motus congeſtorios & ſpaſmodicos ſimul cum ſeceſſionibus humoroſis & catarrhalibus conjunctus eſt, tunc interne conveniunt laxantia, quibus ex Agarico parata remedia & Mercurius dulcis conjungenda ſunt; quo etiam ſpectant infuſa vinoſa per epicraſin utilia; deinde conveniunt Eſſentiæ Angelicæ, Ari, Helenii, Vincetoxici, Pimpinellæ albæ, Succini, Fumariæ, Saſſafras, ipſe Liquor C. C. ſuccinat. ſubjunctis remediis Nitratis; externe intra aurem dimittenda eſt Camphora; circa aurem conducit Spiritus vini Camphoratus cum Eſſentia Croci mixtus, aut cum balſamo aliquo oleoſo combinatus, quo præterea ſpectant Sacculi nervi-

nervini & ſuffimigia e floribus & gummatibus nervinis paranda cum moderamine tamen uſurpanda, nec non interdum modeſta diaphoreſis conducit; in ſubjectis mollioribus prodeſt frictio pedum & cucurbitularum cæcarum applicatio ad dorſum; in valde humidis & ubi malum eſt admodum contumax admitti poteſt Veſicatorium.

§. VI. Quando denique præſens affectus ex defectu ſufficientis humiditatis ortum ſuum trahit, tunc conveniunt decocta ſimpliciora, aut infuſa calida, nec non balnea moderata ſive ſimpliciora, ſive nervina, quid quod in quibusdam ſubjectis proficit uſus Tabaci in fumo, in nonnullis conducit fumus ceræ cum Maſtiche: ſic in eadem afflictione confert oleum amygdalarum dulcium cum oleo Corticum aurantiorum parcius mixtum, addita Camphora & tantillo Croci, qualis miſcela intra aurem remisſius immittenda eſt; non minus conveniunt fomenta vaporoſa nervina lenientia, quæ ad partis humectationem ſingula contribuunt: interea ſervandum eſt regimen modeſte calidum & externum frigus ab organo auditus ſollicite excludendum eſt, ita variis modis talis Tinnitus curari poteſt, ſicut ad plures alias cauſas hujus affectus cura ita dirigenda eſt, uti modo fundamentum & ſpecimen quoddam tradidi.

CAPUT XVI.

DE SUSURRU AURIUM.

§. I.

PRæſens affectus, licet haud dolorificus exiſtat, tamen partim moleſtus, partim ſuſpectus eſt, quoniam legitimum auditum turbat: proinde & ipſe in experientia non infrequens exiſtit, ſicut diverſis etiam cauſis nititur, e quibus principaliores ſunt congeſtiones humorum ad aures factæ, aut interdum conjunctæ ſeceſſiones catarrhales intra aures, quando irregulares commotiones in tympano & reliquis nervoſis membranis ſuſceptæ hunc affectum cauſantur, quibus potioribus cauſis ita diverſimode ſubveniendum eſt: imprimis aliquando in hoc affectu ſpecialia motuum vitia adſunt, uti nonnunquam neceſſariorum motuum defectus, præprimis in ſubjectis adultioribus & ſenilibus, in culpa ſunt.

§. II. Neque quidem in eodem affectu penitus oblivioni tradendæ ſunt animadverſiones moliminum hæmorrhagicorum, quotquot & ſub quocun-

cunque etiam ſchemate præcurrunt, quo deinde concurſui & reſpectui ſangvinis abundantis urgentis artifex ſatisfacere queat. Et quamvis interdum in aliis ætatibus alii effectus ex prægresſis illis commotionibus hæmorrhagicis ortum traxerint, tamen in Therapia ſubordinata neque hisce condigne medela conveniens applicari poteſt, niſi prima cauſa & fundamentum totius mali recte tractetur, ſiquidem illæ cauſæ, quæ ad congeſtiones tales ſangvineas revocandas concurrunt curatius ab ipſa genuina forma & indole hujus morbi discerni debent.

§. III. Quo itaque hic affectus ſcite & perite tractetur, cavendum eſt 1) ab evacuationibus inopportunis, crasſis & immoderatis 2) a negligentiori conciliatione ſtatus plethorici 3) ab incurioſa promotione ordinariarum evacuationum 4) a nudo externorum uſu 5) a remediis internis & externis repente & vehementer commoventibus; 6) a medicamentis & experimentis aures valde ſtimulantibus 7) a regimine impetuoſo & valde calido 8) ab uſu narcoticorum remediorum 9) ab inopportuna & immodica Salium volatilium interna & externa commendatione & 10) a remediis valde adſtringentibus & motus ordinarios admodum turbantibus.

§. IV. Specialior Therapia Suſurrus aurium hisce principalioribus indicationibus practicis abſolvenda eſt 1) ut corpus a generalibus impuritatibus repurgetur 2) ut irregulares motus temperentur 3) ut affluxus & infarctus interne & externe discutiantur 4) ut partes debite roborentur & 5) ut idonea præſervatio & neceſſarium regimen præſcribatur, quo ſuccesſive huic morbo, qui chronicam indolem aſſumit, ſufficiens & firma medela concilietur.

§. V. In prima indicatione commendatur debita corporis repurgatio, quæ eo ſe extendit, quo imprimis primæ regiones & ſuccesſive etiam reliquum corpus ab humoribus bilioſis, ſeroſis, catarrhalibus liberetur; conveniunt itaque in ſubjectis junioribus infuſa reſolventia, roborantia & laxantia; alias etiam conducunt modeſtæ & repetitæ evacuationes alvinæ, quo Extractum Panchymagogum Crollii, Pilulæ de Ammoniaco, de Agarico, de Succino Cratonis pertinent, ſicut in ſubjectis humidioribus parcus Mercurii dulcis uſus conjunctus approbandus eſt.

§. VI. Deinde in altera indicatione motuum excedentium & inconvenientium ratio habenda eſt; hi motus itaque temperandi, ſedandi & revellendi ſunt, ſi in exceſſu quodam conſiſtunt: Temperatio perpetranda eſt per pulveres Salinos & Nitratos, additis remediis abſorbentibus & diaphoretico antimonio, aut pro necesſitate urgente addita Cinnabari: Sedatio perficienda eſt cum auxiliis Cinnabarinis & in ſubjectis ſenſibilioribus cum papaveraceis ſubſtantiis vel cum Chaccarillæ cortice, vel ubi congeſtiones refractariæ ſunt

cum

cum Maſſa Pilularum de Cynogloſſa: Revulſio denique perpetratur vel cum repetitis laxationibus aloëticis, vel etiam cum pediluviis, quæ adminicula contemperandorum & corrigendorum motuum excedentium præcipue in ſubjectis plethoricis conducunt.

§. VII. Tertio loco præſtat in hoc affectu factas ſecesſiones humoroſas discutere per interna & externa auxilia: interne conveniunt Eſſentiæ reſolventes & roborantes, velut Caryophyllatæ, Pimpinellæ albæ, Vincetoxici, Succini & ligni Saſſafras, quemadmodum pro eodem ſcopo conducit Miſcela e Tinctura antimonii tartariſata, Spiritu C. C. & Eſſentia Succini parata, ita etiam in ſubjectis temperatioribus Liquor C. C. ſuccinatus confert: externe proficiunt Camphorata & Crocata auxilia, nec non Sacculi nervini & discutientes, ut & ſuffimigia ex ejusmodi ſpeciebus parata; non minus extrinſecus modeſtus uſus Salis volatilis, auri affectæ applicatus, convenit, uti oleum Succini in exiliſſima quantitate cum oleo quodam leniente mixtum intra aurem depoſitum confert, non minus Spiritus nervini, ut Formicarum, Serpilli, Roſarum, Rorismarini &c. cum Spiritu vini Camphorato mixti ad uſum externum conferunt: ita etiam cum eodem Camphorato Spiritu exiguæ guttulæ balſami oleoſi mixtæ in hoc affectu non contemnendam utilitatem afferunt.

§. VIII. Proinde etiam confert quarto loco affectam aurem cum nervinis remediis fovere, ſicut etiam in hoc affectu, quando chronicus eſt & cum catarrhalibus defluxionibus conjunctus interna nervina proficiunt, quo ſcopo maxime conveniunt Spiritus volatiles, Eſſentia Succini, Cinnamomi & in aptis ſubjectis tantillum de Eſſentia Ambræ; extrinſecus conveniunt Sacculi, fomenta, ſuffimigia, linimenta, Spiritus, paranda ex radicibus Valerianæ, Leviſtici, Caryophyllatæ, Serpentariæ virginianæ, Cyperi rotundi, Ariſtolochiæ rotundæ, Ireos Florentinæ, herbis Majoranæ, Serpilli, Rorismarini, Mari veri, Baſilici, floribus Chamomillæ romanæ, Roſarum rubrarum, Schœnanthos, Lavendulæ, Calendulæ, Croco orientali, ſemine aniſi ſimplici & ſtellato, baccis Lauri & Juniperi, Ligno Saſſafras, Rhodio, Santalino, Citrino, Gummi Benzoes, Maſtichis, Animæ, Elemi, Carannæ, Storacis calamitæ, Moſcho, Zibeto, Ambra, Cortice Thymiamatis: huc ſpectant olea deſtillata Menthæ, Meliſſæ, Majoranæ, Matricariæ, Lavendulæ, Saſſafras, Rhodii &c. nec non Spiritus Serpilli Rorismarini &c. ut & Eſſentiæ Ambratæ, qualia remedia cum prudentia & moderamine variis modis adhiberi poſſunt.

§. IX. De reliquo pro congruo regimine in hoc affectu confert moderatus calor, in quo caput & affectæ aures ſervari debent, ſicut præterea ordinariæ evacuationes in juſtum ſucceſſum reducendæ ſunt: inſuper ejusmodi

cauſæ crasſiores arceri debent, quæ, dum in genere totum caput, ita ſeorſim etiam aures offendunt: præſervatorio ſcopo conferunt misſiones ſangvinis in ſubjectis plethoricis, repetitæ laxationes, pediluvia, modeſtæ diaphoreſes una cum ſufficienti corporis motu, ſicut denique omnes illæ occaſiones evitari debent, e quibus aliquæ dyscraſiæ humoribus conciliari & alterationes capiti induci posſunt.

CAPUT XVII.

DE GRAVITATE AUDITUS ET SURDITATE.

§. I.

DEnique inter afflictiones, quæ ſenſum auditus concernunt, partim durioris & gravioris auditus, partim perfectæ ſurditatis mentio injicienda eſt; utplurimum vero hi affectus oriuntur ab inſufficiente aut penitus deficiente tenſione partium membranoſarum & ipſius tympani in aure, ſicut actualis perruptio hujus tympani totalem & incurabilem ſurditatem poſt ſe trahit; hæ ipſæ atoniæ & infirmitates in organo auditus ex variis externis & internis cauſis pendent: quodſi itaque artifex agnoverit, quod etiam interna cauſa ſontica & ſingularis ad talem calamitatem fundamentum quaſi ſubminiſtret, tunc in cura etiam huic cauſæ condigne ſatisfacere & ſuccurrere, deinde ad reliquam conditionem affectus operam ſuam dirigere debet, quo itaque e fundamento tale malum tollat.

§. II. Quo in tam intricatis & interdum etiam deſperatis morbis artifex ſperatum & deſideratum auxilium offerat, cavendum eſt a præpoſtera & nimis cunctata medicatione, etenim ſi tale malum diu duravit, tunc ſerius medicina paratur; deinde abſtinendum eſt ab immoderatis evacuationibus & commotionibus partium & humorum, ut & a nimis confuſa & multiplicata variorum remediorum & experimentorum oblatione; porro a remediis narcoticis & ſimilibus, quæ motus vitales magis opprimunt, quam ſublevant, utpote quæ principaliores in tali caſu tenendæ cautelæ practicæ ſunt.

§. III. Quod ſpecialem curam harum afflictionum attinet, tunc generalis acceſſus eo eſt inſtituendus, ut vel impuritates, partes & humores offen-

ſendentes per congruas laxationes evacuentur, vel ut urgens & concurrens ſangvinis plenitudo debite ventiletur, vel ut concurrentes motus congeſtorii, aut ſimiles alii irregulares per nitrata remedia temperentur, per diluentia leniantur, per Cinnabarina ſedentur, per alexipharmaca discutiantur, per laxantia aloëtica, pediluvia, inſeſſus & moderata balnea deriventur, per anticatarrhalia ſuccinata & volatilia affluxus & infarctus catarrhalis diſſolvatur, utpote quæ operationes in fundamento hujus curæ ſollicite adminiſtrandæ ſunt.

§. IV. Extrinſecus conveniunt remedia discutientia & roborantia, qualia in præcedente affectu commendata proſtant, uti imprimis Camphorata & Crocata remedia, oleum deſtillatum Chamomillæ & Succini, Spiritus & Salia volatilia, auxilia ſvaveolentia ex Ambra & Moſcho parata, olea deſtillata nervina, Spiritus nervini, ipſum Caſtoreum in hoc affectu proſunt, quemadmodum alibi auditus gravitati ſuccurritur per inſtrumentum acuſticum ſive cornu auri admotum, unde auditus cornutus ſuam appellationem nactus eſt; quando e nimia externa violentia ſurditas orta fuit, tunc ob tympani disruptionem fruſtra aliqualis auditus revocatio urgetur: præſtat vero, quo ſingula talia auxilia in tempore offerantur.

CAPUT XVIII.

DE

ODONTALGIA.

§. I.

EXcipit jam affectus perquam frequens & ſatis moleſtus atque dolorificus, qui propterea adeo frequenter medico offertur, quo auxilium aliquod certum & efficax ordinetur, interim in cura hujus affectus, qui Odontalgiam conſtituit, immenſus numerus remediorum vulgo commendatur, dum incertitudo plurimorum remediorum occaſionem ſubminiſtravit, quo alia certiora inveniantur & deſiderentur, licet ſub multiplici & confuſo talium remediorum uſu præſens affectus magis confundatur & corrumpatur, ut propterea merito hic affectus ad famoſa illa Medicorum ſcandala recenſendus ſit, qui magis patientia, quam therapia ſuperatur; ubi tamen etiam illa notatu digna cautela inculcanda eſt, ne & Medici & patientes

 adeo

adeo incontinentes & præcipites ſint cum dentium extractione, ad quam communiter confugiunt.

§. II. Quo artifex cum meliori utilitate huic intricato & contumaci affectui ſatisfaciat, antea bene noſſe debet indolem præſentis afflictionis, ſiquidem eo præcipue animus advertendus eſt, quo præſentes motus congeſtorii recte agnoſcantur & quo illorum ſcopo Medicus opportuno tempore ſatisfaciat; proinde etiam obſervanda eſt horum motuum contumacia & habitualis indolis, quæ propterea iterum cum peculiaribus adminiculis emendanda eſt; quid quod noſſe debet artifex concurſus rhevmaticos & inflammatorios, aut eventus & conſecutiones Catarrhalium ſchematum morboſorum vel plenariæ corruptionis in dente exorientis, quæ in futurum ad plures frequentiores & faciliores præcedentium motuum congeſtoriorum repetitiones disponit: quare multum refert, quo in tali affectu primum fundamentum ab accidentalibus ſuccesſionibus & eventibus diſtingvatur, adeoque artifex deinde rite diſcernat, quid ſymptomaticis afflictionibus proficere poſſit.

§. III. Cum itaque in Pathologia practica primario ad motus illos reſpiciendum ſit, quibus mediantibus ſangvinis ſuperflui & moleſti exoneratio a natura humana intenditur & urgetur, ita primarium officium Medici erit, quo hiſce motibus rite dirigendis operam adhibeat & quidem etiam illorum gradum & præſentem ſtatum atque habitum bene obſervet, ita fiet, ut hoc malum e fundamento curari poſſit; quando præprimis illa communia experimenta non ita promiſcue, neque ita copioſe applicantur; inde enim contingit, ut præſentes motus valde ſenſibiles magis refractarii reddantur, aut e chronico tali affectu acutus inflammatorius provocetur, quod eo citius in ſubjectis plethoricis evenire ſolet: unde multum refert etiam in tali calamitate ad ſalubritatem Hæmorrhagiarum neceſſariarum & moderatarum retroſpicere.

§. IV. In cura itaque hujus frequentis & inſignis afflictionis abſtinendum eſt 1) a confuſis evacuationibus ſangvinis 2) a perturbationibus & negligentioribus promotionibus ordinariarum excretionum 3) a præcipiti & promiſcuo uſu evacuationum Chirurgicarum, ut ſunt Veſicatoria &c. 4) a præmatura extractione dentium 5) a remediis valde acribus & affluxum humorum magis excitantibus 6) ab indifferenti uſu oleorum deſtillatorum, imprimis vero olei Caryophyllorum 7) a ſimplici uſu Opii ad locum dolentem 8) a remediis refrigerantibus valde adſtringentibus & repellentibus 9) ab experimentis nude emollientibus & affectas partes valde relaxantibus 10) a nimis multiplicata, fugaci & inconſtanti remediorum & experimentorum applica-

plicatione 11) a confuſo ſpecificorum & magneticorum remediorum uſu, denique 12) a perverſa præſervatione.

§. V. Poſitiva Therapia Odontalgiæ ſequentibus practicis indicationibus abſolvitur 1) ut motuum præſentium immoderatorum congeſtoriorum ratio habeatur, quo curatorie æque ac præſervatorie emendentur 2) ut urgentes dolores & afflictiones per externa adminicula legitime leniantur 3) ut accidentalia conſectaria, quæ cum affectu tali complicantur, ita tractentur, ne primarium affectum exacerbent & in reliquo ſuo decurſu immoderatum & habitualem reddant: Hæ ſingulæ indicationes juſto ordine exercendæ ſunt, ne nimis præcipitanter ad palliativa remedia tantum pro dolorum acerbitate lenienda Medicus confugiat.

§. VI. Quod itaque internam motuum directionem attinet, tunc pro uſu præſervatorio conducunt in ſubjectis, quæ ſangvinis commotionibus obnoxia ſunt, Venæ Sectiones in pede inſtituendæ, nec non repetitæ laxationes pro diverſitate Temperamenti ordinandæ & inveniendæ; ſicut etiam in quibusdam ſubjectis præſervatorio uſu conferunt Scarificationes, tum in ordinariis locis, tum circa aures inſtitutæ, ubi hirudines ad aures præſervatorio ſcopo nonnunquam applicari poſſunt: proſunt etiam pediluvia tam curatorio, quam præſervatorio fine: in ſubjectis, quæ de phlegmatico Temperamento multum participant & ubi hic affectus nimis frequenter recurrit & nimis vehementer affligit, interdum admitti poteſt Veſicatoriorum uſus, modo modeſtus ſit, ne eximius dolor eundem comitetur.

§. VII. Proinde ad motuum correctionem conferunt neceſſariæ & ſelectæ mitigationes & lenitiones, ut & conjunctæ & ſubjunctæ ſedationes, ſicut huc proſunt remedia nitrata, Cinnabarina, diluentia; in ſubjectis mollioribus & ſenſibilioribus emulſiva, lacticinia, in aliis decocta domeſtica & ſedativo ſcopo Maſſa Pilularum de Cynogloſſa; ſicut pro interna diſcusſione adjuvanda vel regimen quietum, vel tale decoctum, vel temperata Eſſentia alexipharmaca, vel in ſubjectis ſeroſioribus Tinctura antimonii tartariſata cum Eſſentia Succini remixta, proficit; quæ ſingula tamen non nimis frequenter neque prodigis quantitatibus ordinanda ſunt: quidquod præſtat, ſi hic affectus habitualis fuerit, temperata ſedativa remedia offerre, quo vehementia horum motuum melius & efficacius ſubjugetur.

§. VIII. In ſecunda indicatione commendantur auxilia topica, qualia in Odontalgia innumera pasſim allegantur & laudantur, e quibus hoc loco aliquem ſelectum inſtituere placet, ita quidem, ut eundem tam ad Odontalgiam ſimplicem ſangvineam, quam ad complicatam ſive ſeroſam applicem; proficiunt remedia externa partim diſcutientia, partim lenientia, partim et-

iam ſedantia; in Odontalgia ſangvinea convenit ſolutio nitri cum aqua Roſarum facta, per modum collutionis adhibenda: porro conducit decoctum radicum Ireos florentinæ, Bryoniæ, Sigilli Salomonis, Biſtortæ, Vincetoxici, herbarum Salviæ, Rorismarini, Rutæ, Betonicæ, Hyoſcyami, florum Chamomillæ, Sambuci, Roſarum, Seminis Carvi, Baccarum Lauri & juniperi ſive hoc decoctum cum ſimplici aqua, vel etiam cum lacte paretur; quibusdam ſubjectis eximiam utilitatem attulit lac tepidum, cum quo ſimplex collutio inſtituenda eſt: ita pro diverſione motus congeſtorii inſtituenda concedi poſſunt Emplaſtra temporibus fervidius applicanda, paranda ex Therebinthina, Cera, Maſtiche &c: ita etiam conducunt Emplaſtra de Meliloto, Diachylum cum gummatibus Camphorata, addito tantillo Theriacæ: Et talis Theriaca poteſt etiam modica quadam quantitate prædictis decoctis combinari: ita parari poteſt Emulſio ex aquis Hyoſcyami, Roſarum, Fœniculi, florum Sambuci cum amygdalis dulcibus, ſemine Hyoſcyami & Camphora, qualis Emulſio illinenda eſt gingivis dolentibus quo congeſtio diſcutiatur & ex parte etiam ſedetur.

§. IX. E numero ſedantium adminiculorum pro uſu externo proficuorum convenit Philonium Romanum, Sotirilla Mindererii, qualia remedia tamen & caute & parcius applicanda ſunt; neque contemnendum eſt experimentum B. Ettmülleri, quo flores Chamomillæ, Sambuci, radicem Ireos florentinæ & oleum Papaveris expreſſum commendat, ubi adhuc Camphoræ uſum additum laudamus; ita alibi Wedelius radicem Oxylapathi, Tormentillæ, Biſtortæ, folia Scordii, Chamædrios, Verbenæ, Salviæ, Roſarum, Ligni Sancti & Maſtichen cum vino decoquenda pro collutione oris laudat: ſunt qui Perſicariæ recenter contuſæ dolenti loco applicatæ egregiam virtutem adſcribunt: neque Bartholini experimentum rejiciendum eſt, quando ſolutionem Lapidis Prunellæ pro collutione oris ordinat & deinde uſum Philonii Romani ſubſtituit; cujus applicationem vero paulo ſecurius Theriaca ſimplex ſupplet, ita illa cautela obſervanda eſt, ne ſedativa remedia nimis præcipitanter adhibeantur: denique etiam hoc loco mentio injicienda eſt experimentorum Sympatheticorum, ubi inter alios Helmontius & Fioravantus osſiculum de brachio bufonis extollunt, quocum Gingivæ dolentes fricari debent: ita alii in hoc malo curam per transplantationem præferunt, quæ etiam in nonnullis, ſed haud frequentius deſideratam opem obtulit.

§. X. Quoad ſpecialiores circumſtantias ex parte diſcrepat Odontalgia ſeroſa, cum catarrhali effectu, conjuncta: in hac interne conveniunt laxantia cum Agarico, Mercurio dulci aliisque phlegmagogis remediis inſtructa;

cta;

cta; deinde conveniunt Eſſentiæ diſcutientes alexipharmacæ, imprimis etiam Eſſentia Succini & Tinctura antimonii acris; externe conferunt Sacculi ex ſpeciebus reſolventibus & nervinis parandi, ſive ſicciores, ſive cum vino fervido humectandi; proſunt etiam extrinſecus remedia Camphorata & Crocata ut & urgente neceſſitate Veſicatoria: confert modeſtus uſus apophlegmatizantium nimirum maſticatoriorum remediorum, proficit moderata applicatio olei Caryophyllorum; conducunt collutiones cum decoctis diſcutientibus & nervinis: quadrat huc Tinctura odontalgica Mynſichti & denique in ſubjectis aptis uſus Tabaci in fumo in hac Odontalgiæ ſpecie concedendus eſt.

§. XI. Quod denique in tertia indicatione diverſos effectus & eventus Odontalgiæ attinet, qui ita dirigendi ſunt, ne ſiniſtras conſecutiones involvant, tunc primo loco obſervanda occurrit accidentalis illa intumeſcentia, quæ in affecto latere, maxime doloris urgentis occurrit: pro hac removenda vel ipſa ſimpliciſſima continentia ſubjecti convenit, vel etiam modeſtus calor conducit, vel Sacculi ſimplicisſimi ex floribus Chamomillæ, Sambuci & Sale communi, nec non baccis Lauri & Juniperi parati, calide impoſiti conveniunt. Proſunt etiam Camphorata remedia, ut & Emplaſtrum de Meliloto Camphoratum: quando in Odontalgia frequentior ſputatio contingit, tunc a practicis commendatum oleum Buxi utilitatem ſuam exſerit, uti etiam in Odontalgia ſeroſa alii oleum de Piperibus, oleum Maſtichinum, oleum Camphoræ in parcisſima quantitate & in ſubjectis valde phlegmaticis pro uſu externo ad verticem commendant.

§. XII. Denique etiam mentio injicienda eſt Dentis corrupti & carioſi, qui neceſſario extrahendus eſt & poſt adminiſtratam extractionem præcavere convenit, ne reliquiæ carioſæ vicinos dentes integros inficiant; unde ad extingvendam talem Cariem conducit Eſſentia Myrrhæ, Eſſentia Aloes, Hyperici, Succini, cum oleo Therebintinæ mixta; aut ad dentem carioſum applicari poteſt maſſula e cera, Myrrha & Therebinthina parata: cum cauteriis actualibus circumſpecte procedendum eſt, ne vel nimis profunda ſint, neve nimis ſuperficialia; alias promiſſam utilitatem non afferunt: aluminoſa acida corroſiva in hac afflictione non quadrant, ſupplet illorum defectum acetoſitas Citri; conferunt itidem ad extingvendam cariem amara, ut radices Zedoariæ, Gentianæ rubræ, Ariſtolochiæ rotundæ & herbæ amaræ in decocto applicandæ; maxime vero exigua portio Euphorbii cum Therebinthina & Myrrha mixta ad carioſum dentem adhibita hanc corruptionem extinguere adjuvat.

CAPUT XIX.

DE

PHRENITIDE.

§. I.

ACutus hic affectus ſive idiopathice ſive ſymptomatice occurrat, admodum periculoſus eſt, adeoque exquiſita & prudenti therapia indiget: in tantum vero poſitivæ medicationi ſubjacet, in quantum artifici ex vero conſtat, quod inflammatio quædam in cerebro illius cauſa ſit; quando vero ſive ſimplices ſtaſes, ſive actuales corruptiones, ſive varicoſæ inflationes in culpa ſunt, tunc de ſpeciali tali afflictione non niſi poſt mortem ſub diſquiſitione anatomica certus redditur artifex, adeoque antea & maturius eo curam ſuam dirigere non poteſt, quo magis ſpecialisſimæ tales cauſæ latent: & licet etiam exacte conſtiterint, tamen in artis poteſtate non eſt, quo adeo efficacia remedia ordinentur, hinc in periculoſo tali morbo plurimum Deo & Naturæ committendum eſt.

§. II. Non parum in hujus affectus pathologica diſquiſitione confert & refert, quando prudens Medicus illas cauſas rite perpendit, conciliat & applicat; quæ cum motu ſangvinis et ſcopo hæmorrhagico conveniunt, ſiquidem Phrenitis juxta obſervationem antiquiorum & recentiorum non parum cum moliminibus hæmorrhagicis colludit, ſicut ex repentinis ſalutarium Hæmorrhagiarum ſuppresſionibus ortum traxiſſe legitur & deprehenditur: proinde etiam ex repentina perturbatione liberi & ſufficientis tranſitus & progreſſus ſangvinis per cerebrum interdum orta fuit, quo præcipue externæ violentiæ, aut etiam ſonticæ internæ alterationes repentinæ contribuere ſolent.

§. III. Quod ſeorſim Phrenitidis ſymptomaticum concurſum cum acutis febribus attinet, tunc tanto magis illa cauſa eſt annotanda, quomodo particulares immodicæ congeſtiones ſangvinis intra caput inſtitutæ, hunc affectum provocaverint, quales congeſtoriæ commotiones haud ita ludicræ & turbulentæ ſunt, ſed potius cum ſcopo illo effundendi ſuperflui & commoti ſangvinis exacte cohærent; ſicut utplurimum ad talem Phrenitidem ſymptomaticam tales cauſæ conferunt, quæ in febribus ſangvinem valde turgefaciunt & naturam ad talem ſecundarium actum excretorium diſponunt & ſeducunt, quæ cauſæ tanto magis prudenter æſtimandæ & tractandæ ſunt, quo periculoſior eſt totus ſtatus complicati hujus affectus.

§. IV.

§. IV. Et quo in tam periculoſo affectu ſecurius & efficacius Therapia idonea commendetur, cavendum eſt 1) a quibusvis confuſis & immoderatis evacuationibus 2) ab indiſcreta ſangvinis artificiali misſione 3) ab inopportuna & præmatura venarum raninarum inciſione 4) a remediis acribus, calefacientibus & humores valde commoventibus 5) præcipue vero a volatilium remediorum uſu 6) a liberali camphoræ uſu interno 7) a remediis refrigerantibus 8) ab adſtringentium & valde incraſſantium uſu interno 9) maxime vero a remediis quibusvis narcoticis & præcipue ab uſu opii 10) ab interno uſu oleoſorum balſamicorum 11) a motuum febrilium concurrentium diverſa perturbatione & denique 12) a nimis confuſa multiplicata remediorum diverſi & perverſi effectus oblatione.

§. V. Poſitiva medicatio Phrenitidis has ſpeciales indicationes practicas comprehendit 1) ut urgente necesſitate & permittente occaſione tempeſtiva motuum diverſio inſtituatur 2) ut præſentes commotiones congeſtoriæ & inflammatoriæ temperentur & rite dirigantur 3) ut febris conjuncta recte tractetur & ad congruas ſuas excretiones promoveatur 4) ut per externa apta auxilia nimia congeſtio intra caput directa diſcutiatur: præſtat vero ſingulas has indicationes & ordine congruo & debita conſtantia applicare.

§. VI. Iuxta primæ indicationis valorem tempeſtive præſentibus immoderatis motibus, quando in primo ingreſſu & accremento conſtituti ſunt, diverſio eſt inducenda, quæ ipſa variis modis fieri poteſt, vel ut 1) tempeſtiva Venæ Sectio ſufficiens in brachio inſtituatur & 2) urgente necesſitate poſt præmiſſam generalem Venæ Sectionem venæ ſublingvales, vel frontis vena incidantur, vel ut 3) mox clyſter ſtimulans ordinetur, quo ſub alvi efficaci apertione contumaces illi decubitus anoterici avertantur, vel ut 4) plantis pedum rubefaciens maſſula applicetur, vel ut 5) frictiones pedum & cucurbitularum cæcarum applicationes ad dorſum & femora (ſi comode fieri poteſt) conjungantur, vel ut 6) tempeſtive Narium Hæmorrhagia ſecundum Zacuti Luſitani in Admiranda Praxi commendationem provocetur.

§. VII. Secunda indicatio commendat & inculcat præſentium congeſtoriorum & inflammatoriorum motuum lenitionem & mitigationem; prior præſtanda eſt per decocta pharmacevtica mucilaginoſa & gelatinoſa dilutiora, nec non per emulſiva ex aquis reſolventibus & analepticis, atque ex nucleis pingvibus parata: mitigatio ſuccedit per uſum remediorum abſorbentium cum acidis ſaturatorum, Coralliatorum & nitratorum & ſi impetus horum motuum nititur nimia ſangvinis fluiditate, tunc conducunt Julapia, cum acidis ſubjectis remixta, ut et nitrata ſub potu conſveto offerenda, porro proficit uſus

Mixturæ ſimplicis, Caralliorum rubrorum præparatorum, Lapidis Prunellæ, Nitri antimoniati, quibuscum in tantum motus immoderati temperantur, in quantum nimis ſangvinis orgaſmus refrenatur, licet cæteroquin cum talibus remediis acidulatis neceſſarium moderamen obſervandum ſit.

§. VIII. Sed cum affectus phreniticus præcipue cum febre ſatis acuta conjungatur, ita hujus febrilis concurſus prudens ratio habenda & inſtituenda eſt, ne videlicet motus febriles augeantur: præſtat itaque abſtinere ab omnibus calidis remediis & rectius ſub bono regimine quantum poſſibile exacte ſervando, ſub ſufficienti uſu diluentium, ſub uſu pulverum nitroſorum cum remedio antimoniato fixo conjunctorum, ſub ordinatione decoctorum ex Cichorio, Scorzonera, paſſulis majoribus, aquis diapnoicis &c: parandorum, ſub conciliatione Mixturæ ſimplicis, aut miſcelæ ex Eſſentia Pimpinellæ albæ, Caryophyllatæ, Vincetoxici & Scordii paratæ adjuvare & expectare, quo ſub remiſſiori æſtus ſucceſſu diaphoreſis legitime erumpat & continuet, quæ ante omnia pro ventilatione febris, omni cum moderamine & continentia erit promovenda.

§. IX. Denique etiam in hoc affectu talia adminicula conferenda ſunt, quæ præſentem inflammationem quacunque congrua ratione diſcutere adjuvant; unde non incongrue periti practici in ſubjectis robuſtioribus interne Electuarium de ovo cum Nuce vomica uſurpant; externe remotiori auxilio diſcutiunt & reſolvunt Camphorata, capiti applicanda, nec non epithemata ex aceto Roſaceo aut Rutaceo cum Camphora mixta parata, ut & Emulſiva pro uſu externo ex aquis Roſarum, Fœniculi, Hyſſopi, Matricariæ, Nucleis perſicorum & Camphora compoſita: huc etiam ſpectant ſacculi modice vinoſi, e ſpeciebus diſcutientibus & nervinis facti addita Camphora, qualia auxilia ſolertius vertici & reliquo capiti imponenda ſunt, quæ, licet non intimius penetrent, attamen eminus adjuvant, quo minus præſens interna inflammatio increbeſcat.

CAPUT XX.
DE PARAPHRENITIDE.

§. I.

QUemadmodum nunc ſufficiens Phrenitidis mentio facta fuit, ita brevibus quædam de complicato affectu phrenitico, qualem vulgo *Para-*

Paraphrenitidem vocant, monenda erunt; quamvis vero hic affectus magis intricatus & periculoſus exiſtat, tamen eo magis neceſſe erit, veras illius cauſas evolvere & perſcrutari, an videlicet primarius affectus in inflammatione pectoris, diaphragmatis, Ventriculi, aut aliorum locorum exiſtat; an affectus Cholericus acerbior præſto fuerit, ut ita diverſitati cauſarum, cum diverſa, ſed vicisſim etiam congrua medela artifex ſubvenire queat, licet deinde ad conjunctum affectum phreniticum etiam animum dirigere debeat.

§. II. Cum itaque in Paraphrenitide triplex ſonticus affectus conjunctus ſit, videlicet affectus primarius qui utplurimum pro inflammatione in abdomine obvia habetur, deinde certus gradus Phrenitidis & tertio denique febris acuta, ea propter majori dexteritate opus eſt, ne artifex contra ullum horum ludicre impingat: neque propterea impetuoſe quædam commotiones in tali morbo excitari poſſunt neque etiam ulla negligens mora nectenda eſt, cum periculum præſens urgeat; quidquod denique Medicus bene inquirere & conferre debet, an & in quantum quidam reſpectus hæmorrhagici perturbati cum tali periculoſa afflictione concurſent, quo iisdem tempeſtive & efficaciter ſubvenire queat.

§. III. Quo magis acutus itaque hic affectus eſt inſuperque complicatus, eo major dexteritas & prudentia in illius cura adhibenda eſt, nocent enim quælibet fortiores commotiones & evacuationes; nocent remedia ſubtilia, acria & calida; nocent etiam volatilia: proinde etiam obſunt poſitive refrigerantia, adſtringentia, immoderate incraſſantia, narcotica, excretiones ordinarias ſupprimentia, aut perturbantia, quæ ſingula ad præſentis affectus deteriorationem repente inferendam ſatisfaciunt; unde rectius leniſſima methodus aliis tentaminibus præferenda erit.

§. IV. Specialis Cura Paraphrenitidis illis cauſis accommodata eſſe debet, quæ primario ad hunc affectum contribuunt: præſtat itaque diſquirere, an hic morbus a motu ſangvinis eluctatorio pendeat & moleſtam plethoram pro fundamento habeat; ubi iterum dijudicare convenit, an adhuc opportunitas temporis permittat, quo Venæ Sectio ſufficiens adminiſtretur, alias vero expedit alvum liberare cum clyſmate leniente, roborante & leniter ſtimulante; fortior enim ſtimulus non admodum ſecurus eſt, ſi affectus cholericus, aut inflammatio in abdomine adſuerit.

§. V. Hoc præſtito porro circumſpiciendum eſt, an Choleriodes affectus adſuerit, ubi talia remedia ordinanda ſunt, quæ ad bilem acriorem diluendam, temperandam & abſtergendam conferunt, maxime conducunt dilutiora mucilaginoſa, abſorbentia ſive ſimplicia, ſive cum acidis conjuncta & nitrata remedia: quando alia interna inflammatio præſens eſt, tunc con-

veniunt abſorbentia cum acidis maritata, temperantia nitrata, potiones ex aquis reſolventibus & diaphoreticis fixis parata; proinde interponendæ ſunt Eſſentiæ temperatæ alexipharmacæ; Camphorata interne cum maxima modeſtia uſurpanda ſunt: conducunt itidem emulſiones dilutiores parandæ ex aquis reſolventibus, analepticis, nucleis pingvibus & ſemine Cardui mariæ: quid ſecundum quorundam commendationem Magiſterium dentis apri aut Maxillæ Lucii piſcis in tali affectu conferat, experientia erit concilianda: conducit inſuper uſus decoctorum ex Scorzonera, Cichorio, Scordio, Chærefolio floribus Sambuci, Scabioſa, Galega, Cinnamomo, Citro & Paſſulis, nec non e Cornu Cervi paratorum; quæ ſingula auxilia ad internæ inflammationis directionem conducunt: de reliquo talia auxilia etiam externe conjungi debent, quæ in Phrenitidis cura præcedente allegata proſtant.

CAPUT XXI.

DE

AFFECTIBUS SOPOROSIS.

§. I.

QUanquam horum affectuum in ſchola medica quoad ſpecies ſuas numero plures recenſeantur, tamen iidem tam quoad cauſas, quam quoad reliquam indolem perquam conveniunt, ſiquidem ubique ſatis ominoſi & intricati ſunt, ita ut plures tali affectu correpti pereant, quam ſalventur; quæ conſideratio tamen minime negligentem artificem reddit, ſed magis Medicum excitat, quo quacunque circumſpectione & dexteritate huic afflictioni opem congruam afferat, ſiquidem tempeſtiva etiam medela paulo magis ſalutarem eventum promittit, niſi vel e craſſis, vel violentis admodum cauſis tales affectus concitati fuerint.

§. II. Imprimis retroſpiciendum eſt ad horum morborum evidentiores cauſas, quibus deinde rationales medicationes accommodandæ ſunt, unde nonnunquam ad eosdem morbos diſponunt anomaliæ hæmorrhagicæ, undecunque etiam eædem ortum ſuum capeſſiverint, ſicut alibi abſceſſus intimiores capitis, graves ſtagnationes, aut oppletiones in cerebro, actuales corruptiones in eodem, contumaces congeſtiones & perverſæ ſeceſſiones humorum intra illud factæ, aut confuſiones ſenſationum per opiata oblata provocatæ, aut actuales & ab extra inductæ violentiæ ad ſonticos hos ſoporoſos affectus generandos concurrunt.

§. III. Quo majus eſt periculum, quo difficilius eſt experimentum, eo major vigilantia in cura horum affectuum adhibenda eſt, prætere a 1) abſtineat prudens Medicus a confuſis 2) tanto magis vero anotericis craſſis evacuationibus 3) a negligentiori conciliatione moliminum hæmorrhagicorum 4) a remediis ſimultanee ſangvinem impellentibus & partes irritantibus 5) a promiſcuo ſalium volatilium uſu interno 6) ab inopportunis & præpoſteris evacuationibus Chirurgicis 7) a negligentioribus promotionibus ordinariarum excretionum 8) a remediis narcoticis 9) a valde incraſſantibus medicaminibus 10) a promiſcuo ſternutatoriorum uſu 11) a liberali & prodiga Salium volatilium externa oblatione & 12) a qualicunque perverſo & immoderato regimine.

§. IV. Quando affectus ſoporoſi ab aliqua violentia, capiti oblata, orti ſunt, tunc conveniunt præmiſſa liberatione alvi cum clyſtere leniente & roborante, tempeſtivam Venæ Sectionem in brachio ordinare & prout circumſtantiæ ſvadent atque urgent, Trepanationem inſtituere: quodſi etiam a commotione particulari ſangvinis ortum traxerint, inſuperque ſtatus plethoricus in ſubjectis adfuerit, tunc perinde tempeſtiva Venæ Sectio ſalutaris eſt, quæ vero non ita indiscretim ordinari debet, præcipue ſi in febribus poſt plures dies transactos affectus tales contingant, ubi alia potius auxilia in uſum trahenda ſunt.

§. V. Proinde in Soporoſorum Affectuum cura præſtat tempeſtive alvum provocare & quidem cum clyſteribus emollientibus, roborantibus & ſimul ſtimulantibus; deinde conducunt remedia alexipharmaca cum regimine modeſte diaphoretico & ſi orgaſticæ ſangvinis commotiones intercurrunt, interponenda ſunt temperantia nitroſa: proſunt itidem analeptica, imprimis potiones aquoſæ & modeſte ſpirituoſæ, ut & Emulſiones: vulgo quidem Caſtoreum ut alexipharmacum remedium in morbis ſoporoſis laudatur, quæ commendatio vero non adeo probata eſt; deinde acidorum uſus in his morbis ſit circumſpectus, licet eadem ut antidotum laudentur adverſus Opii virulentiam: maxime convenit, quo placidæ & conſtantes diaphoreſes ſuccedant & motus ſangvinis in aliquam æqualitatem transferantur: abſente etiam febre confert miſcela ex Tinctura antimonii acri, Spiritu Cornu Cervi & Eſſentia Succini parata: ſunt e practicis, qui apophlegmatizantia remedia ordinant, quæ interdum, ſi commode uſurpari poſſunt, utilitate ſua non deſtituuntur.

§. VI. Præter hæc interna remedia conferunt etiam externa auxilia, velut frictiones paulo aſperiores, rubefacientia pedibus applicanda, veſicatoria, camphorata vertici & temporibus adhibenda, ſacculi diſcutientes nervini vinoſi, moderata applicatio balſamorum oleoſorum in vertice & nucha, mo-

 deſtus

deſtus odor ſalium volatilium & ſi præſumitur aliqua ſuppuratio in cerebro nata, tunc moderata ſternutatio excitata accidentalem puris eruptionem poſt ſe trahit & quamvis odor acidorum & acetorum, imprimis Spiritus viridis æris in affectibus ſoporoſis ex opii uſu ortis laudetur, tamen eadem promiſſam utilitatem non afferunt; unde rectius reſolventia & ſvaveolentia aliis experimentis præferenda ſunt; ſicut de reliquo natura jam torpida ad functiones ſuas rite ſuſcipiendas & adminiſtrandas, excitanda eſt: ſub quibus ſingulis adminiculis juſto ordine uſurpatis ſperari debet, quod in ſubjectorum ſalubritatem cedere poteſt.

CAPUT XXII.

De

VERTIGINE.

§. I.

Vertiginoſa capitis perturbatio in communi experientia medica haud infrequens eſt, ſubinde etiam ſatis moleſta & ominoſa, imo ſatis intricata & complicata; propterea admodum refert exactam notitiam de eadem acquirere, ne deinde promiſcue tractetur inſuperque magis confirmetur, quam eradicetur: etenim non quælibet Vertigo ita funeſti ominis eſt, ſed cum variis mitioribus cauſis cohæret, ſiquidem ad hanc diverſitatem & differentem gravitatem cauſarum provide advertere debet artifex, ne in ipſo uſu practico easdem cauſas inter ſe confundat & ita præſens affectus vel corrumpatur vel cum aliis morbidis afflictionibus conjungatur & augeatur.

§. II. Principaliores cauſæ ad quas in Therapia medica attentio dirigenda eſt, nituntur vel plenitudine ſangvinis & connexa congeſtione & translatione ſangvinis intra caput, pro ſcopo inducendæ actualis Hæmorrhagiæ; vel ſpiſſitudine ſangvinis, ob quam progreſſus per cerebrum non adeo liber, facilis & æqualis eſt; vel irregulari commotione partium nervoſarum in capite, quæ interdum evidentem aliquam debilitatem poſt ſe relinquit; vel denique variis ventriculi afflictionibus, ſive hæ conſiſtant in occluſis & retrocedentibus flatibus, ſive in difficili concoctione, ſive in moliminibus ad vomitum actualem transeuntibus, quæ ſingulæ poſterioris indolis circumſtantiæ æque turbata illa & inordinata nervorum commotione nituntur & hisce potioribus

tioribus cauſis tali ordine ſatisfacere debet Medicus, quo cura verum fundamentum attingat.

§. III. Quo magis implicatus hic eſt affectus, eo major dexteritas eſt uſurpanda in illius curatione; propterea cavendum eſt 1) ab indiſcreto uſu vomitoriorum 2) ab intermisſione, aut cunctata & præpoſtera commisſione ventilationis ſangvinis 3) a promiſcuo uſu ſtomachicorum 4) a negligentiori promotione ordinariarum evacuationum 5) ab indifferenti oblatione remediorum & experimentorum ſpirituoſorum, concentratorum, nervinorum, cephalicorum balſamicorum 6) a quibuscunque remediis ſangvinem valde turgefacientibus 7) a medicamentis adſtringentibus & neceſſarios motus retinentibus 8) a remediis vulgatis narcoticis 9) a communi ſpecificorum uſu 10) a negligentiori tractatione motus ſangvinis, tum generalis progreſſivi, tum particularis congeſtorii 11) a frequenti variatione tum methodi medendi, tum ipſorum remediorum & denique 12) a nimis præcipitata curatione totius hujus affectus.

§. IV. Quod ſpecialem Therapiam Vertiginis attinet, tunc eadem ſecundum prædictam diverſitatem cauſarum etiam discrepat: quando itaque Vertigo cum abundantia ſangvinis & motibus congeſtoriis capitis cohæret, tunc nullum remedium magis ſimplex & ingenuum eſt, quod huic affectui propius competit, quam præſervatoria & repetita quædam ſangvinis ventilatio artificialis, ſive per Venæ Sectionem in pedibus, ſive in anomaliis hæmorrhoidalibus per hirudinum applicationem ad loca hæmorrhoidalia inſtituta fiat, qualis evacuatio vero & ordinata & ſufficiens eſſe debet, alias non illud levamen affert, quod de eadem expectatur: & quando in ſubjectis adultioribus valde ſuſpecta vertigo urget, tunc ſine mora hæc ſangvinis imminutio ſuſcipienda eſt.

§. V. Proinde etiam multum refert, quo alvus ſit libera, ſiquidem obſtructa alvo ſangvinis miſſio inſtituta ſperatam opem haud infert, quare alvus eſt vel liberanda, vel cum illius apertione revulſio quædam a locis ſuperioribus eſt præſtanda; conveniunt leniora laxantia vel Rhabarbarina, vel correcta aloëtica & helleborina, vel etiam in ſiccitate alvi clysmata lenientia & modeſte ſtimulantia: præterea conferunt interne remedia temperantia & motus congeſtorios mitigantia, ut nitrata & cinnabarina, nec non diluentia, gelatinoſa & mucilaginoſa, ut & in ſubjectis floridioribus Coralliata & acidulata: porro conferunt pediluvia & frictiones pedum, aut ubi Vertigo eſt caduca, non inutiles ſunt phœnigmi & rubefacientes ſpecies, ab extra vero conferunt capiti applicanda Camphorata, aut epithemata lenientia, cum Camphora mixta, quæ discuſſoria ſua virtute hanc oppletionem capitis emendant.

§. VI. Quando Vertigo in Febribus concurſat, tunc pro illius mitigatione leniora auxilia invenienda & commendanda ſunt, cum ſymptomatica talis vertigo rectius nitatur motu febrili; unde cum exitu febris etiam ſua ſponte Vertigo excurrit; aliquando pro illius cura non facile artifex ad ſangvinis miſſiones confugere debet, ne genio febris præſentis præjudicet: rectius confert alvum ſervare apertam, regimen quietum injungere, juſtam diaphoreſin adjuvare, ſufficientem diluentium uſum ordinare, remedia nitrata & acidulata exhibere & ab extra prædicta epithemata & camphorata ſubſidia concedere.

§. VII. Quando vertigo aliqua ſangvinis ſpisſitudine nititur, qualis eſſe ſolet Vertigo hypochondriaca, tunc duplex ſpecialis indicatio practica commendanda eſt 1) ut ſpiſſus ſangvis attenuetur 2) ut reliqua maſſa ſangvinis in juſto progreſſu conſervetur. Pro priori negotio conveniunt illa adminicula, quæ ſuperius de ſpisſitudine ſangvinis ordinata ſunt; nocent vero omnia illa ſubjecta, quæ ſangvinem valde impellunt; unde rectius proſunt diluentia & temperata reſolventia, ſive ſalina abſtergentia, ſive antiſcorbutica, in Decoctis atque Infuſis exhibenda; quoad alterum negotium tam modeſtus uſus balneorum, quam labor & motus corporis convenit, quippe quæ ipſa auxilia ſimul ſangvinis attenuationem promovent & facilitant.

§. VIII. Quodſi Vertigo ſingulari aliqua imbecillitate & debilitate nervoſarum capitis partium nitatur, qualis interdum ab intenſiori exercitio operationum mentis, nonnunquam a prægresſis prodigis Hæmorrhagiis oritur, tunc ante omnia commendanda eſt requies & continentia animi; deinde conducunt intrinſecus ex diæta evpepta vinoſa moderate aromatiſata & crocata, nec non modicus uſus Salium volatilium cum Eſſentia Succini & Cinnamomi: externe conferunt Cucuphæ e ſpeciebus roborantibus paratæ, ut & Spiritus nervini, quo Spiritus Vini Camphoratus, Serpilli, Formicarum, Roſarum, Liliorum convallium, Roriſmarini, Meliſſæ & ſimiles pertinent, quibus pauxillum Spiritus cujusdam volatilis admiſceri poteſt: de reliquo caput non eſt offendendum cum vaporoſis, adverſe olidis, ſtimulantibus, ſternutatoriis: externe etiam vinum proficit, ut & temperatus uſus Balſamorum oleoſorum, proſpiciendo tantum, quo cum omnibus nervinis ſpeciebus moderamen ſervetur.

§. IX. Si Vertigo primam ſuam cauſam in ventriculo habet, tunc ſubjecta exploranda, an quadrent, quo in iisdem lenis emeſis conciteтur, ut diu collecta ſaburra e Ventriculo exturbetur; alioquin conducunt modeſtæ & repetitæ laxationes, reſolutiones & abſterſiones primarum viarum, quo Extracta amara & gummata reſolventia pertinent, non excluſis Infuſis reſolventibus,

robo-

roborantibus & evacuantibus; proinde providendum eſt, quo occluſi flatus e juſta via educantur & conveniunt imprimis in ſubjectis hæmorrhoidariis et fœminis Clyſteres lenientes & roborantes: proſunt inſuper ſalia deterſiva & ſubordinanda carminativa temperata, conjuncta diæta congrua: maxime cavendum eſt, ne ventriculus interne & externe refrigeretur; denique pro potu interdum bonum & adultum vinum conducit, neque penitus in aptis ſubjectis aquæ ſpirituoſæ, aut carminativæ inutiles exiſtunt.

§. X. Circumferuntur denique tam in materia medica, quam inter practicos varia ſpecifica remedia, quæ Vertigini opponi ſolent; ex illis vero quædam vel Ventriculo roborando dicata ſunt, quædam ex aliqua inexperta perſvaſione recenſentur, quod præcipue valet de radice Doronici & Pavonum ſtercore; quod vero de Helleboro nigro traditur, etiam recte intelligi & comparari debet, cum alias ipſe ad fluxus hæmorrhoidales adjuvandos inſerviat; unde in illo caſu locum invenire poteſt, ubi Vertigo ab Hæmorrhoidibus ſuppreſſis ortum trahit; alias longe rationabilius & ſecurius artifex procedet, ſi diverſis cauſis aptam etiam medicationem inveniat atque applicet.

CAPUT XXIV.

DE

GRAVEDINE ET CORYZA.

§. I.

PRæſentes affectus ipſa ſua frequentia teſtantur, quod utplurimum lenioris indolis exiſtant, adeoque ſub ſimplici modeſto regimine, vel ſponte deſinant & excurrant: deinde etiam ex accidenti interdum malignis affectibus ſeſe ſociant, in quibus propter hunc nexum deterioris conſtitutionis ſunt: quanquam quidem pro ſimplici illorum ſtatu rarius Medicorum conſilia & auxilia expetantur, dum vulgo tales affectus pro ſpontaneo naturæ ſalutari conatu habentur, tamen evenit, ut in contumaciori Gravedine & immoderatiori magisque diuturna Coryza medici opitulatio requiratur, quæ propterea vera notitia horum affectuum niti debet, ne juxta vulgarem catarrhos tractandi morem, illa adminiſtretur, proptereaque affectus ſatis ſæpe vel corrumpantur, vel e genuino ſuo fundamento haud genuine curentur.

§. II. Probe itaque exploranda eſt indoles horum affectuum, ſiquidem ipſa hiſtoria practica teſtatur, quomodo iidem non raro cum negotio Hæmor-

rhagiarum

rhagiarum in ſatis arcto conſortio conſiſtant, ut ita incongruum eſſet ad alias cauſas confugere velle, adeoque aliud fundamentum curationis futuræ ſupponere; proinde perpendendum eſt, quomodo in ejusmodi affectibus natura ſalutarem humorum repurgationem & liberationem a ſuperflua ſeri catarrhalis quantitate proſequatur; unde actuales tales fluxus catarrhales non niſi cum periculo ſubito repelluntur: imprimis etiam attendere debet artifex, quomodo ad conſtituendos hos affectus motus congeſtorii concurſent, quorum gradus atque moderamen eapropter etiam dijudicare convenit, ne iidem in aliquo exceſſu laborent & cum evacuationes tales ſeroſæ ſuccedere haud queant, niſi materia evacuanda ſatis fluida ſit, hinc viciſſim contingit, ut ſub craſſiori illius materiæ conſiſtentia, non niſi moleſti & morboſi infarctus & loco Coryzæ Gravedo oriantur.

§. III. Porro notatu perquam digna eſt illa practica circumſtantia, quam hiſtoria medica ſuppeditat, quod interdum hi affectus acerbiores & acriores eſſe deprehendantur, unde in ſe ſpectati non modo fortius affligunt, ſed & ſingularia & minus conſueta ſymptomata involvunt, in quo ſtatu cum Rhevmatiſmo conjunguntur, ut propter hanc complicationem alii reſpectus in Therapia medica formandi ſint, quo huic accidenti exacte ſatisfaciat artifex, quoniam in hac complicatione affectus longe ſenſibiliores & mobiliores exiſtunt, adeoque citius offendi, exacerbari & in febrilia, ſpaſtica & inflammatoria pathemata conjici poſſunt, quapropter veteres Medici talem ſtatum catarrhalium horum affectuum ſingulari nota inculcarunt.

§. IV. Quo itaque hi affectus e fundamento & condigne curentur cavendum eſt 1) a communi uſu fortiorum evacuationum ſeroſarum 2) a negligentiori penſitatione & conciliatione motuum hæmorrhagicorum, tum præcurrentium, tum concurrentium 3) a negligentiori promotione ordinariarum evacuationum 4) ab errhinorum remediorum ſuperfluo uſu 5) a ſalium volatilium intempeſtivo uſu, aut actuali abuſu 6) ab indifferenti vulgarium acrium anticatarrhalium oblatione 7) a congeſtionum ſangvinearum concurrentium exacerbatione 8) a negligentiori obſervatione & connexione cauſarum & morborum antecedentium 9) ab externis balſamicis acrioribus oleoſis concentratis indiſcretim ad roborandas partes commendari ſolitis 10) ab indifferenti uſu reliquorum cephalicorum 11) a remediis adſtringentibus & immodice incraſſantibus, ut & ab incauto acidorum uſu 12) a communium narcoticorum oblatione & 13) a thermarum & acidularum liberali & promiſcua commendatione.

§. V. Quo rectius, efficacius & ſecurius hi affectus curentur ſequentes indicationes practicæ obſervandæ ſunt 1) ut materia evacuanda rite præpare-

paretur 2) ut neceſſaria evacuatio recte dirigatur & promoveatur 3) ut concurrentes motus intenſiores vel temperentur, vel revellantur & diſcutiantur 4) ut opportuno tempore partes, quæ laborarunt iterum roborentur, quo recenſitæ hæ indicationes & ordine juſto & conſtantia debita exerceantur, ne cum præcipitantia & temeritate tales affectus artifex obruat & e minori malo majus producat.

§. VI. Prima indicatio injungit materiæ vel evacuandæ, vel diſcutiendæ neceſſariam præparationem, quæ in Gravedine eo directa eſſe debet, quo materia ſpisſior attenuetur & fluidior reddatur: in Coryza nimis fluida, ſubtili & acri, materia eſt quantisper inſpiſſanda & involvenda: quod priorem operationem attinet, tunc per varia adminicula materia fluida reddi poteſt, externe quidem convenit modeſtus uſus ſalium volatilium, aut etiam remediorum Errhinorum temperatorum, deinde temperatus calor ab extra admiſſus convenit; interne conducunt partim diluentia & quidem Infuſa calida, partim reſolventia ut Eſſentiæ Helenii, Ari, Caryophyllatæ, Angelicæ, Pimpinellæ albæ, Vincetoxici, Fumariæ & Succini, aut in temperatis ſubjectis Liquor Cornu Cervi ſuccinatus: altera operatio, quæ verſatur circa materiæ nimis fluidæ inſpiſſationem, perficitur partim cum remediis abſorbentibus, partim cum decoctis gelatinoſis & mucilaginoſis, nec non cum lacticiniis & emulſivis.

§. VII. Altera indicatio verſatur circa evacuationis neceſſariæ promotionem & directionem, ubi iterum in Gravedine evacuatio talis poſitiva invitatione & promotione indiget; hæc perinde perfici poteſt tam cum antea commendatis volatilibus remediis odoretenus adhibitis, quam cum modeſtis ſternutatoriis, in Coryza evacuatio ita dirigenda eſt, ne excedat, qualis exceſſus per interna diſcutientia, temperantia & revellentia, aut etiam moderata lenientia & ſedantia, per externa reſolventia & roborantia emendari debet & hoc nomine conveniunt vel prædictæ Eſſentiæ diaphoreticæ, cum ſubjuncto modeſto regimine diapnoico uſurpatæ, vel conducunt pulveres nitrati, abſorbentes, Coralliati & Cinnabarini; vel confert Tinctura Chaccarillæ, nec non proſunt temperata laxantia & denique externe Camphorata cum Eſſentia Croci remixta conducunt; ſicut Mixtura ex Spiritu vini Camphorato, Spiritu ſalis ammoniaci, Spiritu Liliorum convallium, Roſarum & Eſſentia Croci vertici & fronti applicata, proficua eſſe deprehenditur: in ſubjectis ſeroſioribus vero Cucuphæ diſcutientes & roborantes proſunt: quando Coryza in defectu peccat, tunc illa adminicula conducunt, quæ ad invitandam excretionem in Gravedine commendata ſunt.

§. VIII. In tertia indicatione commendatur motuum concurrentium neceſſaria temperatio & moderata revulſio: ſunt verò tales motus non alii quam congeſtorii & hi ipſi partim ad majorem infarctum, partim ad immoderatiorem fluxum catarrhalem contribuunt, adeoque hi motus variis effectibus emendari poſſunt, vel per revulſiones modeſtas, quando opportunæ laxationes inſtituuntur, ubi in ſubjectis magis humidis Mercurii dulcis conjunctum uſum approbo: a poſitivis & fortioribus purgationibus vero ſedulo abſtinendum eſt: conducunt itaque Extractum Panchymagogum Crollii, Pilulæ de Ammoniaco, Pilulæ de Agarico, Pilulæ de Succino Cratonis: deinde proſunt temperantia, abſorbentia, ſalia digeſtiva & nitrata: conferunt etiam diluentia & Infuſa calida ſimpliciora: proſunt temperata interna alexipharmaca discutientia, nec non huc conveniunt ſelecta & obſcura ſedantia; cavendum eſt, ne adſtringentia craſſa, opiata & repellentia uſurpentur: extrinſecus pro eodem uſu confert Camphora, interne conducit Mixtura ex Tinctura antimonii acri & Eſſentia Succini parata: in ſubjectis plethoricis pro eodem ſcopo proficiunt pediluvia, aut frictiones pedum, quæ ſingula adminicula motibus concurrentibus emendandis ſatisfaciunt.

§. IX. Sed quoniam ſub hisce affectibus partes membranaceæ & glanduloſæ non parum offenduntur & debilitantur, ita ſecundum quartam indicationem roboratio harum partium commendatur, quæ duplici modo perficitur, vel per interna, vel per externa remedia: intrinſecus conveniunt Eſſentiæ Pimpinellæ albæ, Succini & Ligni ſaſſafras, quo Liquor Cornu Cervi Succinatus ſpectat, non excluſa Mixtura ex Spiritu Cornu Cervi, Tinctura antimonii Tartariſata & Eſſentia Succini parata, externe conveniunt vertici & temporibus applicanda Camphorata, imprimis Spiritus vini Camphoratus cum aliquot guttulis balſami oleoſi mixtus. Et hæc roboratio ſucceſſive magis, quam ſimultanee præſtanda eſt: imprimis etiam hanc roborationem facilitat uſus moderati caloris, ne ſub incommoda refrigeratione liber motus humorum per has partes offendatur.

§. X. Et quoniam Coryza Rhevmatica ſive acris, ſingulariter affligit, ita pro illa recte tractanda peculiaris dexteritas adhibenda eſt: conveniunt vero partim temperantia nitroſa remedia cum abſorbentibus mixta, partim lenientia, mucilaginoſa, gelatinoſa, lacticinia & emulſiva pro acri ſero confluente demulcendo & involvendo; proinde huc quadrant ſalia digeſtiva abſtergentia, maxime interna discutientia & reſolventia, ſive eſſentificata, ſive fixa, ubi e priorum claſſe ſunt Eſſentiæ temperatiores alexipharmacæ, e poſteriorum numero ſunt antimoniata calcarea, cum prædictis pulveribus temperantibus combinanda; extrinſecus conducit ſolutio Nitri in aqua ſimplici,

plici naribus ardentibus excoriatis & valde prurientibus adhibenda: maxime confert moderatum regimen conjungere & conſtantem placidam diapnoen conſervare, alias vel artificialis internus impulſus, vel regimen incongruum facile talem affectum adeo exacerbare poteſt, ut febrilis afflictio ſuperveniat.

§. XI. Quod denique præſervationem attinet, quæ hisce affectibus ordinari debet, tunc ante omnia in ſubjectis plethoricis & in quibus hi affectus cum motibus hæmorrhagicis conſpirant, præſervatoriæ ventilationes ſangvinis, ſive per Venæ Sectionem in pede adminiſtrandam, ſive per ſubordinandas Scarificationes ſuſcipiendæ ſunt; deinde tam pro humoribus pituitoſis imminuendis, quam anotericis congeſtionibus præoccupandis, conducunt præſervatoriæ laxationes; maxime etiam confert juſtum regimen ſeligere & ſervare, præprimis caput in bono calore fovere, a repentinis mutationibus caloris & frigoris abſtinere, pedes ſenſibilioribus refrigerationibus non ſubjicere, neque caput ullo modo offendere & ſtimulare: in ſubjectis valde pituitoſis & in quibus vel Coryza habitualis, vel nimis contumax eſt, aut nimis frequenter recurrit, admitti poteſt vel Veſicatorium vel Fonticulus: ita etiam præſervatorie uſus Mixturæ ex Spiritu Salis ammoniaci, Tinctura Antimonii acri & Eſſentia Succini paratæ confert: denique etiam Thermæ in ſubjectis ſpongioſioribus & in quibus affectus tales nimis frequenter affligunt, aut in habitum degenerare deprehenduntur, poſt præmiſſas univerſales evacuationes & repurgationes corporis modeſtius adhibitæ aliqualem utilitatem promittunt.

CAPUT XXV.

DE

BRANCHO.

§. I.

SErmo hoc loco eſt de illa Raucedine, quæ ſponte corripit, neque ita communis eſt, uti vulgo ex aliquo diætæ vitio, aut intemperantia, aut nimia vociferatione, aut acidorum comeſtione, aut aliunde ortum trahere ſolet; ſed quæ ob concurſum peculiarium circumſtantiarum etiam diſcretæ indolis eſt, adeoque tanto magis medicam opem requirit; ſiquidem ex hiſtoria practica conſtat, quomodo talis affectus non modo ita tacite corripiat, ſed & tenaciter detineat & certis ſubjectis familiaris ſit; inde etiam evenit, ut eadem afflictio cum aliis prægreſſis capitis congeſtionibus & motibus

 ſpaſmo,

ſpaſmodicis atque rhevmaticis conſpiret, quid quod in ſubjectis ſenſibilibus nonnunquam cum febrilibus commotionibus concurſet, ut propterea longe dignior æſtimatio hujus diſtinctæ raucedinis in medicina practica habenda ſit.

§. II. Cohæret præſens affectus ſatis exquiſite cum moliminibus hæmorrhagicis, unde formaliter cum congeſtoriis commotionibus abſolvitur, licet ſubinde rhevmaticus ſtatus coincidat, ſub quo ſeroſæ acres ſeceſſiones in tenerioribus faucium intimiorum partibus contingunt, quæ excoriationem moleſtam non modo cauſantur, ſed & congeſtionem præſentem confirmant & exacerbant, hinc male pro ſimplici catarrhali affectu reputatur, quoniam principalis & fundamentalis ratio ſangvinis emotionem pro genuino ſuo ſcopo habet, ita ut cohærens catarrhalis indoles non tanti valoris ſit, quo mereatur ſimplex aut verus catarrhus appellari; quare cum hac Branchi ſpecie una talia pathemata concurſant, quæ alias ſimplex rhevma comitari conſpiciuntur.

§. III. Et quo hic affectus ita legitime tractetur, uti illius indoli convenit, ob id cavendum eſt 1) ab impetuoſis & crudis evacuationibus 2) ab ordinariarum excretionum perturbationibus, aut negligentibus promotionibus 3) a remediis calidis & acribus 4) a vulgatis anticatarrhalibus, quæ communiter calidæ indolis ſunt 5) a coactis & immoderatis ſudationibus 6) a communi ſulphuris uſu interno, quatenus vulgo Catarrhis opponitur 7) a remediis expectorantibus & ſuppoſitum catarrhum pectoris profligantibus 8) a remediis oleoſis aniſatis, ſuccinatis, therebinthinatis, tanto magis vero ſulphuratis 9) a remediis exoticis balſamicis acrioribus 10) a concurrentium commotionum congeſtoriarum qualicunque exacerbatione 11) a communi narcoticorum uſu & 12) ab abuſu incraſſantium & emollientium medicamentorum.

§. IV. In ſpeciali Therapia Branchi ante omnia providendum eſt, an ordinariæ excretiones liberæ ſint; imprimis confert, ſi neceſſe fuerit, excretionem alvi facilitare, vel per remedia Rhabarbarina, vel per correcta aloetica, vel per Extractum Panchymagogum Crollii; deinde præſentibus motibus congeſtoriis ſubveniendum eſt, ita ut illi partim leniantur, partim temperentur, partim ſedentur: lenitio fiat per Infuſa calida conſueta, aut gelatinoſa mucilaginoſa lacticinia aliaque talia ſubjecta: temperatio perficiatur per abſorbentia & nitrata remedia, quibus urgente neceſſitate commode Cinnabaris addi poteſt, prout in ſubjectis tenerioribus & ſenſibilioribus Emulſiones leniter papaveraceæ & lenientem & ſedantem efficaciam exſerunt.

§. V. Præterea etiam confert tam in ipſo affecto loco modeſtam diſcuſſionem tentare & perpetrare, quam in reliquo corpore moderatam diaphoreſin excitare; prius fit, quando Eſſentia Pimpinellæ albæ bene ſaturata

ad

ad exiguas guttulas ſine vehiculo aliquoties per diem aſſumitur, aut quando gargarisma paratur ex avena, herba Scordii, Veronicæ, Fœniculi, Chærefolii, Hyſſopi, Salviæ, Bugulæ, Prunellæ, addito ſemine Carvi & tantillo Nitri; poſterius fit, quando temperata Eſſentia alexipharmaca offertur cum ſubjuncto modeſto regimine diapnoico: denique ad affectas partes deliniendas & demulcendas tam modo dictum Gargariſma conducit, quam modicus uſus Syrupi Violacei, Roſacei, aut Mellis roſacei convenit, qualia poſteriora ſubjecta commode cum gargariſmate indicato conjungi poſſunt.

§. VI. Cum vero hic affectus peculiaris indolis ſit, propterea ſingularis præſervatio pro eodem commendanda eſt, quæ ita comparata eſſe debet, ut præſervatoriæ tempeſtivæ & modeſtæ ventilationes ſangvinis ſuſcipiantur; quemadmodum in adſvetis Scarificationes interdum proſunt, deinde evitandæ ſunt ſenſibiles refrigerationes inferiorum partium, ut & intenſiores exæſtuationes corporis, aut ſubitaneæ immutationes frigoris & caloris: excretiones alvi & diaphoreſis in conſtanti ſucceſſu conſervari debent, quid quod ſubinde talia externa offendicula ſedulo evitanda ſunt, quæ caput & fauces affligunt: nonnunquam conferunt pediluvia & per intervalla conducunt moderatæ laxationes cum prædictis ſubjectis præſtandæ.

CAPUT XXVI.

DE

PHLEGMATORRHAGIA.

§. I.

Quanquam hic affectus & infrequentior & lenior exiſtat, tamen cum illius peculiaris mentio facta fuerit in Pathologia, ita etiam in practica morborum commendatione illius reminiſcor: vix quidem neceſſitas cogit, quo ſingularis & ſpecioſa medicina pro hoc affectu paretur, ſiquidem ipſe vel cum ſolo temperato regimine mitigari poteſt; attamen ne ſiniſtras quasdam conſecutiones involvat, propterea illius curatior directio indicanda erit & quoniam hic affectus ſalutarem quandam excretionem involvit, neque adeo confuſe & turbulenter procedit, ſed ex ipſius naturæ directione fluit, quid quod ſubinde per concurſum congeſtoriorum motuum abſolvitur & ex parte cum negotio hæmorrhagico cohæret, hinc temerarium conamen

namen eſſet, hanc evacuationem ſubito ſupprimere, neque methodo naturæ ſatisfacere velle: ob id methodus medendi adæquata eſſe debet ſalutaribus illis intentionibus, quæ ad ſuperflui & moleſti cujusdam objecti exonerationem tranſeunt.

§. II. Dum itaque hic affectus ſpecialisſimus eſt & ſubinde in ſua indole lenis, hinc tanto magis dexteritas in artifice medico requiritur, ne talem morbum acerbiorem reddat, aut ullo modo offendat: abſtinendum itaque eſt 1) a ſubitanea hujus excretionis cohibitione 2) a poſitiva purgatione & immoderata primarum regionum irritatione 3) a communi anticatarrhalium uſu 4) a negligentiori collatione concurſuum & motuum hæmorrhagicorum 5) a remediis calefacientibus & valde commoventibus 6) a præmaturo uſu ſalium volatilium 7) ab indiscreta ordinatione ſulphuratorum remediorum 8) a communi uſu ſternutatoriorum 9) a remediis balſamicis acrioribus pro interno & externo uſu 10) a præmaturo & excedente uſu cephalicorum & nervinorum remediorum 11) a præcipiti minusve neceſſaria commendatione evacuationum ſeroſarum chirurgicarum & denique 12) ab incongrua, aut plane negligenti præſervatoria curatione.

§. III. Quod poſitivam Curam Phlegmatorrhagiæ concernit, tunc quidem non adeo anxie & officioſe ad ipſum fluxum remedia ordinanda ſunt, interim connexi motus & cohærentia pathemata aliquali moderamine indigent: ante omnia præſtat regimen temperatum conciliare, proptereaque excludi debet ſenſibile capitis & reliqui corporis refrigerium: alvus etiam eſſe debet libera, quare in defectu hujus juſti ſucceſſus lenis laxatio tam curatorio, quam præſervatorio ſcopo inſtituta, proficit: & ne motus congeſtorii vel increbeſcant, vel excesſive continuent; propterea præſtat ſuccurrere, partim per pulveres temperantes nitratos exhibendos, partim per Eſſentias reſolventes, discutientes, moderate diureticas & diaphoreticas, ut ſunt Angelicæ, Ari, Helenii, Caryophyllatæ, Carlinæ, Vincetoxici, Pimpinellæ albæ, uti in ſubjectis humidioribus etiam Eſſentiæ Succini & Ligni Saſſafras conducit: ejusdem utilitatis eſt Mixtura & Tinctura antimonii, Spiritu Cornu Cervi & Eſſentia Succini parata, qualia remedia de præſenti ulteriorem affluxum coërcent atque mitigant.

§. IV. Ab extra conducunt capiti applicanda Camphorata, aut epithemata reſolventia & moderate roborantia, cavendo, ne adſtringentia conjungantur, ita in ſubjectis ſeroſioribus Sacculi pro capite discutientes & modeſte nervini conducunt; qualia remedia tamen non maturius ordinanda ſunt, quam ab intra motus complacati fuere: commode etiam ad præſervationem conducunt misſiones ſangvinis, ſive per Venæ Sectionem, ſive per Scarifica-

rificationem adminiſtratæ; nec non repetitæ abſterſiones primarum viarum tum per infuſa cum epicraſi efficacia, tum per alias laxantes formulas & quoniam hic affectus non frequenter repetit atque valde urget, propterea ad ſpecioſiores medicationes artifex non neceſſe habet quo confugiat; ſufficit leniſſima hæc methodus: quo magis ſpecioſe enim & operoſe hic affectus tractatur, eo facilius in graviores conſequentes morbos degenerare poteſt: & quoniam ipſe adhuc lenioris indolis eſt, quam Coryza, ita temperatior adhuc methodus pro illo curando quadrat: pro urgente neceſſitate tam moderatæ diaphoreſes, quam pediluvia curatorio ſcopo in uſum vocari poſſunt, ſicut vertici applicanda erunt Camphorata, cum pauxilla quantitate balſami oleoſi remixta & quidem in ſubjectis temperatioribus.

CAPUT XXVII.

DE ACHORIBUS.

§. I.

CUm hæc afflictio non modo frequens, ſed & ſatis implicata atque contumax exiſtat, propterea eo major induſtria & dexteritas adhibenda eſt, quo illa radicitus & tempeſtive extirpetur: ſed cum hic affectus variis depravationibus & exacerbationibus obnoxius ſit, propterea etiam illa prudentia commendanda eſt, ne talia tentamina admittantur, quæ pravas conſecutiones excitare poſſunt & cum Achores formaliter in actuali exulceratione conſiſtant, ita haud conſultum eſt, eosdem ſubito fugare & per exſiccantia, adſtringentia & repellentia curare velle, qualis medicatio perquam ſuſpecta eſt & ad futuras peſſimas morbidas afflictiones diſponit: imo cum Achores utplurimum in talem ætatem incidant, quæ plus, quam alia, ſenſibilis exiſtit aliisque exacerbationibus obnoxia eſt, hinc propter ſingulos & plures alios reſpectus Achorum cura prudenter eſt inſtituenda & adminiſtranda.

§. II. Et cum Achorum conſtitutio non modo verſetur circa lymphæ pingvioris corruptionem ulceroſam, ſed & circa partium continentium tunicacearum cohærentem depaſcentiam, ita ante omnia hæc exulceratio erit e fundamento curanda, ſub illa prudenti attentione, ne ulterior affluxus pateat, neve huic calamitati pabulum accedat: imo ſubinde ratio habenda eſt concurrentis alicujus dyscraſiæ humorum, quæ præſentem exulcerationem eo ma-

 gis

gis inquinat & immorigeram reddit; unde artifex tamdiu ſpecialem talem corruptelam tollere haud poteſt, quamdiu partim immodicus humorum affluxus continuat, partim illa impuritas humorum concurſat, ad quem triplicem fundamentalem reſpectum propterea artifex in tota ſua Therapia ſollicite advertere debet.

§. III. Quo itaque Achores e fundamento & rite, ſcite & perite curentur, cavendum eſt 1) ab impetuoſis & immodicis evacuationibus 2) a negligentioribus promotionibus ordinariarum excretionum 3) a negligentiori conciliatione concurſuum hæmorrhagicorum, quales in nonnullis ſubjectis Achores exacerbare & confirmare ſolent 4) ab inquinatione tum primarum regionum, tum totius maſſæ ſangvineæ 5) a remediis calidis humores valde commoventibus & vias admodum irritantibus 6) a nimio abſorbentium uſu 7) ab indiſcreto & prodigo balſamicorum acrium uſu interno 8) ab indifferenti ordinatione Sulphuris interna 9) ab externis pingvibus ranceſcentibus & fermenteſcentibus 10) ab adſtringentibus & repellentibus 11) a ſulphuris uſu externo & denique 12) ab exſiccantibus metallicis & ſepticis remediis.

§. IV. Poſitiva cura Achorum generalis hisce abſolvitur indicationibus 1) ut corpus a generalibus & ſpecialibus impuritatibus repurgetur 2) ut affluxus generales ſangvinis & ſpeciales lymphæ deriventur, avertantur & emendentur 3) ut reliqua ulceratio præſens repurgetur & denique juſto modo conſolidetur; nervus totius hujus curæ in eo conſiſtit, ut præſentes indicationes tali ordine exerceantur, neque præpoſtere applicentur, alias affectus præſens magis confunditur & remedia, quæ alias ſalutaria ſunt, ſcopum præviſum haud impetrabunt.

§. V. Quod repurgationem corporis impuri generalem & ſpecialem attinet, tunc ante omnia impuritates e primis viis duci debent per laxationes, aut moderatas purgationes, quo remedia vel cholagoga, vel phlegmagoga conveniunt: imprimis in ſubjectis pituitoſis non parum proficit conjunctus uſus Mercurii dulcis; ſiquidem in paulo adultioribus & robuſtioribus remedia temperata ex Agarico & Scammonio huc quadrant: deinde ſpecialius maſſa ſangvinis repurganda eſt, partim cum remediis abſorbentibus, partim cum Eſſentiis alexipharmacis & mundificantibus, ubi præcipue Eſſentia Pimpinellæ albæ, Valerianæ, Fumariæ, Succini, ut & Tinctura antimonii acris commendationem merentur: imo ubi multa impuritas mucida adeſt, tunc convenit temperatus uſus ſulphuris internus, nec non ſalium detergentium, interpoſitis abſorbentibus remediis & antimoniatis fixis diaphoreticis: quando ſubjecta fuerunt adultiora, tunc commode iisdem præſcribi poſſunt decocta

mun-

mundificantia & leniter diaphoretica, quæ ſingula tamen cum aliquo moderamine ordinanda ſunt.

§. VI. Quoad alteram indicationem affluxus humorum ab affectis locis ſufficienter eſt deducendus: hæc ipſa diverſio iterum variis modis præſtatur, vel per continuatam laxationem, vel in ſubjectis ſangvine turgidis per uſum pediluviorum, vel per præſervatoriam Scarificationem, aut Hirudinum applicationem ad aures, vel per regimina modeſte diaphoretica & medicamina talia, quibuscum æqualis humorum progreſſus promoveri debet, ne particulares hæ congeſtiones continuent: Veſicatoriorum uſus non admodum probatus eſt, quoniam ulcera artificialia non cum reliquis ulcerationibus præternaturalibus conjungenda ſunt: multum juvat, ſi affecti homines a ſenſibili refrigeratione corpus ſubtrahant, ſed paulo auctiori tranſpirationi anſam præbeant: quemadmodum pro hac diverſione inducenda temperatus diureticorum uſus non parum confert, quo Tinctura antimonii tartariſata & Eſſentia Succini atque Vincetoxici conveniunt.

§. VII. Excipit denique Achorum directa mundificatio & conſequens conſolidatio; cum vero hæc tractatio magis ad chirurgicum uſum pertineat, ita breviter denominanda erunt quædam auxilia pro externo uſu efficacia, e quibus temperatiora ſunt olea abſterſiva & non facile ranceſcentia, velut ovorum, Ceræ, philoſophorum, Papyri, quæ invicem ſub juſta temperie commiſceri poſſunt, quibus aliquando tantillum Liquaminis Myrrhæ, aut ſaturatæ Eſſentiæ Succini commode conjungi debet: huc etiam quadrat ungventum florum Calendulæ & florum Verbaſci; in ambitu vero pro avertendo ulteriori affluxu ad tumores nodoſos Emplaſtrum de Meliloto Camphoratum cum fructu adhiberi poteſt, ſicuti ad dolores ardentes concurrentes mitigandos Emplaſtrum de Spermate ranarum aut Diaphoreticum Mynſichti Camphoratum proficit: denique in ambitu, minime tamen intra exulceratam partem Camphorata auxilia adhibenda ſunt: conſolidatio ipſa magis ſponte ſuccedere debet, neque per adſtringentia aut exſiccantia urgenda eſt; convenit interim partem affectam ſub modeſta continua abſterſione mundam ſervare.

CAPUT XXVIII.

DE

CRUSTA LACTEA.

§. I.

QUod modo in genere de Achoribus dictum fuit, id etiam ad diverſas harum ulcerationum ſpecies tam quoad pathologiam, quam quoad Therapiam applicari poteſt, ſiquidem in præſenti *Cruſta Lactea* ſimilis ſuperficialis corruptela ulceroſa occurrit, quæ e lympha incarcerata ortum traxit & in illis præcipue partibus obhæreſcit, quæ copioſiori lymphæ affluxui magis patent, unde etiam hic affectus longe immoderatior & contumacior eſt, quando infantes valde ſpongioſi & ſucculenti ſunt: quid quod una ſcire convenit, quomodo talis affectus ex negotio Dentitionis particularibus & ſatis contumacibus congeſtionibus & majoribus affluxibus expoſitus ſit: quo adhuc accedit, quomodo ſemel radicata talis ulceratio non niſi cum maximo damno repente auferatur, aut repellatur, unde ſuſpecti affectus pectoris, aut febres, aut convulſivi motus conſequi conſpiciuntur.

§. II. Quotquot itaque cautelæ practicæ in Achorum tractatione proſtant, eædem ad Cruſtam lacteam etiam applicandæ ſunt: ad poſitivam vero curam hujus affectus pertinet 1) quo primæ regiones a ſordibus biliofis, lacteſcentibus & aceſcentibus convenienter repurgentur; unde vel infantibus, vel lactantibus fœminis evacuantia remedia exhibenda ſunt: præcipue vero infantibus conveniunt Rhabarbarina & Mannata, ſicut in valde mucidis conjunctus Mercurii dulcis uſus non inutilis eſſe deprehenditur: expedit talem laxationem aliquando repetere & totam hanc artificialem evacuationem cum maxima lenitate & modeſtia promovere, ſiquidem exempla conſtant, quomodo cum maximo periculo per poſitiva purgantia talis ſuperficialis exulceratio retropulſa fuit; unde in tota hac cura ob concurrentem teneritudinem & ſenſibilitatem infantum lenitas & moderamen ſervari debet.

§. III. Deinde ordinanda ſunt remedia, quæ partim in humoribus reliquas impuritates abſtergunt & temperant, partim ex humoribus & per illos temperatam diſcuſſionem & mundificationem conciliant: ad priorem claſſem pertinent remedia abſorbentia teneriora, cum antimonio diaphoretico mixta & interdum conjuncta Coralliata; minime vero uſta aut ſubjecta terrea ſigillata;

poſterioris claſſis ſunt Eſſentiæ reſolventes & mundificantes, ut Pimpinellæ albæ, Succini, Valerianæ, quemadmodum interdum modicus uſus Tincturæ Antimonii conducit; quid quod extra concurſus febriles temperatus uſus Eſſentiæ Fumariæ concedi poteſt & ſi ſimul pectus cum multa muciditate oppletum fuerit, tunc extra ſimiles febriles commotiones tantillum Eſſentiæ Myrrhæ cum reliquis eſſentiis commixtum proficit, in quo paſſu etiam Eſſentia Helenii conducit: in valde pituitoſis infantibus parca quantitas Eſſentiæ Ligni Saſſafras cum aliis eſſentiis mixta utilis eſt, ſicut in iisdem ſubjectis, ubi multus humidus affluxus urget, modeſtus Sulphuris internus uſus conceditur.

§. IV. Præter hæc interna auxilia conveniunt etiam externa & quidem ſecura & ſelecta mundificantia & abſtergentia, ubi præcipue ab adſtringentibus ſedulo cavendum eſt: conducunt rectius Oleum Ovorum & Oleum Ceræ, nec non ungventum florum Calendulæ & florum Verbaſci, ut & Liquamen florum Verbaſci cum Spiritu Vini extractum: confert etiam uſus externus Eſſentiæ Succini & ſi ardor valde urget partes affectæ cum lacte muliebri abſtergendæ ſunt, ſicuti modicus uſus ſolutionis Nitri in aqua Roſarum talem urgentem ardorem temperat; axungia ſuilla, quia facile rанceſcit, ab hoc affectu abeſſe debet, quid quod cum maximo moderamine externa terrea, uti Ceruſſa adhiberi debent, imo quando dolores in loco affecto affligunt & multa inquietudo concurrit, tunc interne abſorbentia cum antimonio diaphoretico mixta & unico Nitri grano exhiberi debent.

CAPUT XXIX.

De

TINEA CAPITIS.

§. I.

PRæſens affectus quoad indolem ſuam inter Achores eſt immoderatior & magis pravitate ſua & impuritate reliquos antecedit, ſiquidem non modo ipſa ulceratio magis confirmata, ſed & cum majori humorum affluxu ſtipata eſt, hinc non ita facile, aut cito curari poteſt & per rationem alicujus habitus aut hæreditatis decurrit, ob id in Vernacula audit der Erb-Grind; quare artifex præcipue ad contumacem illum humorum affluxum & exinde pendentem ulcerationis deteriorationem ſedulo advertere debet, ne in

reliquis ſuis practicis officiis impediatur & curam ſuam fruſtra continuet.

§. II. In cura Tineæ conveniunt præmittendæ & repetendæ laxationes & abſterſiones primarum regionum, quo imprimis etiam Mercurii dulcis uſus convenit; deinde ad avertendum affluxum non modo ſangvis præſervatorio ſcopo ſubtrahendus eſt, ſive per Scarificationes, ſive per Hirudinum applicationes ad aures, ad imitationem Rhaſes, ſed & cum fructu pediluvia adhibentur, quo motus illi congeſtorii a ſuperioribus regionibus magis avocentur: porro interna eadem proſunt temperantia, diluentia, abſtergentia & mundificantia, quæ in præcedentibus tractationibus commendata fuere; imprimis huc convenit Eſſentia Fumariæ, Succini & Myrrhæ, cum aliquo moderamine exhibendæ, ne intenſiores commotiones ſangvinis vel augeantur, vel denuo excitentur, ſed quo tantum in effectu ſuo mundificatorio ſubſiſtant.

§. III. Extrinſecus multam utilitatem habet Camphora pro inducenda diſcuſſione & congeſtionis præſentis reſolutione; deinde utilitatem affert Emplaſtrum de Spermate Ranarum paulo largius Camphoratum, quale Emplaſtrum etiam ſine Camphora aliquando in ungvinoſam formulam converti & immediate ad ipſum affectum locum poteſt applicari, quod concurrentes dolores & ardores lenit & ex hac ratione futuras congeſtiones avertit; præterea in hoc malo admodum conducit oleum ovorum cum oleo laterino interdum mixtum, uti pro intimiori mundificatione concilianda, aliquando liquamen Myrrhæ in conſilium vocari poteſt: a mucilaginoſis vero tenacibus & incraſſantibus maxime abſtinendum eſt: quando affectus extreme refractarius eſt, neque mundificationi adhibitæ temperat, tunc calvaria ſufficienter a pilis liberanda, vel ſimul & ſemel cum pileo piceo tota cruſta a calvaria ſeparanda eſt, ut ita e fundo deinde hæc ulceratio extirpari & mundificari poſſit: conſtant etiam exempla, ubi quædam Thermæ in ejusmodi affectu non pœnitendam opem obtulerint.

CAPUT XXX.

DE PHTHIRIASI.

§. I.

PRæſens labes præter principalem illam fœdam exulcerationem calvariæ, ſimul illam peſſimam qualitatem continet, quod innumerus concurſus pediculorum ad deteriorationem præſentis afflictionis contribuat,

dum

dum hæc animalia in exulceratas partes ſenſibiles ſuos morſus infligunt, adeoque ad affluxum contumaciorem humorum contribuunt: talis qualificata afflictio eo certius præſentibus achoribus ſupervenit, quominus aſſidue affecti homines repurgantur, aut quo magis præſentibus illis ulceribus pili relinquuntur & non tempeſtive abſcinduntur; unde non modo magis impaſtantur, ſed & in talibus tabernis illorum animalium familiæ augmentantur.

§. II. Ad curam hujus affectus eadem interna remedia & auxilia proſunt, quæ in ſuperioribus allegata ſunt, maxime vero corpus ab impuritatibus ſedulo liberari & deinde reliquum corpus in continua & ſufficienti tranſpiratione conſervari debet; tanto magis hoc convenit, quando ad complicatam qualitatem abigendam ungvinoſa ſubjecta adhibentur, ubi ſimul caput in conſtanti & ſufficienti calore continere convenit: ad pediculorum interitum pertinet vel commune illud pharmacopæorum Ungventum contra pediculos cum moderamine tamen applicandum vel aliis mundificantibus ungventis & oleis ſemen Staphidis agriæ modica quantitate commiſceri poteſt, vel etiam decoctum Tabaci, aut ungventum ex butyro non ſalito & Tabaco paratum proficit; quibus remediis ſubordinanda aut conjungenda ſunt reliqua balſamica abſtergentia & mundificantia in præcedentibus commendata.

§. III. In omnibus Achoribus multum juvat, ſi congeſtiones urgentes conſtanter avertuntur, quibus congeſtionibus & conjunctis gravativis capitis doloribus inter alia remedia etiam pediluvia ſubveniunt: magnam itidem utilitatem in tali afflictione habet Camphora & ſi affectus rhevmatici concurrunt, proſunt ſuffimigia ex Maſtiche & Succino paranda, ſub illa cautela applicanda, ne caput candentibus prunis propius admoveatur, quippe qui vapor præſentem ulcerationem magis irritat & depravat.

CAPUT XXXI.

DE

PAROTIDIBUS.

§. I.

Parotidum geneſis, ſicuti internis præcipue commotionibus nititur, ita etiam per internam medicationem Parotides curari debent, licet ſubinde externis chirurgicis tractationibus ſubjiciantur: præſtat vero Parotidum ſtatum duplici modo perpendere, vel quatenus illarum ortus repente impe-

impeditis progreſſibus ſangvinis nititur, vel quatenus cum moliminibus hæmorrhagicis cohæret: deinde etiam in medicina practica illa differentia annotanda eſt, quomodo aliæ Parotides idiopathice, aliæ contra ſymptomatice obtingant & cum Parotidibus commotiones congeſtoriæ & inflammatoriæ concurrant, ita tam curatorio quam præſervatorio ſcopo horum motuum determinatio atque reſpectus bene tractandus eſt, ne vel repente opprimantur, vel augeantur & exacerbentur.

§. II. Et propter has commotiones Parotides non modo ſenſibiles ſunt, ſed & ſubinde tenaces, unde neque immoderate cogi & violentis artificiis offendi debent, neque etiam negligentius tractari; ſiquidem facile adeo inſoleſcunt, ut periculoſiores conſecutiones involvant, tanto magis Parotides febriles ſive ſymptomaticæ cum exquiſita circumſpectione tractari debent, ne vel præmature repellantur, vel nimis præcipitanter conſolidentur, quoniam talem affectum undique tam immoderata & impatiens contentio atque commotio comitatur, quæ magis ex ſingulari naturæ activitate, quam fortuito accidenti fluit, hinc etiam fruſtra parotidum cura per nuda Chirurgica auxilia ſuſcipitur.

§. III. Quo itaque Cura Parotidum bene & ingenue ſuccedat, cavendum eſt 1) a quibusvis fortioribus & immoderatioribus evacuationibus 2) ab ordinariarum excretionum perturbatione, aut negligentiori promotione 3) a negligentiori conciliatione motuum & reſpectuum hæmorrhagicorum 4) a remediis calefacientibus & impellentibus 5) a præpoſtera & inſufficienti interna & externa reſolutione 6) a remediis internis & externis adſtringentibus & motus ſubito ſupprimentibus 7) a vulgato narcoticorum uſu 8) a temeraria & impetuoſa excitatione diffuſioris diaphoreſeos 9) a remediis motus congeſtorios qualitercunque exaſperantibus 10) ab excitatione immoderati affluxus ad locum affectum 11) a præmatura & præcipitata conſolidatione & exſiccatione apertarum parotidum & 12) ab inconvenienti & negligenti regimine, per quod eo certius Parotides exacerbantur.

§. IV. Cum in Chirurgicis mentio facta fuerit, quomodo per externa præcipue auxilia & chirurgica methodo Parotides tractari debeant, ita hoc loco tantum dicendum erit, quomodo per interna adminicula & motuum præſentium directoria hic affectus curari debeat: primo itaque loco de Parotidibus idiopathicis ſermo inſtituendus erit; pro hisce itaque curandis anteomnia neceſſaria motuum immoderatiorum diverſio perficienda erit per remedia laxantia moderata & pro re nata repetita, quo etiam correcta aloëtica & in ſubjectis pituitoſis Mercurius dulcis conveniunt; deinde ordinanda erunt auxilia, quæ motus congeſtorio-inflammatorios mitigant, talia ſunt uſitata noſtra tem-

perantia

perantia repetitis vicibus exhibenda: porro ſubjungenda ſunt interna reſolventia & discutientia, quo temperata diaphoretica ſpectant, ſive fixa, ſive eſſentificata; imprimis vero conferunt Eſſentiæ alexipharmacæ cum moderato regimine adhibendæ, inter illas eminet Eſſentia Pimpinellæ albæ & quando in certis ſubjectis ſtatus pituitoſus eminet, tunc interdum Eſſentia Succini conjungi poteſt: extra concurſum febrilem & quando alvus libera eſt, remedia vero temperantia præmiſſa fuere, licet Mixturam ex Tinctura antimonii acri & Cornu Cervi ſpiritu paratam, offerre: in ſubjectis junioribus conducunt potiunculæ ex aquis reſolventibus & abſorbentibus remediis paratæ: in ſenſibilioribus Emulſiva ex aquis discutientibus, nucleis pingvibus, ſemine Papaveris albi & Cardui benedicti compoſita, proſunt; conferunt itidem repetitæ, ſed modeſtæ diaphoreſes & ad orgaſticarum commotionum mitigationem efficacius obtinendam, parcus uſus acidulatorum remediorum & coralliorum convenit.

§. V. Quod ſymptomaticas Parotides attinet, tunc in illarum cura præcipue conferunt remedia nitrata, abſorbentia & antimoniata fixa, ut & Eſſentiæ alexipharmacæ temperatiores cum modeſtis diaphoreſibus ſublevandæ, omnium maxime conducit exactum regimen, non nimis calidum neque poſitive refrigerans: proſunt decocta moderate diaphoretica, gelatinoſa & dilute mucilaginoſa: alvus inſuper ſit aperta, minime tamen cum ſtimulo excitetur, ſed potius per diluentia, lenientia & nitrata in juſto ſucceſſu conſervetur: in ſubjectis floridis conducit Mixtura ſimplex: proſunt etiam pro virium roboratione magis Julapia, quam Emulſiva: præterea ſtudendum eſt, quo diſtributio ſangvinis æqualis ſit, adeoque pro neceſſitate urgente nonnunquam modeſtæ frictiones ſuperficiei corporis conferri debent & quando tales Parotides in abſceſſum tranſierunt, tunc eadem methodus ſervari debet, quo moderata diaphoreſis continuet: vulgaris uſus Camphoræ internus in tali ſtatu non admodum probatus eſt; unde rectius omnis modeſtia & lenitas adhibita efficaciorem & certiorem reſtitutionem promittit.

CAPUT XXXII.

DE HYDROCEPHALO.

§. I.

PArticularis hic infantilis Hydrops, licet non æque frequens ſit, tamen ſingularem induſtriam & dexteritatem medicam requirit & licet ipſe,

quando in externo capitis ambitu hæret, plus externis, quam internis adminiculis curandus ſit, ut propterea etiam in noſtra Chirurgia illius mentio facta fuerit, tamen etiam alia ſubſidia ordinanda erunt, quæ intrinſecus quaslibet motuum alterationes corrigunt & ulteriores affluxus humorum avertunt, ne exinde talis afflictio accrementum ſortiatur; ſed cum per interna remedia ad affectum locum non pateat aditus, ita potius eminus operandum eſt, ne per ulteriores motuum turbationes præſentes affectus adeo inſoleſcant, quo denique omnem opem atque ſpem eludat: tanto magis interna talis medicatio proficua erit, quo magis ejusmodi infantes humoribus lymphatico-mucilaginoſis abundant, quæ ubertas propterea ad citius atque certius hydrocephali accrementum concurrit: denique etiam in tali afflictione virium ratio habenda eſt, ne ob illarum gravem & repentinam jacturam reliqua ſalutaris medicatio exoptato ſuo eventu deſtituatur.

§. II. Quo magis itaque ſubjecta, Hydrocephalo detenta, tenera & ſenſibilia ſunt, eo major cautela eſt adhibenda, ne offenſiones quædam totum morbidum ſtatum depravent: cavendum itaque eſt 1) a fortioribus & frequentioribus poſitivis purgationibus 2) ab emeticis remediis 3) a clyſteribus acrioribus 4) a remediis concentratis calefacientibus, humores valde impellentibus & vias irritantibus 5) a promiſcuo ſulphuratorum uſu interno 6) a regiminibus immoderatis atque anxiis 7) a remediis adſtringentibus & incraſſantibus 8) a narcoticis ſimplicioribus, ſive compoſitionibus opiatis 9) ab abſorbentium & terreorum multo aut prodigo uſu 10) a communi ordinatione pulverum pro Infantibus Bezoardicorum, qui directe ad præſens malum nihil conferunt 11) a nimis multa & confuſa remediorum ordinatione & denique 12) a retardata præſentis mali medicatione.

§. III. In poſitiva Therapia hydrocephali & quidem interna præſtat ante omnia efficacem aut repetitam aliquam diverſionem conciliare & ſubinde ſuperfluam humiditatem eminus imminuere, unde conducunt laxationes e ſubjectis pro infantibus idoneis, quo pertinent Syrupi e Rhabarbaro, Manna, Spina cervina proſtantes, aut Reſina Jalappæ præparata cum Mercurio dulci mixta; quemadmodum hic Mercurius dulcis in tali affectu ſingularem utilitatem habet, modo cum aliquo moderamine adhibeatur: confert itidem radix Ireos noſtras, ut & in robuſtioribus ſuccus hujus radicis cum tantillo vini & ſacchari mixtus & oblatus: proſpiciendum eſt, quo tales abſterſiones alvinæ, ſi repetuntur, ſemper lenes ſint, neque multum vires enervent: non parum etiam tam colliquatorio, quam evacuatorio ſcopo confert Oxymel ſquilliticum.

§. IV.

§. IV. Deinde labor adhibendus eſt, quo ab intra discusſio & reſolutio efficax & tempeſtiva concilietur & pro hac præſtanda vel conferunt diaphoretica fixa, velut antimonium diaphoreticum, vel Eſſentiæ temperatæ reſolventes, ut: Caryophyllatæ, Pimpinellæ albæ, Helenii & Vincetoxici; ſicut Eſſentia Succini ſua utilitate in hoc affectu non caret, quæ commode etiam cum Tinctura antimonii acri mixta & interdum oblata uſurpari poteſt: in ſubjectis humidioribus parcus uſus Sulphuris internus aliquando ordinatus, non inutilis eſſe obſervatur: ſub uſu ſingulorum horum internorum remediorum conjungendum eſt regimen modeſte diaphoreticum & omni occaſione frigus evitari debet, utplurimum enim ſub tali diaphoreſi interna ſalutaris discusſio ſuccedit, ſicut reliquæ evacuationes nimirum laxatio & modeſta diureſis ad evacuationem humorum ſeroſorum directa eſt & quando cum hisce internis auxiliis etiam externa convenientia ſubſidia conferuntur & tempeſtive applicantur, tunc eo certius aliqua reſtitutio ſperari poteſt.

CAPUT XXXIII.

DE

AFFECTIBUS TONSILLARUM.

§. I.

ET hi affectus magis opem Chirurgicam curatoriam requirunt, præprimis quando jam in actuali infarctu, ſtaſi & inflammatione conſiſtunt, ſed quoniam & ipſi non raro per internas commotiones congeſtorias, translatorias & eluctatorias foventur, adeoque cum negotio hæmorrhagico, neque raro neque parum conſpirant, ita fundamentalis horum affectuum cura latius, quam ad manualem directionem ſeſe extendit; ſiquidem ipſa hiſtoria practica teſtatur, quomodo Tonſillarum afflictiones frequentius recurrant & cum Catarrhalibus morbis coincidant: dum itaque hi affectus Catarrhales utplurimum internis congeſtionibus nituntur, aut cum reliquis commotionibus discuſſoriis conveniunt, ita etiam in Tonſillarum morbis non tam ad nudam materiam, craſſum infarctum & imminentem læſionem animus dirigendus eſt, ſed potius ad internas illas commotiones, quibus partim hi affectus formantur & inducuntur, partim etiam curantur & auferuntur.

§. II. Quo magis itaque hi affectus certis motuum directoriis nituntur & quo facilius viciſſim exacerbationibus ſonticis ſubjiciuntur, eo major cura adhibenda eſt, ne e minori malo fiat majus, hinc cavendum eſt 1) a fortioribus evacuationibus, maxime vero 2) ab impetuoſis & diffuſis ſudationibus 3) a negligenti & obliviosa disquiſitione & conciliatione Hæmorrhagiarum aliorumque moliminum hæmorrhagicorum 4) a ſimplici uſu anticatarrhalium acriorum ſubjectorum 5) a medicamentis motus & humores valde commoventibus 6) imprimis a curatorio volatilium uſu 7) ab adſtringentibus & repellentibus medicamentis 8) ab attrahentium & affluxum humorum exacerbantium ſubjectorum ordinatione 9) ab indifferenti ſulphuris interno & externo uſu 10) a nimis copioſa & frequenter variata medicamentorum commendatione 11) a perverſo & nimis laxo regimine & 12) ab incauta & negligenti præſervatione.

§. III. In cura horum affectuum in genere convenit bene dijudicare, an proximius cum prægresſis aut molientibus Hæmorrhagiis cohæreant, ubi in tali ſtatu & in aptis ætatibus præſervatoriæ ventilationes ſangvinis ſive per Venæ Sectionem in pedibus, ſive per Scarificationem ordinari debent: deinde præſtat iterum discernere gradum horum affectuum, an videlicet adhuc mitior, an vero gravior ſit ſtatus: in ſimpliciori intumeſcentia Tonſillarum utplurimum regimen bonum ſatisfacit, conjunctis externis discutientibus, maxime vero Sacculis herbaceis; quemadmodum interpoſitus uſus Mixturæ, ex Eſſentia Pimpinellæ albæ & Succini paratæ, aliquoties per diem ſine ullo vehiculo aſſumtæ, utilis eſt: ſi vero talis infarctus Tonſillarum contumacior fuerit, tunc cum emolumento lenis laxatio ordinatur, ſubjunctis Eſſentiis reſolventibus, alexipharmacis & regimine modeſte diaphoretico: Spiritus Vini Camphoratus non nimis frequenter applicatus, aut intra linteamina exceptus & adhibitus conducit; alias vero paulo liberalius adhibitus infarctus præſentes auget, ubi rectius Emplaſtrum de Meliloto, cum Camphora largius mixtum, pro hac afflictione concedi poteſt.

§. IV. Quando Tonſillæ inflammatæ ſunt, tunc poſt præmiſſam lenem laxationem, ſubjungi debent pulveres temperantes nitroſi & prædictæ Eſſentiæ reſolventes cum modeſto regimine adhibendæ, cavendo, ne inſignis humorum orgaſmus excitetur: ab extra eadem, quæ modo ordinata ſunt, auxilia conducunt & ita cum optima lenitate præſentis inflammationis discusſio eſt promovenda: neque alia remedia interna temperantia & reſolventia in uſum trahi debent, ſi Tonſillæ in ſuppurationem tranſeunt, ubi poſt ſufficientem maturationem cum apto inſtrumento inciſio inſtituenda eſt; poſtea commendari debent Gargariſmata mundificantia ex Hordeo & Avena, Melle ſive

ſim-

ſimplici ſive roſato, Salvia, Prunella, Uvularia, Agrimonia, Roremarino & ſimilibus paranda; quo etiam convenit Mixtura ex Eſſentia Pimpinellæ albæ & Succini parata & ſine vehiculo aliquoties per diem deglutienda, quo abſterſio & mundificatio rite ſuccedat, ab extra eadem discutientia & roborantia continuanda ſunt.

CAPUT XXXIV.

DE

TUMORIBUS BUBONODEIS.

§. I.

INter alias ſingulares intumeſcentias glanduloſas occurrunt illi tumores, qui alias Bubones præfigurare ſolent & puerulis præcipue familiares ſunt, ſed qui ſibi relicti nullum periculum involvunt, modo cum aliquo moderamine dirigantur, ſiquidem cum negotio auctioris nutritionis exacte conſpirant; inde neque perverſo regimine neque ullo medicamine offenſi, utplurimum ſua ſponte iterum evaneſcunt: quando vero ad ejusmodi tumores varia & multa medicamina applicantur, tunc iidem ita contumaces fiunt, ut per ſatis longum tempus ſubſiſtant & in contumaciorem duritiem tranſeant, adeoque in futurum varios dolores & ſuſpectas conſecutiones cauſentur, quapropter in ejusmodi afflictione privativa Therapia plus valet, quam poſitiva, imprimis cum hi tumores ſub exquiſito naturæ regimine comprehenſi deprehendantur.

§. II. Cum itaque in horum tumorum cura magis bonum regimen, quam operoſum artificium neceſſarium ſit, propterea cavendum eſt 1) a multis & ſpecioſis remediis in genere conquiſitis 2) a confuſis evacuationum provocationibus 3) a negligentioribus ordinariarum excretionum promotionibus 4) a quibusvis remediis humores valde commoventibus 5) ab anxiis & immodeſtis diaphoreſibus 6) a remediis adſtringentibus & repellentibus 8) a topicis medicamentis attrahentibus & ſuppurationem urgentibus 9) a vulgatis ungvinoſis & valde emollientibus 10) ab acribus admodumque irritantibus & quibusvis ſepticis 11) ab emplaſtris tenacibus & valde reſinoſis & denique 12) a nimis frequenti & confuſa quorumvis remediorum applicatione.

§. III.

§. III. Ad præſentes tumores bubonodeos conſultius Therapia privativa, quam poſitiva conducit, ſiquidem cum majori emolumento tantum per regimen moderatum ita affecti pueruli tractantur, interim ne nihil egiſſe videatur artifex in conſilium & auxilium tractus, primo lene quoddam laxans ordinare poteſt, quo præſentes primarum regionum impuritates eliminentur, ubi pro individuis humidioribus conjunctus Mercurii dulcis uſus non incongruus eſt, deinde proſunt temperatæ Eſſentiæ reſolventes, præcipue vero Pimpinellæ albæ & Succini, quæ cum modeſto regimine ſublevandæ ſunt, ita ut transpiratio ſufficienter & conſtanter continuet, hinc ſenſibilis refrigeratio ſollicite evitanda eſt: pro meliori colliquatione & abſterſione humorum convenit Mixtura ex Tinctura antimonii acri & Eſſentia Succini parata, cui in ſubjectis valde pituitoſis tantillum Eſſentiæ Myrrhæ combinari poteſt: neque quidem alia vel balſamica, vel concentrata in hoc ſtatu neceſſaria ſunt, neque etiam impræſentiarum commendata remedia nimis frequenter exhiberi debent, ſed potius per intervalla repetita proficiunt.

§. IV. Extrinſecus non æque operoſæ diſcuſſiones conducunt, interim aliquando Camphorata remedia applicari poſſunt; ſicut Emplaſtrum de Meliloto Camphoratum interdum conducit: huc etiam conveniunt Sacculi ſicciores e domeſticis remediis parati, velut e floribus Chamomillæ, ſemine Carvi, baccis Juniperi, herbis Majoranæ, Menthæ, Meliſſæ, Salviæ &c. ſervata illa cautela, ne tales tumores vel nimio calore urgeantur, vel cum frigore offendantur; quodſi ejusmodi tumores non modo diu duraverint, ſed & duriores & contumaciores redditi fuerint, tunc laxationes repeti poſſunt, nec non Eſſentiæ Helenii, Fumariæ, Caryophyllatæ, Pimpinellæ albæ cum modeſto regimine diaphoretico continuari debent: interdum intrinſecus parcus uſus ſulphuris convenit; ab extra Cataplaſmata diſcutientia, lenientia & modeſte reprimentia cum lacte parata, aut Emplaſtra modeſtius mercurialia conducunt: neque nos experientia deſtituit, ubi in aptis ſubjectis & ætatibus & quando tales tumores nimis refractarii fuerunt, moderata Salivatio utilitatem exoptatam obtulit.

CAPUT XXXV.

DE
TUMORIBUS COLLI GLANDULOSIS PRÆTERNATURALIBUS.

§. I.

NOn quidem hoc loco ſermo eſt de Strumoſis intumeſcentiis, quorum in Chirurgia mea mentio facta fuit, ſed potius illorum tumorum hoc loco reminiſcor, qui in *Pathologiæ meæ Sectione III. Capite 25. §. 4.* allegantur & ſuperfluam glandularum colli augmentationem, ex ipſa nativitate provenientem, offerunt, quales interdum in certis individuis occurrunt & ſi non moleſtiam & dolorem, tamen deformitatem aliquam inferunt, pro qua emendanda ita affecti interdum auxilium petunt: illud vero de hisce tumoribus inculcandum eſt, quod pro iisdem natura cum peculiari ſenſibilitate & æſtimatione vigilet, adeoque illorum conſervationi magis intenta ſit, ſicut eorundem abolitionem ægre perfert, ex quo fluit, quanta prudentia & lenitate artifex cum ejusmodi tumoribus procedere debeat & quominus conſultum ſit cum indifferentisſimo eosdem aggredi.

§. II. In Cura horum tumorum magna omnino circumſpectione lenitate & dexteritate opus eſt, quare haud conſultum exiſtit, ita poſitive eosdem aggredi, aut ad maturationem cogere, nedum quidem actualem exciſionem facile tentare velle, quin rectius convenit a tali poſitiva medicatione abſtinere, niſi in tali necesſitate, ubi tumores tales reſpirationem impedire videntur, vel ſympathetica cura adhiberi queat, quo in ſubjectis ſenſibilioribus per contactum manus mortui ſucceſsiva illorum abolitio exerceatur; vel etiam a peritis, probatis & ingenuis artificibus per lenisſimum ſepticum experimentum illorum remotio cum maxima modeſtia tentanda eſt, ſub qua operatione interne laxantia, diſcutientia, reſolventia & temperantia remedia ordinanda ſunt: quod vero uſum aquarum ſubterranearum attinet, tunc illæ non ita indiscretim admitti poſſunt, niſi de iisdem certa experientia conſtet, quod ad removendos tales tumores conducant; ſicut vicisſim de quibusdam fontium ſpeciebus conſtat, quod ad generandos ſimiles tumores contribuant.

CAPUT XXXVI.

DE

APHTHIS.

§. I.

CUm Aphthæ duplicis ſpeciei ſint, vel benignæ, vel malignæ, vel infantum, vel provectiorum ſubjectorum, ita duplici modo Aphtharum Therapia inſtruenda erit, quod enim infantum Aphthas concernit, tunc non modo eædem nituntur aliqua inquinatione & ſemi ulceroſa depravatione faucium, ſed & ſimul concurrit ſingularis affluxus & congeſtio humorum, unde Aphthæ ſuum accrementum nanciſcuntur: neque etiam parum ad harum Aphtharum vel confirmationem, vel exacerbationem accidentalis humorum impuritas contribuit, quæ infantibus e pravo lacte alioque impuro alimento ſupervenit; ſiquidem multa impuritas primarum regionum non parum ad harum Aphtharum majorem depravationem confert, ad quas circumſtantias eapropter in Therapia curatius advertere convenit.

§. II. Quod Malignas Aphthas attinet, tunc eædem omnino periculoſioribus ſymptomatibus accenſendæ ſunt, ſiquidem anomalam aliquam excretionem in febre maligna occurrentem, deſignant & principalioris, magis eſſentialis atque ſalutaris evacuationis defectum atque perturbationem ſignificant: neque tamen propterea ita moderatæ exiſtunt, quo retropulſionem, aut tempeſtivam remotionem ſubeant, ſed vel leviter offenſæ eo citius funeſtum eventum cauſantur, quamvis quidem neque propterea tales Aphthæ tolerandæ ſint, quoniam præſentem affectum malignum majori cum malignitate complicant & exacerbant.

§. III. In Cura Aphtharum benignarum cavendum eſt 1) a turbulentis & impetuoſis evacuationibus 2) a negligentioribus primarum regionum abſterſionibus & repurgationibus 3) a quibusvis remediis calefacientibus & humores valde impellentibus 4) a medicamentis communibus acribus & balſamicis reſinoſis 5) a remediis refrigerantibus aut 6) valde incraſſantibus & 7) plane adſtringentibus 8) ab abſorbentium abuſu 9) ab externis pingvibus & ungvinoſis 10) a quibusvis ſubjectis impuritatem humorum inferentibus & ſuſtentantibus 11) a topicis, ſepticis & ſenſibiliter repellentibus 12) a perverſo regimine: In Malignis vero Aphthis perinde cavendum eſt 1) ab omni craſſa evacuatione 2) ab alvi occluſione, aut turbulenta provocatione 3) a principaliorum

paliorum evacuationum perturbatione, aut incongrua promotione 4) a regimine vel nimis æſtuoſo & anxio, vel nimis laxo & refrigerante 5) a remediis concentratis & maſſam ſangvinis valde turgefacientibus 6) præcipue a volatilibus & 7) acribus, balſamicis & reſinoſis, vel 8) a refrigerantibus & legitimum ſucceſſum neceſſariarum evacuationum offendentibus 9) a poſitivis adſtringentibus 10) a negligentiori virium reſocillatione 11) ab externis acribus & irritantibus & 12) a qualicunque ulteriori præſentis febris malignæ perturbatione.

§. IV. Aphthæ infantum ita ſunt tractandæ, ut primæ viæ convenienter repurgentur, imprimis per remedia Rhabarbarina, aut per conſuetos Syrupos pro infantibus uſitatos; ſicut in impurioribus ſubjectis, ubi multa mucida colluvies præſto eſt, modicus Mercurii dulcis uſus convenit, deinde intrinſecus proſunt remedia abſorbentia & antimoniata fixa pro impuritatibus in humoribus confluentibus involvendis & abſtergendis, nec non conducunt Eſſentiæ reſolventes remiſſius diaphoreticæ & diureticæ, velut Caryophyllatæ, Helenii, Vincetoxici, Pimpinellæ albæ & Succini, quemadmodum in infantibus pituitoſis parcus uſus Eſſentiæ Myrrhæ cum prædictis Eſſentiis conjunctæ extra febrilem tamen afflictionem concedi poteſt: non minus etiam proficit Mixtura e Tinctura antimonii acri & Eſſentia Succini parata.

§. V. Ab extra neceſſe eſt, quo fungoſa hæc excreſcentia modeſte & repetito vel cum penicillo, vel cum linteamine abſtergatur; deinde fauces elui debent cum adminiculis mundificantibus & abſtergentibus, ex quibus ſimpliciſſima vilioris conditionis hominibus uſitata ſunt urina recens & aqua fabrorum ferrariorum, porro huc conducit aqua Roſarum, Salviæ & Fœniculi, nec non Mel roſaceum cum Eſſentia Succini ſubactum, aut cum tantillo liquaminis Myrrhæ mixtum; vel confert miſcela ex Eſſentia Pimpinellæ albæ, Succini, Myrrhæ & Aloes parata, quæ cum penicillo aliquoties per diem affectis faucibus cum aliquo moderamine illinenda eſt: non minus cum prædictis aquis tantillum Nitri remixtum, proficit: ſulphurata & mercurialia immediate ad affectum locum applicare velle, non facile conſultum eſt: de reliquo pro ulteriori experientia commendo Hannemanni experimentum, quando oleum raparum cum ſaccharo remixtum, referente Bartholino in Actis Haffnienſibus, ad hunc affectum commendat.

§. VI. Quod attinet Aphthas Symptomaticas, quæ in Malignis Febribus occurrunt, tunc in illarum cura maxima prudentia & dexteritas adhibenda eſt, unde ante omnia eo invigilare debet artifex, quo neceſſarias excretiones revocet & promoveat; conducit itaque exactum regimen, una cum uſu Eſſentiarum vel alexipharmacarum cum Eſſentia Scordii paulo largius

conjunctarum, vel Mixturæ ſimplicis; proinde etiam conducunt pulveres temperantes nitroſi, qui ad curam ſymptomaticarum conſtrictionum periphericarum multum conferunt, propterea in reliquo uſu aliquoties repeti debent: cum hisce internis adminiculis combinari debent modeſtæ frictiones, quo ſuperficies corporis reſeretur & diapnoës reſtituatur: alvus interea non eſt irritanda, interim neque in rigida occluſione conſervanda; unde vel ſufficiens interna humectatio, vel clyſteres emollientes & modeſte roborantes conveniunt.

§. VII. Præter hæc interna remedia ſubinde in hac afflictione etiam externa auxilia locum inveniunt, ante omnia convenit inquinatas fauces ſedulo abſtergere & repurgare; deinde proficit collutio oris cum ſolutione Nitri in aqua Scordii & Salviæ facta, nec non proficit Mel Roſatum cum tantillo Myrrhæ conjunctum, ut & miſcela Eſſentiæ Pimpinellæ albæ, Succini atque Myrrhæ; qualia remedia pro conſtanti quodam uſu ſeligi, neque frequenter variari debent; propterea aliquoties quidem, ſed non nimis frequenter applicari: ab extra de collo Camphora appendenda erit, quo transpiratio in hoc loco liberetur & promoveatur, neque etiam contemnendi uſus ſunt Gargariſmata ex ſpeciebus alexipharmacis parata, ſub illa cautela, ne nimis acria ſint & affluxum humorum ad affectas partes magis convocent.

CAPUT XXXVII.

DE

PROLAPSIONE UVULÆ.

§. I.

Quanquam hic affectus in ſe ſpectatus non adeo magni momenti ſit, ut propterea artificis auxilium atque concurſus haud deſiderari videatur, tamen quia moleſtus eſt & alias conſecutiones morbidas involvit, brevibus etiam illius hoc ordine mentionem injiciemus; imprimis cum tamen aliquando contingat, ut a medico in hac afflictione aliquot experimentum deſideretur: ſciendum itaque eſt, quod hic affectus a morbida illa relaxatione muſculorum pendeat, per quos alias uvula retrahi, vel retineri ſolet: utplurimum hæc morbida relaxatio conjuncta eſt cum catarrhali afflictione & quidem vel contumaciori, vel acerbiori, vel inſufficienter

ter ventilata, ut propter infarctum catarrhalem in faucibus una hæc pars in conſenſum trahatur, propterea medicus ad hunc catarrhalem concurſum diſſipandum operam adhibere debet.

§. II. In reſtitutione Prolapſæ & relaxatæ Uvulæ cavendum eſt 1) ab evacuationibus emeticis, quibus aliqui Uvulam reſtituere promittunt 2) ab acribus anticatarrhalibus remediis 3) a negligentiori concurſuum catarrhalium tractatione 4) ab externorum acrium piperatorum & concentratorum applicatione 5) a remediis valde auſteris & ſub præſentia acerbioris catarrhi ſenſibiliter adſtringentibus 6) a remediis ſepticis & valde ſtimulantibus, quæ affluxum humorum ad affectas partes magis provocant 7) a ſyringatione, unde facile Uvula relaxata excoriatur & ad cruentationem, aut exulcerationem disponitur 8) a medicamentis emollientibus, ungvinoſis, pingvibus magisque relaxantibus 9) a cauteriis actualibus & temeraria offenſione flaccidæ hujus partis 10) ab aluminoſorum remediorum uſu indiscreto 11) a ſymptomatum concurrentium inflammatoriorum aliorumque minus perita tractatione & denique 12) a confuſis diverſis experimentis.

§. III. In poſitiva prolapſæ uvulæ curatione ante omnia ad alios concurſus præcipue catarrhales animus advertendus eſt, ubi talia remedia conducunt, quæ pro catarrho illo diſcutiendo & rite extirpando quadrant, ante cujus debitam medicationem non facile reliqua cura ad vota ſuccedit; deinde adſpiciendum eſt, an hic affectus cum periculoſioribus ſymptomatibus conjunctus ſit, videlicet an eximii dolores, ardores, rubores & inflammatoriæ commotiones complicentur, in qua afflictione ante omnia lenientia & diſcutientia remedia conducunt, ubi gargariſmata ex ſpeciebus reſolventibus & leniter reprimentibus, cum lacte parata, conferunt; ſicuti ipſa modeſta collutio oris cum lacte tepido proficit; non minus ad dolorem acerbiorem mitigandum ejusmodi gargarismatibus lenientia, emollientia & mucilaginoſa commiſceri poſſunt: quid quod proſtant obſervationes practicæ chirurgicæ, ubi in ſubjectis plethoricis ob nimium ſangvinis affluxum ad præoccupandam periculoſam inflammationem Venæ Sectio adminiſtrari debuit.

§. IV. In ulteriori cura præſentis affectus abſtinendum eſt ab uſu Piperis, Zingiberis aliorumque valde acrium ſubjectorum, quæ alibi commendantur, quo ad ejusmodi uvulam delapſam applicentur, cum quibus ſubjectis facile inflammatoria commotio excitari poteſt: rectius convenit vel collutio oris cum aceto calefacto, vel cum vino rubro; aut conducunt Gargariſmata ex ſpeciebus nervinis & mediocriter adſtringentibus parata, quibus tantillum Nitri & pauxillum Aluminis admiſceri poteſt: non minus conferunt Gargarismata diſcutientia, ſicut modeſtus uſus Eſſentiæ Pimpinellæ albæ ad

exiguas guttulas ſine vehiculo bis vel ter per diem deglutitæ, cum qua tamen etiam temperies ſervanda eſt, ne ob illius acrimoniam Uvula relaxata excorietur: a Mercurialibus remediis ſummopere abſtinendum eſt: habent ſubinde aliqualem utilitatem pulveres ſubtiliſati remisſius adſtringentes cum apto cochleari, aut ſolliculo immediate ad ipſam Uvulam applicandi, ſicut talem curationem Uvulæ relaxatæ inter alios curatius deſcribit *Hildanus Cent. II. obſ: 21.*

§. V. Præter hæc medicamenta & pharmaceutica auxilia pasſim etiam circumferuntur alia experimenta domeſtica, ex quibus aliqua ſecundum hominum imaginationes operantur; ita a quibusdam commendatur occluſio narium & retractio ſpiritus, ut una Uvula delapſa retrahatur; a nonnullis ordinatur tractatio capillorum in vertice; a quibusdam commendatur fermentum cum quibusdam gummatibus adſtringentibus mixtum, vertici applicatum; denique ſingularem curam proponit *Hannemannus in A. N. C. Dec. II Ann: 2. Obſerv. 56 & Anno 3. obſerv: 5. anno 5 obſerv.* 127. ubi per frictionem brachii Uvulam reſtitutam ex variis probatis eventibus commemorat; qualia experimenta in ſubjectis ſenſibilibus & ad firmam imaginationem pronis ſuccedunt.

CAPUT XXXVIII.

DE

A N G I N A.

§. I.

PRæſens affectus exquiſite acutus eſt, non modo ſecundum propriam ſuam indolem, ſed & quoad concurſum febris acutæ, quapropter ſollicitam & peculiarem animadverſionem meretur, quo in indole ſua recte agnoſcatur & ſecundum veram talem cognitionem etiam recte tractetur: notatu vero digna eſt illa obſervatio veterum, quam conſtans experientia ſuppeditat, quod hic morbus certæ alicui ætati magis familiaris exiſtat; unde concludere licet quod diſtincta & ſingularis cauſa ad eundem diſponat, ſicut Hiſtoria practica commendat, quomodo hæc Angina interdum ſponte homines corripiat; quo loco merito inquiritur illius nexus cum negotio hæmorrhagico, ita ut ex variis rationibus moliminibus remotioribus hæmoptyicis accenſeri queat, dum ejusmodi cauſas in totum ſuum ſyſtema trahit, quæ cum plethoræ præſentia, commotione & emotione apprime cohærent.

§. II.

§. II. Et licet interdum aliæ externæ cauſæ ad anginæ provocationem contribuant, quæ liberum progreſſum ſangvinis per affecta loca repente & efficaciter impediunt, tamen in ejusmodi ſubjectis utplurimum vel eminens plethora adeſt, vel diſpoſitio ad motus hæmorrhagicos anotericos concurrit; ut eo facilius illa cauſa in tali ſubjecto ejusmodi affectum inferat, quemadmodum in aliis ſubjectis eædem cauſæ non ejusdem valoris eſſe deprehenduntur: tanto magis in hac poſteriori animadverſione illa circumſtantia bene conciliana & attendenda eſt, quomodo communiter inſignis commotio ſangvinis præcedat, qualis in ſpontanea Anginæ invaſione magis tacita, quam manifeſta & coacta eſt, quapropter hæc Angina, quæ ab externis cauſis excitatur, eo facilius in tali ætate oritur, cui alias hic affectus familiaris eſſe obſervatur.

§. III. Imprimis prudens artifex cum cura annotare & dijudicare debet non ſimplices pasſiones, nimirum ſtagnationes, aut ſtaſes ſangvinis, ſed potius concurſus activos, nimirum motus congeſtorio-inflammatorios & febriles, qui pernicioſæ ſangvinis ſtaſi oppoſiti ſunt, propter eaque non temere ſupprimi & turbari debent; quin rectius convenit ex illo nexu, qui inter ſtaſin & hoſce motus intercedit veram methodum invenire & formare, qua medicus huic affectui ſcite & perite ſubvenire poſſet: quoniam vero primarius reſpectus in hac afflictione ad ſangvinis urgentem & moleſtam quantitatem, quæ nunc invehementiori motu eſt, dirigi debet, ita huic tempeſtive obviam ire debet artifex, ne in tam gravi neceſſitate urgens & turgens hæc quantitas præſenti afflictioni majorem afflictionem addat, adeoque hic affectus eo citius finiſtrum exitum acquirat.

§. IV. Proinde adhuc providus artifex annotare debet ex quibus ſenſibilioribus, efficacioribus & magis urgentibus cauſis hic morbus ortum traxerit, imo quali acceſſu & incremento ſubjectum invaſerit? ſiquidem præceps hujus inflammationis augmentum & fortior motus febrilis concitatio communiter deterioris ominis eſt; quo accedit illa circumſtantia, quando Angina diſcuſſorium effectum ſubito ſubterfugit & in maturatorium eventum præceps ruit: ex quibus circumſtantiis medicus colligere poteſt, quanta dexteritate huic morbo invigilare debeat, ne in periculoſum & ambiguum talem eventum tranſeat, quod facile fieri poteſt, ſi præſentibus commotionibus artificiale quoddam incitamentum inducitur.

§. V. Quo periculoſior hic eſt morbus, eo major dexteritas & circumſpectio in illius cura adhiberi debet, propterea cavendum eſt 1) a crudis anotericis evacuationibus 2) a præpoſtera alvi liberatione aut actuali illius occluſione 3) a retardata aut confuſe commiſſa Venæ Sectione 4) ab inopportu-

na & amethodica inciſione venarum raninarum 5) a remediis calefacientibus & ſangvinem turgefacientibus 6) a concitationibus & exacerbationibus concurſus febrilis 7) a coactis & diffuſis ſudationibus 8) a volatilium remediorum curatorio uſu 9) a communi narcoticorum uſu 10) a remediis valde acidis & fauces propterea offendentibus 11) ab internis adſtringentibus & incraſſantibus 12) a ſpisſioribus & diffuſioribus formulis atque medicamentis 13) a topicis ſubito & vehementer repellentibus 14) a valde acribus & affluxum humorum nimium excitantibus 15) vel partes nimium emollientibus, relaxantibus & maturationem accelerantibus 16) ut & a negligentiori, aut plane præpoſtera inflammationis reſolutione per externa auxilia 17) a motus & excretionis febrilis perturbatione vel ſuffocatione 18) a virium jam langventium, intenſiori ſuppresſione & enervatione 19) a minus provida conciliatione & tractatione motuum & concurſuum hæmorrhagicorum & denique 20) a perverſo regimine & inconvenienti præſervatione.

§. VI. In Cura præſentis affectus ſequentes indicationes erunt obſervandæ & exercendæ 1) ut ad ſontici hujus affectus curam neceſſaria præparatio & principaliorum cauſarum tempeſtiva alteratio ſuſcipiatur 2) ut motus congeſtorio-inflammatorii tranquillentur. 3) ut concurſus febriles rite tractentur 4) ut inflammatæ partes conſpicuæ tempeſtive a ſtaſi & inflammatione liberentur. 5) ut ſub defectu neceſſariæ & tempeſtivæ diſcusſionis conſequens maturatio legitime tractetur 6) ut denique congruum regimen & juſta præſervatio ordinentur, quo talis morbus e fundamento & cum firma ſanitate conſequente curetur.

§. VII. Quoad primam indicationem ante omnia artifex inquirere debet, an alvus aperta ſit, cujus occluſionem nullo tempore in hoc affectu permittere debet, imo ſi alvus etiam ſiccior aut ſegnior fuerit, tunc itidem confert illam admonere & provocare; haud vero in hac afflictione alvum liberantia auxilia oretenus exhibenda ſunt, quoniam effectus neceſſariæ apertionis tempeſtivus eſſe debet, unde rectius conveniunt vel ſuppoſitoria leniter ſtimulantia, vel clyſmata lenientia, roborantia & remiſſius ſtimulantia, quo non modo alvus tempeſtive liberetur, ſed & quo ſimul aliqualis tempeſtiva diverſio & revulſio adminiſtretur, ne impetus motuum congeſtorio-inflammatoriorum contumacius & acrius partes affectas invadat, detineat & affligat.

§. VIII. Deinde ingenuus, peritus & prudens artifex bene dijudicare debet, an eximia plethora adſit, an illa valde commota ſit, an ante hac liberalius ventilata fuerit, an etiam præſens affectus in repentino & vehementi accremento conſtitutus ſit, quæ circumſtantiæ ſi præſto fuerint, omnino tempeſti-

peſtivum uſum Venæ Sectionis injungunt, quæ propterea ſufficiens & non valde parca eſſe debet, neque tamen nimis larga; ſed cum in hoc affectu Venæ Sectio in pede tardiorem efficaciam utplurimum in parte magis diſſita in tam urgente caſu exſerat, propterea rectius curatorio ſcopo Venæ Sectio in brachio ſuſcipitur: minime vero conſultum, ſecurum & probatum eſt, quando confeſtim ſectio venarum raninarum ordinatur, e qua promotiones & accelerationes ſtrangulatoriorum effectuum oriuntur, ni alia generalis ſangvinis imminutio præceſſerit: quando itaque poſt Venæ Sectionem in brachio commiſſam adhuc plethora valde urget & turget, tunc inciſio raninarum venarum admitti poteſt: proinde etiam ad ulteriorem revulſionem motuum adjuvandam conferunt vel frictiones pedum, vel rubefacientia remedia plantis pedum applicanda.

§. IX. Altera indicatio concernit directorium motuum congeſtorio-inflammatoriorum; hoc ipſum vel lenitione moderata, vel temperatione, vel ſecura ſedatione perficitur: ad lenitionem ſpectant diluentia, mucilaginoſa, emulſiva, lacticinia, gelatinoſa modice ingeſta; temperatio perficitur cum pulvillis quantitate exiguis, ſed frequentius repetendis abſorbentibus nitratis, ſufficienter attenuatis, ne craſſitie ſua anguſtiam faucium magis augeant, ſiquidem tales pulvilli cum ſufficienti vehiculo aſſumendi ſunt & pro eodem ſcopo temperante conducunt oculi cancrorum cum acetoſitate Citri ſaturati, nec non corallia rubra præparata: denique ſedativum effectum exſerunt papaveracea ſimpliciora, velut ſemen Papaveris ſub emulſionibus ordinandum; quemadmodum etiam ſemen Cardui Mariæ commode talibus formulis addi poteſt; non minus Syrupus Papaveris rhæados & Diacodium montanum cum prædictis lenientibus combinari & exhiberi poſſunt; opiata vero remedia in tali caſu nullam approbationem merentur, ſicut neque Chaccarillæ cortex ob accredinem ſuam, qua affl ctas fauces ultro afficit in hoc caſu locum invenit.

§. X. Quoniam vero præſens affectus utplurimum cum acuta ſebre conjunctus eſt, ita magna cura hujus febris habenda eſt, ne eadem perturbetur aut opprimatur, alias præſens inflammatio perinde confunditur & ad ſiniſtrum eventum promovetur; directio hujus febris ita inſtituenda eſt, ne partim motus febriles excedant, neve partim excretio febrilis, modeſte diaphoretica, deficiat: quoad prius conducunt pulveres antea commendati abſorbentes & nitroſi, quoad poſterius proſunt decocta dilutiora reſolventia & diureſin leniter adjuvantia, paranda ex radicibus Cichorii, Scorzoneræ, Leviſtici, herbis Veronicæ, Scordii, Chærefolii, floribus Sambuci, Raſura Cornu Cervi, hordeo excorticato; cavendo, ne acriores ſpecies commiſceantur; minime vero proficuum eſt ſudores fortius commovere & elicere; neque in

hoc

hoc caſu formulæ ſpirituoſæ, Eſſentiæ alexipharmacæ, aut acriores ſubſtantiæ ordinandæ ſunt, ne ægrotantes & ſenſibiles fauces magis irritent atque affligant.

§. XI. Propius nunc eo accedendum eſt, quo ipſæ partes affectæ immediato quodam auxilio foveantur, adeoque tam intra fauces, quam extrinſecus ad ipſum collum inflammatum remedia lenientia, demulcentia, temperantia, diſcutientia & leniter reprimentia ordinanda ſunt: proſunt propterea vel gargariſmata, paranda ex radicibus Vincetoxici, Caryophyllatæ, Bryoniæ, Ireos florentinæ, Sigilli Salomonis, herbis Hyſſopi, Chærefolii, Salviæ, Matricariæ, Bugulæ, Prunellæ, Pyrolæ, Uvulariæ, floribus Chamomillæ, Roſarum rubrarum, Sambuci, Balauſtiorum, quibus addi poſſunt aliæ ſpecies vel emollientes, vel etiam adſtringentes, ut rad. Biſtortæ, Tormentillæ (abſtinendo a Symphyto majori) Malicorium, Gallæ, Pſeudoacorus, Alumen, Terra de catechu, ſub illa diſcretione quo per initia mitiores adſtringentes ſubſtantiæ Gargariſmatibus adjungantur, ſucceſſive vero potentiores commiſceantur: commode etiam Nitrum additur tum pro ardore leniendo, tum etiam pro motibus congeſtoriis mitigandis, neque fruſtra huic formulæ Mel roſatum, Roob diamoron & Dianucum combinatur, vel conducunt aliæ collutiones faucium, quo inſerviunt Emulſiones, in quibus fauces gargariſari poſſunt, parandæ ex aquis Roſarum, Salviæ, Scordii, florum Sambuci, Veronicæ, foeniculi, amygdalarum dulcium, ſemine Papaveris albi, Cardui mariæ addendo aliquid Camphoræ & Croci.

§. XII. Ad tales gargariſationes recipi interdum poteſt ſpecificum illud, quod alias ad anginam commendatur, videlicet Album græcum; quemadmodum fungi Sambuci æque lenem reprimentem qualitatem exſerunt; alia ſpecifica quotquot paſſim commemorantur nondum ſufficienter prabata & approbata ſunt, niſi uberior & ſolidior experientia eorundem utilitatem magis confirmet: a remediis acidis, quantum fieri poteſt, fauces arceantur, quoniam adverſam aliquam ſtricturam ſtrangulatoriam iisdem communicant: unde cum aluminis uſu perquam prudenter procedendum eſt: præterea lingva ſedulo ab adhærentibus impuritatibus repurgari debet, ne eædem inſpirationem adhuc magis angant; commode itidem gargariſmatibus lubricantia, ut: Caricæ, Liquiritia & emollientia ſive lenientia, conjunguntur.

§. XIII. Ab extra ad inflammatum collum applicari poteſt vel Emplaſtrum de Meliloto Camphoratum, vel diaphoreticum Mynſichti, vel Diachylum cum Gummatibus camphoratum, vel ſi magnus ardor affligit de Spermate Ceti & ranar. Camphoratum; proinde conducit Spiritus vini Camphoratus intra lintea exceptus et per intervalla applicatus; non minus proſunt

Sac-

Sacculi leviter humectati reſolventes, diſcutientes, moderate reprimentes, nec non cataplaſmata non valde pingvia cum dimidia parte vini & aquæ paranda diſcutientia, lenientia & moderate reprimentia, cum tantillo Camphoræ & Croci mixta, qualia nonnunquam cum lacte proſicue parari poſſunt, cavendo tantum ne talia remedia conſtanter in loco affecto hæreant, ſed per intervalla applicentur, iterumque removeantur, ut ita discusſio & represſio cum moderamine ſuccedat,

§. XIV. Interdum accidit licet rarius, ut præſens inflammatio discusſoni non obtemperet, ſed ad maturationem collimet, quam propterea artifex perinde dirigere, facilitare & ab aliis accidentalibus damnis præmunire debet; interim raro contingit, ut patientes eo neque vitam protrahant, donec vel maturatio perfecte facta, vel abſceſſus legitime evacuatus & repurgatus eſt, quoniam ægrotantes maturius ſuffocatione pereunt; quando vero nunc affectus ad hanc ſuppurationem tendit, tunc hæc ita dirigenda eſt, ut alvus aperta maneat & motus in tranquillo gradu ſuccedant, hinc temperantia & lenientia, imo diſcutientia interna remedia continuanda ſunt: proſunt inſuper gargariſmata e ſpeciebus emollientibus cum lacte paranda, additis quibusdam ſpeciebus diſcutientibus; extrinſecus continuari poteſt uſus Emplaſtri de Meliloto Camphorati, aut Cataplaſmatum cum lacte parandorum emollientium; ubi tamen uſus pingvium & oleoſorum externus modicus & circumſpectus eſſe debet; non minus commode extrinſecus cum talibus cataplaſmatibus Cepæ aſſatæ adhiberi poſſunt, qualia ſingula adminicula abſceſſionem neceſſariam promovent.

§. XV. Quando abſceſſus jam paratus eſt, tunc matura apertio eſt ſuſcipienda; ſi vero intrinſecus hic abſceſſus latitet, tunc eo immediatus acceſſus haud patet, quare fauces cum leni pluma vellicandæ ſunt, quo ſub moderata vomibunda commotione abſceſſus ille perrumpat: facta tali apertione, proſunt deinde mundificantia & abſtergentia, quo iterum commendo Gargariſmata ex Hordeo, Avena, Liquiritia, Cichoreo, Scorzonera, Caricis pingvibus, Paſſulis, radice Liquiritiæ, Ireos florentinæ: herbis Salviæ, Veronicæ, Chærefolii, Prunellæ, Agrimoniæ, Pyrolæ, Plantaginis, Vincæ per Vinca: floribus Chamomillæ, Roſarum, ſemine Carvi, Fœniculi, addito Melle roſaceo & tantillo Myrrhæ paranda; aut parari poſſunt collutiones faucium ex aquis Roſarum, Salviæ, Plantaginis, Veronicæ, Chærefolii, Prunellæ, Millefolii cum Melle roſaceo; abſtinendum tamen eſt a remediis acribus, a valde adſtringentibus, a terris bolaribus, nec non a medicamentis ſaturninis, ut & a reſinoſis & exoticis balſamicis, quæ læſas valde fauces immodeſtius irritant, adeoque mitiora & leniora abſtergentia & mundificantia conducunt: non mi-

nus

nus ejusmodi Gargariſmati ovi vitellus & tantillum de Therebinthina ſociari poteſt & ita ſub concurſu modeſtioris regiminis mundificatio & conſolidatio expectanda erit.

§. XVI. Supereſt denique regimen congruum, quod in Angina præſcribendum eſt; maxime abſtinere convenit ab anxio & nimis calido regimine; nocent coactiones ad diffuſos ſudores, ut & multa jectigatio & impatientia ægrotantis; decubitus hujus non ſit valde humilis, ſed cum capite erectus, ne ſuffocationis metus augeatur; potus non denegetur, attamen ſucceſſive in modica quantitate exhibeatur, ne magni hauſtus oblati magis angant & ſuffocationem concitent; a ciborum oblatione patiens arceatur; virium habeatur ratio per addita remedia analeptica liquidiora & temperatiora; fauces ſedulo abſtergantur, ne impuritates ipſis adhæreant; collum & pectus actualibus refrigeriis exponi non debent, neque etiam pedes: ad præſervandam Anginam conferunt Venæ Sectiones in pede ſuſceptæ, ut & abſtinentia ab immoderatis animi & corporis commotionibus; proinde providendum eſt, an amiſſæ quædam ſalutares Hæmorrhagiæ revocari poſſint; maxime evitandæ ſunt fauces ab omni immoderato ſtimulo; ſicut repentinæ pedum refrigerationes aut momentaneæ mutationes e calore in frigus, fortiores pectoris commotiones, inebriationes &c. ſedulo præoccupari debent: reliquæ vero ordinariæ excretiones alvina æque ac transſpiratio inſenſibilis in juſto ſucceſſu conſervandæ ſunt.

CAPUT XXXIX.

DE

CYNANCHE.

§. I.

SPecialisſima maximeque ſontica inflammatio eſt illa, quæ inter Medicos *Cynanches* appellationem obtinuit, quæ licet rarior ſit, tamen ipſa gravitate ſua alias inflammationum ſpecies ſuperat, dum ita intime hæret, ut neque ars eo immediate penetrare queat, neque natura facile & ſufficienter motus inflammatorios efficaces & ſalutares eo promovere & dirigere poſſit, licet conſpicuis quibusdam indiciis hic affectus tantam gravitatem haud deſignet; ob id eo major prudentia & dexteritas ab artifice adhibenda eſt, ne hic

affe-

affectus, quod quidem facile fieri poteſt, offendatur & cum in artis poteſtate non ſit directe aliquid ad hujus inflammationis felicem decurſum contribuere, ita potius internis inflammatoriis commotionibus tali lenitate ſubveniendum eſt, ne illæ ſub defectu ſufficientis tenoris ſalutari ſuo effectu deſtituantur.

§. II. Quo periculoſior & gravior hic eſt morbus, eo magis proſpiciendum eſt, ne quicquam in præjudicium illius committatur, nocent enim in Therapia hujus affectus 1) artificiales emeſes 2) poſitivæ purgationes, quæ facile commotiones inflammatorias in interiora pectoris ſeducunt, quam palindromen Hippocrates ut pernicioſiſſimam depingit 3) nocent remedia quælibet commoventia & impellentia 4) maxime vero volatilia & ſecundum communem methodum offerri ſolita Camphorata 5) nocent inſuper regimina anxia & æſtuoſa 6) viciſſim etiam obſunt medicamenta, quæ ſudores diffuſos urgent & eliciunt, nec non 7) remedia poſitive & vulgata refrigerantia ut & 8) communia incraſſantia 9) & præcipue abuſive acida 10) tanto magis poſitiva adſtringentia 11) omnium maxime narcotica 12) & quæcunque alia febriles motus concurrentes confundunt atque turbant.

§. III. In poſitiva hujus affectus cura 1) obſervare convenit, an alvus libera ſit, cujus defectus lenientibus clyſteribus ſuppleri debet; deinde dijudicare convenit, an in ægrotante adſit urgens & turgens Plethora, quæ in tali paſſu tempeſtive per Venæ Sectionem in brachio inſtitutam & ſi neceſſitas urget per ſubordinatam inciſionem raninarum venarum ventilanda eſt: deinde commotionibus inflammatoriis ſubvenire convenit partim temperantibus, partim internis diſcutientibus remediis, ad priora pertinent pulveres nitrati, ad poſteriora ſpectant decocta lubricantia & reſolventia paranda e Scorzonera Cichorio, Liquiritia, Herbis Veronicæ, Scordii, Chærefolii, floribus Sambuci, Chamomillæ, Papaveris rhæados, Seminibus Carvi, Fœniculi, Paſſulis majoribus, Caricis pingvibus & pro eodem ſcopo conducit miſcela ex Eſſentiis Caryophyllatæ, Vincetoxici, Pimpinellæ albæ & Scordii parata, quæ ad exiguas guttulas ſemel, vel bis, per diem offerri poteſt.

§. IV. Præterea ad præſentis inflammationis directionem & moderationem conducunt Emulſiva, paranda ex aquis reſolventibus & analepticis, ut & ex nucleis pingvibus atque ſemine Cardui benedicti & Papaveris albi: non minus in hoc affectu virium ratio habenda eſt, quæ rectius cum moderato regimine & temperatis analepticis, quam acribus & concentratis nervinis refici debent: multum inſuper in hoc affectu conducit quies corporis, ſub qua tum febriles, tum inflammatorii motus leniter procedunt; quemadmodum ſub tali regimine placidæ Diaphoreſes promovendæ & expectandæ ſunt: potus ſufficiens non eſt denegandus, modo non nimis frigidus exhibeatur, neque ma-

 jori-

joribus hauſtibus ad quos hoc affectu decumbentes inepti ſunt, obtrudatur, quid quod pro potu prædicta decocta lenientia optime conveniunt.

§. V. Quod externorum remediorum uſum concernit, tunc illa parum in hoc affectu utilitatis promittunt, quoniam ad locum affectum non penetrant; quo vero in ambitu aliqualem temperatam diſcuſſionem efficiant, admitti tunc poſſunt Gargariſmata lenientia, diſcutientia & modeſte reprimentia; alia topica plane nihil emolumenti afferunt, quodſi in tali affectu afflictio & ſuffocationis ominatio ad ſummum pervenerit, tunc inter ancipitia experimenta practici Bronchotomiam ordinant, quæ etiam ſimul ſub tali encomio admitti poteſt, imprimis ubi ægrotantes huic experimento annuunt: haud vero confert fortiora adſtringentia topicis remediis ſociare, ne ſub præſente magno angore majores anguſtias cauſentur: de reliquo in hujus affectus cura ſemper lenitas & continentia commendanda eſt.

CAPUT XL.

DE PRUNELLA.

§. I.

INflammatoriis faucium affectibus Medici denique annumerare ſciunt *Prunellam*, qui affectus utplurimum in hiſtoria practica tanquam ſonticum ſymptoma aliarum febrium innotuit; maxime vero febribus vel acutis, vel penitus malignis ſuperveniſſe obſervatus fuit, qui propterea in particulari tali translatione ſangvinis & molimine excretorio conſiſtit, quale conamen partim in ſubjectis ſangvine abundantibus, partim ubi aliæ convenientes evacuationes deficiunt, vel irregulariter procedunt, oritur, ut ita a parte ante & a parte poſt ad excretiones tum eſſentiales, tum accidentales pro circumſtantiarum diverſitate neceſſarias reſpiciat; quemadmodum aliquando incongruum regimen, præcipue vero inferiorum partium ſuſpecta refrigeratio, eundem affectum invitare ſolet; unde perquam refert, quo artifex illas ſpecialiores cauſas rite perquirat, quotquot ſeorſim ad hunc affectum in aliquo alio morbo contribuunt.

§. II. Quo plus periculi hic affectus in complicationibus ſuis involvit, eo plus judicii, prudentiæ & dexteritatis artifex adhibere debet, ne eundem magis

magis corrumpat, quam emendet, imprimis in cura hujus affectus abſtinendum eſt 1) ab omnibus craſſis & impetuoſis evacuationibus 2) præcipue a coactis & immoderatis ſudationibus 3) attamen etiam a negligentiori promotione neceſſariarum aliarum placidarum evacuationum 4) ut & a perturbatione & oppreſſione excretionis alvinæ 5) a remediis quibusvis humores valde impellentibus, aut 6) viciſſim valde incraſſantibus & coagulantibus 7) tanto magis ab adſtringentibus & 8) a vulgatis narcoticis 9) ab externis immoderate repellentibus, aut 10) fauces ſenſibiliter irritantibus 11) a communi refrigerantium uſu & denique 12) a perverſo regimine.

§. III. Poſitiva Therapia hujus affectus, licet jam in præcedentium ſimilium morborum curis fundata ſit, tamen brevibus hoc loco ſeorſim allegari debet; ante omnia convenit, quo alvus in ægrotante libera ſit, quæ tamen minime cum aliquo ſtimulo provocanda eſt, ſed potius cum auxiliis maxime ſecuris adjuvanda: deinde eo labor atque cura dirigi debet, quo convenientes evacuationes promoveantur, ubi imprimis moderata & conſtans diaphoreſis promovenda eſt, quo convenit vel Mixturæ ſimplicis vel temperatarum Eſſentiarum alexipharmacarum cum Eſſentia Scordii mixtarum uſus: non minus ad incongruam ſangvinis commotionem mitigandam, conveniunt remedia abſorbentia & nitrata, præcipue oculi cancrorum cum ſucco Citri ſaturati, ut & Corallia rubra præparata: conferunt etiam Emulſiones non refrigerantes, ſed viribus partim, partim excretionibus, partim motibus inflammatoriis ſubvenientes.

§. IV. Venæ Sectio non æque in hoc affectu locum invenit, niſi ſpecialiſſimæ circumſtantiæ interveniant urgeantque; ab extra conciliari poſſunt Gargariſmata, paranda e ſpeciebus lenientibus, diſcutientibus moderate nervinis & reprimentibus, quibus commode aliquid Nitri commiſcetur: vulgata refrigerantia, quæ paſſim circumferuntur & arcanum illud remedium, quod in ſucco Cancrorum fluviatilium conſiſtit, id non efficiunt, quod ſecundum promiſſiones & laudationes debent, unde commendationem noſtram excidunt; neque veſicatoriorum uſus aliquid valet, quod ad fidam & certam curationem commendari poſſet, rectius modeſtæ frictiones conducunt, quæ ad diverſionem & neceſſariarum excretionum revocationem plus, quam alia violenta tentamina, contribuunt: regimen denique in hoc affectu ſit admodum lene, ita tamen inſtructum, quo ad periphericam excretionem ſublevandam quadret.

CAPUT XLI.

De

CARDIALGIA.

§. I.

FRequens ſane hæc eſt afflictio, ſed ita inſuper conſtituta, ut propter multitudinem ſuarum cauſarum & familiarem complicationem ſatis ſæpe fundamentalem curationem perquam difficilem reddat, ſiquidem fruſtra conſtans ſedes hujus morbi in Ventriculo inquiritur, quoniam diverſæ aliæ cauſæ tum manifeſtæ, tum etiam obſcuræ & ex obſervatione practica collectæ, eo contribuiſſe conſtent; quapropter ante omnia Medicus in veritatem cauſalem Cardialgiæ ſollicite inquirere debet; cum potius experientia teſtetur, quomodo multiplex variatio methodi medendi hunc morbum magis corrumpat curatuque difficilem reddat & quando contingit, ut cauſæ quædam obſcuræ aut plane incurabiles, ut ſunt Polypus cordis, Concretio pulmonum cum pleura, Vomica pulmonum, Interni abſceſſus &c: hunc affectum invitaverint, tunc ad poſitivam curam artifex anxie collimare haud debet, ſed rectius privative officium ſuum adminiſtrare, ne videlicet hæc afflictio aliunde deterioretur.

§. II. Inter illas cauſas, quæ magni momenti & magnæ efficaciæ ſunt, imo quæ inſuper propius arti medicæ ſubjacent, merito allegandæ ſunt commotiones & translationes ſanguinis ad præcordia, Ventriculum & intra pectus tranſeuntes, quales interdum ex ſuppreſſis, aut amiſſis Hæmorrhagiis ſalutaribus ortum trahere videntur; proinde eximiæ efficaciæ eſt occluſa flatulentia, quæ anotericas tales anguſtationes cauſatur, quo ſpectant alia molimina excretoria, aut adverſos humores remotoria, ſicut in Ictero, nimia obſtructione alvi retropulſo ulcere chronico, aut oedemate, repreſſis exanthematibus, ſcirrhis hepatis & lienis & præter-naturalibus concretionibus in pectore, aut in diaphragmatis confiniis occurrentibus talis præcordialis anguſtatio affligere & concurſare ſolet & ita experientia medica abunde teſtabitur, quod talis Cardialgia magis nitatur nimiis commotionibus ſtrictoriis circa præcordia adminiſtrari ſolitis, quam famoſis atoniis, quales vulgo accuſari ſolent.

§. III. Quoniam itaque ad Cardialgiam tot diverſæ cauſæ contribuunt, propterea cura bene diſponenda & dextre tractanda erit, in illa vero caven-

vendum eſt 1) ab indiſcreto & facili uſu Vomitoriorum 2) a potentioribus purgationibus 3) a negligentiori primarum regionum abſterſione aliarumque ordinariarum evacuationum promotione 4) a Plethoræ obliviosa conciliatione & incurioſa tractatione 5) ab indiſcreto uſu carminativorum & ſtomachicorum 6) maxime a remediis acribus & ſtimulantibus 7) a volatilium remediorum curatorio uſu 8) a præmatura oblatione tonicorum medicamentorum 9) imprimis a potentioribus adſtringentibus remediis 10) a liberali narcoticorum ordinatione 11) a concurrentis flatulentiæ negligentiori tractatione & denique 12) a perverſis regiminibus & diætæ regulis.

§. IV. Cum ſpecialis medicatio Cardialgiæ differentiæ cauſarum quotquot ad hunc affectum contribuere obſervantur, reſpondere debeat, ita principalis cauſa eſt, quando hic affectus oritur ex ſuppresſis quibusdam ſalutaribus Hæmorrhagiis ſpontaneis, ſive Menſibus, ſive Hæmorrhoidibus, quas evacuationes propterea artifex convenienter reſtituere & ſubinde in ſubjectis plethoricis, in quibus particulares translationes & congeſtiones ſanguinis in hypochondria & præcordia ad Cardialgiam talem diſponunt, præſervatorias Venæ Sectiones in pede ordinare debet; Curatoriæ oblationes pulverum antiſpaſmodicorum, pediluviorum & mitiorum laxantium remediorum conducunt, in quo paſſu etiam motus corporis ſufficiens, non parum ad congeſtiones tales disſipandas confert, ſicut pro necesſitate urgente etiam interdum alia ſelectiora ſedativa in uſum trahi poſſunt: proficiunt etiam auxilia diluentia, gelatinoſa, lenientia, nec non regionum inferiorum repetitæ frictiones aſperiores ad revellendas illas congeſtiones efficaces.

§. V Non raro Cardialgia oritur a ſuppreſſa anoterica flatulentia, quæ propterea tanquam principalis cauſa debite curanda eſt & pro hac quidem præcipue convenit uſus clyſterum primario lenientium, moderate ſtimulantium & remisſius roborantium; deinde ad mitigandos irregulares motus inteſtinorum, conducunt pulveres Nitrati, ſicut tam roborante quam ſecurius ſedante effectu conducit Cortex Chaccarillæ; non minus proficit uſus Pilularum Stahlianarum in pulvere adhibendarum, quo eo citius operentur; denique ſubjungi poſſunt Eſſentiæ roborantes, ut Ari, Caryophyllatæ, Angelicæ, Abſinthii, Galangæ, Gentianæ rubræ, Centaurii minoris cum Tinctura Chaccarillæ mixtæ, qui ordo etiam cum oblatione horum remediorum ita ſervandus eſt, quoniam ante omnia alvus aperta eſſe & flatus in juſtum curſum & exitum duci debent: præmatura enim partium roboratio magis nociva, quam fructuoſa eſt.

§. VI.

§. VI. Simili modo tractanda eſt Cardialgia, quæ ex diuturna & conſveta alvi obſtructione ortum trahit: quando vero ad hunc affectum retropulſa exanthemata, ulcera & ſcabies contribuunt, tunc maxima cura eſt habenda, quo hæc inquinamenta iterum convenienter expellantur: pro hac neceſſitate conducunt præmittenda remedia temperantia, videlicet pulveres abſorbentes & nitrati; deinde interdum conjungi poſſunt ſelecta ſedativa, quo nomine Chaccarillam commendo, porro conferunt decocta paranda ex Radicibus Scorzoneræ, Cichorii, Apii, Bardanæ, Valerianæ, Chinæ, Saſſafras, Herbis Scordii, Veronicæ, Chærefolii, floribus Sambuci, Raſura Cornu Cervi etc: non minus cum fructu ſubordinari poſſunt Eſſentiæ vel alexipharmacæ, vel pro indole affectus balſamicæ, quo nomine convenit Miſcela paranda ex Eſſentia Pimpinellæ albæ, Valerianæ, Fumariæ, Succini, Myrrhæ, ubi tamen cum magno moderamine artifex procedere debet, ſi febrilis quædam commotio concurſat: cum hisce medicamentis combinanda ſunt regimina temperata diaphoretica, nec non frictiones ſuperficiei corporis, quo in hanc retropulſæ impuritates denuo invitentur.

§. VII. Non raro Cardialgia oritur a prægreſſis commotionibus & translationibus bilis intra Ventriculum ex iracundia ſuppreſſa, hinc varii homines de eo conqueruntur: es wolle ihnen das Hertze abdrucken, es ſteige ihnen ſo bitter in die höhe etc: ſub quo ſtatu concurrit alvi occluſio, propenſio ad vomitum, torpor, alternans horripilatio, vertiginoſa perturbatio, inappetentia, phlogoſes etc. pro hujus Cardialgiæ cura ordinanda ſunt remedia abſorbentia, ſive ſimplicia, ſive cum acidis imprægnata, nec non pulveres Nitrati, Corallia rubra præparata, Cryſtallus montana præparata, una cum diluentibus mucilaginoſis & gelatinoſis, inſuper proſpiciendum eſt, quo modeſtus vomitus ſuperveniat, qui vero minime cum valde ſtimulante remedio provocari debet; poſthac conveniunt pilulæ Stahlianæ, aut aliæ alvum modeſte aperientes & quando in tali neceſſitate alvus rigide occluſa eſt, tunc clyſteres in conſilium ducendi ſunt; denique ſubordinare convenit temperatiora carminativa, ut Eſſentias tales ſtomachicas cum Tinctura Chaccarillæ miſcendas, aut tonica remedia, velut Crocum Martis antimoniatum Stahlianum, aut antimonium Martiale diaphoreticum Ludovicianum, aut Tartarum Vitriolatum Martialem, quales Croci commode cum abſorbente remedio & Nitro combinari poſſunt & offerri debent, quo denique Tinctura Martis tartariſata ſpectat.

§. VIII. Interdum Cardialgia oritur a ſingulari & ſenſibili ventriculi refrigeratione ſive ab intra per potum frigidum, ſive ab extra commiſſa, pro hujus cura præmittere convenit antea antiſpaſmodica, velut pulveres Nitroſo-

Cinna-

Cinnabarinos Coralliatos; providendum inſuper eſt, quo alvus ſit aperta, ea-propter conducunt pilulæ Stahlianæ aliæque probatæ: deinde conveniunt temperatiora ſtomachica, quo Eſſentias Ari, Helenii, Caryophyllatæ, Pimpinellæ albæ, Gentianæ rubræ, Galangæ, Abſinthii, Centaurii minoris, Cardui benedicti, Corticum Aurantiorum commendo: confert etiam vinum modeſte aromatiſatum; imprimis vero conducit abſtinentia a cibo ſolidiori & denique circa finem curæ conducunt roborantia, nimirum ſelecta martialia.

§. IX. Majoris momenti ſunt Scirrhi in hypochondriis, aut ſcirrhoſi infarctus in thorace, qui ad cardialgiam interdum diſponere ſolent, in qua afflictione cum maximo moderamine ejusmodi reſolutiones Scirrhorum tentandæ & committendæ ſunt, quoniam facilius talis ſtatus in deteriorem gradum delabitur; unde rectius hæc cura perficienda eſt, in qua una conjungi debent remedia lenientia, diluentia, temperantia, antiſpaſmodica & ſelecta ſedativa: maxime confert motus corporis, præcipue equitatio: alvus inſuper ſit libera & reliquæ excretiones in ordine juſto conſerventur: quid quod ſi actualis labes deeſt in ſubjectis ſpongioſioribus, acidularum & thermarum temperatus uſus aliqualem opem promittit; quæ tota cura tamen cum ſingulari prudentia exercenda eſt.

§. X. Quando Cardialgia e nimia cruditate, in Ventriculo hærente, e prægreſſa irregulari diæta collecta, oritur, tunc præmitti debent remedia digerentia humectantia & reſolventia; in aptis ſubjectis excitari poteſt moderatus vomitus, in aliis vero convenit repetita laxatio, in nonnullis conducit uſus acidularum & quando evacuatio ſufficienter ſucceſſit, tunc ſubordinanda ſunt roborantia & ſtomachica, ſicut partim præparantem, partim ſtomachicum uſum habent Piper, Zingiber, Synapi, Naſturtium, Armoracia, Cepæ, quo adhuc pertinent ſtomachica ſuperius laudata, una cum commixtione ſelectorum ſedativorum, ut Theriacæ ſimplicis cum hauſtulo vini excipiendæ, aut corticis Chaccarillæ: in quo caſu etiam prædicta roborantia tonica Martialia circa finem curæ locum inveniunt.

§. XI. Denique experientia prodit, quomodo Cardialgia in quibusdam adultioribus ſubjectis a vermium præſentia in ſuperioribus inteſtinis, vel in ventriculo oriatur, in quali caſu hæc methodus ſervanda eſt, ut primo adhibeantur auxilia vermes enecantia & evacuantia; deinde ut ordinentur remedia, quæ incongruos ſpaſmos leniunt, temperant & ſedant, qualia paſſim hactenus commendata proſtant: denique ordinentur ſtomachica & roborantia, quo juſtus tonus in partibus, hactenus affectis, ſublevetur & promoveatur: & quando adhuc aliæ ſpecialisſimæ cauſæ in hiſtoria practica occurrunt, quæ Cardialgiam concitant, tunc ſemper in cura hujus affectus ad il-

 larum

larum cauſarum modeſtam & efficacem remotionem ſtudium applicandum eſt; omnium maxime vero cavere convenit, ne in hoc affectu præmature opiata remedia exhibeantur, quæ peſſimarum conſecutionum cauſa fiunt.

CAPUT XLII.

DE

PHTHISI.

§. I.

INter illos affectus, qui non modo in indole ſua admodum intricati & refractarii ſunt, ſed & qui perfectam & omnigenam curationem reſpuunt recenſeri meretur *Phthiſis*, utpote morbus, qui aliquando ex evidenti antipraxi & errore practico ortum trahit, dum ex alio & alterius conſtitutionis affectu pectoris, incongrue tractato, ortum traxiſſe obſervatur, hinc & inſcitiæ & imperitiæ ſignum eſt, affectum quendam pro Phthiſi declarare & tractare, quamdiu a Phthiſi adhuc alienus eſt; ſicuti per famoſa expectorantia & travmatica pectoralia utplurimum hic error committi ſolet, eapropter in dignotione veræ Phthiſeos ſingularis prudentia commendanda eſt, quoniam corrupto tali modo provocata Phthiſis corruptos proceſſus ſervat, quæ eo minus deinde congruæ Therapiæ obtemperat, quin potius eo citius ad luctuoſum eventum properat.

§. II. Cum Phthiſis ſit actualis pulmonum ulceratio, eapropter hæc labes intimior abſolutam curam in tantum reſpuit, quo minus ſufficiens repurgatio, aut conveniens concretio læſæ partis expectanda eſt; unde prudens artifex in cura Phthiſeos non ultra rationalem poſſibilitatem procedet & inverſo modo reſtitutionem urgebit, ſiquidem maturius pulmonum concretionem tentare nullus peritus audebit, priusquam ulceroſa corruptio ſufficienter extincta & repurgata fuerit, qualis mundificatio abſolute conveniens non facile ſperanda eſt; hinc ex ulceris indole id fluit, quo illius accrementum in tantum intercipiatur, quando ſecedentes impuritates ulceroſæ, quantum fieri poteſt, abſterguntur, ne coagmententur & partem magis inquinent, aut ipſam ulcerationem exacerbent: qualis ipſa operatio ſubinde cum maximo moderamine perficienda eſt, quoniam hoc affectu detenti nimis ſenſibiles & alterabiles

les deprehenduntur; quare hic morbus longe citius deteriorari, quam meliorari poteſt.

§. III. Multum etiam refert pro reliqua Phthiſeos cura rite adminiſtranda, quando artifex inquirit atque diſcernit gradum & ætatem hujus mali, deinde quondo etiam inveſtigat cauſas e quibus ortum traxit, ubi inter has magni momenti eſt conſideratio prægreſſorum moliminum hæmorrhagicorum, aut ſuppreſſarum actualium ſalutarium, vel ad ſalutarem finem deſtinatarum Hæmorrhagiarum, ubi poſthac præſente hac Phthiſi contingere ſolet, ut per intervalla aliquoties hæc molimina hæmorrhagica cum Phthiſi ſe conjungant & partem affectam invadant, adeoque totum morbum exacerbent: inde etiam pendet, ut quidam Phthiſici cum hæmoptyicis inſultibus pereant: proinde etiam indagare convenit virium gradum atque tenorem, ſiquidem uno tempore hoc morbo decumbentes alacriores & paulo robuſtiores, alio torpidiores & debiliores comparent; ſecundum quam diverſitatem proinde methodus medendi accommodanda & inſtruenda erit.

§. IV. Eo minus convenit Phthiſi laborantes immoderate aggredi & cum iisdem heroicas curationes ſuſcipere, cum neque morbus neque patiens talibus conatibus adæquatus, quin rectius ob Phthiſeos Chronicam afflictionem cum maxima lenitate & circumſpectione procedendum eſt, ita ut magis præſervatoria, quam curatoria methodus in uſum trahi debeat: eo minus vero illis temerariis promisſionibus de curatis Phthiſicis & de remediis infallibilibus antiphthiſicis fides danda eſt; quales præjudicioſæ pollicitationes non raro ad varia temeraria tentamina ſeducunt, ut eo ipſo eventus ſiniſter & luctuoſus citiori ſuo acceſſu invitetur: neque quidem prudens artifex ſe eo ſeducere aut quo aliunde eo ſeducatur, permittere debet, quando tantum ad ſolennia & ſpecioſa ſymptomata hunc affectum comitantia animum dirigit & interdum aliquid committit, quod fundamento & formæ mali graviter præjudicat; omnium maxime vero illa prudentia practica injungenda eſt, ne hujus mali curatio cum ſimultaneis methodis ſuſcipiatur, cum ipſe affectus Chronicam ſuam indolem ubique comprobet.

§. V. Quo itaque ſonticus hic affectus ſecure & dextre tractetur, cavendum eſt 1) ab omni excretione fortiori 2) a curatoria ſangvinis ſubtractione 3) ab ordinariarum evacuationum perturbatione, aut negligenti promotione 4) ab incurioſa negotii hæmorrhagici et ſtatus plethorici conciliatione 5) a nimio uſu expectorantium & emollientium 6) a curatorio uſu ſalium volatilium 7) ab omni uſu communium adſtringentium 8) a medicamentis narcoticis 9) ab incraſſantium & terreorum largiori oblatione 10) a remediis valde acidis 11) à travmaticorum pectoralium vel præmaturo, vel ſolo & ſimplici, vel largo uſu

12) a ſulphuratorum indiſcreta ordinatione 13) ab omnibus remediis calefacientibus & maſſam humorum valde impellentibus 14) a famoſis ſpecificis antiphthiſicis, maxime vero metallicis & ſaturninis, quale Antihecticum Poterianum eſt. 15) ab aliorum remediorum tonicorum & modeſtius traumaticorum inopportuna oblatione 16) a remediis refrigerantibus, maxime quidem Emulſionibus talibus 17) ab acidularum & thermarum uſu interno 18) ab illis effœminatis compoſitionibus regenerationem pulmonum promittentibus 19) a ſymptomatum concurrentium ſubitanea ſuppresſione & profligatione 20) a virium majori proſtratione 21) a remediorum multiplicatorum inconſtanti & nimis variabili oblatione & 22) a multiplici mutatione methodi medendi, quæ eo certius citiorem interitum affert.

§. VI. Quicquid in tam gravi & intricato affectu agere et ſperare licet, illud ſequentibus indicationibus circumſcriptum eſt 1) ut a loco affecto conſtanter ſuſpectus humorum affluxus removeatur, quo reliqua partis læſæ repurgatio efficacius ſuccedat 2) ut materia ulceroſa, quæ a labe interna ſecedit in corruptela & acriori ſua indole temperetur & involvatur, ne ulteriorem affluxum provocet: 3) ut hæc ſecedens impuritas, nunc præparata, ſuccesſive abſtergatur & evacuetur: 4) ut pars affecta magis repurgetur, mundificetur & ſi commode fieri poteſt, etiam cum moderamine conſolidetur: 5) ut diverſa ſymptomata, quæ ſeſe cum hoc affectu conjungunt cum convenienti lenitate & efficacia mitigentur: Et hic ordo operationum therapevticarum magis affectui eſt accommodatus ita quidem, quo tales indicationes cum aliquali continentia & conſtantia applicentur, neque fugitive & præcipitanter exerceantur.

§. VII. Quod primam indicationem attinet, tunc affluxus humorum ad affectam partem per varias cauſas excitari poteſt, imprimis vero eo contribuit qualiscunque reſpectiva ſangvinis abundantia, quæ olim gravioribus commotionibus aut etiam actualibus emotionibus ſubjecta fuit, ita, ut interdum ſub Phthiſeos progreſſu hi antiqui mores conjungantur & rovocentur; ob id præſtat præſervatorie & quando ſtatus morbi eſt remisſior moderatam Venæ Sectionem in pede ad exiguas uncias inſtruendam adminiſtrare; minime tamen tale auxilium curatorio ſcopo adhibere convenit: deinde alvi ſegnities ſiccitas aut occluſio ſimiliter ad ejusmodi affectum diſponere ſolet, quapropter convenit hanc excretionem alvinam in leni & libero ſucceſſu conſervare & conferunt hoc nomine lenientia diætetica, juſcula gelatinoſa, pingvedines alvum elubricantes, medullæ; deinde vero auxilia Prunata & Paſſulata, ut & Poma cocta Borſtorffiana cum tantillo ſacchari cicurata: e Pharmacevticis præ omnibus reliquis alvum moventibus ſubjectis conducunt Mannata, Tamarin-

rindinata & Rhabarbarina, cavendo, ne alia ſtimulantia adhibeantur: proinde etiam conducunt pediluvia interdum admittenda, ut & frictiones pedum cum linteis calidis adminiſtrandæ; multum pro hoc ſcopo ſatisfacit animi requies & temperies, ut & transſpirationis æqualis ſucceſſus, quapropter interdum temperatiora diaphoretica pro eodem ſcopo conveniunt, quo nomine conferunt Eſſentiæ leniores alexipharmacæ, ut: Helenii, Caryophyllatæ, Ari, Vincetoxici, Pimpinellæ albæ & Scordii; cavendo, ne ordinaria aut largior quantitas ejusmodi remedii exhibeatur, cum vel dimidia copia in tali affectu ſuis effectibus inducendis ſatisfaciat.

§. VIII. Alterum eſt, quo materia ulceroſa in prava ſua indole quantisper emendetur & corrigatur; id fieri poteſt per remedia abſorbentia teneriora, ſive ſimplicia, ſive melius cum acidis attenuata & ſaturata, quæ vero non magnis, ſed refractis & repetitis doſibus offerenda ſunt: interdum commode cum hisce terreis remediis conjunguntur ſalia digeſtiva, parca tamen quantitate, quin ipſum Nitrum, modica copia: ejusdem utilitatis correctoriæ & abſterſoriæ ſunt decocta mucilaginoſa, paranda ex Cichorio, Scorzonera, Liquiritia, Herbis Veronicæ, Chærefolii, Scordii, Scabioſæ, Fœniculi, Caricis pingvibus hordeo excorticato & ſimilibus: proſunt itidem Emulſiones dilutiores ex aquis Veronicæ, Chærefolii, Scordii, Fœniculi, Sambuci, Plantaginis Cardui benedicti, Roſarum, Amygdalis dulcibus & Semine Cardui mariæ paratæ; ita proficiunt Potiones, componendæ ex prædictis aquis, additis remediis terreis, Coralliis rubris præparatis, oculis Cancrorum cum ſucco Citri, Syrupo Liquiritiæ, Violarum & Papaveris Rhæados, quæ ſingula adminicula materiam ulceroſam involvunt, temperant & abſtergunt; cujus utilitatis itidem ſunt Elæoſacchara ex oleo Amygdalarum dulcium, Saccharo cando albo & exigua portione Rubini Sulphuris Rulandini parata; neque penitus contemnendæ utilitatis eſt lactis tenuioris modicus uſus, qui tamen neque quotidianus, neque copioſus & frequens eſſe debet, alias variis incommodis anſam præbet.

§. IX. Quando hæc ulceroſa materia ſufficienter præparata eſt, tunc illius ulterior abſterſio & plenaria denique evacuatio adjuvari debet: utrumque perficitur per ſelectiora pectoralia & expectorantia & in hoc ſcopo ſeſe commendat radix Ari, vel ita ſimpliciter, vel in Trageis, vel in Electuariis, modeſta quantitate oblata; nec non radix Helenii, ut & Liquiritia: proinde temperatus uſus Mellis multum hanc præſentem intentionem facilitat; quo etiam ſpectant Gummi Ammoniacum, parcus uſus Galbani, ut & Herbæ Veronicæ, Chærefolii, Bellidis, Fœniculi, Pyrolæ, ex ejusmodi diverſis & ſimilibus remediis parari poſſunt Decocta, Electuaria, Potiones, cavendo, ne concen-

tratiores formulæ ordinentur; in ſubjectis adhuc robuſtioribus & ubi multa impuritas ad ulceratam partem affluit & in eadem colligitur, confert prudens & modeſtus uſus Extracti de Peto, aut Syrupi de Peto Quercetani, qualia remedia vero in debilioribus non facile ordinanda ſunt: denique etiam hanc præſentem indicationem facilitat parcus uſus Syruporum expectorantium, quemadmodum cum omnibus expectorantibus remediis moderamen ſervandum eſt, quæ propterea cum diſcutientibus ſedulo combinanda ſunt.

§. X. Quando itaque tali ordine materia ulceroſa abſterſa & evacuata fuit, tunc ſucceſſive acceſſus inſtituendus eſt ad priorem partis mundificationem & conjungendam temperatam conſolidationem: pro hoc effectu conveniunt præter temperatum Mellis uſum Gummata, ut: Succinum, Maſtix, Thus, quæ magis ſucceſſive, quam ſimultanee offerenda ſunt; proinde etiam Myrrha cum maximo moderamine adhibita, ut & Balſamus Peruvianus in valde refracta quantitate oblatus, nec non Therebinthina utilitatem aliquam afferunt: porro pro eodem ſcopo conducit Scordium, Alchymilla, Chærefolium, Sanicula, Pyrola, Virga Aurea Geſneri, Agrimonia, Bellis, in moderata quantitate cum prioribus miſcenda & in Electuarii forma exhibenda, ſicut harum herbarum ſuccus pro eodem fine conducit; a potentioribus adſtringentibus vero maxima cura abſtinendum eſt, imo ne hæc quidem remedia diu continuanda & frequenter offerenda, ſed cum roborantibus analepticis & abſtergentibus ſublevanda & interponenda ſunt, ita denique expectandum erit, an aliqualis concretio ſuccedat, quæ ſingula vero in phthiſi diuturna parum utilitatis afferunt.

§. XI. Reſtat adhuc quo aliquorum Symptomatum mentionem injiciam, quæ in Phthiſi occurrere & urgere ſolent: ad nimiam itaque imbecillitatem & virium jacturam conducit moderata analepſis per Conſervam Roſarum, Syrupum de Canela, de Betonica, Corallorum Quercetani, flavedinis Citri, per Emulſiva analeptica, per lacticinia, juſcula gelatinoſa, aquas analepticas & quæcunque grata ſubjecta ſub diæta culina ſubminiſtrat, quo itidem gelatinæ ſpectant & modeſtiſſimus uſus acidulorum remediorum, quo Paſſulæ majores & minores præcipue pertinent, alias paulo liberalius oblata acida pectus aggravant & tuſſim moleſtam excitant & quando patientes paulo remisſiori & tranquilliori ſtatu gaudent, tunc parcus uſus Mixturæ roborantis e Spiritu Cornu Cervi, Tinctura antimonii tartariſata & Eſſentia Succini paratæ proficit: denique etiam confectio & Species de Hyacintho ad virium reſtitutionem aliquid contribuunt: neque penitus in remisſiori ſtatu parcus & medicus uſus vini boni cum pane ſaccharato contemnendus eſt.

§. XII.

§. XII. Quando in Phthiſi nimia anguſtia affligit, tunc moderata expectorantia, temperantia & diſcutientia prædicta conveniunt: quando febrilis commotio accidit, tunc conducunt Nitrata, parca, ſed repetita quantitate exhibenda, abſorbentia cum acido ſaturata, Corallia rubra præparata, ſive in pulvere ſive cum aquis reſolventibus mixta exhibenda: non minus etiam decocta gelatinoſa & mucilaginoſa conferunt: quando nimius affluxus ad pectus urget, tunc prædicta revellentia & diſcutientia, nec non Cortex Chaccarillæ, una cum Papaveraceis ſimplicioribus remediis proſunt: quando nimius ſudor angit, tunc conducunt Corallia rubra præparata, Nitrum & Species de Hyacintho: quando Diarrhœa incidit, tunc conveniunt abſorbentia, Coralliata, Nitrata remedia, Species de Hyacintho, Cortex Chaccarillæ, parcus uſus Eſſentiarum carminativarum & topica ſtomachica temperatiora; ab adſtringentibus ſedulo abſtinendum eſt.

§. XIII. In diæta accuratus ordo ſervandus eſt & conducunt alimenta magis humida, quam ſicca, evpepta & facile nutrientia, gelatinæ, juſcula, lacticinia & molliora pultacea, nec non pruna, Poma, Pyra dulcia cocta: præſervatorie præſtat ſangvinis ventilationi ſtudere & motum corporis exercere: a Phthiſeos prima invaſione præſervant illarum cauſarum tempeſtivæ excluſiones & ſubjugationes, quæ ad Phthiſin contribuere ſolent; quæ cum multiplices ſint, ita etiam ſecundum illarum conſtitutionem illa generalis præſervatio adornanda erit, præcipue reſpectus eſt habendus, quo neceſſariæ excretiones, maxime vero ſangvineæ rite procedant aut tempeſtive revocentur.

Conf. Stahlii Diſp. de Phthiſi.

CAPUT XLIII.

DE

VOMICA PULMONUM.

§. I.

CUm in præcedentibus de Phthiſi actum ſit, ita mox in ordine alterius affectus reminiſcor, qui quadantenus cum Phthiſi convenire videtur, imo etiam in Phthiſin perfectam aliquando increbeſcere obſervatur & vulgo in ſchola medica appellationem *Vomicæ Pulmonum* obtinuit: licet vero hic morbus in hiſtoria practica rarior exiſtat, tamen quotiescunque oc-

cur

currit, ſemper intricatus eſt & difficulter curari poteſt, ſiquidem non modo afflictio in intimiori pulmonum ſubſtantia hæret, ſed adhuc particularis occluſio accidit, quæ inſuper impedit, quo minus eo apta remedia penetrare posſint, ut adeo primarius effectus, perfectæ reſtitutioni reſpondens, naturæ activitati & benignitati relinquendus ſit, cum Medicus non niſi eminus & indirecte huic afflictioni opem ferre valeat.

§. II. Quemadmodum præſens morbus in occluſo quodam ſcirrho vel ſimplici, vel in abſceſſum mutato, cum peculiari ſacculo incluſo & incarcerato conſiſtit, ita non facile oblatis remediis eo pertingendi patet aditus: notare vero propterea convenit, quod hic morbus e diverſis talibus cauſis ortum trahere ſoleat, e quibus Phthiſis originem ducit; deinde provide obſervare convenit, quomodo præcipue per ſangvinis abundantiam valde exacerbati ſoleat & quomodo continuantes immoderatiores affluxus pectus detinentes ad ulteriorem & graviorem hujus mali exacerbationem contribuere ſoleant, ut adeo ex ſingulari Medici officio fluat, quo illas cauſas ſollicite avertat, quæ hunc morbum efficacius & citius deteriorant, cum in artis poteſtate non ſit, quo ipſum genuinum fundamentum mali aggrediatur atque tollat: & quoniam hæc Vomica in futuram Phthiſin propendet, ita e prævia Phthiſeos notitia tantum agere convenit, ne e minori malo majus proveniat.

§. III. Quo magis arduus, difficilis & intricatus hic eſt affectus eo magis in cura omnis circumſpectio & dexteritas adhibenda eſt, eaque propter cavendum eſt 1) a vomitoriorum ordinatione 2) a quibusvis aliis immoderatioribus evacuationibus 3) ab incurioſa plethoræ concurrentis & commotæ diſquiſitione & tractatione 4) ab omni methodo & medicamento vehementiori, 5) ut & ab omnibus experimentis heroicis, vires valde afficientibus motusque admodum exagitantibus 6) a remediis acribus concentratis & valde calefacientibus 7) ab immodico expectorantium uſu 8) a præmatura oblatione volatilium remediorum 9) a præcipiti & largo uſu communium balſamicorum 10) a præmatura & liberali ordinatione travmaticorum 11) a ſulphuratorum indiſcreta commendatione 12) a narcoticorum remediorum communi præſcriptione 13) ab indifferenti & copioſa acidularum ingeſtione 14) ab acidis & incraſſantibus medicamentis 15) a communibus experimentis antiphthiſicis adſtringentibus & exſiccantibus & 16) ab ordinariarum evacuationum perturbatione aut incongrua promotione.

§. IV. Specialis Therapia Vomicæ Pulmonum hisce *indicationibus* eſt comprehenſa 1) ut ordinariæ evacuationes debite procedant 2) *ut* imminentes, aut continuantes ſuſpecti affluxus humorum a pectore avocentur 3) ut lenis & conſtans abſterſio, repurgatio & evacuatio in ipſo pectore ſuccedat 4) ut

ut opportuno tempore tonus pectoris adjuvetur & neceſſaria concretio illius leniter promoveatur 5) ut denique intercurrentia ſymptomata, quæ communiter hunc morbum comitari ſolent, convenienter mitigentur & ſubinde 6) juſtum regimen & congrua præſervatio præſcribatur, ne deteriora pathemata conſequantur.

§. V. Secundum vim primæ indicationis practicæ præſtat ante omnia ordinarias evacuationes in juſtum ordinem ducere, ne ex illarum confuſione huic affectui aliquod accrementum & damnum accidat; imprimis alvina excretio liberanda eſt, ſed minime per ſenſibiles ſtimulationes, quin rectius per modeſtas lenitiones & laxationes, quo nomine conveniunt Rhabarbarina, correcta & refracta Aloëtica, Tamarindinata, Prunata, Paſſulata & ſimilia remedia; deinde præſtat invigilare prægresſis ſalutaribus Hæmorrhagiis, ſi quæ ſuppreſſæ fuerint, operamque adhibere, quo ſub lenisſima methodo eædem ſuccesſive revocentur, vel per vicarias artificiales imminutiones ſangvinis compenſentur, non minus ſub congruo uſu ſufficientis potus & motus tam Diureſeos, quam Diaphoreſeos promotio adminiſtranda eſt.

§. VI. Alterum officium medicum eſt, quo futuri affluxus, ad pectus ruentes, debite avertantur, ne præſens malum augeant & hæc diverſio & revulſio variis adminiculis præſtatur: huc quidem quadrant partim repetitæ alvi lenitiones, partim pediluvia, partim Venæ Sectiones præſervatoriæ in pede inſtitutæ, partim quantum pro reliqui affectus commoditate fieri poteſt per mobile vitæ genus, quo ſanguis æqualiter diſtribuatur, partim in ſubjectis ad hæmorrhoidales commotiones adſvetis per hirudinum applicationem ad loca hæmorrhoidalia, partim etiam per inſeſſus & balneorum dulcium modeſtum uſum, partim denique per interna temperata reſolventia & diſcutientia, quo pertinent Eſſentiæ Ari, Helenii, Vincetoxici, Caryophyllatæ, Pimpinellæ albæ, Scordii, uti ipſa radix Ari in ſubſtantia modica quantitate oblata hunc diſcuſſorium effectum, adeoque affluxus cohibitionem perficit: non minus ad urgentis affluxus moderationem & averſionem contribuit uſus abſorbentium cum acetoſitate Citri ſaturatorum, ut & remediorum temperantium, præcipue vero Nitroſorum: quemadmodum tam diſcuſſorio, quam ſedativo effectu hunc affluxum coërcet uſus Corticis Chaccarillæ.

§. VII. Proxime cura eo dirigenda eſt, ut modeſte pectus repurgetur: id fieri poteſt vix commodius, quam per decocta abſtergentia, reſolventia, involventia & leniter expectorantia, paranda ex Radicibus Scorzoneræ, Cichorii, Taraxaci, Liquiritiæ, Bardanæ, Ireos florentinæ: Herbis Scordii Chærefolii, Capilli veneris, Cuſcutæ, Veronicæ, Bellidis minoris, Hyſſopi, Menthæ, Floribus Sambuci, Chamomillæ, Helenii, Tuſſilaginis, Rorismari-

ni, Seminibus Aniſi, Fœniculi: Baccis Lauri & Iuniperi; Corticibus aurantiorum, Cinnamomi, Ligno Saſſafras, Raſura Cornu Cervi, hordeo excorticato, Paſſulis majoribus, Caricis pingvibus; quibus decoctis addi poſſunt ſyrupi expectorantes modica quantitate: ita etiam proſunt Electuaria ex ejusmodi reſolventibus & abſtergentibus ſubſtantiis parata; quo inſuper conveniunt Gummi Ammoniacum, Sagapenum, Galbanum, Succinum, Therebinthina, modica tamen copia aliis formulis combinanda: rectius in tali caſu liquidæ, quam ſiccæ formulæ conducunt.

§. VIII. Quando pectus ſufficienter repurgatum eſt, (utpote quam repurgationem etiam Emulſiones dilutiores adjuvant, nec non Eſſentiæ balſamicæ, ut Ari, Pimpinellæ albæ, Succini & Myrrhæ promovent) tunc ſucceſſive toni in pectore roboratio & neceſſaria interna pulmonum concretio promoveri debet; pro hoc ſcopo conducunt remedia travmatica, cum prædictis decoctis conjungenda; velut Herbæ Hederæ Terreſtris, Saniculæ, Pyrolæ, Bellidis, Alchymillæ, Plantaginis, Virgæ aureæ, quæ tamen cum ſingulari moderamine præſcribendæ ſunt, ne ſuſpectas adſtrictiones cauſentur, propterea etiam cum remediis diſcutientibus & expectorantibus commiſceri debent; licet itidem ſub emulſivis formulis valde refractam quantitatem vel Balſami Peruviani, vel Balſami de Copaiva, vel Rubini Sulphuris Rulandini cum vitello ovi ſoluti exhibere; cum quibus remediis tamen non diu inſiſtendum eſt, ne loco deſideratæ repurgationis ſuſpectæ quædam commotiones provocentur.

§. IX. Et cum huic affectui diverſa ſymptomata ſeſe conjungere ſoleant, ita illorum mitigationi artifex tempeſtivam operam dare debet, ne ex eorum accremento & confirmatione præſens affectus in deteriorem ſtatum ruat: quando itaque interdum febrilis commotio accidit, tunc ordinanda ſunt remedia temperantia, Nitrata, abſorbentia cum acidis imprægnata & Coralliata, nec non decocta mucilaginoſa cum aquis reſolventibus commiſcenda; quibus auxiliis opportuno tempore ſubjungere licet temperatiora alexipharmaca adminicula: quando pectus nimia mucida impuritas obruit, tunc conveniunt decocta e reſolventibus & moderate reprimentibus ſubjectis parata: quodſi nimia tusſis urgeat, tunc confert vel uſus oculorum cancrorum cum ſucco Citri ſimplicior, vel intra aquas Veronicæ, Scordii, Scabioſæ, Plantaginis &c: receptorum, vel Cortex Chaccarillæ tam in ſubſtantia, quam in Tinctura, vel Emulſiones remisſius Papaveraceæ, vel ſub decoctis reſolventibus & diſcutientibus addita Gelatina Cornu Cervi & Syrupi Papaveracei aut Diacodii montani: ſi vires valde deficiunt, tunc ſub quiete animi & corporis tam ex diæta, quam Pharmacia temperatiora analeptica conquirenda & offerenda

da ſunt; neque quidem opportuno tempore oblatus hauſtulus boni vini penitus diſſvadendus eſt: aſthmaticam conſtitutionem ſublevat moderatus motus corporis, uſus Emulſionum dilutiorum papaveracearum, aquæ pectorales, imprimis Veronicæ & juſtus ſucceſſus alvinæ excretionis; ſicut de reliquo præſervatoria ſangvinis ventilatio multum contribuit, quo varia ſymptomata tempeſtive intercipiantur.

§. X. Denique in Therapia Vomicæ Pulmonum ratio habenda eſt regiminis & præſervatoriæ tractationis: Regimen quod attinet, tunc circa motum & uſum pulmonum patientes admodum circumſpecti eſſe debent, ne in illo aliqualem exceſſum committant: ſeligendus etiam eſt aër temperatus, purus, neque nimium rarefactus, nocent etiam ſenſibiles pulmonum refrigerationes, animus quieti & temperantiæ indulgeat, valde enim nocent animi pathemata: motus corporis moderatus non parum utilitatis Vomicæ Pulmonum affert; diæta ſit temperata, evpepta & diluta, omnia enim craſſa alimenta & potulenta noxia ſunt: excretiones ordinariæ in juſto ordine conſerventur, vires præſentes non arduis aut nimiis laboribus defatigentur: Præſervatorie præſtat advertere urgentem & præſentem ſtatum plethoricum, eundemque moderata Venæ Sectione imminuere, deinde conducunt leniores abſterſiones ex ipſis etiam pulmonibus perpetrandæ, una cum reliquarum conſvetarum evacuationum vel juſta revocatione, vel neceſſaria promotione.

CAPUT XLIV.

DE

TOPHIS PULMONUM.

§. I.

Quanquam hic affectus non admodum manifeſtus ſit, ſed utplurimum demum poſt mortem ſubjectorum obſervetur, ita ut occaſio pro offerenda neceſſaria ope evileſcere videatur, brevibus tamen perſpiciemus, quid Medicus in hac afflictione agere poſſit: quando itaque contingit, ut adhuc in ſubjectis vivis & mediocriter ſanis ejusmodi exiliores ſcirrhuli e pulmonibus egerantur, tunc quidem numeroſiorem præſentiam talium tophorum certius præſumere licet; interea non ſtatim ejusmodi affectum neque valde

peri-

periculoſum, neque admodum urgentem directe aggredi licet; illud interim dijudicare convenit, quomodo tales Tophi partim ex præcedentibus copioſioribus affluxibus aut actualibus congeſtionibus intra pulmones oriantur, partim quomodo cum illorum præſentia adhuc ejusmodi congeſtiones continuent, quæ qualitercunque offenſæ in deteriorem ſtatum ruunt & ad majores Scirrhos aut plenariam pulmonum corruptionem conſequentem diſponere ſolent, qualem futuram afflictionem itaque Medicus omni modo præoccupare debet.

§. II. In cura horum Tophorum abſtinendum eſt 1) a nimis ſolenni & ſpecioſa methodo medendi, nimis rigoroſe huic affectui dicata 2) a nimis præcipitata horum Tophorum profligatione; cum rectius ſucceſſiva & lenis medicatio præferenda ſit 3) a copioſo expectorantium vulgarium uſu 4) a nimia emollitione pectoris 5) a remediis quibusvis calidioribus & concentratioribus 6) a vulgari balſamicorum exoticorum ordinatione 7) a volatilium remediorum curatoria oblatione 8) a ſulphuratorum ſive ſimplicium, ſive oleoſorum indifferenti commendatione 9) a ſtatus Plethorici & reſpectuum hæmorrhagicorum negligentiori conciliatione & improvida tractatione 10) ab experimentis vulgaribus antiphthiſicis & antihecticis 11) a remediis adſtringentibus & denique 12) ab ordinariarum excretionum perturbatione.

§. III. In poſitiva cura Tophorum pulmonalium hi reſpectus & proceſſus practici erunt inſtituendi: ante omnia inquirere convenit, an in ſubjecto ſangvinis abundantia & eluctatoria commotio cum leniori tali pulmonum afflictione conjuncta ſit, in quo paſſu præſtat præſervatorias ſangvinis imminutiones per Venæ Sectionem in pede adminiſtrare; deinde etiam convenit ulteriorem affluxum ſangvinis a pectore avertere, eapropter conducunt repetitæ laxationes per remedia correcta & refracta aloëtica, quid quod inſuper in reliquo vita genere illæ cauſæ & occaſiones evitandæ ſunt, quæ congeſtiones ad pectus provocant, imprimis immoderatæ commotiones pectoris & pulmonum per intenſiores ſermocinationes, clamores & inſtrumentorum muſicalium exercitationes, ad quas pectoris motus præcipue requiritur, nec non aeris incommodi & valde mutati ingeſtiones evitandæ ſunt.

§. IV. Deinde pro ipſo pectore leniter abſtergendo interdum conveniunt pulveres abſorbentes Nitrati & digeſtivi; præcipue proficit uſus oculorum Cancrorum cum Succo Citri, nec non utilis eſt aqua illa pectoralis Stahliana per intervalla interdum aſſumenda, aut nonnunquam conveniunt decocta paranda ex radice Cichorei, Scorzoneræ, Apii, Bardanæ, Taraxaci, Herbis Veronicæ, Scordii, Chæreſolii, Scabioſæ: Floribus Sambuci &c: addi-

additis ſpeciebus mucilaginoſis, gelatinoſis, uti leniora expectorantia: Elæoſacchara temperatiora interdum aſſumenda ſunt: interponantur aliquando Eſſentiæ pectorales, ut Ari, Helenii, Pimpinellæ albæ, Succini, quid quod poſt ſingulorum præmiſſum uſum denique interponatur modica oblatio Mixturæ ex Tinctura Antimonii tartariſata, Spiritu Cornu Cervi & Eſſentia Succini paratæ: quæ ſingula adminicula non nimis frequenter aut conſtanter, aut rigoroſe ordinanda ſunt.

CAPUT XLV.

DE

PULMONUM CONCRETIONE CUM PLEURA.

§. I.

QUanquam hic affectus quoad futuros ſuos ſucceſſus, effectus & eventus ſatis ominoſus ſit, imo quanquam non infrequenter aliis arduis pectoris affectibus complicetur & præcedentes primarias afflictiones magis exacerbet, aut etiam, ſi idiopathicam indolem continet, alios graves pectoris affectus in futurum cauſetur, propterea que omni modo tempeſtivam medicam opem mereatur, tamen duplex notatu perquam digna difficultas eundem premit, primo, quod in ſubjectis vivis ex nullis certis & indubiis ſignis facile poſſit vere agnoſci & prædici; deinde quod, licet illius præſentia certo conſtet, tamen ad illius curam longe minimum artifex contribuere poſſit, ſiquidem ſatis ſæpe intenſior manualis applicatio ad hujus concretionis divulſionem requiritur, ut adeo tam propter ipſius affectus intimiorem occluſionem, quam propter remediorum debiliorem operationem vix ex artis poteſtate aliqualis certa medela promitti poſſit: ne vero hanc afflictionem penitus prætereamus, ad minimum indicabimus, quid artifex in eadem ſuſcipere poſſit, quo aliquale commodum eidem afferat.

§. II. Quo magis intricatus & occluſus hic ſtatus, eo magis cura prudenter eſt gerenda, ne artifex ad deteriores conſecutiones anſam præbeat, cavendum itaque eſt 1) a directa & nimis præcipitata Therapia hujus affectus 2) ab omnibus evacuationibus fortioribus & craſſioribus 3) a ſtatus plethorici

perverſa æſtimatione 4) a congeſtionum ſangvinearum, pectus offendentium, provocatione, aut exacerbatione 5) a negligentiori ordinariarum evacuationum promotione 6) a concurrentium aliorum pectoris morborum offenſione & irritatione 7) a remediis quibusvis calefacientibus & motus impellentibus 8) a narcoticorum incauta ordinatione 9) a nimio emollientium uſu 10) ab expectorantium indiſcreto uſu 11) a remediis adſtringentibus tum generalioribus, tum præcipue pectus affligentibus & 12) a nuda præſentis concretionis profligatione & concurrentium circumſtantiarum negligenti tractatione & mitigatione.

§. III. Quam difficilis præſentis afflictionis eſt dignotio, tam difficilis etiam eſt illius curatio & ſi artifici certiora ſigna de præſentia hujus concretionis Pulmonum cum Pleura conſtent, tamen in ipſa Therapia dirigenda abſtinere debet a præſentis Therapiæ nimis accelerata exercitatione & complicatorum affectuum incurioſa tractatione: ante omnia itaque præſtat circumſpicere, quinam alii affectus concurrant? quo vel illis idonea medela offerri poſſit, aut ne iidem per hanc curationem exacerbentur, quæ concretioni pulmonum cum pleura deſtinata eſt: in genere præſtat circumſpicere, an ſangvinis ubertas & particularis commotio non eximie urgeat, quæ alias cum tempeſtiva evacuatione artificiali ventilanda & temperanda erit; deinde eo Medicus invigilare debet, quo reliquæ ordinariæ evacuationes juſto ſucceſſu gaudeant, quidquod præſtiterit repetita modeſta laxatione futuros affluxus a pectore avertere & ſubinde etiam ſingulas cauſas & occaſiones evitare, quotquot motum humorum in pectore & liberam hujus functionem turbant, ne qualitercunque hæc afflictio augeatur, ſed privativa etiam methodo & leniori ſucceſſu imminuatur.

§. IV. Proinde quando talis afflictio juſte præſumitur, tunc cum utilitate per intervalla moderatiores abſterſiones pectoris ſuſcipiendæ ſunt, ita ut efficaces quidem diſcuſſiones & conjunctæ expectorationes provocentur, ne ex ulteriori pectoris oppreſſione pro continuata firmiori concretione talis cauſa ſubminiſtretur; unde conveniunt Eſſentiæ expectorantes per intervalla exhibendæ, imprimis Ari, Helenii, Pimpinellæ albæ & Succini; huc etiam conferunt decocta ex herbis pectoralibus reſolventibus parata, aut temperatus uſus mellitorum: nimia emollitio vero & pingvium atque oleoſorum ingeſtio non ſatis efficax eſt, licet interdum modicus uſus Spermatis Ceti cum oleo olivarum & Saccharo Cando temperati, lenitionem & expectorationem commode adjuvet: proinde & per intervalla convenit uſus Spiritus ſalis ammoniaci cum Eſſentia Succini & Tinctura antimonii commixti; quid quod mobile vitæ genus non parum utilitatis ad temperandam hanc afflictionem afferre poterit; externa ſive emollientia ſive diſcutientia nihil efficient;

unde

unde tantum per horum adminiculorum ordinationem præcavere convenit, ne ulterior quædam calamitas accidat & malum eo ipſo increbeſcat; alias ſi in tali afflictione fortiores commotiones ſuſcipiuntur, non modo certius ſed & citius præſens calamitas deteriorabitur.

CAPUT XLVI.

DE
POLYPO CORDIS.

§. I.

AD illos affectus in quibus ars medica parum valet & poſitivi auxilii parum affere poteſt, etiam præſens merito referri debet, qui uti non admodum infrequens exiſtit, tamen communiter in ejusmodi caſu deprehenditur, in quo utplurimum parum ſpei amplius ſupereſt, ita, ut hic affectus communiter obſervetur aliorum ſonticorum morborum periculoſum accidens eſſe: & quamvis in eodem morbo characteres admodum æquivoci & obſcuri ſint, ita etiam cura, quæ proxime ad talem Polypum occluſum dirigitur, nihil poſitivi emolumenti promittit, quin rectius ſtatus hujus affectus ita comparatus eſt, ut ab aliorum remediorum uſu longe facilius exaſperari, quam mitigari poſſit: & mihi certe videtur illud in hoc caſu etiam aliquod auxilium eſſe, ſi artifex loco ſperatæ & promiſſæ mitigationis faciem morbi non magis corrumpit, quare rectius in hujus neceſſitatis cura leniſſima methodus præferenda erit; ſicut viciſſim hiſtoriæ teſtantur, quomodo repentinæ & audaces hujus morbi aggresſiones ad repentinam etiam mortem contribuerint; hinc potius illæ occaſiones præſcindendæ erunt, quotquot unquam hunc intricatum affectum augere & exacerbare poſſunt: imprimis illas ſolennes cauſas rite tractare conveniet, de quibus conſtat, quod ad hunc affectum contribuerint, inter quas hoc loco numerandæ ſunt repentinæ Hæmorrhagiarum, imprimis Hæmoptyſeos & Hæmorrhoidum ſuppresſiones, aut affectuum aſthmaticorum turbatæ curationes; quales operationes ad futuras graves pectoris oppresſiones, anguſtationes & tales confuſas concretiones diſponunt.

§. II. In quocunque affectu artifex nullam poſitivam medelam ferre poteſt, in eodem tantum abſtineat, ne per ullum cœcum tentamen noxam aliquam inferat, id quod etiam in præſenti caſu valet, in cujus therapevtica tractatione imprimis abſtinendum eſt 1) a craſſis, crudis & immoderatis eva-

cua-

cuationibus 2) ab incurioſa ſtatus plethorici dijudicatione 3) a confuſis miſ-ſionibus ſangvinis 4) a prægreſſarum ſalutarium Hæmorrhagiarum ulteriori ſuppresſione & confuſione 5) ab aliarum ordinariarum evacuationum perturbatione aut inconvenienti promotione 6) a remediis calefacientibus & concentratis 7) imprimis a volatilium curatorio uſu 8 a remediis ſuſpecte narcoticis 9) præcipue etiam a poſitive adſtringentibus 10) ab adminiculis ſangvinis quantitatem augentibus 11) a quibuscunque tentaminibus motum ſangvinis magis pervertentibus & 12) a variabili & multiplicata remediorum & experimentorum oblatione.

§. III. Quanquam in ſpeciali Therapia non directus & poſitivus acceſſus pateat, quo tale præter naturale concrementum auferatur, tamen propterea miſer patiens non omni ope deſtitui debet: quicquid vero fieri poteſt, in hiſce præcipuis reſpectibus conſiſtit 1) ne ſangvis quantitate abundet & turgeat, adeoque motum cordis & reliqvum progreſſum magis turbet, 2) ne in qualitate aliquod vitium ingruat, imprimis vero ſpisſitudo ſangvinis, ex qua progreſſus ſangvinis eo magis alteratur 3) ne vires neceſſariæ deſint: Quod itaque primum attinet, tunc antea proſpiciendum eſt, quo ordinariæ evacuationes juſta libertate gaudeant; deinde confert juſtis temporibus artificiali concurſu ſangvinis plenitudinem per Venæ Sectionem in pede, aut in adſvetis ſubjectis in brachio, ſubtrahere: porro etiam proficit, quo amiſſæ ſpontaneæ Hæmorrhagiæ ſalutares convenienti methodo & tempeſtive quidem reſtituantur, ubi in hæmorrhoidariis ſubjectis hirudinum applicatio ad loca hæmorrhoidalia non inutilis exiſtit; præterea ſub conciliatione congruæ diætæ invigilandum eſt, ne ſangvinis copia valde augeatur, ſed quo conſtanter in moderata quantitate & proportione conſiſtat.

§. IV. Præterea opera danda eſt, quo ſangvis in juſta mobilitate conſervetur & pro hac impetranda & continuanda convenit diæta dilutior, potus ſufficiens, temperatior, uſus decoctorum domeſticorum, juſcula gelatinoſa, non valde pingvia & ſi ſubjecta adhuc robuſtiora & activiora fuerint, non inutilis eſt uſus fontium medicorum, ſive aquarum ſubterranearum temperatiorum: interdum ejusmodi ſubjectis exhibenda ſunt remedia nitrata, quæ contrarias commotiones temperare debent; ut & per intervalla ordinanda ſunt ſalina abſterſiva & antiſcorbutica amara in mitiori quantitate; multum etiam confert modeſtus motus corporis, ab omni repentina defatigatione liber, quoniam ex hac metus ſuffocationis imminet: præſervatoriis uſibus relinquendus eſt uſus Mixturæ roborantis, nobis uſitatæ; de reliquo interponenda ſunt auxilia viribus reficiendis apta, ſed diætetica magis, quam pharmacevtica, quemadmodum neque vini boni moderatus uſus penitus interdi-

cen-

cendus eſt, licet cum ſingulis talibus ſubjectis, viribus dicatis, temperies & continentia ſervanda ſit, ne ſuſpectas & noxias commotiones ſangvinis orgaſticas cauſentur.

CAPUT XLVII.

De

PALPITATIONE CORDIS.

§. I.

INſolitus, nimius aut auctus & ſic dictus morbidus hic Cordis motus in medicina practica haud infrequens eſt, ſiquidem variis aliis afflictionibus ſeſe aſſociat, quas propterea artifex noſſe & curatius indagare debet, quo illas cauſas rite tractare & removere poſſit, quæ hunc affectum invitare ſolent, alias quidem hic auctior motus non ſimpliciter pernicioſus eſt, quoniam utplurimum alicujus cauſæ inimicæ & præjudicioſæ emendationem vel remotionem pro ſuo ſcopo habet; quapropter etiam alienus & pernicioſus labor erit hunc motum ita temere ſupprimere velle, unde illæ cauſæ in poſſesſione ſua & manent & confirmantur: facile vero tum ratio, tum experientia produnt, quomodo mediante motu cordis auctiori ſangvinis maſſa ob validiorem impulſum magis attenuari queat & quomodo adverſum objectum, vel in corde, vel hujus confiniis obvium, cum eodem motu natura proſequatur; ſiquidem illa circumſtantia præcipuam animadverſionem & attentionem meretur, quando prægreſſæ ſalutares ſangvinis imminutiones ſive ſpontaneæ, ſive artificiales, tali auctiori cordis motu urgentur; uti mediante illo natura præſentem defectum ſupplere contendit; ita, ut hac ratione per ipſius experientiæ conſenſum hæc cordis palpitatio interdum molimen hæmorrhagicum conſtituat.

§. II. Quanquam in hoc caſu variæ cauſæ occurrant, tamen in genere in præſentis affectus cura cavendum eſt 1) a craſſis & immoderatis evacuationibus, maxime tamen anotericis 2) a ſtatus plethorici negligenti conciliatione & tractatione 3) ab Hæmorrhagiarum præcedentium minus congrua directione 4) a ſanguinis, in mobilitate ſua alterati, minus convenienti emendatione 5) ab evacuationum ordinariarum perturbatione, aut perverſa promotione 6) a remediis valde calefacientibus 7) a reſolventium communi ordinatione 8.) a præmatura oblatione ſedativorum medicamentorum 9) ab uſu ad-

ſtringentium 10) a curatorio uſu ſalium volatilium 11) a communi ordinatione cordialium acriorum nervinorum & Spiritibus dicatorum medicamentorum 12) a confuſo regimine & præſervatorio medendi modo.

§. III. Secundum diverſitatem cauſarum, ad hunc affectum diſponentium, diverſa nunc medicatio erit adornanda; quando itaque ex ſuppreſſis ſalutaribus Hæmorrhagiis præſens affectus ortum traxit, tunc vix ſecurior atque certior methodus valet, quam ut eædem Hæmorrhagiæ tempeſtive reſtituantur, quæ methodus vero magis cum lenitate, quam cum intemperantia quadam exercenda erit; quemadmodum in hoc paſſu etiam præſervatoriæ ſangvinis misſiones, aut interdum hirudinum applicationes ad loca hæmorrhoidalia in ſubjectis hæmorrhoidariis conducunt: non minus conveniunt apta exercitia corporis & motuum exercitationes, ut & pediluvia, frictiones & balnea; quæ poſteriora cum tanto moderamine uſurpanda, ne ſuſpectas exæſtuationes & humorum commotiones invitent: proinde ſemper invigilandum eſt, quo reliquæ ordinariæ evacuationes rite continuent, imprimis etiam alvus in legitimo ſucceſſu conſervanda eſt, quo magis diætetica, quam pharmacevtica adminicula conveniunt, licet quidem interdum lenes laxationes cum aloëticis correctis remediis inſtitutæ in hac afflictione quadrent; alioquin etiam proſpiciendum eſt, quo flatulentiæ incommodæ præoccupentur, aut educantur, ſicuti in hypochondriacis & hyſtericis ſubjectis uſus clyſterum lenientium & moderate roborantium cum ſubjunctis temperatis carminativis remediis perquam convenit.

§. IV. Præterea etiam non infrequens eſt, quomodo ob nimiam ſangvinis ſpisſitudinem & conjunctum affectum hypochondriacum talis palpitatio cordis ingruat, ad cujus medicationem eadem auxilia conducunt, quæ ad ſpisſitudinem ſangvinis curandam quadrant; præcipue confert præmittenda ſufficiens Venæ Sectio, deinde conducit ſufficiens potus & motus corporis, neque penitus in tali paſſu acidularum & thermarum uſus reprobandus eſt, uti balnea domeſtica cum moderamine uſurpata proficiunt; proſunt maxime peregrinationes, quibus interdum ſubjungi poſſunt remedia reſolventia, attenuantia, antiſcorbutica, præcipue in liquida formula exhibenda; neque frequentiores ſangvinis ventilationes noxiæ ſunt, ſed magis utiles; ſub horum uſu tamen abſtinendum eſt a famoſo illo medicamento antiſcorbutico dicto nimirum Marte, cui fruſtra virtus aperitiva imputatur; & hæc ipſa auxilia fundamenti loco ſunt præmittenda, quando deinde reliqua, motum cordis temperantia, ſubjungi debent.

§. V. Ad ipſam Palpitationem hanc mitigandam non quidem illo tempore, quando affectus adeſt, remedia locum inveniunt; unde rectius præoccu-

occupari debet ejuſmodi motus, quod triplici remediorum genere fieri poteſt; vel per remedia temperantia, vel per ſedantia, vel per mitiora roborantia: conveniunt propterea pulveres Nitrati &, ſi orgasmus ſangvinis concurrit, Coralliati, alioquin etiam Cinnabarini; porro proſunt temperatiora ſedativa, ut Maſſa pilularum de Cynogloſſa, Papaveracea, Emulſiones dilutiores papaveraceæ; denique etiam e roborantium numero conducunt Gemmæ quædam præparatæ, ut: Jaſpis, Smaragdus, Hyacinthus; ſiquidem Mixturæ ex aquis analepticis, Coralliis rubris præparatis, Gemmis ejusmodi præparatis, Syrupo Papaveris Rhæados, aut Diacodio montano paratæ, proſunt: & quando principaliores cauſæ non valde urgent, ſed plurimum, ſublatæ ſunt, tunc convenit Mixtura ex Tinctura Antimonii tartariſata & Spiritu Cornu Cervi parata: de reliquo etiam proſpiciendum eſt, an alii affectus, ut vitia pulmonum, Polypus cordis etc: ad palpitationem cordis anſam præbeant, ubi illa cura concilianda eſt, quæ de hisce affectibus jam ſuppeditata proſtat: plus interim pro Therapia Palpitationis cordis præſervatoria methodus, quam curatoria medicatio ſatisfacit, ſicut ſucceſſive magis cauſæ adhunc affectum diſponentes, ſubjugandæ & removendæ ſunt.

CAPUT XLVIII.

DE RHEUMATISMO.

§. I.

Quanquam præſens affectus non æque frequentius in ſchola medica tractetur, neque etiam paſſim ſufficienter quoad indolem ſuam intelligatur, tamen illius invaſio atque occurſio in hiſtoria practica vix infrequens eſſe obſervatur, ut propterea eo magis neceſſe ſit, in hujus affectus verum genium curatius inquirere, quo deinde appoſite & convenienter medica arte tractari poſſit: alias quidem non latet, quomodo præſens affectus cum catarrhalibus ſimplicioribus morbis confundatur, licet attentiores practici ex parte etiam comprehendant, quomodo ipſe affectus gravior, quam nudus Catarrhus, exiſtat, ut propterea in diſquiſitione ætiologica haud ſufficiat materiam pituitoſam & Catarrhalem accuſare & per communia anticatarrhalia contra hunc affectum pugnare; ſiquidem ipſa attenta experientia abunde comprobat,

quam parum Rhevmatiſmi indoles huic methodo obtemperet, quin rectius ex eadem ſenſibilia irritamenta aſſumat.

§. II. Quod propriam Rhevmatiſmi indolem attinet, tunc ex hiſtoria medica probe notandum eſt, quomodo hic morbus omnino moliminibus hæmorrhagicis accenſeri mereatur & partim per congeſtiones, partim per ſubtiles ſpaſticas tractiones, partim etiam per ſubtiles materiarum ſeroſarum acrium orgaſticarum ſecesſiones abſolvatur, inſuperque per ejusmodi cauſas & occaſiones invitetur atque irritetur, quæ alia ſimpliciora magisque manifeſta molimina hæmorrhagica provocare poſſunt; unde Rhevmatismus ſingularem affinitatem habet cum Plethora, imprimis variis commotionibus & impulſibus ſubjecta; ſicut vicisſim Hæmorrhagiarum vel ſpontanearum, vel artificialium intermisſiones & ceſſationes ſatis evidenter ad talem affectum contribuunt: & quanquam ipſe aliqualem analogiam cum morbis ſeroſis habere videatur, tamen propterea principalis collimatio ad ſangvinis emotionem directa, denegari non poteſt; hinc etiam præſens affectus ſenſibilitate & mobilitate ſua ſimplicem genium ſeroſorum affectuum valde ſuperat, adeoque nunc in febriles, nunc perfecte ſpaſticas, nunc etiam inflammatorias palindromes propendet, quas prudens artifex ex juſta hujus morbi cognitione omni cura præoccupare debet.

§. III. Quantumcunque itaque hic affectus ſubtilis & delicatus eſt, eo magis propterea præſtat in illius cura omnem prudentiam adhibere, hinc præcipue cavendum eſt 1) a tractatione & æſtimatione hujus morbi pro ſimplici frigido Catarrho 2) a negligenti conciliatione & tractatione ſtatus plethorici conjuncti 3) a quibuscunque crasſis, crudis & potentibus evacuationibus 4) a remediis calidis, acribus & concentratis 5) a negligentiori ordinariarum evacuationum ſublevatione 6) a regiminibus & medicaminibus poſitive diaphoreticis 7) a curatorio uſu Salium volatilium 8) ab ordinatione communium remediorum anticatarrhalium, quæ utplurimum acriora exiſtunt 9) a remediis tantum materiarum craſes alterantibus & imprimis famoſis edulcorantibus & ſangvinis acrimoniam corrigentibus 10) a ſimplicium narcoticorum uſu aliorumque ſelectiorum ſedativorum præmatura ordinatione 11) ab acidularum & thermarum indiſcreto uſu 12) a topicis oleoſis acribus ſulphuratis concentratis, therebinthinatis, ſuccinatis ſimilibusque 13) ab externis emollientibus, ungvinoſis relaxantibus, tenacibus & acribus emplaſticis 14) ab externis adſtringentibus, repellentibus & exſiccantibus & denique 15) a perverſo regimine & incongrua præſervatione.

§. IV. Specialior Rhevmatiſmi Cura ita inſtruenda & dirigenda eſt, ut præſervatoriis uſibus opportunæ & moderatæ ſangvinis ſubtractiones conducant,

ducant, quæ in genere quidem per Venæ Sectiones in pedibus adminiſtrandæ ſunt, ſeorſim etiam in ſubjectis adſvetis interponere licet Scarificationes & ſi ſubjecta de proſapia hæmorrhoidariorum fuerint,tunc ſubjungendæ applicationes hirudinum ad loca hæmorrhoidalia perinde utilitatem ſuam promittunt: præſtat tamen cum ejusmodi artificialibus ſangvinis miſſionibus non confuſe procedere, neque illas immodice exercere, ſed rectius ordinem congruum cum iisdem obſervare: proinde etiam convenit amiſſas prægreſſas ſpontaneas ſalutares Hæmorrhagias præſervatoriis curationibus modeſte reparare: nullibi vero & neque in curatoria neque præſervatoria methodo aliqualem violentiam & impetuoſam audaciam committere convenit, quia alias affectus facile in deteriorem ſtatum ruit.

§. V. Curatoria methodus eo eſt dirigenda, ut antea ratio habeatur alvinæ excretionis, quæ ſi ſegnior, ſiccior, impeditior, aut ſtrictior fuerit, moderate adjuvanda eſt; abſint vero ſenſibiliora ſtimulantia, aut poſitiva purgantia, quin potius conducunt laxantia, aut mitiora evacuantia imprimis Rhabarbarina, Extractum Panchymagogum Crollii, in ſubjectis humidioribus Maſſa pilularum de Succino Cratonis, nec non Salia deterſiva & ſimul laxantia: in bilioſis ſubjectis Magneſia alba & pro conſervanda hac alvi apertione conferunt Pilulæ Stahlianæ, aut pilulæ quædam correctæ aloeticæ ſecuræ; haud tamen præſtat nimis frequenter alvum provocare, ne ejusmodi artificiis natura ita adſveſcat, ut impoſterum ſponte hanc excretionem ægrius exſequatur.

§. VI. Porro conveniunt remedia, quæ motus congeſtorio - ſpaſticos leniunt, temperant, aut pro neceſſitate urgente ſedant & per internas particulares ſeceſſiones & humorum reſtrictiones diſcutiunt: e numero lenientium ſunt decocta, gelatinoſa & mucilaginoſa, aut etiam vulgaria domeſtica, quidquod ipſe moderatus lactis, non valde pingvis, uſus & ſerum lactis, aut in ſubjectis ſenſibilioribus emulſiva, non valde pingvia & ſimul modice papaveracea; e temperantium numero conducunt pulveres abſorbentes & Nitrati, ſicut in ſubjectis activioribus & calidioribus pro ſangvinis orgaſmo coërcendo Corallia rubra præparata commiſceri poſſunt; e numero ſedantium conducit Cinnabaris, Maſſa pilularum de Cynogloſſa, ſemen Papaveris, Syrupus Papaveris rhæados, variis formulis addenda; modo non cum ſedantibus præmature artifex ſuccurrat; denique reſolventia interna interdum ſubordinanda ſunt & quidem temperatiora alexipharmaca, ſine coacta diaphoreſi retinenda, quemadmodum in ſubjectis humidioribus Eſſentia Pimpinellæ albæ, Vincetoxici & Succini, aut alibi etiam Mixtura ex Tinctura antimonii tartariſata & Eſſentia Succini parata conducit: ſi denique affectus plurimum remi-

ſerit, tunc circa finem curæ Mixtura roborans ex Tinctura antimonii acri, ſpiritu Cornu Cervi & Eſſentia ſuccini parata ordinanda eſt.

§. VII. Præter hæc remedia, ad internos uſus proficua, etiam nonnulla conducunt extrinſecus ordinanda; imprimis locum non incongruum inveniunt in hoc affectu pediluvia cum moderamine repetito adhibenda: ad ipſum locum dolentem conveniunt Camphorata ſive Spiritus vini Camphoratus intra linteamina exceptus applicatus, ſive Sacculi ex radicibus Caryophyllatæ, Vincetoxici, Ireos florentinæ, herbis Roriſmarini, Menthæ, Majoranæ, Hyſſopi, Epithymi, Thymi, Betonicæ, floribus Chamomillæ, ſtoechados utriusque, Roſarum, Lavendulæ &c: parandi & cum Camphora miſcendi; quando affectus diutius duravit, tunc cum Spiritu vini Camphorato etiam Spiritus Formicarum modica aliqua quantitate conjungi poteſt: ab externo volatilium uſu omnino abſtinendum eſt, quia in partem affectam ſuſpectum ſtuporem inferunt: neque denique curatorio uſu rejicio moderatas embrocationes cum decoctis temperatis nervinis factas: præſervatorie in ſubjectis ſpongioſis thermarum temperatarum uſum non contemno, ſicut etiam omnia illa conſilia in uſum trahenda ſunt, quæ circa affectuum, ex ſangvinis abundantia provenientium, moderamen paſſim hactenus commendata proſtant.

CAPUT XLIX.

DE

PLEURITIDE VERA.

§. I.

Quamvis Pleuræ inflammatio in medicina practica noſtri climatis infrequentior ſit, tamen propterea hujus affectus practica explicatio minime obliteranda eſt, quin rectius pro meliori magisque rationabili hujus affectus cura exercenda notari debet, quod ſtagnatio, aut ſtaſis ſangvinis ſub Pleura tam ſponte contingere poſſit, quam etiam ex aliquali violentia inducta ortum ducat: prior vero conſideratio in medicina longe dignior eſt, quam poſterior, quoniam in illa præcurrentes motus congeſtorii ad ſangvinis evacuationem directi curatius obſervari debent, unde conſequens inflammatio tantum ex accidenti genitæ ſtaſi oppoſita eſt, licet initia hujus affe-

ctus

ctus longe alium ſcopum involvant, quem propterea prudens artifex in ætiologico reſpectu probe ponderare debet: viciſſim longe rarius contingit, ut violentiam pectori illatam actualis inflammatio ſequatur, uti alibi in toto corpore factas contuſiones motus inflammatorius neque facile proſequi poteſt neque ſolet.

§. II. Proinde etiam memori mente tenendum eſt, quanta vulgo inter practicos occurrat confuſio Pleuritidis veræ, cum Peripnevmonia, licet quidem interdum in uno eodemque caſu uterque affectus concurrere ſoleat; maxime attendenda eſt illa circumſtantia, quomodo partim cum Pleuritide nulla expectoratio coincidat, partim etiam moderata tuſſiculoſa commotio aliquando concurrat: proinde ſciendum eſt, quod hic affectus ſit admodum acutus & complicatus, conſtans ex inflammatione & febre; ut eo magis propterea artifex dextre procedere debeat, ne ulli horum affectuum vim & confuſionem inferat, quin rectius eo omnem operam adhibeat, quo motus præſentes cum optimo moderamine decurrant, ſiquidem utplurimum principalis effectus in hoc affectu naturæ committendus eſt, quoniam ars immediate ad affectum locum pertingere non valet, neque etiam tam credulus ſit quisque medicus, quo de famoſis reſolventibus remediis illam fidem & ſpem concipiat, quod in Pleura ſtaſin diſſolvere queant, unde rectius conveniet cum natura operari & non cum medicamentis naturam turbare.

§. III. Eo minus rationi conſonum eſt illud conamen, quando e pulmonibus quidam in hoc caſu aliqualem evacuationem urgent aut expectant, quin potius obſervationes practicæ teſtantur, quomodo Pleuritis vera etiam in Peripnevmoniam transfigurari queat, ſi artifices curam ſuam ad pulmones dirigunt & cum expectorantibus atque emollientibus remediis patientes ſuos tractant; eo minus vero ſecurum eſt in tali affectu urgentes dolores tantum lenire & principalem cauſam non aggredi; quin rectius expediet bene attendere præſentiam ſtatus plethorici & commotiones plethoræ concurſantes, ſiquidem ex ejusmodi facie & indole affectus eo periculoſiores eventus metuendi ſunt, dum urgens & commota talis plethora tempeſtivam & neceſſariam ſtaſeos diſſolutionem impedit: præterea etiam omni ſtudio & dexteritate artifex eo niti debet, quo in Pleuritide vera potius effectum principalem discuſſionis proſequatur, neque ad maturationem invitandam properet, quoniam ſubſequens Empyema variis difficultatibus practicis ſubjectum eſt.

§. IV. Quo magis acutus & periculoſus eſt affectus, eo major prudentia & dexteritas in illius cura adhibenda eſt, propterea etiam cavendum eſt 1) a confuſis & immoderatis quibusvis evacuationibus, quotquot vires & motus

motus valde afficiunt atque offendunt 2) a confuſa, aut neglecta ſangvinis ventilatione 3) ab ordinariarum excretionum perturbatione 4) a remediis calefacientibus & ſimilibus etiam regiminibus 5) viciſſim etiam a refrigerantibus tum regiminibus, tum medicaminibus 6) tanto magis ab adſtringentibus & incraſſantibus, ut & 7) a communi opiatorum uſu 8) a concurrentis motus febrilis qualicunque offenſione 9) a remediis volatilibus 10) ab expectorantium præmaturo, inopportuno, aut ſuperfluo uſu 11) a ſpecificorum aliorumque experimentorum nimis credulo nimisque confuſo uſu 12) a nimis copioſa medicamentorum diverſi effectus ordinatione 13) a topicis vel acribus & attrahentibus, vel nimium emollientibus & maturationem accelerantibus 14) a ſingulis talibus remediis quotquot anguſtationem augent & orgaſmum ſanguine inducunt & 15) ab acidorum liberali, aut promiſcua oblatione.

§. V. Specialior Pleuritidis veræ medicatio ſequentibus indicationibus abſolvitur 1) ut neceſſariæ evacuationes præmittantur, quotquot futuram curationem ſublevare poſſunt 2) ut motus inflammatorii & febriles recte tractentur, ne in ullo extremo peccent, ſed ut urgentes dolores aliaque ſymptomata affligentia debite leniantur 4) ut imprimis virium ratio habeatur 5) ut per conveniens regimen & topica auxilia ſtaſeos diſcuſſio adjuvetur & denique 6) ut cum ſpecificis remediis antipleuriticis convenienter procedatur, ne videlicet præmature, aut præpoſtere ordinentur.

§.VI. Prima indicatio agit de præparatione hujus affectus ad faciliorem curationem per promotiones neceſſariarum evacuationum: ex hisce evacuantibus primo eminet alvi libertas, quæ ſub tota cura conſervanda eſt: quodſi enim alvus deficere videatur, tunc illam præſtat intrinſecus lenire, ab extra vero per clyſteres lenientes & roborantes, aut per ſuppoſitoria provocare; deinde ſedulo profſpiciendum eſt ſanguini urgenti, ubi non raro tempeſtiva Venæ Sectio ſingularem ſuam utilitatem promittit, dum moleſtam ſanguinis quantitatem imminuit, quo reliquus inflammatorius actus eo mitius atque melius decurrat, ſiquidem tam neceſſaria & ſalutaris Venæ Sectio inflammationem non turbat; quidquod non a ratione abludit illud experimentum, quando in primis initiis pro meliori alteratione modeſtior Venæ Sectio repetitur, quod experimentum pro ulteriori uſu & approbatione commendandum eſt; ſicuti quidam in ejusmodi pectoris inflammationibus collaudant, quo patientes ſub repetitione Venæ Sectionis voluntaria & arbitraria tuſſiculoſa commotione pectus concutiant, eoque ipſo ſtaſeos diſcuſſionem adjuvent: denique etiam proſpicere convenit, quo tranſpiratio libera maneat, ne tenaciores reſtrictiones humorum & inflammationem præſentem & febrem turbent.

§. VII.

§. VII. Sed quoniam in hoc affectu & præſens inflammatio & febris ad unum eundemque ſcopum collineant, ita uterque affectus recte dirigendus eſt, ne in exceſſum aliquem delabatur, neve etiam aliunde opprimatur; eapropter conveniunt remedia temperantia, abſorbentia teneriora ſimpliciora præparata cum Nitro & Antimonio diaphoretico mixta, rectius repetitis vicibus exhibenda, quam magnis doſibus offerenda, quibus interdum, ſed extra magnum æſtum febrilem temperatiora alexipharmaca interponenda ſunt, imprimis Eſſentia Helenii, Pimpinellæ albæ, Vincetoxici Caryophyllatæ cum Eſſentia Scordii conjungendæ, de qua Tinctura bezoardica moderata tantum quantitas aſſumenda eſt, attamen ſine poſitivo & anxio regimine diaphoretico: pro eodem ſcopo conducunt Potiones ex aqvis reſolventibus ſcordii, ſcabioſæ, florum Sambuci, Cardui benedicti, Veronicæ etc parandæ, additis remediis abſorbentibus, imprimis oculis Cancrorum cum acetoſitate Citri ſaturatis: pro eodem fine proſunt Decocta e Scorzonera, Apio, Bardana, Liquiritia, herbis Veronicæ, Scordii, Chærefolii, Hordeo excorticato, Cinnamomo etc. paranda, quo pectus ſimul moderate abſtergatur, quibus temperata quantitas Syrupi expectorantis commiſceri poteſt.

§. VIII. Sed cum in hoc affectu ſymptomata quædam affligere ſoleant, ita iisdem medela aliqua ordinanda eſt; præcipue vero urget dolor interpunctorius, pro quo leniendo ſingulariter commendatur Semen Cardui Mariæ, quod vel in ſubſtantia contritum cum aqua aliqua deſtillata aſſumtum, vel in emulſione quadam non inutile eſt; ſicuti aliæ Emulſiones non valde ſaturatæ & cum ſemine Papaveris albi mixtæ pro eodem fine conferunt: non minus Cortex Chaccarillæ in hac afflictione admodum proficit, qui etiam pro minuendo nimio affluxu humorum ad pectus utilis eſt: ita etiam Decocta gelatinoſa & mucilaginoſa liquidiora pro eodem dolore conducunt: quoniam inſuper vires in hoc affectu non parum deficiunt, ita commode ejusmodi remediis temperatiora analeptica remiſceri poſſunt, imo quo magis diſcuſſio obtineatur, eo magis etiam præſtat ejusmodi remediis leniora expectorantia, modica tamen quantitate, conjungere & ne reſpiratio valde anguſta ſit, cum ſitu congruo concurrere: alvus interea conſtanter aperta eſſe debet, quia illius occluſio varia ſymptomata invitat & auget: opiata vero & acida pro ſymptomatum lenitione non ſecure in hoc caſu adhibentur.

§. IX. Dictum jam fuit de viribus, ne illæ videlicet in hoc affectu valde langueant: refici autem poſſunt vires partim cum bono regimine non nimis ſtricto, neque nimis laxo, partim cum ſufficienti potu & uſu decoctorum gelatinoſorum & mucilaginoſorum, partim cum mitigatione doloris urgentis, huc etiam priuatiue conferunt omiſſiones remediorum impellentium & valde

de evacuantium, aliasvariis formulis in præcedentibus indicationibus conjungi poſſunt aquæ analepticæ & Syrupi tales, quemadmodum Julapia ex ejusmodi aquis & Syrupis parata cum decocto Raſuræ Cornu Cervi pro eodem ſcopo conducunt, modo acida remedia evitentur: multum in ejusmodi pectoris inflammatoriis afflictionibus tum pro viribus reficiendis, tum etiam pro reliquo affectu curando conducunt decocta hactenus laudata & infuſa calida; cavendo tantum, ne cum iisdem nimium humores impellantur, unde etiam ejusmodi formulis commode Nitrum combinari poteſt.

§. X. Non parum proinde ad præſentis affectus curam contribuit regimen aptum, quod in eo conſiſtit, ne videlicet vel ab intra, vel ab extra æſtus augeatur, neque etiam reſpiratio ullo modo offendatur, unde qualiscunque quies concilianda eſt; quoniam etiam in hoc affectu externa remedia vulgo allegantur, propterea illorum etiam hoc loco mentionem injicere placet, licet eadem non adeo multum conferant: ex efficacioribus conſtat Camphora, quæ in Spiritu vini ſoluta & intra linteamina excepta ad locum dolentem repetitis vicibus apponenda eſt: Unguenta in hoc caſu omittantur, quia maturationem accelerant, neque etiam facile Emplaſtra conveniunt, ad minimum ſi pinguia & tenacia fuerint; alia vero ut de Meliloto, Diaphoreticum Mynſichti, de Spermate Ranarum & Ceti ſufficienter etiam Camphorata n n diu parti dolenti inhærere debent: poſſunt etiam aliquid levaminis afferre veſicæ ſuillæ cum aqua tepida repletæ & per vices loco dolenti apponendæ, quæ, dum cum ſua fomentatione ad moderatam relaxationem partis affectæ contribuunt, ita ſubinde diſcusſionem adjuvant, quod etiam valet de Sacculis e ſpeciebus diſcutientibus paratis & cum Spiritu vini Camphorato paululum humectatis.

§. XI. Antequam vero ab hoc affectu diſcedam brevibus ſic dictorum Specificorum antipleuriticorum mentionem injicere placet & horum quidem paſſim varia allegantur, quæ vero non ita indiſcretim ordinanda ſunt & ſi quæ etiam aliquam utilitatem afferre poſſent, tamen antea affectus bene præparari debet per remotiones offendiculorum, quotquot ſpecificorum effectum turbare poſſunt; imprimis abeſſe debet urgens plethora & alvi adſtrictio: quod vero ipſa ſpecifica attinet, tunc vulgo Dens Apri & Mandibula Lucii piſcis ad eandem laudantur, quæ licet ad promiſſa non ſatis faciant, tamen Magiſterium horum ſubjectorum cum emulſivis formulis mixtum non penitus contemnendum eſt, ſicut Borelli experimentum, quo herbam Sideritidis in balneo ad Pleuritidem laudat, ulteriori experientiæ commendandum eſt: quidquod multum emolumentum arti medicæ afferrent experimenta, quorum in A. N. C. paſſim mentio fit, circa uſum olei Lini, Raphanaceorum

Cucurbitæ &c. ſi encomiis ſuis reſponderent: quicunque vero aliis ſecuris & certis remediis communibus in hoc affectu gaudet, ille conſultius agit, ſi hæc præ incertis & inexpertis ſpecificis adhibuerit.

CAPUT L.
DE EMPYEMATE.

§. I.

QUando contingit, ut Pleuritis vera in ſuppurationis effectum tranſeat, & apoſtema intra thoracem erumpat, tunc aliud auxilium pro neceſſitate ferre convenit, quoniam pus, quod emanavit ventilari debet, ne interne ſuſpectam aliquam corruptionem induat, adeoque pulmonibus gravius malum inferat; equidem impoſſibile eſt, quo occluſo etiam thorace pus aliorſum reſorberi & per alias vias educi queat, quicquid etiam ſpeculentur Medici; hinc in Empyemate tempeſtiva etiam medela ferenda eſt, ne internus abſceſſus in deteriorem ſtatum ruat & ulcerationem induat, unde Hectici & Phthiſici affectus ſuperveniunt, qui poſthac ſalutari medicationi non obtemperant: interea cum ſub Empyemate adhuc quidam affluxus humorum ad pectus continuent, ita iisdem amovendis opera danda eſt, adeo, ut pro reliqua cura neceſſariæ vires non deficiant, ſed potius conſerventur; quanquam vero talis facies Pleuritidis in noſtris oris & regionibus rarius occurrat, tamen pro notitia medico-practica illius mentio hoc ordine injicienda erit.

§. II. In Empyematis cura ab omnibus potentibus medicamentis, experimentis & evacuantibus abſtinendum eſt, quæ vires jam valde languentes magis conſumunt, adeoque ad citiorem ſiniſtrum eventum diſponunt; unde totus affectus cum maxima lenitate, moderamine & benignitate tractandus eſt: nocent etiam omnia medicamina & regimina calefacientia humores valde commoventia & partes admodum irritantia: nocent ordinariarum & neceſſariarum evacuationum perturbationes, aut confuſæ promotiones: obſunt omnia illa tentamina, quæ pectus magis affligunt & reſpirationem impediunt; tanto magis officiunt narcotica medicamenta, quæ ſuſpectum languorem cauſantur: nocent acida, quæ ad incraſſationem humorum & tuſſiculoſam commotionem contribuunt: nocent nimia expectorantia & pectus valde emollientia: nocent illa tentamina, quæ pus effuſum ex ali-

 enis

enis locis evacuare volunt, ſive id fiat per purgationes, ſive per diureſes: nocent denique qualescunque ulteriores virium, ſucceſſive magis cadentium, oppresſiones.

§. III. Specialior medicatio Empyematis ita eſt inſtruenda & exercenda, ut interne continuentur remedia affluxum humorum mitigantia & diſcuſſionem ulteriorem promoventia, ob id proſunt pulveres temperantes, abſorbentes, nitrati, maxime vero abſorbentia cum acidis imprægnata; ſicut potiones ex ejusmodi terreis ſubjectis & aquis reſolventibus ut Veronicæ, Chærefolii, Foeniculi, Scordii, florum Sambuci &c. paratæ, nec non Emulſiones e ſimilibus aquis & amygdalis dulcibus, pineis, ſemine Cardui Mariæ & additis aquis analepticis compoſitæ, conveniunt; quo præterea pertinent illa decocta pectoralia reſolventia & moderate abſtergentia, quorum in præcedenti affectu mentio facta fuit, non minus huc quadrant Eſſentiæ reſolventes alexipharmacæ & balſamicæ ut Ari, Helenii, Pimpinellæ albæ, Vincetoxici, Caryophyllatæ, Scordii & in temperatioribus ſubjectis Succini & Saſſafras, uti extra febris acerbiorem decurſum modica commixtio Eſſentiæ Myrrhæ utilitatem aliquam affert: præterea præſtat excretionem alvinam in congruo ordine ſeruare & tam per alexipharmaca, quam per diætetica viribus magis magisque deficientibus ſuccurrere.

§. IV. Propius ad Empyematis poſitivam & ſpecialiorem curationem illud auxilium requiritur, quo pus e thorace ducatur, id quod non alio auxilio fieri poteſt, niſi per Paracentheſin Thoracis actualis apertio adminiſtretur, ut deinde per Cannulam injectam pus fluidum ſub congruo ſitu patientis emanare queat; proinde tam pro puris ſpisſioris dilutione, quam pro interni abſceſſus abſterſione cum Syringa intra pectus modica quantitas decocti balſamici ad uncias tres, quatuor, quinque, pro capacitate thoracis injicienda eſt, qualia decocta confici poſſunt e radicibus Ariſtolochiæ rotundæ, Gentianæ rubræ, Pimpinellæ albæ (parca tamen quantitate, ne decoctum acrius fiat) Ireos florentinæ, Sigilli Salomonis, Liquiritiæ, Altheæ, Herbis Veronicæ, Scordii, Salviæ, Rorismarini, Agrimoniæ, Alchymillæ, Chærefolii, Saniculæ, floribus Chamomillæ, Roſarum rubrarum addito tantillo Mellis, vitello ovi, pauxillo Therebinthinæ & exigua Myrrhæ quantitate, quale decoctum vel cum aqua, vel cum lacte, vel etiam cum vino hiſpanico parari poteſt & talis injectio vel ſemel, vel bis intra nyctimeronem applicanda & removenda erit, cum qua internus abſceſſus purulentus abſtergi, mundificari & ad conſolidationem futuram promoveri poteſt: ab extra continuari poteſt applicatio Spiritus vini Camphorati cum Eſſentia Croci mixti, aut ſacculorum & cataplasmatum

vino-

vinoſorum nervinorum & diſcutientium, ne aliqua ſuſpecta ſtagnatio remaneat, ſed ab omni latere præſens eximia afflictio curetur.

CAPUT LI.

DE PERIPNEVMONIA.

§. I.

INterdum inflammatio ipſum pulmonum corpus aggreditur, quæ Peripnevmoniæ nomine venit & in noſtris regionibus frequentior eſt quam Pleuritis, licet perinde periculo ſuo non careat, ſed cum gravi quadam febre conjuncta acutum affectum conſtituat: tanto magis vero hæc inflammatio ominoſa eſt, quo difficilius motus inflammatorii ad ſalutarem finem perduci poſſunt, quia in pulmonibus ille neceſſarius tonus deficit, qui ad inflammationem rite adminiſtrandam requiritur; unde laborioſa & anxia illa pectoris commotio, ſub hoc affectu concurſans, præſentis difficilioris inflammationis diſcuſſorium effectum adjuvare ſolet, proptereaque in ea afflictione artifex ſupplere debet id, quod forte in naturæ poteſtate non eſt: quid quod ſubinde ratio habenda eſt præcedentis & præſentis plethoræ & commotionis ſangvinis congeſtoriæ, quæ aliquando hujus affectus cauſa evadit, imo inſuper obſervare convenit illam circumſtantiam, quomodo ſub continuatione arctioris ſtricturæ pectoris præſens ſtaſis eo magis incarceretur, quapropter hæc repagula præcludere convenit, quo ſub libero ſangvinis motu etiam reliqua diſcusſio facilius ſuccedat & tum abundantia ſangvinis hunc affectum admodum exacerbare ſolet, ita proſpiciendum eſt, an & quando illa plethora in hoc morbo imminuenda ſit.

§. II. Privativa Therapia præſentis affectus abſolute convenit cum cautelis practicis in Pleuritidis explicatione traditis; unde potius proxime ad poſitivam curam Peripnevmoniæ progredior, quæ ipſa cum Pleuritidis medicatione ſatis exacte coincidit: per initia itaque curæ ſuſcipiendæ utplurimum tempeſtiva ſangvinis ventilatio conducit, quæ nimiam anguſtiam in majori gradu, quam in Pleuritide occurrere ſolet, metuendam, tempeſtive mitigat & ad mitiorem inflammationis decurſum diſponit, licet etiam in quibusdam ſubjectis hæc ſangvinis remisſio, adeo abſolute neceſſaria non ſit; ſi vero illa ordinatur, tunc in brachio adminiſtranda erit, quo citiorem alterationem poſt ſe

 tra-

trahat, imo poterit circa hujus Venæ Sectionis uſum illud experimentum in uberiorem experientiam trahi: cujus in Pleuritidis explicatione quoad V. Snis uſum mentio facta fuit: præterea etiam attente providendum eſt, quo ordinariæ excretiones, præcipue quidem alvinæ liberæ ſint, quibus in caſu neceſſitatis adjuvandis leniora adminicula ordinanda ſunt, quo interne lenientia, abſtergentia, ab extra vero clyſmata conducunt.

§. III. Deinde conducunt remedia motus inflammatorios & febriles mitigantia, quadrant huc pulveres nitroſi repetitis etiam vicibus exhibendi, maxime vero pectoris afflictæ conſtitutioni conveniunt abſorbentia cum acidis ſaturata: acriora alexipharmaca non æque neceſſaria ſunt, niſi leniora discutientia interna, parca tamen doſi neque nimis frequenter ordinentur: multam utilitatem habent decocta & infuſa reſolventia & modeſte lenientia, qualia in Pleuritidis cura allegata conſtant, quippe quæ ad pectus pertingunt, unde iisdem temperata quantitate mitiora expectorantia combinari poſſunt: pro eodem ſcopo conveniunt Emulſiones dilutiores ex aquis diapnoicis & pectoralibus, nec non nucleis pingvibus & Semine Cardui Mariæ paratæ: proficit perinde potio ex aquis reſolventibus, diaphoreticis, analepticis, ſyrupis roborantibus modeſte abſtergentibus & expectorantibus compoſita, aut potiuncula ex ejusmodi aquis & oculis Cancrorum cum ſucco Citri ſaturatis, Coralliis rubris præparatis, antimonio diaphoretico & magiſteriis ſubſtantiarum terrearum e regno animali petitarum facta: cum multo fructu nocturnis imprimis temporibus interponuntur ſecuriora ſedativa, præcipue Cortex Chaccarillæ, Emulſiones papaveraceæ, Diaſcordium Fracaſtorii, quemadmodum prædictis decoctis veſpertinis horis aliquid de Syrupo Papaveris rhæados addi poteſt.

§. IV. Præter hæc auxilia imprimis etiam bonum regimen convenit, ne videlicet æſtus augeatur, unde juſtis temporibus modeſtæ diaphoreſes facilitandæ ſunt: ab extra nulla conſtant auxilia, quæ fide digna ſunt; ungventa enim, etiamſi Camphorata fuerint, ominoſiores decubitus humorum ad pectus cauſantur, niſi modeſtus calor in pectore conſervandus tantum conferat, quo ſtrictura incommoda & ſuſpecta in externo pectore præoccupetur, unde etiam pro eodem ſcopo modeſtæ frictiones pectoris aut applicationes veſicarum cum aqua calida repletarum quadrant: quando vero Peripnevmonia in Apoſtema degenerare videtur, tunc prædicta temperantia & discutientia ſunt continuanda; ſubinde pectoralia abſtergentia & modeſte expectorantia paulo frequentius adhiberi poſſunt: de reliquo alvus ſub tota cura aperta manere debet: rubefacientia remedia haud certum & deſideratum effectum promittunt: Virium denique ſub tota cura habenda erit ratio, ne ſub gravi tali affectu patiens decumbat & pereat.

CAPUT

CAPUT LII.

DE

ASTHMATE HUMIDO.

§. I.

INter alias pectoris afflictiones ſane eximiæ moleſtiæ & intricatæ indolis eſt *Aſthma*, quod variis ſpeciebus ſeſe diſtingvit ſecundum differentias ætatum, temperamentorum, ſexus, aliasque circumſtancias: inter hæc Aſthmata Chronicam præcipue indolem aſſumit *Humoroſum*, quod ſatis diu ſatisque contumaciter ſubjecta detinet, ſiquidem non modo mucidam ſeceſſionem intra pulmones contingentem involvit, ſed & una præternaturalem pulmonum laxitatem complectitur, ob quam eo magis decubitus ille mucilaginoſus intra pulmones continuare poteſt atque ſolet & exinde totum malum augetur & confirmatur: tanto deterioris vero conditionis hic affectus eſt, quando e præcedentibus aliis imprimis pectoris morbis ortum traxit, ſicuti e tuſſi humida depravata tale aſthma humoroſum denique provenire conſpicitur, neque inauditum eſt, quomodo in ſubjectis humidioribus e corruptis & male tractatis congeſtionibus ſangvinis pectoralibus denique ejusmodi pertinax morbus oriatur, ſicut ipſa experientia medica utplurimum teſtatur, quod tale Aſthma raro ſponte, uſitatius vero ex alio corrupto affectu propullulet.

§. II. Multo minus oblivioni tradenda eſt illa notatu perquam digna circumſtantia, quomodo ex Hæmorrhagiis quibusdam prægreſſis, aut moliminibus hæmorrhagicis ſpontaneis denique tale Aſthma in ſubjectis humidioribus ortum trahere ſoleat, ſicut perinde ex obſervatione medica fluit, quod humidioris temperamenti ſubjecta huic affluxui magis obnoxia exiſtant: & cum in hoc Aſthmate humido communiter defectus ſufficientis motus in pulmonibus occurſet, ita ex hiſtoria practica advertere licet, quomodo ſubjecta ad motuum amiſſiones vel propter rationem temperamenti, vel propter conditionem ætatis proniora etiam ad præſentem affectum ſubeundum magis diſpoſita ſint, quippe qui reſpectus non parum ad fundamentalem hujus affectus curationem contribuunt, quo principalioribus cauſis eo magis artifex ſatisfacere queat; nam quamdiu tales motus langvent & deficiunt, tamdiu pulmones patent copioſiori & pertinaciori influxui & ſeceſſioni humorum.

§. III.

§. III. Eo magis ratio habenda eſt concurrentis & continuantis poſitivæ congeſtionis ſangvinis ad pectus, mediante qua hoc Aſthma & exacerbatur & confirmatur; unde fruſtraneæ erunt præmaturæ expectorationes & roborationes pectoris, niſi ſimul hæ contumaces congeſtiones mitigentur: proinde cum ſingulari attentione dijudicandus eſt concurſus negotii hæmorrhagici vel prægreſſi, vel adhuc inſiſtentis; ſicut in eo hiſtoria practica ingenuum teſtem ſubminiſtrat, quam facile & quam ſæpe ex Hæmorrhagiis valde turbatis, vel ſuppreſſis & conſecutionibus morboſis ſiniſtre tractatis aſthmatica afflictio occupaverit, ut eapropter e primaria neceſſitate ſit, ad illum fontem recurrere & retroſpicere, e quo originaliter *tale* aſthma etiam humoroſum promanavit: nam ſi *talis* affectus non e ſundamento tollitur, tunc reliqua medicatio utplurimum palliativa eſſe deprehenditur.

§. IV. Quo magis pertinax & implicatus hic eſt affectus, eo magis provide in illius cura procedere convenit, unde cavendum eſt 1) ab omni violenta & ſimultanea evacuatione 2) maxime a promiſcuo uſu vomitoriorum 3) a perturbatione & negligentiori promotione ordinariarum & neceſſariarum evacuationum 4) a nimis liberali uſu expectorantium 5) ab emollientium remediorum vulgari ordinatione 6) a pectoralibus traumaticis remediis & præcipue a præmatura illorum oblatione 7) a volatilium medicamentorum copioſa & interdum etiam feſtinata exhibitione 8) a remediorum adſtringentium communi ordinatione 9) a vulgatis opiatis remediis 10) a concentratis oleoſis, valde acribus & Balſamicis medicamentis 11) ab incauta præſentis & concurrentis plethoræ æſtimatione & tractatione 12) a nimis copioſa inconſtanti & variabili medicamentorum ordinatione 13) concurrentium motuum congeſtoriorum majori exacerbatione & provocatione 14) ab incraſſantium & abſorbentium copioſo uſu, denique 15) ab experimentis heroicis & minus probatis.

§. V. In ſpecialiori Aſthmatis Humoroſi cura ſequentes principales indicationes practicæ annotandæ ſunt 1) ut corpus a generalibus incommodis tempeſtive liberetur 2) ut materia humida in pectore præparetur & evacuetur 3) ut concurrentes motus congeſtorii mitigentur & avocentur ne denuo pectus cum novo affluxu obruatur 4) ut pectus hactenus afflictum & enervatum roboretur & congruus motus in eodem reſtituatur 5) ut denique conveniens regimen atque præſervatio præſcribatur, ne talis affectus facile recrudeſcat, ſed eo magis e fundamento ſuo curetur.

§. VI. In prima indicatione commendatur generalis præparatio corporis ad reliquam ſpecialem curam ſubordinandam; ubi merito circumſpiciendum eſt, an quædam impuritas primas regiones detineat & ſimul al-

vina

vina excretio turbata ſit, in qua neceſſitate præſtat has partes ſufficienter repurgare; quo conveniunt remedia abſtergentia, reſolventia & ſimul modeſte evacuantia: huc pertinent ſalina digeſtiva tartariſata, quin ipſum ſal ſic dictum Anglicanum, ut & amara reſolventia antiſcorbutica, Gummata ejusdem effectus cum additis ſubjectis evacuantibus: præcipue conveniunt infuſa vinoſa ex ejusmodi ſpeciebus paranda: deinde obſervandum eſt, an ſangvinis copia urgeat & an certarum Hæmorrhagiarum ſuppresſiones præceſſerint, in quo caſu tunc, quando primæ viæ repurgatæ ſunt, præmittenda erit *Venæ* Sectio in pede præcipue adminiſtranda, quacum ſimul motus congeſtorii a pectore & præſente decubitu avertuntur; non minus providere convenit, an peripheria corporis aperta ſit, ne illius firma & ſuſpecta occluſio particularibus talibus reſtrictionibus humorum anſam præbeat, ubi convenit corpus moderato calori concredere & interdum aliquam doſin Eſſentiæ alexipharmacæ exhibere, quo iterum transſpiratio neceſſaria in ordinem transferatur.

§. VII. Deinde cum ſpecialiori cura tranſitus ad ipſumpectus inſtituendus eſt, quo materia in eodem hærens abſtergatur, reſolvatur, involvatur & ad excretionem promoveatur: hoc loco conveniunt talia, quæ in Tusſi humida proſunt: in genere partim reſolventia, partim expectorantia conducunt; e reſolventibus imprimis confert Radix Ari, Helenii & Squillæ; alias huc conferunt Radices Angelicæ, Imperatoriæ, Leviſtici, Petaſitidis, Bardanæ, Pimpinellæ albæ, Diptami albi, Gentianæ rubræ & albæ, Coſti dulcis, Cyperi rotundi, Ariſtolochiæ rotundæ, Zedoariæ; ita etiam in ſubjectis humidis ſingularem utilitatem habet Zingiber: huc pertinent Herbæ pectorales Veronicæ, Fœniculi, Chærefolii, Hyſſopi, Fumariæ, Hederæ terreſtris, Hepaticæ nobilis, Matriſylvæ, Eryſimi, Capilli veneris, Rutæ & reliquæ amaræ, nec non Gummata Ammoniacum, Galbanum, Bdellium, Sagapenum, Succinum, Myrrha, Therebinthina &c: e quibus variæ formulæ parari & applicari poſſunt, tum Tincturæ, tum etiam Electuaria; neque Gummi Ammoniaco ſingularem ſuam virtutem reſolventem denego; ita in ſubjectis humidioribus modeſtus Sulphuris uſus convenit, imprimis Tinctura e Gummi Ammoniaco & ſulphure parata cum Spiritu Cornu Cervi & Tinctura antimonii acri mixta potenter colliquat & reſolvit; non minus Tinctura ex Eſſentia Succini, Spiritu Salis Ammoniaci Aniſato & Tinctura antimonii tartariſata efficaciter pectus abſtergit: multam etiam utilitatem pro eodem ſcopo habet potio pectoralis Stahliana: & ejusmodi remedia aliquando conjungi, aliquando mutari poſſunt cum expectorantibus communibus, quo præcipue decoctum e Veronica, Liquiritia & Syrupis additis expectorantibus paratum

 lau-

laudamus, cavendo, ne in horum uſu nimis liberales, aut plane prodigi ſimus.

§. VIII. Dum vero hæc ab artifice committuntur, neceſſe etiam interea erit, quo ulteriores humorum affluxus & congeſtiones a pectore transferantur: propterea conveniunt partim remedia temperantia, antiſpaſmodica, Nitroſo-cinnabarina, partim diſcutientia cum regimine modeſtius diaphoretico nonnunquam ſublevanda; quo proſunt Eſſentiæ Ari, Helenii, Caryophyllatæ, Angelicæ, Vincetoxici, Petaſitidis, Pimpinellæ albæ: proinde repetendæ ſunt moderatæ laxationes, ut & in ſubjectis poroſis & de Sangvineo habitu participantibus conveniunt pediluvia & frictiones pedum; quando vero ſubjecta humidiora ſunt & affluxus humidus intra pectus eſt contumax, tunc hos motus congeſtorios interdum avocant & diſtrahunt fonticuli, quibus aliquando laxantia ſubordinanda ſunt: proinde in ſubjectis humidis humida affluxio intra pectus diſcutitur & ſubinde quadantenus pectus roboratur per modeſtam inſpirationem fumi e puro Antimonio fuſo transſpirantis, quibus cum tam interne quam externe diſcusſio & pectoris liberatio promovetur.

§. IX. Et dum hactenus pectus eximie afflictum fuit, ita illius roborationi promovendæ manus admoveri debent, ne remanens quædam atonia novis affluxibus, ſecesſionibus & infarctibus anſam præbeat & hoc roborante effectu proficua eſt uſitata Mixtura e Spiritu Cornu Cervi & Tinctura antimonii tartariſata parata, quemadmodum Eſſentia Succini & Ligni Saſſafras pro eodem ſcopo haud inutilis eſt, ita etiam proſunt Decocta e Veronica, Fœniculo, Scordio, Hedera terreſtri, Hepatica nobili, Cortice Citri & Cinnamomi parata; uti Electuaria e radicibus Ari, Helenii, Angelicæ, Caryophyllatæ, Diptami albi, Gentianæ rubræ & albæ: herbis & ſuccis Veronicæ, Scordii, Hedera terreſtri, Capilli Veneris, Vincæ per Vinca, Virgæ aureæ, Roriſmarini, Semine Aniſi, Fœniculi, Gummi Ammoniaco, Succino, Maſtiche, Myrrha, Therebinthina, tantillo Balſami Peruviani, aut de Copaiva parata & cum moderamine uſurpata, virtute neceſſaria non carent: de reliquo etiam non parum totum corpus roborat Vini boni temperatus uſus, ſicuti ab extra in ſubjectis adultis cataplaſmata nervina vinoſa cum prædictis internis remediis commode conciliari poſſunt.

§. X. Excipit denique & regimen & præſervatio huic affectui conveniens; quod prius attinet, tunc ante omnia pectus a qualicunque offenſione interna & externa ſubtrahendum eſt; evitandæ propterea ſunt ſubſtantiæ quæ tusſim augent & affluxum ad pectus exaſperant: multa pectoris commotio nocet, laborioſa ſermocinatio eſt incommoda, aura impurior, halituoſa & humida

humida eſt evitanda, animus ſit in quiete, diæta ſit temperata, modeſte aromatica, non valde nutriens, luxurioſa & evpepta; unde etiam primæ regiones ſunt liberandæ ab omni perturbatione & inquinatione: in præſervatoria methodo ad illam cauſam retroſpicere convenit, e qua tale aſthma ortum traxit; præcipue ſangvinis ventilationi congruæ & tempeſtivæ opera danda eſt & ſi quæ ſpontaneæ Hæmorrhagiæ ſuppreſſæ ſunt, tunc eædem iterum in ordinem ducendæ ſunt, alvus conſervetur aperta; proſunt vernalia vina medicata reſolventia, roborantia & Evacuantia, motus corporis conjunctus cum ſufficienti potu perinde præſervatoriam ſuam utilitatem exhibet.

CAPUT LIII.

DE

ASTHMATE SICCO.

§. I.

ALterius indolis *Aſthma* eſt *Siccum*, quod perinde contumax & chronicum exiſtit, imo interdum quoad gravitatem & peculiarem indolem cauſarum immedicabile; etenim ſi a mala interna conformatione ortum traxerit, tunc fruſtra medicina paratur: quando vero a contumacibus congeſtionibus, ad pectus abeuntibus & ex ſuppresſis Hæmorrhagiis genitis, originem ſumit, tunc paulo magis ad futuram curam aditus patet; ſi vero in pulmonibus ſcirrhoſa aut polypoſa quædam calamitas præſto fuerit, tunc fruſtra iterum nititur artifex, quo hoc malum emendet: utplurimum enim tale Aſthma in motuum vitio conſiſtit, quando contumaces quædam ſtricturæ in confiniis pectoris ſuſcipiuntur, neque proinde oblivioni danda eſt illa conſideratio, quomodo interdum anoterica flatulentia & ventriculi afflictiones ad hoc aſthma ſiccum viam parare ſoleant, uti etiam retropulſæ impuritates ulceroſæ aliaque ſuperficialia inquinamenta retropreſſa ad talem contumacem internam pectoris occluſionem anſam præbent: ſi itaque artifex huic intricato affectui congrue ſubvenire cogitat, omni ſtudio tum ad prædictas tum ad alias cauſas, huc quadrantes, animum applicare debet.

§. II. Qam diverſæ vero ſunt cauſæ, quæ ad hoc Aſthma contribuunt, tam prudens & ſollicita eſſe debet Therapia, quæ huic affectui applicari debet; omnium maxime ad illam cauſam convenit attendere, quando e prægresſis

greſsis Hæmorrhagiis ſuppreſsis, aut perturbatis commotionibus ſangvinis & confirmatis atque exacerbatis congeſtionibus ſangvineis, aut connexis infarctibus partium, ſangvinis tranſitui dicatarum & cum pectoris motu conſpirantium, hoc aſthma ortum traxit; quæ cauſa, licet in communi praxi parum attendatur, tamen ad evitandas graves antipraxes curatius obſervanda eſt, alias ſi hæc in ſe ſatis ſenſibilis cauſa perverſe tractatur, non modo hic affectus augetur, ſed & alii confuſi & perverſi morbi conſeqvuntur, qui poſthac difficulter eradicari poſſunt: de reliquo hoc Aſthma ſatis contumax eſſe deprehenditur, quia vel in gravi motuum vitio conſiſtit, vel alia quadam notabili læſione & alteratione pectoris nititur.

§. III. In cura hujus Aſthmatis cavendum eſt 1) ab immoderatis & violentis evacuationibus 2) a negligentiori conciliatione & tractatione ſtatus plethorici & negotii hæmorrhagici 3) a negligentioribus promotionibus ordinariarum Evacuationum 4) a remediis acribus calefacientibus concentratis & valde ſpirituoſis 5) a curatorio uſu ſalium volatilium 6) a promiſcuo uſu expectorantium & emollientium 7) a remediis pectoralibus travmaticis & adſtringentibus 8) a ſulphuratorum uſu vulgari 9) a communi ordinatione remediorum oleoſorum, pectori vulgo dicatorum, ut Aniſatorum, Succinatorum ſimiliumque 10) à ſimplici humorum alteratione 11) a remediis balſamicis exoticis acrioribus 12) a vulgatis anticatarrhalibus medicamentis, quæ cum potentius humores & partes commoveant & afficiant, propterea cum maxima modeſtia adhiberi debent.

§. IV. Specialior cura hujus Aſthmatis Sicci reſpondere debet diverſitati cauſarum, ad hunc affectum inducendum, uſitatius concurſantium, quando itaque hoc Aſthma ex ſuppreſſis Hæmorrhagiis & contumacibus congeſtionibus ſanguinis, ad pectus abeuntibus, oritur, tunc per initia alvina excretio erit liberanda, deinde interdum per apta & moderata laxantia motus a pectore avocari debent, quo conveniunt correcta & refracta aloetica & helleborina: porro conveniunt præſervatoriæ ſanguinis miſſiones in pede præcipue inſtituendæ, ſicut in ſubjectis hæmorrhoidariis ſubordinatæ Hirudinum applicationes ad loca hæmorrhoidalia multam utilitatem promittunt: in ſubjectis poroſioris habitus & ſenſibilioribus proſunt etiam pediluvia; præterea proſunt remedia temperantia, antiſpaſmodica & aliquando ſecurius ſedativa; huc pertinent nitrata cinnabarina, e cortice Chaccarillæ & Maſſa Pilularum de Cynogloſſa parata: quidquod interdum conveniunt lenientia dilutiora, emulſiva, lacticinia, non valde pinguia juſcula, decocta liquidiora, mucilaginoſa, una cum reliquo ſufficientis potus uſu, quo ſanguis in juſtam fluiditatem convertatur.

§. V.

§. V. Quando hoc Aſthma e retropulſis ſuperficialibus inquinamentis & ulceroſis corruptelis, aut œdematoſis intumeſcentiis ortum traxit, tunc antea alvus in ordinem duci debet, aut conveniunt remedia lenius laxantia, quo uſum Extracti Panchymagogi Crollii, Mercurii dulcis, Maſſæ pilularum de Succino Cratonis de ammoniaco aut infuſa vinoſa ordino: deinde uſurpanda ſunt remedia, quæ retropulſam materiam quantisper coercent, ne interioribus & ſenſibilioribus partibus præcipitem noxam afferant; hoc nomine proſunt abſorbentia, ſive ſimpliciora, ſive cum acidis ſaturata; nec non porro conveniunt auxilia retropulſam impuritatem extrorſum iterum ducentia, quo pertinent decocta paranda e radicibus Chinæ, Saſſaparillæ, Scorzoneræ, Vincetoxici, Herbis Scordii, Fumariæ, ligno Saſſafras &c. aut Eſſentiæ alexipharmacæ uſitatæ, vel balſamicæ, cum continentia tamen uſurpandæ, ut Succini, Myrrhæ, quo etiam Eſſentiam Fumariæ & Ligni Saſſafras in ſubjectis humidioribus refero: non minus in ſubjectis talibus modeſtus ſulphuris uſus cum abſorbentibus remediis aliquam utilitatem promittit: ut ita omnis labor eo collimare debeat, quo in ſuperficiem corporis priſtini affectus reſtituantur & deinde ſecuriori methodo curentur.

§. VI. Quando ad præſens Aſthma, Vomica pulmonum, Scirrhus pulmonum, Concretio pulmonum cum Pleura, Polypus cordis diſponunt, tunc e præcedentibus tractationibus, ubi harum afflictionum mentio facta fuit, Therapia haurienda eſt: ſi hoc Aſthma a molimine ad vomitum cruentum tendente ortum traxit, tunc ſecundum hujus cruenti vomitus indolem tractari debet: quando e prægreſſa prava diæta & concurrente frequenti conatu ad vomendum ortum eſt, tunc mitius emeticum remedium, præmiſſis abſtergentibus & digeſtivis auxiliis & ſubjunctis temperatis ſtomachicis, non inutile eſt: ſi hoc Aſthma e continuante anoterica flatulentia dependet, tunc eo potius invigilandum eſt, quo deorſum flatus ducantur, ubi Clyſteres lenientes & modeſte roborantes eximiam utilitatem afferunt, ſubjungendo abſtergentia, digeſtiva & temperata ſtomachica; Si hoc Aſthma ex Scirrhis hepatis & lienis ortum fuerit, tunc ad hos Scirrhos removendos (uti inferius demonſtrabitur) manus admovenda erit: ſi hic affectus ex aliqua pectoris atonia dependet, tunc conducunt decocta ex roborantibus ſpeciebus parata, quo etiam pectoralia commmendo, ut: Veronicam, Fœniculum, Hederam terreſtrem, Lignum Saſſafras: huc ſpectant Eſſentiæ Pimpinellæ albæ, Succini, Ligni Saſſafras, Liquor Cornu Cervi Succinatus, nec non Trageæ e pectoralibus & nervinis remediis paratæ, providendo, ne per quaslibet alias cauſas & occaſiones pectus offendatur: id quod etiam de ſingulis aliis cauſis valet, quæ ad hoc Aſthma excitandum contribuunt.

CAPUT LIV.

DE ASTHMATE CONVULSIVO.

§. I.

TErtia hæc Aſthmatis ſpecies non modo repente invadit, ſed & extemporaneam, tempeſtivam & efficacem medelam poſtulat: & quo magis arduus hic eſt affectus, aut in periculoſas plane conſecutiones propendet, eo magis neceſſe eſt in veras illius cauſas inquirere, quarum perinde in hiſtoria medica variæ occurrunt: ſicut vero tale Aſthma cum extremo quodam motu adminiſtratur, ita fruſtra erit in hac necesſitate diu materiæ correctioni inſudare & ſubinde motuum complacationem negligere: quidquod cum facilius ſit, in hoc affectu præſentes immoderatos motus augere, quam lenire, ita eo major circumſpectio & temperantia adhibenda eſt, ne vulgaria pectoralia remedia in uſum facile trahantur, alias hoc Aſthma in ſuffocativum & ſtrangulatorium eventum degenerat, aut alias motuum corruptiones in conſenſum trahit: imo cum cauſæ uſitatiores, quæ hunc affectum provocant, ſenſibilioris & ſpecialioris indolis ſint, ob id tanto majori cum continentia atque moderamine huic affectui ſuccurrere convenit.

§. II. Inter illas cauſas, quæ ad hunc affectum diſponere deprehenduntur, illa certe notatu digniſſima eſt, quando ſuppreſſæ, corruptæ, aut perturbatæ commotiones & proſecutiones fluxuum ſangvineorum ſpontaneorum ſalutarium, ſive menſtruarum purgationum in fœminis, ſive hæmorrhoidalium profuſionum in ſubjectis activioris temperamenti & plenioris atque lautioris diætæ ad hoc aſthma diſponere obſervantur; ſicut aliquando repentinæ & ſenſibiles horum fluxuum, qui antehac libere decurrerunt alterationes ad eundem affectum diſpoſuiſſe obſervatum fuit, vbi præcipue patheticæ commotiones magnæ efficaciæ ſunt in ejusmodi caſu: imo interdum repentinæ auctioris transpirationis oppresſiones, aut ſuperficialium inquinationum ulceroſarum oppresſiones, aut præmaturæ fonticulorum, aliquandiu geſtatorum, concretiones, ad hoc aſthma contribuiſſe videntur; quotiescunque vero & ex quacunque etiam cauſa talis affectus ortum trahit, toties attento animo diſcretus ſtatus plethoricus in aliquo ſubjecto obſeruandus eſt, quoniam nihilominus ex concurſu hujus pletho-

thoræ periculoſiores ſucceſſus & eventus provenire poſſunt, licet primaria cauſa perinde in ſua poſſesſione maneat.

§. III. Secundum hanc fundamentalem præſentis Aſthmatis diſquiſitionem proinde cura ſolide & congrue erit inſtruenda; in illa rite exercenda cavendum eſt 1) a promiſcuo uſu impetuoſarum evacuationum 2) a negligentiori dijudicatione & tractatione ſtatus plethorici 3) ab incurioſa prægreſſarum Hæmorrhagiarum æſtimatione & applicatione 4) a Venæ Sectionis omnigena intermisſione 5) ab ordinariarum evacuationum perturbatione, ſuppresſione aut negligentiori promotione 6) a remediis impellentibus & calefacientibus 7) præcipue ab oleoſis concentratis, pectoris affectibus vulgo dicatis, aniſatis, fœniculatis, ſuccinatis 8) a volatilium remediorum uſu curatorio 9) a remediis vulgatis narcoticis, aliorumque ſedativorum vel præmaturo vel prodigo uſu 10) a remediis balſamicis acrioribus exoticis 11) a medicamentis adſtringentibus & humorum diffuſiori alterationi dicatis 12) a quibuscunque denique medicamentis motus & concurrentia ſymptomata exacerbantibus atque augentibus.

§. IV. Cura hujus ardui affectus ſequentibus indicationibus, ex indole hujus affectus fluentibus, eſt circumſcripta 1) ut valde urgentia offendicula tempeſtive auferantur 2) ut immoderatæ commotiones ſpaſmodicæ convenienter mitigentur 3) ut ſymptomata concurrentia & affligentia legitime & ſecure leniantur 4) ut apta præſervatio pro arduo hoc affectu ordinetur: quæ ſingulæ indicationes tamen cum neceſſario moderamine exercendæ ſunt, ne contra cauſarum indolem eædem indiſcretim adminiſtrentur, ſed quo ſub posſibili lenitate ſimul illis cauſis urgentibus & inſiſtentibus artifex ſatisfaciat, quo hac ratione præſens morbus e fundamento tollatur.

§. V. Quoad primam indicationem ad urgentia illa offendicula pertinet vel firma alvi occluſio, quæ cito & efficaciter reſeranda eſt, quo conveniunt clyſteres partim lenientes, partim etiam modeſte ſtimulantes; quoniam interna remedia tardius operantur, necesſitas tamen tempeſtivam talem apertionem urget: vel ſtatus admodum plethoricus, aut prægreſſæ repentinæ alterationes ſalutarium Hæmorrhagiarum urgent & poſtulant tempeſtivam alterationem per imminutionem ſangvinis ſuſcipiendam; unde ſufficiens Venæ Sectio in urgente tali caſu proficit, quæ melius in pede inſtituenda, in adſvetis vero ſubjectis etiam in brachio non diſſvadenda eſt: ſi breviter prægreſſa nimia obſaturatio ventriculi præſentem affectum magis exaſperat, tunc in ſubjectis diſpoſitis, præcipue vero evemetis & ubi plethora non valde turget & urget, modeſta vomitio proficit: Si præceſſit repentina ſudoris ſuppresſio,

tunc

tunc antea providendum eſt, quo urgens plethora ventiletur, deinde frictiones ſuperficiei corporis cum linteis remiſſius calidis ſubſtituendæ erunt.

§. VI. Quoniam vero hic ſonticus affectus contumacibus & repentinis ſpasmis nititur, propterea neceſſitas poſtulat, quo immoderatæ tales commotiones tempeſtive emendentur: hæc ipſa correctio ſuccedit, Lenitione, Temperatione, Discuſſione & Sedatione. Lenitio adminiſtranda eſt cum remediis humectantibus, diluentibus, decoctis mucilaginoſis emollientibus, jusculis pingvibus & emulſionibus; quæ poſteriores parandæ ſunt ex aquis Veron. Fœnic. Scord. Chærefol. Hyſſop. Florum Sambuci, Scabioſæ, Ceraſorum nigr. Naphæ, ex amygd. dulc. pineis & Semen Cardui Mariæ addito Saccharo Cando ſufficiente quantitate: non minus Elæoſacchara ex oleo amygdalarum dulcium & ſaccharo Cand. parata, leniente qualitate prædita ſunt; temperante vero effectu inclareſcunt pulveres abſorbentes & præcipue nitrati, ſicut oculi cancrorum, cum acetoſitate citri ſaturati, uti in aliis pectoralibus affectibus, ita in hoc etiam ſingularem utilitatem habent: quicunque in hoc affectu cum Magiſterio Corallorum, Dentis apri, Mandibulæ Lucii piscis utilitatem aliquam afferre poſſunt, illi etiam habebunt, quo in hisce ſubjectis ſufficientem experientiam aſſequantur: neque infructuoſe talia abſorbentia pectoralia cum aquis deſtillatis pectoralibus mixta offeruntur.

§. VII. Præterea immoderatos hosce motus corrigunt remedia Discutientia, quæ vel interne, vel externe conducunt. Interne proſunt aquæ pectorales & inter illas utilis aqua pectoralis Stahliana; deinde conferunt temperatiores Eſſentiæ alexipharmacæ præcipue pimpinellæ albæ, caryophyllatæ, Helenii, Vincetoxici, cum eſſentia Scordii mixtæ. Quemadmodum in ſubjectis floridioris habitus Corporis modeſtus Myrrhæ Simpl. uſus fructuoſus eſſe obſervatur: externe vero pectori & dorſo applicari debet Spiritus Vini Camphoratus parcius crocatus & ſucceſſive cum Spiritu formicarum mixtus, intra linteamina exceptus; non minus conveniunt ſacculi in lac fervidum intingendi e radice Caryophyllatæ, Leviſtici, Vincetoxici, Bryoniæ, Sigilli Salomonis, Ariſtolochiæ rotundæ, Meu, Herbis Hyſſopi, Scordii, Matricariæ, Serpilli, Menthæ, Majoranæ, Parietariæ, Mercurialis, floribus Verbaſci, Chamomillæ, Meliloti, Papaveris Erratici, Anthos, Stœchad. Arabicæ, Croco Orientali, Semine Fœniculi & ſimilibus parandi: ſicut etiam ſuffimigia modeſte admiſſa e Thure, Maſtiche, Ladano, Floribus Stœchad. Arabicæ, Anthos, cortice Thymiamatis parata, proficiunt: denique etiam conjungenda ſelecta ſedativa, velut cum decoctis Syrupi papaveris rhæados, Diacodii montani; cum Emulſionibus Sem. papav. albi, aut in aliis formulis, Cinnabaris, Maſſa Pilularum de Cynogloſſa, Diaſcordium Fracaſtorii & præcipue etiam Chaccaril-

carilla vel in pulvere, vel extracto, vel tinctura: Denique etiam ad hunc pertinacem pectoris ſpasmum mitigandum non parum conducit frictio cum linteis calidis pectori atque dorſo repetito applicanda.

§. VIII. Proinde hic affectus non modo per ſe adeo ſonticus eſt, ſed etiam gravia ſymptomata involvit, quibus itaque mitigandis artifex ſedulam & ſollicitam operam adhibere debet: inter hæc ſymptomata vero ordine primo ſeſe febrilis commotio ſiſtit, quæ cum hoc affectu interdum coincidit: pro hac recte tractanda, cavendum, ne temerariæ motus febrilis ſuppreſſiones aut perturbationes ſuſcipiantur, unde potius præſente & urgente æſtu remedia abſorbentia & nitrata conducunt; & quando hic æſtus remittere videtur temperatus uſus mitiorum alexipharmacorum remediorum, aut in ſubjectis floridioribus Mixtura Simplex convenit. Proinde concedendus eſt ſufficiens potus una cum uſu decoctorum dilutiorum mucilaginoſorum, cum tantillo nitri mixtorum, addita modeſta quantitate Syrupi cujusdam aciduli; denique etiam pro hujus ſymptomatis levamine conveniens & modeſta diaphoreſis ſub quieto regimine neceſſaria eſt: Aliud ſymptoma eſt metus ſuffocationis,quem minuit uſus decoctorum gelatinoſorum & Emulſionum remisſius ſedativarum, nec non ſitus & decubitus non nimis humilis, ſed paululum erectus: Nimia virium jactura cum hactenus commemoratis tam regiminibus congruis, quam medicaminibus analepticis tractanda eſt: Alvus nunquam ſicca aut ſtricta eſſe debet, proptereaque in tali paſſu admonenda eſt; quo interdum Clyſteres modeſte ſtimulantes conveniunt; quando vero præſens affectus quoad principaliorem ſuum gradum remiſit, tunc exeunte cura proficit Mixtura roborans in aliis affectibus nobis uſitata.

§. IX. Quando itaque talis affectus ſub divino auxilio curatus fuit, tunc artifex oculum ſuum ad futura tempora applicare debet & cum præſervatoria medela ſuccurrere, ne impoſterum hic affectus cum majori periculo & omine revertatur. Propterea convenit proſpicere, quo ordinariæ ſecretiones legitime perennent, imprimis cavendum, ne alvus diu occluſa maneat, neve transſpiratio inſenſibilis ſubito ſupprimatur; quin convenit, quo ejusmodi ſubjecta Vernalibus & autumnalibus temporibus vina medicata laxantia, per epicraſin efficacia, uſurpent, aut aliquando modeſtis diaphoreſibus indulgeant: ante omnia conducit præſervatoria artificialis imminutio ſangvinis per Venæ Sectionem in pede adminiſtrandam & ſi ſubjecta olim hæmorrhoidalia fuerunt, cum multo fructu aliquoties per annum Hirudinum applicatio ſuadenda; imo confert ſucceſſive cum aliquo moderamine fluxus hæmorrhoidalis reditum adjuvare & ſi Hæmorrhoides rediere,tunc convenit maximo cum ſtudio tam poſitive, quam privative illas in libero & placido ſucceſſu conſervare:

vare: motus corporis & potus diluens atque temperatus ſufficiens admodum conducit; Diæta ſit non nimis plena, neque nimis alimentoſa & circa ſpirituoſorum uſum temperantia opus eſt: animi tranquillitas eximie confert: immodica Venus nocet, aliaque repentina corporis commotio officit: denique quibusdam ſubjectis modeſtus uſus temperatarum acidularum & thermarum non eſt diſſuadendus.

CAPUT LV.

DE

TUSSI HUMIDA.

§. I.

PErfrequens hic affectus tum ratione ſui ortus, tum reſpectu ſui progresſus & reliquæ vulgaris tractationis Medicæ, haud raris & levibus, ſed ſatis eximiis confuſionibus ſubjectus eſt: vulgo enim pro ſimplici catarrho frigido reputatur & ſubinde altiores illius origines perquam negliguntur, cum in quibusdam ſubjectis hæc tusſis, licet quoad ſpeciem ſuam magis ſeroſæ indolis eſſe videatur, tamen cum moleſta ſangvinis abundantia hujusque motibus eluctatoriis non parum conveniat: deinde vero utplurimum in hoc affectu adeſt activus quidam reſpectus ad excretionem hujus humiditatis e pectore deſtinatus, ut ita fruſtra in pathologia practica pasſivos illos decubitus atque infarctus pectorales pro primario reſpectu producamus, ſiquidem ſuccesſivi illi affluxus & conjunctæ commotiones excretoriæ in tantum ſibi invicem reſpondent, ut facile colligere liceat, quanta cum activitate in hoc negotio occupata ſit natura: & licet aliquando hic affectus ex impedito tranſitu & progreſſu Sangvinis per pectus primum ortum capesſiverit; tamen futura illius continuatio multum debet inſiſtentibus activis depoſitionibus materiæ mucidæ intra pectus: inde etiam evenit, ut aliquando hæc afflictio in ſuſpectam & contumacem conſvetudinem degeneret, id quod, ſicut vitium motuum & non materiæ eſt, propterea a prudenti artifice bene dijudicari & dextre tractari debet.

§. II. Interea quando ſemel ejusmodi evacuationis ſpeciem natura ſelegit & aliquandiu exercuit, major copia humorum mucilaginoſorum cum Maſſa Sangvinea confluens, eo magis invitat & quaſi ſeducit eandem naturam, quo

quo huic excretioni tenacius inſiſtat: inde etiam contingit, ut in ordinariis viis, per quas alias hic humor pituitoſus excerni ſolet, priſtina & conſueta functio & activitas langueat, aut penitus ceſſet, dum natura in aliis & magis inſolitis viis occupata eſt: multum itaque in tali necesſitate valent illi motus, qui ſuccesſive cum reliquo ſangvine hanc humiditatem mucidam ad pectus congerunt, ubi fruſtra expectatur, aut etiam temere tentatur hujus humidæ tusſis ceſſatio vel cohibitio, quamdiu hi motus a tergo affligunt & continuant: neque quidem tanta credulitas Medicorum animum occupare & detinere debet, quaſi tanta quantitas muciditatis ſimul & ſemel pulmones occupaverit, ubi ſanæ rationi magis congruum eſt, quod ſuccesſive hæc materia intra pectus transferatur; ut propterea conſultius eſſe compareat, quo hæc ſequeſtratio, ſe- & excretio hujus materiæ in conſuetas vias reducatur: proinde etiam advertere convenit, an hæc materia, quæ expectari debet, ſit ſufficienter mobilis, nec non an ſufficientes ſatisque validi motus adſint, quibuscum hæc materia expelli debet & denique an reliquum Corpus tali materia mucida abundet.

§. III. Quam communis hic eſt affectus & quam variis vulgo experimentis & artificiis ſubmittitur, imo quam ſæpe ſatis graviter perturbatur, eo magis in illius cura prudentia, peritia & dexteritate opus eſt. Ob id in therapia hujus affectus cavendum eſt 1) ab omnibus evacuationibus impetuoſis & immoderatis 2) præcipue a promiscuo Vomitoriorum uſu 3) nec non a negligentiori ordinariarum evacuationum, nunc ſegnius procedentium, promotione 4) a materiæ mucidæ ulteriori augmentatione aut coacervatione 5) a remediis vulgatis expectorantibus & emollientibus, quando jam per ſe ſufficienter expectoratio ſuccedit 6) a remediis incraſſantibus, adſtringentibus & refrigerantibus, quæ muciditatem in pectore inſpiſſant & refractariam reddunt 7) a nimio uſu abſorbentium remediorum, quæ ſimilem ſuſpectum effectum incraſſantem habent 8) a remediis famoſis travmaticis pectoralibus, quæ præmature & inopportune neceſſariam pectoris abſterſionem ſupprimunt 9) a communi uſu concentratorum oleoſorum, balſamicorum, anticatarrhalium, valde acrium, quæ ad talem tuſſim ordinari ſolent 10) a volatilium remediorum præmatura ordinatione 11) a ſulphuratorum ſimplicium Medicamentorum promiscua, præmatura, aut larga oblatione 12) a remediis & regiminibus Maſſam Sanguineam valde commoventibus & congeſtorias commotiones augentibus 13) a narcoticorum remediorum præmaturo, aut indifferenti, aut largo uſu 14) a cauſarum antecedentium plethoram & motus hæmorrhagicos concernentium, incauta æſtimatione, applicatione & tractatione 15) a præmatura tusſis & humidæ expectorationis ſuppresſione 16) a remediis motus con-

 geſto-

geſtorios magis confirmantibus & exacerbantibus 17) a tentaminibus interne & externe pectus moleſte affligentibus & tusſim æque ac expectorationem magis confundentibus 18) a multiplici diverſorum experimentorum & diſcrepantium Medicamentorum uſu, quæ potius totum ſchema hujus affectus confundunt 19) a negligenti materiæ refractariæ præparatione & abſterſione, ut & a copioſa illius collectione & conjuncta impedita expectoratione & denique 20) a perverſo regimine.

§. IV. Specialis cura Tusſis Humidæ hisce indicationibus præcipuis nititur 1) ut corpus ab impuritatibus ſuperfluis pituitoſis repurgetur 2) ut evacuatio, urgente necesſitate, promoveatur 3) ut continuans affluxus & ſecesſio humorum a pectore evocetur & discutiatur 4) ut pectus hactenus afflictum, nunc vero quadantenus liberatum convenienter roboretur & 5) ut congrua præſervatio præſcribatur: quæ ſingulæ indicationes non fugitive, aut præcipitanter, neque etiam confuſe exercendæ ſunt; tanto minus vero tunc expectoratio augenda vel urgenda erit, quando jam libere, ſponte & ſufficienter procedit & quemadmodum hæ indicationes primario ad adultiora ſubjecta directæ ſunt, ita hæ eædem non minus in Infantili tusſi erunt obſervandæ, modo in hac ætate remedia potentiora & acriora evitentur, ſed potius leniora & mitiora præferantur.

§. V. In prima Indicatione commendatur repurgatio corporis tum totalis, ut abundans mucida ſubſtantia catarrhalis imminuatur & evacuetur; tum partialis, quo præcipue primæ regiones a recrementis impuris, quæ ſucceſſive ad cacoſin humorum diſponunt, liberentur: In hoc paſſu itaque conveniunt remedia abſtergentia, reſolventia, laxantia, aut modeſte purgantia; uti in adultioribus ſalia digeſtiva & vegetabilia amara, nec non ſalia tartariſata, aut pilulæ ex extractis amaris, helenii, cochleariæ, fumariæ, Centaurii, min. Cardui benedicti, angelicæ, ariſtolochiæ, gentianæ rubræ, galangæ, pimpinellæ albæ, Valerianæ, Gummi Ammoniac. Galban. Bdellio Sagapeno, Myrrh. therbinth. paratæ, additis ſpeciebus evacuantibus conveniunt; ubi potius in ſubjectis temperatioribus mitiora remedia ſeligenda ſunt & hoc nomine conferunt Extractum Panchymagogum Crollii, Maſſa Pilularum de ſuccino Cratonis, Pillulæ de ammoniaco, de agarico, modica quantitate, cum additamento mercurii dulcis in ſubjectis humidioribus: In infantibus vero conducunt Syrupi evacuantes a Manna, rhabarbaro &c. parati, ut & mercurius dulcis modica quantitate exhibendus.

§. VI. Interdum necesſitas poſtulat, quo materia in pectore deliteſcens ad congruam evacuationem promoveatur, quando videlicet nimis tenax & viſcida eſt, ubi medicamenta emollientia, colliquantia & expectorantia

tia

ſtia conducunt, quæ tamen cum moderamine exhibenda ſunt, ne eo ipſo affluxus humorum ad pectus augeatur; pro hac emollitione materiæ mucidæ conveniunt lenientia pingvia cum aliquo potulento aſſumpta, quo oleum olivarum, amygdalarum dulcium, lilior: albor: & ſperma ceti cum Saccharo Cand. temperatum, pertinent; paulo ſimplicius lac pingue cum tantillo croci mixtum, aut butyrum non ſalitum cum cereviſia calida adhibitum eundem effectum exhibet; alias huc conferunt decocta mucilaginoſa & gelatinoſa, ut decoctum e radicibus Scorzoner. liquiritiæ, altheæ, bardanæ, apii, herb. Veronicæ, chærefolii, fœniculi, ſcordii, tuſſilaginis, eryſimi, floribus chamomillæ ſimplic. Sambuci, ſemine fœniculi, aniſi, caricis pingvibus, Jujubis &c. parata: huc itidem conferunt varia ſubjecta e liquiritia proſtantia, Siliquæ, Syrupi expectorantes, ut liquiritiæ, violarum, farfaræ, dialtheæ, de Eryſimo & ſimilia remedia. In infantibus talem emollientem vim habet moderata inunctio pectoris cum pingvedine; aut proſunt prædicti Syrupi de liquiritia, violarum, roſarum ſolutivus, nec non olea lenientia prædicta; ſubinde etiam confert ſperma ceti cum Saccharo Cand. temperatum, parca tamen quantitate exhibendum, quæ ſingula ſatis efficaciter pectus emolliunt.

§. VII. Porro conducunt, quæ diſcutiunt humores a pectore, eoque ipſo ulteriorem affluxum avertunt, hujus efficaciæ eſt in ſubjectis adultioribus rad. ari in ſubſtantia aſſumpta, nec non Squilla in modica quantitate excepta, ut & eſſentia angelicæ, imperatoriæ, helenii, Vincetoxici, carlinæ, Pimpinellæ albæ, petaſitidis, leviſtici, Zedoariæ; huc etiam proſunt herbæ Veronicæ, capilli veneris, Cuſcutæ, Hyſſopi, Marrubii albi: In ſubjectis temperatioribus & humidioribus multam utilitatem habet extractum nicotianæ & ſyrupus de Peto, nec non ſulphur vel in ſubſtantia ad exigua grana, vel in tinctura cum tinctura Antimonii acri mixta; huc confert Mixtura ex eſſentia ſuccini & tinctura Antimonii tartariſata parata, nec non in ſubjectis humidioribus pro eodem ſcopo convenit eſſentia Ligni Saſſafras, Fumariæ, proinde etiam coſtus albus & Zedoaria, quemadmodum modicus uſus croci orientalis in eadem indicatione convenit.

§. VIII. In infantibus vero conveniunt aquæ pectorales, ut Scordii, Scabioſæ, Chærefolii, florum Sambuci cum Saccharo Cando, tantillo Antimonii diaphoretici aut exigua quantitate croci orientalis mixtæ, ita etiam in infantibus convenit Mixtura e tinctura antimonii acri & eſſentia ſuccini parata, exiguis guttulis exhibita; aut eſſentia pimpinellæ albæ cum eſſentia ſuccini combinata; non minus in infantibus multam utilitatem habet oxymel Squilliticum in modica quantitate cum ſyrupo expectorante remixtum, & ſi in infantibus nimium cum muciditate repletum eſt pectus, tuſſis vero

ad ſufficientem expectorationem non ſatisfacit, tunc tempeſtive moderatus vomitus ſuſcitandus eſt, quo oxy ſaccharum Emeticum Ludovici pertinet, ſicut in ſubjectis adultioribus, quando eadem neceſſitas urget, perinde modeſtus vomitus excitandus erit, alias ad hujus motus congeſtorii mitigationem conveniunt in ſubjectis tenerioribus emulſiva, aut in adultis pulveres nitrati oculi cancrorum cum ſucco citri, vel repetitæ laxationes vel Maſſa Pilularum de Cynogloſſa, aut rectius cortex Chaccarillæ, ſicut in infantibus ad hujus affluxus & motus averſionem æque modeſtæ laxationes proficiunt, quemadmodum in plebejo experimento conſtat frictio plantarum pedum cum cepis, quæ ſemi rubefaciente effectu aliqualem diverſionem cauſatur.

§. IX. Et quoniam ſub tuſſi humida, quæ aliquamdiu ſubjectum detinuit, pectus non parum enervatur, adeoque ad futuros affluxus & impeditos humorum progreſſus præparatur, ea propter conſultum & neceſſarium eſt, quo ſub remisſione hujus affectus pectus quandantenus roboretur. Hoc ipſum obtinetur per uſum Mixturæ e tinctura Antimonii tartariſata, ſpiritu Cornu Cervi & eſſentia ſuccini paratæ, quo pertinet in ſubjectis temperatioribus uſus Spiritus Salis Ammoniaci ſive Succinati ſive Aniſati: deinde huc conveniunt decocta e Veronica, Chærefolio, cinnamomo, corticibus citri, ſemine aniſi & fœniculi parata: ejusdem utilitatis eſt aqua pectoralis Stahliana, aut pro lubitu & variatione artificis, electuarium e radicibus ari, Helenii, Angelicæ, Caryophyllatæ, pimpinellæ albæ, ſuccis herbarum Veronicæ, Chærefolii, hederæ terreſtris, Hyſſopi, aut herbis rorismarini, abrotani, menthæ, virgæ aureæ, floribus Centaurii minoris, Sambuci, anthos, ſeminibus fœniculi, aniſi, corticibus citri, cinnamomi, Ligno Saſſafras, Gummi, Ammoniaco, Myrrha, Succino, Maſtiche, thure paratum; licet præcedentium priorum remediorum utilitas ejusmodi electuarii ſalubritatem ſuperet, præprimis quando talia electuaria facilius ad novam expectorationem diſponunt.

§. X. Supereſt denique, ut conveniens præſervatio præſcribatur, ne hæc tusſis impoſterum facile iterum affligat & contumacius inſiſtat: in ſubjectis plethoricis itaque & iunioribus quidem, ſangvinis commotionibus aut actualibus emotionibus anotericis obnoxiis, non raro convenit, ut præſens tusſis vel ab ejusmodi motibus invitetur vel confirmetur, hinc præſervatorio ſcopo artificialis turgentis & urgentis ſangvinis depletio & imminutio neceſſaria et utilis eſt, quæ rectius in inferioribus corporis regionibus ordinatur: in ſubjectis humidioribus conveniunt præſervatoriæ laxationes & ſuperfluæ muciditatis abſterſiones; proinde Diæta ſeligatur temperata & diluta: pedes inſuper a ſenſibilibus refrigeriis ſubducantur, transſpiratio inſenſibilis nunquam turbetur, ſed in ſufficienti ſucceſſu conſervetur: repentina mutatio caloris, inſen-

ſenſibile frigus evitetur, unde etiam circa aëris uſum bonum moderamen requiritur, pectus inſuper ab omni offenſione liberetur & ſubtrahatur; alvus nunquam obſtruatur, ſed ſi obſtructa eſt tempeſtive aperiatur; denique præſervatoriis uſibus et utilitatibus ſatisfacit decoctum Veronicæ, domeſticis illis adhibendi modis reſervandum.

CAPUT LVI.

DE TUSSI SICCA.

§. I.

ALtera nunc Tuſſis, in communi vita affligentis, ſpecies occurrit, quæ ſine humida expectoratione ſatis impetuoſe & contumaciter continuat, hinc Sicca audit, quæ tanto magis ſuſpecta eſt, quia pectus valde defatigat & tamen cauſam morboſicam non ſuperat aut exturbat, unde variæ aliæ afflictiones occurſant, ut dolores capitis, pectoris & ſupremi dorſi: loquor vero hoc loco de pectorali Sicca Tuſſi, licet ſtomachalis & hypochondriaca tuſſis etiam ſicca exiſtat, cujus tamen alia & diſcrepans quantisper eſt cauſa; deinde notandum eſt, quod præſens ſicca tuſſis nonnunquam ſponte, nonnunquam per inconſulta artificia, in humidam tranſmutetur, adeoque complicatam faciem induat & ſic contumacior evadat; qualis corrupta tuſſis poſthac artifici multum laboris facesſit, ut propterea prudens Medicus ſollicite hanc tuſſis palindromen exquirere debeat, quo genuinam illius cauſam rectius perſcrutetur & magis ingenue hunc affectum e fundamento tollat; cum viciſſim ſatis compertum ſit in experientia triviali, quomodo e tuſſi ſicca, tuſſis humida & ex hac aſthma humidum, aut denique luctuoſa phthiſis ortum traxerit:

§. II. Ne itaque prudens & peritus artifex in communem labyrinthum incidat & vulgari more tuſſim ſiccam cum expectorantibus remediis aggrediatur atque corrumpat, eapropter illius cauſas curatius eruere & indagare maxime vero obſervare & provide dijudicare debet, quomodo interdum ſuppreſſæ Hæmorrhagiæ & conſequentes decubitus, atque congeſtiones, intra pectus tranſeuntes, hanc tuſſim cauſentur; imo quomodo ſcirrhi pulmonum vel exorientes, vel confirmati, hanc tuſſim in comitatum ſuum recipiant &

quod

quod commune eſt, quomodo in ſubjectis, præcipue ſiccioribus, tempeſtatum ſubitaneæ mutationes, imprimis ſenſibiles refrigerii invaſiones hanc tusſim invitent; unde interdum quidam ſibi talem tusſim contrahunt, quando poſt qualemcunque corporis exæſtuationem frigidum potum ingerunt, ubi ſpaſticæ illæ ſtricturæ, initia œſophagi & aſperæ arteriæ, nec non ipſam interiorem hujus tunicam affligentes, ad hanc tuſſiculoſam commotionem provocandam, ſatisfaciunt.

§. III. Quo magis hæc Tusſis depravationibus & ſuſpectis converſionibus ſubjecta eſt, eo magis artifex invigilare debet, ne perverſa medicatione eandem offendat; ob id cavendum eſt 1) a crasſis & immoderatis evacuationibus 2) maxime vero anotericis 3) a negligentiori ſtatus plethorici & negotii hæmorrhagici conciliatione & tractatione 4) ab ordinariarum evacuationum perturbatione, aut incurioſa promotione 5) a vulgari uſu anticatarrhalium remediorum 6) maxime a medicamentis calidioribus & quotquot alia impetuoſius operantur 7) a volatilium Medicamentorum præmatura, aut prodiga ordinatione 8) ab expectorantium, emollientium & ſimilium pectoralium remediorum, materiæ mucidæ, in pulmonibus hærenti, oppoſitorum communi oblatione 9) a remediis adſtringentibus 10) ut & incraſſantibus & copioſis terreis abſorbentibus 11) a communi narcoticorum uſu & denique 12) a qualicunque copioſiori humorum convocatione ad pectus.

§. IV. Poſitiva cura Tusſis Siccæ diſcrepat quoad diverſitatem cauſarum; quando itaque talis tusſis cum conatu hæmorrhagico & ſtatu plethorico cohæret, adeoque per congeſtorias commotiones abſolvitur, tunc conveniunt remedia lenientia, temperantia, ſedantia, diſcutientia & derivantia; prioris clasſis ſunt remedia diluentia, humectantia & domeſtica interdum decocta, aut alia uſitata infuſa calida, præcipue herbæ veronicæ, quemadmodum alia decocta gelatinoſa & fluidius mucilaginoſa, nec non dilutiora lacticinia, aut emulſiva eandem utilitatem lenientem habent: deinde proſunt temperantia & quidem pulveres nitrati, cinnabarini, nec non oculi cancrorum cum ſucco citri ſaturati, qui in affectibus pectoralibus non exiguam ſalubritatem afferunt; in quibus vero talis motus congeſtorius nimis contumax exiſtit, ibi conveniunt mitiora ſedativa, interquæ præcipue Chaccarilla eminet; quo magis hi motus a pectore avocentur, eo magis convenit ſangvinem ejusque affluxum ad inferiora loca invitare, hinc conveniunt curatoriæ laxationes per pilulas correctas aloëticas, pediluviorum repetitæ applicationes, aut pedum frictiones: præſervatorio ſcopo Venæ Sectio in pede adminiſtranda, ut & prægreſſarum ſalutarium Hæmorrhagiarum impeditæ reſtitutiones; ob id in ſubjectis hæmorrhoidariis præſervatoriæ applicationes hirudinum ad hæmorrhoidalia loca

pro-

proſunt: denique etiam interna reſolventia, quo præprimis Eſſentiæ Helenii, ari, pimpinellæ albæ, caryophyllatæ, Vincetoxici, ſcordii per vices exhibendæ.

§. V. Si vero talis Tuſſis ſicca ex aliquali refrigeratione & exinde orta constrictione ortum traxit, tunc talia auxilia proſunt, quæ leniunt, demulcent, modeſte calefaciunt, adeoque hanc contumacem ſtricturam iterum tollunt; quapropter ipſe ſimplex potus calefactus admodum talem tusſim lenit, cum viciſſim frigidus potus eandem tusſim magis augeat: proinde conducunt decocta herbæ Veronicæ, aut herbæ thee, bene calide hauſta, aut plebejum ſimplex & ſincerum illud experimentum fructuoſum eſt, quando cum cereviſia calida butyrum, aut oleum olivarum mixtum, ingeritur, nec non in eodem paſſu confert ſperma ceti cum tali decocto calido aſſumendum; hiſce accenſenda ſunt alia lenientia, lac calidum hauſtum, pingvedines & medullæ comeſtæ, gelatinæ, decocta hordeacea & avenacea, ſiquidem de reliquo juscula pingvia regimen modeſte calidum talem tusſim efficaciter mitigant: interim cum ejusmodi lenientibus & emollientibus remediis moderamen ſervandum eſt, ne pectus copioſis affluxibus humorum & ſecesſionibus mucidis ſubjiciatur.

§. VI. Quando ejusmodi tusſis ab alia quadam pectoris labe ſive pulmonum concretione cum pleura, ſive ſcirrhis pulmonum originem ducit, tunc primario ad has cauſas cura dirigenda eſt, quo præcedentes noſtræ animadverſiones practicæ contribuunt; in quali paſſu etiam circa expectorantium uſum maxima cautela opus eſt, ne vitium in pectore augeatur & periculoſior ſtatus excitetur, aut acceleretur; maxime vero in tali necesſitate confert, ne ſangvis nimio ſuo augmento moleſtus ſit, neve excretiones ordinariæ deficiant & ubi talis tusſis chronica & vix abſolute curabilis adeſt, ibi non niſi privativa Methodus confert, ne talia committantur aut admittantur, quæ præſentem afflictionem exacerbare poſſunt; hinc & diæta & regimine convenienti opus eſt.

CAPUT LVII.

DE TUSSI FERINA.

§. I.

HÆc ſpecies tusſis diſcrepat omnino a reliquis; adeoque hoc nomine ſignificatur, quia tam indomita, vehemens & effera exiſtit, ut indo-

lem ſimplicioris & communioris tusſis excedat: quo vero paulo magis illius indoles inclareſcat, ita commode Rhevmatica tusſis appellari poteſt, eo quia cum eadem Rhevmatiſmus pectoris coincidit: unde præcurrit congeſtio ſangvinis ad pulmones, quæ ad alium finem deſtinata eſt, ſiquidem alias congeſtoriæ commotiones & Rhevmatiſmi cum negotio hæmorrhagico exactum ſuum conſenſum habent; ad quem propterea prudens artifex ſollicite attendere debet quo hanc tusſim e fundamento curare queat; ob id ſequentes principales reſpectus in hac tusſi annotandi ſunt 1) quod ſuperfluus ſangvis ad molimen hæmorrhagicum, quod pectus nunc occupat, diſponat 2) quod eapropter non modo ſimplices congeſtiones concurrant & acriter continuent, ſed 3) quod interea aliqua ſecesſio humiditatis intra pectus contingat 4) quæ propter reliquum habitum corporis acris, tenuis, ſalſa exiſtit, adeoque teneram pulmonum texturam irritat & offendit 5) quæ materia vero ob ſubtilitatem ſuam, qua teneriter membranaceæ pulmonum texturæ adhæret, difficulter expectorari poteſt, unde 6) hi vehementes motus tusſiculoſi illius valde moleſtæ materiæ emotionem proſequuntur; quos reſpectus ſi provide Medicus advertit, tunc eo certius de faciliori & citiori curatione ſpem facere poteſt: de reliquo aliquando evenit, ut in ſubjectis quibusdam imprimis prædominantis cholerici temperamenti citra tale ſpeciale molimen hæmorrhagicum ex repente impedito progreſſu ſangvinis per pectus, ſimilis ſeroſa acris ſecesſio intra pulmones oriatur.

§. II. Et ſecundum has animadverſiones hiſtorico-practicas proxime cura rite erit adornanda, in qua cavere convenit 1) a quibusvis confuſis, prodigis & impetuoſis evacuationibus 2) præcipue ab artificiali vomitu, 3) a negligentiori promotione, aut poſitiva perturbatione excretionis alvinæ 4) ab incurioſa conciliatione & tractatione ſtatus plethorici & concurrentis negotii hæmorrhagici 5) ab indiſcreto uſu expectorantium & emollientium 6) maxime a remediis pectoralibus adſtringentibus 7) a volatilium remediorum curatorio uſu 8) a remediis calidis concentratis ſpirituoſis 9) a ſimplicioris ſulphuris uſu 10) a remediorum ſedativorum præmatura oblatione, aut vulgatorum narcoticorum ordinatione 11) ab excesſivo incraſſantium uſu & denique 12) ab omibus illis experimentis, quæ motus ad pectus magis convocant & augent.

§. III. Specialis therapia præſentis tusſis hiſce practicis indicationibus nititur 1) ut ordinariæ excretiones liberentur & ſubinde ad diſtrahendos motus congeſtorios leniter provocentur 2) ut materia peccans tam in craſi, quam in conſiſtentia emendetur, quo facilius & lenius evacuari queat 3) ut motus congeſtorii complacentur & continuans humorum affluxus diſcutiatur & avertatur 4) ut denique juſta præſervatio ordinetur: in quibus ſingulis indicationibus fundamenta quædam e therapia Rhevmatiſmi mutuata ad præſentem caſum utiliter applicari debent.

§. IV.

§. IV. In prima indicatione ordine primo providendum eſt an alvus libera & ſufficienter aperta ſit, deinde an tranſpiratio inſenſibilis non perturbata, impedita aut ſuppreſſa ſit. Præſtat itaque non modo ſegniorem alvum admonere, ſed & aliquando laxationem modeſtam repetere; unde in ſubjectis Cholericis Rhabarbarina remedia conveniunt; in humidioribus etiam Sennata proſunt; quo ſubinde pertinent extractum Panchymagogum Crollii, Maſſa pilularum de Succino Cratonis, pilulæ de Ammoniaco & de Agarico, qualia remedia non modo alvum admonent, ſed & ſerum acre imminuunt & ſubinde anotericas congeſtiones revehunt; quo adhuc conferunt remedia correcte aloëtica & Helleborina; qualia præcipue ad ſanguinis congeſti diverſionem contribuunt; quando vero ad hunc affectum prægreſſa impedita auctior tranſpiratio diſpoſuit, tunc convenit eandem iterum in ordinem ducere, ne ex continuatione hujus ſuperficialis ſtricturæ affluxus & congeſtio ad pectus acerbior fiat: hinc præcipue regimen modeſte calidum conducit, nec non per initia conferunt fixiora diaphoretica, ut Antimonium diaphoreticum & ſic dictum Bezoardicum minerale; eſſentificata enim remedia aliaque acria caute uſurpanda ſunt: de reliquo ad eundem ſcopum conferunt vel decoctum Veronicæ, Scordii, Chærefolii, Fœniculi & Tuſſilaginis, vel uſitata decocta herbæ Thee & fabarum Coffe.

§. V. Proinde acceſſus inſtituendus eſt ad materiæ quæ pulmones vexat, præparationem; hæc partim circa craſin illius verſatur, quia materia talis acris, ſalſa, ſtimulans & vellicans eſt, partim etiam cum conſiſtentia illius materiæ occupata eſt, quoniam ſubtilitas ejusdem impedit, quominus commode, aut facile atque cito evacuari queat; pro hoc ſcopo itaque præparandæ materiæ conveniunt remedia, partim temperantia, abſorbentia, terrea & imprimis oculi cancrorum citrati, partim mucilaginoſa, hordeacea, gelatinoſa, juſcula, pinguia & elæoſacchara ex oleo amygdalarum dulcium & Saccharo cando parata, proinde conferunt Emulſiones ex aquis Scordii, Veronicæ, Fœniculi, Chærefolii, plantaginis, florum Sambuci, amygdalis dulcibus, pineis & Semine cardui Mariæ paratæ; huc pertinent Galatina Cornu Cervi, pultacea liquidiora, decoctum raparum, quin ipſæ rapæ cum Saccharo Cando mixtæ, ut & ſperma ceti cum Saccharo Cando temperatum; quæ ſingula remedia acredinem materiæ obtundunt & illius ſubtilitatem involvunt, quo volubilem conſiſtentiam nanciſcatur & poſt hac promptius evacuari queat: non minus conferunt decocta e Cichorio, Scorzonera, Liquiritia, apio, bardana, taraxaco, Cornu Cervi raſpato, hordeo excorticato, Scordio, Veronica, Chæreſolio, fœniculo, hedera terreſtri, tuſſilagine, flori-

Ttt 2 bus

bus Sambuci, Helenii, Chamomillæ, papaveris rhæados, paſſulis majoribus, caricis pinguibus, cortice citri parata, quibus modica quantitas Syrupi expectorantis commode addi poteſt.

§. VI. Præterea motibus urgentibus & inſiſtentibus congeſtoriis moderamen artifex inducere debet, quo iidem mitigentur & quo connexa diſcuſſio avertatur: prius ſuccedit per remedia lenientia, videlicet per prædicta decocta, gelatinoſa, juſcula pinguia, lacticinia, Emulſiva & lenientia oleoſa; nec non per pulveres nitratos & pro neceſſitate urgente antiſpasmodicos, cinabarinos; ſicut in contumaciori malo pulvis ex oculis cancrorum citratis & cortice Chaccarillæ hos motus efficaciter compeſcit; prout ſimili effectu conveniunt Emulſiones papaveraceæ & Maſſa Pilularum de Cynogloſſa; poſterius vero obtinetur per remedia diſcutientia & pectus liberantia, quo præcipue Veronica in infuſo aut aqua concentrata confert. Sicut temperatus uſus eſſentiæ ari, helenii & pimpinellæ albæ etiam in hoc affectu utilis eſſe deprehenditur: Huc etiam ſpectant modeſtæ diaphoreſes ſubjunctæ, modo ſine anxio regimine inſtituantur: denique etiam hi motus per repetitam laxationem, ſi contumaciores fuerint, avocari poſſunt.

§. VII. Quando hæc tuſſis utplurimum mitigata eſt, tunc circa finem curæ ordinari poteſt Mixtura roborans e Spiritu Cornu Cervi, Eſſentia Succini & Tinctura antimonii tartariſata parata. Sicuti pro eodem ſcopo Miſcela eſſentiæ pimpinellæ albæ, Succini & Helenii confert: deinde vero animus eo applicandus eſt, quo præſervatio idonea ordinetur, quæ in hiſce auxiliis & conſiliis conſiſtit, quo tempeſtivæ imminutiones Sanguinis inſtituantur, ubi præcipue præſervatoriæ Venæ Sectiones in pede ſuſcipiendæ conducunt, ſicut in ſubjectis carnoſioribus, tanto magis in adſuetis, ſubjunctæ ſcarificationes utilitatem quandam afferunt: Deinde ordinariæ excretiones in legitimo ſucceſſu conſervandæ ſunt & confert propterea, quo ad minimum Vernalibus & autumnalibus temporibus modeſtæ & repetitæ laxationes inſtituantur: ſubinde etiam tranſpiratio inſenſibilis non eſt offendenda, aut ſubito reprimenda, quia potius confert quo ad imminutionem ſubtilioris ſeri interdum modeſta diaphoreſis ſuccedat. In Diæta ſeligantur alimenta liquidiora, mucilaginoſa, gelatinoſa, lacticinia non valde pingvia, excluſis alimentis & potulentis valde acribus, multum aromaticis & ſpirituoſis; denique motus quidem ſufficiens, ſed non exceſſivus confert & pectus de reliquo ab omni alio offendiculo arcendum eſt.

CAPUT

CAPUT LVIII.

De

TUSSI HYPOCHONDRIACA.

§. I.

ITerum alterius indolis præſens hæc eſt tusſis, quæ tamen contumacia & gravitate, imo ominoſa ratione, præcedentes tusſes quadantenus ſuperat, unde tanto magis ſuſpecta eſt, quia immoderatius affligit & tamen ſine ulla expectoratione decurrit, unde etiam ſedem ſuam non in pectore, ſed in hypochondriis habet: tanto magis hæc tusſis & gravis & refractaria & ſuſpecta eſt, quando una pectoralis tusſis ex accidenti conjungitur, ut complicatus inde generetur morbus, quale quid evenire poteſt, quando in hac hypochondriaca tusſi cura ad pectus dirigitur & remedia expectorantia atque emollientia offeruntur, ut motus atque affluxus ad pectus cogantur & invitentur: Alioquin ſimplicior ſtatus tusſis hypochondriacæ concernit obſcuram aliquam, aut intimius hærentem labem, imprimis hypochondriorum regionem detinentem, quando in hepate, liene aut pancreate infarctus & contumax ſcirrhus adeſt, aut quando alia quædam intumeſcentia, aut minus manifeſta concretio in hiſce confiniis occurrit; ſiquidem tales cauſæ demum in demortuis manifeſtæ fiunt; ubi ad minimum illud agere poteſt artifex, quo ex cauſis antecedentibus ad præcedentem ſtatum concludere posſit: de hac tusſi vero illud notare convenit, quod eadem præſenti afflictioni a natura opponatur.

§. II. Quo magis intricata hæc eſt tusſis, eo major circumſpectio in illius cura habenda eſt, in qua præcipue cavendum eſt 1) ab artificiali vomitu 2) a poſitiva purgatione & ſenſibili alia inteſtinorum ſtimulatione 3) ab alvinæ excretionis perturbatione, aut negligentiori promotione 4) ab incurioſa ſtatus plethorici & prægreſſarum commotionum & proſecutionum hæmorrhagicarum conciliatione, æſtimatione & tractatione 5) a pectoralium Medicamentorum abſoluto uſu 6) a remediis impellentibus & caleſacientibus 7) a curatorio uſu volatilium remediorum 8) a remediis poſitive adſtringentibus 9) a copioſo abſorbentium uſu, ut & 10) ab incraſſantibus & Se- atque excretiones impedientibus artificiis 11) a communi narcoticorum uſu 12) a nimis confuſa, multiplicata & præcipitata remediorum oblatione, ſiquidem cauſæ hujus tusſis magis ſucceſſive & cum lenitate præparandæ & removendæ ſunt.

§. III. Quod ſpecialem tuſſis hypochondriacæ medicationem attinet, tunc ſciendum eſt, quod & illa ſecundum diverſitatem cauſarum differat: quando itaque Scirrhus aut alius infarctus hypochondriorum hujus tuſſis cauſa eſt, tunc cura coincidit cum affectus hypochondriaci, Scirrhi hepatis & lienis, inferius tradendi, therapia: brevibus vero moneo, quod ante omnia alvus libera, mobilis & aperta eſſe debeat; unde in diæta præcipue lenientia, diluentia, emollientia, pingvia oleoſa, quin ſimplex uſus butyri & oleum olivarum nec non gelatinoſa, humectantia &c. conveniunt, aut ad eundem finem, pruna, paſſulæ, poma & pyra dulcia cocta quadrant; interdum lenia laxantia, præcipue colliquantia & detergentia conferunt, velut tartarus tartariſatus, terra foliata tartari, ſal anglicanum, ſalia alia fontana, Spiritus de tribus aut infuſum Rhabarbarinum paſſulatum, nec non folia ſennæ cum prunis cocta & modicus extracti panchymagogi Crollii uſus. Cavendo, ne crudiora Aloëtica & Helleborina exhibeantur, quæ potius hos infarctus hypochondriorum exacerbant, quam minuunt.

§. IV. Præterea conveniunt remedia in primis & hypochondriorum regionibus reſolventia & colliquantia; ubi præcipue conducunt decocta & vina medicata ex remediis & ſpeciebus reſolventibus parata; quo ſpectant radices apii, helenii, caryophyllatæ, vincetoxici, angelicæ, pimpinellæ albæ, Dictamni albi, bardanæ, taraxaci, gentianæ rubræ & albæ, ariſtolochiæ rotundæ, Coſti dulcis, cyperi rotundi, herbæ amaræ antiſcorbuticæ, quales ſpecies aliquando, ſed non nimis frequenter, cum laxante remedio conjungi poſſunt, & hisce formulis addere convenit Salia deterſiva: quo vero talia remedia eo efficacius operentur, confert tunc mobile vitæ genus conjungere: imprimis proficit peregrinatio & modeſta equitatio, quo per ſuccuſſationem hypochondriorum illa neceſſaria reſolutio promoveatur: ſubinde conveniunt Salia deterſiva fluidiora: Eſſentiæ vero discutientes vix facile ſperatum ſcopum aſſequuntur: præterea conveniunt præſervatoriæ Misſiones Sangvinis & ſi actualis labes ulceroſa deeſt, proficit modeſtus uſus acidularum & thermarum: ad præcavendas commotiones congeſtorias pulveres antiſpasmodici conducunt; & ſi hujus tuſſis vehementia immoderatior fuerit, tunc cum ejusmodi pulveribus Maſſa pilularum de cynogloſſa mixta quadrat: Motus vero & potus ſufficiens, nec non diæta dilutior, parcior & temperatior in hac afflictione optimam Medicinam conſtituunt.

§. V. Quando bilioſa quædam recrementa in primis regionibus hærentia, hanc tuſſim cauſantur, quale quid in hominibus valde iracundis non raro obtingere ſolet, tunc præſtat ejusmodi affectum tractare, ac aliam cholericam afflictionem, ubi præcipue conducunt diluentia, emollientia, temperantia,

rantia, abſorbentia, elubricantia & moderate evacuantia; e quorum ultimorum numero ſunt Rhabarbarina, prunata, paſſulata, Magneſia alba; qualia ſubjecta hanc bilioſam colluviem ſucceſſive evacuant. Quando ulceratio in hypochondriis ad hanc tusſim contribuit, tunc talia remedia ordinare convenit, quæ ſubtiliter abſtergunt, ut ſunt Decocta liquidius mucilaginoſa, gelatinoſa, deinde ſalia abſtergentia, quæ collectam impuritatem ſanioſam ſucceſſive auferunt, adeoque præſentem labem in tantum temperant, ne ejusmodi commotiones ſuccuſſatoriæ impuritatis collectæ remotionem urgere debeant; ſiquidem pro tali afflictione alia ſimilia remedia conferunt, quæ vel in antecedentibus circa ulcerationum internarum tractationes vel in conſequentibus in eadem conſideratione occurrunt.

CAPUT LIX.

DE

TUSSI STOMACHALI.

§. I.

IN hac disquiſitione practica, circa tusſim inſtituta, ultimo denique loco illa ſpecies tusſis explicanda erit, quæ e ventriculo ortum trahit, adeoque *Stomachalis* appellari meretur; hæc tusſis magis adultis imo ſenibus ſubjectis uſitata eſſe deprehenditur; vix vero culpa & cauſa in atonia ventriculi inquirenda eſt, cum potius motus ille ſuccuſſatorius tusſiculoſus, quo ventriculus afficitur, vix ab atonia deduci posſit; unde rectius hujus tusſis cauſa eſt viſcida quædam ſaburra cum bilioſis & aceſcentibus recrementis mixta, quæ in ventriculo hæret, propptereaque hoc motu urgetur, ut partim reſolvatur, partim etiam ulterius promoveatur & penitus emoveatur, ex eo concludo, quod hæc tusſis ſit motus liberationi ventriculi ab hac ſaburra deſtinatus; unde non raro cum hac tusſi ſtomachali conjunguntur conatus vomendi, quin actuales plane vomitus; haud vero hæc tusſis cum pectorali confundenda eſt; interim aliquando per accidens plane evenit, quo pectoralis tusſis cum hac conjungatur: quo magis ſubjecta, quæ cum hac tusſi affliguntur, in virium decrementum propendent, eo minus decet eadem immoderatius aggredi; alias facile alia damna ſuperveniunt.

§. II.

§. II. Ob id pro meliori & ſecuriori hujus tusſis tractatione practica cavendum eſt 1) a promiscuo liberali, aut præmaturo uſu emeſeos artificialis 2) a poſitiva, immoderata, aut frequenti purgatione 3) ab alvinæ excretionis oppresſione, aut perturbatione 4) a præmaturo uſu ſtomachicorum remediorum 5) maxime a liberali uſu remediorum valde acrium & calefacientium 6) a præmaturo ſedativorum uſu, ut & 7) a communi narcoticorum ordinatione 8) a remediis pectus concernentibus & attingentibus, tum emollientibus, tum etiam expectorantibus 9) a præmaturo volatilium uſu 10) ab abſorbentium copioſa oblatione 11) ab adſtringentibus medicamentis & denique 12) a confuſa ordinariarum evacuationum promotione.

§. III. Specialis cura Tusſis Stomachalis ſequentibus abſolvenda erit indicationibus 1) ut ſaburra Ventriculi præparetur 2) ut convenienter evacuetur 3) ut ventriculus roboretur & 4) ut conveniens regimen & diæta præſcribantur; Præparatio materiæ ſecundum diverſam hujus conditionem eſt inſtituenda; ſi itaque hæc ſaburra ſpiſſior & tenacior fuerit, tunc conveniunt reſolventia, colliquantia & incidentia; velut ſalina deterſiva & digeſtiva, nec non tartariſata, ut & reſolventia amara; quo ſpectant ſucci & extracta herbarum amararum; proinde etiam conferunt diluentia maxime decocta calida & juſcula dilutiora; ſicut ipſe calor tenacioris ipſius ſaburræ emollitionem promovet; ſi vero materia etiam acida, aceſcens & bilioſa fuerit, tunc conveniunt remedia abſorbentia, ſuccesſive modica quantitate offerenda, modo teneriora ſint, quo itidem abſorbentia cum acidis conjuncta inſerviunt, quibus nitrum additum, illorum utilitatem adjuvat. Deinde confert ſucceſſive placidas evacuationes ſuſcipere, quo maxime conferunt Laxationes vel cum Rhabarbaro, vel cum tartariſatis remediis, vel cum extracto panchymagogo Crollii, pilulis de Agarico, de Ammoniaco, Sale Anglicano, quin interdum ipſa Magneſia alba ſuſcipiendæ: Si vero ſubjecta robuſtiora fuerint, aliæque circumſtantiæ permiſerint, tunc modeſta vomitio non inimica eſt.

§. IV. Præterea confert ſuccesſive roborationi ventriculi ſtudere, quæ tunc præcipue ſuſcipienda, quando aliqualis & ſufficiens evacuatio præcesſit; ad hanc roborationem conducunt vel remedia amara, vel reliqua ſtomachica, velut radices ari, helenii, pimpinellæ albæ, gentianæ rubræ, galangæ, zedoariæ, coſtæ dulcis &c. quæ ſpecies etiam in ſubſtantia maſticatæ proſunt: quo pertinent aromatica & ſemina culinaria carminativa, ut fœniculi, carvi, petroſelini, apii, nec non baccæ lauri; huc etiam quadrant cortices citri & aurantiorum; conferunt porro eſſentiæ ex hisce ſpeciebus paratæ, mixtæ cum Eſſentia Chaccarillæ vel roborante effectu in ſubjectis non valde ſenilibus conducit tinctura martis tartariſata, tartarus vitriolatus martialis, crocus martis

An-

Antimonialis modica quantitate adhibenda; quo tinctura martis cum ſucco pomorum ſpectat & Mixtura e ſpiritu Cornu Cervi & tinctura antimonii tartariſata parata. In diæta abſtineant a cibis craſſis, duris, fæculentis, acidis, fermenteſcentibus, dulcibus & pingvibus; quin potius evpepta alimenta aſſumantur, ſub diæta etiam proſunt ſynapi, naſturtium, Raphanus, petroſelinum, Zingiber; denique ventriculus non nimium cum cibis oppleatur: Vinum concedatur bonum & adultum; alvina excretio in juſto ordine conſervetur.

CAPUT LX.

DE

HYDROPE PECTORIS.

§. I.

PArticularis hic Hydrops raro ſolitarius eſt, ſed utplurimum alium genericum ſtatum in conſortio ſuo tenet: quando vero contingit, ut ſolus affligat ſubjecta, tunc ſatis ſuſpectus eſt, neque ita facile perfectam Medelam aſſumit, interea conſtant ejusmodi experientiæ de curato pectoris hydrope; neceſſe itaque erit, quo tales caſus imitemur & quantum poſſibile eſt, huic afflictioni conſulamus: quoniam porro in eodem affectu non modo gravia pathemata, ſed & eximiæ virium jacturæ coincidunt, propterea therapia hujus morbi non temere ſuſcipienda & urgenda eſt: imprimis ratio habenda eſt cauſarum antecedentium, quæ hunc arduum morbum invitant, quo illis ſub continuata cura artifex ſatisfaciat: maxime quidem curam habeat concurrentium congeſtionum, quæ tanto magis pectus affligunt, quo ſub illarum complacatione, reliquus ſtatus emendari poſſit: proinde etiam illa circumſpectio adhiberi debet, quo hic affectus in primis ſuis initiis dextre tractetur, quoniam alias perfectam curationem reſpuit, ſi confirmatus eſt.

§. II. Quo gravior eſt affectus, eo major circumſpectio in illius cura habenda eſt, propterea cavendum eſt 1) a communi impetuoſa ſeri evacuatione 2) tanto magis a vulgatorum hydragogorum ordinatione 3) a remediis neceſſarias evacuationes cum ſenſibili ſtimulo provocantibus 4) ab ordinariarum evacuationum confuſione & incurioſa promotione 5) ab incongruo & immoderato uſu ſalium volatilium 6) a remediis valde calidis acribus concen-

tratis & ſpirituoſis 7) a ſulphuratorum incauto & liberali uſu 8) a remediis valde expectorantibus & pectus emollientibus 9) a præcurrentis aut concurrentis ſtatus plethorici negligentiori dijudicatione & tractatione 10) a remediis adſtringentibus & valde incraſſantibus 11) a narcoticorum remediorum communi ordinatione & denique 12) a nimis præcipitata curatione aut nimis multiplicata aut confuſa remediorum oblatione.

§. III. In therapia Hydropis Pectoris præſtat antea inquirerere an abundantia Sangvinis, vel ad hunc morbum cauſam dederit, vel adhuc cum eodem concurrat & illum aut graviorem reddat, aut ita impediat, quo minus facile oblatam curationem admittat, hinc præſtat hoc incommodum tempeſtive & præſervatorie quidem removere; pro hoc ſcopo etiam confert Venæ Sectio in pede ſuſcipienda. Deinde præſtat ſuccesſive & repetitis quidem vicibus alvum laxare, adeoque motus a pectore avertere, quo deinde pectus facilius ventiletur; proſunt itaque infuſa vinoſa paranda ex radicibus helenii, angelicæ, vincetoxici, apii, petaſitidis, caryophyllatæ, pimpinellæ albæ, herbis abſynthii, Centaurii minoris, cochleariæ, veronicæ, cuscutæ, capilli veneris, hyſſopi, rorismarini, Majoranæ, floribus ſtœchados Arabicæ, Sambuci, Calendulæ, addito tantillo croci orientalis, Seminibus aniſi, fœniculi, baccis lauri & Juniperi, Corticibus aurantiorum, citri, cinamomi, Ligno ſaſſafras, coſto dulci, cypero rotundo, addendo ſolia Sennæ; fibras hellebori nigri, agaricum, in petia ligatum cum arcano tartari; non minus pro aperienda alvo conferunt ſalia laxantia tartariſata, maxime Sal Epſonienſe, ut & pilulæ de Agarico, de Ammoniaco, de ſuccino Cratonis, aut ex extractis amaris Gummi Ammoniaco, Galbano, Bdellio, Sagapeno, Myrrha, Succino albo præparato, therebinthina, aloë correcta & trochiſcis de Agarico. In ſubjectis humidioribus non inutiliter interdum Mercurius dulcis cum aliis aptis evacuantibus remediis commiſcetur.

§. IV. Præterea conveniunt remedia ipſum pectus liberantia, reſolventia & abſtergentia; magni uſus proptetea eſt radix ari, vincetoxici & ſquilla in ſubſtantia adhibita; uti eſſentiæ ari, helenii, vincetoxici, angelicæ & Pimpinellæ albæ perinde utiles ſunt: Non minus conveniunt decocta, paranda ex radicibus apii, bardanæ, liquiritiæ, cichorii, Scorzoneræ, herbis Veronicæ, chærefolii, hyſſopi, hepaticæ nobilis, cuſcutæ, ſcordii, tusſilaginis, hederæ terreſtris, ſalviæ, floribus ſambuci, helenii, chamomillæ, paſſulis majoribus & minoribus & cortice citri; ſubinde conducit Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, aut interdum ſpiritus ſalis Ammoniaci leviter aniſatus, aut ſuccinatus: Aliquando prodeſt uſus oculourm cancrorum citratorum; vel conducunt potiones ex aquis Scordii, ſambuci, chærefolii, fœniculi, hyſſopi, ſcabioſæ, plantaginis, liliorum

liorum convallium, ceraſorum nigrorum, Oxymelite Squillitico, ſyrupo de Eryſimo & Papaveris rhæados paratæ; quicquod aqua pectoralis Sthaliana in hoc paſſu non inutilis eſt, quibuscum remediis partim pectus abſtergitur, partim iterum modeſte roboratur.

§. V. Sub hac cura conveniunt interdum pulveres nitrati & uſus ſalium digeſtivorum; nec non aliquando diureſis cum mitiori ſtimulo & ſale vegetabili provocari & augeri debet: quando anguſtiæ nimie affligunt, tunc conducit Cortex Chaccarillæ, aut Emulſio ex aquis diſcutientibus nucleis, pingvibus & ſemine papaveris albi parata, vel potio ex aquis pectoralibus, reſolventibus & ſyrupo papaveris compoſita: viribus itidem langveſcentibus conſulere convenit per temperata analeptica; neque juſcula vinoſa modeſtius crocata & aromatiſata contemnenda ſunt: præterea dilutiora lacticinia & pulpamenta confortantia, juſcula gallinacea & paſſulata remedia proſunt: Conjungatur regimen temperatum, diæta mollis & potus temperatus; pectus præſervetur a quacunque offenſione externa: qualia adminicula nonnimis confuſe, neque nimis prodige adhibita, aliqualem ſpem obtinendæ ſanitatis facere poſſunt: & quando denique hic affectus remiſſior apparet, tunc per intervalla Mixtura noſtra roborans adhibenda erit.

CAPUT LXI.

DE

HYPOCHONDRIACO HYSTERICO MALO.

§. I.

Cum uterque Affectus una eademque cauſa fundamentali nitatur, adeoq; unam eandemque formalem rationem involvat, ita illius in hoc nexu mentio injicienda erit, præcipue cum eadem Methodus utriusq; formali rationi reſpondeat: interea vero tanto magis neceſſe erit hujus mali curam prudenter & temperanter aggredi, ne vel vulgatis experimentis, vel communibus opinionibus ſimplicior fides tradatur, alias partim ad diverſa experimenta & inconſtantem medendi methodum, partim ad varia alia nova & coeca tentamina ſeducitur animus; quando nempe famoſa quædam alia experimenta votis non reſpondent, aut uſitatæ opiniones non cum veritate conveniunt: inde

eve-

evenit, ut hoc malum non modo magis accreſcat & confirmetur, ſed & copioſiora ſymptomata inferat & denique in corrupta morborum ſchemata, quæ omnem medelam reſpuunt, tranſeat; tam intricatus enim hic eſt affectus ut non modo facile perverti poſsit, ſed & tam multiplicia paſſim occurrant ſeductionum ſchemata, ubi tot remedia antihypochondriaca & antihyſterica recenſentur, ut propter hanc multitudinem remediorum & promiſſionum artifex facile in confuſas operationes duci queat.

§. II. Fundamentum recte & ingenue affectui Hypochondriaco medendi in eo præcipue hæret, ut Medicus antę omnia veram morbi cauſam agnoſcat: in hoc enim ſi dubius & cœcus eſt, tota cura erit anceps & variis periculoſis ſucceſſibus obnoxia: quo itaque Medicus prudens cauſam hujus affectus agnoſcat, neceſſe erit, quo omnem circumſpectionem adhibeat, ne ſymptomata pro morbo æſtimet & acceſſoria pathemata pro formali hujus indole tractet, quid enim quæſo in hujus affectus diſpoſitione familiarius eſt, quam modo acidum illud hypochondriacum inimicum vellicans & pernicioſum accuſare, aut flatulentiam incarceratam & ventriculum atque ſuperiora inteſtina angentem, tanquam principalem hujus morbi cauſam, recenſere, vel turbulentos quosdam ſpaſmos damnare? cum tamen ſingula hæc phænomena longe alia cauſa præcedente nitantur & tantum priori illi cauſæ ſuperveniant & conjungantur, neque æque alicujus valoris illa ſpecioſa obloquutio eſt, quaſi eapropter alia cauſa non præferri mereatur, aut pro fundamentali declarari poſſit, quia therapia huic cauſæ accommodata non ſemper & non cito ſperatam medelam affert? quaſi vero Methodus medendi, alteri cuidam cauſæ ſuppoſitæ accomodata, tam indubie & expedite ſemper promiſſam opem afferat.

§. III. Ob id non modo hiſtoria præſentis mali ſed & cauſarum conciliatio & reliquæ therapiæ nexus ſatis ſolide & perſpicue teſtantur, quomodo & moleſta Sangvinis abundatia & conjuncta ſuſpecta illius ſpiſſitudo primariam cauſam conſtituant, cum qua reliqua pathemata ſpaſmorum, flatulentiæ, obſtructionum & perturbatarum Se - & Excretionum cohærent, ſiquidem moleſtæ plenitudinis vix rationabilius, aut conſultius remedium inveniri poteſt, niſi conveniens & tempeſtiva depletio; uti ſpiſſitudinem Sangvinis nihil ſimplicius emendat, quam ſufficiens motus progresſorius, qui præoccupat ſpisſioris ſangvinis ſtagnationes & incarcerationes, quo deinde pertinet ſufficiens humectatio mediante qua neceſſaria fluiditas ſpiſſo Sangvini conciliatur, exinde porro eluceſcit indoles motuum in hoc affectu occurentium, ut artifex judicari poſſit an & in quo gradu & quamdiu illi motus neceſſarii ſint, nec non quales affectus vel cum illis motibus a natura oppoſitis cohæreant, vel qualia pathemata a cauſa morbifica illiusque affectu pendeant;

exinde

exinde emergit illa provida therapia, quo artifex cuicunque cauſæ exacte ſatisfaciat, neque periculoſam aliquam conſuſionem in dijudicatione & tractatione hujus affectus committat.

§. IV. Præterea de affectu hypochondriaco notandum eſt, quod ille cum numeroſis ſpecioſis ſymptomatibus ſeſe prodat, quæ tamen non adeo deterrere debent artificem, quo illis cum primaria cura proſpiciat, neve propterea radicem mali magis negligat; quo magis enim in therapia hæc ſymptomata præferuntur, eo magis principalior cauſa increbeſcit, eoque difficilius poſt hac ipſum malum exſtirpari poteſt, imo eo magis alia ſymptomata oriuntur & affligunt: quo minus porro animus ad urgentem Sangvinis vbertatem adplicatur, eo magis exinde hoc malum augeſcit, imo denique penitus confirmatur, ut deinde difficilius curari & emendari queat, quamvis plenitudo Sangvinis imminuta fuerit: Maximum etiam damnum hypochondriacis accidit, ſi multorum & diverſorum medicorum manibus ſeſe concredunt, aut multa experimenta cum afflictione ſua ſuſcipiunt: tanto pejus vero cedit negotium, ſi mox in primis initiis hoc malum corrumpitur, aut ſi ex alio affectu depravato ortum traxit, quod præcipue valet de febribus intermittentibus corruptis; ubi multum refert pro exquiſitiori dignotione & ſecuriori tractatione hujus mali, ſi artifici primæ cauſæ atque origines illius exacte conſtent; ita eveniet, ut deinde cum majori certitudine intelligat, quid ab augmento, vel defectu motuum in hoc affectu pendeat.

§. V. Sicut in communi obſervatione medica hoc malum ſatis, arduum & implicatum eſt, ita pro illius ſinceriori cura variæ cautelæ practicæ inculcandæ ſunt: abſtinendum itaque eſt 1) ab indiſcreto, tanto magis a frequenti emeticorum remediorum uſu. 2) ab ordinatione ſtimulantium & fortius purgantium, 3) a frequenti & prodiga alvinæ excretionis ſenſibili commotione, 4) a remediorum Mercurialium commendatione, ſive interna, ſive externa, 5) a remediorum Aloëticorum & Helleborinorum crudiorum & largiorum uſu, 6) a Medicamentis acribus, calefacientibus, impellentibus & qualitercunque orgaſmum ſangvini conciliantibus, 7) a confuſo uſu Miſſionum Sangvinis, 8) maxime ab anotericis ſangvinis ſubtractionibus, 9) a negligentiori obſervatione & tractatione ſtatus plethorici, ut & 10) prægreſſarum ſalutarium Hæmorrhagiarum 11) ab omisſione uſitatarum Venæ Sectionum, 12) a negligentiori promotione ordinariarum evacuationum, 13) a regimine & medicamine poſitive diaphoretico, 14) a nimis multo, frequenti, confuſo, inconſtanti & variato uſu quorumvis remediorum, 15) a nudo alterantium & humores corrigentium vſu, 16) a terreorum calcareorum abſorbentium abuſu, 17) a ſpeculativa ordinatione edulcorantium remediorum, 8) a curatorio Volatilium

Medicamentorum uſu, 19) a communi Martialium medicamentorum adhibitione, 20) ab indiſcreta antiſcorbuticorum remediorum oblatione, 21) a præmatura & inopportuna Carminativorum Medicamentorum commendatione, 22) a Medicamentis exoticis & ſic dictis Venereis, 23) a ſpecioſis formulis & compoſitionibus chymicis, 24) tanto magis a formulis miſcellaneis e remediis diverſis & contrarii effectus paratis, 25) a communi & indifferenti opiatorum uſu, 26) a remediis adſtringentibus & vias atque humores incraſſantibus, 27) a remediis famoſis uterinis ad hyſtericum malum commendari ſolitis 28) a Caſtorinis Medicamentis, 29) ab incongruo & præpoſtero Acidularum & thermarum uſu & denique 30) a perverſa diæta & inconvenienti regimine.

§. VI. Quo magis hic affectus implicatus inſolens & contumax eſt, eo magis ad illius curam exquiſitus ordo & conveniens methodus requiritur, quoniam confuſa experimenta tanto magis ad illius exacerbationem contribuunt; ob id in ſpecialiori cura hujus affectus ſequentes indicationes obſervandæ & exercendæ erunt 1) ut corpus generice & tempeſtive ad reliquam propiorem magisque adæquatam therapiam præparetur 2) ut moleſta urgens & præjudicioſa Sangvinis quantitas in juſta Methodo & opportuno tempore imminuatur 3) ut ſuſpecta & morboſa Sangvinis ſpisſitudo modeſte & ſuccesſive emendetur & attenuetur, 4) ut concurſus immoderatarum commotionum morbum præſentem & conſtituentium & exacerbantium debite mitigetur, 5) ut valde urgentia & ſuſpecta ſymptomata congruo tempore leniantur, 6) ut tam diu affectæ & afflictæ partes legitime & modeſte roborentur & denique, 7) ut conveniens diæta atque regimen ordinetur.

§. VII. Corporis præparatio, quæ in hoc affectu multum valet, diſcrepat ſecundum diverſitatem temporis, quo artifex in conſilium trahitur & gradus ipſius morbi quousque videlicet hic incrementa ſua ſumpſit. Quod etiam illas generales evacuationes primarum regionum per emetica & catarctica attinet, tunc neque in genere emeſis eſt laudanda, neque tamen adeo abſolute eſt reprobanda: quando enim morbus adhuc eſt in ſuis initiis, quando ſubjecta ſunt robuſtiora & evemeta, quando antehac in diæta inordinata, & craſſa conſtituta fuerunt, quando ſexus eſt aptus, quando deſunt molimina ad vomitum cruentum ſpectantia, quando interdum conamina vomibunda intercurrunt, quando ſeſe ſaburra in ventriculo prodit &c. tunc cum utilitate lenis vomitus provocandus eſt, quo antea hoc impedimentum tempeſtive removeatur: Alias vero ſive hic vomitus commiſſus ſive omiſſus fuerit, etiam convenit tempeſtiva abſterſio inteſtinorum, ne inhærentes impuritates reliquam ſalutarem medicamentorum efficaciam turbent & coerceant; hinc conducunt præmittenda abſtergentia, ſalina digeſtiva tartariſata, maxime vero

Sal-

Sal Anglicanum & Mirabile Glauberi: porro conducunt remedia paſſulata, prunata, ut & mitiora laxantia, præcipue in forma liquidiori ordinanda; ſicut Decocta et infuſa Vinoſa pro hoc fine admodum efficacia ſunt.

§. VIII. Proximum opus artificis eſt quo ſundamentalis illa cauſa nimirum moleſta & adverſa plenitudo Sanguinis removeatur, qui actus nonniſi per artificialem Sangvinis ſubtractionem celebrandus eſt: præſtat in hoc opere perinde artificioſe & Methodice procedere, quoniam confuſa Sangvinis Misſio præſentem affectum magis auget & confirmat: Confert itaque Venæ Sectio, quæ magis huic affectui alterando accommodata eſt, quam Scarificatio: Convenit illam celebrare præſervatorio ſcopo & quidem extra acerbiorem hujus mali ſtatum & gradum: proinde confert non modo ſatis capacem inciſionem adminiſtrare, ſed etiam ſufficientem Sanguinis quantitatem emittere: e Brachio ſangvinem educere conſultum minime eſt, unde potius Venæ Sectio in pede ordinari debet: Et quando in certis ſubjectis proclivitas ſpecialior ad hæmorrhoidales fluxus, aut apparatus & conatus hæmorrhoidalis, aut ſuppresſio & turbatio Hæmorrhoidum concurrit, tunc cum multo fructu repetita vice præter præmiſſam genericam Venæ Sectionem Hirudines ad loca hæmorrhoidalia applicantur: Inde eveniet ut abdomen & Venæ portæ tractus propius a Sangvine moleſto & ſuperfluo liberetur: Nunquam tamen expedit ejusmodi Sangvinis evacuationem ſuſcipere, quando pathemata hypochondriaca in exceſſu graſſantur, quando alvus eſt firmiter clauſa et quando primæ regiones valde craſſas et copioſas impuritates detinent.

§. IX. Quoniam porro in præſenti malo eximia & ſuſpecta Sangvinis ſpisſitudo concurrit, ita artifex tempeſtive eo curam dirigere debet, quo neceſſariam ſangvini fluiditatem conciliet: Et hoc loco illa adminicula commendanda ſunt, quæ ſuperius de Spisſitudine Sangvinis propoſita fuere; imprimis quidem conducunt potus ſufficiens, dilutus, juſcula liquidiora, decocta & infuſa calida; præcipue decoctum herbæ Thee non valde ſaturatum, cum cortice citri & cinnamomo mixtum, quod præ decocto Coffee melioris utilitatis eſt, quoniam hoc hypochondriacis obſtructiones alvi, majores flatulentias, inquietudines abdominis & artuum gravitates cauſatur: proinde conferri poſſunt Sanguinis attenuationem adjuvantia, e quibus proſunt radices Cichorii, Scorzoneræ, taraxaci, apii, bardanæ, rubiæ tinctorum, helenii, Vincetoxici, caryophyllatæ, pimpinellæ albæ, herbæ abſinthii, cochleariæ, ſumariæ, Cardui benedicti, Centaurii minoris, capilli Veneris, cuſcutæ, ſcordii, pulegii, meliſſæ, chærefolii, hepaticæ nobilis ſcolopendrii, marrubii albi (quæ bina poſteriora in parca quantitate ordinanda ſunt, & non ſtatim in initio affectus aut ſub acerbiori illius gradu:) non minus adianthum album murarium, ſub decocto

mode-

modeſte aſſumptum, in hypochondrico Melancholico affectu convenit: pertinent huc ſemina reſolventia fœniculi, carvi, cumini, apii, petroſelini, Dauci, ſileris montani, Gummata, Galbani, Ammoniaci, Sagapeni, Bdellii &c. e quibus variæ formulæ parari poſſunt; maxime conveniunt decocta, quæ ſimul Sangvinem perluunt: præter hæc remedia conferendus eſt ſufficiens motus corporis, præprimis conducit qualiscunque moderata ſuccuſſatoria commotio, ſiquidem modeſta equitatio hypochondriacorum Medicina eſt; quo peregrinatio & Vectura convenit: ſunt qui pro eodem ſcopo acidulas temperatas laudant, quæ a nonnullis ſolatium hypochondriacorum vocantur, ſed quæ circumſpecte & temperanter uſurpandæ ſunt: neque moderatus uſus balneorum pro attenuando Sangvine incommodus eſt.

§. X. Hanc præſentem indicationem ſublevant & facilitant remedia ſalina, colliquantia & abſtergentia, digeſtiva & tartariſata, quæ ſpiſſam mucoſitatem in primis regionibus incidunt, ſicut ſpiritus ſic dictus Carminativus & Sal Anglicanum atque Mirabile Glauberi ſingularem utilitatem in hypochondriacis exſerit; Concentrata & ſpirituoſa aperitiva atque reſolventia remedia in hoc affectu non admodum ſecura ſunt, quoniam ad ſuſpectas orgaſticas commotiones diſponunt: Id præcipue valet de ſalibus volatilibus; neque Martialia famoſa, quæ alioquin aperitiva etiam vocantur, hoc prædicato digna ſunt; quoniam illorum apertio cum ſingulari adſtrictione viſcerum conjuncta eſt; Ob id potius ſimpliciora remedia ſangvinem eluentia ſeligenda ſunt: quicquid enim in hoc affectu cum impetu urgetur, illud utplurimum ſiniſtros ſucceſſus obtinet.

§. XI. Sed dum affectus hypochondriacos cum multiplicibus arduis & urgentibus ſpaſticis commotionibus ſeſe prodit, propterea proxima indicatio eſt, quo in reliqua hujus mali tractatione Medica præſentes immoderatæ commotiones mitigentur; hæc mitigatio vel per Lenitionem, vel per Temperationem, vel per Sedationem, vel per Specificam cohibitionem procedit: E Lenientium numero ſunt diluentia, humectantia & eluentia, ſub diæta uſurpanda: Ad Temperantia remedia pertinent pulveres nitrati aliquoties offerendi; cavendo ne nimia abſorbentium quantitas commiſceatur: Sedativam ſelectam & ſecuram virtutem, in hoc affectu habet præ opiatis formulis Cinnabaris & Chaccarilla & hæc ſive in extracto, ſive in tinctura exhibenda eſt: Speciali denique uſu ad compeſcendos immodicos ſpaſmos circa Venam portæ ſævientes confert Millefolium, ſive in Decocto, ſive in Eſſentia uſurpatum, prout hæc eſſentia cum eſſentia Chaccarillæ & Pimpinellæ albæ, aliaque carminativa mixta ſatis utilem efficaciam in hos ſpaſmos mitigandos transfert; proinde proficit ſufficiens commotio corporis, nec non abſtinentia

tia a cibis incongruis & nimia oppletione ventriculi, ut & juſtus ſucceſſus excretionis alvinæ, quæ in hoc caſu cum lenientibus magis adjuvanda eſt; ſiquidem pro eodem fine remedia prunata, paſſulata & poma dulcia cocta, poma borsdorffiana conferunt: proſunt inſeſſus cum herbis temperatis nervinis parati, ut & denique linimenta ex oleo chamomillæ, anethino, Corticum aurantiorum, Nucis Moſchatæ cum tantillo caſtorei facta & regioni umbilicali modeſte applicata in hoc paſſu proſunt.

§. XII. Dum porro in præſenti affectu multa Symptomata & ex illis quidem ſatis ardua & moleſta occurrunt, hinc pro illorum mitigatione conſilium & auxilium conveniens ſubminiſtandum eſt. Inter conſueta ſymptomata occurrit alvi ſegnities & adſtrictio, quæ propterea cum internis & externis lenientibus & modeſte abſtergentibus corrigi debet; vitanda vero ſunt talia, quæ aliquam flatulentiam cauſantur; unde rectius ſimplicia alvum elubricantia, prunata & paſſulata ſeligenda ſunt: proinde interdum affligunt conatus vomendi, quin ipſi actuales vomitus, quibus mitigandis conveniunt pulveres nitroſi, Cinnabarini, nec non eſſentia chaccarillæ cum temperata eſſentia Carminativa remixta: multum etiam moleſtiæ inducunt flatus contenti & occluſi, quibus educendis præ aliis adminiculis proſunt clyſteres emollientes & modeſte roborantes; hiſce in fœminis tantillum matricariæ ſociari poteſt; proinde proſpiciendum eſt, quo alvus aperta maneat; ſubjungantur itidem nonnunquam temperata carminativa remedia & conjungatur diæta congrua, ne flatulentia revocetur: quando moleſti ructus patientes afficiunt, tunc proſunt prædicti clyſteres, abſorbentia cum acidis ſaturata, Coralliata & nitrata remedia, nec non eſſentiæ temperatæ carminativæ, aut ſemina noſtratia carminativa maſticata, ut & cortex chaccarillæ; quando nimiæ anguſtiæ affligunt tunc proſunt pulveres antiſpaſmodici & decocta ſimpliciora, cum tantillo herbæ ſcolopendrii mixta; conjungatur etiam aliqualis motus corporis & uſus pediluviorum: quando caput valde dolet, tunc ordinentur remedia antiſpaſmodica nitrata, pediluvia, laxantia, correcta aloetica & interdum clyſteres: quando phlogoſis frequens concurrit, tunc conveniunt nitrata abſorbentia cum acidis ſaturata, coralliata & remisſius acidulata, non excluſo nonnunquam ipſo ſero lactis, modo primæ viæ a ſuſpectis ſordibus liberæ ſint: in clavo hyſterico fœminarum illa conducunt, quæ peculiari capite in præcedentibus commendata ſunt: in Lipothymiis omittantur volatilia, ſuaveolentia & caſtorina, quæ caput magis turbant; conveniunt potius ſimplices aquæ analepticæ, remedia nitrata & ſpiritus tartari ad exiguas guttulas exhibendus.

§. XIII. Quoniam itaque in hoc malo tam contumaci atque chronico partes affectæ valde laborant & ſucceſive eo usque affliguntur, ut neceſſa-

tium ſuum tonum amittant & ulterius infarctibus magis pateant atque obtemperent, hinc proxima artificis cura eſſe debet, quo ad partes roborandas congrua quædam medicamina ordinet: præſtat hæc remedia tum demum ordinare, quando præcedentes indicationes ſufficienter exercitæ fuerunt, ne per præmaturam roborationem ſuſpecta quædam viarum conſtrictio inducatur; conveniunt itaque partim moderata aromatica e Citro, Cortice aurantiorum & Cinamomo ſelecta, partim mitiora Martialia, ut antimonium diaphoreticum Martiale Ludovici, tinctura Martis tartariſata, tinctura vitrioli Martis tartariſata Ludovici, tinctura Martis cum ſucco pomorum, nec non conſueta Mixtura e tinctura Antimonii tartariſata & ſpiritu Cornu cervi parata, præſtat proinde talia remedia non nimis frequenter, ſed per intervalla exhibere, inſuper etiam conjungere ſufficientem potum & proſpicere, ne alvus occludatur, hinc interponenda ſunt alvum iterum liberantia & lenientia, ſive moderate laxantia; eximiam utilitatem tam pro hoc ſcopo quam pro aliis reſpectibus habent pilulæ Stahlianæ atque genuinæ correctæ Becherianæ.

§. XIV. Agmen denique in præſenti tractatione claudit ordinatio diætæ & regiminis convenientis: multum prodeſt, ſi ejusmodi ægrotantibus vel conſuetus Hæmorrhoidum, vel ordinarius Menſium fluxus promovetur & ordinatur, modo id cum omni lenitate & moderamine fiat: alias etiam præſervatorio ſcopo & Venæ Sectiones & hirudinum applicationes ſedulo repetendæ ſunt; alvus maneat lubrica & aperta, nunquam vero perturbetur, diæta ſit moderata, mollis, non craſſa & ſicca, neque ad flatulentias generandas apta, ſed potius diluta & humida, hinc juſcula multum proſunt hypochondriacis: modeſtus aromatum & vini uſus non nocet: proficit potus ſufficiens, ſed valde temperatus: nocet potus ſpiſſus & nimis refrigerans, motus eſt optima Medicina pro hypochondriacis; animi pathemata ſunt peſtis pro hiſce ægrotantibus, & inter alia etiam fugiant veneris abuſum: interdum adhibenda ſunt pediluvia & balnea dulcia temperata & ſine eximio Sangvinis orgaſmo efficacia, peregrinatio & qualiscunque alia animi erectio multum conducit hypochondriacis; Nocet contra nimia ſolitudo & ſedentaria vita; aëre utantur temperato & magis calorem moderatum, quam frigus admittant; de reliquo in aliis rebus, circa quas verſantur, modum & temperiem ſervent.

Conf. Stahlii Diſſ. de Hypochondriaco-Hyſterico Malo.

CA-

CAPUT LXII.

DE

MALO SPLENETICO.

§. I.

PRæ aliis hæc eſt afflictio, quæ interdum cum hypochondriacis pathematibus concurrit, aliquando vero ſingulari quadam ratione prædominium quoddam habet, ut propterea cura propius adhoc malum dirigenda ſit: eo magis hæc afflictio aſſiduam medelam poſtulat, quo magis contumax illa eſſe ſolet, ſiquidem interdum eadem alia ſontica pathemata in conſenſum trahit: præſtat itaque hujus mali veram indolem noſſe, quando de certiori & efficaciori reſtitutione aliqua medela affulgere debet & quamvis ejusdem afflictionis variæ aliquando cauſæ occurrant, tamen in Pathologia Medica prærogativam aliquam tuetur ille reſpectus cauſalis, quando paulo frequentius Spleneticum malum cum hypochondriacis & hæmorrhoidalibus anomaliis ſpecialem ſuam communionem obteſtatur; dum obparticularem illam reſtrictionem Sangvinis ad ventriculum hic morbus ortum trahit, imo dum a remotiori illa ſpasmodica commotione, ad hæmorrhoidalem fluxum tendente, idem morbus pendet, quæ commotio circa venæ ſpleneticæ & hæmorrhoidalis concurſum adminiſtratur, ut ita hæc reſtrictio & regurgitatio ad Lienem pro indole hujus calamitatis genuina cauſa evadat.

§. II. Ob id pathologiæ practicæ Mali Splenetici multam lucem affundit cognitio affectus Hypochondriaci & anomaliarum hæmorrhoidalium, ſicut etiam ſubinde idem malum a perverſis ſtricturis, primis regionibus inductis, ortum trahere ſolet, quo loco perverſas febrium intermittentium curationes taxo, non minus molimina ad vomitum cruentum tendentia bene dijudicari debent, quæ perinde tale malum invitant; ſicut prægreſſæ incongruæ & temerariæ commotiones artificioſæ emeticæ hujus mali cauſam conſtituerunt, ut nihil dicam, de craſſis quibusdam violentiis, ſiniſtro hypochondrio inductis, quæ ad ſplenis vitia anſam præbuerunt, utpote quas ſingulas cauſas artifex probe ſcire debet, quo iisdem deinde e vero fundamento ſatisfacere poſſit; imprimis convenit obſervare illos concurſus motuum Spasmodicorum in hoc affectu, cum quibus tale malum incipit, continuat, atque concurrit; inde etiam eſt, cur hæc ſplenis afflictio tam facile hypochondria-

eis pathematibus aſſocietur, imo cur ſub improvido adſtringentium & hæmorrhoidalem fluxum urgentium remediorum uſu talis calamitas moleſta & dolorifica ſiniſtrum hypochondrium occupet, unde inclareſcit, e quo contumaci & ſontico fonte hoc particulare malum profluit.

§. III. Dum hoc malum valde refractarium & pertinax eſt, ita ingenuus artifex eo majorem ſolertiam adhibere debet, quo minus per incongruam medicationem illud offendat, confirmet & exacerbet, propterea in therapia hujus affectus cavendum eſt 1) a qualicunque artificioſa Emeſi 2) a poſitivis & potentibus purgantibus 3) ab ordinariarum excretionum, maxime vero alvinarum perturbationibus 4) a negligentiori ſtatus plethorici æſtimatione & tractatione 5) a negligentiori concurſuum hæmorrhoidalium obſervatione & directione 6) a remediis Maſſam Sangvineam valde impellentibus & turgeſacientibus 7) ab incorrectis & copioſis aloeticis & Helleborinis 8) a curatorio uſu Salium Volatilium & quorumvis concentratorum remediorum 9) a præmaturo uſu ſtomachicorum remediorum 10) ab antiſcorbuticorum remediorum liberali & prodigo uſu 11) a nimia terreorum abſorbentium ordinatione 12) tanto magis vero a poſitivis adſtringentibus Medicamentis, ut & 13) a vulgari perſuaſione & fiducia de communi Martialium uſu concepta 14) a vulgari opiatorum uſu 15) ab antiſpleneticorum ſpecificorum nimis confuſo & promiſcuo uſu 16) a nimis mutata, confuſa, variabili & inconſtanti remediorum oblatione 17) a præpoſtera acidularum & thermarum ordinatione 18) a nuda urgentium ſymptomatum conciliatione & negligenti radicis mali tractatione 19) a qualicunque methodo, malum valde urgente & præcipitante & denique 20) a perverſi regiminis & diætæ inconvenientis uſu.

§. IV. Poſitiva & ſpecialis cura hujus mali quoad genuina ſua fundamenta hoc ordine erit adminiſtranda, ut ante omnia corpus & ſimul primæ regiones a craſſis impuritatibus liberentur & ſubinde alvinæ excretiones in juſtum ordinem transferantur; conveniunt itaque e Diæteticis ſimpliciſſima auxilia, imprimis ſufficiens potus, decocta liquida, juſcula fluida, uſus olei olivarum & butyri, ſubjecta prunata & paſſulata, pyra & poma dulcia cocta, lacticinia, infuſa calida, præcipue herbæ thee; e pharmacevticis vero conferunt Rhabarbarina, Polypodium, Tamarindi, Pilulæ Becherianæ & Stahlianæ, Salia tartariſata, Sal Mirabile Glauberi, imprimis Sal Anglicanum & in ſubjectis robuſtioribus oxymel ſquilliticum helleboratum; uti Rhabarbarina cum paſſulis mixta ſatis laudabilem uſum lienoſis promittunt: proinde poſſunt & debent in reliqua cura hujus affectus evacuantia talia remedia interdum continuari, ubi infuſa Vinoſa per intervalla uſurpata proficiunt, ſub quorum uſu, uti alias ſemper per totam curam motus corporis ſufficiens conferendus eſt;

quem-

quemadmodum alias Celſus exercitationem corporis pro ſpleneticis ſubjectis eximie commendat.

§. V. Porro conducunt auxilia, quæ Sangvinis fluiditatem atque progreſſum adjuvant, eapropter proſunt humectantia, tempeſtivus uſus temperatarum acidularum & thermarum, quemadmodum balneorum moderate calidorum modeſta ordinatio utilitate ſua non caret; ſubinde conferunt decocta diluentia & reſolventia, paranda e radicibus Cichorei, Taraxaci, Apii, Scorzoneræ, Vincetoxici, Rubiæ tinctorum, herbis Veronicæ, Scordii, Chærefolii, Hepaticæ nobilis, capilli veneris, bellidis minoris, floribus Sambuci, Chamomillæ, Papaveris rhæados &c. uti infuſa vinoſa e radicibus reſolventibus & modeſte diureticis, nec non herbis antiſcorbuticis aliisque abſtergentibus cum additamento laxantium remediorum parata, pro eodem ſcopo conferunt: & dum talia remedia adhibentur, præſtat una conjungere ſufficientem motum corporis, quemadmodum modeſta equitatio admodum proficit in affectu ſplenetico; interea etiam, quantum fieri poteſt concurrentes motus hæmorrhoidales ad juſtum exitum & fluxum promoveri debent: eximiam efficaciam habent in hoc malo PilulæBecherianæ &Stahlianæ,nec non remedia lenientia & alvum in lubricitate ſua conſervantia: proinde ſucci herbarum reſolventium cum decoctis mixti proſunt, ſic inter alia remedia Adianthum album prædictis decoctis commiſceri poteſt, nec non parca quantitate Scolopendrium & Marrubium album cum fructu in decoctorum forma applicari poſſunt, quæ ſingula tamen remedia cum aliquo moderamine adhibenda ſunt.

§. VI. Quoniam vero in hac afflictione variæ ſpaſmodicæ moleſtiæ concurrunt, propterea illis mitigandis & leniendis omne ſtudium adhibendum eſt; conferunt propterea pulveres antiſpaſmodici, nitroſi, Cinnabarini, nec non interna lenientia, moderate emollientia & remiſſius pingvia: multum etiam conferunt clyſteres emollientes & mitius roborantes, ſi flatulentia affligit; præterea ad compeſcendos immoderatos ſpaſmos circa Venam portæ graſſantes, Decoctum aut eſſentia Millefolii prodeſt, quæ poſterior cum eſſentia quadam temperata carminativa mixta convenit; ſicut pro eodem uſu CortexChaccarillæ ad ſedandos hoſce ſpasmos in variis formulis proficit; non minus conducunt extrinſecus linimenta ex oleo chamomillæ, anethino, oleo deſtillato Cort: aurantiorum, Nucis Moſchatæ &c. cum addito tantillo caſtorei parata uti inſeſſuum modeſtus uſus ad eundem finem quadrat: multum porro ad præoccupandas & leniendas tales ſpaſmodicas anomalias confert, quo alvus conſtanti libertate gaudeat, ubi tamen ab omni immodeſta provocatione abſtinendum eſt; præterea hos ſpaſmodicos cruciatus demulcent ac corrigunt ſufficientes corporis motus ut & potus infuſorum calidorum.

§. VII. Paſſim etiam in hoc malo a practicis commendantur & allegantur topica remedia, a quibus haud ſingula ſecurum effectum habent; ad minimum abſtinendum eſt a valde adſtringentibus, repellentibus & refrigerantibus; rectius proſunt cataplaſmata ex emollientibus, reſolventibus & lenientibus ſpeciebus parata, uti interpoſitus uſus emplaſtri de Ammoniaco, de cicuta & Saponati Barbette tantillum proſunt, modo non nimis diu applicentur; præterea etiam partium roborationi promovendæ opera adhibenda eſt, ubi poſt ſufficientem uſum prædictorum remediorum denique tonica remedia ordinanda ſunt, e quibus conferunt Mixtura roborans noſtra uſitata, nec non tinctura Martis tartariſata & quæ alia hujus ſelectus & temperati effectus ſunt: quod ſpecifica denique attinet, quæ in ſplenis morbis paſſim recenſentur, tunc plurima illorum votis ac promiſſis ſuis non reſpondent, & licet oleum capparum aliqualem utilitatem afferat; illud tamen haud adeo eximie expectationibus ſatisfacit, quo hoc prædicato ſpecifici remedii dignum prædicari queat. De reliquo omnium maxime præſtat præſervatorias Sangvinis imminutiones ordinare, quo Venæ Sectio in pede & pro ratione circumſtantiarum hirudinum applicatio ad loca hæmorrhoidalia pertinet. Diæta ſit mollis, diluta, neque valde alimentoſa: potus ſit ſufficiens & temperatus, animus ſit quietus & continens, non parum etiam peregrinatio conducit: optimum denique præſervatorium auxilium eſt, ſi fluxus hæmorrhoidalis tempeſtive revertitur & congrue progreditur.

Conf. Diſp. mea de Malo Splenetico.

CAPUT LXIII.

DE

FLUXU HEPATICO.

§. I.

INter alias excretiones, quæ peculiarem animadverſionem merentur, eſt præſens affectus, qui cum negotio hæmorrhoidali interdum colludit, interdum cum aliis evacuationibus confunditur; quamvis vero fluxus ille alvinus ſangvinolentus, qui ſecundum abſolutam traditionem hepatis atoniæ adſcribitur, infrequentius in regionibus frigidioribus occurrat, tamen nihilominus conſultum & neceſſarium eſt, quo illius vera indoles & conveniens therapia

rapia inculcetur, ne reliqua amethodia & antipraxis in hoc affectu variis aliis damnis conſequentibus anſam præbeat; ſiquidem utplurimum ex prӕmatura & ſimplici illius fluxus ſuppresſione ſontici & interdum incurabiles morbi chronici oriuntur, ut ſunt Hydrops, Hectica, ſcirrhus hepatis, obſtructio contumax alvi &c. eapropter artifex minime in nuda & ſubitanea inſolitæ hujus excretionis cohibitione acquieſcere & ſecurus eſſe debet, cum potius cauſæ & fundamenta hujus affectus intricatiora exiſtant adeoque in invenienda juſta medendi methodo ſingulari circumſpectione & dexteritate artificis opus ſit.

§. II. Quoad pathologicam hujus affectus disquiſitionem notandum eſt, quod ipſe aliquando anomalis commotionibus hæmorrhoidalibus adſcribendus ſit, proptereaque cum fluxu hæmorrhoidali communionem quandam habeat; interim quia illi motus vagi, imperfecti & inſufficientes ſunt, propterea ipſe effectus & præſens fluxus imperfectus, mixtus & incongruus eſt; aliquando vero ad talem fluxum diſponit ſuſpectus quidam hepatis infarctus, undecunque etiam ipſe ſubnatus fuerit, hic impedit, quo minus facile & tempeſtive Sangvis in Venam portæ fluens progredi & intra hepar ſeſe effundere poſſit, hinc oriuntur ejusmodi reſtagnationes & regurgitationes, uti verſus alia loca, ita etiam ad hæmorrhoidales regiones, ut inſufficienter ex iisdem, imo etiam turbulenter Sanguis erumpat & ab hinc mixta talis excretio ortum trahat; ubi ſubinde providus artifex bene attendere debet tum concurſum ſtatus plethorici, tum conjunctam & moleſtam Sangvinis ſpisſitudinem, quo illis incommodis in ſubordinanda therapia congrue ſatisfacere queat.

§. III. In cura hujus affectus rite invenienda & dextre adminiſtranda cavendum eſt 1) a quibusvis crudis, crasſis & potentibus evacuantibus 2) a negligenti & inſufficienti directione & promotione ordinariarum excretionum 3) ab incurioſa æſtimatione & tractatione ſtatus plethorici & concurrentis negotii hæmorrhagici, 4) a præmaturo uſu remediorum carminativorum, 5) a remediis calefacientibus, impellentibus, acribus concentratis, 6) a curatorio ſalium volatilium uſu 7) a præmatura Martialium ordinatione, 8) tanto magis vero a Martialibus valde adſtringentibus aliisque remediis ejusdem effectus, 9) a medicamentis incraſſantibus & ſpisſitudinem humorum magis urgentibus, 10) ab Aloeticis incorrectis & largo illorum reliquo uſu, 11) a vulgato opiatorum uſu & denique, 12) a confuſo remediorum hepaticorum uſu.

§. IV. Eſt itaque fluxus hepaticus tali ordine atque modo tractandus, ut 1) generalia impedimenta tempeſtive & ſufficienter removeantur, 2) ut genuinæ hujus affectus cauſæ recte tractentur, 3) ut partes hactenus affectæ iterum rite roborentur, 4) ut conveniens præſervatio atque regimen præſcribatur.

Pri-

Primum quod concernit, tunc inter alia impedimenta occurrit alvinæ excretionis turbulentus ſucceſſus, qui propterea corrigendus & in ordinem juſtum ducendus eſt; alias conferunt remedia Rhabarbarina, paſſulata, prunata, Pilulæ Stahlianæ, Becherianæ, infuſa vinoſa Rhabarbarina modeſtius helleborata, aut etiam quando flatulentiæ quædam concurſant clyſteres emollientes apte commendari poſſunt; minime vero admittenda ſunt purgantia ſtimulantia; deinde generalibus impedimentis adſcribenda eſt moleſta Sangvinis abundantia, quæ rectius præſervatorio ſcopo cum Venæ Sectione, in pede celebranda, imminui debet; ſiquidem in ſubjectis hæmorrhoidariis ſubordinatæ hirudinum applicationes ad loca hæmorrhoidalia conveniunt; denique etiam ſuſpecta ſangvinis ſpisſitudo correctione quadam indiget, quo ſingula illa adminicula conferunt, quæ paſſim in præcedentibus circa ſangvinis ſpisſiorem emendationem commendata proſtant.

§. V. Quoad alteram Indicationem in cura hujus affectus artifex propius ad cauſas hujus fluxus accedere debet: quod ſi itaque incongrui motus hæmorrhoidales in culpa fuerint, tunc adhibenda ſunt remedia Cinnabarina ut & tinctura Corticis Chaccarillæ cum eſſentia pimpinellæ albæ & gentianæ rubræ mixta, ſiquidem ſpeciali ratione in hac neceſſitate eſſentia Millefolii cum prædictis eſſentiis conducit: maxime conferunt pilulæ Sthalianæ aut Becherianæ, aut clyſteres lenientes; quod ſi vero hujus fluxus cauſa in hepate hæſerit & infarctus hujus in culpa fuerit, tunc maximum adminiculum affert ſufficiens motus corporis, imprimis equitatio, tempeſtivus & temperatus uſus acidularum & thermarum, decocta e cichorio, taraxaco, apio, bardana, petroſelino & herbis chæreſolii, veronicæ, hyſopi, capilli veneris &c. parata; nec non conferunt Infuſa Vinoſa e reſolventibus, abſtergentibus & modeſte diureticis remediis facta, ut ſunt radix Vincetoxici, pimpinellæ albæ, caryophyllatæ, helenii, gentianæ rubræ, coſti dulcis, cyperi rotundi, herbis abſynthii, cochleariæ, fumariæ, centaurii minoris &c, floribus ſambuci, calendulæ, Stœchados arabicæ &c. Corticibus Citri, Cinamomi, Aurantiorum, Winteriano, addendo paſſulas minores & majores, Rhabarbarum, polypodium & arcanum tartari, interpoſitis remediis nitroſis, ſalibus digeſtivis, tartariſatis, quin ipſo Sale Epſonienſi.

§. VI. Quando itaque hæ cauſæ principales ſufficienter tractatæ & eliminatæ ſunt, tunc præſtat partibus, quæ huc usque affectæ fuere, neceſſarium robur ac tonum conciliare & reſtituere, id ipſum variis modis fieri poteſt, videlicet per diætetica & pharmaceutica roborantia: Ad priorum claſſem pertinet ipſe modicus & congruus boni vini uſus, nec non diæta modeſte aromatiſata, non excluſo corticis citri conjuncto uſu: Et quo talis præviſa roboratio

ratio melius ſuccedat inſuper apta diæta conjungenda eſt, ne per incongruum cibum & potum primæ regiones ulterius offendantur & turbentur: E pharmaceuticis adminiculis conducunt ſingula illa tonica remedia, quorum paſſim mentio facta fuit; imprimis huc ſpectat Mixtura noſtra roborans, ut & tinctura Martis, tinctura vitrioli martis tartariſata Ludovici, tinctura Martis cum ſucco pomorum, tartarus vitriolatus martialis, Crocus Martis Antimoniatus, Antimonium diaphoreticum Martiale Ludovici; quorum uſui ſubjungenda ſunt ſalina abſterſiva & remedia reſolventia temperata, præcipue eſſentiæ angelicæ, caryophyllatæ, vincetoxici, carlinæ, imperatoriæ, pimpinellæ albæ, gentianæ rubræ &c. Subinde etiam providendum eſt, ne uſum talium tonicorum remediorum excipiant ſuſpectæ obſtructiones alvi, quin potius eo tempeſtive cura applicanda eſt, quo excretio alvina iterum in ordinem juſtum transferatur; quo ſcopo Diætetica lenientia diluentia, emollientia, lacticinia, juſcula gelatinoſa, paſſulata auxilia conferenda ſunt.

§. VII. Supereſt denique, ut in hoc affectu talia commendentur auxilia, quorum utilitas ſeſe in futuros ſucceſſus extendit; ante omnia præſtat præſervatoriis temporibus Sangvinem convenienter imminuere per Venæ Sectionem in pede inſtituendam; deinde in ſubjectis hæmorrhoidariis cum multo fructu hirudines ad loca hæmorrhoidalia applicari poſſunt: Alvus ſemper ſit libera & lubrica: motus corporis ſit ſufficiens, præcipue modeſtæ ſuccuſſatoriæ commotiones conveniunt, quare peregrinationes & equitationes laudo: Animus conſervetur in continentia & tranquillitate; diæta ſit moderata, non nimis plena, non valde alimentoſa, neque admodum ſpirituoſa, potus ſit ſufficiens, ſed neque valde ſpirituoſus, aut perquam ſpiſſus: multum proficit ſi ejusmodi homines ſucceſſive ad fluxum hæmorrhoidalem præparantur & quidem quando alias in ejusmodi ſubjectis propenſio ad Hæmorrhoides adeſt; omnium maxime evitari debent exceſſus diætetici & uſus ciborum primas regiones valde turbantium: ita etiam ira omni ſtudio vitanda eſt; nonnunquam conveniunt modeſti inſeſſus, qui ad æqualem Sangvinis progreſſum invitandum contribuunt: ad præſervatorios inſuper uſus commendandæ ſunt pilulæ Stahlianæ & Becherianæ, quidquod de reliquo cura habenda eſt, quo impuritates primarum regionum ſedulo abſtergantur: denique ſub diæta Cichorei & Endivii uſum approbo.

CAPUT LXIX.

DE

INFARCTU ET SCIRRHO HEPATIS ET LIENIS.

§. I.

CUm hi affectus utplurimum gradu differant, & ſubinde communiter ab una eademque cauſa dependeant, imo cum hactenus explicati & prædicti affectus cum præſentibus non exiguam convenientiam habeant & ſeſe plane in hoſce convertant, aut ſub graviori decurſu illos invitent, ita horum affectuum jam ſpecialem mentionem facere lubet, præprimis quoniam & Infarctus & Scirrhus harum partium una eademque medendi methodo tractari poſſunt atque debent: Interea in genere de hiſce morbis notandum eſt, quod eapropter caute tractari debeant, quo magis nobiliora talia viſcera laboran, & quo magis præſens labes non modo contumax eſt, ſed & in lethalem deteriorationem præceps ruit: Et licet infarctus paulo mitior ſit afflictio, quam perfectus ſcirrhus, attamen in utroque affectu reſeratione, reſolutione & abſterſione horum viſcerum opus eſt, ubi ſimul annotare convenit, quam diu talis calamitas duraverit & quam late in affecto loco expanſa ſit, ut eo ſecurius in ſuo opere procedere poſſit artifex.

§. II. Imprimis convenit primas horum affectuum origines indagare & inquirere, quo usque plenitudo & ſpiſſitudo, nec non impeditus Sangvinis progreſſus per hypochondria ad eosdem contribuerit & quantum adhuc hæ generales, ſed ſatis efficaces cauſæ inſiſtant: quidquod ſeorſim annotare convenit illas ſpeciales reſtrictiones & congeſtiones Sanguinis ad has partes directas, aut adhuc durantes, quæ cum eventu hæmorrhagico aliquando communicant, teſtimonio moliminum ad Vomitum Cruentum ſpectantium: Non minus obſervari debent concurſus pathematum & anomaliarum hæmorrhoidalium, nec non prudens artifex habebit occaſionem perquirendi, quomodo præcedentes morbi curati ſint, ubi præſentes affectus hepatis & lienis ex corrupto affectu hypochondriaco, ex corruptis motibus & fluxibus hæmorrhoidalibus & ex corrupta febre intermittente originem ducere conſpiciuntur; ſubinde etiam circumſpicere debet Medicus, an tales affectus ab externa quadam violentia ortum traxerint, an etiam illi affectus eousque accreverint, ut

febri-

ſebriles & quidem hecticodeæ commotiones concurrant & quod maximum eſt, ſollicite inquirere convenit, an tales patientes jam ſub diverſorum Medicorum manibus fuerint, in quo paſſu non male agit circumſpectus Medicus, ſi præcedentibus artificibus gloriam impetratæ reſtitutionis relinquit.

§. III. Quo magis viſcera hæc hiſce afflictionibus laborantia, ſingularibus uſibus in oeconomia vitali inſerviunt, eo major circumſpectio in præſentium morborum cura adhibenda eſt; propterea pro ſecuriori therapia horum morborum invenienda ac adminiſtranda cavendum eſt 1) ab omnibus impetuoſis crasſis & prodigis evacuationibus, 2) ab ordinariarum excretionum perturbationibus & ſuppresſionibus, vel confuſis promotionibus, 3) a negligentiori ſtatus & concurſus plethorici obſervatione & tractatione; 4) a prægreſſarum commotionum & ſucceſſionum hæmorrhagicarum incongrua & temeraria tractatione, 5) a quibusvis remediis, vias & humores valde impellentibus, 6) a promiſcuo, inopportuno & copioſo hepaticorum & ſpleneticorum uſu, 7) ab abſorbentium, præcipue vero craſſiorum frequenti & copioſa oblatione, 8) ab incraſſantium & acidorum medicamentorum commendatione, 9) a remediis primas regiones immodeſte commoventibus & affligentibus, 10) a curatorio uſu ſalium volatilium, tam in ſicca, quam in humida conſiſtentia comprehenſorum, 11) a quibuslibet adſtringentibus & deobſtruentibus remediis, 12) tanto magis vero a vulgari Martialium uſu 13) a remediis narcoticis & ſimpliciter palliativis 14) a nimis turbulento & multiplicato medicamentorum uſu, 15) ab exoticorum balſamicorum acrium & concentratorum vel indiſcreta vel præmatura oblatione, 16) a remediorum ſpecificorum nimis confuſa & amethodica ordinatione, 17) ab aquarum ſubterranearum intempeſtivo uſu, 18) a nimis præcipitata & impatienti methodo medendi, 19) a perverſo & incongruo regimine & denique 20) a formulis multiplices excretiones ſimul urgentibus, aut perverſas alterationes uno eodemque tempore concernentibus.

§. IV. Specialis therapia præſentium morborum ſequentibus indicationibus practicis erit inſtruenda & exercenda 1) ut corpus afflictum convenienter ad ſubordinandam ſpecialem curam præparetur 2) ut incongruæ commotiones, quæ ad confirmandos hosce affectus inſerviunt, mitigentur 3) ut affectorum viſcerum apertio & reſeratio adjuvetur 4) ut concurrentia ſontica & contumacia ſymptomata emendentur 5) ut denique juſtum regimen & conveniens diæta præſcribatur; maxime vero confert has indicationes non fugitive, impatienter, inconſtanter & audacter urgere, ſed potius cum maxima lenitate atque conſtantia exercere, ita quidem, ut ſimpliciores operationes aliis ſpecioſioribus magisque artificioſis præferantur; omnium maxime ratio ha-

benda eſt illarum originum, quotquot ad præſentes affectus contribuerunt & quemadmodum hi morbi multum cum affectu hypochondriaco colludunt, ita in genere ad illarum ſolidam & rationalem curam talia conſilia & auxilia conquirenda ſunt, quæ in præcedentibus de hypochondriaco & ſplenetico affectu commendata proſtant.

§. V. Præparatio corporis ad ſubjungendam ſpecialem curam horum morborum ita eſt adminiſtranda, ut in genere antea primæ regiones ab inhærentibus ac urgentibus impuritatibus repurgentur, quo deinde reliqua remedia eo melius eoque facilius ad loca affecta penetrare queant; conferunt itaque reſolventia, incidentia, colliquantia, ſive ſalina digeſtiva & tartariſata, ſive vegetabilia, e quibus poſterioribus amara antiſcorbutica & præcipue ſquilla, modeſtius uſurpata, multum conducunt: E priorum numero imprimis proſunt ſalia, facile ſolubilia & inter illa tartariſata, Anglicanum, Mirabile Glauberi & quæ hujus indolis exiſtunt alia; præterea conducunt remedia ſennata, correcta aloetica Rhabarbarina, prunata & paſſulata, quæ uti mitius, ita etiam ſecurius in tali caſu operantur; deinde ratio habenda eſt urgentis plenitudinis ſanguinis, quæ propterea opportuno tempore per Venæ Sectionem in pede celebrandam, imminuenda eſt: pro eodem ſcopo multam utilitatem in hisce affectibus, tanto magis in ſubjectis hypochondriacis, affert hirudinum applicatio ad loca hæmorrhoidalia: denique etiam ſuſpecta ſpisſitudo reliquam futuram praxin impedire poteſt, quæ itaque poſt præmiſſam imminutionem ſanguinis per ſimplicia diluentia & humectantia adminicula corrigi debet.

§. VI. Motus in hisce affectibus præjudicioſi non ſunt alii, quam ſpasmodici & congeſtorii, qui itaque ſucceſſive leniendi ac emendandi ſunt; pro hac indicatione conveniunt adminicula partim lenientia, partim temperantia, partim ſedantia & ſpeciali ratione cohibentia. Lenientem efficacem habent potus ſufficiens, Infuſa calida, juscula pinguia, decocta liquida & gelatinoſa, quin aliquando modeſtus lactis uſus internus: Temperantem vim habent remedia nitrata & parcius abſorbentia, aut interdum interpoſita abſorbentia cum acidis ſaturata: neque quidem in hac indicatione pro effectu leniente promovendo parum proſunt Clyſteres, præprimis emollientes, quos propterea cum ſingulari nota commendo: Sedativa virtute ſelecta & ſecura prædita ſunt Cinnabaris, Cortex chaccarillæ & ſimpliciora papaveracea; cavendo, ne vulgaria opiata remedia intermiſceantur: denique ſpeciali ratione convenit Millefolium ad ſpasmos hypochondriacos coercendos, tali modo atque ordine adhibendum, uti ſæpius hactenus traditum fuit; cavendum tantum, ne illius uſus præmature occupet, neve præmittatur, priusquam corpus ſufficienter

enter

enter præparatum fuit, ab extra denique conveniunt linimenta & cataplaſmata lenientia, emollientia, diſcutientia & cum tantillo Croci, Camphoræ & Caſtorei commixta.

§. VII. Quoniam vero præcipua afflictio in præſenti affectu conſiſtit in occluſione horum viſcerum: hinc quovis modo illorum apertio & reſeratio eſt adjuvanda; in quo negotio variæ occurrunt approbationes artificum circa utilem acidularum & thermarum uſum occupatæ, quando videlicet eædem tempeſtive & cum moderamine ordinantur. Deinde alia lenientia, diluentia & humectantia conferunt, non excluſis balneis domeſticis & modeſto illorum uſu; præprimis proſunt interna reſolventia, diſcutientia & abſtergentia, quo loco vel decocta, vel infuſa vinoſa apprime conducunt, ſub quorum uſu modeſta corporis commotio præcipue ſuccuſſatoria, ſive per equitationem, ſive per vecturam commiſſa, conferenda & continuanda erit, ſeorſim e reſolventium, diſcutientium & abſtergentium numero conducunt Radix cichorii, taraxaci, ſcorzoneræ, rubiæ tinctorum, aſparagi, caryophyllatæ, vincetoxici, pimpinellæ albæ, ſquillæ, gentianæ rubræ & albæ, diptami albi, coſti dulcis, cyperi rotundi, angelicæ, leviſtici, herbæ abſinthii, centaurii minoris, cochleariæ, cardui benedicti, fumariæ, capilli veneris, cuscutæ, hyſſopi, ſcolopendrii, hepaticæ nobilis, bellidis minoris & hortenſis, beccabungæ, naſturtii, chærefolii, flores calendulæ, lavendulæ, ſtœchados arabicæ, ſambuci, centaurii minoris, comæ abſinthii, ſummitates origani &c. Semina aniſi, fœniculi, carvi, baccæ lauri & Juniperi, Cortex Winteranus, Citri, Cinnamomi, Aurantiorum, Gummi Ammoniacum, Galbanum, Sagapenum, Bdellium, Myrrha; ex quibus ſingulis ſpeciebus variæ formulæ parari poſſunt, quæ per intervalla & magis ſucceſive, quam in continuata ſerie uſurpandæ ſunt: ſic cum Infuſis nonnunquam mitiora laxantia e prædictorum numero ſeligenda conjungi debent; cavendo, ne evacuatio alvina nimis frequenter urgeatur.

§. VIII. Præter hæc interna adminicula locum etiam aliquem obtinent nonnulla externa diſcutientia, reprimentia & reſolventia; unde conferunt cataplasmata e radicibus angelicæ, caryophyllatæ, vincetoxici, leviſtici, Bryoniæ, herbis Matricariæ, hyſſopi, betonicæ, ſerpilli, thymi, majoranæ, rorismarini, agrimoniæ, alchymillæ, floribus ſambuci, chamomillæ &c parata, cum oleis lenientibus mixta, additis Camphora & Croco. Proinde conveniunt emplaſtrum de Gummi Ammoniaco, de Galbano Crocato, Saponatum Barbette, de Cicuta, diaphoreticum Mynſichti, quorum nonnulla utiliter cum Camphora miſceri & per intervalla applicari poſſunt; Hisce topicis nonnunquam balnea dulcia aut cum herbis nervinis combinata, interponantur: plus etiam proſunt cataplasmata, quam aliæ formulæ ſicciores; a potentiori;

 bus

bus vero adſtringentibus & repellentibus, aut a continuo aliorum adſtringentium uſu ſedulo cavendum eſt: Proinde interdum proſunt modeſtæ ligaturæ hypochondriorum cum conjuncto & ſubjuncto mobili vitæ genere: Tum vero hæc externa adhibentur, tunc præſtat intrinſecus ſimpliciora diluentia & humectantia ordinare, ne cum remediis natura in tam intricatis affectibus ſimul & ſemel obruatur.

§. IX. Porro etiam ſymptomatum ratio habenda eſt: inter illa non infimi momenti ſunt ſuſpectæ adſtrictiones alvi & conjunctæ atque moleſtæ occluſæ flatulentiæ; in quo paſſu magnam utilitatem habent clyſteres emollientes & modeſte roborantes; cavendo, ne ſtimulantia commiſceantur: quando in hiſce affectibus febriles commotiones concurrunt, tunc proſunt remedia nitrata & abſorbentia cum acidis ſaturata: ſi nimiæ anguſtiæ & cardialgiæ affligunt, tunc conducunt prædicta antiſpaſmodica cum ſelectis & indicatis ſedativis remediis conjuncta: quodſi vero actualis labes ulceroſa ſive in Liene, ſive in Hepate præſumatur, tunc conferunt abſorbentia citrata, nec non decocta liquidiora e cichorio, Scorzonera, apio, bardana, herbis chærefolii, bellidis, agrimoniæ, centaurii minoris & paſſulis majoribus ac minoribus parata, nec non temperatus uſus therebinthinæ cum extractis amaris mixtæ, addita exigua quantitate Aloes correctæ, neque plane rejiciendus eſt uſus Balſami de Capaiva & Peruviani in paucisſima quantitate ejusmodi pilulis conjungendus, cavendo, ne adſtringentia remedia improvide exhibeantur; ſubinde etiam ſub continuatione hujus curæ interdum exhibeantur talia tonica remedia, quorum in præcedentibus affectibus pasſim mentio facta fuit.

§. X. Denique etiam de regimine & diæta in hoc affectu paucis adhuc verba facienda ſunt; unde ita afflicti homines ſedentariam vitam omni ſtudio evitent, proinde etiam quocunque tempore proſpiciant, quo alvina excretio libera ſit: admodum refert, ſi ſuccesſive idonea methodo priſtini ſalutares fluxus revocentur, alias præſervatoriæ Sanguinis Ventilationes ſollicite repetendæ ſunt. Diæta ſit moderata & magis liquida, quam ſicca, excludantur etiam omnia alimenta, quotquot in talibus ſubjectis turbas intra primas vias transferre poſſunt. Interim ſub diæta Synapi, Naſturtium, Petroſelinum, Chærefolium, Zingiber, Cepæ non exiguam utilitatem habent, ſicuti Capparum uſus ſecundum communem Medicorum opinionem æque ac oleum Capparum pro uſu pharmaceutico in affectibus ſpleneticis commendatur. Potus ſit ſufficiens temperatus & fluidus; neque modeſtus vini uſus nocet, animus ſit quietus & reliquæ functiones juſto moderamine gaudeant, multum denique modeſtæ peregrinationes conveniunt, quæ ſingula adminicula ſi tempeſtive adhibentur, æque harum afflictionum reſtitutionem promittunt.

CAPUT

CAPUT LXX.

DE
COLICA HÆMORRHOIDALI.

§. I.

CUm huc usque variorum affectuum mentio facta fuerit, qui cum negotio hæmorrhoidali colludunt, ita adhuc circa finem præſentis Sectionis ſermo inſtituendus erit de illo irregulari motu hæmorrhoidali, quo interdum larvam colici affectus induit, adeoque *Hæmorrhoidalis Colica* appellari meretur, quæ a communi flatulenta pituitoſa colica admodum differt; & licet hic affectus in communi pathologia & obſervatione medica non æque multum attendatur, tamen e noſtro officio eſſe cenſeo, quo defectum illum ſuppleamus: etenim hæc colica Sanguinea eſt, adeoque valde intricata, quæ facile adeo corrumpi poteſt, quo in repentinum funeſtum eventum tranſeat, ſiquidem in hujus congrua therapia plures aliæ animadverſiones & indicationes occurrunt, quam quæ vulgo in ſimplici colica attenduntur & exercentur. Ob id antea vera hujus affectus indoles inculcanda & commendanda erit, ne pro ſimplici colico affectu habeatur; ſiquidem præterea ſcire convenit, quod hæc Hæmorrhoidalis Colica ſua ſenſibilitate & mobilitate aliam communem colicam eximie ſuperet; inde etiam evenit, ut inique tractata hæc Hæmorrhoidalis Colica citius internas periculoſas inflammationes, aut plane repentinas ſphacelationes introducat; quos affectus propterea prudens Medicus omni ſtudio evitare poteſt.

§. II. Eſt itaque indicato modo hæc Colica immoderatus, impetuoſus & anomalus motus hæmorrhoidalis ſpasmodico-congeſtorius, non modo in inteſtinis obvius, ſed & in reliquum nexum venoſum Venæ portæ ſeſe effundens & hæmorrhoidum fluxum impatienter urgens, aſt propter hanc incongruam methodum ad illum non pertingens, ideoque tantum in hac commotione anomala perſiſtens & denique deferveſcens; quemadmodum ad hunc affectum aliæ negotii hæmorrhoidalis perturbationes contribuunt, uti viciſſim tempeſtivus reditꝰ & juſtus fluxus Hæmorrhoidum pro hoc affectu optimam medicinam conſtituit: interim hæc colica eo magis refractaria exiſtit, quo magis prægreſſæ liberæ Hæmorrhoides immodeſtius turbatæ, aut ſuppreſſæ fuerunt, ſicut omnino circumſpectus medicus eo curatius inquirere debet, in quali videlicet

ſtatu

ſtatu antea motus & fluxus hæmorrhoidales comprehenſi fuerint, aut quales medicationes & alterationes præceſſerint; ut deinde in ſubordinanda therapia eo majori cautela uti queat, ſiquidem longe citius præſens affectus deteriorari, quam emendari poteſt, ut propterea Medicus in hujus colicæ congrua tractatione omni lenitate & moderamine uti debeat; nunquam vero in hujus affectus disquiſitione a vera hæmorrhoidalis commotionis dijudicatione & conciliatione diſcedat.

§. III. Inter illos affectus, qui eximiam dexteritatem & circumſpectionem medicam poſtulant, certe præſens Hæmorrhoidalis Colica non infimæ dignitatis eſt, quare in illius cura cavendum eſt 1) a negligentiori liberatione apertionis alvinæ valde turbatæ, aut plane obſtructæ 2) a generali methodo medendi, qualis alias ſimplicioris colicæ ſtatui in vulgari praxi dicatur 3) a negligentiori obſervatione & dijudicatione negotii hæmorrhoidalis, in hac colica palmam tenentis 4) a poſitivis internis medicamentis alvum ſtimulantibus & purgantibus 5) a clyſteribus ſtimulantibus acribus & per initia cum carminativis conjunctis 6) ab interna immoderata proſecutione excretionis alvinæ per qualiacunque alvum laxantia 7) a remediis incorrectis & immodicis aloëticis & Helleborinis, tanto magis ſub vigore hujus affectus oblatis 8) ab omnibus remediis concentratis oleoſis, ſpirituoſis & calefacientibus 9) a præmaturo uſu ſtomachicorum & carminativorum 10) a ſuppoſitoriis acribus & ſtimulantibus 11) a ſalium volatilium uſu curatorio 12) ab incauto, inopportuno, indiſcreto & frequenti ſedativorum uſu 13) a remediis quibusvis adſtringentibus 14) a medicaminibus refrigerantibus 15) ab omnibus medicamentis & medicamentorum formulis primas regiones offendentibus & perturbantibus 16) a nimis confuſo, multo, diffuſo & variato medicamentorum uſu 17) a copioſa ventriculi oneratione cum medicamentis priusquam alvus legitime aperta eſt & 18) a caſtorinorum uſu interno.

§. IV. Dum itaque hæc colica alterius conditionis quam ſimplex eſt, propterea cura fundamentali cauſæ hujus hæmorrhoidalis Colicæ accommodata eſſe debet; ob id in ſpeciali therapia hujus affectus hæ indicationes obſervandæ ſunt 1) ut loca hæmorrhoidalia a nimia conſtrictione & conjuncta alvina neceſſaria excretione liberentur 2) ut concurrentes anomalici motus hæmorrhoidales convenienter mitigentur 3) ut in futurum conveniens præſervatio ordinetur, ne talis affectus facile recrudeſcat. Quoad primum ante alia auxilia conveniunt clyſteres ſimplices, emollientes, cum oleis lenientibus remixti & adhuc a carminativis remediis liberi; unde neq; convenit iisdem olea deſtillata miſcere, neque etiam neceſſitas poſtulat, quo mox lenis ſtimulus ſalinus addatur, niſi paulo commodius tantillum nitri cum iisdem conjungi queat; ſubinde etiam

repe-

repetitus talium clyſmatum uſus non parum proficit & ſi adſtrictio firmior fuerit, tunc ſecure ejusmodi ſimplicioribus clyſteribus exiguum ſalis communis commiſceri poteſt: quod ſi vero ſemel reſerata fuerit alvus, tunc non infructuoſe clyſteres continuantur, quibus deinde temperatum roborans remedium aut etiam pro neceſſitate urgentium ſpaſmorum tantillum theriacæ ſimplicis conjungi poteſt; ſubinde etiam proſpicere convenit, ne quædam contumax ani obrigeſcentia occupet, quæ deinde clyſterum uſum impedit, pro quo incommodo removendo externa linimenta & emollientia auxilia proſunt; neque etiam incongrue pro conſervanda apertura alvi delinitiones abdominis cum linimentis & emollientibus & modeſte roborantibus adhibentur.

§. V. Proximum eſt, ut artifex conjunctos motus hæmorrhoidales irregulares mitiget & corrigat, id quod variis modis fieri poteſt: ſecurius præmittuntur remedia temperantia & antiſpaſmodica nitrata & Cinnabarina, quibus cum multo fructu ſubjunguntur Pilulæ Stahlianæ, aut correctæ Becherianæ; nondum vero offerenda ſunt ſtomachica & carminativa, ſed tam diu expectandum eſt, donec primarius impetus hujus affectus ceſſat; paulo ſpecialius has immoderatas ſpasmodicas commotiones emendat Millefolium, cujus eſſentia cum tinctura corticis chaccarillæ utiliter ordinatur; præſtat interea interponere prædicta nitrata remedia & proſpicere, ne alvus iterum occludatur: ſubinde ab extra linimenta tum emollientia, tum modeſtius roborantia cum pauxillo caſtorei permixta conferunt; poſtea in uſum trahi poſſunt ſtomachica quædam remedia & præcipue eſſentiæ Carminativæ ſelectæ & temperatæ, alias in praxi noſtra uſitatæ: interea etiam ſedulo cavendum eſt, ne ex diæta aliqualis error concurrat, qui hoc malum denuo exacerbare poteſt: quando denique hic affectus utplurimum emendatus eſt, tunc circa finem curæ Mixtura noſtra roborans ordinari debet; a Martialibus medicamentis omni ſtudio abſtinendum eſt, non parum etiam ad totius hujus affectus ſublevationem abſtinentia a cibis, quantum quidem præſtat, conducit; quid quod talia potius uſurpanda ſunt, quæ leni laxatione & emollitione alvinam excretionem facilitant.

§. VI. Multum in hujus affectus tractatione proficit congrua præoccupatio, ne denuo hic intricatus affectus recrudeſcat: hæc Methodus præſervatoria ita eſt inſtituenda, ut alvus conſtanti libertate gaudeat, quin præſtat plane interdum lenem laxationem cum correctis aloëticis remediis ſuſcipere, quo itidem Rhabarbarina remedia quadrant: omni modo etiam cavendum eſt, ne ex vitio diætæ & regiminis huic excretioni alvinæ ſenſibiles quædam turbæ inducantur: præterea admodum proficit præſervatoriis temporibus Venæ Sectionem in pede repetere & hirudinum appoſitionem ad loca hæmorrhoidalia repetitis vicibus & congruis occaſionibus ſubordinare: non minus prudens artifex eo

modeſte cooperari debet, quo legitimus Hæmorrhoidum fluxus reſtituatur: Huc multum conducit mobile vitæ genus, imprimis modeſta equitatio & animi tranquillitas; ſub diæta convenit potus ſufficiens temperatus & purus, quidquod uſus adultioris vini non parum proficit. Diæta ſit mollis & modeſtius aromatiſata, ſubinde omnes ſpisſiores ac impuriores cibi ſollicite evitentur: Nocet frigus: Noceт ira: Nocet etiam immodica venus. Sunt qui in hoc affectu acidulas commendant, quæ niſi cum eximio moderamine uſurpentur, potius obſunt, quam proſunt: Optimum fuerit ſi Medicus vel præcurrentes motus anomalicos hæmorrhoidales vel juſtum fluxum hæmorrhoidalem cum leniori methodo in ordinem congruum reducere poterit.

Conſ. Diſp. mea de Colica Hæmorrhoidali.

SECTIO IV.

CAPUT I.

DE INFLAMMATIONE IN GENERE.

§. I.

QUanquam in præcedentibus diverſæ inflammationum ſpecies pertractatæ ſint, tamen hoc ordine ſeorſim & quidem generice Therapia Inflammationum per interna auxilia commendanda erit, ſicut in ſequentibus ſpecialis mentio de Febribus inflammatoriis occurrit: Non quidem hoc loco talia exponenda erunt, quæ ad chirurgicam inflammationum tractationem pertinent, quippe quæ in Chirurgia mea fuſius explicata ſunt: illud potius jam ſignificandum erit, quid Medicus in adjumentum inflammationum conſulere & quæ auxilia, ſuo officio reſpondentia, ordinare debeat: quemadmodum inflammatio ſonticus, ſolennis, acutus & ſenſibilis affectus eſt, ita eo magis Medicus de illius vera notitia ſollicitus eſſe debet, ne hunc actum infelici quodam auſu turbet: Imprimis ſcire expedit, quod inflammatio non ſit pernicioſus morbus, aut tumultuarium, aut abſolute pravum accidens, ſed quod ſit ſingulare naturæ opus in caſu extraordinario apprime vitale & per eſſentiam ſalutare, quocum imminens lethalis corruptio avertitur; hinc contingit, ſi hic actus libere & legitime decurrit, ut ſalubritas illa eo certius conſequatur, ſicut vicis-

vicisſim ſiniſter & pravus eventus excipit omnem turbam quæ huic actui illata fuit.

§. II. Præterea bene proſpicere debet Medicus quomodo hic actus cum convenienti methodo adminiſtrandus ſit, quam æque minus frivole invertere licet, unde rectius ratio habenda eſt illorum motuum imprimis vero tonici, quales ad inflammationis debitam adminiſtrationem pertinent. Subinde in negotio hujus affectus obſervare convenit ſtatum ægrotantis plethoricum, negotii hæmorrhagici nexum, conditionem partis affectæ, qualitatem ſtaſeos præſentis, conſuetudinem & propenſionem in ſuſpectas & immoderatas commotiones ſangvinis aut actuales profuſiones ſangvineas, animi activitatem, nec non perſonalem ſenſibilitatem, quippe quæ circumſtantiæ multum contribuunt ad inveniendas ſpeciales indicationes therapevticas: præcipuum vero eſt, ne in inflammationis negotio motus illi ſimpliciter pro pernicioſis reputentur, declarentur & tractentur, neve ob aliquam præconceptam opinionem vicisſim exacerbentur & immodeſtius augeantur: ſubinde illi effectus provide ſunt attendendi, ad quos hi motus collimant, quorum alius diſcuſſorius eſt & ingenuitate ſua alterum omnino antecellit, alter vero ſuppuratorius exiſtit, qui majoribus & numeroſioribus incommodis ſubjectus eſſe deprehenditur, ut ita Medicus ſemper ad prioris promotionem manum applicet; eapropter tamen poſteriorem minime turbet.

§. III. Quemadmodum porro ſub juſta adminiſtratione motuum inflammatoriorum ſalutaris ſtaſeos & Stagnationis diſcusſio obtinetur, ita vicisſim excesſivi motus non modo ſtaſin augent, ſed & pernicioſum eventum invitant & accelerant, ut propterea ad hos motus & illorum debitos gradus artifex in qualibet inflammationis ſpecie attendere debeat: Et ita generalis inflammationum therapia eo certius ad ſingulares, inflammationum ſpecies accomodari poteſt, ut propterea non neceſſe habeam, quo in Furunculi, Eryſipelatis, Phlegmones & Gangrænæ caſu hæc, quæ in præſenti loco tractantur, iterum recoquam & repetam: Illud vero ſtudioſe Medicus cooperetur, quo naturam ad ſuos ſcopos placide perducat & promoveat, ne eandem in propoſitis ſuis effectibus turbet, ſiquidem nocivus omnino ille labor erit, ſi cum vi & impatientia artifex diſcusſionem urgere contendat, quando jam natura ad ſuppurationis ſcopum tranſit & vicisſim ſi præcipitanter ſuppurationem urgeat, quamdiu adhuc locus obtinendæ promptioris diſcuſſionis ſupereſt; quare in tam ſontico, ſenſibili, acuto & extra-ordinem vitali actu rite dirigendo & ſublevando, Medicus omnem prudentiam & dexteritatem adhibere debet.

§. IV. Et quamvis motus inflammatorii a primario & diſcuſſorio ſuo ſcopo declinare videantur, adoque ad ſuppurationis effectum progrediantur, tamen Medicus in eo ſecurus & negligens eſſe minime debet, quin potius provide

vide

vide attendere, quo illi motus ordine juſto continuent; ſiquidem ſub ipſo ſuppurationis actu multum omnino refert, quo congeſtiones ad affectum locum non modum ſuum transgrediantur, aut propterea excedant, interea convenit placidæ diſcusſioni continuandæ ſtudere & ab omni motuum perturbatione abſtinere: quo vero concurrens Sanguinis abundantia in inflammationibus multum contribuit, quo motus neceſſarii vel exacerbentur vel impediantur, propterea magna cura adhibenda eſt, quo hoc moleſtum incommodum rite tractetur, ne ſalutarem effectum ſupprimat, ſiquidem de reliquo Medicus providere debet, ne ſua culpa & temeritate efficiat, quo coactæ quædam febriles commotiones conjungantur & ita præſens affectus acerbior & periculoſior reddatur: denique eo cura applicanda eſt, quo interna medicatio cum externa cura conſentiat: ſicut illa circumſtantia, an præſens inflammatio ex ſubitanea ſuppresſione ſalutaris Hæmorrhagiæ ortum traxerit, quod in practica inflammationum tractatione bene obſervandum eſt.

§. V. Et ita indoles inflammationum ſatis ſuperque denotat, quanta circumſpectione opus ſit in illarum ingenua tractatione medica, ne itaque error quidam committatur, cavendum eſt 1) a crasſis, violentis & temerariis evacuationibus, 2) a confuſa & indiſcreta artificiali ſangvinis ſubtractione, 3) a perturbatione, aut negligenti promotione ordinariarum excretionum, 4) a remediis valde calefacientibus, concentratis, acribus, ſpirituoſis ſimilibusque, 5) a curatorio uſu ſalium volatilium, 6) a medicaminibus & regiminibus refrigerantibus, 7) a regiminibus viciſſim æſtuoſis & anguſtantibus, 8) præcipue a medicamentis adſtringentibus, 9 nec non a poſitivis impetuoſis ſudationibus 10) ut & a vulgato narcoticorum uſu 11) a medicamentis vulgatis reſolventibus & aperientibus, 12) a Camphoratorum interno uſu, 13) a medicamentis incraſſantibus & coagulantibus, 14) a repentina motuum excedentium cohibitione, 15) a negligentiori ſtatus plethorici conjuncti tractatione, 16) a motuum febrilium concurrentium exacerbatione, ſuppresſione aut perturbatione.

§. VI. Specialis methodus Inflammationibus medendi hiſce indicationibus adminiſtranda eſt 1) ut generalia impedimenta, decurſui inflammationis præjudicioſa, tempeſtive removeantur, 2) ut motus inflammatorii legitime dirigantur & ad ſalutarem ſuum ſcopum promoveantur, 3) ut valde urgentia ſymptomata mitigentur, ne exinde in acerbiorem ſtatum præſens inflammatio delabatur, 4) ut denique conveniens præſervatio ordinetur, ne in futurum & aliæ & periculoſiores inflammationes recrudeſcant & hæ ſingulæ quidem indicationes cum congruo moderamine exercendæ ſunt, ne artifex quicquam vel temere, vel confuſe, vel negligenter adminiſtret, ſiquidem præcipue hic affectus, quia acutus eſt, inſuperque valde ſenſibilis, cum maxima

tem-

temperantia & lenitate tractari debet: Hinc nonnunquam vel ſolum regimen congruum & moderatum plurimum ad ſalutarem hujus affectus decurſum contribuit.

§. VII. Quod itaque impedimenta illa attinet quæ inflammationi obeſſe, eandemque turbare poſſunt, tunc ex illis primo occurrit turgida & commota plethora: quo loco illa notatu digna quæſtio practica occurrit, an in omni inflammatione Venæ Sectio neceſſaria & utilis ſit? pro qua decidenda notandum eſt, quod in mediocri, temperata & quieta plethora V. S. neceſſaria non ſit, quæ viciſſim in illo caſu locum invenit, quando plethora eximia admodumque commota eſt, imo quando alias præceſſerunt artificiales aut ſpontaneæ evacuationes ſangvinis; præſtat itaque in tali poſteriori caſu tempeſtive & ſufficienter, aſt non excedenter, Sangvinem imminuere: Ubi vero inflammatio non magna, neque urgens eſt, ibi rectius a Venæ Sectione abſtinere convenit, ne cum illa demum immoderatior Sanguinis commotio excitetur: deinde in omni inflammatione utile & neceſſarium eſt, quo alvus legitime aperta ſit, cum vicisſim quælibet alvi obſtructio ad inflammationis exacerbationem & perturbationem contribuat: præſtat in tali caſu potius cum modeamine alvinam excretionem promovere, unde potius lenientia & mitiora laxantia, aut correcta & temperata Aloëtica, nec non Rhabarbarina, ut & tartariſata remedia conducunt: quando vero per interna alvum admonere non licet, tunc clyſteres emollientes & remisſius ſtimulantes in uſum trahi poſſunt: denique quando moleſta quædam ſuperficiei ſtrictura inflammationes præcurrit, tunc illa emendanda eſt vel cum regimine moderate calido, vel cum modeſtis frictionibus ſuperficiei corporis.

§. VIII. Plurimum porro refert motus inflammatorios exacte & congrue dirigere, ne excedant, neque deficiant, ſed quo ſub tali moderamine præfixus ſalutaris ſcopus facilius impetretur: Ante omnia convenit modeſtum regimen, a nimia exæſtuatione aut poſitiva refrigeratione liberum; deinde conveniunt remedia congeſtionem, inflammationem & conjunctum ardorem mitigantia, quo nomine conducunt pulveres temperantes ex abſorbentibus remediis, nitro & antimonio diaphoretico conficiendi, repetitis vicibus exhibendi; quo etiam ſpectant abſorbentia cum acidis impprægnata & ſi intenſior orgaſmus ſanguinis occurrit, tunc commode corallia rubra præparata propinari poſſunt: proinde etiam refert Sangvinem in æquali curſu conſervare et per interna ſubinde neceſſariam diſcusſionem adjuvare: pro hoc ſcopo proſunt temperata alexipharmaca et reſolventia remedia, velut eſſentiæ caryophyllatæ, vincetoxici, helenii, pimpinellæ albæ & Scordii, ſicut in ſubjectis floridioribus uſus Mixturæ ſimplicis fructuoſus eſt; proinde in hominibus tenerioribus &

 ſen-

ſenſibilioribus conveniunt potiones ex aquis reſolventibus paratæ & cum abſorbente aut diaphoretico remedio mixtæ; ſicut in iisdem ſubjectis emulſiones veſpertinis horis offerendæ ex ejusmodi aquis & amygdalis dulcibus, pineis, ſemine cardui mariæ & papaveris albi parandæ, conducunt. Non minus decocta e Cichorio, Scorzonera, apio, bardana, Vincetoxico, herbis ſcordii, veronicæ, chærefolii, hyſſopi, capilli veneris, floribus ſambuci, hordeo excorticato, Cornu Cervi, paſſulis majoribus, Cortice citri, Cinamomi, ſemine carvi compoſita ejus dignitatis & utilitatis exiſtunt. Vulgo in Medicina practica internus Camphoræ uſus probatur, quæ vero cum maxima cautela uſurpanda eſt; tanto magis ubi ſangvis eſt ſpumoſus & floridus & quando ſuſpecti orgasmi facile excitari poſſunt: quando vero circumſtantiæ illius uſum permittunt, tunc valde refracta camphoræ quantitas ſeligenda eſt, quæ commendatio valet partim de camphora in pulvere offerenda, vel in famoſo quodam oleo bezoardico exhibenda; perinde etiam cum volatilibus remediis æque circumſpecte in inflammationibus procedendum eſt, ſive in ſicca, ſive in humida formula ſeligantur & offerantur, conſultius fuerit ab illorum uſu abſtinere; neque denique famoſus ſpiritus nitri dulcis in inflammationibus ſingularem efficaciam & utilitatem habet.

§. IX. Sed habenda etiam erit ratio concurrentium & urgentium ſymptomatum, quo illa dextre leniantur, ne inflammationis modum exacerbent, quando itaque multus ardor in inflammationibus urget, tunc pro eodem leniendo apprime conveniunt nitrata, interno uſu exhibenda, aut in ſubjectis quibus floridior eſt ſanguis & ubi magnus orgaſmus ſangvinis occurrit, temperata acidulata, ſubjunctis abſorbentibus citratis, præterea demulcentem virtutem habent humectantia, diluentia, gelatinoſa, mucilaginoſa, decocta, quæ affectas partes leniunt; quo nomine etiam conducunt emulſiva, juſcula pingvia gelatinæ & quæ hujus ſimilis conditionis ſunt; Ad febris concurſum etiam congrua auxilia requiruntur; imprimis conducit temperatum & quietum regimen, deinde proſunt remedia temperantia, abſorbentia & nitrata; omittantur vero in tantum alexipharmaca, acria & ſpirituoſa in quantum motus febriles inſiſtunt.

§. X. Denique ad inflammationes præſervandas, præcipue conveniunt tempeſtivæ & ordinatæ Sangvinis artificiales evacuationes: Regimen ſit in omni caſu modeſtum; nimia exæſtuatio & commotio corporis nocet: Evitentur valde aromatica & ſpirituoſa in diæta: Sit vero rectius diæta temperata & ab omni exceſſu libera; potus ſit ſufficiens & diluens: Evitanda proinde ſubitanea variatio caloris & frigoris; animus ſit tranquillus; Imprimis etiam potulenta frigida poſt qualemcunque corporis exæſtuationem

evi-

evitentur, præterea ordinariæ excretiones, præcipue alvi & tranſpiratio inſenſibilis adjuventur & promoveantur; nimis ſedentaria vita arceatur & ſufficiens atque conveniens corporis motus conjungatur: de reliquo, ſi quæ anteceſſerunt ſpontaneæ Hæmorrhagiæ ſalutares eædem iterum in congruum ordinem ducantur.

CAPUT II.

De SPHACELO.

§. I.

LIcet chirurgia circa hunc affectum occupata ſit, ſiquidem hæc putredo immediatam opitulationem & tempeſtivam manualem medelam requirit, interea non ita penitus omnis occaſio evaneſcit, qua Medicus cum internis auxiliis idoneis ſubvenire queat: interim non eo hæc artificioſa opitulatio directa & prævisa eſt, quo ipſe ſphacelus immediate emendetur, ſed quoniam aliæ circumſtantiæ intercurrunt, quæ hunc affectum premunt, ita iisdem legitime ſuccurrere debet Medicus, ne propterea vel funeſtus eventus acceleretur, vel ipſum malum foveatur: quoniam itaque in hoc affectu præcipue magni angores & languores naturæ occurrunt, ſubinde reliqui neceſſarii motus vitales imminuuntur, ſed eo ipſo via ſphacelo panditur, quo citius & latius progredi queat, hinc omnino neceſſarium eſt, quo huic objectioni & languori naturæ congrua conſilia & auxilia afferantur & quo de reliquo tam poſitive, quam privative ſignificetur & ordinetur quicquid ad promotionem ſalutaris eventus contribuit: proinde etiam cum attentione obſervare convenit, in quantum ſub hoc malo plethora urgeat, aut etiam turgeat, quo Medicus huic principali circumſtantiæ tempeſtive conſulat, ne ob moleſtam hanc plenitudinem neceſſariæ vires cum magno præjudicio & detrimento ſanitatis magis obruantur.

§. II. Porro multum refert in ipſo ſubjecto ægrotante indagare & dijudicare conſuetam ſenſibilitatem, animique mollitiem, quæ tanto magis ad repentinam motuum ceſſationem in hac afflictione contribuit: deinde obſervare convenit conſtitutionem humorum, quoad qualitatem ſuam, ſiquidem concurrens cacochymia multum contribuit ad præſentem putredinem conſervandam,

dam, confirmandam & augendam, ut propterea talis ſphacelus, qui proximius pravitate humorum nititur, eo periculoſior ſit; quemadmodum in ſubjectis adultis & ſenectuti propioribus partim ob proclivitatem in decrementa motuum, partim ob impuritatem humorum talis putredo deterioris conditionis eſt: Interim ex officio circumſpecti artificis fluit, quo huic ſonticæ & urgenti circumſtantiæ tempeſtivam medelam afferat: præterea obſervare debet, an in alio caſu cum hoc affectu commotiones quædam congeſtoriæ, aut ſpasmodicæ irregulares concurrant, quales ob reliquum periculoſum ſtatum in tanta ataxia & confuſione decurrere ſolent: ne itaque cum ejusmodi alienis commotionibus natura vires & tempus conſumat, ex artificio periti artificis fluit, quo removeat, quicquid in præjudicium cedit, adeoque qualicunque dexteritate naturam in ordinem juſtum ducat, ut eo major ſpes impetrandæ reſtitutionis affulgeat.

§. III. Dum in hoc affectu omnis mora periculoſa eſt, imo dum viciſſim omnis præcipitantia, audacia & cœca experimentatio perinde ominoſa eſt, propterea major dexteritas & circumſpectio in tali affectu adhiberi debet; præſertim cavendum eſt 1) a quibusvis immoderatis & crudis evacuationibus 2) ab ordinariarum & neceſſariarum excretionum perturbatione aut negligentiori promotione 3) a præpoſtera & confuſa ſangvinis ſubtractione 4) a negligentiori plethoræ concurrentis & urgentis dijudicatione & tractatione 5) a regimine & medicaminibus valde anxiis, nimium æſtuoſis, admodum calefacientibus & Maſſam Sangvineam perquam turgefacientibus 6) viciſſim a medicaminibus & regiminibus refrigerantibus & valde incraſſantibus 7) a medicamentis opiatis aliisque motus & vires magis opprimentibus & ſtupefacientibus 8) a medicamentis adſtringentibus & liberum motuum ſucceſſum impedientibus 9) a nimis prodigo volatilium medicamentorum uſu 10) a nimis confuſa, multiplicata, copioſa, implicata & inconſtanti medicamentorum oblatione 11) a virium inſufficienti refocillatione & denique 12) ab uſu experimentorum minus probatorum, ſiquidem in præſenti malo nulla occaſio experimentandi adeſt.

§. IV. Poſitiva therapia ſphaceli per remedia interna ſequentibus indicationibus practicis nititur 1) ut generalia impedimenta cito removeantur 2) ut neceſſarius motus ſangvinis & conjunctus ſucceſſus evacuationum promoveatur 3) ut incongruæ commotiones præſenti ſtatu magis præjudicantes declinentur & mitigentur 4) ut activitas naturæ languens & vacillans erigatur & vario, attamen congruo, modo ſublevetur, ſub quorum reſpectuum practicorum legitimo uſu, eo melius etiam externæ medicationes ſuccedent & ad ſalutarem eventum, quantum ſperare licet, pertingent: ſi vero tales rationales & convenientes indicationes omittuntur, aut negliguntur & confuſe exercentur,

tur, tunc mirum eſſe minime debet, cur quælibet externa auxilia ſperatum ſcopum non attingant.

§. V. Quoad primam indicationem ad impedimentorum numerum præcipue pertinet plethora, non modo moleſta, ſed & antehac variis commotionibus & emotionibus obnoxia, nunc vero interdum cum ſiniſtris evacuationibus impulſa, quæ propterea de præſenti eo magis naturam aggravat: ne itaque ex hac plethora præſens affectus deteriorationem ſuſcipiat, hinc convenit tempeſtive, ſufficienter, attamen moderate, illam deplere per Venæ Sectionem, ſive in pede, ſive ſecundum diverſitatem circumſtantiarum in brachio ſuſcipiendam: Deinde ad impedimenta præjudicioſa referri meretur occluſio alvi, quæ propterea emendari debet, præprimis per clyſteres emollientes, lenientes, roborantes & modeſte ſtimulantes: & quoniam in hoc malo occaſio præceps eſt, ita intrinſecus oblata evacuantia tardius operantur: quando itaque alvus cum clyſtere iterum aperta, tunc præſtat ſubjungere uſum Pilularum Stahlianarum, vel correctarum Becherianarum pulveriſatarum, quæ partim apertionem alvi conſervant, partim ad conſervationem & revocationem reliquarum functionum ſecretoriarum & excretoriarum balſamica ſua virtute conveniunt; denique hisce impedimentis annumerandus eſt rigor ſuperficialis, qui æqualem ſangvinis diſtributionem impedit, pro quo emendando modeſtæ frictiones cum linteis calidis conveniunt, ſicut etiam pro re nata aliquando pediluviorum uſus conducit, ſub quo transſpiratio iterum revocatur.

§. VI. Quoniam vero in ſphacelo totus vigor naturalis languet, ita ut tam motus ſanguinis conveniens inſufficienter & debiliter continuet, quam reliquæ conjunctæ excretiones vel deficiant vel ſegnius procedant, hinc requiritur, quo tempeſtive hic vigor naturæ adjuvetur & revocetur; conducunt itaque hoc nomine præcipue remedia alexipharmaca cum conjuncto & ſubjuncto regimine modeſtius diaphoretico, ſervata tantum illa cautela, ne ſubitaneus impulſus & orgasmus Sanguinis excitetur: proinde etiam conferunt moderatæ frictiones ſuperficiei corporis, quo hæc ſufficienter aperiatur & transſpiratio neceſſaria invitetur: proſunt etiam decocta calida, ſanguinis motum efficaciorem facilitantia, ſicuti inter alia conducunt decoctum Cornu Cervi, ſcorzoneræ cum ſpeciebus & aquis deſtillatis diaphoreticis, nec non analepticis mixtum, velut decoctum ex radicibus apii, bardanæ, cichorii, ſcorzoneræ, Cornu Cervi, herbis ſcordii, chærefolii, veronicæ, floribus ſambuci, paſſulis majoribus, cortice citri, cinnamomo &c. Camphorata remedia uſu interno caute uſurpanda ſunt, quod etiam valet de croco & myrrha, licet in ſubjectis temperatioribus cum aliis eſſentiis alexipharmacis modica quadam

quantitate eſſentia Myrrhæ combinari poſſit; denique excretio alvina conſervanda eſt, partim per pilulas Stahlianas, Becherianas & correctas aloëticas, partim per remedia Rhabarbarina, aut etiam per clyſteres emollientes, roborantes & remisſius ſtimulantes; Diureſis promoveatur per humectantia, per decocta calida & moderatum nitratorum uſum.

§. VII. Ne vero intercurrentes confuſæ aut irregulares naturæ commotiones ſalutarem proceſſum & bonam artificis intentionem turbent & impediant, præſtat omnino has irregularitates emendare: quod ſi contigerit, ut motus ſpasmodici incongrui in hac afflictione intercurrant, tunc præſtat adhibere remedia antiſpasmodica, ut nitrata, abſorbentia, coralliata, quo parcus ſpecierum de hyacintho uſus, nec non oculi cancrorum citrati pertinent, in quo paſſu etiam lenientia, gelatinoſa, emulſiva & humectantia conducunt: quando nimii orgasmi ſanguinis affligunt, tunc præter modo prædicta remedia perinde in hoc ſtatu proficua conducunt temperatiora acidulata; maxime vero Mixtura Simplex; uti Julapia e decocto Cornu Cervi paſſulato, aquis ſcordii, ſcabioſæ, galegæ, plantaginis, florum ſambuci, ceraſorum nigrorum, naphæ, ſyrupo acetoſitatis citri, cydoniorum, de canela, de betonica parata, eandem utilitatem afferunt. Minime tamen ad turbulentas commotiones emendandas opiata adhibenda ſunt, quin potius cortex chaccarillæ in necesſitatis caſu præferri meretur, qui commode cum alexipharmacis eſſentiis commiſceri poteſt in congrua quadam tinctura, quando orgaſtica ſangvinis commotio non contraindicat.

§. VIII. Ante omnia providus artifex virium in hoc caſu valde langventium habere debet rationem, ne eædem adeo ſuppreſſæ maneant, aut magis magisque delinquant; quapropter maxime confert hanc naturæ activitatem quocunque moderato modo reficere, unde ſelecta analeptica & roborantia remedia conveniunt; in quorum numero ne dum quidem ipſum generoſum vinum excluſum eſt: imprimis conveniunt remedia e cinamomo parata, ſicuti ipſe conveniens & parcus uſus olei cinamomi internus proficit, quo etiam pertinet aqua cinamomi cydoniata, eſſentia & ſyrupus de cinamomo: hisce annumerandæ ſunt aliæ aquæ nervinæ velut roſarum, liliorum convallium, ceraſorum nigrorum, Naphæ, ut & aquæ citratæ cum ſyrupis & confectionibus ejusdem nominis; proſunt etiam emulſiones ex ejusmodi aquis & nucleis pingvibus paratæ, ut & Julapia modeſtius acidulata, de reliquo ipſe animus etiam componendus eſt, ne moralis quædam anguſtia eundem opprimat: ſub quorum ſingulorum remediorum internorum & aliorum externorum convenientium uſu denique bonus eventus in hac afflictione expectandus eſt.

CAPUT

CAPUT III.

DE ULCERATIONE.

§. I.

QUanquam hæc afflictio magis manibus chirurgorum committi debeat, dum externorum adminiculorum immediatum uſum requirit, tamen variæ adſunt circumſtantiæ, quæ prudentis & periti cujusdam Medici concurſum efflagitant, ut ita interdum omnia externa adminicula nihil quicquam utilitatis afferant, niſi per congrua interna conſilia tanta præparatio adhibeatur, quo reliqua topica remedia citius & efficacius operentur: inde etiam eſt, cur quædam ulcera adeo inveterata evadant, quoniam ſub neglectu internæ præparationis & curationis per externa remedia contumacior affluxus humorum ad affecta loca provocatur: imo inde eſt, cur quidam ex antiquioribus, inter quos hoc loco Paracelſum nominare lubet, repurgationem ulcerum, ab intra prodeuntem, urgeant, ut ita malum non ſuperficiarie, ſed e fundamento eradicetur: ſingularis enim eſt illa circumſtantia in hiſtoria ulcerationis obſervanda, quomodo nonnunquam ſub diuturno & operoſo conatu denique ulcera quædam conſolidentur, ſed quomodo mox alia talia ulcera in confiniis generentur, aut quomodo graves quidam morbi, velut aſthmatici, ſuffocativi, ſpaſtici, febriles &c. conſequantur, e quibus circumſtantiis propterea colligere licet, quomodo in prægreſſa cura Ulcerationis altior reſpectus inſtitui debuerat, quam qualis ſolum manuali & inſtrumentali chirurgiæ ſatisfacit.

§. II. Magnam præterea attentionem & obſervationem meretur in ulcerationum disquiſitione illa circumſtantia, quomodo non raro perturbati motus hæmorrhagici aut ſuppreſſæ Hæmorrhagiæ ſalutares ad ulcerum geneſin contribuant; quam originem propterea in obſervatione practica noſſe convenit, ſiquidem partim ex eodem fonte, partim ex continuante concurſu ſtatus plethorici urgentis varii contumaces affluxus humorum ad ulcus ſemel genitum continuant, idque vel augent, vel confirmant, quales congeſtiones propterea prudens artifex ſollicite obſervare & dextre tractare debet; proinde etiam attendere convenit, quomodo aliarum ſalutarium excretionum perturbationes ad ejusmodi ulcerationem contribuerint, imo quomodo continuantes neceſſa-

riarum excretionum turbæ præſentia ulcera magis depravent, ſicut non infimæ dignitatis illa circumſtantia eſt, quomodo concurſus cacochymiæ tam ulcera conſervet & confirmet, quam etiam ad novam ulcerationum geneſin contribuat; eo magis vero explorare convenit, an & in quantum diuturnum ulcus motus & humores a tergo affluentes in ſuſpectum habitum conjecerint & quales alii adhuc diverſorum & perverſorum motuum gradus concurſent; quæ circumſtantiæ uti rectius ad internam corporis œconomiam ſpectant, ita etiam iisdem prudens artifex per interna auxilia convenienter & ſufficienter conſulere debet, ne quidquam circa fundamentales has rationes omittatur, neve ob adhibitam curam ulcerum palliativam deteriores conſequutiones invitentur.

§. III. Quanquam vero ulceratio chronicis morbis accenſenda ſit, tamen eapropter illam minime licet negligenter tractare, ſed potius omne ſtudium adhibere convenit, quo tale malum alias refractarium legitime tractetur, præſtat itaque in illius cura cavere 1) a temerariis, confuſis, prodigis & immoderatis evacuationibus 2) a neceſſariarum excretionum negligentiori promotione 3) a ſtatus plethorici & negotii hæmorrhagici concurrentis perverſa tractatione, aut incurioſa conciliatione & æſtimatione 4) ab indiſcreto & præcipitato uſu ſalivationis 5) a promiſcuo & liberali uſu balſamicorum acrium concentratorum & ſimilium humores & vias valde commoventium remediorum 6) a prodigis & impetuoſis diaphoreticis 7) a regimine nimis æſtuoſo & nimis laxo atque negligenti 8) a negligentiori Maſſæ Sangvineæ repurgatione 9) a motuum concurrentium ulteriori exacerbatione, aut perturbatione 10) a largo & inconſulto uſu incraſſantium & terreorum 11) a medicamentis adſtringentibus & ſe- & excretiones turbantibus 12) a communi narcoticorum uſu 13) a ſulphuratorum externo & interno inopportuno & prodigo uſu 14) a Mercurialibus ſuſpectis & minus rite præparatis remediis 15) a nimis confuſa commixtione & oblatione remediorum 16) a nimis præcipitante ſalutarium reſpectuum & ſcoporum proſequutione 17) ab exoticorum balſamicorum, vel præmaturo, vel prodigo uſu 18) a remediorum ſic dictorum Lignoſorum indiſcreta ordinatione 19) a diæta majores inquinationes corporis inducente & denique 20) a qualicunque alia palliativa ulcerationum tractatione.

§. IV. In ſpeciali ulcerationum therapevtica tractatione ſequentes indicationes erunt obſervandæ 1) ut generice corpus affectum ad futuram ſpecialem curam præparetur 2) ut tam in genere tota humorum maſſa, quam ſeorſim ulceratio præſens per idonea interna adminicula mundificetur 3) ut concurrentes motus inconvenientes corrigantur 4) ut denique congrua diæta, ratio regiminis & præſervatio præſcribatur, quo ita e fundamento hæc ulceroſa corruptela

ruptela curetur. Præſtat vero in harum indicationum adminiſtratione non fugitivo inconſtanti & immoderato conatu procedere, ſed potius quodlibet negotium cum aliquo moderamine, continentia & patientia perpetrare, quoniam alias ulcerata afflictio ob chronicam ſuam indolem non parum refractaria eſt; unde in illius cura conſtantia & dexteritate opus eſt, alias facile reliquiæ quædam remanent, quæ novis exacerbationibus invitandis quadrant.

§. V. Primam itaque indicationem quod concernit, tunc in genere corpus præparari debet, ut craſſæ impuritates primarum regionum abſtergantur & evacuentur, quare conveniunt moderatæ purgationes, quæ repetito ſuſceptæ tanto magis proſunt, quibus commode uſus Mercurii dulcis commiſcetur; conferunt vero remedia impuritates mucido-bilioſas evacuantia, quemadmodum conjuncta amara abſtergentia & reſolventia multam utilitatem promittunt: poſitiva & potentia purgantia imprimis reſinoſa omittenda ſunt, proinde etiam corpus in genere liberandum eſt ab urgente ſangvinis quantitate, quæ in diverſis ſubjectis occurrit, unde opportuna Venæ Sectio inſtituenda erit, ne in futurum hæc ſanguinis plenitudo aliquas moleſtias afferat, neve ob aliorum remediorum uſum facile commoveatur & in ſuſpectos impulſus convertatur: neque male in quibusdam ſubjectis præcipue carnoſis Scarificatio opportune celebratur: de reliquo aſſidue attendere convenit, an ſalutares quædam prægreſſæ Hæmorrhagiæ præſentem affectum aggravent, cui circumſtantiæ propterea per congruas & moderatas talium Hæmorrhagiarum revocationes & promotiones artifex conſulere debet.

§. VI. Præcipuum officium & artificium Medici in eo verſatur, quo tam remotive tota Maſſa Sangvinea ab omnibus impuritatibus, præſentem ulcerationem offendentibus, liberetur & purgetur, quam poſitive ipſum ulcus ab adhærentibus impuritatibus abſtergatur, præcipue vero per uſum remediorum internorum; conferunt itaque partim remedia abſorbentia, ſerum acre temperantia, partim etiam mundificantia & hoc ſerum per diureſin & diaphoreſin eliminantia; hinc conveniunt eſſentiæ fumariæ, pimpinellæ albæ, vincetoxici, helenii, caryophyllatæ, ari, angelicæ, gentianæ rubræ, ariſtolochiæ rotundæ & ipſius Myrrhæ, præterea conducunt decocta paranda e radicibus Apii, bardanæ, cichorii, petaſitidis, herba ſcordii, fumariæ, centaurii minoris, Ligno ſaſſafras, radice chinæ & ſaſſaparillæ; qualia Decocta Lignoſa imprimis conveniunt, quando habitus corporis eſt valde humidus, ſiquidem præterea proficit Mixtura e tinctura Antimonii, eſſentia ſuccini & pauxillo myrrhæ parata: porro in ſubjectis humidioribus interdum modicus ſulphuris uſus conducit, quo flores ſulphuris cum abſorbente remedio mixti ſpectant, item tinctura ſulphuris cum tinctura Antimonii tartariſata mixta; pro ulceris abſterſio-

ne non modo eadem decocta conveniunt, ſed etiam iisdem admiſcere licet modicam quantitatem herbarum agrimoniæ, ſaniculæ, pyrolæ, quales Paracelſus etiam extollit, quod cum iisdem ulcera interna repurgari queant: non male interdum ejusmodi decoctis conjunguntur laxantia, velut ſolia ſennæ & polypodium.

§. VII. Ejusmodi abſtergentibus & repurgantibus remediis commode interponenda ſunt laxantia e quibus proſunt pilulæ de Succino Cratonis, pilulæ de Ammoniaco, de Agarico, extractum panchymagogum Crollii, quibus cum fructuoſe Mercurius dulcis, balſamica, imprimis Myrrha aut etiam modica quantitas balſami de Capaiva; nec non extracta amara conjunguntur: præterea confert modeſtas & repetitas diaphoreſes conjungere & ſubinde conſtanter externam & internam refrigerationem ſedulo evitare: quod ſi etiam præſens ulceratio valde refractaria, diuturna & confirmata, ſubinde etiam corpus ſubjecti admodum impurum admodumque humidum fuerit, tunc interdum proficit modeſta ſalivatio, quæ ad ejusmodi contumacium ulcerum futuram ſpontaneam concretionem diſponit: proinde ſedulo evitare convenit, ne corpus denuo inquinetur, ſed quo illa repurgatio continuetur, ita ut ab intra affluxus impuritatum præjudicioſarum intercipiatur, ſic ulceratio e fundamento curari poteſt.

§. VIII. Et quoniam tales ulcerationes non modo interdum ab incongruis congeſtoriis commotionibus oriuntur, ſed cum iisdem aliquamdiu foventur, quin plane exacerbantur, hinc convenit ejusmodi præjudicantes motus congeſtorios avertere & declinare, minime vero repellere & imodeſte coercere, quando itaque congeſtoriæ & ſpaſmodicæ commotiones præſentem ulcerationem affligunt, tunc intrinſecus conducunt temperantia, antiſpaſmodica & abſorbentia, Coralliata & Cinnabarina conjunctis remediis reſolventibus & temperatis alexipharmacis: præterea confert ordinarias excretiones incongruo ſucceſſu conſervare, inde interdum modeſtæ diaphoreſes proſunt; conjungantur lenientia ſufficienter humectantia & quæcunque alia ad motuum præſentium immoderatorum complacationem ex diæta & animi regimine contribuunt: quod ſi ejusmodi motus nimis refractarii fuerint, tunc etiam licet mitiora ſedativa conjungere; ubique vero ad evacuationum ordinem debite advertere decet.

§. IX. Et quo tota hæc cura efficaciter ſuccedat, præſtat omnino convenientem ordinem in regimine & diæta præſcribere; ob id præſtat, quo animus ab inſolitis & immoderatis patheticis commotionibus liberetur; aër vitetur turbidus, humidus & nebuloſus, quin potius magis modeſtum regimen ſervetur; cibi ſint puri, molles, liquidi, temperanter aromatiſati; minime vero ſpiſſi fœculenti valde ſalini; præcipue nocent pingvedines, facile ranceſcentes,

hinc

hinc caro ſuilla ulcerationibus incommoda eſt, confert vero abſtinentia a fermentescentibus acescentibus alimentis & potulentis: potus adhibeatur ſufficiens, interdum modice vinoſus, ubique vero dilutus; unde etiam decocta & infuſa calida proſunt: nimia deſidia variorum incommodorum cauſa evadit; excretiones tam ſeroſæ quam conſuetæ & neceſſariæ Sangvineæ promoveantur, & in omnium rerum uſu moderamen obſervetur, quæcunque etiam ſub diæta ad repurgationem humorum conferunt, velut Zingiber, ſinapi, petroſelinum &c. illa etiam conferantur.

SECTIO V.

DE

SPASMIS IN GENERE.

§. I.

ORdo me jam ducit ad utilem & in Medicina practica ſatis intricatam doctrinam de Spaſmis, quorum therapiam jam in genere explanare lubet, quo ſpecialis applicatio eo facilius formari posſit: præſupponit vero rationalis ſpaſmorum cura certam cognitionem illarum cauſarum, propter quas hi motus ſpasmodici adminiſtrantur. Ubi mox in limine hujus tractationis removeo illum crudum & ſterilem conceptum, qui de ſpaſmis vulgo formatur, quaſi hi conſiſtant in turbulento, tumultuario, perturbato, abſolute noxio & omni finali reſpectu deſtituto motu; aut quaſi ſint effectus alicujus materiæ pernicioſæ genus nervoſum ſtimulantis & varias moleſtas ſenſationes & turbas concitantis, cum rectius in ſimpliciori ſpaſmorum dijudicatione illa veritas inculcanda & ſtabilienda ſit, quod ſpasmi ſint ejusmodi cauſis oppoſiti & quod ad harum inimicarum pernicioſarum, præjudicioſarum & ſtimulantium cauſarum remotionem colliment. Et licet ſatis ſæpe cauſæ irritantes ſpasmorum conſequutionem involvant, tamen propterea origo & effectus ſpasmorum aut prima progresſio & nativitas non ab illis cauſis deduci debet; aliud enim eſt dum tales cauſæ naturam irritant, aliud vicisſim eſt, quando natura ad expugnationem hujus moleſtæ irritationis ſpasmos adhibet, ſiquidem contra interdum ſpaſmi nullam talem exquiſitam vellicationem, ſed plane alias tacitas cauſas proſequuntur: Et licet non ſemper effectus intentioni reſpondeat, i. e. licet non ſemper adverſum objectum per ſpasmos removeatur, tamen

men propterea falſa eſſet concluſio, ſi quis negare vellet, quod ſpasmi ad hunc finem contendant.

§. II. Abſolvuntur itaque ſpaſmi cum augmento motus tonici; quapropter nulla cauſa peccans illius aptitudinis eſt, quo tales ſpasmos per ſe formet, unde in therapia ſpaſmorum cum magna circumſpectione artifex ad hos motus advertere debet: proinde etiam ſatis ſæpe in ſpaſmorum oeconomia & familia evenit, ut hic motus plane in malam conſuetudinem degeneret, ita quidem, ut remota cauſa materiali, tamen morbidi illi ſpaſmi continuent & ut vulgo dicitur pro forma exerceantur, ubi natura idealiter materiam peccantem proſequitur, licet illius materialis præſentia abſit: quoniam communiter cum conſuetudine magna contumacia occurrit, ita perinde ſingulari prudentia opus eſt, ne artifex talem contumacem ſpaſmorum progreſſum adhuc efficaciæ phyſicæ ſive cauſæ alicui peccanti adſcribat, neve eo ipſo, dum imaginarium hoſtem profligat, tantum contribuat, quo inquilinus & genuinus hoſtis eo magis in prava ſua conſuetudine increbeſcat: Subinde etiam noſſe convenit, quod dum ſpaſmi in auctiori & immoderatiori augmento toni conſiſtunt, propterea communiter in tali negotio natura incontinens & immorigera ſit, adeoque excesſive ſeſe alicui objecto opponat, quæ notitia tantum juvat, ne artifex ſuſcipiat ſucceſſum cum exceſſu profligare, neve repente huic exceſſui ſe opponat, aut eundem ſubito ſuppprimat, quales extremitates in therapia communiter pesſime cedunt.

§. III. Inter illas cauſas, quæ ſpaſmos invitare ſolent, magnam omnino conſiderationem meretur tam plenitudo, quam ſpisſitudo Sangvinis; cui priori imminuendæ non raro ſpaſmodicæ tales commotiones impenduntur; tanto magis ſi in negotio hæmorrhagico variæ difficultates intercedunt, ſive jam ipſa natura alias in ſuis actionibus immorigera exiſtat & in exceſſus proclivis ſit, ut propterea hoc opus cum tanta evagatione & impatientia aggrediatur, ſive in Hæmorrhagiarum ſucceſſum aliæ turbæ patheticæ vel ex malo regimine, vel incongrua diæta, vel e prava medicatione interceſſerint, ut proptereа cum tanta vehementia natura hunc ſcopum proſequatur, quoniam eundem cum lenitate exequi haud facile poteſt: præterea ſpaſmi ad ſpiſſitudinis humorum emendationem ſatis frequenter adhibentur; ne varii ſuſpecti infarctus, aut actuales ſtaſes ſuboriantur: & ita etiam alias ſalutares, ſed vel perturbatas, vel difficilius procedentes evacuationes cum ſpaſmodicis provocationibus natura proſequitur, ſic hic ſimplex ſpaſmorum ſcopus eſt, quando cum iisdem natura qualecunque adverſum ſubjectum excutere & removere laborat; ubi pro meliori ſpaſmorum diſcretione omnino obſervare convenit, an adhuc talis cauſa præſentanea & in corpore obvia ſit; an præſumpta, præſuppoſita &

ad-

adhuc imaginaria exiſtat, uti in moralibus idem contingit, ut anima adhuc quædam objecta proſequatur, licet illa jam remota fuerint.

§. IV. Cum hoc loco ſermo præcipue ſit de illis ſpaſmis, qui externum corpus affligunt, eidemque varios dolores incutiunt, ita perinde in horum ſpasmorum cura ſingulari prudentia & dexteritate opus eſt, ob id pro ſecuriori horum tractatione cavendum eſt 1) ab immoderatis, prodigis & craſſis evacuationibus emeticis, æque ac catharcticis, 2) a negligentiori ordinariarum & neceſſariarum evacuationum promotione, 3) ab incurioſa conciliatione, æſtimatione & tractatione ſtatus plethorici & negotii hæmorrhagici, 4) ab aliarum excretionum ſalutarium ſuppreſſarum ſiniſtra & neglecta directione & tractatione, 5) a remediis internis valde calefacientibus & ſangvinis maſſam turgefacientibus, 6) a nimio ſimplicius alterantium & ſangvinis maſſam corrigentium remediorum uſu, 7) a communi & promiſcuo lignoſorum & depurationi ſangvinis dicatorum medicamentorum uſu, 8) a curatorio, tanto magis liberali interno Salium volatilium uſu, 9) a vulgatorum aperitivorum vel calefacientium, vel adſtringentium uſu, 10) ab aliorum poſitive adſtringentium medicamentorum ordinatione, 11) ab opiatorum remediorum vulgari commendatione & frequenti oblatione, 12) a medicamentis communibus refrigerantibus, 13) ab interno nervinorum & roborantium præmaturo uſu, 14) a remediis primas regiones valde turbantibus, 15) a medicamentis internis valde ſtimulantibus & ſpaſmos ad interiora revocantibus, 16) a Mercurialium, etiam temperatorum, remediorum uſu, 17) tanto magis vero a poſitiva Salivatione, 18) ab incraſſantium & abſorbentium copioſa oblatione, 19) a nimiis, impetuoſis & copioſis ſudationibus, 20) ab externis valde acribus & concentratis remediis, 21) tanto magis vero a præmaturo & liberali ſalium volatilium uſu externo, 22) nec non ab emplaſticis acribus & tenacibus, 23) proinde etiam a valde emollientibus & partes relaxantibus, 24) ut & a poſitive repellentibus & potenter adſtringentibus, 25) tanto magis a vulgari & imperito Sulphuris uſu externo, 26) præterea etiam ab externis valde ſtupefacientibus, 27) ut et ab inordinato, prodigo et inopportuno balneorum uſu, 28) ab acidularum et thermarum confuſa et præcipitata ordinatione et ingeſtione, 29) a medicamentorum confuſa et per contrarios effectus operantium commixtione et oblatione, 30) a nimis multiplicata et frequenter variata medendi methodo.

§. V. Methodica et rationalis cura ſpasmorum generalis requirit omnino ſelectum indicationum et remediorum, ne potius ſpaſmodici affectus [quod alias facile contingit] pervertantur; unde in therapia ſpaſmorum 1) conſuetæ evacuationes in ordinem juſtum et liberum ſucceſſum redigendæ ſunt, 2) cauſæ ad hos affectus contribuentes dextre et opportune removeri

 debent,

debent, 3) motus excedentes et contumaces per interna emendandi ſunt, 4) ab extra etiam partibus dolentibus afflictis ſubveniendum eſt, 5) proinde congruo tempore partes antea afflictæ roborari debent, 6) conveniens regimen et idonea præſervatio pro præſenti morbo præſcribi debet; quippe quæ ſingulæ indicationes non modo cum neceſſaria continentia et lenitate, ſed etiam cum convenienti ordine, ſucceſſu & conſtantia exerceri debent, quoniam omnis præcipitata & immoderata medicatio in tali affectu, alias valde contumaci, potius ſuſpectas exacerbationes, quam exoptatas mitigationes poſt ſe trahit.

§. VI. Quoad primam indicationem ante omnia corpus ad futuram juſtam & efficacem curam præparatur per debitam promotionem ordinariarum evacuationum; unde præcipue alvus in omni ſpaſmo debet eſſe aperta; ad hanc apertionem conſervandam confert ſufficiens corporis humectatio, videlicet potus ſufficiens, nec non diæta liquida, diluens & inteſtina leniens; quo etiam ſpectant ſubjecta alia in diæta offerenda alvum lubricantia, e prunis & paſſulis ſeligenda: Ad excitandam vero alvinam excretionem conducunt remedia correcta & temperata aloëtica, Pilulæ Stahlianæ & Becherianæ, extractum panchymagogum Crollii, ſalia digeſtiva & tartariſata, præcipue Sal Anglicanum: porro interdum proficiunt vina medicata Rhabarbarina, Sennata, polypodiata & modeſtius helleborina, cum additamento ſpecierum reſolventium & roborantium: In nonnullis ſubjectis multam utilitatem promittunt & afferunt clyſteres emollientes & modeſtius ſtimulantes; de reliquo ab aliis purgantibus acribus reſinoſis & ſtimulantibus ſedulo abſtinendum eſt: porro confert tranſpirationem inſenſibilem in æquali ſucceſſu conſervare & ſuperficiem corporis a qualicunque ſuſpecta conſtrictione præmunire, eapropter ſeligendum eſt regimen modeſte calidum: deinde conducunt frictiones corporis molliores cum linteis calidis, quidquod in futurum modeſtus uſus balneorum dulcium ad genericam hanc ſangvinis diſtributionem per univerſam peripheriam corporis contribuit, modo omnis immodeſta exæſtuatio ſangvinis & orgaſtica commotio evitetur.

§. VII. Fundamentale negotium in therapia Spaſmorum eſt, quo illæ cauſæ, quæ ad Spaſmos contribuunt tempeſtive & congrue removeantur, inter illas primario loco ſanguinis abundantia nominanda eſt; quæ per convenientes Venæ Sectiones aut in aptis ſubjectis per ſubordinandas Scarificationes imminui debet: præſtat cum hiſce imminutionibus ſangvinis ordinem juſtum obſervare, ne videlicet eædem præſentibus & durantibus adhuc ſpaſmodicis doloribus exerceantur, ſed quo potius præſervatorio ſcopo celebrentur; deinde cum iisdem neque exceſſus, neque defectus committi debet; uterque enim ad ſpaſmorum exacerbationes excitandas contribuit, præterea proſpicere con-

convenit, ne cum larga & ſpirituoſa diæta Sangvinis plenitudo iterum augeatur & moleſta commotio provocetur: deinde inter cauſas ratio habenda eſt ſpisſitudinis Sangvinis, quæ partim per motum ſufficientem corporis, partim per convenientem humectationem emendari debet, ſubjunctis etiam aliis temperatioribus reſolventibus, abſtergentibus & diluentibus remediis, quorum paſſim alibi, ubi ſpisſitudinis Sangvinis cura tractata fuit, commendata proſtant; quo nomine non inutiliter in ſubjectis carnoſis tempeſtivus & moderatus Acidularum uſus proficit; præterea etiam indagare decet, an aliqualis dyscraſia Sangvinis ad ſpaſmorum ortum contribuat, cui emendandæ æque artifex omnem circumſpectam operam adhibere debet; pro quo ſcopo talia adminicula inſerviunt, quæ ad cacochymiam corrigendam conferunt; velut ſunt abſorbentia, ſalina abſtergentia, amara reſolventia, diuretica temperata, quo ſpectant eſſentiæ reſolventes & aliæ temperatæ repurgantes ſelectæ balſamicæ, una cum ſufficienti humorum diluitione & interpoſita atque repetita modeſta laxatione atque temperata diaphoreſi: quo loco adhuc mentionem injicere placet curæ illius edulcoratoriæ lenientis atque emollientis, ad ſpasmos vulgo commendatæ, quæ cum lacte adminiſtrari ſolet; ſed quæ cura non indiſcretim exercenda, niſi ſimul ſangvinis ubertas depleatur & primæ viæ repurgentur, in quo paſſu non penitus lactis uſus in ſpaſmodicis affectibus contemnendus eſt.

§. VIII. Quoniam vero ſpaſmi cum immoderatis motibus & ſenſibili atque dolorifico toni augmento abſolvuntur, ita etiam ad horum motuum mitigationem inducendam omni ſtudio prudens medicus cooperari debet & in hoc ipſo officio juſti & ſecuri gradus obſervandi ſunt, ne mox ejusmodi motus obruantur & confundantur: Confert itaque primo motus lenire; quo conducunt adminicula diluentia, gelatinoſa, mucilaginoſa, diætetica, juſcula pingvia, lacticinia, emulſiva liquidiora, decocta domeſtica, quæ ſingula & ſangvinem diluunt & partes flexiles atque lubricas reddunt, deinde proſunt temperantia, maxime vero nitrata, ut & abſorbentia, ſalina deterſiva & quando ſangvinis orgasmi concurrunt, Corallia rubra præparata: In Sangvineis & floridi corporis ſubjectis, ubi dyscraſia humorum deeſt, conducunt etiam acidulata temperata, quin ipſe uſus acidularum modeſtus: denique etiam conjungantur Sedativa, e quibus convenit cinnabaris, Maſſa Pilularum de Cynogloſſa, Syrupus papaveris rhæados, diacodium montanum, extractum & tinctura chaccarillæ; qualia remedia variis formulis commiſceri poſſunt: Sicut interdum ipſius theriacæ ſimplicis, aut Diaſcordii Fracaſtorii uſus convenit; habent etiam aliquam virtutem, ad mitigandos ſpasmodicos motus efficacem, ſpecies & confectiones de Hyacintho: hiſce remediis interdum interponantur

tur interna reſolventia & diſcutientia ad æqualem ſangvinis diſtributionem opitulantia, modica tamen quantitate offerenda, ut ſunt eſſentiæ temperatæ alexipharmacæ & diureticæ, ut caryophyllatæ, vincetoxici, pimpinellæ albæ, helenii, quemadmodum interpoſitus uſus tincturæ Antimonii tartariſatæ cum eſſentia ſuccini mixtæ ad motuum emendationem aliquam utilitatem aſfert. Quod caſtorei uſum attinet, tunc ille ſubjectis valde plethoricis non ſatis ſecurus eſt, quoniam facile ad orgaſticas ſangvinis commotiones invitandas contribuit; In aliis vero ſubjectis temperatus illius internus uſus non penitus rejiciendus eſt;

§. IX. Sub hac cura præterea etiam partibus dolentibus ſuccurrendum eſt, quando partes affectæ, quantum quidem dolor permittit, motu aliquo voluntario exercentur, mediante quo præſentes ſtricturæ iterum educendæ ſunt: alias in nonnullis ſubjectis convenit modeſtus uſus Spiritus vini camphorati, intra linteamina excepti, aut commixti cum ſpiritu formicarum & lumbricorum terreſtrium & ſambuci; ita etiam proſunt ſacculi & cataplasmata e reſolventibus & temperatis nervinis ſpeciebus parata, velut e radicibus angelicæ, vincetoxici, caryophyllatæ, ſigilli ſalomonis, herbis roriſmarini, Majoranæ, ſalviæ, matricariæ, hyſſopi, floribus origani, calendulæ, roriſmarini, ſambuci, roſarum, ſtœchados Arabicæ, chamomillæ, verbaſci, hyoſciami, anethi &c. qualia cataplasmata interdum cum lacte parari poſſunt; proficiunt etiam ſuffimigia e floribus ſtœchados citrinæ, roriſmarini, Maſtiche, olibano, Ladano, Benzoë & Ligno ſantalino citrino parata: proſunt modeſtæ frictiones, ut & cataplaſmata e ſegmentis ſeminum & florum Fœni cum lacte, vino & aqua facta; præterea etiam confert Sapo cum Spiritu vini ſolutus, cui ſolutioni nonnunquam Camphora, Crocus & tantillum Spiritus ſambuci & lumbricorum terreſtrium addi poteſt? quandoque confert urina vetuſta cum calce viva deſtillata, addito tantillo camphoræ: In nonnullis laudatur cataplaſma e juſculo pernæ & caſeo vetuſto paratum; ſunt & alii, qui non ſine ratione balneum coriariorum das Lohgerber Bad extollunt, proficit etiam balneum formicarum & modeſtus uſus balnei cum floribus ſambuci & acaciæ paratum; denique miteſcente nimio cruciatu ſpaſtico & ubi tumor deeſt, conducit emplaſtrum de galbano camphoratum, alibi Empl. ſaponatum proficit: Salium volatilium uſus externus valde circumſpectus eſſe debet, quemadmodum etiam ſulphuris uſus externus neque facilis, neque copioſus ſit, ſiquidem ille famoſus ſpiritus volatilis ſulphuratus magis pallativis curis perficiendis inſervit.

§. X. Dum ſpasmi partes, quas detinuerunt, admodum affligunt, ut poſt illorum ſpasmorum ceſſationem in iisdem partibus aliqualis atonia remaneat,

remaneat, hinc convenit exeunte hac cura roborationi partium, hactenus affectarum, operam dare; interne quidem conveniunt tincturæ roborantes & quidem, ſi ſpasmi fixiores fuerunt, Mixtura e tinctura Antimonii tartariſata & eſſentia ſuccini parata; alias etiam proficit mixtura noſtra conſueta roborans: Extrinſecus conducunt ſpiritus roborantes, velut ſpiritus formicarum, Serpilli, Roriſmarini cum ſpiritu vini camphorato & eſſentia croci mixti: Interdum proſunt ſacculi nervini, maxime vero convenit partes hactenus affectas non ſtatim arduis exercitationibus ſubjicere: Conferunt etiam balnea ſicca e ſpeciebus nervinis paranda, ut & ſuffimigia prædicta roborantia; humida balnea non admodum proſunt: Interea etiam conducit partem hucusque affectam ſucceſſive priſtinis uſibus & motibus applicare, qua ipſa applicatione neceſſarium & conveniens robur revocari debet: Denique e reliquo congruo regimine & juſta diæta tantum allaborandum eſt, quo ſucceſſive ordinariæ vires etiam in affecto loco revertantur.

§. XI. Reſtat itaque ultimo loco neceſſariæ præſervationis mentionem injicere; ob id ante omnia conveniunt promotiones ordinariarum evacuationum; unde alvus conſtanter aperta eſſe debet & pro hoc ſcopo aliquando ordinentur temperata laxantia, rhabarbarina & correcta aloëtica; quemadmodum vernali tempore vina medicata in uſum trahi poſſunt: Deinde tempeſtive ſangvinis urgens abundantia imminuenda eſt per Venæ Sectiones in pede celebrandas & per ſubordinandas ſcarificationes in ſubjectis ſpongioſioribus: Ubi vero hæmorrhoidalis diſpoſitio adeſt, ibi convenientes hirudinum applicationes ad loca hæmorrhoidalia valde proſunt: præterea multum proficit, ſi transſpiratio inſenſibilis rite continuat, ob id præcaveri debet omnis repentina transſpirationis ſuppresſio, quin potius interdum modeſta diaphoreſis concedi poteſt: Ante omnia animus continens & tranquillus ſit & ſubinde patheticæ commotiones imprimis ira, terror & immoderata libido evitentur, præcipue ſpasmis ſubjecti homines caſtam vitam ſervent, quoniam talis concupiſcentia & animum & corpus valde commovet: Subinde interdum præſervatorio ſcopo uſurpentur remedia abſorbentia, ſalina detergentia & nitroſa: Multum etiam prodeſt ſufficiens humectatio corporis; quare potus temperatus, diluens & ſufficiens convenit; nocet contra potus ſpirituoſus, multum vinoſus, valde ſaturatus & craſſus: Conferunt decocta liquidiora, imprimis herbæ thee, non vero fabarum Coffe: Ita etiam conducunt gelatinoſa, liquidiora, mucilaginoſa & interdum lacticinia: Porro præſervatorie conveniunt in ſubjectis carnoſioribus Acidulæ & thermæ modeſtius uſurpatæ: omne frigus ſive internum ſive externum nocet, modeſtus tamen calor proficit; Motus ſufficiens & peregrinatio eſt ſingularis medicina præ-

præſervatoria Spasmorum, de reliquo quoad alias circumſtantias congruum moderamen ſervetur.

CAPUT I.
DE
PLEURITIDE SPURIA.

§. I.

GEneralem hanc Spasmorum practicam explicationem nunc ad ſuas ſubordinandas ſpecies duco, in qua ſpeciali explicatione eo magis ſuccincta & manifeſta eſſe poteſt reliqua deductio: Et ita primum conſpectui noſtro ſeſe ſubmittit præſens affectus thoracis ſpasmodicus, qui quadantenus pleuritidem æmulatur, licet adhuc ab actuali & intimiori inflammatione liber ſit, eſt interim præſens morbus ſatis contumax, qui cum tempore in acerbiora pathemata ſpasmodica degenerare ſolet, ſi negligentius aut inconvenientius tractatur: Quando vero illius genuina therapia commendata eſt, tunc ante omnia ejusdem cauſæ uſitatæ, ſimplices & genuinæ exponendæ erunt, quo cura ſuis cauſis rite reſpondeat: Ante omnia præſtat obſervare, quomodo præſens affectus in quibusdam ſubjectis omnino moliminibus hæmorrhagicis anomalis & per externum corpus vagantibus accenſeri mereatur, ſicut ad hujus morbi plenariam invitationem illæ cauſæ disponunt, quæ non modo ad augendum, ſed & impellendum ſanguinem contribuunt: Præterea ſciendum eſt, quomodo nonnunquam immodeſtius repreſſæ diaphoreſes, aut auctiores transſpirationes eundem affectum provocent; ſicut reliquæ cauſæ & circumſtantiæ cum hisce fundamentalibus cauſis coincidunt, ut ad minimum tantum innoteſcat, quomodo ejusmodi ſpasmi pectoris excretionem aliquam pro ſuo ſcopo habeant.

§. II. In cura hujus affectus exquiſitius adminiſtranda & ab infelici ſucceſſu præoccupanda, cavendum eſt 1) ab evacuationibus craſſis, emeticis atque catharcticis 2) a curatorio uſu Venæ Sectionis 3) a perturbatione, aut negligenti promotione ordinariarum evacuationum 4) a medicaminibus & regiminibus valde calefacientibus & diaphoreticis 5) a curatorio uſu ſalium volatilium 6) a communi ordinatione narcoticorum remediorum 7) a larga pectoris emollitione & expectorantium oblatione 8) a remediis externis valde

emol-

emollientibus & repellentibus 9) a nimis multo & confuſo medicamentorum uſu 10) ab internis adſtringentibus & ordinarios progreſſus motuum turbantibus 11) a remediis antiſpasmodicis dubiis & minus probatis & denique 12) a ſalium volatilium & remediorum ſulphuratorum uſu topico.

§. III. Specialis therapia hujus affectus ſequentibus nititur indicationibus practicis, 1) ut ordinariæ evacuationes promoveantur, 2) ut motus ſpasmodici ab intra mitigentur 3) ut per congrua externa remedia dolores præſentes & urgentes emendentur & 4) ut debita præſervatio præſcribatur: Quoad primam indicationem ante omnia alvinæ excretioni proſpiciendum, quo illa libera & ſufficiens ſit; unde interdum convenit eandem provocare per mitiora laxantia, rhabarbarina, ſennata, polypodiata, correcta aloetica & helleborina, paſſulata, prunata & ipſum magneſiæ albæ uſum: Proſpiciendum modo eſt, ne alvus cum aliquo impetu & ſenſibili ſtimulo commoveatur: Deinde ratio habenda eſt, quo æqualis ſangvinis progreſſus invitetur & transſpiratio neceſſaria promoveatur; quo nomine convenit regimen modeſte calidum ſervare & interdum moderatam diaphoreſin ſuscitare cum temperatis bezoardicis, quo ſatisfaciunt nonnunquam diaphoretica fixa & ſubjectis floridioribus Mixtura ſimplex; interdum etiam conveniunt temperatæ eſſentiæ alexipharmacæ, velut helenii, ari, caryophyllatæ, vincetoxici, pimpinellæ albæ: Cavendum vero eſt, ne ſub horum poſteriorum remediorum uſu anxium regimen conjungatur.

§. IV. Deinde motibus ſpasmodicis urgentibus & inſiſtentibus ſubveniendum eſt per remedia lenientia, temperantia & ſedantia: Prioris claſſis ſunt decocta gelatinoſa, e Cornu Cervi, ſcorzonera & hordeo parata, additis herbis veronicæ, ſcordii, chærefolii, fœniculi, paſſulis majoribus, caricis pinguibus: vel conducunt temperata lacticinia & emulſiva, ex aquis ſcordii, cardui benedicti, plantaginis, ſcabioſæ, florum ſambuci, fœniculi, roſarum, liliorum convallium, ceraſorum nigrorum, amygdalis dulcibus, pineis, ſemine cardui mariæ, papaveris albi & ſaccharo cando parata: Præterea leniunt ſpasmos oleoſorum moderati uſus; quo pertinet oleum amygdalarum dulcium cum ſaccharo cando in Elæoſaccharum converſum, ut & modicus uſus ſpermatis ceti cum decocto veronicæ aſſumptus: Temperant hos motus pulveres abſorbentes, præcipue oculi cancrorum citrati, aut reliqui pulveres nitroſi & uſitati antiſpasmodici, cinnabarini; quo nomine etiam conveniunt potiones ex prædictis aquis parandæ, cum additamento oculorum cancrorum citratorum & antimonio diaphoretico, quodſi etiam multus ſanguinis orgasmus contingat, tunc commisceri poſſunt corallia rubra præparata; ſedativo vero ſcopo proficit Chaccarilla, nec non Maſſa Pilularum de Cynogloſſa & ſimpliciora

papa-

papaveracea, uti ſyrupus papaveris Rhæados, potionibus & decoctis admixtus hoc nomine proficit.

§. V. Cum hisce remediis, intrinſecus oblatis, conjungenda etiam ſunt apta externa adminicula, quo loco commendo ſpiritum vini camphoratum intra linteamina exceptum & ad locum dolentem applicatum; qui interdum cum Spiritu formicarum miſceri poteſt: Præterea conveniunt cataplasmata e ſpeciebus lenientibus, diſcutientibus & temperatis nervinis parata, cum camphora & croco mixta; ſimilem utilitatem habent ſacculi, e ſpeciebus diſcutientibus & nervinis parati & cum ſpiritu camphorato aſperſi; unguenta vero & emplaſtra non conveniunt, niſi Emplaſtrum Saponatum illo tempore cum moderamine adhiberi queat, quando primarius fervor hujus affectus mitescit, quo tempore etiam interne exhiberi poteſt eſſentia pimpinellæ albæ cum eſſentia ſuccini mixta, aut mixtura e tinctura Antimonii acri, ſpiritu cornu cervi & eſſentia ſuccini parata: Frictiones modeſtæ tum affecti loci, tum dorſi, perinde aliqualem utilitatem in hoc caſu promittunt. Præſervatio denique hujus morbi ita eſt inſtituenda, ut tempeſtive urgens ſangvinis abundantia imminuatur, ut alvus conſtanter ſuccedat, ut impuritates bilioſæ interdum abſtergantur, ut transſpiratio inſenſibilis non perturbetur, ut animus a patheticis commotionibus liberetur, ut diæta ſit leniens, temperata, mollis, neque valde alimentoſa, nec ſpirituoſa, ut potus ſufficiens & diluens concedatur, ut immodeſtæ commotiones & exæſtuationes corporis evitentur, ut denique in aptis ſubjectis peregrinationes ad thermas & acidulas concedantur; ita undique cauſæ ad hunc affectum diſponentes præſcinduntur.

CAPUT II.

DE

ARTHRITIDE.

§. I.

AFfectus Arthriticus, qui in experientia medica non infrequens eſt, ſed modo ſolus, modo in comitatu aliorum ſpasmodicorum morborum affligit & ſubinde tam valde dolorificus eſt, quam facile in ſuſpectum habitum degenerat, aut denique in paralyticum effectum delabitur, meretur propter ſingulos hos reſpectus etiam ſpecialem tractationem, licet generalis ſpasmo-

ſpasmorum therapia commode ad hanc ſpeciem ſpaſticæ afflictionis applicari queat: Eo major tamen circumſpectio & dexteritas adhibenda eſt, quo citius talis motus non modo in contumacisſimam conſuetudinem tranſit, ſed & quo facilius ſecundum diverſitatem ægrotantium & medicationum fugitivus & vagus evadit, ut denique Medicus eundem in diverſis corporis regionibus tanquam fugacem hoſtem profligare debeat: Antequam vero tale quid eveniat, magna induſtria adhibenda eſt, quo ejusmodi affectui tempeſtiva medela ordinetur & talis quidem, quæ directe eidem adæquata eſt: Etenim quo magis pro hoc morbo afflicti vagabundas, contrarias, multiplicatas & confuſas medicationes deſiderant & admittunt, eo certius in prædictum ſtatum talis morbus degenerat, qui deinde omnem medicationem utilem & alias congruam reſpuit, quin potius ob continuatam remediorum applicationem immoderatior & acerbior evadit.

§. II. Inde etiam contingit, ut, quo plures Medici ad arthriticorum curam convocati ſunt, eo minus inde ægrotantes certam opem acquirant: tanto vero magis ominoſum eſt ſignum, ſi in hoc morbo vulgatæ empiriæ exercitæ fuere, aut citra reſpectum ad genuinam cauſam mox remedia univerſalia adhibita ſunt: unde multum omnino refert, quo in cura Arthritidis rite adornanda & adminiſtranda ante omnia cauſæ veræ & præſentes perpendantur & deinde recte tractentur: In numero harum cauſarum præcipuam attentionem meretur urgens ſangvinis plenitudo, quæ tempeſtiva & congrua imminutione indiget; quam interdum ipſa natura ſua ſponte proſequitur, ſed cui proſecutioni ſeſe immiſcent vel ſpontaneæ immoderatæ methodi vel incongruæ medicationes, ita ut graves confuſiones & anomaliæ ejusmodi motibus ſeſe conjungant. Deinde obſervare etiam convenit, quomodo multiplices immodeſtæ ſangvinis & reliqui corporis commotiones, ſive ex animi pathematibus, ſive e diæta, ſive e malo regimine provenerint ad præſentem affectum invitandum non raro contribuant, uti præcipue & Venus & Bachus hujus affectus parentes eſſe conſpiciuntur, niſi per hæreditatem aliquando hoc malum innocentia ſubjecta corripiat: neque quidem negandum eſt, quomodo in ſubjectis carnoſioribus & magis plethoricis repentinæ & multiplices refrigerationes poſt prægreſſam paulo majorem exæſtuationem talem morbum invitaverint, quales cauſæ longe frequentiores exiſtunt, quam quæ vulgo imaginariæ alicui acrimoniæ ſangvinis adſcribuntur; ubique vero prudens artifex habebit occaſionem, quo plus vitioſo motuum proceſſui, ſucceſſui & exceſſui, quam materiarum peccantium nocumento & detrimento invigilet.

§. III. Quamvis alias præſens morbus ſatis contumax & immorigerus exiſtat, tamen nihilominus ſingulari prudentia in therapia recte exercenda

 opus

opus eſt; quoniam vel levis aberratio gravem ejusdem morbi exacerbationem cauſari poteſt, hinc cavendum eſt 1) a quibusvis impetuoſis tam anotericis, quam catotericis evacuationibus 2) a negligenti conciliatione, dijudicatione & tractatione ſtatus plethorici & negotii hæmorrhagici 3) a nimis parca & nimis larga ſanguinis artificioſa ſubtractione 4) a poſitivo & impetuoſo Hæmorrhagiarum ſalutarium deficientium impulſu 5) a confuſa & curatoria ſangvinis miſſione 6) a negligentiori ordinariarum evacuationum promotione 7) ab impetuoſis & copioſis ſudationibus 8) a remediis craſin humorum nude corrigentibus & alterantibus 9) a medicamentis calefacientibus, acribus, concentratis, ſpirituoſis, ſulphuratis 10) a remediis exoticis lignoſis 11) a ſalivatione Mercuriali 12) a Salium volatilium curatorio uſu 13) ab omnibus adſtringentibus medicamentis 14) a narcoticorum remediorum uſu vulgari, tanto magis vero liberali 15) a regiminibus vel æſtuoſis, vel refrigerantibus 16) a nimis confuſa, multiplici & copioſa remediorum ingeſtione 17) a præmaturo interno & externo uſu nervinorum 18) ab externis repellentibus & ſulphuratis remediis 19) a topicis unguinoſis & emplaſtris tenacibus, acribus & valde ſpiſſis & 20) a frequenti variatione in methodo medendi.

§. IV. In ſpeciali Arthritidis Therapia, rite adminiſtranda & ſecure atque efficaciter exercenda, indicatur 1) neceſſariarum evacuationum promotio 2) excedentium motuum mitigatio 3) urgentium dolorum per topica remedia lenitio 4) futurarum invaſionum arthriticarum præoccupatio; Quoad primam indicationem ante omnia alvina excretio libera eſſe debet, quo ſimul impuritates bilioſæ ſufficienter abſtergantur, ne cum illis ſangvis in orgaſticum aliquem motum transferatur: Quare non æque talia cathartica ſeligenda ſunt, quæ ſecundum veterum opinionem tartaream acidam materiam e corpore ducere debent; ut vulgo hoc nomine inter medicos laudantur myrobalani, ſed potius conferunt mitiora & vel rhabarbarina, vel correcta aloetica & helleborina, vel ſennata & polypodiata, uti etiam prunata & paſſulata alvum laxantia conducunt: Præterea hoc nomine proſunt ſalia laxantia tartariſata, ſal anglicanum, quin ipſa magneſia alba: Deinde confert opportuno tempore ſangvinis ventilationi operam dare & quidem magis præſervatoriis, quam curatoriis ſcopis, ſicuti Venæ Sectio æquinoctialis in pede inſtituta & ſubordinata ſcarificatio in ſubjectis ſpongioſis non parum proficit: Eapropter tamen ab ejusmodi evacuationibus non abſoluta cura atque ſalus expectanda eſt: Faciunt interim hæ evacuationes tantum, quantum poſſunt & quantum debent: Et ſi non in futurum affectum ſtatim mitiorem reddunt, tamen præoccupant, ne acerbior fiat, neque frequentius irruat: Præterea in ſubjectis Hæmorrhoidariis Hirudinum applicatio ad loca hæmorrhoidalia poſt præmiſſam

Venæ

Venæ Sectionem juſto tempore in uſum tractam perinde ſingularem ſuam uti litatem promittit.

§. V. In altera indicatione, ubi circa motus excedentes Medicus occupatus eſt graviores ſane difficultates occurrunt; abſolvitur interea talis indicatio variis modis & quidem per lenitionem, quando ordinantur auxilia diluentia, humectantia, gelatinoſa, mucilaginoſa, temperata lacticinia & emulſiva, quo pertinet decoctum Cornu Cervi, Cichorii, Hordei, Avenæ, modeſtius citrata & paſſulata: Neque penitus improbari poteſt modeſtus uſus Emulſionum in ſubjectis mollioris & ſenſibilioris indolis, ex aquis ſcordii, plantaginis, ſcabioſæ, galegæ, florum ſambuci, acaciæ, tiliæ, ceraſorum nigrorum, amygdalis dulcibus, pineis, ſemine papaveris albi paratarum: ſicut in ſubjectis floridioris habitus ſerum lactis in uſum trahi poteſt; quo collimat illa novaturiens medicatio per Lac: cavendum modo eſt ne talis cura per lacticinia improvide ſuſcipiatur, aut cum larga pingvioris lactis oblatione adminiſtretur; deinde proſunt etiam temperantia & illa quidem vel ſimpliciora abſorbentia vel oculi cancrorum citrati, vel corallia rubra præparata in ſubjectis floridioribus, ubi orgaſmi ſanguinis concurrunt, porro conveniunt etiam pulveres nitroſi aliquoties per diem exhibendi; cavendo ne nitrum nimis prodiga quantitate ſimul & ſemel offeratur, ſed potius in modica quantitate & repetita vice exhibeatur.

§. VI. Præter hæc auxilia, motuum emendationi dicata, tertio conveniunt remedia ſangvinem ſubtiliorem & floridiorem modeſtius incraſſantia & in orgaſtica ſua commotione refrænantia, qualia ſunt abſorbentia, corallia rubra præparata, Species de Hyacintho & acidulata prædictis mucilaginoſis decoctis mixta, quæ poſteriora vero cum diſcrimine & cautela uſurpanda ſunt, imo quæ rectius omitti debent, quando aliqualis dyſcraſia ſangvinis concurrit; corrigunt etiam hos motus ſedativa ſelectiora e quibus placet commendare cinnabarim ut & corticem chaccarillæ, qui per aliquot dies, veſperi exhibitus, præ aliis ſecurius proficit: Vulgata vero opiata non ſatis tuta ſunt in ejusmodi affectu, quoniam eundem vel magis corrumpunt, vel in alios confuſos affectus conjiciunt; conferunt porro remedia æqualem ſangvinis diſtributionem promoventia & ex illis temperata alexipharmaca, quæ tunc cum modeſto regimine diaphoretico ſublevari poſſunt, quando præſens affectus quantiſper remittere videtur: & ad hanc diſtributionem ſangvinis adjuvandam conducunt frictiones corporis cum linteis calidis: denique ad correctionem motuum etiam contribuunt quædam derivantia adminicula, e quibus imprimis proſunt laxationes cum correctis Aloeticis remediis provocatæ, cucurbitularum coecarum applicationes ad oppoſitas regiones,

 cujus

cujus qualitatis etiam eſt moxa Indorum, ſive ſuperficialis aduſtio & ſub hoc ſenſu conciliata averſio motus ab affectis locis: Hiſce annumero motum voluntarium corporis, qui multum confert ad horum ſpaſmorum emendationem & futuram præoccupationem.

§. VII. Sicut hactenus commendata auxilia intrinſecus motus ſpaſmodicos mitigare debent, ita etiam in uſum trahi poſſunt remedia quæ præſentes urgentes dolores ab extra temperant & leniunt & inter hæc conveniunt modeſtæ frictiones partium dolentium, nec non remedia mitius diſcutientia & alium ſenſum in dolentibus regionibus excitantia; quemadmodum camphorata hoc nomine proſunt, ubi ſpiritus vini camphoratus intra linteamina exceptus cum eſſentia croci mixtus pari modo applicari poteſt; deinde poteſt interdum talis ſpiritus miſceri cum Spiritu Formicarum, Lumbricorum Terreſtrium & tantillo Spiritus Serpilli, ſervata illa cautela, ne nimis prodige aut frequenter talia ſpirituoſa applicentur: In initio præſentis affectus conducit emplaſtrum Saponatum Barbette cum aliquo moderamine applicatum, ne videlicet nimis diu loco dolenti adhæreat; quin interdum confert illud emplaſtrum cum linteamine obtectum, ne immediate partem contingat, applicare: Et ſub ſimili cautela ceratum de galbano, tam in initio, quam in declinatione hujus affectus adhiberi poteſt: Non admodum tutus eſt uſus externus ſalium volatilium, præcipue cum ſulphure mixtorum, qualia medicamenta facile ad retropulſionem horum ſpasmorum admodum periculoſam contribuunt & potius palliativam efficaciam exſerunt: denique conferunt frictiones cum ſacculis nervinis & præſervatorio ſcopo atque tempore poſt ſufficientem corporis præparationem, thermarum uſus externus aliquoties in tali neceſſitate proficuus deprehenſus fuit.

§. VIII. Quando primarius hujus affectus vigor ſufficienter mitigatus fuit, tunc circa finem curæ convenit mixtura roborans, quæ ab intra partes hactenus affectas iterum cum ſufficienti tono inſtruit, ne in futurum aliqua laxitas easdem detineat, ita etiam exeunte cura balnea ſicca nervina, locum inveniunt, quæ contra magis pernicioſa ſunt, quando affectus adhuc in acerbiori gradu perſiſtit, licet etiam in initio hujus morbi, quando corpus ſufficienter præparatum æque ac in declinatione balnea formicarum, aut cum floribus acaciæ, ſtoechados Arabicæ & herba rorismarini parata proſint: Quoad Præſervationem denique præſtat tempeſtive ſangvinem abundantem ventilare; deinde ordinarias excretiones & inter illas tranſpirationem inſenſibilem in juſto ordine conſervare: Maxime vero vitandum eſt frigus & rectius moderatus calor conſervari debet: Unde etiam aër humidus & frigidus nocet; diæta ſit temperata diluens, gelatinoſa non luxurioſa neque valde aromatica

&

& ſpirituoſa: Abſtinendum eſt a multo potu vinoſo, ab inebriationibus & ab alio potu ſpiſſo admodumque ſaturato, quin potius potus ſufficiens quidem, aſt dilutior & temperatior ſit: Neque etiam in præſervatoriis uſibus in ſubjectis ſpongioſis, poſt ſufficientem corporis præparationem, acidulæ & thermæ rejici poſſunt: proinde animi tranquillitas eximie proficit & inter alias incontinentias etiam concupiſcentia venerea valde nocet: corpus in motu ſufficienti, ſed non immoderato conſervetur, nimia vero quies & impetuoſæ commotiones nocent; valde etiam evitanda eſt ſubitanea mutatio frigoris cum calore; in reliquis negotiis ſemper temperies præferatur.

CAPUT III.

DE

ISCHIADICO MALO.

§. I.

INter alios ſpasmodicos affectus valde dolorificos & ægrotantem æque ac medicum affligentes Coxendicum dolor ſive Iſchiadicum malum occurrit, quale malum eapropter, quoniam aliam regionem aliamque ætatem invadit atque detinet, ſingulari & ſpeciali ſtudio exponendum eſt: quo vero therapia magis idonea, efficax & fundamentalis pro hoc morbo inveniatur, ita expedit illius cauſas uſitatiores indagare: Et in hoc negotio magna induſtria obſervare convenit, quomodo præſens malum ſatis arcte ſatisque tenaciter cohæreat cum motu ſanguinis hæmorrhoidali, unde hi ſpasmi vel hæmorrhoides difficulter exeuntes præcurrunt, vel perturbatas & ſuppreſſas ſequuntur, vel poſt legitimum & tempeſtivum hæmorrhoidum reditum denuo evaneſcunt atque ceſſant: quippe quæ circumſtantiæ bene perpendendæ ſunt, ne in nexu hujus affectus cum negotio hæmorrhoidali gravis confuſio committatur, qualis vulgo in pathologia & praxi medica conſpicitur: Neque quidem neceſſe eſt, quo unquam hæmorrhoides ad actualem perruptionem pertigerint, ſiquidem hoc malum etiam hæmorrhoidalem fluxum urgere & deinde in aliquo anomalico decurſu continuare poteſt atque ſolet; uti ſpasmis perquam familiare eſt, quod in pravum habitum degenerent, adeoque ab illo genuino ſcopo, quo collimare deberent, deflectant; quare prudens artifex in hoc paſſu invenit, quo naturam in ordinem juſtum convertat.

§. II. In cura præſentis affectus eædem cautelæ obſervandæ ſunt, quæ paſſim hactenus de diverſis aliis ſpasmodicis morbis traditæ fuerunt, imprimis vero 1) evitandæ ſunt quælibet vehementes & prodigæ evacuationes, 2) quælibet impetuoſæ ſanguinis commotiones, tum per regimina, tum per medicamina valde calefacientia, 3) nocent curatoriæ oblationes Salium volatilium, tanto magis vero oleoſorum, 4) nocent etiam ſimplices & continuatæ humorum correctiones, ſine neceſſaria evacuatione adminiſtratæ, 5) nocent interna nervina ſpirituoſa concentrata, quando aliis neceſſariis indicationibus præferuntur, 6) nocent vulgata martialia, ſic dicta aperitiva, 7) ut & omnia alia adſtringentia, 8) nec non humores valde incraſſantia, 9) & neceſſarias evacuationes perturbantia, 10) nocent etiam communia narcotica, tanto magis frequens eorum uſus, 11) abſtinendum etiam eſt ab externis refrigerantibus, adſtringentibus, repellentibus & ſulphuratis, quæ facile ſpaſmos ab extra introrſum convertunt & affectum periculoſiorem reddunt, 12) nocent denique qualescunque offenſiones motuum hæmorrhoidalium, aut ulteriores perturbationes difficilius exeuntium & imminentium Hæmorrhoidum.

§. III. Specialis cura Mali Iſchiadici perinde hactenus uſitatis & commemoratis indicationibus nititur, quare ordo hujus Therapiæ, rite adminiſtrandæ, hic eſt, ut ante omnia alvus aperta & libera ſit, quæ ſi ſiccior fuerit, per interna nitroſa, correcta Aloëtica, Rhabarbarina, paſſulata, prunata, tartariſata, Magneſiam albam, Sal Anglicanum promovenda & faciliſanda eſt: indeinde conveniunt remedia motus ſpasmodicos corrigentia, quo ſpectant interne lenientia, diluentia, humectantia, ut decocta mucilaginoſa, quo ipſa gelatina Cornu Cervi & decoctum Cornu Cervi citratum pertinet: Non minus huc conferunt lacticinia temperata, neque valde pinguia, quare æſtivis temporibus ipſum ſerum lactis proficit: Huc etiam ſpectant in ſubjectis mollioribus & ſenſibilioribus emulſiva: quando vero in diverſis ſubjectis habitus corporis floridior fuit, tunc commode temperata acidulata in uſum trahuntur: præterea conveniunt abſorbentia ſive ſimplicia ſive citrata, corallia rubra præparata, maxime pulveres nitroſi & antispasmodici, quibus mitioribus remediis interponantur alia efficaciora interna reſolventia & ſelecta diuretica, quo per promotionem ordinariarum evacuationum extrinſecus ſævientes motus ſpaſmodici emendentur & avertantur; quare conferunt ſalina digeſtiva & tartariſata remedia, nec non eſſentiæ temperatæ alexipharmacæ, quæ cum eſſentia ſuccini miſceri poſſunt: denique etiam interdum interponenda ſunt ſedativa remedia, e quibus quoad ſecuritatem præcipuum ſibi vindicat locum chaccarilla, quæ vesperi per octiduum in pulvere, vel in extracto exhibenda eſt; non minus etiam Maſſa Pilularum de Cynogloſſa &

Spe-

Species de Hyacintho cum prædictis pulveribus temperantibus mixta pro eodem ſine adhiberi poſſunt.

§. IV. Præter hæc interna auxilia combinanda & adhibenda etiam ſunt externa tam reſolventia quam motus exorbitantes mitigantia: Maxime confert affectam partem in calore modeſto conſervare, ſiquidem frictiones cum linteis calidis admodum proficiunt: Proſunt etiam ſomenta vaporoſa & ſic dicta balnea ſicca, quo balnea formicarum referri merentur, non minus confert miſcela e ſpiritu vini Camphorato, ſpiritu formicarum & ſerpilli cum linteamine excepta & parti dolenti applicata, cui Mixturæ etiam tantillum eſſentiæ croci conjungi poteſt: Porro proficit Emplaſtrum Saponatum Barbette non nimis diu parti dolenti imponendum, ſed aliquoties removendum, ita etiam ceratum matricale & de galbano camphoratum cum moderamine applicatum confert, modo affectus præſens non acutus & in ſummo fervore conſtitutus ſit: Porro proſunt ſuffimigia e floribus roriſmarini, ſtœchados citrinæ & arabicæ, e Maſtiche, Olibano, Ligno Santalino citrin. & Saſſafras parata: Conferunt etiam ſacculi modeſtius nervini calefacti parti dolenti per intervalla applicandi; Et quando contingit, ut quidam patientes ſtragula plumacea ferre nequeant, tunc confert alia tegumenta ſeligere, quomodo experientia teſte ejusmodi ſuperficiales ſpaſtici affectus nonnunquam plumacea tegumenta haud perferre ſoleant: Præterea ad hujus affectus faciliorem emendationem motus corporis modeſte exercitati, prout circumſtantiæ promittunt, multum emolumenti afferunt.

§. V. Quando in hoc affectu moleſta flatulentia concurrit, tunc utilitatem aliquam afferunt clyſteres emollientes & remiſſius roborantes; alioquin etiam frictiones cum molli excutia commiſſæ proſunt & ſi tales ſpasmi ad interiora retropulſi ſunt, tunc conferunt nitroſa remedia & chaccarilla, una cum clyſteribus emollientibus interpoſitis: quando denique hic affectus paululum remittit, tunc conducit Mixtura roborans uſitata, quemadmodum in reliqua cura hujus morbi externe miſcela e Spiritu ſerpilli & liliorum convallium parata proficit: Præſervatorie conveniunt Venæ Sectiones in pede, hirudinum applicationes ad loca hæmorrhoidalia, repetitæ modeſtæ laxationes cum remediis correctis aloeticis, uſus thermarum temperatarum externus, mobile vitæ genus, promotio & apertio Hæmorrhoidum, diæta temperata & a luxurie & intemperantia libera, potus temperatus, neque valde ſpirituoſus, neque admodum ſaturatus, animi tranquillitas & continentia, caſtitas & abſtinentia a veneris uſu, evitatio impetuoſarum commotionum & exercitationum corporis, ut & ſubitaneæ immutationis frigioris cum calore: quibus ſingulis tempeſtive & rite adminiſtratis & obſervatis, id obtineri poteſt,

teſt, ut præſens alias quidem ſatis contumax affectus, legitime præoccupari queat.

CAPUT IV.

DE

PODAGRA ET CONNEXIS AFFECTIBUS SPASMODICIS.

§. I.

Podagræ cura ſi in qualibet conditione votis & deſideriis exacte reſponderet, eſſet omnino opus quoddam in quo ſolo tractando & exercendo Medicus occupationem ſatis laborioſam reperire poſſet: imo quod opus afflictis podagricis deſideratisſimum & avaris Medicis gratisſimum eſſet, cum podagrici, qui communiter divites ſunt, plena omnino manu Medici officium remunerari deberent; Aſt mihi videtur in hoc negotio ſingulari modo ſpecialem divinam providentiam occurrere, dum plurimi luxurioſorum podagricorum adhuc in corpore ſuo luere debent, quo animus ab uſitatis podagricorum vitiis cum tali flagello avertatur & inſuper emendetur: Etenim teſte ipſa experientia & notante Baglivio plurimi podagricorum vel luxuriei vel plenitudini, vel intemperantiæ ſunt addicti, licet etiam e multis pauci ab hisce vitiis immunes tamen deprehendantur: illud interim hoc loco tenendum, quod pro podagra confirmata ſero medicina paretur, neque abſoluta liberatio unquam conſtet aut promitti queat, niſi palliativa & interdum temeraria cura adhibeatur: e qua ſatis ſæpe cum evidenti damno retropulſio podagræ in interiora corporis ortum traxit.

Conf. Stahlii Diſp. de Podagræ nova Pathologia.

§. II. Quod ſi itaque ſpes quædam de perfecta podagræ cura concipi poterit, tunc mox in primis accesſibus talia apta adminicula ordinanda ſunt, quæ cauſam mali tollunt & avertunt: Quo diutius enim afflictio vel celatur, vel cum diverſis & perverſis artificiis tractatur, eo magis increbeſcit, ut vix poſtea congruæ alicui methodo obtemperet: Eo magis vero in podagræ cura multiplices mutationes ſuſpectæ ſunt: Neque quidem ſub uſu alterius convenientis methodi facile liberatio & reſtitutio perfecta expectanda eſt, quo con-

conſtanter afflicti patientes priſtinis vivendi moribus atque modis indulgent: tanto magis etiam refractarius hic evadit morbus, quo magis ſubjectum quoddam per hæreditatem ſpaſmodicis aliis commotionibus obnoxium redditum deprehenditur, aut quo magis prægreſſæ alterius ſpeciei ſpasmodicæ afflictiones perverſe tractatæ ſuerunt: Præſtat itaque præſentis affectus veras & genuinas origines ante omnes alias diſquiſitiones indagare, iisdemque in therapia tempeſtive, rite & perite ſatisfacere, quo loco imprimis ſcire convenit, quomodo cruciatus podagrici & concurrentes interdum arthritici ſatis arcte cohæreant cum negotio hæmorrhagico & præcipue quidem hæmorrhoidali, licet in futurum quando hi affectus accreverunt poſthabito hoc reſpectu motuum errores i. e. erronei & exacerbati progreſſus accuſandi & legitime tractandi, ut tali tempore natura Hæmorrhagiarum reditum attendat, ſed huic motuum erroneo exercitio, in pravam conſuetudinem converſo, indulgeat.

§. III. Quanquam affectus podagrici communiter valde craſſi & contumaces exiſtant, tamen eapropter in illorum cura minime temeritati ſtudere convenit, quin potius cavendum eſt 1) ab immoderatis & craſſis evacuationibus 2) præcipue ab Emeticorum remediorum uſu, ſicut experientia teſte emeſes facile ad podagræ retroceſſionem contribuunt 3) ab ordinariarum & neceſſariarum evacuationum perturbatione aut negligentiori promotione 4) a confuſa aut exceſſiva aut defectiva ſangvinis ſubtractione, 5) a negotii hæmorrhoidalis obliviosa conciliatione & qualicunque exacerbatione & ulteriori confuſione 6) a remediis valde calefacientibus, concentratis, nervinis 6) a ſalium volatilium curatorio uſu 8) a communi narcoticorum ordinatione 9) a nuda maſſæ ſangvineæ correctione & imaginariæ Sangvinis acrimoniæ edulcoratione 10) a vulgari exoticorum lignoſorum uſu 11) a ſuſpectis mercurialibus remediis, aut actuali ſalivatione 12) ab excedente interna lenitione & emollitione 13) ab externis adſtringentibus, repellentibus, ſulphuratis & refrigerantibus 14) ab externis nimium emollientibus & per contrarios effectus operantibus 15) ab incauto ſalium volatilium topico uſu 16) ab unguinoſis & emplaſticis vel valde pinguibus, vel valde tenacibus, aut acribus, 17) a multiplici variatione methodi medendi & nimis prodiga remediorum ingeſtione 18) imprimis ab experimentorum univerſalium multiplici ordinatione & variatione, 19) a topicis ſtupefactoriis, quæ vitalem vigorem in affecta parte valde debilitant & ſuſpectos tumores cauſantur; denique 29) a qualicunque audacia medica in profligatione horum affectuum interdum familiari.

§. IV. Quanquam ſpecialis præſentium podagricorum affectuum Therapia penitus cum præcedentibus actibus, maxime vero cum mali Iſchiadici cura conveniat, brevibus tamen placet prædicta auxilia & conſilia ad has

prædictas podagricas afflictiones applicare & ibi omnino conſultum eſt, quo patientes, cum tali morbo correpti, non ita diu, uti vulgo moris eſt, calamitatem ſuam celent; ita enim prudens artifex opportunam nanciscitur occaſionem, quo talem affectum tempeſtive quoad fundamentum ſuum aggredi queat, ubi in primis initiis cura ad negotii hæmorrhoidalis debitam promotionem & moderationem dirigenda eſt: Curatorie quidem in affectibus podagricis ante omnia præſtat proſpicere, quo alvus libera ſit, quæ ſi ſiccior aut ſtrictior fuerit, cum lenientibus, laxantibus, rhabarbarinis, correctis Aloëticis, magneſia alba & ſimilibus abſtergentibus, liberanda eſt: quodſi etiam colicæ & flatulentæ moleſtiæ occurrant, tunc commode clyſteres emollientes, remisſius roborantes & mitius ſtimulantes adhiberi poſſunt: Siquidem proinde ad alvi liberationem inducendam Pilulæ Stahlianæ aut Becherianæ multam utilitatem afferunt: Deinde motibus ſpasmodicis affligentibus per eadem auxilia, quæ præcedentibus caſibus commendata proſtant, ſuccurendum eſt & huc conferunt lenientia, gelatinoſa, decocta diluentia, emulſiva, lacticinia, temperantia, nitrata, antiſpasmodica Cinnabarina & denique ſelecta ſedativa; quo cortex chaccarillæ per plures dies veſperi adhibitus conducit: Hisce ſubjungantur remedia ſangvinis æqualem motum & deſtributionem promoventia tam temperata alexipharmaca, parcius oblata, quam etiam remedia mitius diuretica, tam ſalina deterſiva, quam reſolventia; ſicut extra acerbiorem gradum horum affectuum mixtura e tinctura antimonii acri & eſſentia ſuccini parata convenit: In quibuscunque ſubjectis ſangvis ſubtilior & floridior fuit in iisdem non modo prædicta gelatinoſa & mucilaginoſa, ſed & temperata acidulata conveniunt, ſub illa cautela, ne nimis frequenter adhibeantur: Denique etiam in hoc ſtatu abſorbentia citrata & corallia rubra præparata conducunt.

§. V. Cum autem interna hæc remedia non niſi reliquum affectum eousque præparent, quo reliqua ſubordinanda auxilia eo majorem utilitatem afferant, ita in podagræ cura tam medici, quam patientes etiam ad externa remedia confugiunt: Horum vero pasſim varia recenſentur & placet hoc loco quædam e prædictis capitibus repetere; habet itaque aliqualem utilitatem ſpiritus vini camphoratus nonnunquam cum Eſſentia Croci, Spiritu Formicarum, Lumbricorum terreſtrium, Serpilli, Liliorum convallium mixtus, cum linteolis applicatus, ſed neque nimis copioſe neque nimis frequenter adhibendus: Proinde urina vetuſtior cum pauxillo calcis vivæ & camphoræ mixta proficit; huc etiam ſpectat caſeus liquefactus vetuſtior cum pelle leporina ad affectas partes applicandus: Sic etiam ſegmenta & collectanea ſeminum & flo-

florum fœni, ſive cum aqua, ſive cum lacte, ſive vino aut urina decocta, proſunt: Pari ratione modeſtus & circumſpectus uſus Emplaſtri Saponati, intra linteamina excepti, convenit: Famoſus ille ſpiritus ſulphuratus volatilis non niſi cum maxima prudentia, neque nimis frequenter, neque nimis copioſe applicari debet: Emollientia, humectantia, aquoſa, balnea aut contra concentrata, oleoſa non ſunt adhibenda: Denique etiam quidam practicorum extollunt Moxam Indorum, quæ per modum ſuperficialis cauterii operatur & ob excitationem alterius ſenſus præſentibus contumacibus ſpaſticis commotionibus frenum imponit; denique modeſtæ frictiones ſive cum linteolis, ſive cum excutia commiſſæ utilitatem aliquam promittunt: Nullo modo vero confert nodos podagricos immodeſtius offendere, nedum quidem cum actuali inciſione lædere, quin potius pro iisdem confert Ungventum Album Camphoratum cum tantillo olei therebinthinæ mixtum, de reliquo omnia hæc topica modeſtius adhibenda ſunt, ne aliqua podagræ retroceſſio invitetur.

§. VI. Quando in affectu podagrico moleſti vomitus concurrunt, tunc conducunt pulveres uſitati antiſpasmodici & in caſu neceſſitatis cortex chaccarillæ, quæ remedia una cum clyſteribus emollientibus & modeſtius ſtimulantibus conferunt quando in podagra colicæ afflictiones coincidunt, aut quando podagra penitus retropulſa fuit; in quo poſteriori caſu etiam conferunt cucurbitulæ cæcæ pedibus applicandæ, nec non efficaciores frictiones pedum: Remittente acerbiori hujus affectus gradu conducit mixtura roborans; de reliquo eo quovis ſtudio allaborare debet artifex, ne paroxysmus podagricus facile iterum recurrat, ſiquidem pro præſenti affectu eadem præſervatio ſpectat, quæ repetito in præcedentibus caſibus tradita fuit; maxime vero conducit tempeſtiva Hæmorrhoidum revocatio, ſi alias ſubjecta hæmorrhoidaria fuerint, aut opportuna alia ſanguinis diminutio: Non minus multum proficit continentia animi, diæta temperata & mobile vitæ genus, quod ſi cum hoc affectu arthritici conatus concurrant & alternent, tunc eadem conſilia in uſum trahi debent, quæ ſuperius de arthritide propoſita fuerunt: Neque denique thermarum uſus externus rejiciendus eſt, modo thermæ ſint temperatæ & ab eximio effectu adſtringente liberæ; quemadmodum ad uſum illarum requiritur, quo antea ſufficienter corpus præparetur.

CAPUT V.

DE

NEPHRITIDE SIMPLICI.

§. I.

SPasmodicis affectibus omnino annumerari meretur *Simplex Nephritis*, quæ tamen propter concurſum diverſarum aliarum commotionum ſimplices ſpasmos admodum ſuperat, ſiquidem in hoc affectu non tantum ſpasmodicæ commotiones adſunt, ſed & ſubinde congeſtiones & inflammationes concurrunt; hinc affectus talis & gravitate & periculo reliquos ſuperat, ſiquidem etiam cum acutis morbis conſpirat: Neque tamen adeo rarus eſt, quoniam ex ejusmodi cauſis oritur, quæ in vita communi valde frequentes ſunt. Interim ob eminentes ſuos dolores, qui de proſapia ſpasmorum ſunt, etiam ſpaſticis motibus accenſetur, tanto magis, quia aliis ſpasmorum ſpeciebus ſupervenit, aut cum aliis alternat & concurrit; quare cum Arthriticis, Ischiadicis & Podagricis cruciatibus in ſatis firma affinitate conſiſtit. Proinde tanto majori attentione dignus eſt hic morbus, quia partim de acutorum morborum familia participat, partim quia cum aliis ſpasmodicis morbis coincidit, partim quia non raro in alium valde dolorificum & plane incurabilem morbum, videlicet calculum renum, degenerat: Ubi multum etiam ad ſingulorum horum affectuum rationalem Therapiam confert notitia communionis tam hiſtoricæ, quam cauſalis, quæ inter hos affectus intercedit.

§. II. Inter reſpectus cauſales præſentis affectus principalioris dignitatis eſt conſenſus hujus morbi cum motu & negotio Hæmorrhoidali, ubi minime in illam dubitationem delabi debet prudens artifex, quaſi propterea hic morbus cum Hæmorrhoidibus cohærere nequeat, quoniam in diverſis ægrotantibus atque ſubjectis nunquam fluxus Hæmorrhoidum comparuerit; in quo caſu itaque molimina hæmorrhoidalia ab actuali Hæmorrhoidum fluxu discernenda ſunt: Neque illa circumſtantia offendere & turbare debet medicum, quoniam in præſenti affectu commotiones eluctatoriæ circa renes & in iisdem contingunt; ubi ſimul attendere convenit, quomodo motus hæmorrhoidalis externus cum motu ſanguinis per lumbos atque renes ſuccedente communicet, quippe quæ communio motuum altioris indaginis eſt, quam notitia & accuſatio conſenſus generis nervoſi, aut partium & materiarum: Subinde etiam expedit

pedit perpendere & attendere reliquas concurrentes cauſas, anomalicos & deviantes hosce motus hæmorrhoidales impellentes, quales ſatis frequenter modo ex animo, modo ex vitioſa diæta & incongruo regimine proveniunt: Imprimis exinde certitudo & evidentia quædam elucescit, quod hic affectus cum Hæmorrhoidum ſamilia affinitatem quandam habeat, ſiquidem eædem cauſæ ad eundem affectum contribuere obſervantur, quæ ad motum hæmorrhoidalem excitandum & impellendum quadrant: Denique notatu perquam digna eſt illa animadverſio, quæ in practica hujus affectus tractatione magni momenti eſt, quod minime ſimpliciter nephritis cum actuali calculo confundi debeat, ſed quod ab hoc longius discrepet, licet per antipraxin commiſſam hic morbus in alterum illum immedicabilem affectum calculoſum conjici queat.

§. III. Ob id cura hujus affectus admodum circumſpecte inſtituenda eſt & quo minus providus artifex in eadem peccet, ante omnia cavere debet 1) a quibusvis craſſis & immoderatis evacuationibus 2) a negligentiori promotione ordinariarum excretionum 3) ab incurioſa conciliatione ſtatus plethorici, motuum plethoræ oppoſitorum & negotii hæmorrhoidalis 4) a remediis quibusvis valde calefacientibus & humores atque vias commoventibus 5) maxime vero a poſitivis diureticis medicamentis 6) a curatorio ſalium volatilium, tanto magis oleoſorum uſu 7) a ſamigeratis experimentis Lithontripticis 8) a ſamoſis remediis renum affectibus dicatis, oleoſis, concentratis, ſuccinatis, therebinthinatis, ſulphuratis, aniſatis &c. 9) a balſamicorum exoticorum acrium ordinatione 10) a refrigerantium internorum & externorum indiscreta oblatione 11) a medicamentis internis & externis nimium emollientibus 12) ab adſtringentium interno & externo communi uſu 13) a narcoticis medicamentis 14) a quibuslibet remediis motus ad renes convocantibus 15) a remediis ſubito præſentes ſpasmos obruentibus & opprimentibus 16) a mercurialibus remediis 17) a nimis copioſa & confuſa medicamentorum oblatione.

§. IV. Therapia Nephritidis Simplicis tali ordine atque methodo eſt inſtituenda, ut ante omnia proſpiciatur, quo alvus libera & aperta ſit, cujus defectum artifex ſupplere debet per clyſteres emollientes & lenisſime ſtimulantes, quibus ſecundum quorundam medicorum commendationem utiliter herba veronicæ & tantillum ſeminis fœniculi commisceri poteſt: cum aloeticis remediis maxime circumſpecte procedendum eſt, quoniam facile affluxum ſanguinis ad renes augent; alias vero alia remedia mitius laxantia Rhabarbarina, Paſſulata, Tartariſata & Tamarindinata pro hoc ſcopo conducunt: deinde præſtat motus ſpaſticos congeſtorios & ſemi inflammatorios mitigare; quo ſpectant lenientia, temperantia & mitiora ſedativa remedia: e lenientium claſſe

 ſunt

ſunt partim gelatinoſa, ut ipſa Gelatina Cornu Cervi, juſcula pingvia, decocta mucilaginoſa, ut & decoctum herbæ thee, veronicæ, ſcordii, tuſſilaginis; Huc etiam ſpectant dilutiora lacticinia ſiquidem emulſiva temperata neque valde ſaturata ex aquis veronicæ, ſcordii, fœniculi, plantaginis florum ſambuci, galegæ, roſarum, ceraſorum nigrorum, amygdalis dulcibus, pineis, ſemine cardui mariæ, papaveris albi parata, ad eundem finem conducunt: E temperantium numero ſunt abſorbentia cum acidis ſaturata & pulveres nitroſi repetito exhibendi; ſiquidem eodem nomine conveniunt potiones ex aquis prædictis reſolventibus, oculis cancrorum citratis, coralliis rubris præparatis, paratæ: denique in caſu neceſſitatis conjungenda ſunt ſedativa & ex iisdem Cinnabaris & Cortex chaccarillæ, cavendo ne opiata vulgaria in hoc affectu ordinentur.

§. V. Quando dolores immoderate continuant, tunc indicato modo per ſecura ſedativa remedia ſuccurrere licet, hoc nomina ſeorſim adhuc commendo corticem chaccarillæ, qui ſicut in pectoris ita etiam in renum morbis ſecure adhiberi poteſt & qui vel in pulvere ſimplicior, vel in tinctura cum eſſentia pimpinellæ albæ, helenii, caryophyllatæ, vincetoxici mixtus proficit: proinde etiam modeſtus uſus Elæoſacchari ex oleo olivarum & ſaccharo cando parati proficit, ſicut ſuperius commendatæ Emulſiones pro eodem demulcente ſcopo ſatisfaciunt: quando in quibusdam ſubjectis febriles commotiones concurrunt, tunc pro iſtis mitigandis abſorbentia cum acidis combinata, nec non pulveres nitrati, aut corallia rubra præparata, aut Magiſterium illorum conducit: Interponantur itidem eſſentiæ alexipharmacæ & temperatiores & ſi ſubjecta fuerint floridioris habitus, tunc modeſtus uſus acidulorum remediorum conjungendus eſt; ſpiritus volatiles minime ſub vigore hujus affectus exhibeantur, ſed ad illud tempus reſerventur, quando hic morbus declinat, aut ad eventum ſuum & mitigationem tranſit, ubi mixtura e tinctura antimonii tartariſata, ſpiritu Cornu Cervi & eſſentia ſuccini parata, convenit: Proſpiciendum modo eſt, quo alvus aperta ſit: Succinata etiam magis declinante hoc affectu, quam ſub acerbiori illius gradu admitti poſſunt.

§. VI. Cum hisce internis auxiliis conjungenda porro ſunt externa, quæ huic affectui conſulere & opem afferre debent atque poſſunt; adeoque conveniunt frictiones modeſtæ in lumbis inſtitutæ, nec non cataplasmata e ſpeciebus diſcutientibus, lenientibus, & temperatis nervinis cum lacte paranda & calide applicanda: Non minus proficit Emplaſtrum Saponatum Barbette intra linteamina exceptum & ad lumborum regionem applicandum;

porro

porro Camphorata uſurpari poſſunt, ſiquidem prædictis Cataplasmatibus Camphora, Crocus & tantillum Caſtorei commiſceri poteſt; non minus in hoc affectu conducit mixtura nervina e Spiritu Vini Camphorato, Spiritu Serpilli, Formicarum, Lumbricorum Terreſtrium, Eſſentia Croci & Caſtorei paratæ; præter hæc adminicula etiam conducit Unguentum Album Camphoratum, Unguentum Comitiſſæ & infrigidans Galeni, quæ bina poſteriora tamen modeſte uſurpanda ſunt, videlicet non nimis præmature, neque nimis copioſe, neve nimis frequenter: deinde ſub illorum uſu adhibeantur interna temperantia & diſcutientia, alias hæc unguenta ſuſpectam retropulſionem & confuſionem hujus affectus cauſantur.

§. VII. Supereſt denique ut brevibus adhuc præſervatoriæ medendi methodi mentionem injiciam; propterea confert, quo alvina excretio legitime continuet, unde etiam expedit, ne in primis regionibus impuritates coacerventur, interdum lenes laxationes ordinare expedit, deinde præſtat oportune & mature ſanguinis ubertatem imminuere per Venæ Sectionem in pede inſtituendam, quemadmodum in ſubjectis presſius hæmorrhoidariis etiam hirudinum applicationes ad hæmorrhoidalia loca multam utilitatem promittnnt: porro ordinanda eſt eximia animi continentia & tranquillitas; nocet enim ira, terror & Venus: Diæta ſit accurata non valde alimentoſa, neque valde luxurioſa; nocent etiam largius vinoſa, imprimis vina recentia & ſulphurata; nocet cereviſia ſaturata & ſpiſſa, ut & fœculenta & primis regionibus turbas inducens, nocent valde aromatiſata, cibus & potus ſit temperatus & dilutus; proſunt gelatinoſa & lubricantia; prodeſt tandem ſufficiens & moderatus corporis motus; omnis vero intemperies nocet: denique thermæ habent aliquam utilitatem uſu externo; acidulæ temperatæ præſervatorio ſcopo antequam actualis labes renes occupavit, aliquam utilitatem promittunt; modo in eo notatu digna cautela obſervetur, ne illarum uſus concurrentes motus hæmorrhoidales graviter perturbet: denique proſpiciendum quo in ſubjectis hæmorrhoidariis juſtus Hæmorrhoidum fluxus adjuvetur & legitime promoveatur.

CAPUT VI.

De

NEPHRITIDE CALCULOSA.

§. I.

ORdo me ducit ad *Renum Calculum* exponendum, quem communiter vehementes, contumaces & extreme dolorifici ſpasmi comitantur & qui non raro a nephritide ſimplici, modo explicata, oritur, quare permotus ſum, quo hujus affectus hoc loco mentionem faciam: ſed meretur omnino Therapia Calculi Renum in illam claſſem referri, in qua Phthiſeos, Hydropis Aſcites, Podagræ & Hecticæ curationes occurrunt: Dico quod verus & perfectus Calculus Renalis mereatur accenſeri affectibus incurabilibus, ſiquidem interna renum labes eo usque repurgari haud poteſt, ut nova concretio exinde promitti queat: Attamen cum præſens affectus adeo miſere & horrende patientes vexet, nec non cum diverſa gravia & urgentia pathemata inferat, ita ut propterea vulgo maximis dolorum gradibus & cruciatibus annumeretur, hinc medicus peritus & conſcientioſus in tali calamitate calculoſos deſerere non poteſt; quin potius eo artem ſuam dirigere debet, quo non modo ab urgentibus calculis afflictus patiens liberetur, ſed & quo urgentes & angentes dolores mitigentur & denique quo præoccupetur futuri calculi palingeneſia & futura ſimilis miſeranda dolorifica calculoſa calamitas, in quibus negotiis abundantem occaſionem inveniet artifex, quo officio ſuo ſatisfacere queat.

§. II. Calculi Renalis afflictio variis temporibus & occaſionibus medicam aliquam opem poſtulat: in genere quidem hic calculus nititur aliqua labe ulceroſa in rene præſente, cum qua coincidit calculorum & generatio & offenſio, ita ut ſucceſſive non modo numeroſiores calculi formentur, ſed & in quantitate augeantur; interea ſucceſſive ad affectum locum congeſtiones quædam continuant, imo aliquando plane immoderate urgent & alternantibus moliminibus hæmorrhagicis, præcipue hæmorrhoidalibus, decurrunt: illo vero imprimis tempore directam medicationem calculus renalis requirit, quando impetuoſas ſpasmodicas commotiones illius remotio e renibus & plenaria denique emotio urgetur: e quibus ſpasmi vehementes illi cruciatus dolorifici proveniunt; interim minime conſultum eſt, quo tales commotiones penitus ſupprimantur, quin rectius convenit leniori methodo adjuvare, quo cal-

calculi urgentes eliminentur, unde etiam viæ præparandæ ſunt, ne huic excretioni obſint: Neque tamen propterea in talem temeritatem conſentire debet artifex, quo hos ſpasmos exacerbet, unde magis occluſio & incarceratio calculorum, quam congrua eliminatio expectanda erit, deinde etiam confert ſucceſſive præoccupare, ne calculi regenerentur, ſed quo renes affecti legitime mundificentur & illæ cauſæ tempeſtive & juſte intercipiantur, quæ novum calculoſum paroxysmum provocare poſſunt, maxime quidem originali cauſæ proſpicere debet artifex, nimirum negotio hæmorrhagico, ne ex eodem in præſentem affectum ſuſpectæ quædam exacerbationes redundent.

§. III. Dum vero hic affectus adeo doloroficus & refractarius eſt, ita in illius cura omnis attentio & circumſpectio adhiberi debet, ne quicquam committatur, ex quo morbus deteriorari poſſit, cavendum itaque eſt 1) ab artificialibus emeſibus & catharſibus 2) ab alvinæ excretionis perturbatione, aut negligentiori promotione 3 a ſtatus plethorici & negotii hæmorrhoidalis perverſa conciliatione 4) a remediis calefacientibus, acribus & valde concentratis 5) ab exoticis balſamicis & lignoſis acribus ſubtilibus 6) a concentratis, oleoſis, ſpirituoſis & therebintinatis, ſuccinatis, ſulphuratis, Juniperinis, aniſatis & ſimilibus 7) a poſitivis diureticis ſtimulantibus & præmaturo aut inopportuno illorum uſu 8) a famoſis & ſtimulantibus illis experimentis e cantharidibus 9) a ſalium volatilium curatorio & reliquo largo uſu 10) a remediis nimium emollientibus & relaxantibus, 11) a refrigerantibus, valde incraſſantibus & plane adſtringentibus, 12 a communi opiatorum uſu 13) a remediis antiſpasmodicis ſuspectis ſive adſtringentibus, ſive ſtupefacientibus 14) a nimis confuſa remediorum contrariæ efficaciæ oblatione 15) a vulgari uſu travmaticorum vulnerariorum, quæ communiter adſtringentia ſunt 16) a præmatura proſequutione conſolidationis renum læſorum, 17) a remediis congeſtiones ad renes magis provocantibus 18) a negligentiori præſervatoria renum abſterſione & mundificatione 19) a Symptomatum admodum urgentium incongrua oppreſſione & perturbatione 20) ab Empiricorum experimentorum frivola oblatione & ingeſtione 21) ab acidorum vel multo vel inconvenienti uſu 22) a credulo lithontripticorum famoſorum remediorum uſu 23) a ſpecificorum & ſympatheticorum, nec non magneticorum ordinatione, quæ utplurimum ſiniſtras conſequutiones involvunt 24) a nimis præcipiti & temeraria præſentis affectus aggreſſione & tractatione.

§. VI. Ad ſpecialem itaque therapiam tradendam ac commendandam me nunc converto, quæ admodum ordinata & moderata eſſe debet, quoniam præſens morbus adeo ſenſibilis, mobilis & intricatus exiſtit, ut cum levi incongruo artificio graviſſime exacerbari queat & quanquam in cura calculi tam multa

Eeee paſſim

paſſim circumvolent remedia, ut quisquam ferme haud dubitare queat, quo minus ob tantam penum medicamentorum & arcanorum anticalculoſorum præſens affectus e fundamento curari queat, ſiquidem multi de ſpecificis, aut admirandis, aut portentoſis talibus arcanis gloriantur, tamen proh dolor! ipſa experientia teſtatur, quam parum miſeris calculoſis cum tam enormi farragine remediorum conſultum ſit; quare brevibus ipſam methodum calculo renali medendi per ſimplices indicationes tradere placet 1) urgentes & inſiſtentes refractarii & dolorifici ſpasmi mitigandi ſunt 2) calculi excretio leniter & modeſte facilitanda eſt 3) urgentia ſymptomata mitiganda ſunt 4) Renes impuri mundificari debent 5) in futurum facilis & præceps calculorum generatio intercipienda eſt & denique 6) calculoſis ſubjectis idoneum regimen ordinare convenit.

§. V. Cum Calculi Renalis excretionem immoderati ſpaſmi urgeant, qui vero ob vehementiam ſuam ſimul liberum calculorum ſucceſſum impediunt, eapropter ante omnia illi motus mitigari debent, quo cum lenioribus commotionibus calculi præſentes efficacius eliminentur: pro hoc ſcopo itaque conveniunt clyſteres, qui non modo inteſtina ab inhærentibus impuritatibus liberant, ſed & a ſtrictura connexa ſpasmodica arcent & ſimul ad reliquorum ſpasmorum in abdomine procedentium, lenitionem contribuunt: parari poſſunt ejusmodi clyſteres tam e ſpeciebus emollientibus, quam præcipue ex herba veronicæ, chærefolii, nec non radice gentianæ rubræ, ſemine fœniculi addendo tantillum therebinthinæ in ſubſtantia, vitellum ovi, aliquid nitri & electuarium lenitivum: talia clysmata poſt congrua intervalla etiam repeti poſſunt: Alias ad alvi liberationem conferunt rhabarbarum, paſſulæ laxativæ aut magneſia alba: præterea ad hos motus ſpaſticos mitigandos conferunt interna lenientia, demulcentia, Gelatinoſa, Lacticinia, juscula pinguia, Emulſiva & decocta, quale decoctum parari poteſt e veronica, chærefolio, herba Thee, ſcordio, Tusſilagine, tantillo virgæ aureæ, ſemine fœniculi, cortice citri: uti perinde profunt emulſiones ex aquis ſcordii, veronicæ, chærefolii, plantaginis, ſambuci, fœniculi, amygdalis dulcibus, ſemine cardui Mariæ & papaveris albi paratæ: eximiam etiam utilitatem habent remedia nitroſa & præcipue pulvis nitroſo-cinnabarinus ter aut quater per diem offerendus, quæ ſingula debito ordine uſurpata acerbitatem ſpasmorum leniunt atque mitigant.

§. VI. Alterum officium in therapia Calculi Renalis conſiſtit in promotione calculi ad excretionem, ſiquidem præcedentes ſpaſmodicæ contractiones ejusdem calculi evacuationem concernunt: Et hæc ipſa promotio duplici modo ſuccedit, vel ut diureſis ſine eximio ſtimulo viarum urinariarum leniter

pro-

provocetur, velut viæ urinariæ debite leniantur, quo calculum facilius transmittant: prius contingit partim per ipſa nitrata remedia, ſiquidem nitrum ſingularem, lenem tamen efficaciam diureticam habet; partim per conjuncta ſalina deterſiva, digeſtiva, tartariſita, quemadmodum ipſa ſalia e fontibus & aquis ſubterraneis collecta, velut ſal Anglicanum & Egranum calculi excretionem facilitant: Deinde eo ſpectant tincturæ tartariſatæ cum moderamine uſurpandæ, ſicut compoſitio ex Eſſentiæ Succini partibus duabus & tincturæ Antimonii ac ſpiritus ſalis Ammoniaci fœniculati parte dimidia, pro eodem ſcopo conducit; non minus ad hunc finem proſunt Eſſentiæ reſolventes Helenii, Vincetoxici, Caryophyllatæ, Pimpinellæ albæ, Gentianæ rubræ cum Eſſentia ſuccini combinatæ, quæ eædem cum aliqua temperantia exhibendæ ſunt: pari ratione poteſt infuſum vinoſum fructuum Alkekengi, cum eſſentia Pimpinellæ albæ, Corticum Aurantiorum, Gentianæ rubræ & Succini mixtum, adhiberi; ſicut ejusmodi eſſentiis reſolventibus interdum exigua quantitas ſpiritus ſalis Ammoniaci aniſati conjungi poteſt: nonnulli Medicorum tincturam e Cantharidibus paratam laudant, quæ vero juxta communem modum facta potius nocet, valde vero correcta & extenuata nec non cum eſſentia ſuccini & eſſentia quadam carminativa conjuncta parcius & extra acerbiores dolores adhibita proficit: non minus quidam liquorem cochlearum pro arcano ad calculum renalem leniter pellendum aſſervant, qui etiam ulteriori experientiæ commendandus eſt.

§. VII. Præter hæc remedia mitius diuretica in eadem afflictione ad promovendam excretionem calculi adhiberi etiam poſſunt lenientia & emollientia interna & externa, attamen cum aliquo moderamine: ex internorum numero ſunt Emulſiones prædictæ, quæ cum oleo quodam leniente, ut olivarum vel liliorum alborum commiſceri poſſunt: quin ipſa hæc olea in ſimplici tali ſubſtantia aſſumta multis calculoſis afflictis ſolatium afferunt: non minus proſunt decocta emollientia cum quibusdam carminativis ſpeciebus mixta, ut & Elæoſaccharum ex oleo olivarum, Saccharo cando albo & oleo deſtillato corticum aurantiorum paratum; extrinſecus conveniunt regioni lumborum applicanda cataplaſmata e ſpeciebus emollientibus, temperatis nervinis, croco & Camphora parata, additis oleis Chamomelino, anethino, liliorum alborum &c. vel conferunt fotus e decoctis emollientibus & mediocriter nervinis parati; porro etiam modeſtus uſus inſeſſuum proficit, ut & ab extra modeſta inunctio cum oleo Scorpionum, Spicæ, fœniculi, per oleum chamomelinum & liliorum alborum temperata, aliquam utilitatem affert; ſic unguentum album Camphoratum, Unguentum de Althea cum oleo Scorpionum & Papaveris expreſſo mixtum proficit: aliqui laudant oleum camphoræ, videlicet campho-

 ram

ram in oleo olivarum ſolutam & cum tantillo Caſtorei mixtam modeſtius regioni lumborum illinendum : Denique etiam temperatus uſus Emplaſtri Saponati Barbette aliqualem utilitatem in hac afflictione promittit.

§. VIII. Cum vero in Calculo Renali varia periculoſa Symptomata coincidant, propterea etiam prudens artifex illis ſollicite proſpicere & idoneam medelam afferre debet: communiter hunc calculum comitantur vomitus, qui ad reliqui affectus exacerbationem multum contribuunt, eapropter illi mitigari debent vel per admonitionem & moderatam provocationem alvinæ excretionis cum prædictis Clyſteribus præſtandam, vel per pulveres nitroſo-cinnabarinos parca quidem quantitate, ſed repetita vice exhibendos: non minus ad mitigationem horum immoderatorum vomituum convenit Cortex Chaccarillæ, cavendo, ne opiata remedia exhibeantur: deinde hunc Calculum ſtipare ſolent colicæ afflictiones ſatis vehementes, quibus Medicus obviam ire debet per eosdem lenientes & modeſte roborantes clyſteres, quibus præcipue Herbæ Veronicæ & pro urgente neceſſitate aliquot grana Corticum Chaccarillæ combinari poſſunt; interne exhibeantur pulveres antiſpasmodici & eſſentia caryophyllatæ, pimpinellæ albæ, gentianæ rubræ, Corticum aurantiorum & Chaccarillæ; Milleſolii uſus in hoc affectu haud ſincerus & probatus eſt; extrinſecus abdomini illinatur linimentum, aut Unguentum ex oleo Chamomelino, Anethino, Laurino, Rutaceo, oleo deſtillato menthæ, majoranæ, carvi, abſynthii, corticum aurantiorum &c. addendo tantillum croci orientalis, Camphoræ & Caſtorei: quando febriles commotiones concurrunt, tunc eædem mitigandæ ſunt cum pulveribus nitroſis aut oculis cancrorum citratis, magiſterio coralliorum & antimonio diaphoretico: proinde ſubordinentur eſſentiæ alexipharmacæ temperatæ & pimpinellæ albæ: utplurimum etiam in hoc affectu magna virium dejectio adeſt, cui ſubvenire convenit cum regimine quieto, Emulſionibus modeſte analepticis & ſimilibus potiunculis parciſſime acidulatis: denique non raro ſuſpecta alvi obſtructio ſeſe cum præcedenti calculoſo affectu complicat, cui præcipue ſuccurrendum eſt per clyſteres lenientes & modeſtiſſime ſtimulantes cum electuario lenitivo miſcendos; ſicut in refractaria alvi occluſione commode ejusmodi clyſteribus maſſa pilularum genuinarum Becherianarum, Stahlianarum, aut ad imitationem illarum præparatarum conjungi poteſt.

§. IX. Quando paroxysmus quidam calculoſus utplurimum jam præteriit, tunc præſtat ulteriori renum abſterſioni & repurgationi cum moderamine & lenitate operam dare, unde in hoc negotio conducunt pilulæ parandæ ex extractis abſynthii, centaurii minoris, fumariæ, cochleariæ, cardui benedicti, gentianæ rubræ, vincetoxici, Gummi Ammoniaco, Galbano, Myrrha,

rha, Therebinthina Veneta & aloë correcta: Præterea etiam exhibenda ſunt remedia, quæ ſub provocatione modeſtæ diureſeos ſimul renum abſterſionem adjuvant, quo nomine conducit tinctura antimonii acris cum eſſentia Succini, tinctura ſalis tartari; quin ipſe modeſtus uſus ſpiritus nitri dulcis quadantenus proficit; Amygdalæ amaræ numero quatuor, ſex vel octo comeſtæ, efficaciter renes abſtergunt & urinam movent: ſicut etiam Aqua Petroſelini & Fragorum ejusdem efficaciæ eſt: porro Infuſum Fragorum & Fructuum Alkekengi cum vino paratum, aut cum ſpiritu vini factum & cum vino dilutum eandem utilitatem habet, ſicut præſervationis uſibus reſervari debet Spiritus Salis Ammoniaci aniſatus cum tinctura antimonii & eſſentia ſuccini mixtus: præterea Semen Bardanæ in ſubſtantia aſſumptum, renes efficaciter abſtergit, uti Lapis Percarum & Sangvis hirci perinde hanc repurgationem renum adjuvant; præterea conferunt decocta Herbarum Veronicæ, chærefolii, ſcordii, Tuſſilaginis & ſimilium cum ſemine carvi & fœniculi parata; Balſama vero exotica nonniſi cum ſingulari temperantia adhiberi debent, qualia præſervatorio magis ſcopo prædictis pilulis abſtergentibus interdum conjungi poſſunt.

§. X. Denique in Therapia calculi poſteaquam aliqualis paroxysmus dolorificus præteriit, circumſpectio illa habenda eſt, ne calculi in futurum facile & copioſe regenerentur, ob id præſtat renes ſucceſſive repurgare & abſtergere; quo pertinent prædictæ Pilulæ ex extractis Fumariæ, Cochleariæ, Centaurii minoris, Helenii, Vincetoxici, Gentianæ rubræ, Gummi Ammoniaco, Galbano, Myrrha, Therebinthina, Succino, Maſtiche, Balſamo de Capayva & tantillo Aloes parata; quo itidem ſpectant decocta e radicibus Liquiritiæ, Vincetoxici, Apii, Bardanæ, Cichorii, Scorzoneræ, Herbis Veronicæ, Scordii, Chærefolii, Saniculæ, Virgæ Aureæ, Thymi, floribus chamomillæ, ſambuci, helenii, ſemine aniſi, fœniculi, Baccis Lauri, Corticibus Citri, hordeo excorticato, caricis pingvibus parata: Porro ſub diæta conveniunt talia adminicula, quæ ſucceſſive diureſes modeſte promovent, velut uſus diæteticus Petroſelini, Raphani ruſticani, Apii & ſimilium; Deinde pro ordinando congruo regimine confert, quo calculoſi præſervatoriis ſcopis Venæ Sectiones in pede repetant & ſi hæmorrhoidarii fuerint, hirudinum applicationes ad loca hæmorrhoidalia admittant: In Diæta evitanda ſunt alimenta & potulenta ſpiſſa, craſſa, refrigerantia, fæculenta aceſcentia, fermenteſcentia, cruda, valde ſapida, valde ſpirituoſa, nimium aromatica: Rectius conveniunt diluentia, gelatinoſa & lubricantia, quo ipſe uſus modicus olei olivarum ſpectat; Vinum acidum, recens, auſterum & ſulphuratum ſeponatur; generoſum vero & adultum tanquam medicina adhibeatur: Præterea admodum commendanda eſt animi tranquillitas; nocet enim ira, terror & Venus: Frigus interne & ex-

 terne

terne ſollicite vitari debet; unde rectius modeſtus calor ſervandus eſt: Nimia deſidia nocet; ſufficiens & modeſtus corporis motus prodeſt: Exceſſiva vero commotio obeſt: Acidulæ parum proficiunt, thermarum uſus externus modeſtus paulo magis admitti poteſt.

CAPUT VII.

DE

CALCULO VESICÆ.

§. I.

NEque hic Renalis Calculus tantum dolorificus eſt, ſed & ſubinde *Veſicæ Calculus* arduum & perinde refractarium affectum conſtituit ut & ipſe propterea principalioribus morborum ſpeciminibus annumerari mereatur; ſiquidem æque graviſſimorum dolorum cauſa exiſtit, quid quod propterea diutius & conſtantius affligit, ſicut Renalis Calculus utplurimum ſua intervalla habet: tanto magis vero peculiaris gravitas præſentem calculum premit, quo magis cum renali calculo interdum complicatus eſt & quoniam hujus veſicæ calculi cruciatus primario cum ſpasmodicis commotionibus abſolvuntur, quæ illius expreſſionem & proſequutionem concernunt, hinc merito hæc tractatio hactenus explicatis ſpasmodicis afflictionibus annumeranda eſt; in quo negotio itaque prudens artifex triplicem hunc notatu dignum ſtatum, antea paululum inculcatum, attendere debet, primo in quantum motuum vitia & hæreditariæ diſpoſitiones cum hoc affectu coincidant: deinde in quantum ipſe corporis habitus eo conveniat, quo ex ubertate humorum mucilaginoſorum, vel augmentatio, vel regeneratio calculi foveri poſſit: denique in quantum calculus renalis in veſicam urinariam translatus ad veſicæ calculum occaſionem largitur.

§. II. Utut vero communiter hic morbus juniori ætati familiaris eſſe deprehenditur, ubi non æque ſpecialis conſenſus cum negotio hæmorrhagico occurrit, (niſi in hæreditaria quadam diſpoſitione cum prægreſſis parentum morbis hæmorrhoidalibus anomalicis, hypochondriacis, hyſtericis, colicis, nephriticis, Iſchiadicis, podagricis, colicis hæmorrhoidalibus, talis communio liqueat,) tamen cum hic morbus etiam interdum adultioribus & ſenectuti propioribus ſubjectis obtingere videatur, hinc in tali caſu etiam occaſio

occur-

occurrit, convenientiam hujus calculi cum anomaliis hæmorrhoidalibus attendere & ad uſum practicum applicare: Duplex vero proinde obtingit difficultas in hujus affectus cura bene annotanda: Primo quomodo urgens talis calculus, qui interdum eximiæ magnitudinis eſt, commode educatur, deinde, quomodo efficaciter præcaveatur, ne in futurum novus talis calculus regeneretur, qualis regeneratio huic affectui ferme communis eſt; uti itaque in hac afflictione omni modo peritus & circumſpectus medicus invigilare & præoccupare debet, ne vitioſi motus ad hanc palingeneſiam concurrentes denuo invadant, neve continuent: In quibus circumſtantiis æque præſens morbus cum præcedenti harmoniam aliquam habere obſervatur, quoniam in renibus perinde in futurum novi calculi regenerari ſolent: Denique etiam intereſt in hoc affectu provide obſervare, an interna quædam veſicæ labes concurrat.

§. III. Dum itaque conſtat, quantæ difficultates & gravitates in præſenti morbo contingant, hinc intereſt, ut artifex eo majori circumſpectione & dexteritate illius morbi curam adminiſtret, in qua ſcite, rite & perite inveni-enda cavendum eſt 1) ab omnibus crasſis & impetuoſis evacuationibus, quotquot cum aliquo ſtimulo ſenſibili provocantur 2) ab omni negligentiori ordinariæ, imprimis alvinæ excetionis promotione 3) a remediis valde concentratis, calefacientibus & valde commoventibus 4) a curatorio uſu ſalium volatilium 5) a medicamentis poſitive diureticis & ſimul calculi excretionem impetuoſe urgentibus 6) ab oleoſis ſuccinatis, therebinthinatis, ſulphuratis 7) a præmaturo & copioſo uſu balſamicorum acrium exoticorum 8) a motuum ſpaſticorum ſimultanea oppresſione 9) a remediis adſtringenribus & valde incraſſantibus 10) ab opiatorum largo & nimis frequenti uſu 11) a vulgatis travmaticis renum affectibus opponi ſolitis medicamentis; denique 12) a præmaturo aut imperito chirurgico experimento atque tentamine.

§. IV. Cura calculi veſicæ hiſce Indicationibus nititur 1) ut præſentes inſiſtentes ſimulque vehementes commotiones ſpasmodicæ mitigentur, 2) ut calculi & conjuncta urinæ excretio promoveatur, 3) ut partes affectæ bene repurgentur, 4) ut nova calculi regeneratio præoccupetur; Quoad primam indicationem præſentes contumaces ſpasmi leniendi, temperandi & ſedandi ſunt: Lenitio eſt vel remota vel proxima; prioris ordinis operatio therapevtica conſiſtit in prioris ordinis debita alvi apertione, per clyſteres lenientes oleoſos & modeſte roborantes perficienda, eum ob finem parari poſſunt clysmata e ſpeciebus lenientibus, radice pimpinellæ albæ, caryophyllatæ, gentianæ rubræ, herbis veronicæ, rorismarini, menthæ, ſemine fœniculi, baccis lauri, corticibus aurantiorum, oleo chamomelino, anethi, laurino, rutaceo,

irino:

irino: poſitiva lenitio perpetratur per gelatinoſa, lacticinia, juſcula pingvia, nec non per oleoſa, quo ſimplex olei olivarum uſus pertinet, nec non per emulſiva nobis uſitata, ut & per oleum amygdalarum dulcium ſive ſimplex, ſive in Elæoſaccharum convertendum, huc etiam ſpectant decocta paranda e radicibus Cichorii, Bardanæ, Liquiritiæ, Altheæ, Herbis Veronicæ, Tuſſilaginis, Hepaticæ nobilis, Scordii, Semine fœniculi, Carvi, Cortice Citri, Cinnamomi, hordeo excorticato & Caricis pingvibus: deinde etiam proſunt temperantia & ex illis antispasmodica nitroſa, cinnabarina; quo nomine etiam proſunt pulveres ex oculis cancrorum citratis, ſpeciebus de Hyacintho & Coralliis rubris præparatis parandi: Porro hosce dolores & ſpasmos emendant eſſentiæ roborantes & leniter diureticæ, velut Helenii, Vincetoxici, Caryophyllatæ, Pimpinellæ albæ, Corticum Aurantiorum, Succini, quibus commode Tinctura Corticis chaccarillæ combinari poteſt; nec non hos ſpasmos mitigat Nux Moſchata ad exigua gr. vel cum oculis cancrorum citratis, ſpeciebus de Hyacintho & Lapide Percarum miſcenda: denique etiam pro nimio dolorum exceſſu mitigando in conſilium vocari poſſunt ſedativa & inter hæc vel Cortex chaccarillæ vel maſſa pilularum de Cynogloſſa vel Theriaca ſive ſimplex, ſive cœleſtis, vel eſſentia anodyna parca quantitate cum eſſentia Vincetoxici, Pimpinellæ albæ, Succini, Gentianæ rubræ, Corticum aurantiorum conjungenda: denique etiam pro eodem ſcopo externa lenientia, emollientia & demulcentia conveniunt; de quibus proxime nunc dicendum.

§. V. Deinde prudens artifex curam habere debet, quo *calculi* jam in egreſſu ſuo comprehenſi excretionem facilitet: huc etiam ſpectant prædicta clysmata emollientia, quæ in hoc paſſu cum tantillo theriacæ aut chaccarillæ conjungi debent; deinde conveniunt Cataplaſmata regioni pectoris applicanda, e ſpeciebus emollientibus & nervinis paranda, additis oleis chamomelino, anethino, laurino, rutaceo, lumbricorum terreſtrium, pinguedine puriori, ut & caſtoris axungia: Sic etiam proſunt linimenta ex ejusmodi oleis paranda addito oleo fœniculi, menthæ, corticum aurantiorum, hyoſciamo & tantillo croci atque camphoræ, ſicut interdum aliquid caſtorei talibus cataplasmatibus & linimentis ad demulcendos ſpasmos conjungi poteſt: pro eodem etiam fine conveniunt fomentationes ſive vaporoſæ, ſive humidæ, ſive cum aqua, ſive cum vino parandæ, e ſpeciebus lenientibus & nervinis conficiendæ; & talibus formulis commode camphorata remedia commiſcentur, quo inflammatoriæ commotiones vel præoccupentur, vel ſi præſto fuerint, etiam avertantur; quando calculus collo veſicæ fixius inhæret & propter magnitudinem ſuam commode exprimi non poteſt, tamen urinæ evacuationem graviter impedit, tunc catheteris aut candelæ cereæ uſus producendus eſt, una

cum

cum applicatione intra urethram oleorum emollientium ſive olei liliorum alborum, ſive amygdalarum dulcium ſive chamomelini: quando vero ob nimis grandem ſuam magnitudinem calculus expelli plane non poteſt, tunc auxilium quærendum eſt in illius chirurgica provida exſectione.

§. VI. Si itaque calculi excretio impetrata fuit, tunc prudens artifex partibus tum repurgandis tum roborandis ſuccurrere debet: Ad repurgationem adminiſtrandam conveniunt vel Pilulæ in præcedenti calculo pro eodem ſcopo commendatæ, vel decocta e radicibus Apii, Bardanæ, Vincetoxici, Cichorii, Liquiritiæ, Herbis Veronicæ, Scordii, Hepaticæ nobilis, Saniculæ, Virgæ Aureæ, Floribus Sambuci, Anethi, Semine Fœniculi, Carvi, Baccis Lauri &c. paranda: porro conducunt eſſentiæ vincetoxici, helenii, pimpinellæ albæ, Succini cum tantillo Spiritus Salis Ammoniaci mixtæ; ſic etiam mixturæ e tinctura antimonii acri, Spiritu Cornu Cervi & eſſentia ſuccini paratæ proficiunt, quæ eadem remedia intrinſecus etiam partes roborant; quo adhuc eſſentiæ carminativæ referri merentur: Extrinſecus conveniunt fomenta & cataplaſmata nervina. Ultimum in hujus affectus therapia ſupereſt, quo videlicet nova hujus calculi regeneratio præoccupetur; pro quo ſalutari conatu adminiſtrando eadem auxilia & conſilia ſatisfaciunt, quorum in præcedent renali calculo mentio facta fuit & quæ ex illa tractatione repeti poſſunt, ſicut denique præſervatoriis uſibus ſingula illa adminicula ſatisfaciunt, quorum in eodem loco memoria occurrit.

SECTIO VI.

CAPUT I.

DE MORBIS CONVULSIVIS.

§. I.

OMnes exceſſus in quocunque ſtatu multum difficultatis inferunt, quando mitigari & in ordinem congruum duci debent; facilius enim eſt id quod quietum eſt movere, quam quod in motu eſt quietare, eo minus vero in exceſſivis motibus tractandis ipſe artifex excedere debet, alias

 cœ-

cœcus cœcum ducit & eo citius periculoſus eventus exinde emergit, dum cum audacia in ejusmodi morbis nihil emendari poteſt, imo dum hi affectus timidioribus & negligentioribus methodis non obtemperant; eapropter ſingularis enchiriſis requiritur, quæ ad talium calamitatum curam cum ſalubritate applicari debet, ſciendum vero eſt, quod morbi convulſivi ægrius ſpem impetrandæ reſtitutionis faciant, quando vel jam confirmati & adulti ſunt, vel quando variis medendi methodis ſubmisſi fuere, ſiquidem cum iisdem morbis talis ſenſibilitas & contumacia conjuncta eſt, quo ex multiplicata & interdum confuſa remediorum oblatione in pertinaciorem ſtatum & gradum degenerent, hinc ſi prudens artifex cum ejusmodi afflictionibus congredi ſuſcipit, bene antea explorare debet, an adhuc opportunitas temporis adſit, ne fruſtra & tempus & impenſas perdat, ſiquidem per ſe convulſivi morbi admodum refractarii exiſtunt.

§. II. Eo minus in Therapia morborum Convulſivorum attentus medicus negotia ſua cum cœcis experimentis tractare debet, ſed eo magis & neceſſitas & utilitas requirit, quo in horum morborum cauſas rite introſpiciat, earundemque conditiones debite dijudicet; hinc in genere comparebit illa diſcretio, quod interdum cauſæ ſubtiliores & intimiores, imo etiam inſuper activiores ſint, quando in animo hærent, e quo per remedia duci haud facile poſſunt; quo loco accuſari debent Convulſiones per hæreditatem communicatæ, motus convulſivi ex malis conſuetudinibus & animi pathematibus nati &c. quales morbi convulſivi vulgo in ſchola medica idiopathici vocantur, quia illorum cauſa non eſt in corpore, ſed in animo: Hinc in tali caſu ſollicitus artifex eximiam inveniet occaſionem, quo tale auxilium impetret, per quod tam arduus affectus, qui adeo ſubtiles & profundas radices habet, exſtirpari poſſet: in qua necesſitate ſiquis certum & fidum ſpecificum remedium posſidet, habebit omnino, de quo gaudere & cum quo afflicto proximo inſervire poteſt: deinde etiam notare convenit, quomodo nonnunquam ad tales convulſivos morbos in ſubjectis ſenſibilioribus & activioribus etiam tales cauſæ contribuant, quæ corporis œconomiam concernunt, quas cauſas antea medicus ſolide perſpicere debet, ne in therapia ſubordinata aliam & peregrinam quidem cauſam profliget; qualis antipraxis non poteſt aliter, quin præſentem morbum convulſivum admodum exacerbet atque augeat.

§. III. Tales cauſæ quæ ſymptomaticos ita dictos morbos convulſivos provocant, non in nuda phyſica qualitate conſiſtunt, ſed utplurimum ad proportionem motuum in vitali œconomia violandam ſpectant; cum qua fundamentali ratione adhuc concurrit ſenſibilitas naturæ, mediante qua prædictæ læſiones tanta cum incontinentia & impatientia æſtimantur & tractantur,

tur, ut denique ejusmodi excedentes motus oriantur; hinc hiſtoria cauſarum abunde teſtatur, quomodo aliquando ad ejusmodi affectus diſponat abundantia & ſpiſſitudo ſangvinis, humorum excesſiva excretio, impedita ſecretio, impeditus progreſſus ſanguinis, infarctus viſcerum, cohibita ſalutaris excretio, retropulſa impuritatum evacuatio, ſenſibilium partium læſio & violatio &c. quibus ſingulis cauſis etiam cura ita eſt accommodanda, quo remotioni illarum & quidem tempeſtivæ & opportunæ medicus ſatisfaciat. Etenim quando talis cauſa in corpore individui nunc adolevit, tunc difficile opus eſt, tam adultum hoſpitem expellere, ſiquidem eo ipſo motus convulſivi nunc in aliquem habitum degenerarunt: Neque etiam conſultum eſt omni tempore talem cauſam aggredi, ſiquidem contingit, ut, ſi ſub paroxysmis convulſionum artifex cauſam una aggreditur, eo ipſo morbi convulſivi in majorem & graviorem exceſſum delabantur, quod tanto magis evenit, ſi medicus cum aliquo impetu atque ſtimulo id ipſum commiſerit.

§. IV. Quoniam itaque morbi convulſivi adeo intricati, refractarii, ſed ſubinde etiam ſenſibiles ſunt, hinc tato majori vigilantia & dexteritate in cura convulſionum exercenda, opus eſt; In genere quidem cavendum eſt 1) ab indiſcreto uſu vomitoriorum 2) a potentioribus & ſenſibilioribus alvi ſtimulationibus, 3) ab ordinariarum evacuationum perturbatione aut negligentiori promotione, 4) a ſtatus plethorici incurioſa obſervatione & tractatione, 5) a confuſa & exceſſiva ſanguinis ſubtractione, 6) a negligenti & turbulenta amiſſarum ſalutarium excretionum reſtitutione & promotione, 7) a ſalivatione 8) a remediis ſuſpectis mercurialibus, 9) a confuſo ſpecificorum uſu, 10) a remediis calefacientibus, acribus & impetuoſe humores atque vias commoventibus 11) ab interno ac externo ſalium volatilium uſu, 12) ab indiſcreto nervinorum & roborantium uſu, 13) ab adſtringentibus, refrigerantibus & incraſſantibus, 14) a vulgari narcoticorum oblatione, 15) a nimis frequenti mutatione methodi medendi, 16) a nimis copioſa & confuſa remediorum ingeſtione, 17) a cœco uſu experimentorum empiricorum, 18) a confuſione & turbulenta tractatione affectuum convulſivorum, quatenus Idiopathici & Symptomatici ſunt, 19) a cauſarum affectum talem provocantium inſufficienti exploratione & remotione, 20) ab acidularum & thermarum promiſcua ordinatione, 21) a nimia corporis relaxatione & emollitione, 22) ab incongruo regimine.

§. VI. In ſpeciali morborum Convulſivorum cura primo loco de Convulſionibus Idiopathicis ſcire convenit, quod ad illarum medicationem rectius ſpecifica remedia conducant, de quibus in proximo capite plura proponenda erunt; ſubinde confert corpus ita præparare, quo ſpecifica ſalutarem effectum aſſequantur: Repurgandæ itaque erunt primæ viæ ab inhærentibus ac

 mole-

moleſtantibus ſordibus, ordinariæ excretiones minime debent eſſe occluſæ, ſed liberæ & promptæ; proinde animus exacte tranquillus ſit, neve per patheticas commotiones perturbetur: hæ enim ſunt in Convulſionibus Idiopathicis efficacisſimus fomes, quo paroxysmi & citius & promptius & frequentius & impetuoſius recurrant; quin rectius opera danda eſt, quo ipſe animus in alacritate, evtaxia, continentia & erectione conſervetur; quapropter in tali paſſu interdum peregrinationes jucundæ inſtituendæ ſunt: Proinde diæta & regimen conveniens in hoc caſu adhibeatur, ne ex ulla circumſtantia offenſio quædam ſuperveniat; ſicut etiam illæ regulæ circa ſpecificorum uſum in præſenti caſu obſervandæ ſunt, quæ de hac materia in Therapia mea propoſitæ & commendatæ proſtant: Tanto certius hæc methodus ſalutarem effectum attingit, quo magis tempeſtive, moderate & in juſto ordine adminiſtratur, licet ſubinde in illo caſu, ubi tales convulſiones adolevere, haud alia methodus adhiberi debeat: omnis enim temeraria harum convulſionum aggresſio & confuſa tractatio ſtatum morbi deteriorem reddit.

§. VII. Quod Convulſiones Symptomaticas concernit, tunc ad illarum curam tempeſtive manus ſunt admovendæ, quo cauſa morbi quando adhuc debilior eſt, facilius & citius ſubjugetur; unde præcipue in prudenti & ſolida convulſionum tractatione animus ad origines horum morborum dirigendus eſt, quibus medicus ſpeciali cura ſatisfacere debet: Maxime convenit in fœminis negotium menſium annotare, ſicut ſatis ſæpe vermium præſentia ad intricatos morbos convulſivos contribuit: Deinde ad reliquas evacuationes vel ſuppreſſas, vel impeditas attentio applicanda, quo illis tempeſtiva medela concilietur; alias in reliqua convulſionum cura præſtat præſervatorio ſcopo ſubjecta robuſtiora & in irregulari diæta conſtituta cum Emetico quodam remedio repurgare, quo e ventriculo impuritates educantur: in ſubjectis plethoricis conferunt præſervatoriæ Venæ Sectiones paulo copioſiores, aſt non prodigæ: In reliquis expedit primas vias ab inhærentibus heterogeneitatibus liberare, quo conveniunt infuſa vinoſa rhabarbarina, polypodiata, helleborina & cum agarico mixta, ſed ſubinde etiam cum remediis reſolventibus & modeſte roborantibus combinata; cavendo ne talis excretio nimis impetuoſa ſit: Interdum in ſubjectis ſucculentioribus præſervatoriis uſibus conducunt fonticuli, licet iidem non indiſcretim ordinari debeant; ſicut viciſſim poſt ſufficientem corporis præparationem acidularum & thermarum temperatarum uſus præſervatorius concedi poteſt.

§. VIII. In paroxysmo Convulſionum conceditur moderata excitatio cum Ungula alcis, verrucis equorum, plumis perdicum & caſtoreo, accenſis, qualia tamen fumantia ſubjecta cum ſingulari moderamine uſurpanda ſunt,

alias ſuſpectos vertiginoſos affectus cauſantur; quemadmodum ſternutationes in hoc paſſu non admodum ſecuræ ſunt, quia in aptis ſubjectis ad hemiplecticos & applecticos affectus disponunt: capiti applicari poſſunt cucuphæ e ſpeciebus diſcutientibus & nervinis paratæ; ita etiam externe conducunt ſpiritus vini camphoratus, liliorum convallium, ſerpilli, Formicarum, Lumbricorum Terreſtrium, Roſarum, vertici, nuchæ & ſpinæ dorſi applicandi, uti dorſo etiam applicari poſſunt unguenta ex axungia caſtoris, oleo Lumbricorum terreſtrium, roriſmarini, caſtoreo & camphora parata: Sunt e practicis, qui moxam vertici applicandam commendant: interdum etiam in uſum vocari poſſunt balnea domeſtica, modeſte calida nervina ſine impetuoſa humorum commotione applicanda: nonnunquam ſub paroxyſmo pro conciliandа efficaci diverſione conducunt ſuppoſitoria acria, quæ ſingula motibus præſentibus tranquillandis quadrant; haud vero ſub paroxyſmo repellentia, adſtringentia aut communia narcotica adhiberi debent, quæ cum tanta extremitate tales motus adeo alterant & perturbant, ut facile impoſterum Hemiplectici, Apoplectici, paralytici affectus conſequantur.

§. IX. Cum hisce externis remediis conjungenda proinde ſunt interna auxilia & quidem talia quæ motus leniunt, mitigant & modeſte ſedant: proſunt præcipue pulveres antiſpaſmodici nitroſo - cinnabarini, ut & nonnunquam remedia coralliata & ſpecies de hyacintho, nec non lumbrici terreſtres; quæ poſteriora exhiberi poſſunt in mixtura quadam nervina; pro qua paranda recipi poſſunt aquæ ſcordii, ſcabioſæ, Florum tiliæ, ſambuci, roriſmarini, cinnamomi, naphæ, liliorum convallium, meliſſæ: In nonnullis ſubjectis proſunt interna ſuccinata remedia & ipſe Liquor Cornu Cervi Succinatus, aut poſt ſufficientem præparationem corporis, tinctura quædam Solaris, uti in tali caſu aliquoties Eſſentia Dulcis orphanotrophei Glauchenſis celebrem effectum præſtitit; ſedativo quodam effectu interdum paratur oleum illud clarificatum & rectificatum animale ſive oleum vitæ ex ſangvine animalium paratum; quod vero quoad uſum ſufficientem corporis præparationem præſupponit, ita etiam in ejusmodi convulſivis morbis, ex hæreditaria diſpoſitione orientibus, conveniunt poſt debitam præparationem corporis alia ſedativa & quidem vel Maſſa Pilularum de Cynogloſſa, vel Eſſentiæ quædam anodynæ, quæ tamen temperata quantitate exhibenda ſunt, ne in exceſſu oblata noxam dent: perinde conferunt aquæ ſpirituoſæ e ſpeciebus nervinis paratæ, velut ex roremarino, ſerpillo, ſalvia, mentha, majorana & ſimilibus, additis flavedine citri & cinamomo, qualis miſcela nervino quodam effectu ſiniſtris hisce commotionibus aliquando obicem ponit.

§. X. Ad quaſdam convulſivas afflictiones multum interdum proficit motus corporis, labor, exercitatio & peregrinatio; quod præcipue valet de Incubo & Succubo; quando ad tales convulſiones cogitationes libidinoſæ, abundantia ſpermatis &c. contribuunt, tunc æque tenuis victus, multus labor & nitroſa remedia conferunt: an ſecundum Athanaſium Kircherum oleum ſcarabæorum & ſecundum Marcellum in Tetano urina capræ cum aqua mixta conducant, experientia adhuc conſulenda erit; Denique præſervatoriis uſibus Thermæ conferunt: Et quo ſingula hæc adminicula eo facilius ad ſalutarem effectum pertingant, ita præſtat regimen & diætam ordinare, prout talibus ſubjectis convenit; omnium maxime animus in tranquillitate & continentia conſervetur, quoniam commotiones animi maximum & efficaciſſimum incitamentum convulſionibus ſubminiſtrant.

CAPUT II. DE EPILEPSIA.

§. I.

QUoniam hic affectus in hac diſtincta ſua ſpecie inter morbos convulſivos uſitatius occurrit, hinc illius hoc loco ſpecialem mentionem facere lubet; primo vero loco de hac Epilepſia ſcire convenit, quod duplex illius indoles occurrat, æque ac de morbis convulſivis antea dictum fuit: alia enim eſt Idiopathica, cujus cauſa eſt in animo & motuum vitiis quæ minus vero in corpore hæret: Alia viciſſim eſt Symptomatica, quæ oppoſita eſt certis moleſtis ſenſationibus & pernicioſis atque ſuſpectis effectibus atque phænomenis in corpore occurrentibus: Et talium cauſarum poſterioris indolis multiplices in humana vita occurſant, quas hoc loco latius commemorare abſtineo: Illud proinde notare convenit, quomodo tales epileptici inſultus, utplurimum tunc ſponte ceſſent, quondo cauſa ad afflictionem diſponens tempeſtive removetur: notanter tamen dico, tempeſtive, nam ſi hi motus excedentes in habitum degenerarunt, licet deinde toties cauſa morbifica educatur, nihilominus hi motus in contumaci ſuo tenore continuant: neque quidem conſultum eſt tales convulſivos motus coërcere & cum impetu ſubjugare, quam diu

diu adhuc cauſa morbifica in corpore hæret: quo magis itaque affectus talis refractarius & immoderatus eſt, eo majori cum continentia, prudentia & dexteritate eidem artifex ſuccurrere debet.

§. II. In cura Epilepſiæ eædem cautelæ obſervandæ ſunt, quæ in præcedenti capite propoſitæ fuere; quare jam ad ipſam ſpecialem hujus calamitatis Therapiam progredior & primo quidem loco brevibus de Epilepſia Symptomatica dicendum erit, quomodo in illius cura ante omnia alia conveniat cauſam in corpore præſentem & hærentem modeſte, tempeſtive & ſufficienter removere, ſive fuerint vermes, ſive menſium retentiones, ſive fluoris albi ſuppresſiones, ſive Sanguinis ſpiſſitudo, ſive inquinamenta ſcabioſa & ulceroſa retropulſa, ſive turbati ſucceſſus excretionum exanthematicarum & febrilium, ſive nimia ventriculi oppletio, ſive obhæreſcentia acrioris bilis in primis regionibus, ſive nimia oppletio catarrhalis pectoris ſive difficilis dentitio, ſive alia quæcunque, in qua neceſſitate primarium officium artificis eſſe debet, quo tales cauſas convenienter aggrediatur & easdem emendet, ita eveniet, ut ſublata cauſa ipſe effectus ac affectus ceſſet; quodſi vero præter ſpem talis affectus continuaverit, tunc demum talia remedia in uſum trahi poſſunt, quæ motus tales compeſcunt atque mitigant & vulgo ſpecifica antepileptica vocantur, quæ ſi etiam maturius adhibeantur potius præſentem affectum augent; qualis amethodia propterea cum maxima ſolicitudine evitanda eſt.

§. III. Idiopathicam vero Epilepſiam quod concernit, tunc in illius cura remedia illa ſpecifica, antepileptica vulgo dicta conveniunt: quæ antequam adhibeantur, præſupponunt debitam corporis præparationem, ne generalia quædam recrementa, in corpore hæreſcentia, ſalutarem ſpecificorum effectum impediant: Ante omnia conducunt temperatæ laxationes, quo ad minimum primæ regiones liberæ ſint a talibus impuritatibus & deinde ſpecifica illa remedia offerre convenit: præſtat circa uſum talium ſpecificorum exactam methodum obſervare, cum non conveniat illa ſub paroxysmis, ne dum poſt illos, ſed una vel altera hora ante eosdem exhibere, quo alterationem illam cauſentur, ut natura proxime a tali paroxyſmo abſtineat: dum vero talia ſpecifica in uſum trahuntur cum maxima ſolicitudine proſpiciendum eſt, quo animus in continua tranquillitate conſervetur, neve œconomiæ vitali turbæ quædam concilientur: quod ipſa illa ſpecifica antepileptica concernit, tunc illorum adeo eximius numerus occurrit, ut quisquam haud facile de eorundem utilitate dubitare queat. Sed certe ſi vel minimus horum numerus veritati reſponderet, tanto plauſtro ſpecificorum opus non eſſet; unde brevibus indico, quod plurima horum remediorum plane nullius utilitatis ſint & e reliquo numero pluri-

plurima admodum ambigue operentur: Beati poſſidentes; qui e reliquis paucis vera ſciunt; unde quidem hoc loco longum catalogum horum remediorum texere non placet: indicabo tamen, quæ ex aliis magis utilitatem aliquam afferunt: ſunt lapis carpionum, os triangulare animalium ſive hominis ſive ſuis, cor & hepar talpæ, hepar ranarum viridium, lumbrici terreſtres juſta methodo exſiccati, tali leporis, cranium humanum, hyacinthus orientalis; quo nonnulli referunt illud concrementum, quod vulgo Hippomanes vocatur, de quo videantur A. N. C.: quicunque vero a reliquis ſpecificis, quæ paſſim ab Autoribus commemorantur, utilitatem aliquando reportare poterit, illi ſalutaris ſucceſſus minime invidendus eſt: denique etiam hoc loco laudem meretur ſpecificum illud antepilepticum Stahlianum, quod in multis caſibus utilitatem ſuam comprobavit.

§. IV. In Epilepſia ex animi pathematibus orta proſunt etiam Corallia rubra præparata, Hyacinthus & Cinnabaris: quando Epilepſia a retropulſis achoribus & ſcabioſis impuritatibus ortum traxit, tunc Succinata remedia & radix Valerianæ convenit: ſi Epilepſia a præſumto veneficio orta eſt, tunc confert ſuffimigium cum fruſtulo veſtimenti de illa perſona, in quam ſuſpicio veneficii cadit, paratum: In Convulſionibus febrium acutarum, ſiniſtre decurrentium, parum ſubſidii ſupereſt, quin evenit, ut ſi tales convulſiones circa ſeptimum aut nonum diem contingant, patientes brevi poſt vitam amittant: Ita etiam in convulſionibus parientium nulla ſpecifica proſunt, quin potius ipſa partus promotio in hoc caſu locum invenit; quando vero poſt ejusmodi partum convulſio continuaverit, tunc tam analeptica & roborantia, quam ſelecta ſedantia & ſpecifica remedia locum inveniunt; aliquando ad inſultus epilepticos Thermæ commendantur, quæ tunc conducunt, quando menſium vitia adſunt & quando antea in aliis caſibus corpus ſufficienter præparatum fuit: Denique etiam hiſtoriæ conſtant, quomodo tempeſtivum matrimonium tum epilepticas, tum alias convulſiones ex ejusmodi connexa cauſa ortas curaverit.

SECTIO

SECTIO VII.

DE DIVERSIS SPONTANEIS EXCRETIONIBUS ET MOLIMINIBUS EXCRETORIIS SALUTARIBUS.

CAPUT I.

DE VOMITU.

§. I.

INter illas excretiones, quarum ſalutaris deſtinatio non ſtatim manifeſta, de reliquo vero certa & ſecundum diverſitatem circumſtantiarum demonſtrativa eſt, merito hic *Vomitus* referri debet, qui in variis caſibus & occaſionibus ſeſe prodit, ita ut interdum in nuda ſua ſimplicitate compareat & extra omnem aliam complicationem decurrat, adeoque in ſchola medica Idiopathici affectus appellationem ſuſcipiat, quando proxime ad materiæ moleſtæ, ſuperfluæ, adverſæ & noxiæ, ventriculum modo hoc tempore offendentis, eliminationem tendit; nonnunquam vero talis vomitus cum aliis morbidis afflictionibus concurrit & in tali caſu præparatorium quendam ſcopum proſequitur, quo reliquus principalis affectus deinde melius decurrat, quando videlicet prævio quodam actu talis impuritas excreta fuit, quæ non modo reliqui affectus liberum decurſum impedivit, ſed & quæ ſucceſſive in grave præjudicium atque damnum primarii morbi, intimius in primas regiones, nobiliores partes & ipſos denique humores transfertur: hinc Sylvianæ & Helmontianæ ſententiæ faventes in patrocinium vomitoriorum aliqualem juſtam cauſam habere videntur, quando ventriculum pro ſentina & ſeminario plurimorum & graviſſimorum morborum declarare ſolent.

§. II. In genere quidem de Vomitu ſciendum eſt, quod ſub directorio & deſtinatione naturæ conſiſtat, quo actu hæc aliquid adverſum & alienum removere contendit; unde prudens artifex facile colligere poteſt, quam

inconſultum ſit, ſi huic actui remedia quædam directe opponuntur, quin potius ordini naturæ magis conſentaneum eſt, quo talis motus ad eundem ſalutarem finem dirigatur, ad quem illum in genere natura dirigit & proſequitur; interim in illis caſibus paulo proximiorem acceſſum ad hujus affectus emendationem invenit ſolicitus artifex, quando vel materia expellenda qualitate ſua facilem hujus excretionis ſucceſſum impedit, vel quando hic actus tempore minus opportuno contingit, vel ſi gradu excedente procedit, adeoque ſuperfluo ſuo ſucceſſu ſalutarem eventum invertit: nullibi vero ſecurum eſt, ſubitaneo quodam auſu hunc naturæ actum coërcere, quoniam extremæ & contrariæ tales medicationes, contrarias etiam conſecutiones involvunt: de reliquo ſemper neceſſe eſt, illas cauſas bene attendere, quæ ad talem motum ſuscipiendum in qualicunque neceſſitate naturam alliciunt.

§. III. Quo itaque hujus affectus cura ſecure & efficaciter ſuccedat, neque alias anomalias & periculoſas conſecutiones inferat, cavendum eſt 1) ab omnibus illis medicaminibus & tentaminibus, quæ vomitum talem augent & irritant 2) a negligentiori promotione, aut actuali perturbatione & oppresſione alvinæ excretionis 3) a ſubitanea adſtrictione & cohibitione hujus excretionis 4) ab excesſivo adſtringentium uſu 5) a præmaturo ſtomachicorum & carminativorum uſu 6) a præcipitato & copioſo opiatorum uſu 7) a medicamentis valde concentratis acribus & ventriculi tunicas irritantibus 8) a negligentiori conciliatione affectuum complicatorum 9) a medicamentis valde incraſſantibus 10) a nimis copioſa & confuſa medicamentorum oblatione, quæ ventriculum ſemel commotum eo gravius exagitant 11) a remediis volatilibus, præcipue cum oleis deſtillatis impraegnatis, quæ perinde ventriculum valde irritant & congeſtiones impetuoſas humorum ad eundem provocant 12) ab inquieto & impatienti regimine.

§. IV. Cura Vomitus differt ſecundum diverſas circumſtantias, quæ vulgo cum eodem conjunctæ ſunt: quapropter vomitus ſpontanei & interdum plane periodici ac anniverſarii minime ſupprimi debent, ſed cum quieto regimine tolerari, ita ut prudens medicus potius omnes illas offenſiones avertere debeat, quotquot talem vomitum impedire poſſunt: præſtat rectius tali tempore uſurpare pulveres digeſtivos & temperantes nitroſos, vel ſi cholerici affectus complicentur, conducunt etiam ſimpliciora abſorbentia, vel oculi cancr. c. ſuc. citr: præterea in tali ſtatu inquietudo animi & corporis ut & oppletio qualiscunque ventriculi vitanda eſt: quando vero vomitus talis excedere videtur, tunc talia in uſum trahi poſſunt, quæ mox de exceſſu vomitus emendando commendabuntur & qualium auxiliorum in therapia medica generali ſub titulo Emeſeos mentio facta fuit: maxime quidem in tali caſu

artifex

artifex curam habeat, quo ejusmodi ſalutaris Vomitus ſufficienter ſuccedat, ne videlicet turbetur, vel præmature cohibeatur: multum ſubinde proficit, quo præſente & continuante tali vomitu alvus libera ac lubrica ſit, quam tamen cum remediis, oretenus exhibendis, provocare haud decet: neque etiam in tali caſu convenit, ventriculum cum multis, ſiccis, ſpiſſis & confuſis medicamentis onerare, quin potius ſub congruo regimine contingit, ut talis vomitus ſponte ceſſet.

§. V. Quod Symptomaticos Vomitus attinet, tunc illorum concurſus in variis affectibus innoteſcit & quidem principalius in febribus continuis, utplurimum quidem illarum initiis, quo tempore medicus hos vomitus provide tractare debet, quorum moderationi & directioni recte adminiſtrandæ, æque conducunt pulveres nitroſi & abſorbentes, cum regimine moderato, tranquillo & quieto: interim etiam invigilare debet artifex, ne talis vomitus excedat & in illa tempora ſeſe prolonget, quibus nunc febriles excretiones contingere debent; in quo caſu leniora illa remedia adhibere convenit, quæ ad hujus Vomitus mitigationem obtinendam contribuunt: maxime in hoc caſu a fortioribus adſtringentibus & communibus ſedativis abſtinendum eſt: ſed præſtat etiam inſuper cavere, ne cum ſuperflua potulentorum ingeſtione ejusmodi vomitus in febribus vel excitetur, vel excitatus exacerbetur.

§. VI. Supervenit interdum vomitus contumaciori obſtructioni alvi & ſuppreſſæ flatulentiæ, in quo caſu confert, proxime alvum liberare & flatus educere, ſiquidem in tali neceſſitate eximie conducunt clyſteres emollientes, oleoſi, leniter roborantes & modeſte ſtimulantes; ſubjunctis pilulis polychreſtis Stahlianis aut Becherianis pulveriſatis; quales etiam commode ipſis clyſteribus interdum commiſceri poſſunt: deinde exhibeantur pulveres temperantes & eſſentiæ temperatæ carminativæ, ſervando regimen quietum & modeſte calidum: quæ eadem methodus etiam ſervanda eſt in vomitu, qui Hypochondriacis & Hyſtericis pathematibus ſeſe complicat, qui quando contumacius inſiſtit, etiam aliquali efficaciori moderatione indiget; in quo paſſu Cortex Chaccarillæ multam utilitatem affert; cum Eſſentia Millefolii, mox ſub hoc vomitu adhibita, potius vomitum augeat, quæ itaque magis futuris & ſucceſſivis uſibus reſervanda eſt: quodſi etiam in tali affectu Vomitus pertinacius continuent, tunc interdum clyſteres paulo efficacius ſtimulantes, attamen ſimul emollientes uſurpari poſſunt: ſubjungantur in eodem caſu carminativa temperata.

§. VII. Quando Vomitus in Colicis & Nephriticis pathematibus concurrunt, tunc perinde clyſteres emollientes & remiſſius roborantes cum pulveribus antiſpaſmodicis & Corticis Chaccarillæ uſu conducunt, ſubjunctis eſſentiis carminativis: quando in morbis Spleneticis Vomitus affligunt, tunc præcipue proſunt clyſmata emollientia & parcius ſtimulantia: ſi internis

Scirrhis ſeſe Vomitus tales complicaverint, tunc præter remedia nitrata & Eſſentias carminativas etiam Corticis Chaccarillæ uſus confert; in quo caſu providendum inſuper eſt, ne alvus ſicca, ſegnis, aut clauſa ſit; quod vero Vomitus Gravidarum attinet, tunc illi nituntur ſuperflua & urgente ſangvinis quantitate; quapropter tempeſtivæ Venæ Sectiones ordinandæ ſunt, quales in initio ingravidationis factæ multa gravidarum pathemata præoccupant: proinde etiam ad hos Vomitus tam præoccupandos, quam mitigandos conſert conſtans & juſta alvi apertio, quæ propterea vel cum aptis diæteticis auxiliis, vel cum leniſſimis & ſecuris laxantibus promoveri debet: porro cavendum eſt, ne ventriculus vel nimium oppleatur, vel alibi ad difficilem concoctionem disponatur, alias etiam in eodem caſu conducunt Eſſentiæ temperate carminativæ, quæ cum Tinctura Corallorum nonnunquam miſceri poſſunt: ſæpius mobile vitæ genus & evitatio refrigerii in extremitatibus corporis ad levandos tales Vomitus contribuit.

§. VIII. Supereſt, ut adhuc de Exceſſu Vomitus mitigando & coercendo loquar: quando itaque hactenus allegata remedia Vomitus non tranquillant, tunc conveniunt partim interna & externa roborantia, velut Eſſentiæ Caryophyllatæ, Helenii, Pimpinellæ: Gent: cort: citr: chaccarill: Abſinth: cent: min: &c: externe cataplaſmata e ſpeciebus roborantibus & nervinis cum Croco, Camphora & Caſtorio parata, vel linimenta ex oleo chamomill. aneth. rut. additis oleis quibusdam carminativis deſtillatis & oleo Nucis Moſchatæ, papaveris expreſſi atque Caſtorio parata: huc conferunt etiam balſama oleoſa, nec non Scuta ſtomachalia, cruſta panis modice uſtulata cum Nuce Moſchata aſperſa & balſamo oleoſo humectata, aut cum vino nobiliori, præcipue Hiſpanico, imprægnata, non excluſis emplaſtris ſtomachalibus: porro ad ſedandum vomitum cum maxima ſecuritate & efficacia conducit Chaccarilla, deinde etiam M. P. de Cynogl. & Theriaca cum hauſtulo vini excipienda, quæ poſteriora vero in febrilibus & calculoſis affectibus omitti debent: alias theriacalia extrinſecus adhibita proficiunt: denique etiam poſitive cohibentia urgente neceſſitate, ſed extra febrilem ſtatum admitti poſſunt, quo ſpectant Corall. rubr. præparata, Species de Hyacinth: terra ſigill: dens Hippopotami, Tinctura corallorum, Crocus Martis Antimoniatus Stahlii, croc: Mart: cachect: Zwelferi &c: quæ poſteriora tamen ſub maxima cautela adhibenda ſunt, ne alvus ſubinde adſtringatur: ſiquidem de reliquo bonum ſignum eſt, ſi hanc cohibitionem vomitus neque cardialgiæ excipiunt, neque alvi adſtrictio ſequitur.

CA-

CAPUT II.
DE
SODA.

§. I.

FRequens hic affectus, licet levis & tranſitorius eſſe videatur, tamen interdum ita contumax eſt, ut vix facile mitigari poſſit; eapropter tanto major cura adhibenda eſt, quo illius vera cauſa recte inclareſcat & quo eidem deinde medicus condigne ſubvenire queat: inter alias vero animadverſiones illa omnino notatu digna eſt, an cum hoc affectu ſimpliciores commotiones ſangvinis congeſtoriæ concurrant, an viciſſim cholericæ quædam afflictiones complicatæ ſint, in quo poſteriori caſu opera danda eſt, quo bilioſæ tales impuritates abſtergantur & removeantur, imo quo præcaveatur, ne in futurum bilis copioſius ad ventriculum confluat: uti in priori caſu commotioni & evacuationi ſangvinis dirigendæ labor adhibendus eſt: non minus talia ſubjecta removenda & avertenda ſunt, quæ per irritationem ventriculi talem congeſtionem ſangvinis provocant, ſive fuerint acria, ſive aceſcentia ſub diæta intra ventriculum delata.

§. II. Maxime etiam in ſubjectis hoc affectu laborantibus annotanda eſt illa circumſtantia, an aliqua ſpecialis propenſio ad Hæmorrhagias ſpontaneas adſit; in quo caſu hic affectus admodum cum negotio hæmorrhagico communicat & per reliqua molimina hæmorrhagica confirmatur, aut cum iisdem nutritur, ſuſtentatur & quo frequentius recurrat, invitatur: quemadmodum ex hiſtoria practica conſtat, quomodo hic affectus cum Menſium & Hæmorrhoidum anomaliis interdum conſentiat: inde etiam eſt, cur gravidæ, imprimis plethoricæ & menſium fortioribus commotionibus obnoxiæ, hunc affectum frequentius experiantur; aut cur illæ cauſæ, quæ motus hæmorrhagicos provocant, etiam ad hunc affectum revocandum contribuant: quæ ipſa conſideratio multum in rationali & fundamentali præſentis affectus therapia invenienda & exercenda juvat.

§. III. Affectus hic quamvis exiguæ dignitatis eſſe judicetur, tamen diverſis exacerbationibus & converſionibus ſubjectus eſt, quare in illius cura cavendum eſt 1) ab indiſcreto uſu vomitoriorum: 2) a remediis fortiter purgantibus reſinoſis: 3) a negligentiori primarum regionum repurgatione: 4) a remediis valde incraſſantibus: 5) ut & a poſitive refrigerantibus medicamentis:

6) a negligentiori conciliatione & tractatione moliminum hæmorrhagicorum 7) a remediis adſtringentibus; 8) a prodigo & indiſcreto uſu cretaceorum & calcareorum: 9) a promiſcuo uſu carminativorum; 10) a remediis acribus, concentratis & valde calefacientibus: 11) ab indifferenti ſalium volatilium uſu: 12) a communi narcoticorum uſu: 13) ab acidorum excesſiva, aut copioſa oblatione: 14) a ſpirituum ardentium & aquarum carminativarum indifferenti oblatione; 15) a perverſa diæta.

§. IV. Sodæ Therapia ita eſt adminiſtranda, ut præſervatorio ſcopo in plethoricis V. Snes in pede celebrentur, in reliquis vero ſubjectis primæ viæ abſtergantur per cholagoga & melanagoga: in ſubjectis robuſtis, diſpoſitis, voracibus & multa ventriculi cruditate præditis conducit præſervatorius vomitus, attamen moderatus: proinde proſpiciendum eſt, quo Menſes & Hæmorrhoides in ſuis ſubjectis iuſto ordine gaudeant: non minus præſervatoriis uſibus reſervari debent pediluvia & acidularum uſus: ante omnia etiam expedit accuratam diætam ſervare, ne ingerantur cibi pingves, valde fermentantes & aceſcentes, aut potus fœculenti, ne internæ & externæ refrigerationes admittantur, ne aſſumantur valde ſapida, acida, dulcia & fructus, multam flatulentiam cauſantes.

§. V. Curatorie conducunt abſorbentia teneriora, oculi cancrorum citrati magiſterium dentis apri, mandibulæ lucii piſcis, pulveres nitroſi, cryſtalli & cremor tartari, ſpirit. nitr. dulc. ſic prædicta abſorbentia & temperata acidulata conferunt in ſubjectis ſangvineis & ubi ſangvinis orgaſtica commotio concurrit: non minus proficit pulvis e nitro fixo, cryſtall. ppt. corall. rubr. pp. & pauxillo tartari vitriol. paratus: cretæ uſus licet vulgo in hoc affectu commendetur, tamen non niſi parcisſimus concedendus eſt, alias ſuſpectas incraſſationes & adſtrictiones cauſatur; præterea etiam modicus uſus decoctorum gelatinoſorum & acidulatorum convenit, velut gelatina e cruribus vitulinis & ſuillis cum paſſulis minoribus parata: decocta vulgaria velut Thee & Coffee magis in illo caſu proficiunt, ubi ſaburra bilioſa in ventriculo hæret.

§. VI. Præmisſis temperantibus conferunt tonica, velut Tinct. Sal. tart. aut Tinct. antim. acr. c. Spir. c. c. mixta vel alcalia fixa, ut nitrum fixum, oleum tart. per deliqu. In gravidis ad præoccupandum hunc affectum conducit tempeſtiva V. S. & juſtus alvi ſucceſſus, ubi interdum rhabarbarina & paſſulata conveniunt; præterea in iisdem ſufficiens corporis motus & evitatio refrigerationis in pedibus & abdomine, aut ipſo etiam ventriculo proficit: alias in Soda etiam convenit Lap. Prunell. Nitr. antim. Nux moſch. nonnunquam proficit rad. liquir. pulveriſata leniente ſuo effectu: in ſubjectis cholericis prodeſt magneſia alba: extrinſecus regioni ventriculi applicari poſſunt linimenta

menta ex oleo chamom. rutac. laurin. menth. abſint N. M. maſtichin. addita Camphora & tantillo Caſtorii.

CAPUT III.

DE RUCTIBUS.

§. I.

FLatus ventriculi ſurſum eructantes ſatis ſæpe in variis caſibus multam moleſtiam & anguſtiam excitant, ut propterea huic urgenti incommodo idonea & tempeſtiva medela ferenda ſit: pro meliori itaque hujus afflictionis emendatione impetranda neceſſe eſt illas cauſas iterum evolvere & conciliare, quæ ad hanc moleſtiam contribuunt: ita enim frequens obſtructio alvi, oppresſio flatuum deorſum expellendorum, vitioſa concoctio, hypochondriaco-hyſterica pasſio, anomalia hæmorrhoidalis, icterica ægrotatio, ventriculi imbecillitas &c. hanc afflictionem interdum involvunt, quæ notitia cauſarum differentium tantum juvat, ne hoc incommodum, quando morbidum eſt, indiſcretim tractetur: minime omnium vero judicare convenit, quaſi in omni illo ſtatu, ubi ructus angunt, ventriculi atonia adſit, cum nonnunquam cum atrocisſimis ſpaſmodicis commotionibus hi flatus e ventriculo exturbentur, ita ut vehementem ventriculi inflationem etiam vehemens illius conſtrictio excipiat, deinde aliqualis ventriculi imbecillitas conſequatur, quæ tamen a prægreſſo dolore, qui ſub inflatione & anguſtatione, quæ præcesſit contigit, merito diſtingui debet.

§. II. Ructuum morbidorum cura ita eſt inſtituenda, ne e minori malo, majus producatur, quod contingit, ſi varia tentamina indiſcretim ſuſcipiuntur & therapia tantum ventriculi atoniæ opponitur, quare cavendum eſt 1) ab indifferenti vomitoriorum uſu: 2) a communibus & ſtimulantibus purgantibus: 3) a negligentiori alvi promotione: 4) ab impetuoſa flatuum expulſione: 5) a præmaturo uſu ſtomachicorum remediorum: 6) a promiſcua calefacientium ordinatione: 7) a remediis valde acidis, quæ utplurimum ructus augent: 8) a nimio terreorum & ſimul incraſſantium uſu: 9) ab adſtringentibus medicaminibus: 10) a communi opiatorum commendatione: 11) a præmaturo ſalium volatilium uſu: 12) a negligentiori conciliatione & tractatione affectuum principaliorum, cum quibus præſens moleſtia complicata eſt.

§. III.

§ III. Specialis cura Ructuum illis affectibus adæquata eſſe debet, quibus proprie ructus nituntur: quando itaque hic affectus nititur nimia inquinatione ventriculi & cruditatum præſentia, tunc præmittenda ſunt digeſtiva, ſalina, ſive ita dicta ſalia neutra, ſive tartariſata; deinde ſubjungatur lene vomitorium & quidem in ſubjectis aptis, ubi vero circumſtantiæ quædam vomitorii oblationi contrariantur, ibi ordinanda ſunt vina medicata reſolventia, roborantia & laxantia, paranda e rad. helenii, vincetox. caryophyllat. pimp. alb. calam. aromat. cyper. rot. gent. rubr. herb. abſinth. abrotan. cochlear. card. ben. menth. rorismar. fl. cent. min. calend. lavend, ſtœch. arab. ſem. anis. fœnic. bacc. laur. cort. citr. cinnam. Winteran. rhabarb. fibr. helleb. nigr. & addito arcan. duplic. vel conferunt pillulæ ſelectæ & correctæ aloëticæ ex extractis amaris paratæ.

§. IV. Quando hic affectus ex retenta flatulentia oritur aut cum affectu hyſterico complicatur, tunc conveniunt clyſteres emollientes, leniter roborantes & mitius ſtimulantes, aut interdum cum pillulis Becherianis miſcendi; deinde interne ſubordinentur pulveres temperantes & Eſſentiæ mitius carminativæ cum Eſſ. chaccar. combinandæ; extrinſecus vero regioni ventriculi applicentur cataplaſmata & linimenta roborantia & cum tantillo caſtorii miſcenda: quando vitia concoctionis hujus affectus cauſam conſtituunt, tunc conducunt ſalia digeſtiva, amara, reſolventia, ſtomachica, aromatica, ſive ſimplicia ſive condita, juſcula vinoſa aromatiſata, vinum adultum & generoſum, Zingiber conditum, remedia ſtomachica & denique etiam tonica ſelecta martialia, modica quantitate offerenda; in quo caſu etiam diæta ſelecta & temperata, ut & abſtinentia proficit.

§. V. Quando hunc affectum contumaces & immoderati ſpasmi vel cauſantur vel comitantur atque ſuſtentant, tunc ante omnia proſpiciendum eſt, quo alvus aperta ſit; deinde proſunt antiſpasmodica nitroſo-cinnabarina & ſedativo ſcopo cortex chaccarillæ: porro etiam conſiderare convenit, an snbilioſa quædam ſaburra ventriculum aggrauet, quæ propterea abſtergenda, removenda & temperanda eſt: de reliquo ad præoccupationem hujus moleſtiæ conducunt prædicta tonica & ſelecta martialia, quemadmodum in ſubjectis temperatioribus uſus ſpirituum volatilium & in phlegmaticis ſpiritus tartari utilitatem ſuam comprobat; extrinſecus vero tam Emplaſtra Stomachica, quam linimenta roborantia in præcedentibus caſibus nominata, proſunt: Denique cum hactenus commendatis remediis conjungenda eſt diæta conveniens, ne ex ulla intemperie Ructuum incremento anſa præbeatur.

CAPUT

CAPUT IV.

De

NAUSEA.

§. I.

QUamvis hoc vitium appetitus ſatis familiare ſit, tamen genuinæ illius cauſæ non æque ubique ſatis perſpectæ ſunt: Differunt illæ in genere, quod interdum morales interdum vitales circumſtantiæ nauſeam invitent; De priori claſſe latius diſſerere hoc loco non placet, ſiquidem illa nauſea, quæ per aliquam adverſam ideam concitata fuit, non meliori auxilio, niſi per abſtinentiam & revomitionem ingeſti alimenti curatur: quare rectius de altera illa ſpecie Nauſeæ, quæ ad vitales magis functiones pertinet, hoc ordine brevibus diſſerendum erit & talis quidem ſpecies poſitivæ ciborum averſionis in plurimis morbis occurrit, ſiquidem hic primarius character poſitivæ ægrotationis eſt, quando non modo appetitus proſtratus eſt, ſed & quando cum efficaciori ſenſu ſubjecta cibos averſantur, ubi utplurimum in ejusmodi morbis, hæc nauſea eminens quoddam ſymptoma conſtituit, quæ propterea nulla poſitiva medicatione indiget, ubi rectius primarius morbus e ſuo genuino fundamento curari debet; ita evenit, ut vel ſponte appetitus proſtratus nunc erigi & reverti videatur.

§. II. Vix itaque mirum eſſe poteſt, cur in arduis morbis, ubi natura cum magis arduis & neceſſariis officiis occupata eſt, non modo a cibis eadem abſtineat, ſed & illas poſitive averſetur, ſiquidem in hac neceſſitate ciborum concoctio & conjuncta corporis nutritio minime admodum neceſſaria eſt; unde in tali paſſu ſiniſtra erit operatio, quando medicus nauſeam talem emendare ſuſcipit. Rectius itaque hoc loco Idiopathicæ Nauſeæ reminiſcor, quæ diverſas ob cauſas contingit & quidem quando vel ventriculus cum nimia impuritate repletus eſt, vel quando alia imbecillitas ventriculi adeſt, vel quando alvus valde adſtricta eſt, ut propterea ciborum ingeſtio in tantum incommoda ſit, quo minus contenta paſta aliorſum transferri poſſit; vel quando natura magis ad repurgationem & exonerationem ventriculi contendit, vel denique quando in gravidis ob inſolitam internam intumeſcentiam ſimul ventriculi impletio majorum moleſtiarum cauſa evadit: In quibus ſingulis caſibus rectius natura a ciborum aſſumtione abſtinet & aliquamdiu alimenta averſatur, donec

in tali neceſſitate aliam opem acquiſiverit: & tales idiopathicæ Nauſeæ propius arti medicæ ſubjacent, ſiquidem poſt remotionem hactenus commemoratarum cauſarum deinceps iterum appetitus redit.

§. III. Quoniam itaque hujus afflictionis diverſæ ſunt cauſæ, propterea in cura ejusdem facile confuſio quædam contingere poteſt, quæ propterea ſolicite evitari debet; id quod evenit ſi antea artifex harum cauſarum indolem recte perſpectam habet, quare in genere in hujus affectus cura cavendum eſt 1) a præcipitato & indiſcreto uſu vomitoriorum 2) a nimis fugitiva & impetuoſa purgatione 3) a ciborum rigoroſa obtruſione & ingeſtione reluctante ſtomacho 4) a præmaturo uſu ſtomachicorum remediorum 5) a negligentiori diſcretione & tractatione cauſarum, hunc affectum invitantium, 6) a remediis valde concentratis & calefacientibus 7) a formulis nimis copioſis & ſpisſis, quales vulgo ſunt pulveres ſtomachales 8) a remediis valde adſtringentibus 9) a martialium remediorum præmaturo uſu 10) a negligentiori promotione alvinæ excretionis 11) a communi opiatorum oblatione, 12) a reliqua idiopathicæ & ſymptomaticæ nauſeæ confuſione tam theoretica, quam practica.

§. IV. Quod ſpecialem curam Nauſeæ attinet, tunc illa iterum variat ſecundum diverſitatem cauſarum: Quando itaque colluvies библиоſa intra ventriculum delata hunc affectum concitat, tunc ordinanda ſunt remedia bilem involventia, diluentia, abſtergentia, temperantia & modeſte evacuantia, quorum varia ſimplicia æque ac efficacia remedia proſtant: Seorſim conveniunt abſorbentia tam ſimplicia, quam cum acidis attenuata, nec non cryſtallus montana præparata ut & decocta gelatinoſa, mucilaginoſa, hordeacea, juſcula ex cereviſia & ovo parata, nec non gallinacea, imprimis etiam remedia nitroſa, rhabarbarina, tartariſata & magneſia alba: Quibus ſubjungere convenit Eſſentias Carminativas, nec non teneriora & temperatiora martialia: Quando vero hic affectus a multa ventriculi impuritate & cruditate ortum trahit, tunc præmittenda ſunt remedia incidentia, detergentia, ut & reſolventia, amara, quibus interponenda ſunt reſolventia acria & ſemi aromatica, velut arum, Zingiber, Synapi, quin ipſum etiam Piper: Deinde in ſubjectis aptis per modeſtam emeſin illa cruditas evacuetur, in aliis vero ſubjectis, quæ artificialem vomitum perferre haud poſſunt, ordinandæ ſunt moderatæ laxationes, præcipue quidem per vina medicata inſtituendæ: deinde ſubjungantur eſſentiæ ſtomachicæ, aut juſcula vinoſa aromatiſata, quin ipſe uſus vini generoſi ad roborandum ventriculum ſatisfacit.

§. V. Quando hic affectus oritur a ſpaſticis quibusdam commotionibus contumacibus, tunc ante omnia neceſſe eſt, quo alvus aperta ſit; deinde

pro-

proſunt nitroſo - Cinnabarina remedia, ut & Cortex Chaccarillæ aut Theriaca vel eſſentia Theriacalis veſperi exhibenda: Quando multus vomendi conatus eundem affectum invitat, tunc quidem invigilandum eſt, quo ventriculus debite repurgetur, ſive per lenem promotionem vomitus, ſive per moderatam laxationem; poſtea vero exhibere convenit pulveres Nitroſo-Cinnabarinos & mixturam Eſſentiarum abſinthii, caryophyllatæ, pimp. alb. helen. cent. min. gent. rubr. Nucis moſch. Cort. aurant. citri, cinnamom. chaccaril. & ambræ; quemadmodum in eodem ſtatu, ordine atque tempore in conſilium duci poteſt uſus theriacalium: Quando hic affectus a nimia & diuturna alvi adſtrictione oritur, tunc poſt præmiſſum Clyſterem emollientem exhiberi debent pill. Stahlianæ, Becherianæ, aut ſimiles ſecuræ polychreſtæ, deinde ſubordinentur Eſſentiæ ſtomachicæ: optimum vero erit auxilium, quando alvus conſtanter aperta manet, cujus lubricitati conciliandæ e fonte diætetico neceſſaria adminicula adhibenda ſunt.

§. VI. Quando hunc affectum poſitiva quædam ventriculi atonia excitavit, tunc ante omnia proſpiciendum eſt, quo alvus libera ſit; deinde conveniunt Eſſentiæ roborantes, ſæpius nominatæ, aut pulveres ſtomachales, nec non temperata & ſelecta martialia remedia, quæ interdum commode cum ejusmodi pulveribus coniungi poſſunt, modo circa illorum uſum etiam cura habeatur, ne alvus exſiccetur, aut plane obſtruatur: in eodem caſu conducit etiam vinum generoſum & jusculorum vinoſorum uſus moderatus: Vulgo quidem ad appetitum excitandum acida commendantur, quæ vero minime ita indiſcretim uſurpata ſuis promiſſionibus ſatisfaciunt; unde nonniſi certis individuis & præcipue quidem ſanguinei temperamenti hominibus reſervanda ſunt: Elixirium Proprietatis Paracelſi vulgo quidem ad ventriculum roborandum laudatur, quod vero rectius in ſubjectis temperatis aliqualem utilitatem affert: de reliquo in eodem affectu interdum topica quædam remedia, ſive fuerint Emplaſtra Stomachalia, ſive Cataplaſmata & Linimenta ſtomachica, proſunt: Ubi brevibus adhuc illud monere placet, quomodo non nunquam hic affectus per abſtinentiam curetur, quando vero pharmaceutica auxilia requiruntur, tunc confert poſt liberationem alvi & repurgationem ventriculi remedia appetitum excitantia & ventriculum roborantia una vel altera hora ante cibi aſſuetam aſſumtionem, adhibere: Denique in hoc affectu interdum aromata condita proſunt: ne vero talis cura ſiniſtre, aut difficulter ſuccedat, congrua diæta inſuper eſt concilianda, ſiquidem ſub eadem non nunquam cereviſia Enulata & abſinthiaca, aut vinum tale conducit. Quod ſi poſt Febrem intermittentem prægreſſam talis nauſea continuaverit, tunc certo prudens

 artifex

artifex præſumere poteſt, quod talis febris non ſatis ingenue curata ſit: quare illius meliori & ſinceriori emendationi & percurationi operam adhibere debet.

CAPUT V.

DE

SINGULTU.

§. I.

DEvolvor nunc ad alium affectum exponendum, qui ventriculum & ſimul diaphragma proximius afficit, cujus morboſam conſtitutionem hoc loco conſiderare lubet: Etenim ex hiſtoria cauſarum ad hunc affectum diſponentium duplex claſsis conſtituenda eſt, dum videlicet ſingultus ex cauſis familiarisſimis & quotidianis ſatis frequenter oritur & ſine aliquo damno decurrit; quo contribuunt vitia diætetica, nimia ventriculi oppletio, cibi ſpisſiores, internæ & externæ refrigerationes &c: altioris momenti eſt Singultus Symptomaticus, qui aliis periculoſis affectibus & caſibus ſupervenit, velut internis inflammationibus, undecunque natis, retroceſsionibus exanthematum malignorum, retropulſionibus inquinamentorum ulceroſorum, repentinis ſuppresſionibus Hæmorrhoidum, Menſium, Lochiorum, dyſenteriæ, diarrhoeæ, vomituum, infarctibus lienis & Hepatis, oblatis virulentis ſubſtantiis, ingeſtionibus ſuſpectorum mercurialium remediorum, hyperemeſibus &c: in quibus caſibus prudens artifex ſcire debet, quomodo vel exceſſus motuum ſuſpecti & noxii hunc affectum conſtituant, vel internæ ſtaſes, oppletiones, inflammationes, aut imminentes corruptiones ad hunc affectum invitandum ſatisfaciant; quibus circumſtantiis propterea medicus, quantum fieri poteſt, obviam ire debet.

§. II. In cura periculoſi & ſuſpecti hujus ſymptomatici Singultus, (licet ſucceſſus rarius votis & intentionibus reſpondeant, quoniam illi caſus, quibus hi convulſivi motus ſuperveniunt, utplurimum ferme in extremo poſiti ſunt,) cavendum tamen eſt 1) a vomitoriis: 2) a poſitivis purgationibus: 3) a perturbatione aut oppresſione alvinæ excretionis: 4) a periphericæ excretionis negligentiori promotione 5) a remediis ſtomachicis: 6) ut & ab aliis acribus & valde calidis medicamentis: 7) a volatilibus medicaminibus: 8) a refrigerantibus &

& incraſſantibus: 9) a regiminibus tam æſtuoſis, quam frigidis: 10) a remediis adſtringentibus: 11) ab opiatis medicamentis: 12) ab interno caſtorii uſu: 13) a nimia medicamentorum quantitate: 14) ab omni inquietudine maxime corporis: 15) a nimis frequenti remediorum oblatione & variatione.

§. III. De communi Singultu hoc ordine mihi haud ſermo eſt, illud tantum de eodem monere & ex ſimplicisſima experientia indicare lubet, quod in communi illius cura evidens ſpecimen occurrat, quantum anima valeat ad tales motus alterandos; ſiquidem firmæ imaginationes aut reminiſcentiæ & mentis applicationes ad certum quoddam objectum & ſubjectum, vel terror, anxietas &c: quotidianis exemplis ſingultum compeſcere obſervantur: quod vero ſymptomaticos ſingultus attinet, tunc in illorum cura ante omnia alvus aperta eſſe debet, quæ in caſu necesſitatis, quando circumſtantiæ permittunt, rectius cum clyſteribus emollientibus promovenda & liberanda eſt, quam cum remediis oretenus exhibendis: tanto magis clyſmata talia conducunt, quando moleſta flatulentia concurrit, in quo ultimo caſu Eſſentiæ carminativæ & topica roborantia ſubordinata proficiunt.

§. IV. Deinde in aliis caſibus conveniunt pulveres temperantes nitroſi, decocta e rad. cichor. ſcorzon. apii. caryophyll. ſigill. ſalom. liquir. herb. ſcord. veron. chærefol. flor. ſambuc. chamom. papav. rhæad. ſem. carv. fœnic. Cort. citr. cinnam. parata, addito nitro vel cryſtall. tart. qualia decocta vero non copioſa quantitate haurienda ſunt: præterea conducunt emulſiones ex aquis ſcord. chæreſ. hyſſop. plantag. fl. ſamb. &c: amygd. dulc. pin. ſem. card. mar. & papav. alb. compoſitæ: interdum etiam & quidem ſi ventriculus perferre poteſt, proſunt Eſſentiæ alexipharmacæ: aliquando temperatiora acidulata concedi poſſunt; quo nomine Mixtura ſimpl. ordinari poteſt, uti ſyrupi vegetabiles, mitius acidi, cum prædictis decoctis ſociati, perinde juvant. Ita etiam aliquando ſpiritus aciduli cum eſſentia bezoardica conjungi poſſunt, quo loco ſpiritum nitri dulcem non penitus excludo; porro conferunt abſorbentia cum acidis ſaturata, gelatinæ, magiſterium dentis apri & ſedativo ſcopo prodeſt cort. chaccarillæ.

§. V. Proinde etiam topica quædam auxilia in hoc affectu applicari poſſunt: inter illa vulgo ligaturæ hypoch ndriorum commendantur, quæ vero tam in chronico, quam acuto affectu cum moderamine uſurpandæ ſunt: porro conducunt cataplasmata e ſpeciebus diſcutientibus & nervinis parata, additis camphora, croco & caſtorio, aut linimenta ex oleo chamom. aneth. nuc. moſch. menth. croco, caſtorio & camphora; interea etiam internum & externum frigus evitandum eſt: convenit regimen quietum; alvus ma eat aperta: nonnunquam proficiunt frictiones pedum & rubefacientia remedia plantis pedum

dum applicata: quodſi maligni fuerint affectus, tunc omni ſollicitudine advertendum eſt, quo modeſta diaphoreſis in conſtantem & convenientem ſucceſſum promoveatur.

CAPUT VI.

DE

COLICA SIMPLICI.

§. I.

DOmeſticum ferme, adeoque uſitatiſſimum hoc eſt malum, pro cujus mitigatione & curatione varia paſſim & ſubinde etiam domeſtica, ſatis efficacia & utilia adminicula conſtant: interim quoniam nonnunquam talia remedia in Colicæ Simplicioris cura circumferuntur, quæ huic affectui magis inimica ſunt, eapropter neceſſe etiam erit, omnes illas offenſiones communes ſollicite evitare: quo vero therapia Colicæ ordine juſto inſtituatur, multum omnino refert, hujus affectus veram indolem antea noſſe: uti in genere tenendum eſt, quod colica ſit conatus ad neceſſariam & ſalutarem aliquam excretionem directus, qui vero cum quibusdam anomaliis adminiſtratur; hinc prudens artifex commodam occaſionem impetrat, quo non modo has irregularitates corrigat, ſed & quo reliquam neceſſariam evacuationem in ordinem congruum transferat atque promoveat: ita evenit, ut poſt obtentam talem excretionem reliqui dolores atque moleſtiæ ſponte ceſſent: ubi tamen inſuper attentus medicus præoccupare debet, ne tales motus excretorii excedant & ultra terminum ſuum contumacius inſiſtant: qua indole Colicæ rite perſpecta habebit artifex certam Cynoſuram, quo minus vulgatis colicæ palliativis curationibus aſſentiat, neve propterea, vel ad frequentiores illius recurſus, vel ad intricatiores conſecutiones anſam præbeat.

§. II. Et quo hic affectus rationaliter & convenienter tractetur, neceſſe inſuper erit illius familiares differentias rite intelligere & inculcare & quanquam in præcedentibus variæ ſpecies hujus affectus recenſitæ & explicatæ fuerint, maxime quidem Colica Hæmorrhoidalis, deinde etiam Colica Symptomatica Calculo Renum & Hyſterico malo ſeſe aſſocians, hoc loco tamen potius Idiopathicæ Colicæ mentio facienda eſt, qualis colica ſimplex eſt & extra conſortium alterius affectus proxime ad ſuam excretionem contendit:

ejus-

ejusmodi ſimplex Colica in genere diſtinguitur in Humoroſam & Flatulentam; prior iterum discernitur in Pituitoſam & Birioſam; inde facile eluceſcit, quales excretiones ipſe artifex adjuvare debeat: ſciendum etiam ſubinde eſt, quod omnis Colica, quæ ad nullam evacuationem pertingit, minus legitime decurrat, ſed impoſterum variis offenſionibus obnoxia ſit: unde etiam accidit, ut ſi in affectu colico catotericæ excretiones præcluduntur, deinde in ſubſidium harum anotericæ, ſive emeticæ evacuationes ſuperveniant: dum vero artifex intelligit, quantæ anomaliæ in hoc affectu concurrant, ita eo magis circumſpecte procedere debet, ne cum anomalica praxi hujus affectus irregularitatem augeat atque confirmet.

§. III. Quo itaque hæc Colica dextre tractetur, neque ſuperficiarie tantum leniatur, cavendum eſt 1) ab evacuationibus emeticis: 2) a poſitivis purgationibus & alvi irritationibus: 3) a majori alvinæ excretionis oppreſſione, vel negligentiori illius promotione: 5) a præmaturo uſu carminativorum remediorum: 6) ab indiscreto uſu valde calefacientium & concentratorum medicaminum: 7) a remediis quibusvis adſtringentibus: 8) a ſalium volatilium præmatura & curatoria quidem oblatione: 9) a præmaturo, aut plane copioſo ſedativorum & communium opiatorum uſu: 10) a remediis valde incraſſantibus: 11) ab interno caſtorii uſu: 12) a nimia interna inteſtinorum relaxatione & emollitione: 13) a nimia diluentium calidorum aquoſorum ingeſtione, quæ utplurimum uberiores flatus generant: 14) a regimine valde æſtuoſo: 15) a motuum ſpaſticorum majori exacerbatione & denique 16) a qualicunque alia palliativa Colicæ curatione, quæ utplurimum illa eſt, quando citra idoneam evacuationem hic affectus decurrit.

§. IV. Proximior Colicæ cura ita erit inſtituenda, ut ante omnia excretio alvina promoveatur: pro hoc ſcopo vix meliora & ſinceriora adminicula proſtant, quam Clysmata emollientia, oleoſa, mitius roborantia & modeſtius ſtimulantia, quæ interdum pro efficaciori ſpasmorum & concurrentium internorum ardorum lenitione cum tantillo nitri miſceri poſſunt: pro eodem fine conducunt ſuppoſitoria lenientia & mitius ſtimulantia, nec non externæ illinitiones abdominis cum linimento ex oleo chamom. aneth. rutac. irin. & oleo deſtill. abſynthii, menth. carv. cort. aurant. & tantillo caſtorii parato; interne vero offerri poſſunt pilulæ Stahlianæ, Becherianæ aut aliæ temperatæ pulveriſatæ: hisce remediis interponenda ſunt talia, quæ ſpasmodicos torminoſos cruciatus temperant, quo nomine commendo pulveres nitroſo-cinnabarinos, ut & uſum corticis chaccarillæ, quemadmodum etiam illo tempore, quando alvi apertio oblata fuit, temperata carminativa remedia ſubordinari poſſunt, e quibus præcipue eſſentiæ ari, helenii, caryophyllatæ, pimp. albæ,

ange-

angelicæ, gentianæ rubr. galangæ, zedoariæ, abſynthii, cent. minoris, menthæ, corticum aurantiorum, citri, cinnamomi, caryophyllorum aromaticorum & corticis chaccarill: ita etiam in colica flatulenta aromata & radices prædictæ, nec non ſemina aniſi, fœniculi &c. maſticata proficiunt.

§. V. Quando jam colica affligit, minime confert cum aliis internis & externis laxantibus, tanto minus vero purgantibus alvum movere: quod ſi etiam colica biliosa fuerit, aut aceſcens colluvies in ventriculo aut inteſtinis præſumatur, tunc in uſum ducenda ſunt abſorbentia remedia ſive ſimpliciora ſive cum acidis attenuata, magis ſuccesſive, quam ſimultaneis quantitatibus ingerenda: acida remedia haud ſecure proſunt in colica hac ſimpliciori, unde neque Sp. nitr. dulc. aliquid utilitatis promittit: rectius vero oleum Chamom. verum deſtillat: ad exiguas guttulas cum abſorbente remedio oblatum proficit: de anodynis hoc loco adhuc ſeorſim inculco, quod non maturius exhiberi debeant, niſi prius alvus liberata fuerit, quæ apertura eo citius impetrari poteſt, quando cum prædictis clyſteribus aliquot grana pilularum prædictarum remiſcentur: in quibusdam caſibus, ubi colica ad evacuationem impuritatis pituitoſæ collimat, licet ad promotionem illius excretionis ſalina deterſiva adhibere, quæ non modo materiam excernendam colliquant & præparant, ſed & quæ ſimul inteſtina quantisper ſtimulant, quo excretio citius conſequatur.

§. VI. Præter remedia hactenus commendata & illa utplurimum interna, proſunt etiam externa lenientia æque ac roborantia, ſive fuerint Linimenta, ſive ſacculi nervini, ſive cataplaſmata ex ejusmodi ſpeciebus parata, ſive Scuta ſtomachalia, ſive cruſta panis toſta cum oleis carminativis leniter humectata, ſive etiam fomentationes vaporoſæ nervinæ, quæ una excretionem alvi facilitant: quando itaque tali modo colica mitigata fuit, tunc circa illius exitum ſuperius commendata carminativa continuari poſſunt & iterata vice pillulæ prædictæ exhiberi debent, quemadmodum eodem tempore juſcula vinoſa, aromatiſata & vini boni modicus uſus conducunt; providendum vero imposterum erit, tam per diætam congruam, quam per regimen conveniens, ut & per præſervatorias laxationes, ne talis affectus facile recurrat, ſiquidem alias ſatis frequenter contingere ſolet, ut ejusmodi moleſtus affectus in pravam conſvetudinem degeneret & ex levi cauſa iterum cum maxima vehementia recrudeſcat; unde habebunt ita conſtituti homines, quo cum cibo & potu accuratæ temperiei ſtudeant,

CAPUT

CAPUT VII.
DE
FLATULENTIA.

§. I.

INter illos affectus, qui non modo frequenter occurrunt, ſed & qui graviter affligunt & ſub diverſa ſpecioſa larva ſeſe produnt, omnino Flatulentia admodum ſe diſtingvit, ita ut propterea magna cura adhibenda ſit, quo illa dextre tractetur, ne in alios graves & periculoſos morbos degeneret: quando vero hic affectus medicam opem requirit, tunc præcipue negotium cum eodem ita comparatum eſt, ut flatus occluſi teneantur, proptereaque tales angores atque moleſtias cum eximiis ſuis diſtenſionibus cauſentur, ſiquidem in tali ſtatu ſuperiores regiones invadunt, adeoque ſub inverſo hoc curſu incommoda ſua exſerunt; in quo negotio medicus duplex officium obtinet, ut partim flatus in legitimum ſuum curſum transferat partim etiam illorum debitam & tempeſtivam eliminationem promoveat: quamvis etiam in futurum per congrua conſilia & auxilia præoccupare debeat, ne ejusmodi flatus regenerentur, adeoque novis afflictionibus anſam præbeant.

Conf. Stahlii. Diſp. de Flatulentia.

§. II. Magna attentio applicanda eſt circa iuſtam Flatulentiæ dignotionem, ne videlicet ejusmodi cruciatus aliter explicentur, aut ab alia cauſa deriventur, alias facile evenit, ut ejusmodi moleſtia non modo eximie exacerbetur, ſed & in alias afflictionum ſpecies convertatur: ubi quidem negandum minime eſt, quomodo hic affectus variis aliis morbis ſeſe communicet & ut ſymptoma urgens ſeſe prodat, cujus propterea paſſim ſuo loco mentio facta fuit, quare tantum hoc ordine de ſimpliciori flatulentia verba facio, qualis non raro primarium morbum conſtituit: & quo hic affectus ſecundum genuina ſua fundamenta recte tractetur, notandum merito eſt, quod ipſe non ſemper in plenaria viſcerum atonia conſiſtat, ſed quod utplurimum anomalica periſtalſis in culpa ſit, quam perturbatam commotionem eapropter ingenuus medicus in ordinem iuſtum convertere debet, alias cum plane ſiniſtro ſucceſſu contingit, ut ſi medicus curam ſuam ad hanc atoniam præſuppoſitam dirigit, præſentem affectum immoderatiorem reddat; neque quidem cum tali afflictione temere procedendum eſt, quoniam gravis partium diſtenſio varia ſuſpecta pathema-

ta involvit, neque etiam decet præmature partium roborationi ſtudere, cum antea partes affectæ ab ejusmodi flatulentia liberari debeant.

§. III. Ne itaque in hac calamitate ſiniſtra tentamina ſuſcipiantur, ſed quo affectus rite & perite tractetur, cavendum eſt 1) a quacunque artificioſe provocata Emeſi, quæ graviorum anguſtationum cauſa evadit: 2) a poſitivis purgationibus & alvi exſtimulationibus: 3) ab ulteriori alvi obſtructione aut incongrua liberatione. 4) a remediis alvum quidem aperientibus, ſed ſuſpectam aliquam ſtricturam poſt ſe relinquentibus: 5) a remediis acribus, valde concentratis & calefacientibus: 6) a ſalium volatilium uſu curatorio: 7) a præmaturo uſu carminativorum remediorum: 8) a remediis adſtringentibus & præcipitata tonicorum oblatione: 9) a communi opiatorum ordinatione: 10) ab impetuoſa qualicunque alia flatuum profligatione: 11) a medicamentis nimia quantitate ingeri ſolitis, quæ propterea partes affectas tanto magis moleſtant & ad ſuſpectos vomitus diſponunt: 12) a negligentiori conciliatione & tractatione moliminum hæmorrhagicorum: 13) a nimia interna partium emollitione & humidorum aquoſorum, flatus magis augentium ingeſtione: 14) a qualicunque interna & externa partium refrigeratione.

§. IV. Nunc propius ad ſpecialiorem flatulentiæ therapiam tradendam me converto, in qua ſequentes operationes practicæ neceſſariæ ſunt: ante omnia præſtat flatibus retentis aperturam conciliare, id quod commode ſuccedit cum clyſteribus lenientibus, modeſte roborantibus & mitius ſtimulantibus, quibus pro efficaciori alvi liberatione nonnunquam pilulæ Stahlianæ, Becherianæ aut ſimiles commiſceri poſſunt: externe itidem proſunt linimenta lenientia & mitius roborantia: quando itaque tali ratione quædam alvi apertura impetrata fuit, tunc licet ſubordinare Pilulas Stahlianas aut Becherianas pulveriſatas, quo flatibus deorſum viam monſtrent: alia vero alvum ſubducentia vix ſecure adhiberi poſſunt: porro exhibeantur remedia irregulares inteſtinorum motus mitigantia & corrigentia, e quibus partim pulveres nitroſi laude digni ſunt, partim cortex chaccarill. commendari poteſt, quippe qui præter ſedativam ſuam efficaciam etiam roborante quadam virtute præditus eſt.

§. V. Præterea in hoc affectu ſubordinanda ſunt carminativa, quo nomine iterum commendo eſſentias ſtomachicas in præcedentibus capitibus commendatas, nec non maſticationes ſpecierum carminativarum; ſicut externe eadem auxilia roborantia proſunt, quæ perinde in ſuperioribus commemorata ſunt: Sp. Volatiles non maturius exhiberi convenit, quam circa finem curæ: oleum chamomill. deſtill. in hoc affectu æque tam interne, quam externe, proficuum eſt: Acidulæ & thermæ præſervatoriis uſibus relinquendæ

ſunt:

ſunt: de reliquo obſervare convenit, an aliæ quædam cauſæ in hoc affectu complicatæ ſint, quo iisdem prudens artifex condigne ſatisfacere queat, ſiquidem cum magna attentione conſpirationes hypochondriacæ, hyſtericæ & hæmorrhoidales obſervandæ: qui cum Squilla bene verſari poteſt, ille etiam cum eadem in hoc affectu non exiguas utilitates impetrabit: denique ad præſervandam Flatulentiam illa conſilia hoc loco in uſum trahi debent, quæ in Colicæ, Diarrhœæ, paſſionis Hypochondriacæ explicatione & paſſim alibi tradita fuerunt: maxime confert ſelecta diæta & idoneo regimine uti, ne vel per nimiam exæſtuationem, vel refrigerationem, neve per cibum & potum incongruum tam multi flatus generentur, quam motus in primis regionibus & inteſtinis pervertantur.

CAPUT VIII.

DE

ILEO MORBO.

§. I.

Licet in praxi Medica præſens morbus infrequentior exiſtat, tamen gravitate & periculoſa ſua indole id compenſat, in quo frequentior illius invaſio deficere videtur: quam ægre vero exoptata cura hujus morbi ſuccedit, eo difficilius medicus vel ad aliqualem tantum opem pertingere poteſt, quando diverſas hujus mali cauſas minus perſpectas habet: eapropter ſecundum notitiam harum cauſarum etiam reliqua Therapia rite accommodanda eſt: Et licet ſub hoc adminiculo artifex ad exoptatum ſalutarem finem etiam non pertingat, tamen in tantum adeo dextre artem ſuam adminiſtrat, ne contra veras rationes aut per cœca tentamina operetur: In genere quidem in hoc affectu abſoluta inverſio ordinis naturalis occurrit, dum fœces alvinæ per tales vias expelluntur, quæ alias puris ſubſtantiis admittendis deſtinatæ ſunt; & quo evidentiorem intellectum hujus immutationis artifex acquirat, ita ſubinde noſſe convenit, quod conſveta periſtalſis in hoc affectu penitus inverſa ſit, adeoque ordo vitalis in hoc negotio plane turbatus compareat, quem vero ſollicitus artifex nunquam emendare & revocare poterit, niſi antea illas cauſas, quæ ad talem confuſionem contribuerunt, convenienter tractaverit, aut penitus removerit.

§. II. Inter has cauſas, quæ vulgo hunc morbum invitare obſervantur, nonnullæ ita comparatæ ſunt, ut ars in easdem plane nullam poteſtatem inveniat, adeoque totum negotium Deo & Naturæ relinqui & committi debeat. Hujus conditionis ſunt convolutiones & complicationes inteſtinorum, valvulæ circa inteſtinum cœcum & colon obviæ inverſio, ut & intimior quædam inflammatio, quales afflictiones minime ſub arbitrio artificis ſtant, neque per medicamenta emendari poſſunt: paulo magis arti medicæ obtemperant reliquæ hujus mali cauſæ, ut ſunt indurationes Scybalorum, exſiccationes inteſtinorum, firmæ obſtructiones alvi, incarcerationes herniarum, obſtructiones a Vermibus inductæ, quas ſingulas cauſas antea providus artifex removere debet, quo deinde facilius & propius ad ſuum ſcopum pertingere queat: præter has animadverſiones ſubinde illa notatu digna conſideratio practica eſt commendanda, quomodo videlicet ad hunc periculoſum morbum interdum anomaliæ hæmorrhoidales & quidem corruptæ & ſiniſtris medicaminibus atque regiminibus depravatæ, concurrant; ſicut de reliquo hujus, alias ſontici, affectus periculum auget atque accelerat concurſus & complicata ſtrenua commotio plethoræ, quas ſingulas ſcitu dignas circumſtantias practicas artifex primum bene noſſe & deinde dextre tractare debet.

§. III. Quo magis gravis & periculoſus hic eſt morbus, eo major circumſpectio & dexteritas in illius cura obſervanda & adhibenda eſt; unde præcipue in cura Paſſionis Iliacæ cavendum eſt 1) ab omnibus illis medicaminibus, quæ ullo modo vomitus invitare & exacerbare poſſunt, 2) ab omnibus remediis nauſeoſis adverſis 3 a nimia medicamentorum ingeſtione, quæ vomibundas commotiones augent, 4) a remediis purgantibus & inteſtina ſtimulantibus, oretenus oblatis, 5) a ſuperfluo Clyſterum uſu, quando iidem nunc per vomitus iterum rejiciuntur, 6) a præmaturo uſu ſtomachicorum & carminativorum remediorum, 7) a medicamentis calefacientibus, ſubtilibus acribus & concentratis, 8) a ſuſpectis mercurialibus experimentis, 9) a regiminibus & medicaminibus refrigerantibus, 10) a curatorio Salium Volatilium uſu, 11) a Suppoſitoriis aluminoſis 12) ab omnibus adſtringentibus medicamentis 13) a communi opiatorum uſu, 14) a regimine nimis æſtuoſo & violento, 15) a nimis frequenti variatione & confuſa oblatione medicamentorum 16, ab incraſſantibus & acidis remediis, 18) ab experimentis minus probatis & ingenuis, aut potius ſuſpectis & temerariis, 19) a balneorum indiſcreta ordinatione & 20) a quibusvis temerariis & præcipitatis medicationibus.

§ IV. Methodus Ileo Morbo medendi variat quoad cauſas, quæ hunc morbum invitant: Ante omnia proſpiciendum eſt an urgens plethora hunc affectum magis premat & exaſperet: in quo paſſu tempeſtiva Venæ Se-

ctio celebranda erit: Si vero deinde ob internam inflammationem hic affectus ortus fuit, tunc præmiſſo uno vel altero clyſtere emolliente & cum tantillo nitri remixto, interne offerendi ſunt pulveres nitroſi & oculi cancrorum citrati, cum antimonio diaphoretico mixti, nec non emulſiones ex aquis Scordii, Plantaginis, ſcabioſæ, galegæ, ſambuci, chærefolii, roſarum, amygdalis dulcibus, pineis & ſemine Cardui Mariæ paratæ, quo ſpectant potiones ex ejusmodi aquis, oculis cancrorum citratis & antimonio diaphoretico conſtantes, nec non decocta e radicibus Cichorii, Scorzoneræ, Apii, liquiritiæ, herbis ſcordii, chærefolii, veronicæ, floribus ſambuci, chamomillæ, papaveris rhæados, ſemine fœniculi, carvi, cortice citri &c. facta, addito tantillo nitri, quæ decocta tamen modica quantitate ſucceſſive magis haurienda ſunt: Ita etiam Eſſentiæ alexipharmacæ, Tincturæ bezoardicæ & mixtura ſimplex paucis guttulis, ſed repetitis vicibus offeri poſſunt: Extrinſecus conducunt cataplaſmata e ſpeciebus diſcutientibus & nervinis cum lacte paranda, additis oleis lenientibus & Croco atque Camphora: Sub quorum remediorum uſu temperatum regimen ſervandum eſt.

§. V. Quando hic morbus incarceratione herniæ nititur, tunc repoſitio herniæ minime cum impetu urgeri debet, quæ etiam hoc tempore haud facile obtineri poteſt, unde potius præſtat antea alvum cum clyſtere leniente aperire; deinde interne per remedia temperantia & diſcutientia imminens inflammatio præoccupanda eſt: præterea extrinſecus fomenta & cataplaſmata emollientia, mucilaginoſa, lenientia, oleoſa & diſcutientia atque nervina cum tantillo nitri mixta applicari debent, ſiquidem in hoc caſu etiam ſimplicior fomentatio calida tantum conducit, quo hernia reſtitui queat: ſi nimia alvi obſtructio in culpa fuerit, tunc conveniunt inſeſſus cum emollientibus ſpeciebus remixti, fomenta calida vaporoſa, ano admiſſa, linimenta emollientia abdomini applicata, clyſteres emollientes & cum pilulis Stahlianis, aut ſtimulo quodam moderato remixti; interne proſunt oleoſa, lenientia, juſcula pingvia, lacticinia & ſimilia: ſi fœcum alvinarum induratio hujus affectus cauſa fuerit, tunc interne eadem lenientia conveniunt, maxime quidem decocta e ſpeciebus emollientibus parata, cum oleis emollientibus aut butyro ſive ſalito, ſive non ſalito & tantillo nitri mixta, quo fæces iterum emolliantur, quæ tamen minime cum purgantibus remediis urgeri debent.

§. VI. In perfecta inteſtinorum convolutione, quæ e pertinacia & refractaria indole in hoc affectu præſumi poteſt, licet quidem per initia unum & alterum clysma leniens & ſtimulans ordinare, deinde præſtat efficaciora remedia adhibere, in quo caſu hactenus commemorata medicamenta non ſatisfacient, hinc ad reliqua experimenta confugiendum eſt: Inter illa vero præ-

ſerri meretur ſufficiens aſſumptio mercurii vivi cum ſubjuncto oleorum lenientium uſu: An plumbei globuli ſive majores, ſive minores, aut ex antimonio paratæ glandes ſingularem utilitatem afferant, nondum experientia comprobavit; Neque etiam in hac calamitate ſecurum eſt alvum cum purgantibus provocare: Conſilium Barbetianum, quod videlicet abdomen aperiri & deinde inteſtina in juſtum ordinem reponi debeant, magis in mortuis, quamvivis ſuccedit: Neque denique antiquorum auxilium, quo cum folle inteſtina inflari debeant, unquam applauſum ſingularem, aut approbationem obtinuit: Ad dolores in hoc affectu concurrentes mitigandos tam externa Cataplaſmata lenientia, quam intrinſecus oblata remedia theriacalia & Cortex Chaccarillæ conveniunt: Præſervatoriis denique uſibus commendanda eſt ſedula alvi emollitio & obſtructionis alvinæ præoccupatio, quæ cum variis tam e diæta & regimine, quam e pharmacia petendis conſiliis & auxiliis obtineri poteſt, ſi quidem talibus ſubjectis, quæ in ejusmodi affectum inclinant, accurata diæta & mobile vitæ genus commendari debet.

CAPUT IX.

DE
CHOLERA.

§. I.

Licet bilis in œconomia vitæ ante ultimam ſuam excretionem aliquales utilitates offerat, tamen ſubinde multiplices morbidas afflictiones cauſatur, quibus peritus artifex tempeſtive & congrue ſubvenire debet: Inter illas morbidas afflictiones, quæ a bile proveniunt præſens Cholericus fluxus eſt, qui aliquando cum febre, interdum ſine illa decurrit; ubique vero multum angorem cauſatur: Et quoniam hic affectus nullo utiliori & convenientiori effectu, niſi tempeſtiva eliminatione bilis terminatur, hincartifex huic excretioni tanta cum induſtria invigilare debet, ne eadem vel excedat, vel deficiat, neve ſerius oriatur, aut præmaturius ſupprimatur: Et dum talem excretionem adeo neceſſariam vehementes ſpaſmodicæ commotiones comitantur, hinc iterum ad officium medici pertinet, quo hiſce ſpaſmis in tantum moderetur, ne iidem vel ſalutarem hujus excretionis ſucceſſum & eventum perturbent, neve alia ſiniſtra & periculoſa accidentia cauſentur.

§. II.

§. II. Et in hujus affectus vulgari æſtimatione & tractatione medica diverſæ antipraxes occurrunt, ut eo magis neceſſe ſit, quo cum maxima circumſpectione & dexteritate pravæ conſecutiones præoccupentur; ſiquidem ex hiſtoria practica innotuit, quomodo ſatis ſæpe in primis hujus morbi limitibus ſuſpecta & contumax alvi conſtrictio concurrat, quæ ſive negligentius tractata, ſive audacter profligata, nonnunquam internas ſphaceloſas corruptiones, tanto citius vero in plethoricis ſubjectis, introduxit: quidquod interdum contigit, ut ob impeditam aut præmaturæ cohibitam talem excretionem bilioſam, interna ulceroſa corruptio orta fuerit, cui deinde hectica plane febris cum lethali eventu ſupervenit: aliquando perturbatam talem choleram conſequuntur graves & contumaces ſpaſmi, refractarii affectus icterici et ſi vel paululum acriora & calidiora remedia adhibentur, acuta plane febris convocatur, eoque periculoſior in hac complicatione hic affectus, qui antea ſimplexfuit, redditur.

§. III. Quo ſenſibilior, mobilior & in acutam indolem pronior hic affectus eſt, eo majori attentione & circumſpectione in illius cura invenienda & adminiſtranda opus eſt: Ob id cavere convenit 1) ab artificialibus emeticis remediis, aut præſentis ſpontanei vomitus exacerbationibus 2) a poſitivis & vulgaribus catharſibus, 3) ab alvinæ excretionis perturbatione, obſtructione aut negligentiori promotione, 4) a conjunctæ obſtructionis alvinæ temeraria & impetuoſa apertione, imprimis per remedia ſtimulantia oretenus oblata, 5) a ſpontanei Vomitus confuſione & præmatura cohibitione, 6) a remediis acribus, valde ſalinis & ſtimulantibus 7) a communium refrigerantium uſu 8) ab adſtringentibus medicamentis 9) a valde incraſſantibus & nimium coagulantibus medicamentis 10) a triviali narcoticorum uſu 11) a dulcibus & pingvibus 12) a ſalium volatilium ordinatione 13) a nuda ſymptomatum mitigatione, antequam principalior hujus morbi cauſa ſubjugata eſt, 14) a terreorum copioſa ingeſtione 15) præcipue a remediis terreis, uſtis, calcareis, cretaceis & bolaribus 16) ab omni animi & corporis inquietudine.

§. IV. Specialis choleræ therapia hac Methodo exercenda eſt; ante omnia proſpicere convenit, an alvus aperta & libera ſit, cujus obſtructio rectius cum clyſteribus emollientibus emendanda, quam cum purgantibus, aut laxantibus corrigenda eſt: deinde uſurpanda ſunt remedia bilioſam acrem ſaburram temperantia & infringentia, qualia ſubinde illius excretionem facilitant: Horum remediorum alia ſunt ſimpliciora diluentia velut decocta domeſtica, alia ſunt mucilaginoſa & gelatinoſa e fonte Diætetico haurienda, aut decocta emollientia & mucilaginoſa; quædam denique ſunt temperantia, abſorbentia ſive ſimplicia, ſive cum acidis attenuata, nec non Cryſtallus montana præparata, Cornu Cervi raſpatum; quæ pulverulenta cum multa utilitate cum nitro miſceri

-ſceri poſſunt: ſalia amara digeſtiva non æque in hoc caſu conducunt, quoniam arroſum ventriculum magis irritant: proſunt etiam juſcula gallinacea non valde pingvia, aut rectius (quia in hoc caſu ægrotantes carnoſa paulo magis averſari obſervantur) decocta e radice Cichorii, ſcorzoneræ, Apii, Altheæ, Herba Veronicæ, floribus chomomillæ, papaveris rhæados, ſemine Carvi, Corticibus Citri, hordeo excorticato, paſſulis majoribus & tantillo nitri.

§. V. Quando evomitio neceſſaria non ſtatim ſubſequitur, tunc illa cum remediis Emeticis minime provocanda eſt, quin potius cum externa modeſta enchiriſi adjuvari debet: quodſi vero ſua ſponte talis Emeſis occurrerit, tunc hæc remedia præparantia & temperantia ſucceſſive offerri debent, ſervata illa cautela, ne in magna copia talia medicamenta ingerantur, alias ſemel commotum ventriculum valde exacerbant & ad impotuoſas atque exceſſivas Emeſes diſponunt: nitrum in hoc affectu præſtantisſimum eſt remedium, quod neceſſariam excretionem promovet & excedentem mitigat, ſiquidem præter hoc in excedente tam vomitu, quam alvi fluxu bilioſo præ aliis ſedativis remediis Cortex chaccarillæ prærogantem utilitatem habet, adeo ut poſitiva adſtringentia remedia minime neceſſaria ſint, cum hoc duplex remedium & efficax & ſufficiens & ſecurum exiſtat: urgente vero neceſſitate confici poteſt pulvis e Cornu Cervi uſto, Coralliis rubris præparatis, ſpeciebus de Hyacintho & Nitro depurato, aut ex oculis cancrorum citraris, Coralliis rubris præparatis & Cortice Chaccarillæ; ubi Muſcus Corallinus & Tinctura Corallorum ad cohibendum hunc excedentem fluxum, præter reliqua nunc commemorata remedia, conveniunt.

§. VI. Præterea conjungenda etiam ſunt externa mitigantia, quæ exceſſum hujus excretionis præoccupare debent; ex illis conveniunt cataplaſmata paranda e radicibus caryophyllatæ, Vincetoxici, Leviſtici, Angelicæ, Herbis Menthæ, Majoranæ, Meliſſæ, Pulegii, floribus Chomomillæ utriusque, Meliloti, Sambuci, Roſarum, Verbaſci; Seminibus Aniſi, Fœniculi, Baccis lauri, Corticibus Aurantiorum additis oleis Anethino, Rutaceo, Amygdalarum dulcium, nec non Camphora & Caſtorio: circa finem curæ proſunt ſtomachica, ſive pulveres ſtomachales, ſive eſſentiæ carminativæ modica quantitate, repetita tamen vice, offerendæ: quibus annumerare lubet hauſtulum boni vini: denique poſt ſuperatum hunc affectum commendanda eſt abſtinentia, ne videlicet ventriculus cum multo aut perverſo cibo & potu oneretur & quo reliquiæ impuritatis bilioſæ penitus abſtergantur & evacuentur, commode tunc circa finem vel magneſia alba, vel Rhabarbarum, vel Sal Anglicanum offerri poteſt; ſicut præſervatoriis uſibus tales evacuationes conducunt, quibus interponen-

ponenda ſunt abſorbentia & nitroſa & in diæta mucilaginoſa & gelatinoſa cum evitatione talium ſubjectorum, quæ multam bilem generare poſſunt.

CAPUT X.

DE BILIOSIS INFANTUM DEIECTIONIBUS.

§. I.

MOrboſis bilis evacuationibus illas frequentes infantum paſſiones accenſeo, quibus bilem diverſimode alteratam, imprimis quidem acrem, cum multis torminibus & cruciatibus excernunt; in quo ſtatu ipſa excretio in ſe ſpectata minime noxia, ſed ſalutaris eſt, cum utilius ſit tam pravam & pernicioſam bilem expellere, quam retinere; quare prudens medicus talem evacuationem minime impedire, aut cohibere, quin potius tam adverſæ bilis remotionem promovere, attamen non præcipitare, aut impetuoſe urgere debet: Etenim eximia ſenſibilitas infantilis alias in culpa eſt, cur tales dejectiones, ſibi relictæ, non modo facile excedant, ſed & cum extremis quibusdam motuum gradibus torminoſis, aut plane convulſivis, decurrant; hinc providus medicus omni ſtudio præoccupare debet, ne talem proclivitatem in exceſſum acceleret, aut magis irritet: quodſi etiam contra hanc excretionem medicus pugnaverit, & eandem ſubito oppreſſerit, tunc ob nocivæ bilis repreſſionem & continuantem moleſtam internam vellicationem e confuſo tali actu facile lethales convulſiones ortum trahere poſſunt.

§. II. Illud adhuc hoc ordine ſciendum eſt, quod hæc bilis, quæ excernitur & tantarum afflictionum cauſa evadit, in craſi & conſiſtentia ſua valde alterata ſit, præcipue quidem perquam acris exiſtat, qualem pravam qualitatem nacta eſt, a prægreſſa incongrua confermentatione, quam cum lacte impuro ſubiit: inde enim medicus occaſionem obtinet, quo in cura hujus affectus etiam fundamentum illius emendare & lactis depurationi curam adhibere debeat: ita tanto melius cura ſuccedet, quando non modo præſens impuritas ex inteſtinis infantum abſtergitur, ſed & quando præoccupatur, ne nova denuo superveniat & hunc præſentem affectum ſemper exacerbet: quoniam vero infantes in motuum exceſſus adeo proclives exiſtunt, hinc in reliqua cura huic vitio

 pro-

proſpiciendum eſt, ne per exceſſus tales ſalubritas hujus evacuationis pervertatur.

§. III. Quo magis ſenſibile itaque eſt ſubjectum, cum quo medicus in hoc affectu converſatur, eo major circumſpectio adhiberi debet, ne illud offendatur, quoniam infantes haud multum tolerare poſſunt: cavendum itaque eſt 1) ab omnibus remediis alvum ſtimulantibus: 2) a remediis acribus & calefacientibus: 3) a vulgatis bezoardicis & ſudoriferis: 4) a regiminibus æſtuoſis: 5) a nimis copioſa terreorum oblatione: 6) a terreis uſtis, calcareis, bolaribus & ſigillatis: 7) a negligentiori alvinæ excretionis promotione: 8) ab oleoſis, concentratis internis medicamentis: 9) a præmaturo carminativorum uſu: 10) a volatilibus remediis; 11) ab adſtringentibus 12) & omnibus talibus medicaminibus, quæ bilis acredinem augent & motus in inteſtinis auctos magis irritant.

§. IV. In cura hujus affectus primo excretio bilis adjuvanda, deinde excesſiva motuum applicatio mitiganda eſt: Prior operatio adminiſtratur per præparationem & actualem abſterſionem atque evacuationem bilis: præparatio perficitur per remedia abſorbentia teneriora Matr. Perl. ppt: cryſtall. mont. non prodigis, ſed repetitis vicibus offerenda: evacuatio exercetur vel per ſimplicia infuſa rhabarbarina, aut Syr. de Cich. c. Rhab, vel per clyſteres lenientes & modeſte roborantes, proſunt etiam pilulæ Stahlianæ numero 2 vel 3. infant: præbendæ & hæ operationes quidem maxima cum lenitate perficiendæ ſunt: nutrices hoc tempore ſelecta diæta utantur & ſub eadem interdum carminativa uſurpent, quibus etiam pilulæ Stahlianæ aut Becherianæ exhibendæ ſunt, inde lac abſterſivam virtutem nanciſcitur.

§. V. Motuum exceſſus in hoc caſu præoccupant, poſt præparantium uſum, theriacalia ſive oretenus exhibita, ſive cum clyſteribus commiſcenda, ſive etiam externe uſurpanda, non minus corall. rubr. ppt. lumb. terr. cinnabar. poſt ſufficientem præparationem & abſterſionem, ad temperandos hoſce motus conducunt: proinde etiam alia externa abdomini applicanda ſunt, ut linimenta ex oleo rutaç. chamom. aneth. menth. carv. fœnic. nuc. moſch. theriac. parata, aut cataplaſmata domeſtica roborantia, cavendo, ne nimis pingvia illinantur, quæ fluxus alvinos magis irritant atque urgent: ſic nutrices etiam vel carminativa remedia, vel theriacalia uſurpare poſſunt: de reliquo quietum & temperatum regimen adhibendum eſt: quibuscum auxiliis & ſecure & prompte huic afflictioni ſollicitus & circumſpectus artifex conſulere poteſt.

CA-

CAPUT XI.

DE

DIARRHOEA.

§. I.

HIc ſpontaneus alvi fluxus in hiſtoria & experientia medica perquam familiaris eſt, unde illius tractatio artificioſa probe cognita eſſe debet; ante omnia ſcire convenit, quod hæc excretio diverſis ſpecialioribus circumſtantiis ſeſe ſiſtat, dum nunc alia diarrhœa ſimplex eſt, ſed ſubinde etiam certis ſubjectis conſueta, imo plane annua, aut anniverſaria, alia eſt magis bilioſa & cholerica, proptereaque inſolentior & indolentior, alia eſt velut epidemica, quando ob rationes & concurſus certarum tempeſtatum harumque mutationum ad ejusmodi acriorem alvi fluxum anſa præbetur; alia vero magis cum diætæ vitiis cohæret; ſiquidem ex irregularitate tum regiminis, tum diætæ vario modo hæc excretio excitatur, quippe quas ſpecialiores circumſtantias artifex probe annotare debet, quo ſecundum illarum conditiones methodum medendi rationabiliter accommodare posſit: interea ſub juſta hujus affectus dijudicatione facile liquebit, quod hæc excretio non adeo turbulenta, aut mere pasſiva ſit, ſed potius naturæ actionibus annumerari mereatur, quibus illa aliquid ſuperflui, aut moleſti, aut adverſi, aut plane noxii, ſalutari quodam conſilio atque conatu expellere & ab eodem corpus ſuum afflictum tempeſtive & ſtrenue liberare contendit.

§. II. Magna proinde prudentia adhibenda eſt in discretione hujus alvi fluxus, an videlicet idiopathicus an ſymptomaticus exiſtat; quemadmodum nonnunquam inopportuna talis excretio, aliis affectibus ſuperveniens, potius aliquod damnum, quam commodum affert; licet ad illud nocumentum haud directa ſit, quin potius cum eadem diarrhœa, in alia quadam morbida afflictione generalis cujusdam opitulationis vices teneat, propterea & conſultum & neceſſarium eſt, quo talis alvi fluxus inopportunus tempeſtive iterum remittat & acquieſcat; vix vero ſecurum & ſalutare eſt, quo ille repente & temere opprimatur, ni ex ejusmodi ſubitanea & extrema oppugnatione aliæ extremæ prioris morbi degenerationes ortum trahere debeant, ut eapropter rectius in quocunque caſu talis affectus, ut naturæ actus cum optimo moderamine & lenitate neceſſaria tractandus ſit; quoniam empiricæ ſuppres-

ſiones, aut intempeſtivæ palliationes hujus Diarrhœæ pravas conſecutiones involvunt.

§. III. Et dum non raro talis Diarrhœa ſua ſponte decurrit, adeoque ſponte iterum ceſſat, ita inutile conamen eſſet, ejusmodi actui naturæ artem immiſcere velle; in quali caſu rectius privativa Therapia locum invenit, ne videlicet talis actus naturæ per alias cauſas turbetur: quando contingit, ut ob ineptitudinem materiæ evacuandæ ſemel ſuſcepta excretio difficilius ſuccedat, tunc omnino ex officio Medici fluit, quo non tam motum excretionis immoderate provocet, quam materiam excernendam convenienter præparet: aut ſi motus excretorii anomalici fuerint, tunc perinde ad miniſterium artificis pertinet, quo tales motus in convenientem ordinem transferat, adeoque excretionem leniter promoveat: quod ſi vero iidem motus excretorii in plenarium exceſſum delabantur, tunc Medicus huic exceſſui remoram injicere debet, ne ullo modo ſalutares quidam reſpectus concurrentes perturbentur, unde non niſi temerarium artificium eſt, ſi repente tales fluxus alvini ſuffocantur, aut conſopiuntur.

§. IV. Quo itaque Diarrhœa rationabiliter e fundamento & perite curetur, confert ante omnia illa ſiniſtra artificia noſſe, quæ eandem magis offendunt, quam leniunt: cavendum itaque eſt 1) a poſitivo ſenſibili ſtimulo evacuatorio, quando jam ſemel motus efficaces & vegeti ſunt 2) ab anotericis craſſe evacuatoriis diverſionibus, quo vomitoria refero 3) a præmaturo, facili, frequenti, diuturno & inopportuno adſtringentium uſu 4) ab indiſcreto & plebejo incraſſantium & coagulantium uſu 5) a præmaturo, aut nimis liberali uſu ſedativorum remediorum 6) a præmatura ordinatione ſtomachicorum remediorum 7) a remediis calidis, acribus & qualitercunque vias & humores impellentibus 8) a remediis concentratis, oleoſis, ſpirituoſis, proinde corpus valde offendentibus 9) a diverſa & perverſa remediorum diſcrepantis effectus multiplicatione 10) a vulgatis plebejis & domeſticis experimentis, quæ communiter ad Diarrhœæ ſubitaneam oppreſſionem directa ſunt 11) ab abſorbentium, præcipue uſtorum & calcareorum prodiga oblatione 12) ab internis & externis refrigerantibus regiminibus & medicaminibus 13) & denique a concurſantium ſymptomatum nuda palliatione atque lenitione.

§. V. Quo vero viciſſim Diarrhœa rite & ſecure tractetur, ſequentes indicationes rationales practicas obſervare conveniet 1) ut materia evacuanda ſecundum diverſam ſuam conſtitutionem ad præſentem neceſſariam excretionem præparetur 2) ut motus ad ſalutarem excretionem contendentes in juſtum ſucceſſum convertantur & promoveantur, ſi ab ordine juſto declinare videntur 3) ut exceſſiva talis excretio convenienter tractetur, ne exceſſus noxam

xam pariat, neve etiam illius cohibitio reliquæ œconomiæ vitali præjudicium afferat 4) ut concurrentia & urgentia, gravia ſymptomata legitime tractentur & ſine præjudicio totius affectus leniantur & denique 5) ut pro libero & ſalutari decurſu hujus afflictionis congruum regimen præſcribatur: & hæ ſingulæ indicationes non confuſe, non præpoſtere, neque præcipitanter exercendæ ſunt: ubique enim in hujus affectus Therapia artifex poſſibili lenitati & continentiæ ſtudeat.

§. VI. Prima indicatio verſatur circa materiæ excernendæ aptam qualitatem, qua commode & prompte evacuari posſit; evenit enim interdum ut talis materia vel nimis acris & bilioſa ſit, adeoque ad motus excretorii perturbationes contribuat, vel ut magis ſpiſſa & intractabilis exiſtat, adeoque congrua fluiditate indigeat: in priori conditione conveniunt remedia, quæ materiæ acredinem involvunt & extenuant, diluunt & temperant: huc quadrant abſorbentia, ſive ſimplicia, ſive cum acidis impraegnata, modo non ſint adſtringentia, ubi in Diarrhœa bilioſa Cryſtallus montana præparata, tanto magis vero in infantibus, non exiguam utilitatem affert: proinde cum ejusmodi remedio commode Nitrum commiſceri poteſt, quod perinde materiæ acredinem temperat & internam irritationem ab hac materia pendentem & ad incongruas commotiones excitandas quadrantem demulcet: alia vero ſalina remedia ſive digeſtiva, ſive alterius indolis in hoc paſſu non conveniunt: deinde proſunt diluentia, mucilaginoſa, gelatinoſa, lubricantia, quæ eandem acrem materiam involvunt, illius acorem enervant & extenuant, adeoque eandem ad faciliorem & tranquilliorem evacuationem præparant: Et talia remedia multam utilitatem habent in Diarrhœa Epidemica.

§. VII. Quando materia peccans ſpisſior, mucidior & immobilior eſt, tunc eandem colliquare, reſolvere & incidere convenit: in hac operatione præſtat abſorbentia remedia in valde refracta quantitate exhibere, alias eadem materiam ſpiſſam adhuc magis impaſtant: proſunt itaque ſalina, velut Tartariſata, digeſtiva & ex parte etiam ita dicta ſalia vegetabilia; ſicut horum remediorum ſalinorum variæ ſpecies occurrunt: haud vero hoc loco ſal ammoniacale admitto, neque etiam ſal digeſtivum Sylvii aliqualem prærogativam tenet, cum alia præſtantiora ſalia conſtent: deinde etiam conveniunt reſolventia vegetabilia, imprimis vero amara, quo ſpectant herbæ amaræ & antiſcorbuticæ, nec non capillares, quarum extracta hanc efficaciam ſatis promte exſerunt: huc etiam ſpectant Gummata Ammoniacum, Galbanum, Sagapenum, Bdellium, quæ cum Extractis illis mixta in forma pilularum appoſite exhiberi poſſunt, aut poſſunt etiam radices Helenii, Angelicæ, Caryophyllatæ, Vincetoxici, Imperatoriæ, Carlinæ, Ariſtolochiæ rotundæ, Gentianæ rubræ, Cyperi

rotundi, Coſti dulcis, Zingiberis, Galangæ, Zedoariæ cum herbis Abſynthii utriusque, Abrotani, Centaurii minoris, Cochleariæ, Cardui benedicti, Fumariæ, Capilli veneris, Cuſcutæ &c. floribus Calendulæ, Stoechados arabicæ, Sambuci, Rorismarini, ſemine Aniſi, Fœniculi, Carvi, Apii, Dauci, Cumini, Petroſelini &c. in formulam infuſi converti & additis quibusdam roborantibus ſpeciebus pro hoc ſcopo exhiberi, qualia remedia ſufficienter materiam ſpiſſam colliquabunt.

§. VIII. Altera indicatio commercium ſuum habet cum motibus excretoriis, qui interdum difficulter procedunt, aliquando plane anomalice incedunt, qui ipſi motus propterea in juſtum ſucceſſum convertendi ſunt; quare convenit in eo naturam ſublevare & excretionem modeſte promovere, quo nomine conducunt leniſſima laxantia ſine ſingulari ſtimulo efficacia: unde prosunt vel Rhabarbarina remedia, vel correcta aloëtica omiſſis aliis medicamentis alvum moventibus; hinc congrue confici poſſunt pillulæ ex prædictis Extractis & Gummatibus nec non ex Aloë correcta: quin interdum licet ſub certis circumſtantiis Clyſteres abſtergentes, lenientes & moderate roborantes uſurpare, præcipue in infantibus talia adminicula magis in principio alicujus Diarrhœæ, quam in vigore proſunt; inde etiam evenit, ut natura, modeſte tali auxilio adjuta, non modo facile hoc propoſitum negotium abſolvat, ſed & deinde in eodem facile & placide acquieſcat, neque tam facile in exceſſum degeneret, ubi interea etiam ab ejusmodi aliis accidentalibus circumſtantiis abſtinendum eſt, quæ ullo modo hos motus excretorios impedire & perturbare poſſunt.

§. IX. Proxima indicatio verſatur circa prudentem tractationem nimis largi ſucceſſus, aut actualis exceſſus diarrhœæ; pro hoc immodico fluxu ſecure refrænando conveniunt temperantia, ſelecta ſedantia, roborantia, aut denique mitiora adſtringentia: minime vero mox potentiora adſtringentia præmittenda ſunt, quæ cum repente hunc alvi fluxum coërcent, etiam ſubitaneis periculoſis conſecutionibus & internis ſtagnationibus, aut ſtaſibus humorum anſam præbent: neque etiam confeſtim ad ſopientia remedia, tanto minus ad vulgaria narcotica opiata confugiendum eſt; unde præſtat potius temperantia remedia præmittere, quo nomine Nitri uſum concelebro; ſicut hoc Nitrum immoderatos motus lenit & internos moleſtos ſenſus demulcet, adeoque hoc nomine pulvillus ex abſorbente remedio, coralliis rubris præparatis, Cornu Cervi Uſto & Nitro paratus in ſubjectis ſenſibilioribus interdum ſatisfacit; alias quando temperantia non ſatisfaciunt expectationibus, tunc ſelecta ſedantia in uſum trahi poſſunt, quo nomine præcipue corticem chaccarillæ, tanquam præſtantiſſimum remedium in tali caſu laudo; uti in defectu hujus

jus theriaca ſimplex, Diaſcordium Fracaſtorii cum hauſtulo vini aſſumi poſſunt, quæ eximiam utilitatem afferunt; cavendum tamen eſt, ne talia remedia nimis frequenter exhibeantur: multam & ſingularem utilitatem ad compeſcendos alvi fluxus habet Muſcus Corallinus, modo prudenter & convenienter ordinetur: prædicta theriacalia etiam externum uſum habent in ſubjectis tenerioribus, regioni umbilicali applicanda, aut modica quantitate clyſteribus combinanda.

§. X. Præterea ad hujus fluxus moderationem multum proſunt ſtomachica, quæ dum alium ſenſum in affectis viſceribus excitant, ita a præſenti excesſiva commotione natura deſiſtit: ſunt vero talia ſtomachica præcipue amara, deinde radices Angelicæ, Ari, Helenii, Pimpinellæ albæ, Gentianæ rubræ, Galangæ, Zedoariæ, Zingiberis, aromatica, Nux moſchata, quæ etiam in ſubſtantia comeſta adſtrictoria quadam vi hunc fluxum compeſcit; accedunt Caryophylli aromatici & cinnamomum, cortex citri & aurantiorum, ſemina carminativa, e quibus paratæ Tincturæ, quæ cum Tinctura Chaccarillæ miſceri poſſunt, in hoc ſtatu multam utilitatem afferunt, ſicut etiam quædam harum ſpecierum in ſubſtantia aſſumtæ eandem utilitatem afferunt: a dulcium uſu in hoc caſu abſtinendum eſſe judico, quia in inteſtinis, ubi omnia in motu ſunt, ad novam & ſuſpectam fermentativam commotionem contribuunt, adeoque Diarrhœæ impetum ſovent, confirmant aut conſervant; quando neceſſe eſt, quo penitus alvi fluxus per adſtringentia cohibeatur, tunc conveniunt imprimis vegetabilia & fructus quidam exſiccati, ut Meſpila, Myrtilli, ſorbi, vel remedia Cydoniata, quo vulgo Panis & Miva Cydoniorum referri ſolet: huc etiam pertinent Species de Hyacintho, Radix Biſtortæ, quæ ad ſcrupulum ſemis cum æquali pondere Corticis Chaccarillæ exhiberi poteſt; ſicut eſſentia hujus radicis & Corticis in eodem paſſu convenit: interea & hiſce & ſimilibus adſtringentibus remediis ſedulo interponenda ſunt temperantia & roborantia remedia, ne adſtrictio ſimultanea, neve nimis firma ſit, imo poſtea confert ſubordinare uſum Pilularum Stahlianarum, aut aliarum leniter laxantium & ſine ſtimulo efficacium, quo alvus aperta maneat: commode denique etiam externa ſtomachica euporiſta domeſtica abdomini applicari poſſunt, quæ huic exceſſui moderari adjuvant.

§. XI. Quod ſymptomata attinet, quæ in Diarrhoea excedente concurrere ſolent, tunc illa etiam modeſte tractanda ſunt, præcipue dolores ſtrictorii & torminoſi non ſtatim cum ſedantibus remediis obruendi ſunt, quin potius talia remedia conferunt, quæ materiam evacuandam præparant & evacuationem facilitant, aut in ordinem juſtum redigunt; deinde conducunt temperatiora ſtomachica & tandem ſelectiora ſedativa, quemadmodum Chaccaril-

carilla concurrentes dolores eximie lenit; a communibus opiatis remediis ſedulo abſtinendum eſt: inſolita ſitis, quæ in hoc affectu occurrit, bene tractanda eſt; convenit potus exacte bonus & bene defæcatus, cereviſia refrigerans abſit: proſunt etiam decocta uſitata imprimis Coffee, non valde calidum cum tantillo Caryophyllorum aromaticorum mixtum; huc etiam conferunt juſcula, præcipue cum ſemine Carvi mixta: quando internus ardor percipitur, conferunt remedia abſorbentia & nitrata; nocent acria & ſpirituoſa; vires denique vacillantes cum requie animi & corporis & hauſtulo boni vini reparari poſſunt.

§. XII. Quod denique regimen in hoc affectu ſervandum concernit, tunc præſtat, quo patientes refrigerium internum & externum ſollicite evitent, a nimia corporis commotione abſtineant, a cibis craſſis & pingvibus caveant; neque alimenta & potulenta facile aceſcentia & fermentantia ingerant, neque etiam cum multiplicibus experimentis affectum præſentem obruant & confundant, neque perinde nimis calida aſſumant, ſed in omnibus hiſce circumſtantiis modeſtiæ ſtudeant: minus conſultum etiam eſt urgentes dejectiones alvinas voluntario retinere, quæ retentiones non raro ad ſuſpectas flatulentias & torminoſas afflictiones anſam præbent: proficit itidem, ſi abdomen præprimis in conſtanti calore foveant & ſub dejectione alvina ſenſibilia refrigeria arceant, ita eveniet, ut ſub rita adminiſtratione harum indicationum Deo benedicente præſens affectus bene & ſine metu pravæ conſecutionis curetur.

CAPUT XII.

DE

DYSENTERIA.

§. I.

GRavior & periculoſior inteſtinorum morbus & alvi fluxus eſt, qui velut per excellentiam Dyſenteria ſive mala & morbida inteſtinorum afflictio vocatur: tanto magis hic affectus cum majori intentione perluſtrandus & diſtincta dexteritate tractandus eſt, quia magis diverſam faciem aſſumit & cum aliis morborum ſpeciebus complicatur, licet enim in ſe ſpectata Dyſenteria ſatis ſontica ſit, dum præternaturali ratione extravaſatus ſanguis cum alio inquinamento bilioſo, acri, corroſivo mixtus exturbatur, ubi quidem eva-

evacuatio hujus depravati ſanguinis ſalutaris exiſtit, cum potius illius retentio repentinam noxam inferat, tamen id non reſpondet, quando ab acri quadam materia interior inteſtinorum ſuperficies eo uſque abraditur, ut ex apertis ſuis oſculis ſanguis effluat & in inteſtinorum cavitate ſeſe cum tali corroſiva materia commiſceat, indeque futuris cadaveroſis putrefactionibus ſubjiciatur, quibus præoccupandis cum tanto impetu excretorio ille actus ſubordinatur: e qua animadverſione mox eluceſcit, quid artifex ut noxium profligare & ut ſalutare conſervare & bene tractare debeat.

Conf. Stahlii Diſp. de Dyſenteria.

§. II. Proinde etiam artifex obſervare & attendere debet, ipſum ſtatum dyſenterici talis fluxus; interdum enim eſt benignior, eapropter tamen periculo non caret; aliquando eſt malignior & hæc malignitas vel ex Epidemica graſſatione, vel ex contagioſo progreſſu agnoſcenda eſt, ſicut non æque ſemper neceſſitas poſtulat, quo talis Dyſenteria per prægreſſam comeſtionem fructuum ſive maturorum, ſive immaturorum excitetur, ſed mutatio tempeſtatum multum ad provocandam Dyſenteriam contribuit: etenim quando præceſſit intenſior æſtus & fervidior æſtas, tunc ſuperveniente aut mox variante aura frigidiore provocantur bilioſi alvi fluxus, ſatis acres, quia ſub æſtate & fortiori humorum commotione bilis in majori quantitate genita, nunc majori etiam copia intra inteſtina affunditur, quales acres & bilioſi fluxus alvini deniq; internam inteſtinorum excoriationem cauſantur & perfectam talem dyſenteriam poſt ſe trahunt: deinde etiam medicus bene explorare debet gravitatem ſymptomatum, quæ ſeſe cum hoc morbo conjungunt, adeoque malignitatem illius produnt, ut ſunt interni ardores & inflammatorii effectus, faucium vitia, externarum partium rigor & horror, vehementes vomitus, convulſiones, Lipothymiæ &c. cui faciei præſentis morbi ſingulari cum moderamine ſeſe præterea accommodare debet.

§. III. Poſthac magni momenti eſt illa obſervatio, dum alia Dyſenteria ſimplicior, alia magis complicata eſſe deprehenditur; quæ poſterior præcipue complectitur Dyſenteriam cum acuta febre conjunctam, qualis febrilis commotio affectui dyſenterico eapropter accidit, quando vel inteſtinis gravis inflammatio concurſat, vel quando maſſæ ſanguineæ miaſma quoddam Epidemicum inſinuatum fuit: de reliquo cum actu excretorio ſatis prudenter & delicate procedendum eſt, ſive excretio fuerit dyſenterica, ſive febrilis: ſiquidem ex hujus poſterioris perturbatione, quamvis prior legitime ſuccedat, funeſtus eventus occaſionem nanciſci poteſt; tanto magis confert congruis internis abſterſionibus, mundificationibus, lenitionibus & conſolidationibus operam dare, ne vel de præſenti aliquod lethale damnum ingruat, neve in futurum

 peri-

periculoſa quædam conſecutio occupet, unde in tali affectu tam intricato eo magis temeritas & empiria evitanda eſt: quoniam etiam inſignia motuum accrementa imo plane exceſſivi gradus concurſant, ita artifex ſollicite hiſce exceſſibus adeo moderari debet, ne ſalutaribus & neceſſariis progreſſibus motuum abſterſoriorum & excretoriorum aliquam vim inferant.

§. IV. Quo magis gravis atque periculoſus hic eſt affectus eo major circumſpectio atque dexteritas in illius cura adhibenda eſt, ob id cavendum eſt 1) ab indiſcreto uſu emeticorum 2) a remediis potentius alvum moventibus & ſtimulantibus 3) a negligentiori abſterſione inteſtinorum, 4) a præmatura ſuppresſione præſentis fluxus 5) a nudo adſtringentium uſu 6) ab inopportuno ſedativorum uſu, tanto magis a largiori illorum oblatione & ſimplicius opiatorum ordinatione, 7) a remediis refrigerantibus 8) ab immodico incraſſantium uſu, 9) a medicamentis concentratis, acribus, valde reſinoſis, ſpirituoſis, calefacientibus, quæ facile internam inflammationem, aut febrilem commotionem provocant, 10) a remediis dulcibus, quæ fermentativam commotionem in inteſtinis augent, 11) a balſamicorum vel præmaturo, vel nimio uſu 12) a confuſa diverſorum experimentorum & ſpecificorum remediorum oblatione 13) a concurrentis febris qualicunque offenſione & perturbatione, 14) a nimis frequenti, variato & copioſo remediorum uſu, ſub quo patientes magis enervantur & denique 15) a ſymptomatum qualicunque exacerbatione.

§. V. In ſpecialiori Therapiæ Dyſenteriæ ordine primo benignior illius ſtatus erit inquirendus, ubi mox illa practica quæſtio occurrit, an vomitorium in dyſenteria proficuum eſſe poſſit; quæ quæſtio ita decidenda erit, ſi ſubjectum eſt quoad vires ſatis diſpoſitum, ſi affectus eſt in primis ſuis initiis, ſi materia peccans adhuc præſumitur in ventriculo & ſuperioribus inteſtinorum regionibus, ſi præceſſit diæta irregularis & alioquin præſumitur adeſſe ſaburra in ventriculo, tunc lene vomitorium non eſt inutile, quale in hoc paſſu optimum erit remedium radix Hypecacuanhæ: deinde altera occurrit quæſtio, an in dyſenteria ad promovendam abſterſionem materiæ peccantis Acidulæ conveniant, quæ quæſtio ita erit explicanda, ſi affectus eſt adhuc in primis ſuis limitibus tunc acidularum temperatarum uſus a quibusdam innoxius deprehenſus fuit, ſiquidem eædem efficacius & diffuſius materiam peccantem diluunt, temperant, abſtergunt & evacuant, adeoque citius eandem removent; ſi vero jam malum increbuerit, tunc acidulæ non conveniunt: accedit tertia quæſtio, an Venæ Sectio aliquid ad præoccupandam dyſenteriam conferat? quæ ita erit exponenda, quod directe ad dyſenteriam Venæ Sectio nihil conferat; quodſi vero ſubjecta valde plethorica fuerint, in quibus ſanguinis abundantia in hoc caſu turget & urget, tunc præmiſſa moderata Venæ

Sectio

Sectio ad præoccupationem gravium ſymptomatum non parum utilitatis affert.

§. VI. Proxime cura Dyſenteriæ ita erit inſtituenda, ut materia peccans temperetur & ad evacuationem promptam promoveatur: temperatio & præparatio materiæ ſuccedit per abſorbentia, ſive ſimplicia, ſive cum acidis ſaturata; nec non per corallia rubra præparata & cryſtallum montanam; quippe quæ remedia acredinem materiæ obtundunt, quo minus deinde partes ultro arrodat: huc etiam conveniunt remedia diluentia, gelatinoſa, mucilaginoſa, ſed minime prodigis hauſtibus ingurgitanda, quin rectius ſorbillanda & ſucceſſive cochleatim aſſumenda, cum quibus perinde materia temperari & involvi poteſt; conferunt hoc nomine decocta avenacea, hordeacea cum ſemine carvi, nec non cum cortice citri & tantillo paſſularum maiorum miſcenda, additis floribus Papaveris rhæados, cavendo ne frigidum ſit ejusmodi decoctum, quia omne frigus ſive internum, ſive externum, nocet; commode etiam admiſceri poteſt Vitellus ovi cum albumine: deinde materia peccans abſtergenda & ad evacuationem promovenda eſt, quo conferunt ſelectæ & moderatæ laxationes & hoc nomine conducunt Pilulæ balſamicæ Stahlianæ aut genuinæ Becherianæ & aliæ probatæ & ſecuræ, parandæ ex extractis amaris, tantillo Myrrhæ, Therebintinæ Venetæ, Aloe correcta, quales pilulæ, quo citius operentur, pulveretenus exhibendæ ſunt: proſunt etiam Rhabarbarina, quæ ſaburram bilioſam & reliquam acrem materiam una abſtergunt, qualia evacuantia matutinis horis ordinanda ſunt & quidem quotidie, quo eo conſtantius & magis ſufficienter prava materia eliminetur.

§. VII. Dum motus excretorii in dyſenteria valde excedunt, eoque ipſo ad ulteriorem ſanguinis affluxum diſponunt, inſuperque cum conjunctis ſuis doloribus admodum affligunt, propterea illis quadantenus refrenandis & mitigandis opera danda eſt: adjuvat hanc mitigationem Nitri uſus modo parcus ſit & ad repetitas oblationes reſervetur; alias etiam proſunt temperata & ſelecta ſedativa remedia, e quibus eminent theriaca ſimplex, Diaſcordium Fracaſtorii, Maſſa Pilularum de Cynogloſſa & præcipue cortex chaccarillæ: ſucceſſive etiam licet fluxui remoram injicere & modeſtam cohibitionem inducere, quo convenit Cornu Cervi uſtum, Corallia rubra præparata, Species de Hyacintho, imo pro conditione perſonarum modicus uſus radicis Biſtortæ & Tormentillæ admitti poteſt; ſicut hic non contemnendam utilitatem habet eſſentia Milleſolii cum eſſentia gentianæ rubræ & chaccarillæ mixta, qualia adminicula coërcentem & ſedantem qualitatem habent; quemadmodum externe abdomini poſſunt applicari roborantia, modeſte aromatica cum theriaca ſimplici miſcenda, ut Linimenta ex oleo Chamomelino, Anethino, Carvi, Fœniculi,

Abſynthii, Nucis Moſchatæ, addita Theriaca; ſic decocta ſuperius laudata cum ovis mixta lenientem illam virtutem habent, quæ dolores & motus nimios demulcent: lactis uſus, quem aliqui ad leniendos dolores extollunt, non adeo ingenuus eſt, ſed utplurimum torminoſis inſultibus anſam præbet: de reliquo Corallina in hoc affectu æque ſingularem utilitatem abſtergentem & cohibentem habent.

§. VIII. Interea interne ſedulo abſterſio neceſſaria promovenda eſt, ad quam adjuvandam nonnulli olea lenientia laudant, quorum efficacia vero nondum ſufficienter probata eſt, niſi olei Ovorum uſus aliqualem utilitatem promittat, neque clyſteres cum Therebintina, Vitello ovi & tantillo Myrrhæ mixti indiſcretim proſunt, niſi vel in initiis hujus affectus adhibiti tempeſtivam materiæ peccantis evacuationem promoveant, vel ubi Dyſenteria alba præſto eſt, vel quando etiam interna arroſio in inteſtina craſſa deſcendit: alias ad hanc abſterſionem fovendam, conveniunt prædictæ pilulæ repetitis vicibus exhibendæ, nec non interpoſita illa ſpecialiora abſorbentia, una cum decocto prælaudato: proinde magna cautela eſt adhibenda, ne refrigeratio ulla admittatur; hinc conſultius erit ægrotantibus patinas ſupponere, ne ſurgere cogantur, quoniam quælibet commotio corporis & concurſans refrigeratio malum auget: communia adſtringentia, ut terræ exoticæ, ſangvis draconis &c: non adeo tuti uſus ſunt, neque æque fructus acidi admodum proſunt, qui licet adſtringentem vim habeant, attamen fermentativis motibus concitandis ſatisfaciunt: magna etiam ratio habenda eſt concurſus febrilis, qui nullo modo perturbari, ſed potius per modeſtum uſum Nitri & Eſſentiarum alexipharmacarum bene tractari debet, quo diaphoretica excretio legitime ſuccedat.

§. IX. Quod ſpecifica attinet, quæ in Dyſenteriæ Cura vulgo allegantur, tunc illa nondum ſatis probata ſunt in experientia medica, licet illorum ferme innumera recenſeantur: vini potus, ſi febris abeſt non penitus eſt interdicendus, modo modeſtus ſit & ſi affectus quoad gravitatem ſuam quantiſper remittit, tunc remedia ſtomachica adhibere & continuare licet, quo ſucceſſive neceſſarium robur concilietur: ſi in hoc affectu vomitus urget, tunc ab adſtringentibus abſtinendum eſt, ubi potius Chaccarillæ Cortex laudabilem ſuam utilitatem exhibebit: in Alba Dyſenteria clyſteres lenientes additis herbis Scordii, Abſynthii, radice Gentianæ rubræ, Corticibus aurantiorum, Terebinthina, Vitello ovi, oleo ovorum, tantillo Myrrhæ conveniunt, quæ exulcerata craſſa inteſtina abſtergunt, ſicut abſterſoriam ſuam utilitatem ſuperius commendatæ vel Pilulæ vel decoctiones exhibent: ſuperato hoc malo cibi parca quantitate aſſumendi ſunt, ne affectæ viæ ſimul & ſemel iterum obruantur; tanto magis cavendum eſt a cibis facile fermentantibus, quin potius eupepti & liquidiores

præ-

præferendi erunt: de reliquo aliæ circumſtantiæ, ad regimen & præſervationem hujus affectus ſpectantes, tam e præcedenti affectu conferendæ erunt, quam e præmisſis præſentis morbi explicationibus patent. Maxime circa præſervationem proſpiciendum eſt, quo ſaburra biliosa ex inteſtinis convenienter abſtergatur, neque qualiscunque fermentativa commotio in inteſtinis concitetur: omnes denique conatus practici in Dyſenteriæ Therapia longe melius cedent, ſi cum modeſtia & continentia exercentur, ad minimum id obſervandum eſt, ne talis fluxus Dyſentericus repente & contumaciter ſupprimatur.

CAPUT XIII.

De

LIENTERIA.

§. I.

PRæternaturalibus Excretionibus annumeratur hæc inſolita alvi depoſitio, qua cibi inconcocti dejiciuntur, quo inſolito actu turbata œconomia corporis ſatis ſuperque demonſtratur, cui ataxiæ propterea obviam ire debet artifex, ne e minori majus oriatur malum, quemadmodum hunc affectum diutius durantem ſuſpecta quædam tabes conſequi ſolet: eo major vero circumſpectio habenda eſt, ne ſubjecta, hoc affectu correpta, quæ communiter ſenſibiliora ſunt, immodeſtius tractentur, aut violentæ quædam oppresſiones ſuſcipiantur, ſed quo potius huic anomaliæ cum moderamine neceſſario proſpiciatur,

§. II. Aſt quo cura melius & ſecurius ſuccedat, ante omnia in veriorem hujus affectus cauſam introſpicere convenit, quæ non in nuda atonia conſiſtit, ſed rectius concurſum auctæ & inordinatæ periſtalſeos involvit, qua præmature cibi e Ventriculo propelluntur; ubi iterum fruſtraneum erit ſpecificam aliquam cauſam morbificam accuſare, aut nimis acre fermentum, vel aliam, neſcias qualem, irritatam & genus nervoſum ſtimulantem materiam culpare, aut ad defectum liquoris gaſtrici confugere velle, cum potius ob prægreſſam frequentem ventriculi aggravationem & offenſionem ſub qualicunque alternante atonia & conjuncto interno tædio naturæ, de ciborum retentione & diſſolutione concepto, motus, cibos præmature expellentes, annotandi & tractandi ſunt.

§. III. Quo itaque præſentis affectus cura rite & feliciter ſuccedat, cavendum eſt 1) a craſſis & immoderatis evacuationibus, tam anotericis, quam catotericis: 2) a præmaturo uſu adſtringentium remediorum, tanto magis 3) a potentioribus adſtringentibus medicamentis: 4) a præmaturo & largo ſedativorum uſu: 5) a ſtomachicis acribus & concentratis: 6) ab incongruo, inopportuno & largo ſalium volatilium uſu: 7) a nimia ventriculi oneratione cum medicamentis diverſæ ſpeciei & diverſæ efficaciæ: 8) a qualicunque motuum inordinatorum alia exacerbatione & negligenti, aut turbulenta mitigatione, 9) ab ordinariarum evacuationum incurioſa promotione: 10) a negligentiori diætæ ordinatione & moderatione: 11) a copioſo ſalinorum remediorum uſu in ſubjectis tenellulis & ſenſibilibus: 12) a largo terreorum abſorbentium, præcipue uſtorum uſu, quæ primas regiones valde impaſtant.

§. IV. Specialis Cura Lienteriæ hisce indicationibus nititur 1) ut primæ regiones ab inhærentibus impuritatibus, ſi neceſſitas poſtulat, ſufficienter repurgentur: 2) ut incongrui motus corrigantur & mitigentur 3) ut continuans inſolita excretio alvina modeſte coerceatur: 4) ut partes affectæ roborentur & 5) ut congrua ratio Diætæ & Regiminis præſcribatur & hæc cura quoad ſpecialiſſimum remediorum uſum ita moderanda eſt, quo inſuper ætatis ratio habeatur, ne teneriori ætati incongrua medicamenta ordinentur.

§. V. Circa primæ indicationis adminiſtrationem proſpiciendum eſt, an patiens antehac diætæ impuræ, incongruæ & voraci addictus fuerit & an ex certis cauſis præſumi poſſint recrementa in primis regionibus hærentia, in quo caſu conveniunt abſtergentia & mitiora laxantia: in adultioribus proſunt ſalina deterſiva & amara, in junioribus conferunt abſorbentia, evacuante vero ſcopo conducunt pilulæ Stahlianæ, Becherianæ, correctæ aloëticæ, nec non rhabarbarina, mannata, tamarindinata, paſſulata, Maſſ. pil. de Succin. Crat. infuſa vinoſa rhabarbarina cum additamento ſpecierum reſolventium & roborantium: interdum rhabarb. toſtum proficit.

§. VI. Altera indicatio motuum irregularium concurrentium correctionem complectitur, quæ conſiſtit vel in temperatione vel ſedatione ſecura: pro priori ſcopo in junioribus abſorbentia teneriora ſive ſimplicia, ſive cum acetoſitate citri mixta, nec non corallia rubr. præparata, aut tantillum theriacæ ſimpl. cum aqua menthæ oblata, ut & cinnabaris, conveniunt, in adultioribus vero pulveres nitrati & cinnabarini, ut & cort. chaccarill. quadrant; huc ſpectat miſcela Eſſentiarum Gent. rurbr. pimp. alb. cort. aurant. milleſol. & chaccarill. non minus conferunt linimenta moderate roborantia, ex ol. chamom. aneth. laurin. menth. N. M. Caryoph. & tantillo caſtorii parata: proinde

inde Theriaca cum emplaſtro ſtomachali mixta, ventriculo applicata, convenit.

§. VII. Quodſi hæc præternaturalis excretio contumacius continuaverit, tunc ſecura & modeſta adſtrictoria cohibitio, præcipue in natu majoribus conceditur; quo pertinet Tinct. mart. tartariſ. Tinct. mart. c. Succ. pomor. Tinct. vitr. mart. Tinct. Corall. Eſſ. Biſtort. Millefol. cum Eſſ. pimp. alb. gentian. rubr. & chaccar. mixta: Croc. mart. antim. Stahlii, Antimon. martial. diaph. Ludovici, croc. mart. cacheƈt. In junioribus proficiunt corall. rubr. pp. C. C. uſt. N. M. qualia adſtringentia vero cum temperantibus & roborantibus conjungenda ſunt, ſervata illa cautela, ne alvus ſimul & ſemel obſtruatur.

§. VIII. Non parum etiam in cura Lienteriæ conducunt roborantia, quæ cum prædictarum indicationum inſtrumentis & medicamentis ſucceſſive conjungenda ſunt: in adultioribus proſunt vinoſa, aromatica, amara, rad. ari. zedoar. gent. rub. galang. pimp. alb. Cort. Citr. aurant. in variis formulis; quo vulgo pulverem ſtomachicum Birckmanni referunt; ſatisfaciunt etiam ſemina noſtratia carminativa, quæ ultima in infantibus etiam conducunt, quibus præterea N. M. cinnam. in pulvere confert; aut tragea e temperatis ſtomachicis ſpeciebus parata: externe conducunt linimenta, cataplaſmata, ſacculi, Emplaſtra ſtomachalia; cavendo, ne valde acres ſpecies ſeligantur.

§. IX. Quoad reliquum non parum curam Lienteriæ ſublevat abſtinentia a cibis; ſucceſſive vero concedantur alimenta liquidiora & molliora, modeſte aromatiſata, neque tamen largius ingerenda; proſunt juscula gallinacea aromatiſata, Krafft-Suppen, gelatinoſa, hordeacea, avenacea, pulpamenta mollia & lacticinia, juscula vinoſa, quin ipſe modicus vini boni potus: interna & externa refrigeratio nocet, modeſtus vero calor proficit: multus aut nimius motus ſub cura Lienteriæ non conducit: animus ab iracundis commotionibus præſervetur: potus nimis liquidus & refrigerans ſeponendus, interea tamen potus ſaturatior præferendus eſt, quemadmodum decocta & juscula gelatinoſa & hordeacea potus conſveti cereviſiarii defectum ſupplent.

CAPUT XIV.

DE

ICTERO.

§. I.

INtimiorum radicum morbus eſt Icterus, affectus ſatis notus, ſed ſatis etiam intricatus, qui utplurimum admodum contumax eſt, dum non modo principalis ſedes atque origo in nobiliori viſcere hæret, ſed & dum cauſa morbifica per univerſum corpus ſeſe diffundit, ut eapropter per totum corpus eadem profligari debeat & licet ſedes morbi deſtructa & enervata ſit, tamen proinde ſatis latus patet campus, in quo bilis effuſa & quaſi extravaſata reperitur, ut dehinc ſalutares effectus haud ita prompte ſuccedant, quoniam inquinatio talis per omnes interni & externi corporis partes ſeſe diffundit, quæ animadverſio tanto magis certum reddit artificem, quo præſentis morbi cura minime adeo expedite ſuccedat, quoniam primo remedia intimius ad fontem mali penetrare, deinde ſeſe in latius excurrentes ſcaturigines usque in peripheriam corporis extendere & operari debent.

§. II. Præſtat itaque ante omnia genuinam icteri cauſam indagare, quæ cum diverſa ſit, ita therapia bene erit diſcernenda; præprimis perpendere convenit, an infarctus hepatis, an vero immoderata illius conſtrictio, an ductus choledochi adſtrictio aut obſtructio in culpa ſit; ubi occaſio ſuppetit, ut medicus curam ſuam partim ad motuum vitia dirigat, partim ad humorum ſpiſſitudinem, partim denique ad hepatis & ductuum biliferorum permeabilitatem & reſerationem officium ſuum applicet: quid quod ſubinde diſcernendus eſt ſtatus Icteri, an videlicet diu duraverit & increbuerit, an a cauſa valida & pertinaci ortum traxerit, an aliorum viſcerum afflictiones, imprimis pathemata hypochondriaca & ſplenetica concurrant, an bilis in reliqua maſſa humorum jam corrumpere inchoet, aliaque cacochymia concurſet, ut periculoſus ille niger icterus ortus fuerit, an modo affectus tabidus, atrophicus & hecticus concurſet & quæ aliæ ſonticæ adhuc circumſtantiæ ſeſe produnt.

§. III. Præterea inquirere convenit, an hic affectus ex alio prægreſſo morbo & irregulari ejusdem medicatione ortum traxerit, videlicet e prægreſſa febre intermittente, e paſſione hypochondriaca, ex Hæmorrhoidibus & Hæmorrhagiis uterinis, e diarrhœa & dyſenteria ſuppresſis & per largum adſtringentium

gentium uſum tractatis; nec non an febris billoſa, gravis iracundia oppreſſa præceſſerit; Subinde etiam provide attendendus eſt concurſus Cacochymiæ & Plethoræ, ſub quo longe acerbiora pathemata ſeſe ictero aſſociant, ut eapropter artifex teneatur, quo ad hæc incommoda curam ſuam dirigat, ne totum malum firmiores radices ſumat; ubi præcipue notare decet, quomodo Plethoræ concurſus ad varias orgaſticas & febriles commotiones diſponat, aut diverſa irregularia molimina hæmorrhagica involvat.

§. IV. In Cura Icteri rationabiliter, ſecure & prudenter inſtruenda cavendum eſt 1) a communi vomitoriorum uſu: 2) a poſitive purgantibus: 3) a quibusvis aliis remediis primas regiones turbantibus: 4) a negligentiori æſtimatione & tractatione concurrentis ſtatus plethorici & 5) prægreſſorum affectuum, ſiniſtre curatorum: 6) a regiminibus & medicaminibus impetuoſis diaphoreticis atque connexis ſudationibus diffuſis: 7) a medicamentis quibusvis ſangvinem valde commoventibus: 8) a negligentiori promotione alvinæ excretionis: 9) a vulgatis & concentratis aperientibus & reſolventibus: 10) a communi martialium remediorum uſu: 11) a qualibuscunque aliis adſtringentibus: 12) ab interno & externo ſulphuris uſu: 13) a curatorio volatilium remediorum uſu: 14) a nimia abſorbentium remediorum ingeſtione: 15) ab inſufficienti interna corporis humectatione: 16) a vulgari opiatorum ordinatione: 17) ab antiſcorbuticorum remediorum abuſu: 18) a refrigerantibus communibus: 19) a nuda ſangvinis edulcoratione & correctione: 20) ab incraſſantibus remediis: 21) a medicamentorum valde ſiccis & ſpisſis formulis: 22) a confuſo ſpecificorum uſu: 23) a præmatura coſmeticorum oblatione: 24) a vulgari ſympatheticorum ordinatione: 25) a perverſo & nimio Acidularum & Thermarum uſu.

§. V. Specialis cura ſequentibus appropriatis indicationibus practicis adminiſtratur: 1) ut ſedes mali reſeretur & qualiſcunque occluſio in hepate & ductibus biliferis reſolvatur: 2) ut ordinariæ viæ, in quas bilis transferri ſolet abſtergantur & evacuentur: 3) ut maſſa ſangvinea a bilioſa inquinatione liberetur & repurgetur: 4) ut incongrui motus dextre & congrue mitigentur: 5) ut ſpecifica in juſto ordine & congruo tempore admittantur: 6) ut partes debite iterum roborentur: 7) ut principaliora ſymptomata mitigentur & 8) ut conveniens diæta atque regimen præſcribatur.

§. VI. Ad partium affectarum apertionem, abſterſionem & reſerationem varia conveniunt & quidem ſalia digeſtiva cum ſufficienti vehiculo aſſumenda, ſalia ſolubiliora ut tartariſata, ſalia fontium medicorum, ſal Egranum & anglicanum, nec non ſalia ſic dicta vegetabilia: deinde conducunt alia reſolventia in decoctorum & infuſorum formula uſurpanda: quo ſpectant radi-

ces ari, helenii, apii, cichor. taraxac. gentian. rubr. & alb. vincetox. pimp. alb. aſparag. ariſtoloch. rotund. lapat. acut. cyper. rot. coſt. dulc. Herb. abſinth. fumar. cochlear. cent. min. c. b. abrot. capill. ven. cuſcut. beccabung. naſturt. hepat. nobil. marrub. alb. ſcolopendr. fœnic. & ſimiles ſpecies: commode etiam infuſis & decoctis ſalia deterſiva miſceri poſſunt: proſunt etiam adminicula e prunis, paſſulis & pomis parata diætetica: nec non diluentia juscula liquida gelatinoſa, decoct. hord. aven. cichor. C. C. cum paſſul. & citr. juſcula gallinacea, decoctum herbæ thee, veronic. fœnic. ſcord. nec non interdum interponenda eſt Tinctura Tartari, Liquor. terr. foliat. tart. cum Tinctur. antim. tartariſ. hisce annumero gummata ammoniac. ſagap. galban. myrrh. therebinth. ſub quorum ſingulorum remediorum uſu providendum eſt, ne febrilis motus excitetur, aut ſi præſens eſt, exacerbetur: ne etiam urgens quædam & diverſis imminutionibus adſveta plethora præſentem affectum contumaciorem reddat, aut reſerationem hepatis impediat, convenit opportuna V. Sio. modo antea primæ regiones ab inhærentibus impuritatibus repurgatæ ſint.

§. VII. Deinde convenit ſuccesſive motum bilis ad inteſtina invitare & ſimul primas vias repurgare, repetitis modeſtis laxationibus & alvi abſterſionibus, quo nomine proficiunt tartariſata, magneſia alba, rhabarbarina, ſennata, polypodiata, paſſulata, mannata; pillulæ Stahlianæ, Becherianæ, extr. panchym. Crollii, paſſulæ laxativæ, infuſum rhabarbari paſſulatum; & talia remedia vel cum prædictis reſolventibus miſcenda, vel iisdem ſubordinada ſunt; ſervata tantum illa cautela, ne nimis copioſe, neve nimis immodice alvus ad excretionem urgeatur: præterea etiam a copioſo uſu abſorbentium abſtinendum eſt, quæ in hoc caſu liberalius ingeſta vim habent exſiccandi & impaſtandi alvum: interea abſorbentia cum acidis ſaturata & cum ſalibus deterſivis mixta modica quantitate interpoſita, bilis ulteriorem abſterſionem adjuvant.

§. VIII. Dum vero per hactenus commendata remedia radix mali ad ulteriorem extractionem præparatur, convenit etiam ſangvinem ab inhærente bilioſa colluvie repurgare, id contingit, dum partim ſuccesſive bilis ordinaria ſe- & excretio invitatur & adjuvatur, partim ubi modeſta diaphoreſis provocatur & repetita vice continuatur: minime tamen convenit hunc ſcopum cum acribus diaphoreticis proſequi; unde præſtat interdum pulvillum ex oc. cancr. citratis, arcan. duplic. antimon. diaph. & nitr. paratum exhibere: pro eodem ſcopo convenit decoctum ex Scorzoner. Cichor. C. C. hord. ſcord. veronic. Citr. & Cinnam. paratum, ut & Eſſentia pimp. alb. vincetox. & gentian. rubr. parca, ſed repetita quantitate exhibenda: cum hiſce remediis conjungendum eſt

modeſte

modeſte calidum regimen; frigus vero excludatur: proſunt etiam moderatæ frictiones: alii vicisſim fortiores impulſus, necnon balnea æſtuoſa nocent.

§. IX. Sed habenda etiam erit ratio concurrentium incongruorum motuum, quales ſunt vel orgaſtici febriles, vel ſpaſtici; pro utrisque emendandis conducunt abſorbentia cum ſucc. citr. attenuata & imprægnata, magiſterium coralliorum, nitrum depuratum, decocta gelatinoſa e C. C. Cichor. hord. paſſulis & Citr. parata: pro eodem fine conveniunt alia lenientia, juſcula cum ovis mixta, ova ſorbilia, nec non mixtura ſimplex: porro proſunt Iulapia paranda e Decoct. C. C. Cichor. Scorz. aquis diapnoicis imprimis ſcordii, ſcabioſ. fl. ſambuc. ſyr. roſar. ſolut. papav. rhæad. communia vicisſim refrigerantia, & inter illa ſemina illa vulgata refrigerantia in hoc ſtatu nullius efficaciæ ſunt.

§. X. Quod ſpecifica attinet, quæ in Ictero commendantur, tunc illorum tantum aliquot ſpecies recenſere placet: inter illa Crocus vulgo laudatur, qui vero non niſi parca quantitate adhiberi debet, neque ſtatim in initio curæ, neque ſub alvi occluſione & magna ſegnitie neque ſub concurſu febrilium commotionum admitti debet, alias decoctis modice conjunctus proficit: deinde radix chelidonii Maj. ad eundem affectum laudatur, quæ vero tunc concedenda eſt, quando aliqualis præparatio ad proximam curam & primarum viarum repurgatio præmiſſa eſt: optime tunc conducit in ſubſtantia, licet alibi etiam infuſis vinoſis ſocietur; allegatur etiam radix Curcumæ, quæ vero non niſi ad icterum inveteratum proficit, quod etiam valet de ſapone veneto: G. Guttæ in hoc affectu potius omitti debet: cura per ſtercora in hoc affectu ſpecifica, ſordida & inutilis eſt; calculus e ciſtide bovis vel hominis in infuſo adhibitus perinde parum juvat; multa alia ſordida remedia ut ingeſtio pediculorum, nec non ſympathetica cum urina ictericorum inſtituta, neque certa & probata, neque ſecura eſt.

§. XI. Quando ſingulæ hæ indicationes ſufficienter & convenienter adminiſtratæ fuere, tunc partium neceſſaria roboratio eſt procuranda: cui ſcopo ſatisfaciunt tonica, velut Tinct. mart. tartar Tinct. vitr. mart. Tinct. mart. c. ſucc. pom. Croc. mart. antim. croc. mart. cachect. Quercet. antim. diaph. mart. Ludov. quales croci martiales miſceri poſſunt cum oc. cancr. citr. corall. rub. ppt. & nitro depurato: huc ſpectat tartarus vitriolat. martialis, ut & Mixtura e Tinct: antim. tartariſ. & Spir. C. C. hiſce annumeranda ſunt vina medicata e reſolventibus & roborantibus ſpeciebus parata, addito rhabarbaro; non minus proſunt remedia amara & Eſſentiæ temperatæ carminativæ, ut & Eſſ. millefol. gentian. rubr. & ſpir. Sal. ammon. denique etiam diætetica conveniunt,

juſcula vinoſa, gelatinoſa, alimenta ſufficienter aromatiſata, vinum bonum & balneorum nervinorum modeſtus uſus.

§. XII. In Ictero Nigro eadem cura adhibenda eſt, ubi abſorbentia cum acidis ſaturata ut & balſamica, ut Eſſent. ſcord. fumar. myrrh. ſuccin. pimp. alb. gentian. rubr. ariſtoloch. rotund. nec non mixtura e Tinct. antim. tartar. Eſſ. ſuccin. myrrh. porro decocta e Scorzon. C. C. paſſulis, ſcord. citr. fœnic. parata, cum interpoſitis analepticis conferunt; interponantur laxantia correcta & temperata aloëtica, helleborina, polypodiata; interdum ordinentur vina medicata ex abſtergentibus, reſolventibus, roborantibus amaris, laxantibus ſennatis & polypodiatis parata: cavendo, ne vires nimium concitentur, neve langventibus jam viribus alvum moventia frequenter, aut promiſcue ordinentur.

§. XIII. Habenda etiam erit ratio ſymptomatum principaliorum, quæ Icterum comitari ſolent; quando orgaſtica & febrilis commotio facile & frequenter affligit, conferunt remedia abſorbentia cum acidis imprægnata, remedia nitrata, corallia rubr. ppt. decocta gelatinoſa & mucilaginoſa, modicus uſus acidulatorum: ſeponantur acriora alexipharmaca, præferantur vero diaphoretica fixa, interdum offerenda: in nimia alvi obſtructione, inteſtinorum torſione & hypochondriorum inflatione conferunt clyſteres lenientes, roborantes & modeſte ſtimulantes: nimiæ cardialgiæ ſubveniunt alvi moderatæ apertiones, pulveres nitrati & remisſius ſedativi, ut & lenientia interna remedia, ſubjunctis temperatis carminativis: ad nimiam laſſitudinem & torporem, præter totam reliquam curam repetita & modeſta commotio corporis convenit; ad nimium pruritum ſuperficiei corporis modeſta frictio & temperatus ac opportunus balnei uſus convenit.

§. XIV. Ultimum in præſenti tractatione reſtat, nimirum ordinatio diætæ & regiminis convenientis: diæta ictericorum ſit moderata, parca, mollis, liquida, non frigida, aut valde ſicca & ſpiſſa: conferunt gelatinoſa, mucilaginoſa, juſcula gallinacea, ova ſorbilia, pruna, poma & pyra dulcia cocta, paſſulæ maj. & min. porro conveniunt ſub diæta petroſelinum, cichorium, rapæ coctæ, zingib. ſynap. naſturtium & modicus uſus aromaticorum eſculentorum: potus concedatur ſufficiens, quo decocta uſitata domeſtica, imprimis herbæ thee refero: quoad regimen & internum & externum frigus evitetur, præferatur vero temperatum calidum regimen; motus, quantum ratio affectus præſentis permittit, conſtanter & ſufficienter continuetur; alvus in conſtanti apertura conſervetur; animus a patheticis commotionibus ſit vacuus, nonnunquam modeſtus balneorum uſus confert: acidulæ magis proſunt, quam thermæ.

CAPUT

CAPUT XV.

DE

VERMIBUS.

§. I.

VErmium præſentia in corpore vivo multiplicibus ſonticis afflictionibus anſam præbet, ut propterea peculiari cura, ſollicitudine, promptitudine & dexteritate medicus inſtructus eſſe debeat, quo hominem a tali calamitate liberet: aſt quamvis in variis corporis regionibus & locis vermes reperti fuerint, tamen hoc loco non in genere de vermibus ago, ſed tantum de vermibus in ventriculo & inteſtinis hærentibus: hæc animalia duplici modo damnum quoddam inferunt, primo quando utilem & neceſſarium chylum auferunt & abſorbent, ut propterea homo neceſſario nutrimento careat, deinde quando ventriculum & inteſtina frequenter mordent, arrodunt, ſtimulant & offendunt, unde variis moleſtis & dolorificis ſenſationibus anſam præbent, præterea que ad graves motuum anomalias & ſpaſmodicas commotiones ſupervenientes contribuunt, cum quibus afflictionibus proinde variæ aliæ œconomiam corporis concernentes calamitates conjunctæ ſunt.

§. II. Ob id facile judicare licet, quod vermes ad corpus vivum minime ſpectent, ſed vel excrementitiis corporis ſubſtantiis accidant, vel corruptioni corporis modo proxime imminenti, modo factæ ſuperveniant, eoq; ipſo ad integritatem corporis animalis non pertineant: quare directum & adæquatum illud eſt auxilium, quo tales moleſti vermes proxime a corpore removeantur & reliquæ functiones vitales, animales & naturales in ordinem juſtum convertantur; tanto major vero circumſpectio in hoc caſu adhibenda eſt, ne talia adminicula in uſum trahantur, quæ corpus jam afflictum eo magis ægre afficiunt, moleſte ſtimulant & commotiones ſemel exacerbatas magis irritant atque augent, qui communis mos agyrtarum vermes profligantium maximopere reprehendendus eſt, quoniam ſenſibilioribus ſubjectis atque ætatibus gravia damna incutiunt: unde potius lenior methodus præferri meretur, ni ipſa ſubjecta robuſtiora, duriora & inſenſibiliora fuerint.

§. III. In cura vermium rite adminiſtranda ſingulari ſtudio cavendum eſt 1) ab emeticorum vulgari uſu: 2) a purgantibus valde ſtimulantibus: 3) a remediis valde acribus & vellicantibus: 4) ab exceſſivo mercurialium uſu: 5) a

mercurialibus corroſivis: 6) a liberali ſalium volatilium ordinatione: 7) a remediis copioſis ſalinis in ſubjectis tenerioribus & ſenſibilioribus: 8) ab aloëticorum minus correctorum oblatione & reliquorum copioſa ingeſtione: 9) a myrrhatorum largo uſu: 10) a vulgari opiatorum ordinatione: 11) ab externis valde ſtimulantibus & alvum fortius moventibus: 12) a medicamentis dulcibus, aut dulcedinem multam præ ſe ferentibus, ut ſyrupis, electuariis, rotulis, morſulis admodum dulcibus & ſimilibus.

§. IV. Quanquam in Therapia mea de fuga vermium & remediis ad fugandos vermes neceſſariis actum ſit, hoc tamen loco brevibus idem negotium delibare lubet; duo vero officia in cura vermium obſervanda & adminiſtranda ſunt, 1) ut vermes enecentur, adeoque ad futuram illorum promptiorem evacuationem præparatio inſtituatur: 2) ut ipſa vermium expulſio ſuſcipiatur: quoniam vero occaſio vermium non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſive contingit, hinc & evacuatio & enecatio illorum alternatim inſtitui, imo quandoque conjunctim adminiſtrari poteſt, ſervata tantum illa cautela, quo uterque tam enecationis, quam evacuationis actus cum neceſſario moderamine perficiatur.

§. V. Vermes diverſa enecant ſubjecta, maxime quidem omnia amara, unde ipſa bilis ad inteſtina affluens vermibus vexas inducit; ſicut illis horis, quibus bilis in inteſtina transfluit, verminoſi homines afflictiones ſuas majores patiuntur; eapropter etiam externus bilis uſus vermes exturbat; neque æque vermes tunc chylum auferunt, quamdiu adhuc in paſta ciborum hæret, ſed quando jam quantisper a reliqua maſſa ſeceſſit & in villoſo-glanduloſam tunicam inteſtinorum tranſiit: tanto magis interficiunt vermes amara acria, ut angelica, ariſtoloch. gentian. galanga. zedoar. antiſcorbutica, allium, cepæ, porrum, herbæ abſinth. Cent. min. card. ben. cochl. fumar. tanacet. ſcordii &c: inter alia vermes efficacius enecantia proſtant, myrrh. aloes, ſem. Cinæ ſive ſantonici & Mercurius ſive dulcis, ſive in ſubſtantia cum cereviſia dilutiori coctus: quibus muſcum corallinum accenſeo.

§. VI. Ne vero interemti vermes in corpore remaneant, putreſcant & variis aliis incommodis anſam præbeant, hinc ſubjungenda & ſub diverſis circumſtantiis conjungenda ſunt remedia vermes evacuantia: interim quidem ſatis ſæpe evenit, ut natura ſua ſponte enecatos tales vermes ejiciat: aliquando aliquali ſtimulo opus eſt: & ita omnia purgantia vermes exturbant, e quibus mitiora ſunt rhabarbarina & aloetica correcta: potentiora robuſtis ſubjectis & ætatibus aſſervanda ſunt: ubique tamen, quantum circumſtantiæ permittunt, acria & reſinoſa evacuantia fugienda ſunt: multo præterea cum emolumento ejusmodi evacuantibus admiſcetur mercurius dulcis; quando vermes in ventriculo

triculo deliteſcunt, conferunt ſpecies diaturbith cum rhabarbaro; non minus ad exturbandos vermes in adultioribus conveniunt acidulæ, ſal anglicanum, ſalia tartariſata; C. C. ſive uſtum ſive philoſophice præparatum promisſionibus ſuis non ſatisfacit: de reliquo fugienda ſunt dulcia, lacticinia, gelatinoſa, pultacea: rectius ſub diæta in aptis ſubjectis ſynapi, zingib. cepæ, allium, rhaphanus, piper & ſimilia acria & ſalina conveniunt.

SECTIO VIII.
DE
AFFECTIBUS SEROSIS.
CAPUT I.
DE
CACHEXIA.

§. I.

SEries tractationis Pathologicæ ducit me nunc ad Affectuum Seroſorum conſiderationem & explicationem Practicam; inter hos primarium locum ſibi vindicat Cachexia, quæ non modo ſimplicisſimam intemperiem ſeroſam complectitur, ſed quæ ſatis ſæpe aliorum ſeroſorum morborum mater & nutrix eſſe obſervatur, quæ ſubinde eo majori attentione digna eſt, quo magis eadem & interni & externi corporis & fluidarum & ſolidarum partium, imo proinde nobilium organorum offenſionem & depravationem involvit, ut eapropter hujus morbi fundamentum & intimius & diffuſius exiſtat; quare etiam vix quisquam ſpem ſibi facere poteſt, quaſi tam cito hic affectus percurari queat, quin rectius quilibet prudens artifex ſciat, quod partim audacter & præcipitanter tractata talis cachexia citius in alios graviores morbos degeneret, partim ob intimiores ſuas radices patientem & conſtantem curam poſtulet, partim perfectam curam penitus reſpuat, ni primæ & genuinæ illius cauſæ ſimul obſerventur.

§. II. Fruſtraneus artificis niſus & auſus eſt, ſi hujus affectus verum & ſolidum fundamentum in nuda cacochymia inquirat, quoniam hæc ipſa alibi fontem & fomitem ſuum capeſſit, quare ſamoſæ & nudæ illæ humorum

alte-

alterationes vix e fundamento hunc morbum curant; etenim utplurimum antecedit vitium internarum partium & ſequitur vitium humorum & denique reliqui externi corporis: interea in illud damnum atque offendiculum totum hoc malum concentratur, quod ſerum ſalino-ſulphureum inſufficienter ab humoribus ſeparetur, hinc proximiori nexu lympham laudabilem tam quoad craſin, quam quoad conſiſtentiam depravet; quæ labes ulterius in partes reliquas externas corporis propagatur: quare facile inclareſcit, quid referat, quo hoc ſerum ſufficienter iterum abſtergatur & excernatur: ad hunc actum non omnia remedia, ſangvinis repurgationi dicata, conveniunt; ſed talia quæ proximiorem poteſtatem in hanc ſeroſam impuritatem habent: neque quidem tunc hoc negotium tam facile votis reſpondebit, ni ſimul illæ cauſæ removeantur, quæ hanc ſeroſam inquinationem augere & confirmare ſolent.

§. III. Inter illas cauſas originales antecedentes & remotiores maximi momenti eſt anomalia, quæ circa plethoræ tractationem occurrit, ſive fuerint perverſæ & perturbatæ commotiones eluctatoriæ, ſive fuerint quidam errores, qui circa Hæmorrhagias obtigerunt, quo vel excesſivi, vel defectivi, vel inordinati Hæmorrhagiarum ſalutarium ſucceſſus, vel actuales ſuppresſiones pertinent: & ex hac cauſa longe frequentius Cachexia, quam ex ulla alia ortum trahere deprehenditur: propterea aliæ conſideratu dignæ cauſæ nullo modo negligi debent, inter quas illas etiam annotare & commendare hoc ordine lubet, quando aliæ ſive ordinariæ, ſive extraordinariæ evacuationes ſalutares, præcipue ſeroſæ, turbantur, quando per incongruum uſum adſtringentium organa colatoria occluſa fuere & quando ulterior inquinatio ſangvini inducitur, aut partes ſecretoriæ ex alia quacunque cauſa in officio ſuo impediuntur, ad quos fontes cauſarum plurimæ reliquæ cauſæ commode duci poſſunt: neque etiam alios prægreſſos morbos cum ſuis medicationibus, præcipue vero febres in indagatione cauſarum medicus oblivioni tradere, ſed potius attente obſervare debet, ne in reliqua Therapia contra illarum indolem ludicre impingat.

§. IV. Quo magis ardua eſt Cachexiæ Cura, eo major circumſpectio & dexteritas adhibenda eſt, eapropter cavere convenit 1) a vulgari emeticorum & catharcticorum uſu: 2) a negligentiori obſervatione, conciliatione & tractatione ſtatus Plethorici & negotii Hæmorrhagici: 3) ab incurioſa promotione, aut audaci confuſione & perturbatione ordinariarum evacuationum: 4) a nudo & nimis copioſo alterantium uſu: 5) ab indiſcreto uſu remediorum valde calefacientium, concentratorum, oleoſorum, acrium & ſpirituoſorum: 6) a Salium volatilium uſu curatorio: 7) a copioſo terreorum aut aliorum incraſſantium uſu: 8) ab acidorum ordinatione: 9) ab omnibus adſtrin-

ſtringentibus: 10) a martialium ſic dictorum aperitivorum vulgato uſu: 11) ab interno & externo refrigerantium uſu: 12) a ſulphuris promiſcuo aut largo uſu: 13) a copioſo aut communi lignoſorum, antivenereorum, exoticorum, balſamicorum uſu, quæ vero prudenter adhibita non nocent: 14) ab acidularum & thermarum uſu, quando malum nunc inveteratum eſt: 15) a præmaturo aut frequenti balneorum domeſticorum uſu: 16) ab externo camphoratorum uſu: 17) ab opiatorum remediorum oblatione: 18) tanto magis nocent inſeſſus & pediluvia adſtringentia, ſulphurata, aluminoſa; 19) ab internis mercurialibus, minus rite præparatis & adhuc corroſivis: 20) a poſitivis & fortiter diureticis: 21) a præmaturo evacuantium uſu, antequam ſufficienter reſolventia oblata fuere: 22) a nimis confuſa remediorum, ſibi invicem contrariantium, oblatione.

§. V. Nunc ad ſpecialem & poſitivam Cachexiæ curam progredior, in qua ſequentes indicationes practicæ obſervandæ ſunt: 1) ut maſſa humorum a cohærente ſuperfluo ſero abſtergatur & repurgetur, quo conveniens illorum craſis atque conſiſtentia reſtituatur: 2) ut ſeparata impuritas & colluvies ſeroſa ſucceſſive evacuetur & removeatur: 3) ut affectæ partes novo robore inſtruantur & ad futuras ordinarias functiones præſtandas cum ſufficienti tono afficiantur: 4) ut principaliores evacuationes, e quarum turbis talis affectus ortum traxit, revocentur aut compenſentur: 5) ut potiora maximeque urgentia ſymptomata congruo tempore mitigentur; 6) ut conveniens regimen atque diæta ordinetur.

§. VI. Primum itaque eſt, ut ſerum copioſum maſſæ ſangvineæ, præcipue vero Lymphæ, intimius innexum, debite abſtergatur & reſolvatur; hoc nomine varia efficacia remedia conducunt, quæ pro diverſitate temperamentorum diſcernenda ſunt, ita ut minus ſenſibilibus atque torpidis ſubjectis efficaciora medicamenta conducant: proſunt itaque partim Salina incidentia & digeſtiva, præcipue ſolubiliora, ut & Tartariſata diverſæ appellationis, quo adhuc pertinent Salia ſic dicta vegetabilia & abſorbentia, cum acido imprægnata; hisce annumero Tincturas tartariſatas; partim etiam conferunt alia reſolventia, ut rad. angel. ariſtoloch. ari, helen. imperat. carlin. caryoph. pimp. alb. vincetox. ſquill. gentian. rubr. & alb. galang. Zedoar. Zingib. Cichor. Taraxac. Apii, Bardan. Petaſit. Coſt. dulc. cyper. rot. armorac. Hb. abſinth. fumar. card. b. cochlear. cent. min. abrot. capill. ven. cuscut. marrub. alb. naſturt. beccabung. trifol. fibr. accedunt aromata, ſemina noſtratia ſemi aromatica, Synap. Piper. cort. Winteran. accedit modica commixtio rad. chin. Saſſapar. Lign. Saſſafr. porro conferunt G. ammon. galban. Bdell. Sagapen. Junip. Myrrh. Therebinth. qualia remedia in variis formulis præſcribi poſſunt;

maxime quidem tales ſormulæ conducunt, quæ citius primas vias perluunt & in maſſam humorum perveniunt; cavendum tamen eſt, ne talia remedia exhibeantur, quæ nimis vehementer operantur: proinde etiam præſtat ſufficienter humores diluere cum liquidis non refrigerantibus neque nimis ſaturatis.

§. VII. Deinde in hoc affectu apta Evacuantia conducunt, ſervata illa methodo, quo alterantia & evacuantia ſibi invicem rite ſubordinentur & congruo etiam tempore conjungantur: & in hacCachexia imprimis conferunt infuſa vinoſa laxantia cum epicraſi efficacia: præcipue conveniunt ad alvum aperiendam Senna, Agaricus, Scammonium correctum, extr. panchym. Croll. (cum extractis amaris cochlear. fumar. abſinth. cent. min. marrub. alb. gent. rubr.) ut & G. ammoniac. galb. myrrh. thereb. mixt. pill. de agaric. de ammoniac. Mercur. dulc: ad diureſin invitandam conferunt nitroſa & prædicta Salia deterſiva, nec non Tinct. antim. tartaris. cum ſpir. ſal. ammon. aniſato aut ſuccinato mixta, ut & temperatiora ſalia diuretica, proinde etiam Eſſ. vincetox. denique etiam diaphoreſis modeſte invitanda eſt, per uſum Eſſentiarum angelic. ari, helen. carlin. imperat. caryophyll. ariſtoloch. rot. pim. alb. vincetox. &c. nec non per balnea vaporoſa nervina temperata, ex flor. Samb. roriſmar. roſar. lavend. calendul. ſtœchad. arab. ſchœnanth. chamom. utriusque &c. paranda: ſicut pro eodem ſcopo diaphoretico in hoc caſu convenit mixtura e Tinct. antim. acri & ſpir. C C.

§. VIII. Quando præcedentes indicationes aliquandiu continuatæ & morbidæ Cachecticæ afflictiones quoad principaliorem partem emendatæ fuerunt, tunc roboratio partium per ſic dicta tonica ſuſcipienda & cum aliquo moderamine continuanda eſt: huc pertinent ſelecta martialia, ut tinct. mart. tartariſ. croc. mart. antim. Stahl. antim. diaph. mart. Ludov. Croc. Mart. Cachect. Zwelf. Tartarus Vitriol mart. Limat. mart. cum Terra fol. tart. aut tart. tartaris. Tinct. mart. c. ſucc. pom. ſed conſtant etiam mitiora roborantia, quæ ſub tota reliqua cura aliis remediis tam præparantibus, quam evacuantibus commiſceri poſſunt, ut ſunt radices ari, Zedoar. Zing. (quæ etiam efficaciter præparant) galang. gentian. rubr. Coſt. dulc. Cyp. rot. aromata, Cort. Citr. aurant. Winteran. & ſimiles plures ſpecies: conducunt inſuper poſt præmiſſum præparantium & evacuantium uſum, Spiritus volatiles & Mixtura conſueta roborans.

§. IX. Præterea etiam artifex ſedulo attendere & opportuno tempore allaborare debet, quo prægreſſæ, ſed amiſſæ reliquæ evacuationes, quantum fieri poteſt, in ordinem revocentur, præcipue obſervare convenit, an hæmorrhoidales fluxus vel apparatus præceſſerint: in quo ſtatu præſervatoria eva-

cua-

cuatio ſangvinis per V. Snem & hirudinum applicationem, nec non remedia ſelecta & temperata ad hæmorrhoidalem fluxum revocandum conducunt: quo imprimis ſpectant vina medicata, nec non vina ſpirituoſa exotica: proinde etiam Menſium ratio habenda eſt, quo illorum anomaliæ corrigantur: ſudores extraordinarii ſuppreſſi etiam in ordinem & ſucceſſum priſtinum duci debent, quo balnea ſicca & vaporoſa conferunt: quando Cachexia e prægreſſa febre perturbata ortum traxit præcipue ex intermittente, tunc proſunt pilulæ Stahlianæ aut genuinæ Becherianæ, nec non Eſſentiæ alexipharmacæ, cum ſubjuncto temperato regimine diaphoretico; ſi præceſſit retropulſio Scabiei aut ulcerum, tunc proficiunt Laxationes moderatæ, abſorbentia cum antim. diaph. aut cum flor. ſulph. mixta, vel Eſſentiæ Pimp. alb. Fumar. Valerian. Succin. Myrrh.

§. X. Symptomata potiora quod attinet, quæ hunc affectum comitari ſolent, illorum brevem mentionem injicere placet: quando urinæ imminutio concurrit, tunc prædictis præparantibus remediis talia conjungenda aut opportuno tempore etiam interponenda ſunt, quæ vias urinarias propius afficiunt, ut petroſelinum, raphanus, armoracia, Tinctura antim. tart. Salia volatilia & modicus uſus ſalis imperatoriæ: ad appetitus dejectionem conveniunt ante dicta reſolventia & ſimul moderate roborantia, quibus prædicta tonica remedia ſubordinari poſſunt, modo id non nimis præmature fiat: ad tumores oedematoſos concurrentes conducunt ſacculi & cataplaſmata vinoſa ex remediis diſcutientibus & nervinis paranda: quo etiam modeſtus uſus ſuffimigiorum ſpectat: camphorata vero emplaſtra & debilia humectantia evitentur: eo etiam proficit vapor e decocto ſulphuris cum C. V. parato & cum ſale ammoniaco mixto: neque inutile eſt decoctum tabaci extrinſecus applicandum: ad anxietates præcordiales conferunt apertiones alvinæ & flatuum concurrentium eductiones, nec non pulveres nitrati, cortex chaccarillæ & abſtinentia a nimia commotione corporis.

§. XI. Regimen & diætam quod attinet, quæ in hoc affectu conveniunt, tunc ante omnia evacuationes ordinariæ in juſto ſucceſſu conſerventur; deinde aer præferatur magis modeſte calidus, aut temperatus, quam frigidus & humidus: cibus ſit evpeptus, purus, tenuis & aromatiſatus: nocent enim omnia alimenta craſſa, valde ſalina, condenſata, acida, fermenteſcentia, leguminoſa nec non potulenta fœculenta: conducit vinum generoſum, vinum enulatum & cereviſia mediocriter ſaturata & non nimis debilis, quales potus valde aquoſi ad flatus generandos & turbas primis viis inferendas admodum quadrant: ſub diæta uſus Zingiberis, Piperis, Synap. allii, ceparum, raphani, naſturtii, armoraciæ, petroſelini convenit: interdum ad adjuvandam conco-

ctionem ſpiritus ardentis aromatiſati modicus uſus conducit, quamvis non nimis frequenter ejusmodi ſpiritus exhiberi debeat, ita etiam cereviſia enulata proficit: motus corporis ſit ſufficiens, ab exceſſu tamen liber: nimia deſidia, æque ac nimis ſomnus nocet: animus ſit tranquillus & a curis vacuus: quando vero præcedentes indicationes ſufficienter adminiſtratæ fuerunt, tunc etiam externus thermarum uſus admitti poteſt: & ſicut ſingula hæc conſilia præſervatoriis etiam uſibus ſatisfaciunt, ita pro ſimili ſcopo infuſa vinoſa evacuantia per epicraſin efficacia conferunt: in fœminis ſedulo ratio habeatur purgationum uterinarum, in viris hæmorrhoidale negotium bene attendatur & dirigatur: & ſi ſingula hæc conſilia & auxilia tempeſtive, conſtanter & methodice adhibentur, tunc præſentis hujus & alias ardui affectus cura deo benedicente eo facilius ſperari poteſt.

Conf. Stahlii Diſp. de Cachexia.

CAPUT II.

DE

HYDROPE ASCITE.

§. I.

AB affectu paulo magis curabili, nunc ad morbum ſeroſum incurabilem progredior, qui in completo & genuino tanto magis confirmato ſuo ſtatu abſolutam & perfectam percurationem omnino reſpuit; eapropter vero artifex cum hoc morbo afflictos non penitus deſerere, ſed eo usque artem ſuam dirigere debet, quo citiorem lethalem eventum & periculoſum morbi progreſſum præoccupet, ut, licet radicem mali extirpare nequeat, tamen ſymptomata inde emergentia ita coerceat, ne indies valde increbeſcant, quemadmodum in artis poteſtate non exiſtit, quo intimiorem fontem opprimat, ad quem remedia vix penetrant, ſiquidem neque adeo facile in naturæ poteſtate eſt, quo illud intimius vitium emendet, ut propterea prudens medicus nullo modo ad hanc ſolidam & perfectam percurationem præceps ruat, neque adeo ludicre & inconſiderate illam promittat neque vulgatis hiſtoriolis, de totali veri hydropis cura teſtantibus & obgannientibus, tam facile fidem præbeat, neve denique ſtupendis illis adminiculis & arcanis tam præcipitanter confidat, ſed omnia prius bene exploret.

§. II.

§. II. Quamquam plurimæ illæ & adhuc aliæ cauſæ, quæ ad Cachexiam generandam faciunt, etiam ad Hydropem invitandum contribuunt, tamen eapropter minime certior acceſſus patet ad curandum completum Hydropem, licet cauſæ illius tanta cum certitudine atque evidentia conſtent; ſiquidem vel cauſæ antecedentes, remotæ & impulſivæ ita comparatæ ſunt, ut quamvis præſente Hydrope ſatis congrue tractatæ ſint, tamen parum ad totalem Hydropis curam conferant, vel cauſæ proximiores in tanta qualitate conſtitutæ ſunt, ut radicitus extirpari haud queant, licet interdum palliativa cura aliquam ſpeciem genuinæ & perfectæ curæ præ ſe ferat: aſt quamvis hæc notitia cauſarum, quotquot alias Hydropem provocare deprehenduntur, ad curandum hunc morbum non ſatisfaciant, tamen unice ad eundem præoccupandum exacte quadrant; inde etiam eſt, cur in illis locis Hydrops frequentius occurrat, ubi ſingulæ hæ cauſæ non ſatis agnitæ & perſpectæ ſunt: inde contingit, ut multi ſæpe in hunc offenſionis lapidem incidant; cum eximius ſane caſus conſcientiæ ſit, ne quisquam ullum hominem in tam dirum & incurabilem morbum conjiciat, id quod nil aliud, quam ſpecies homicidii medici eſt.

§. III. Inter alias ad Hydropem diſponentes cauſas præcipuæ dignitatis & ſingularis efficaciæ eſt partim diſcrepans anomalia in negotio hæmorrhagico occurſans, ſive illa conſiſtat in ſuppresſione ſalutarium Hæmorrhagiarum, præcipue vero Hæmorrhoidum, aut purgationum uterinarum, ſive in perturbatis motibus & apparatibus hæmorrhagicis, ſive in exceſſivo & per adſtringentia remedia cohibito, ſive per ſpontaneam conſtrictionem ſubito oppreſſo tali fluxu ſanguinis; partim incongrua & per adſtringentia medicamenta adminiſtrata medicatio febris, imprimis intermittentis, prægreſſæ: non parum etiam ſubinde in uſu practico proficit notitia, quo usque videlicet Hydrops hic increbuit & an interna partium glanduloſarum labes vel ſcirrhoſæ indurationis vel infarctus admodum aucta ſit, an vires valde imminutæ & depauperatæ ſint, an variæ vehementes evacuationes præceſſerint, an multæ perverſæ medicationes præmiſſæ fuerint: an ſubjecta ætate adultiora exiſtant; an ordinariæ evacuationes valde imminutæ ſint, an tumor hydropicus ſeſe latius extendat; an hectica hydropem comitetur, ut ſuperiores regiones ſucceſſive magis contabeſcant, inferiores vero magis intumeſcant.

§. IV. Quamvis hic affectus in completo ſuo ſtatu incurabilis exiſtat, tamen ea propter ægrotantem neque plane deſerere neque vehementer aggredi convenit, quare in cura Hydropis cavendum eſt 1) a præmaturo evacuantium uſu: 2) ab evacuantibus nimis frequenter oblatis; 3) ab indifferenti evacuantium potentiorum uſu: 4) ab inſufficienti, aut confuſo præparantium uſu: 5) a remediis vires valde offendentibus & debilitantibus: 6) a præmaturo, aut copio-

copioſo ſalium volatilium uſu: 7) a terreorum remediorum liberali oblatione: 8) tanto magis a terreis calcareis: 9) ab omnibus adſtringentibus remediis: 10) ab acidorum ordinatione 11) a martialibus, aperitivo ſcopo oblatis 12) a ſulphuris interna & externa commendatione 13) ab uſu acidularum & thermarum 14) a medicamentis humores valde commoventibus & vias admodum ſtimulantibus 15) a poſitiva & impetuoſa prægreſſarum Hæmorrhagiarum proſecutione 16) a V. Snis uſu præcipue quando Hydrops eſt confirmatus & vires admodum debiles 17) a balſamicorum exoticorum indiſcreto & liberali uſu: 18) a promiſcuo lignoſorum exoticorum uſu 19) a mercurialium minus correctorum ordinatione 20) a paracenteſi, tanto magis repetita 21) a ſcarificatione partium tumidarum: 22) a medicamentis e cantharidibus paratis 23) a remediis valde crasſis & ſiccis 24) a multo & ſæpe mutato medicamentorum uſu, qui vires valde deſtruit 25) a multa humectatione interna & externa corporis: 26) a qualicunque retropulſione tumorum hydropicorum ad interiora: 27) a remediis narcoticis 28) a ſalivatione 29) a veſicatoriis 30) a remediis ſaturninis 31) ab experimentis nude empiricis minusque probatis 32) a nimia & immoderata ſudoris impulſione & 33) ab externis unguinoſis, emollientibus facile rancescentibus & emplaſticis.

§. V. Specialis cura Aſcitici hujus affectus ſequentibus indicationibus practicis abſolvitur 1) ut humores ſpiſſiores & viſcidiores reſolvantur atque præparentur, in ſuperque partes obſtructæ & induratæ reſerentur & aperiantur 2) ut humores reſoluti evacuentur 3) ut partes affectæ roborentur 4) ut ſymptomata valde urgentia mitigentur 5) ut conveniens diæta atque regimen præſcribatur: quæ ſingulæ indicationes in juſta ſubordinatione exercendæ, imo plane interdum conjungendæ ſunt, quando ſufficiens præparatio ad reliquam cardinalem curam inſtituta fuit.

§. VI. Ad præparationem humorum & reſerationem organorum omnia illa adminicula conferunt, quorum in Cachexiæ tractatione mentio facta fuit: inter haſce vero ſpecies, quæ efficacius colliquant, conducunt radices ari & helenii, in temperata quantitate, ne incommodum calorem concitent, offerendæ deinde rad. petaſitidis in infuſo & decocto ſaturato, aut etiam in extracto: maxime etiam radix vincetoxici, quæ præcipue in ſubſtantia & efficaciter & temperanter humores reſolvit: nec non ſquilla, quæ in parca doſi in ejusmodi affectibus eximiam utilitatem habet: hiſce annumerare convenit radicem Bardanæ, zingib. piper: quo adhuc rad. armoraciæ pertinet, quæ raſa & cum vino in infuſum acrius redacta proficit, ſervata illa cautela, ne hominibus admodum plethoricis & ex ſuppresſione Hæmorrhagiarum in hunc affectum delapſis exhibeatur: præſtat etiam hanc ultimam radicem interpoſitis

eva-

evacuationibus adhibere: ari radix imprimis in illius caſus initiis convenit, quando hydropicus affectus e Menſium vitiis ortum traxit, in quo caſu etiam radix dracunculi aquatici ſive ari paluſtris conducit: præterea conferunt amara reſolventia & antiſcorbutica & inter illa fumaria in hoc caſu, quando hydropici affectus e ſcabioſis, aut aliis ulceroſis retropresſis inquinationibus ortum traxerunt: multam proinde utilitatem tam in reſolvendis humoribus, quam roborandis partibus habent pilulæ Stahlianæ & genuinæ Becherianæ conſtantius uſurpatæ: porro proficiunt Salia deterſiva ſolubiliora, ut tartariſata, arcan. tartar. liqv. terr. ſol. tart cum Tinct. ant. tartar. mixtus; ſal mirabile, anglicanum, ſal Egranum; æqualis utilitas colliquatoria adſcribitur cineribus a ſuis ſalibus non dum elixatis, uti iterum quidam cineres cardui ſuilli cum potu mixtos laudant, qui aliquamdiu exhiberi debent, cum conjuncto externo ad plantas pedum uſu piperis murarii: non minus uſus hellebori albi modeſtius decocti & a draſtica emetica ſua qualitate liberati, alterante quadam efficacia aliquam utilitatem pro eodem ſcopo habet: quo vero viſcera obſtructa eo efficacius aperiantur, conducunt infuſa & decocta ſaturata e reſolventibus & roborantibus ſpeciebus parata: neque denique ſaponis uſus internus penitus contemnendus eſt, qui perinde colliquatoriam ſuam efficaciam promittit.

§. VII. Prædictis hiſce alterantibus & præparantibus remediis ſubjungenda & interdum conjungenda ſunt evacuantia, præcipue quidem purgantia & diuretica, ubi circa priorum uſum familiaris illa diſceptatio inter practicos occurrit, an videlicet expediat, famoſa draſtica potentia purgantia in Hydrope, qualia communiter hydrogoga vocantur, ordinare, ut ſunt G. Guttæ, Ialappa, Extr. Eſulæ, Sem. Carthami, Ebulus, Soldanella &c: qualia non niſi in illo caſu admitti poſſunt, ubi affectus eſt recentior, vires ſunt robuſtiores, ſubjecta firmiora, viſcera paulo magis integra, deeſt febris & urgens ſtatus plethoricus, in quali ſtatu conſultius eſt largas evacuationes ſeroſas catharcticas ſuſcipere: quando vero contraindicationes concurrunt, tunc magis ſucceſſivæ tales excretiones cum conjunctis partium roborationibus conveniunt & conferunt in tali poſteriori ſtatu correcta Ialappina, ſcammoniata, ſennata, extr. panchym. Croll c reſ. jalap. acuatum, pilulæ de ammoniaco, de agarico; ſingularem utilitatem ad imminuendos tumores hydropicos habet Electuarium hydragogum Sylvii; præterea etiam ordinanda ſunt remedia urinæ excretionem invitantia, velut prædicta ſalina, nec non ſalia vegetabilia diuretica, Tinct. antim. acris. ſuccus raphani, ſpirit. ſal. ammon. ſuccinatus, aniſatus, Eſſ. alexipharm. Stahliana, Eſſ. vincetox pimp. ſuccin. Eſſ. Lig. Saſſafr. Decoctum e rad. vincet. apii, bardan. taraxaci, gentian. rubr. & alb. ſarsapar. herb. Fumar. cochlear. ſcord. L. Saſſafr. &c; addito ſale tartariſato; ſudatio in

hac

hac hydropis ſpecie non æque adeo neceſſaria eſt, propterea regimen aptum ad tranſpirationem congruam adhibendum eſt; minime vero ſudor largus urgeri debet.

§. VIII. Quoniam in hoc affectu valde afflictæ ſunt internæ partes; ita illorum roborationi ſub tota cura operam dare debet artifex & hæc roboratio vel diætetica vel pharmaceutica eſſe poteſt; e fonte diætetico conferunt vinum generoſum & juſcula vinoſa, aromatica, nec non herbæ nervinæ ſub cibis, ut menthæ, majoranæ, ſalviæ, thymi: e fonte pharmaceutico conducunt amara, Eſſentiæ caryophyllatæ, gentian. rubr. angelicæ, pimp. alb. L. Saſſaf. Cinnam. menth. rorismar. &c. infuſa vinoſa ex ejusmodi nervinis remediis parata, Tinct. mart. tartar. tartarus vitriol. martialis, croc. martialis, croc. mart. antim. Stahlii, croc. martis cachet. Zwelf. Tinct. antim. acr. cum Spir. C. C. & Eſſ. Succin. Zingib. conditum, nuces conditæ, aromata condita, ſemina aniſi, fœnic. carvi, cumini, rad. Cichor. acor. calam. cum ſaccharo obducta; eximiam denique roborantem efficaciam habent pilulæ Becherianæ aut Stahlianæ repetitis vicibus oblatæ, nec non gelatinæ; quibus roborantibus formulis & ſpeciebus clyſteres nervinos accenſeo.

§. IX. In hoc arduo hydropico affectu ratio etiam habenda eſt quorundam graviorum ſymptomatum, malum hoc augentium; ex hiſce plurima ita comparata ſunt, ut neque ſemper, neque facile, neque cito emendari posſint: alvi quidem ſegnities tam per interna evacuantia, quam per clyſteres corrigi poteſt: urinæ imminutionis & retentionis cura nitiur tota reliqua hactenus tradita therapia, licet Eſſentia vincetox. cum Eſſ. pimp. alb. ſuccin. & cort. aurant, ut & therebinthina in ſubſtantia aut oleo cum extractis amaris & aliquo cathartico mixta, nec non decocta vincetox. apii, bardan petaſit, herb. petroſel &c: ſuccus rhaphani, Tinct. tartari & antim. acr. huic incommodo ſubveniant: aſthmatica afflictio congruo ſitu levari debet, quoniam illam ſupinus decubitus auget; de reliquo reliqua auxilia conſtanter continuanda & adhibenda ſunt, quoniam pro hac afflictione nullum ſpeciale adminiculum conſtat, niſi ſubinde etiam ventriculus a nimiis aut craſſis & flatulentiam conciliantibus alimentis & potulentis arceatur: ad nimiam ſitim vix ſecurius aut melius auxilium occurrit, quam nitrum, nec non oc. cancr. citrati; acida vero evitentur: ſi febrilis commotio concurrit, præter hæc nitrata & teneriora abſorbentia, etiam Eſſentiæ temperatæ bezoardicæ & emulſiones cum antimonio diaph. mixtæ proſunt; ad rupturam ſuperficiei & ulcuſcula ſuperficialia vix melius proſtat remedium, quam Myrrha & præcipue illius liquamen, cum tantillo olei hyper. mixtum, conjuncto exſiccante ſubjecto: ſicut inferius, ubi de œdemate dicendum erit, hujus circumſtantiæ memoro etiam occurre: Hæmorrhagiæ non ſunt ſubito ſupprimendæ, ſed temperandæ & leniendæ.

§. X.

§. X. Placet adhuc diverſorum experimentorum reminiſci, quæ in hydropicorum tumorum cura paſſim laudantur: inter illa principem vulgo locum tenet Paracenteſis, quæ merito palliativis curationibus accenſenda eſt, quoniam radicem mali haud tollit, ſed ad tempus viſibilem tumorem minuit: neque Scarificatio hydropicis convenit, quoniam utplurimum quælibet vulnerationes hydropicorum male cedunt, licet nullam ſingularem ſublevationem promittant: idem etiam valet de veſicatoriis, cauteriis, reſectionibus ungvium & puncturis cum acubus commiſſis, quæ ſingulæ empiricæ medicationes communiter ſiniſtre ſuccedunt: paſſim etiam laudantur remedia e buſonibus collecta & parata, ſive infuſum, ſive ſal, ſive cineres, ſive oleum, quæ ſingula vero hactenus nondum præſtiterunt, quod de iisdem prædicatur: denique neque ungvinoſa pingvia emplaſtica conveniunt, ſicuti camphoræ internus & externus uſus in hydrope nunquam ullo ſingulari & fide digno effectu ſe probavit.

§. XI. Supereſt ut brevibus adhuc regiminis in hydrope Aſcite obſervandi mentionem injiciam; ſed placet etiam brevibus indicare, quod eadem diæta, idemque regimen in hoc Affectu conveniat, quale in Cachexiæ tractatione commendatum fuit: diæta ſit parca & moderata; nimia ingurgitatio nocet: conferunt juſcula gelatinoſa & vinoſa, nec non temperata lacticinia & pultacea roborantia, decoctum choecoladæ, vinum bonum & generoſum non valde acidum, gelatinæ e cruribus ſuillis & vitulinis, medullæ, decocta hordeacea & avenacea: præterea ſub diæta proſunt raphanacea, arum, piper, zingib. allium, cepæ, ſynap. petroſelinum &c. refrigeria interna & externa nocent; abſint etiam balnea: reliqua e Cachexiæ tractatione conferantur.

CAPUT III.

DE

ANASARCA ET LEUCOPHLEGMATIA.

§. I.

Uterque affectus, uti gradu differt, ita partim quoad cauſas, partim etiam quoad modum fiendi & therapiam convenit; ad utriusque veram dignotionem & rationalem medicam tractationem Cachexiæ tra-

tractatio præmiſſa non exiguum emolumentum affert: quamvis etiam univerſalis ille Hydrops, qui Anaſarcæ nomine venit, rarior exiſtat, tamen in medicina practica illius notitia admodum neceſſaria eſt & quoniam hi affectus ſub tardiori accremento ſe invicem excipiunt, ita cognita illorum vera indole, eo meliori ſucceſſu eorundem primis initiis ſuccurrere poterit artifex, præprimis cum teſte obſervatione medica interdum Cachexia corrupta in Leucophlegmatiam & Levcophlegmatia ſiniſtre tractata in Anaſarcam degeneret: inde liquet, quam diverſa tempora & quam variæ occaſiones occurrant, quibus prudens medicus efficacem medelam hisce affectibus ordinare & applicare poſſit.

§. II. Interim tardior horum affectuum conſecutio ſubinde multam contumaciam complectitur, ut eapropter perinde medicus magna dexteritate in curandis hisce morbis indigeat: illud vero in reliqua cura recte invenienda & exercenda omnino neceſſarium eſt, quo diverſis cauſis, quæ hosce affectus invitant, adæquata indicatio & medicatio adhibeatur: præcipue notare convenit, quomodo in fœminis laxioris & ſpongioſioris habitus Menſium & Lochiorum defectiva vitia talem morbum poſt ſe trahant, aut quomodo nimiæ Hæmorrhagiæ uterinæ repente ſubſiſtentes & cohibitæ eo diſponant: præterea obſervandum & tenendum eſt, quomodo eapropter ejusmodi affectibus eo magis ſequior ſexus obnoxius ſit, quia laxior corporis diſpoſitio tanto promptius ejusmodi emollitioni & eliquationi ſubjecta eſt; præterea experientia teſtatur, quomodo febrium, imprimis intermittentium, ſiniſtræ tractationes, ut & ſcabiei retropulſiones, venena ſuperata talium affectuum cauſam interdum conſtituerint; quibus ſingulis ſpecialioribus cauſis ſpecialiores etiam indicationes accommodandæ ſunt.

§. III. Acceſſum itaque inſtituo ad ipſam ſpecialiorem curam in hisce morbis adhibendam, in qua eædem cautelæ conferri & annotari debent, quæ in Cachexiæ tractatione propoſitæ ſunt; quare in poſitiva cura ſequentes indicationes obſervare convenit: 1) ut cauſis illis artifex proſpiciat, quæ hos affectus invitarunt: 2) ut humores alieni præparentur & legitime evacuentur: 3) ut partes debite roborentur: 4) ut ordinariæ & amiſſæ excretiones in ordinem juſtum convertantur: 5) ut regimen idoneum præſcribatur.

§. IV. Quoad cauſarum, quæ affectus tales induxerunt, tractationem, ſciendum, quod, ſi talis morbus ab Hæmorrhagiis oppreſſis ortum traxit, conveniat tempeſtiva VenæSectio: licet alias ad perfectos & confirmatos affectus hydropicos Venæ Sectio haud quadret: ſingulari itaque circumſpectione opus eſt, an videlicet circumſtantiæ concurrentes talem ſangvinis miſſionem concedant: alias etiam hirudinum applicatio ad loca hæmorrhoidalia

lia in illo caſu concedenda eſt, ubi Hæmorrhoidum anomaliæ ad talem affectum contribuerunt: de reliquo etiam præſtat modeſte amiſſas Hæmorrhagias revocare: quod ſi vero ejusmodi morbi ab excesſivis Hæmorrhagiis orti fuerint, tunc conferunt interna diluentia, gelatinæ, decocta gelatinoſa, mucilaginoſa, aromatiſata, juscula gallinacea, lacticinia, emulſiva, juscula vinoſa, modicus uſus croci orientalis, analeptica temperata, alexipharmaca, cum regimine conjuncto modeſtius mobili: quando febris prægreſſa male tractata in culpa eſt, tunc conveniunt digeſtiva & temperata alexipharmaca, reſolventia & diuretica: ſi ſcabies repreſſa horum affectuum cauſa fuerit, tunc conferunt mitiora laxantia cum mercurio dulci mixta, nec non Eſſentiæ Pimp. alb. fumar. valerian. vincetox. Succin. Myrrh. L. Saſſafr. nec non decocta lignoſa: quando aliæ excretiones ſuppreſſæ hos affectus provocarunt, tunc præſtat illas modeſte revocare: ſi denique a veneno oblato hi morbi dependent, conferunt diluentia, aromatiſata, gelatinoſa, analeptica & alexipharmaca.

§. V. Ad ipſius affectus ſpecialiorem curam conferunt auxilia ſecundæ indicationis, videlicet quæ humores depravatos præparant & evacuant; quo loco illa remedia conducunt, quæ ad cachexiam commendata proſtant, velut reſolventia, abſtergentia, incidentia, præcipue quidem radix helenii, ari, vincetox. pimp. alb. ſquill. zingib. ubi infuſa vinoſa ex ejusmodi & ſimilibus aliis parata conveniunt: neque etiam decocta Lignoſa rejicienda ſunt, modo cum aliquo moderamine adhibeantur: proficit etiam colliquante & reſolvente effectu G. ammoniac. & mercurius dulcis: proinde non inutiles ſunt potus enulati ſive vinoſi, ſive cereviſiarii, neque contemnenda ſunt remedia ſimplicia e Sambuco parata, quo præcipue rhob. Sambuci refero: porro etiam aromatica conferunt, nec non amara antiſcorbutica & temperata acria diætetica, ut & ſalina colliquantia & incidentia.

§. VI. Præter hæc præparantia & reſolventia, conveniunt etiam evacuantia, tum in genere, tum ſeorſim hisce affectibus proficua: generalia ſunt catharctica & diuretica, e quibus mitiora ſeligenda ſunt; alvum promoventia ſunt extr. panchym. Croll. merc. dulc. pil. de ammoniac. de agaric. infuſa vinoſa Sennata cum agarico; hisce commiſceantur amara reſolventia & colliquantia: diuretica ſunt eadem, quæ in præcedentibus commendata proſtant, imprimis radices reſolventes & inter illas rad. vincetox. ſquill. helen. ari: conferunt proinde ſalia deterſiva, ſalia vegetabilia & tartariſata, ut & remedia nitroſa: huc ſpectant Tincturæ tartariſatæ & modeſtus ſalium volatilium uſus, quo pertinet Spir. Sal. ammon. ſuccinat. aniſ. fœnicul. juniperinus: ſeorſim vero conferunt auxilia, quæ excretionem ſeri e peripheria corporis & habitu hydropico promovent: eapropter conducit diaphoreſis ſine magna humorum

commotione procedens: minime expedit externa auxilia in uſum trahere, quamdiu internus mali fons nondum correctus eſt: interim etiam externa talia adminicula opportuno tempore non contemnenda ſunt: e quibus balnea Laconica ſive ſicca conveniunt, ita tamen, ut caput promineat: huc etiam pertinent illa experimenta, quando veſicæ bubulæ, cum aqua calida impletæ, ad corpus applicantur: aut quando corpus foliis fraxini calefactis immittitur, vel quando ſecundum ruſticorum inventionem corpus retrorſum in clibanum piſtorium deponitur, ut tali ratione ſudor promoveatur & ſerum e ſuperficie corporis & habitu carnoſo educatur: neque penitus Thermarum non valde adſtringentium & ſulphurearum uſus externus contemnendus eſt, modo non ſub acerbiori præſentium affectuum ſtatu atque vigore, ſed vel in initio, vel declinatione adhibeantur.

§. VII. Quoniam etiam in hisce affectibus internæ æque ac externæ partes multis afflictionibus ſubjectæ & eximiis neceſſarii toni vitiis obnoxiæ ſunt, eapropter corpus roborare convenit: interne itaque conveniunt Salia volatilia, ut Spir. Sal. Ammon. ſuccinatus, Spir. C. C. cum Tinct. antim. acri mixtus, aut Eſſ. Succin. Spir. Sal. am. Eſſ. pimp. alb. & L. Saſſafr: proinde etiam conferunt infuſa vinoſa e roborantibus & nervinis ſpeciebus parata, juscula vinoſa aromatiſata, cibi aromatiſati, potus cereviſiarius & vinoſus aromatiſatus & enulatus, zingib. conditum & ſimilia: præterea etiam proficit temperatus uſus tonicorum, ut tartari vitriolati martialis, croci martis Cachectici Zwelferi, antimoniati Stahlii & Ludovici, Tinct. mart. tartariſ. externe præſervatorio ſcopo conveniunt thermæ, balnea ſicca nervina, ſuffimigia nervina, frictiones cum ſacculis nervinis & conſtans modeſte calida corporis fomentatio; ſiquidem calor multum juvat, quo partes externæ iterum roborentur, frigus viciſſim nocet: denique circa finem curæ externum corpus modeſte deliniri poteſt cum mixtura ſpirituoſa, paranda e Spirit. vin. camp. ſpir. roriſmar. ſerpill. roſar. & eſſ. croci addita exigua portione ſpiritus ſal. am. ſuccinat. aut juniperini.

§. VIII. Et quo tota hæc cura e fundamento exerceatur, eoque melius ſuccedat, ac eo firmiorem ſanitatem promittat, præſtat neceſſarias, ſed amiſſas aut perturbatas evacuationes in ordinem juſtum ducere, quod præcipue valet de menſium anomaliis: deinde alvina excretio promovenda & interdum provocanda eſt, per vina medicata laxantia & mitius diuretica; a fortioribus purgantibus vero abſtinendum eſt: multam utilitatem in hoc affectu ad ordinarias evacuationes adjuvandas habent pilulæ Stahlianæ: præterea etiam transſpiratio inſenſibilis promovenda eſt per Eſſentias alexipharmacas & continuatum moderatum calidum regimen.

§. IX.

§. IX. Brevibus etiam Regiminis, in hisce affectibus obſervandi, ratio habenda eſt: aër ſeligatur, temperatus, ſiccus, ſerenus & modeſte calidus: internum & externum frigus eſt nocivum: cibus ſit purus, mollis, aromaticus; ſub diæta conferunt zingib. pip. allium, cepæ, porrum, ſem. carv. cumin. dauc. petroſel. bacc. lauri & junip. porro proficit ſynapi, petroſelinum, rhaphanus, naſturtium, armoracia: potus conducit ſufficiens, ſed ſaturatus, neque valde aquoſus aut refrigerans: prodeſt etiam vinum generoſum: mobile vitæ genus obſervetur & quantum fieri poteſt continuetur, quare etiam peregrinationes conferunt: balnea nervina magis ſicca, quam humida interdum conjungantur: animus ſit alacris & continens & omnes exceſſus ubique ſedulo evitentur.

CAPUT IV.

DE

TYMPANITIDE.

§. I.

VUlgo in ſchola medica præſens affectus Hydropicis morbis adſcribitur, licet aquoſa & ſeroſa afflictio veram morbi cauſam non conſtituat: neque æque hunc affectum cum genuinis hydropicis morbis confundere convenit, licet aliquando hydrops verus Tympanitidem ſequatur: interim ipſa hujus affectus facies teſtatur, quod magis vaporoſa & flatulenta inteſtinorum & abdominis diſtenſio & expanſio præſto ſit, quæ perinde teſtimonium perhibet, vel de irregulari tono hujus regionis, vel de defectu neceſſarii roboris in hisce partibus, ut non modo humiditas aquoſa eo copioſius ſeſe expandere & in halitum convertere poſſit, ſed & ut eo minus partes nunc affectæ vaporoſas translationes coërcere & comprimere queant: unde facile liquet, quantum ad præſentem morbum & invitandum & confirmandum talis viſcerum atonia contribuat; quæ proinde ad copioſiorem illam flatuum geneſin contribuit; hinc ad illius atoniæ tempeſtivam & legitimam correctionem omnem induſtriam, curam & dexteritatem adhibere debet artifex.

§. II. Neque quidem in rationali ac perita Tympanitidis cura invenienda & exercenda illæ cauſæ prætervidendæ ſunt, quæ ad hunc affectum contribuerunt, quo iisdem etiam prudens medicus conſulere & ſatisfacere poſſit:

ita enim nonnunquam præcurrunt molimina hæmorrhoidalia, pathemata hypochondriaca & hyſterica, anomaliæ Menſium, Lochiorum, fluoris albi, flatulentiæ, alvi fluxus, colicæ afflictiones &c: e quorum affectuum ſiniſtro decurſu utplurimum tympanitis ortum trahere ſolet; quo cognito, per plures ſpeciales indicationes ad meliorem & efficaciorem curam hujus affectus collineare licet, adeo ut eo certius e fundamento tympanitis curari poſsit, quando tempeſtive ejusmodi cauſis ſuccurrit medicus: cum contra ex ignorantia illarum cauſarum, & reliqua negligentiori hujus morbi tractatione, non modo illius obfirmatio, ſed & perfecti hydropici morbi consecutio oriatur; Imprimis etiam hoc loco notandum eſt, quomodo communis opiatorum remediorum uſus in prædictis affectibus eo frequentius atque facilius tympaniticum morbum cauſari ſoleat, qualis origo reliquæ therapiæ ſubordinandæ, præ aliis cauſis, maximam difficultatem inducit.

§. III. Quantumcunque itaque diverſæ difficultates præſentem morbum premere ſolent, eo magis etiam circumſpecte in illius cura procedere convenit, ne hic affectus non modo fruſtra per medicamenta tractetur ſed ne etiam in deteriorem ſtatum conjiciatur, ob id cavendum eſt 1) ab omni violenta & cum ſtimulo ſenſibili provocata excretione: 2) a præmaturo uſu carminativorum: 3) ab omnibus adſtringentibus: 4) a vulgari uſu martialium ſic dictorum aperitivorum: 5) a remediorum terreorum largiori uſu: 6) omnium maxime vero a narcoticis: 7) a ſalium volatilium præmatura oblatione: 8) ab internis valde emollientibus & relaxantibus: 9) a negligentiori promotione neceſſariarum & ordinariarum evacuationum: 10) a remediis vias & humores valde afficientibus & commoventibus: 11) a remediis mercurialibus; 12) a qualibuscunque aliis experimentis primas regiones turbantibus & offendentibus.

§. IV. Rectius in ſpeciali Tympanitidis cura ſequentes indicationes practicæ obſervandæ ſunt: 1) ut flatus retenti & occluſi ſucceſsive educantur: 2) ut partes affectæ roborentur: 3) ut neceſſariæ evacuationes reſtituantur: quoad primam indicationem præmittantur Clyſteres emollientes & roborantes, repetitis vicibus adhibendi & quandoque cum aliquo ſtimulo combinandi: neque inutiliter ejusmodi clyſteribus pilulæ Stahlianæ, aut Becherianæ immiſcentur: quando etiam alvus hac via liberata eſt, tunc confert hanc flatuum evacuationem conſervare, per prædictas pilulas, aut ſic dicta carminativa maxime diætetica & aromatiſata; ſervata illa cautela, ne ex inordinata diæta & incongruo regimine novis flatuum geneſibus anſa præbeatur: ob id etiam proficit alvinas excretiones in conſtanti ſucceſſu conſervare, quo interdum moderatæ laxationes pertinent: imprimis conducunt infuſa vinoſa e ſpeciebus reſolventibus, roborantibus & laxantibus parata: quo pertinent adminicula alia

flatus

flatus diſcutientia, ut ſemina aniſi, fœniculi, carv. petroſelini, apii in ſubſtantia uſurpata & aromata maſticata, vel ſpiritus ardens aromatiſatus modica quantitate adhibitus, aut in ſubjectis phlegmaticæ magis conſtitutionis, ſalia volatilia parcius oleoſa: quæ ſicuti interne proſunt, ita externe linimenta & cataplasmata roborantia & carminativa in uſum trahi poſſunt, quo undique flatus ſufficienter diſcutiantur.

§. V. Sed cum in hoc affectu partes interiores admodum debilitatæ & enervatæ ſint, hinc principalis etiam illa eſt indicatio, quo tales partes iterum roborentur; & hoc roboratio ſub totius curæ decurſu adminiſtrari debet: pro hoc ſcopo partim carminativa, partim tonica conveniunt: e numero priorum ſunt amara, aromatica, vinoſa & reliqua primis regionibus amica; huc pertinent Eſſentiæ ari, angelic. caryoph. pimp alb. galang. gentian. rubr. Zedoar. &c. ipſa radix ari in ſubſtantia in hoc affectu perquam utilis eſt: non minus conducunt vina medicata roborantia, ut & clyſteres & cataplaſmata, linimenta & emplaſtra nervina: e tonicis vero ſingula illa conferunt, quorum in præcedentibus affectibus ſuperflua mentio facta fuit: in horum tonicorum uſu illa cautela obſervanda eſt, quo conſtanter alvina apertio promoveatur & remedia abſtergentia, reſolventia, temperantia & roborantia interponantur, ne ſuſpecta quædam adſtrictio inſequatur.

§. VI. Quo vero hic morbus e genuino fundamento curetur, præſtat prægreſſas amiſſas, aut perturbatas evacuationes in ordinem juſtum convertere: maxime quidem confert tempeſtive Menſes & Hæmorrhoides emendare: deinde expedit alvinas excretiones promovere, ſed ſub qualibet artificiali alvi promotione roborantia remedia conjungere: præſervatorie externus thermarum uſus conducit, nec non mixtura e Tinct. antim. tartariſ. & ſpir. C.C. parata: proinde conferunt remedia primas vias penetrantia & ſecretiones neceſſarias humorum promoventia, quare vini generoſi uſus in hoc affectu admodum proficit: adjuvat etiam ſquillæ prudens uſus ſe- & excretiones ſalutares, in hoc affectu proficuas; ſicut de reliquo excretionum promotiones accommodandæ ſunt antecedentibus cauſis, quæ præſentem affectum invitarunt & certam evacuationis ſpeciem involverunt.

CAPUT

CAPUT V.
DE
OEDEMATE.

§. I.

INter illa ſpecimina, quæ perito cuidam artifici offerri poſſunt' quibus dexteritatem & capacitatem ſuam teſtari queat, merito referenda ſunt œdemata, quæ uti e cauſis ſingularis momenti oriuntur, ita ſingulari prudentia & induſtria tractari debent, quoniam non modo curationi difficulter obtemperant, ſed & eo facilius in deteriorem ſtatum delabuntur, adeo, ut lethales plane eventus interdum conſequantur, quamvis nonnunquam quædam oedemata plane omnem curam reſpuant: quæ circumſtantiæ eo magis circumſpectum artificem excitare debent, quo tam intricato affectui & tempeſtive & congrue proſpiciat; eo major vero illa erit dexteritas, quando peritus artifex omni modo præcavet, ne ex ulla cauſa talis affectus oriatur, quoniam in triviali praxi medica rarum quid haud eſt, quod ex prægreſſis corruptis morbis ejusmodi afflictio oriatur, in quo caſu eo major difficultas imminet, quo minus aut commode aut e fundamento ille morbus curari poſſit.

§. II. Interim ad curam hujus morbi omnino confert notitia, an videlicet hic affectus ſolitarius, an cum alio adhuc morbo complicatus ſit, an in integra quadam parte hæreat, an e prægreſſis ſenſibilibus affectibus originem ſumſerit, an e prægreſſa quadam perverſa & corrupta medicatione dependeat, an in junioribus aut adultioribus ſubjectis occurrat, an ſtatus hydropicus & ſuſpectus cachecticus concurrat &c. ſeorſim vero ſciendum eſt, an oedema ex anomaliis hæmorrhagicis, velut e Menſium, Lochiorum, aut Hæmorrhoidum turbis ortum ſit, an a prægreſſis febribus male tractatis dependeat, an cum ejusmodi œdemate adhuc congeſtoriæ commotiones concurrant, an vero perfecta atonia in culpa ſit: an alias evacuationes prægreſſas perturbatas conſequatur; an œdema in primis adhuc acceſſibus & accrementis conſtitutum ſit, an jam firmas & adultas radices contineat, an conſtanter continuet, an modo evaneſcat, modo iterum recurrat: omnium maxime dijudicare & diſcernere convenit illas œdematoſas intumeſcentias, quæ cum motibus hæmorrhagicis conſentiunt, ſive fuerint hæmorrhoidalia negotia, ſive ſpaſmodica, arthritica, nephritica & podagrica, aut plane hypochondriaca pathemata eo contribuerint.

§. III.

§. III. Proinde etiam perpendere convenit, an cum tumore œdematoſo concurrant congeſtoriæ commotiones, an ſtatus oedematis præſentis nitatur motu quodam irregulari translatorio, prægreſſam perturbatam quandam excretionem excipiente, velut contingit quando ſcabiem, aut ulcerationem retropulſam talis affectus ſequitur: imprimis attendere confert, an interni nobilioris viſceris ſecretorii labes concurrat & an affectus jam propius in ſtatum hydropicum propendeat, an œdema inclinet in facilem & ſuſpectam retroceſſionem, ſiquidem communiter ominoſum indicium eſt, quando adultum & contumax œdema præter ſpem & conſuetudinem detumeſcere & ſubito cum concurſu variorum inſolitorum ſuſpectorum pathematum evaneſcere incipit: ubi in genere iterata vice indico, quod intricatiora oedemata non modo frequentiora, ſed & magis refractaria ſint, eapropter etiam cum maxima lenitate & dexteritate tractari debeant, benigniora viciſſim & mitiora oedemata non modo facilius leniori methodo medendi obtemperent, ſed & per ſpecioſiorem & diffuſiorem medicationem citius exacerbentur.

§. IV. Quo magis intricatus præſens eſt affectus, eo major circumſpectio in illius cura adhibenda eſt, eapropter cavere convenit 1) ab impetuoſis & copioſis evacuationibus: 2) a negligentiori interna corporis præparatione: 3) a nuda humorum correctione & incurioſa neceſſariarum evacuationum promotione; 4) a negligentiori conciliatione & tractatione prægreſſorum & corruptorum morborum: 5) a medicamentorum volatilium curatorio & liberali uſu: 6) a nimis concentratis, valde calefacientibus & vias atque humores commoventibus & ſtimulantibus remediis: 7) ab ordinatione communi vulgatorum martialium ſic dictorum aperitivorum 8) ab interno adſtringentium uſu 9) a copioſis terreis & incraſſantibus medicaminibus 10) a narcoticorum uſu in genere 11) ab indiſcreto acidularum & thermarum uſu 12) ab externis repellentibus & valde adſtringentibus, 13) a ſulphuratorum & volatilium promiſcuo, præmaturo & copioſo uſu topico 14) ab indiſcreto, aut liberali uſu externo Camphoræ 15) a Scarificatione partis affectæ 16) ab unguinoſis, pinguibus & emplaſticis acribus 17) ab aliis topicis acribus & affectas partes excoriantibus 18) a humectantibus, refrigerantibus, emollientibus & relaxantibus 19) ab externis aluminoſis & valde exſiccantibus 20) a præmatura topicorum remediorum ordinatione, priusquam interna ſufficiens præparatio præmiſſa eſt.

§. V. Antequam ad ſpecialem Oedematum curationem progrediar, præmonere neceſſe duco, quo ante omnia prudens artifex ad illos affectus retroſpicere debeat, e quibus præſens affectus ortus eſt, quo iisdem cauſis atque reſpectibus adhuc ſatisfacere poſſit, qui ad prægreſſos morbos pertinent: unde

in œdemate a ſcabie & alia ulceratione retropulſa, orto conferunt remedia præmittenda, quæ ab intra extrorſum ulceroſum & ſcabioſum inquinamentum transferunt: ſi œdema a prægreſſa febre intermittente ortum traxit, conferunt incidentia, abſtergentia & laxantia, pilulæ Stahlianæ, Becherianæ, aut infuſa medicata: ſi a febre continua prægreſſa dependet oedema, conveniunt, reſolventia, nitrata, deterſiva, alexipharmaca & mitiora diuretica: ſi ab Hæmorrhagiis ſuppreſſis originem ſumſit, conducunt talia, quæ Hæmorrhagiarum revocationi inſerviunt: ſi a nimia Hæmorrhagia per adſtringentia curata provenit, quadrant nitrata, diluentia, humectantia, temperata reſolventia & nervina: & ita etiam cum reliquis ſpeciebus oedematum procedendum eſt, quæ ex aliis prægreſſis morbis propullularunt.

§. VI. Proinde in œdematum, cum cachectico & hydropico ſtatu communicantium, cura adhibenda ſunt talia interna præparantia & reſolventia remedia, quæ affectum adeo præmuniunt, quo externa non modo nihil noceant, ſed eo facilius proficiant: eapropter talia auxilia interne uſurpanda ſunt, quæ in Cachexiæ & Hydropis aſcitici morbi therapia commendata proſtant: e reſolventium numero conferunt radices helenii, vincetox. petaſitid, in forma infuſi, decocti, extracti; rad. ari, Squillæ in ſubſtantia; porro rad. armoraciæ in forma infuſi vinoſi, ſub illa cautela, ne ſubjectis valde plethoricis exhibeatur: rad. Zingib. dracun. aquat. huc ſpectant ſalia digeſtiva ſolubiliora & tartariſata, Tinct. Tartari & antimon. acris, liqu. terr. fol. tartari: ſalia vegetabilia, Cineres cardui ſuilli, cum vino aſſumti & herbæ amaræ antiſcorbuticæ, conjunctis roborantibus & temperatis carminativis remediis.

§. VII. Hiſce præparantibus & reſolventibus remediis ſubordinanda ſunt evacuantia convenientia, tam modeſta purgantia, quam mitiora diuretica: e priorum numero conveniunt infuſa medicata vinoſa, e roborantibus & reſolventibus remediis parata, cum additamento fol. Senn. Bryon agarici, fibr. helleb. nigr. & arcano tartari: eo etiam pertinent, pilulæ de agarico, de ammoniaco, de Succino Cratonis, extr. panchym. Crolli vel ſolum, vel cum pilulis Stahlianis mixtum, aut modeſtus uſus Electuarii hydragogi Sylvii. non minus peritus & circumſpectus uſus Saponis internus convenit, qui abſterſionem, colliquationem & evacuationem humorum ſeroſorum adjuvat: diuretica non alia conveniunt, quam qualia in præcedentibus caſibus commendata ſunt.

§. VIII. Sed cum interna remedia non penitus negotium abſolvant, hinc externa etiam adhibenda ſunt: optime vero uſu topico conducit vinum calidum, nec non urina calefacta, non nimis aquoſa, ſed quantisper olida: porro conferunt decocta & fomenta vinoſa e rad. angelic. caryophyllat petaſit, vincetox, leviſt. bardan. herb. cent. min. card. ben. roriſm. meliſſ. ſerpill. menth.

hyſ-

hyſſop. matricar. &c. flor. ſamb. aneth, roſar. anth. calend. ſpic. Sem. aniſ. fœnic. L. Saſſafr. Santal. citrin. Croc. orient. tantillo curcumæ, exiguo camphoræ & temperatis quibusdam adſtringentibus remediis parata: ita folia recentia Bardanæ & Petaſit. conquaſſata intra linteamina, neque valde humida, cruribus, pedibus, malleolis & plantis pedum oppoſita, proſunt: porro in oedemate adhuc recentiori & ſubjecto juniori, abſente urgente & ſuſpecta plethora, conferunt uſu externo acriuſcula, ut chelidon. Maj. raphan. ſedum murar. conquaſſata recentia intra linteola convoluta applicata: nimia enim humectantia & omnia refrigerantia ſunt vitanda.

§. IX. Multum proinde ad oedemata convenit modeſtus calor, nec non fotus e nervinis ſpeciebus: camphorata non niſi cum ſingulari moderamine & parca quantitate concedi poſſunt: paulo magis confert crocus orientalis: neque ſalia volatilia tam facile admittenda ſunt; quando vero illa adhibere placet, tunc vel in parca quantitate, vel intra lintea devoluta applicare convenit: præterea cum ſulphuris externo uſu admodum provide procedere convenit: & licet decoctum ſulphuris cum C. V. paratum, (cui adhuc calido tantillum Salis ammoniaci admiſceri poteſt,) moderate evaporans & cum vapore affecto oedemati admiſſum, aliqualem utilitatem habeat, tamen cum eodem etiam modeſte verſari convenit, ne tumorem œdematoſum facile retropellat: non minus decoctum ſaturatum nervinum tegulis calefactis affuſum & vapore ſuo ad affectam partem admiſſum proficit.

§. X. Quando adhuc in primis ſuis incrementis deprehenduntur oedemata, tunc ſaponaria remedia conducunt, ſive ſapo cum ſpiritu vini ſolutus, ſive Empl. ſaponat. Barbette intra lintea excepta & applicata: Aceti vapor, ut & antimonii fumus vix ſecure juvant, neque etiam Lixivium ex antimonio paratum opem certam & ſecuram promittit: e ſpecificis remediis laudat Foreſtus ſuum oleum ranæ rubetæ, a Solenandro pro uſu interno ordinatur vinum in quo bufo ſubmerſus eſt: in quantum hæc remedia veritati conſona ſint, experientia conſulenda erit: Thermæ poſt ſufficientem corporis præparationem, modeſte & circumſpecte adhibitæ aliquam utilitatem promittunt, modo non frigidæ applicentur, ſicut etiam quidam terræ lutoſæ in thermis obviæ & calide appoſitæ eximiam virtutem in diſſipandis oedematibus adſcribunt: acidulæ in oedematum cura rectius omittantur, tanto magis ſi jam actualis interni viſceris labes concurrit.

§. XI. Quando oedema in ſuperficie rupturam concipit, tunc interne conferunt laxantia, quæ immoderatiori effluxui aliquam diverſionem inducunt, deinde ſuſpectam emanationem ex aperta ruptura ſiſtit applicatio foliorum Lappæ majoris recentium expreſſorum: porro applicari poteſt Liquamen

nem myrrhæ ſive ſolum, ſive cum cineribus cardui ſuilli elixatis mixtum, ſive cum oleo hyperici & tantillo therebinth. in ſubſtantia combinatum: quemadmodum in tali caſu præter myrrham vix nobilius datur remedium: præſtat etiam cum moderamine exſiccantia ſelecta & temperata adhibere, quo prudens miniatorum & lithargyriatorum uſus confert. Quando denique contingit, ut poſt puerperium prægreſſum œdematoſus quidam tumor remaneat, tunc conferunt infuſa vinoſa modeſte laxantia e rad. caryophyllat. vincet. ariſtol. rot. petaſit. pimp. alb. helen. diptam. alb. coſt. dulc. cyp. rot. herb. meliſſ. menth roriſmar. abrotan. puleg. abſinth. card. ben. cent. min. &c. rad. bryon. fol. ſenn. &c. parata, nec non pilulæ Stahlianæ aut correctæ aloeticæ, ut & Eſſentiæ pimp. alb. vincetox. caryophyll. Fumar. petaſit. Myrrh.

§. XII. Pauca adhuc commendanda erunt, quæ tam ad regimen, quam ad præſervatoriam curam, huic affectui accommodandam, quadrant: ſed præſtat etiam iterum ad illa conſilia & auxilia confugere, quæ in præcedentibus affectibus commendata ſunt: Venæ Sectiones in locis œdematoſis urgere & ordinare conſultum non eſt: interim confert omnino ſangvinem alibi ventilare, ſi ab Hæmorrhagiis ſalutaribus imminutis œdema ortum traxit: in diæta adhibeantur reſolventia & aromatica: proſunt etiam, ſi non ſuſpecta plethora urgeat, juscula vinoſa crocata: quodvis frigus nocet: moderata laxantia, præcipue vina medicata & curatorie & præſervatorie conferunt: balnea aquoſa nocent: mobile vitæ genus, quantum pro conditione affectus exerceri poteſt, conducit: denique non modo ordinariarum evacuationum ſucceſſus conſervandus eſt, ſed extraordinariæ perturbatæ ſalutares excretiones methodo temperata & efficaci in ordinem juſtum revocandæ ſunt.

CAPUT VI.

DE

SCLEROSI ET HYDATIDIBUS.

§. I.

PRæſentes affectus ita conſtituti ſunt, ut ars in eosdem exiguam valde poteſtatem habeat, quoniam prior in tanto gradu conſiſtit, ut ob extremum morbi alterius complicati ſtatum vix artificia ſperatum effectum

ctum aſſequantur: poſterior affectus non modo communiter cum alio graviori morbo, velut conſummato cachectico, aut hydropico conjunctus, ſed etiam ita obvelatus eſt, ut illius certa & indubia præſentia minime conſtet; & licet etiam de Hydatidum præſentia certus eſſe poſſit artifex, tamen minime talia proſtant adminicula, quibuscum directe, proxime & adæquate morbum attingere queat medicus, ut propterea arti medicæ eo nullus ſpecialis aditus pateat & nulla ſingularis poteſtas in illum ſuperſit; quapropter hi morbi magis theoreticæ notitiæ inſerviunt, quam practico uſui & applicationi reſpondeant.

§. II. Quamvis etiam horum affectuum cauſæ ſatis ſuperque conſtent, eapropter tamen minime artis energia aliquam prærogativam obtinet, quo tanto facilius illorum curam ſperare poſſit: etenim cum Scleroſis univerſalem & contumacem glandularum obſtructionem contineat, ita facile concludere licet a difficili ſuceſſu curæ, quando una glandula obſtructa eſt, ad numeroſarum glandularum infarctum & obſtructionem: proinde in eodem affectu accedit, quod non modo refractaria humorum depravatio & ſic dicta cacochymia conjuncta ſit, ſed quod adhuc aliæ partes, officiis vitalibus ſubſervientes, aliquo vitio laborent, ita ut ſucceſſive tota machina corporis humani depravetur & ſub concurſu hecticæ febris vita amittatur: Hydatides viciſſim, quoniam multiplicibus affectibus ſeſe ſociant & in variis internis corporis regionibus atque locis oriuntur, hinc dubius ſemper eſt artifex, ubi, quando, quamdiu & per quæ media profligare debeat medicus tales lymphæ depravatæ extravaſationes & præternaturales collectiones.

§. III. Quo minus itaque arti directus conceditur acceſſus, quo vel proxime hos affectus aggredi, aut confeſtim illos levare poſſit, eo major circumſpectio adhibenda, ne, ſi adeo facile hos affectus emendare nequeat artifex, ſiniſtrum illorum ſucceſſum atque eventum acceleret & confirmet: ob id cavere convenit 1) a præmatura evacuationum provocatione & copioſa, aut impetuoſa illarum proſecutione; 2) a nudo alterantium uſu, quæ utplurimum majorem dyſcraſiam humoribus conciliant, quando neceſſariæ evacuationes omittuntur: 3) a remediis nimis immoderate operantibus & magnam humorum commotionem, viarum vero irritationem, cauſantibus: 4) a volatilium remediorum curatorio uſu: 5) a copioſo abſorbentium uſu: 6) a narcoticis, adſtringentibus & refrigerantibus medicamentis: 7) a negligentiori ordinariarum excretionum promotione: 8) a vulgatis aperitivis, maxime vero martialibus medicaminibus: 9) ab experimentis generalibus minusque probatis, ſed empiricis: 10) a nimis confuſa diverſorum remediorum oblatione.

§. IV. Ad poſitivam & ſpecialem Therapiam horum affectuum nunc progreſſus inſtituendus eſſet, ſed cum illa auxilia, quæ hiſce morbis quadrant, partim in præcedentibus, partim adhuc in conſequentibus indicata ſint & adhuc ſignificari debeant, brevitati hoc loco ſtudere placet: in Scleroſi itaque conveniunt reſolventia, incidentia, attenuantia, diluentia, in præcedentibus ſeroſis morbis nominata, præcipue talia, quæ ſerum mucilaginoſum colliquant, quo zingib. arum, vincetox. helenium, pimp. alb. ſquilla pertinent: huc pertinent decocta lignoſa temperatiora: non minus interne mercurius dulcis confert & ubi circumſtantiæ nihil contraindicant, ſalivatio, aut acidularum & thermarum uſus conducunt: proſunt etiam alia ſalina ſolubilia, imprimis tartariſata, Tinctura Tartari, tinct antim. acris cum liqv. terr. fol. tartar. & quando per hactenus dicta remedia affectus talis quantisper mitigatus fuit, tunc licet ordinare mixturam e Tinct. ant. tartaris. Spir. C. C & Eſſ. ſuccini paratam: proficit etiam Liqv. C. C. ſuccin. Eſſ. ari, vincetox. pimp. alb. ſuccin. & L. Saſſafr.; præterea infuſa vinoſa e reſolventibus, roborantibus & laxantibus compoſita ordinari poſſunt, ubi laxantium nomine fol. Senn. agaric. bryon. polyp. in aptis ſubjectis remiſceri poſſunt.

§. V. Hydatides quod attinet, tunc illarum cura nulla ſpecialis ordinari poteſt, ſed dum tales veſicæ, aut extravaſationes atque ſtaſes lymphæ ſeſe aſthmaticis, phthiſicis, cachecticis, hydropicis, œdematoſis, ſcirrhoſis, hecticis morbis aſſociant, eapropter ad hos principales affectus cura dirigenda eſt, ne dum ad hydatides cura dirigitur, hiſce morbis injuria atque præjudicium afferatur; imo deſuper ſciendum eſt, quod nulla poſitiva talia remedia ſuppetant, (ut antea monui) quibuscum hydatides tales profligari queant: optima vero in tali affectu ſunt medicamenta, quæ in Cachexiæ & Hydropicorum affectuum therapia ordinata ſunt: unde in illis morbis, in quibus alias hydatides occurrunt & præſumuntur, talia auxilia in uſum trahi debent.

CAPUT VII.

De CATARRHIS.

§. I.

GEneralis Catarrhorum disquiſitio & explicatio practica ſeſe conſpectui noſtro nunc ſubjicit, licet diverſi Catarrhales affectus in præcedentibus pertractati fuerint: neque quidem ſolertior Catarrhorum

evo-

evolutio adeo negligenter tractanda eſt, cum non ſufficiat tantum noſſe, quod catarrhi ſeſe per pituitoſo-ſeroſas ſeceſſiones & fluxiones prodant, ſed ſubinde intimior & ſolidior inquiſitio in genuinas & diverſas catarrhorum cauſas admodum neceſſaria ſit, ne frigido quodam judicio de nude frigida quadam cauſa & conſtitutione diſſeramus, neve in communem labyrinthum incidamus, quando pasſivas tales oppletiones, ſtaſes & obſtructiones mucilaginoſas, activis & impetuoſis impulſibus & irritamentis proſequimur, ſed eo ipſo minime eximiam diſtinctionem inter peritam & empiricam catarrhorum therapiam tuemur: inde etiam eſt, cur catarrhorum curationes raro ad medicos deferantur & cur tonſores & balneatores circa illas verſentur, niſi demum corrupta & intricata catarrhorum ſchemata medicis ſubjiciantur, quando reliquos imperitos artifices & judicium & auxilium deſtituit, per quod ejusmodi confuſæ & contumaci catarrhi indoli ſubveniendum eſſet.

§. II. Ante omnia vero notandum eſt, quod minime Catarrhi promiscue pasſivis ſeroſis ſecesſionibus & infarctibus nitantur, quamvis non raro impeditus progreſſus ſangvinis per loca glanduloſa, membranacea & cribroſa ejusmodi particularium ſecesſionum cauſa ſit, ut poſthac utile & neceſſarium exiſtat, quo coacervata talis ſeroſa ſubſtantia tempeſtive evacuetur: vix tamen quisquam adeo credulus erit, quo aſſerat, aut affirmet, quaſi catarrhalis materia, quæ intra octiduum forte excernitur, ſimul & ſemel uno eodemque tempore in affecta parte obhæſerit: cum potius ex continuatione impeditioris illius progreſſus ſangvinis per affecta loca, aut ex complicatione congeſtionum ad illas partes, quando cum tali evacuatione initium factum fuit & natura huic ſpeciei excretionis data ſemel occaſione & nacta apertura, ultro incumbit, etiam ſecesſio catarrhalis continuet, cum qua deinde neceſſaria ſalutaris excretio cohæret.

§. III. Ex eo facile liquet, quantam prærogativam ad catarrhos inducendos, augendos & conſervandos habeat motus tonicus: ubi minime abundantia humoris catarrhalis in corpore individui palmarium reſpectum cauſalem abſolvit; interea etiam negari minime poteſt, quomodo talem excretionem natura non raro, ut extra ordinem vitalem tractet, quæ alias in ordinario vitalitatis ſtatu tam ex inteſtinis, quam e pulmonibus & capite materiam ſeroſam & mucidam eliminat, quam interdum ob copiam hujusmodi ſeroſæ colluviei extra ordinem copioſius ex ejusmodi partibus expellit, adeoque ſalutari inventione, activa tamen directione, hanc excretionem proſequitur, aliaque occaſione denuo exequitur: inde evenit, ut legitimus catarrhalium talium evacuationum decurſus eximiam euphoriam inferat, cum contra difficilis illarum

pro-

progreſſus, aut perturbatus & ſuppreſſus ſucceſſus evidentem noxam afferat.

§. IV. Præterea attentione digna eſt obſervatio, quomodo catarrhi cum negotio hæmorrhagico ſatis ſæpe exactam communionem habeant & ab illis congeſtoriis commotionibus, ad Hæmorrhagiæ ſucceſſum collimantibus, dependeant, inde etiam evenit, ut catarrhi interdum temperatam & frigidam ſuam indolem in acriorem immutent, qualis conſtitutio eo ſenſibilior eſt, adeoque facilius exacerbationibus ſubjicitur, quæ notitia eo inſervit, quo catarrhalia illa remedia cum prudenti diſcrimine adhibeantur: imo huc coincidit illa cognitio, quod contumacibus talibus catarrhis opportunæ ventilationes ſangvinis multum utilitatis afferant: inde etiam evenit, ut poſt hæmorrhagiarum prægreſſarum ceſſationem, aut retardatum recurſum ejusmodi catarrhales afflictiones ſequantur.

§. V. Quo magis hi affectus catarrhales e juſtis & genuinis ſuis fundamentis curentur, eo magis cavendum eſt 1) a copioſis & impetuoſis purgationibus: 2) a vulgari & indiſcreto diaphoreſeos uſu: 3) a regiminibus & medicaminibus valde calidis: 4) ab indifferenti, præmaturo & copioſo ſalium volatilium uſu: 5) ab anticatarrhalium remediorum vulgari ingeſtione: 6) a præmaturo & copioſo nervinorum uſu: 7) a remediis adſtringentibus: 8) a nimio incraſſantium & emollientium uſu: 9) a perturbatione, aut inſufficienti promotione alvinæ excretionis: 10) a nude alterantibus & maſſam ſangvineam edulcorantibus remediis: 11) a communi opiatorum uſu: 12) a remediis acribus, balſamicis & reſinoſis, quando catarrhus acris eſt: 13) a negligentiori conciliatione & tractatione urgentis ſtatus plethorici: 14) ab indifferenti lignoſorum exoticorum uſu: 15) a repentina diuturnioris fluxionis catarrhalis repreſſione: 16) a ſuſpectis mercurialibus remediis: 17) a promiſcuo ſulphuris uſu: 18) ab oleoſis concentratis ſuccinatis, therebintinatis & ſimilibus acribus: 19) a motuum congeſtoriorum iniqua tractatione, aut exacerbatione; & denique 20) a nimis confuſa remediorum oblatione.

§. VI. Specialis Cura Catarrhorum ita ordinanda & exercenda eſt, ut 1) e magis conſvetis locis materia ſeroſo-mucilaginoſa evacuetur, inſuperque diverſio quædam præſenti, tanto magis contumaci, catarrho inducatur: 2) ut motus congeſtorii mitigentur: 3) ut materia excernenda vel præparetur, vel temperetur: 4) ut partes affectæ, quantum fieri poteſt etiam extrinſecus ab infarctu catarrhali liberentur: 5) ut poſt hanc liberationem debite roborentur & denique 6) ut congrua præſervatio præcipiatur: quæ ſingulæ indicationes non nimis præcipitanter urgendæ & adminiſtrandæ ſunt.

§. VII.

§. VII. Quoad primam indicationem conveniunt mitiora laxantia & talia quidem, quæ ſerum mucilaginoſum evacuant, quo pertinent Folia Sennæ, Extr. panchym. Croll. Pil. de agaric. de Ammoniac. de Succino Cratonis, mercurius dulcis, reſina Ialappæ præparata & interdum magneſia alba: quando catarrhus contumax & diuturnus eſt, conferunt infuſa vinoſa, paranda e rad. helen. pimp. alb. caryophyllat. vincetox. gentian. rubr. zingib. herb. fumar. cochlear. cent. min. ſcord. cuſcutæ, major. menth. ſerpill. flor. anth. ſambuc. lavend. calend. lil. conval. cent. min. flor. abſinth. ſummit. origan. ſem. anis. fœnic. bacc. laur. Cort. Citr. cinnam. Lign. Saſſafr. Fol. Senn. polypod. agaric. & arcano tartari: proinde etiam proſpiciatur, quo diureſis rite ſuccedat; quare ſalia digeſtiva, tartariſata, vegetabilia & nitrata conveniunt: huc pertinet Tinctura antimon. acr. Tinct. tartari, Eſſ. vincetox. ari, pimp. alb. &c:

§. VIII. Motuum congeſtoriorum mitigatio duplici ratione perfici poteſt, nimirum temperatione & interna diſcusſione; ad temperationem obtinendam conferunt abſorbentia teneriora & cum acidis ſaturata, pulveres nitroſi cum digeſtivo ſale mixti: e diſcutientium numero ſunt Eſſentiæ ari, helenii, caryophyll. pimp. alb. vincetox. ſumar. ſuccin. angelic. imperat., mixtura e Tinct. antim. tart. ſpir. C. C. & Eſſ. ſuccin. parata; liquor C. C. ſuccinatus, antimon. diaph. cum prædictis pulveribus nitratis mixtum; & quando catarrhus diuturnus & contumax, ſubjectum vero pituitoſum eſt, tunc conveniunt decocta temperata lignoſa; alias etiam conferunt emulſiones & potiones ex aquis diapnoicis paratæ, quibus abſorbentia teneriora combinari poſſunt.

§. IX. Materia catarrhalis, quæ jam propius excretionem expectat, neque tam facile reſorberi poteſt, vel excretioni repugnat ob nimiam ſpisſitudinem, vel nimis fluida eſt & excedentem reddit evacuationem, vel nimis acris eſt & ſuſpectas congeſtiones invitat: quapropter præparatione quadam indiget: nimia illius ſpisſitudo corrigitur diluentibus & humectantibus, quo decocta calida ſpectant & temperata emollientia atque lenientia, quæ diſcrepant pro diverſitate loci affecti: huc etiam petinent prædicta reſolventia & diſcutientia interna; ſi materia nimis fluida fuerit, conveniunt abſorbentia, incraſſantia, mucilaginoſa, farinacea, gelatinosa, pultacea, tragacantha, amylum, gummi ceras. arabicum, maſtix in variis formulis; quibus accenſendus eſt modeſtus acidulatorum uſus; ad acrem denique materiam temperandam conveniunt abſorbentia, coralliata, nitrata, gelatinoſa, emulſiva, mucilaginoſa & emollientia.

§. X. Hisce internis remediis conjugenda etiam ſunt externa auxilia, quæ partes cum contumaci catarrho obſeſſas a continuante infarctu catarrhali liberant; hinc conferunt diſcutientia remedia: ipſe modeſtus uſus caloris mul-

 tum

tum adjuvat diſcusſionem: proinde proſunt camphorata & crocata, nec non ſacculi e ſpeciebus reſolventibus & mitius nervinis parati: ipſum vinum calidum egregie diſcutit; conferunt etiam Spiritus Serpilli, formicarum, lil. convall. rorismar. lumbr. terreſtr. interdum proſunt ſuffimigia e flor. anth. ſpic. lavend. ſtæchad. arab. thur. maſtich. oliban. benz. ladan. ſuccin. ſtorac. calam.: oleorum deſtillatorum uſus vitetur: ſimplicia & interdum ſatis efficacia remedia ſunt fl. chamom. farina ſecalina & Sal commune toſtum: ungvinoſa etiam & emplaſtica omittantur, niſi internus catarrhus emolliendus fuerit, ubi per externum uſum pingvium, oleorum emollientium & ſimilium fixus & tenax catarrhus volubilior & mobilior redditur.

§. XI. Quando contigit, ut hactenus a catarrho obſeſſæ partes, nunc ab eodem plurimum liberatæ fuerint, tunc eo cura applicanda eſt, quo partes laxiores iterum roborentur, pro quo ſcopo imprimis conferunt ſpiritus volatiles & mixtura e Tinct. antim. tart. Spir. C. C. & Eſſ. ſuccin. parata, nec non Liqv. C. C. ſuccinat: ut & Eſſ. pimp. alb. ſuccin. & L. Saſſafr. in quibusdam ſubjectis & interne & externe Eſſ. ambræ cum aliis aptis ſpeciebus mixta confert: quemadmodum externe ſingularem utilitatem habet ſpiritus ſerpilli & Eſſ. croci reliqua ſpecialisſima roborantia, in diverſorum catarrhorum explicatione propoſita ſunt.

§. XII. Supereſt ut generalem præſervationem a Catarrhorum iterata invaſione exponam: alvina excretio ſit conſtans: repetita modeſta laxatio non parum confert: in plethoricis & ubi negotium hæmorrhagicum conſentit V. Sio aut ſcarificatio proficit: transpiratio inſenſibilis ſit æqualis & continua: interdum moderata diaphoreſis juvat: ſubitaneæ mutationes frigoris & caloris vitentur: calor juvat, frigus nocet: nocet aër humidus, vappidus, nebuloſus: pedum refrigerationes arceantur: diæta ſit temperata, modeſte aromatiſata & vinoſa: omnes enim impuritates & ſpisſiores cibi ac potus excludantur: juvant decocta calida domeſtica, imprimis herbæ Thee: proſunt etiam gelatinoſa; denique etiam conveniens & ſufficiens corporis motus conjungatur.

CAPUT

CAPUT VIII.

DE
ATROPHIA.

§. I.

PRæſens morbus ſicut puerili ætati familiaris eſſe obſervatur, ita mox inculcat, quanto cum ſenſibili ſubjecto in hoc affectu medicus commercium habeat & quanta cum lenitate atque prudentia ipſe tractari debeat: multum vero refert bene explorare, quales progreſſus hic morbus fecerit & ad quem gradum pertigerit, ne eo usque expectet, donec in talem acerbitatem increbuerit, ut efficacem medelam reſpuat, ſiquidem ſuperveniens hecticodea febricula ſiniſtrum ſucceſſum atque eventum prodit: duplex proinde notatu digna animadverſio practica hoc loco inculcanda eſt, primo, quod ob intimiorem radicem morbi adminicula omnino efficacia conferant, deinde, quod tamen in methodo medendi neceſſaria modeſtia & temperantia adhiberi debeat; alias facile tenera natura ægrotantium adeo obruitur & opprimitur, ut vix facile congrua emendatio ſperari queat: utut tamen hic affectus juniori ætati frequentior exiſtit, tamen experientia medica etiam atteſtatur, quod interdum adultiora ſubjecta cum eodem morbo correpta fuerint: in quo caſu atque paſſu cum multo ſtudio genuinæ cauſæ indagandæ & applicandæ ſunt.

§. II. In genere quidem ſciendum eſt, quod obſtructiones & infarctus omnium glandularum admodum contumaces & refractarii ſint, ut eapropter tanto magis tempeſtiva medela applicari debeat, priusquam ejusmodi afflictio inſoleſcat & increbeſcat; quamprimum enim glandulæ indurantur, tunc tanto pertinacior evadit affectus: ſubinde etiam præoccupare convenit, ne ulterius talis fomes ſuperveniat, per quem præſens afflictio ſuſtentari & confirmari poteſt; ſicut continuans intemperata diæta hoc malum valde augere ſolet: in adultioribus præſtat cum ſolertia inquirere, in quantum Hæmorrhagiarum anomaliæ ad hunc morbum diſpoſuerint: an contumax illarum ſuppreſſio, an exceſſivus earundem ſucceſſus per adſtringentia remedia cohibitus, an qualiscunque alia illarum corruptio præcurrerit: non minus attendere convenit, an prægreſſarum intermittentium febrium ſiniſtræ medicationes ad hunc affectum diſpoſuerint: an incongrue ſuppreſſa alvi lubrici-

tas, laxitas aut fluxio ad atrophiam occaſionem dederit: non neglectis etiam reliquis cauſis ad ſpecialiorem therapiam inveniendam, rite conciliandis: & quoniam in hoc affectu interdum miræ corporis deformationes coincidunt, hinc prudentia opus eſt, ne ita præcipitanter & præter meritum, terribiles incantationes accuſentur, ſed antea cauſæ naturales ſufficienter explorentur & ſuo loco atque tempore illæ intricatiores, obſcuriores & altiores vires atque cauſæ accuſentur: evenit vero interdum ut imperita quædam medica atrophiæ tractatio faſcinationis accuſatæ vices teneat.

§. III. Quo itaque ingenue atque dextre præſens affectus tractetur, cavendum eſt 1) ab omnibus copioſis, prodigis & impetuoſis evacuationibus: 2) a præmatura evacuationum ordinatione, antequam ſufficiens præparatio præceſſit, alias infarctus glandularum contumaciores redduntur: 3) a ſimplici & nuda alterationum commendatione: 4) a remediis impetuoſe operantibus, concentratis & valde calefacientibus: 5) a volatilium remediorum curatorio uſu: 6) a copioſo ſalinorum uſu in ægrotantibus tenerioribus: 7) ab omnibus adſtringentibus medicamentis; 8) a formulis medicamentoſis valde ſpiſſis & ſiccis: 9) ab abſorbentium nimia ingeſtione: 10) a ſuſpectis mercurialibus remediis: 11) a remediis & regiminibus refrigerantibus: 12) a nimia interna & externa emollitione corporis: 13) a valde mucilaginoſis, quæ incraſſationes glandularum augent: 14) a perverſo regimine & incongrua diæta.

§. IV. In poſitiva & ſpeciali Atrophiæ cura ſequentes indicationes practicæ obſervandæ ſunt: 1) ut cauſæ, ex quibus præſens affectus ortus eſt, tempeſtive curentur & ſi neceſſe fuerit, removeantur: 2) ut humores debite & ſufficienter reſolvantur & eo ipſo præſentis infarctus reſeratio adjuvetur: 3) ut impuritates abſterſæ evacuentur & ſimul primæ regiones ab inhærentibus recrementis repurgentur: 4) ut partes hactenus affectæ iterum legitime roborentur.

§. V. Sicut cauſæ Atrophiam invitantes multiplices, ita ſingulis ſatisfaciendum eſt; ſermo vero eſt de cauſis remotioribus & magis antecedentibus: quare ſi vermes in culpa fuerint, talia auxilia adhibeantur, quæ vermibus oppoſita ſunt: ſi ſuppreſſa febris in culpa fuerit, tunc talia remedia adplicentur, quæ corruptis febribus debentur, reſolventia, abſtergentia, diluentia & laxantia: ſi ſuppreſſæ Hæmorrhagiæ hunc affectum provocaverint, opera danda eſt, quo congrua methodo eædem tempeſtivæ revocentur: interea præſervatoriæ etiam ſangvinis ventilationes conferunt: ſi nimiæ Hæmorrhagiæ prægreſſæ fuerint, conferunt, diluentia, humectantia, emulſiva, liquidiora, gelatinoſa & mitiora reſolventia: ſi ſiniſtri uſus adſtringentium præceſſerint, conveniunt, nitrata, diluentia, humectantia, gelatinoſa & laxantia: ſi nimii

alvi

alvi fluxus cauſam dederint, proficiunt eadem diluentia, nitrata, reſolventia & congrua roborantia.

§. VI. Proximius in cura atrophiæ reſolutio & abſterſio neceſſaria ſuscipienda & peragenda eſt, quo conferunt abſorbentia cum acidis maritata, ſalia ſolubiliora deterſiva, nitrum, Eſſentia pimp. alb. vincetox. helen. ari, fumar. cent. min. Tinctura antim tartar. cum Eſſ. ſuccin. mixta, mercur. dulc. rite præparatus: quodſi ægrotantes nimis tenelluli fuerint & adhuc ſugant, tunc remedia talia nutricibus exhiberi poſſunt: ab extra ægrotantium abdomini applicari poſſunt linimenta ex oleo chamom. lil. alb. aneth. laurin. rutac. fœnic. menth. parata, addito tantillo camphoræ & croci; emplaſtica caute adhibenda ſunt, niſi modeſtus uſus Emplaſtri Saponati, intra lintea excepti & abdomini impoſiti aliquam utilitatem promittat: habent etiam aliquam utilitatem Balnea cum quibusdam herbulis nervinis & flor. chamom. mixta: parcus uſus Empl. de bacc. lauri & de ammoniaco & ungventorum lenientium admitti poteſt.

§. VII. Quando itaque ſufficiens reſolutio & abſterſio præſtita fuit, tunc convenit idoneas alvinas præcipue evacuationes ſubordinare, quæ in junioribus provocari debent, per ſyr. de cich c. rhab. ſyr. de mann. de ſpin. cerv. roſar. ſolut. quibus utiliter oxym. ſquillit. ſociatur, nec non per reſin. Jalap. præpar. c. merc. dulc. ut & per paſſulas laxat. in adultioribus conducit extr. panchym. Croll. mercur. dulc. agaric. trochiſc. pilul. de agaric. pilul. de ſuccin. Crat. ſal anglic. arcan. tartari, ſpirit. de tribus, infuſum vinoſum ſennatum & cum modico helleb. nigr. & agaric. mixtum: deinde conducunt temperata diuretica, ut Tinct. antim. acr. c. Eſſ. Succin. mixta, aut Eſſ. vincetox. pimp. alb. ſuccin. qualis miscela in adultioribus cum tantillo Spir. Sal. Ammoniac, combinari poteſt; quibus etiam nitroſa & Liqu. C. C. Succinat. convenit: de reliquo etiam alia apta reſolventia & alexipharmaca proſunt: quæ æqualem ſangvinis progreſſum invitant & conſervant.

§. VIII. Et quando jam affectus remittere videtur, tunc ordinanda ſunt remedia modeſte partes hactenus affectas roborantia, e quibus conveniunt carminativa, ut Eſſ. ari, helen. pimp. alb. gent. rubr. cort. citr. aurant. cinnam. menth. meliſſ. nec non trageæ ex ejusmodi ſpeciebus compoſitæ; C. C. uſtum, cum corall. rubr. ppt. & antim. diaph. aut matr. perl. ppt. antim. diaph. & cum uno vel altero grano croci martialis tenerioris mixta proſunt, quales croci etiam in adultioribus conferunt: quibus remediis accenſenda ſunt infuſa vinoſa roborantia, carminativa, nec non Tinct. antim. acr. c. Spir. C. C. Tinct. mart. tartariſ. Tinct. mart. cum ſucc. pom. de reliquo obſervanda & ordinanda eſt diæta temperata, tenuis, mollis, liquida, una cum regimine

modeſte calido: confert etiam motus ſufficiens corporis: vitandus eſt potus nocturnus & frequens frigus arceri debet: primæ viæ ne offendantur, ſed alvus in conſtanti ſucceſſu conſervetur.

CAPUT IX.

DE RACHITIDE.

§. I.

EXimiam affinitatem cum præcedente affectu præſens morbus habet, cujus phænomenon atrophicum cum ſeſe præcipue in dorſo prodat, eapropter interdum Tabes Dorſalis vocatur; haud vero nuda talis nutritionis privatio adeſt, ſed quando in uno loco nutritio deficit, tunc in alio cum ſingulari quadam irregularitate eadem nutritio procedit, ut corpus eapropter deformetur, variæque aliæ afflictiones & œconomiæ vitalis perturbationes coincidant, licet de reliquo præter hæc motuum vitia adhuc diverſæ alterationes, ſe-& excretoriam functionem concernentes, hunc morbum comitentur; unde ad illas etiam cauſas attentio dirigi debet, quæ primis viis adeo inimicæ ſunt, ut concoctionis & digeſtionis negotium graviter turbetur & hinc in partes glanduloſas abdominis actuale quoddam vitium introducatur.

§. II. Et cum ad præſentem affectum non parum ſubluxationes quædam contribuant, eapropter peritus & circumſpectus medicus ejusmodi cauſæ tempeſtivam operam adhibere debet, ne talis labes adoleſcat & deinceps omnem opem reſpuat: ante omnia etiam obſervare convenit, an in hoc affectu aliquid hæreditarii ſubſit, in quo paſſu omnino motuum vitia attendenda ſunt, quidquod ſubinde mature invigilandum eſt, antequam in nobilioribus viſceribus aliqua labes ingruat, quæ morbum talem eo minus curabilem & tractabilem efficit; quodſi vero culpa in prima formatione hæreat, tunc fruſtra tentatur & urgetur reſtitutio, quin facile contingit, ut ſub qualicunque temeraria curæ proſecutione cito affectus in deteriorem ſtatum delabatur, quemadmodum de reliquo cum ejusmodi ægrotantibus ſenſibilibus modeſte procedendum & præterea cum ſingulari judicio penſitandum eſt, an & in quantum affecti infantes medicamenta & experimenta quædam perferant,

§. III.

§. III. In cura hujus affectus eædem cautelæ obſervandæ ſunt, quæ modo in atrophiæ explicatione traditæ ſunt, unde ad poſitivam therapiam mox progredior, in qua per initia eadem præparantia & reſolventia ordinari debent, quorum in præcedente affectu mentio ſacta fuit: cum hiſce vero conferri debent aromatica uſu modico & temperato: quo Zingiber & piper conditum ſpectat: ſubinde diæta conjungenda eſt mollis, liquida, pura, diluta, temperata, neque craſſa, viſcida, ſalina, fœculenta, aut frigida: neque vini uſus contemnendus eſt, quod reſolvente, roborante diuretica ſua efficacia in hoc morbo ſatis proficuum exiſtit: deinde eadem evacuantia, alvum & urinam modeſte liberantia ſubjungantur, quo primæ viæ repurgentur & impuritates a reliquo corpore removeantur: in quo caſu etiam congruus mercurii dulcis uſus commendandus eſt; ſalina evacuantia propter teneritudinem & ſenſibilitatem ætatis vix convenientem locum habent; proinde vero rhabarbarina, mannata & ſyr. roſ. ſolut. conducunt.

§. IV. Præterea interponenda ſunt abſorbentia teneriora ſimplicia, vel citrata, parca tamen quantitate & cum antimonio diaph. ſocianda: nec non Eſſentiæ Pimp. alb. caryophyllat. ſuccin. aut Tinct. antim. acr. cum Eſſ. Succini: interdum conducunt emulſiones cum abſorbente remedio combinandæ; & quando evacuationes ſufficienter præceſſerunt, nonnunquam pulvillum ex oc. cancr. citr. antim. diaph. corall. rubr. ppt. nitr. & croc. mart. antim. paratum exhibere licet: & quo concoctionis functioni ſubveniatur, licet uti ſeminibus carminativis, herbis ſtomachicis, Cort. aurant. citr. diverſæ ætati accommodandis: quemadmodum talia remedia offerri poſſunt nutricibus, quando infantes adhuc lactantur: alias trageæ & morſuli ex ejusmodi ſpeciebus parari & exhiberi poſſunt: volatilia & valde concentrata remedia tales teneræ ætates non perferunt.

§. V. Cum horum internorum remediorum uſu conjungi poſſunt externa auxilia, ubi alias commendantur thermæ temperatæ, quæ cum aliquo moderamine uſurpatæ non nocent: proſunt etiam balnea imprimis nervina e fl. cham. roſar. ſamb. acac. ſpic. herb. abrot. puleg. majoran. rorismar. betonic. polytricho aur. parata: cum quibus balneis alternentur inunctiones dorſi & articulationum cum oleo cham. laurin. menth, rorismar. ſerpill. rhod. Lumbr. terr. addito croco & tantillo camphoræ: licet etiam unguentum parare e rad. leviſt. valerian. caryophyllat. biſtort. herb. rutæ, ſalv. abrotan. matric. betonic. fl. calend. lavend. verbaſc. chamom. ſemin. aniſ. foenic. bacc. laur. croc. or. caſtor. quæ invicem mixta cum butyro non ſalito frixentur & in unguenti conſiſtentiam convertantur: pro uſu anodyno interne papaveracea, externe crocus & caſtorium conferunt: denique ejusmodi infantes cum congruo

gruo victu & amictu, ut & regimine bono tractari debent; nocet frigus, nocet parcus potus, nocet deſidia nimia; propterea tamen tenelluli infantes in ſpontanea obambulatione bene dirigendi ſunt, ne frequentibus lapſibus, aut deflexionibus ſubjiciantur.

CAPUT X.

DE CHLOROSI.

§. I.

COmplicatus hic eſt affectus & non ſolitarius, hinc vix ita cito curari poteſt: hæc complicatio conſiſtit in affectu cachectico & icterico-cacochymico; proinde adhuc duplex ſecundaria complicatio in hoc morbo attendenda eſt, quæ ad hiſtoricum illius affectus conſpectum nec non ad cauſalem nexum pertinet: una complicatio antecedit, altera conſequitur: prior conſiſtit in menſium perturbatione, poſterior febris accidentalem & ſymptomaticum concurſum continet; unde facile inclareſcit quanti & quotuplices reſpectus obſervandi ſint, qui ad therapeuticam hujus affectus tractationem pertinent, aut applicari debent: & quamvis in præcedentibus varia menſium vitia, quæ cum cachectica, cacochymica, icterica larva ſeſe produnt, explicata fuerint & inferius Febres diſerte & late pertractatæ ſint, tamen horum affectuum complicationem atque concurſum in præſenti morbo ſeorſim conſiderare lubet.

§. II. Quoniam vero ad ſcitam & peritam morborum curationem ſolers & judicioſa cauſarum inquiſitio & diſcretio requiritur, ita in hoc caſu præcipue menſium afflictorum ratio habenda eſt: ſiquidem alias hic morbus vix ſolide & e fundamento curari poteſt, ni antea menſium fluxus in congruum ordinem ducatur: proinde medicus ſollicite obſervare & connectere debet concurrentes motus hypochondriacos, in venæ portæ ſyſtemate ſævientes & nonnunquam ad vomitum cruentum tendentes, aut ad pectus ruentes & cum aſthmatico-cardialgicis afflictionibus ſeſe prodentes: adeo ut multam & magnam omnino occaſionem habeat artifex, quo motuum moderamini invigilet: deinde etiam ratio habenda eſt tam ſpiſſitudinis, quam dyscraſiæ ſanguinis, quam vitioſam qualitatem proinde ſufficienter emendare debet: ante omnia qui-

quidem præoccupare convenit, ne in nobilioribus abdominis viſceribus ſuſpecta quædam labes oriatur, quæ non modo dyſcraſiam ſanguinis conſervat, ſed & impedit, quo minus radicalis morbi cauſa extirpari queat: ſi quæ etiam animi pathemata, ut terror, timor, triſtitia, amor, deſiderium, ſollicitudo &c. diutius concurſent, neceſſe erit illis ita ſubvenire, ne curam impediant & morbum ultro augeant atque confirment.

§. III. Præſtat itaque in hujus affectus cura abſtinere 1) ab emeticis remediis 2) ab immodicis & potentibus alvi provocationibus 3) a negligenti, aut confuſa ſanguinis ventilatione 4) a negligentiori ordinariarum evacuationum promotione 5) a præmatura excretionum proſecutione, priusquam ſufficiens & viarum & materiarum præparatio præcesſit 6) a nuda humorum alteratione 7) a præmaturo et impetuoſo menſium impulſu 8) a præmaturo uſu ſalium volatilium 9) a communi martialium, ſic dictorum aperitivorum, uſu: 10) a triviali uterinorum medicamentorum ordinatione 11) a terreorum abuſu 12) a vulgari opiatorum oblatione 13) a medicamentis concentratis oleoſis, ſpirituoſis et valde commoventibus 14) ab inopportuno ſtomachicorum uſu 15) a communi Lignoſorum & balſamicorum uſu 16) ab omnibus adſtringentibus medicamentis et experimentis 17) ab indiſcreta antiſcorbuticorum ordinatione 18) a confuſa applicatione aquarum ſubterranearum 19) a nimia humorum incraſſatione & denique 20) a multo acidorum fixorum uſu.

§. IV. Specialis cura præſentis morbi paucis hisce abſolvitur indicationibus: 1) ut materiæ excernendæ convenienter præparentur: 2) ut juſto etiam ordine atque tempore evacuentur; 3) ut partes hactenus affectæ debite roborentur: Quoad primam indicationem triplex præparatio requiritur, primo ut impuritas ſeroſa abſtergatur & colliquetur; deinde ut inquinatio bilioſa ſeparetur & temperetur & denique ut tota maſſa ſangvinea diluatur & fluidificetur: quoad primum ſingula illa reſolventia & colliquantia remedia conveniunt, quæ in cachexiæ capite commendata, quæ hoc loco latius repetere non placet; quoad alterum talia conducunt, quæ in choleræ & icteri explicatione ad bilem abſtergendam & involvendam ordinata ſunt; quoad tertium eadem auxilia proficiunt, quæ in ſpiſſitudine ſangvinis, malo hypochondriaco, ſplenetico, ſcirrho hepatis & lienis & pasſim alibi ad ſangvinis mobilitatem & ſufficientem humiditatem adjuvandam & conciliandam laudata & nominata proſtant: quod ultimum adjumentum propterea in hoc affectu neceſſarium eſt, quo Hæmorrhagiæ ſalutares ſpontaneæ amiſſæ, iterum revocari poſſint.

§. V. Deinde neceſſariæ evacuationes promoveri debent & quidem ante omnia alvinæ, quo impuritates primarum regionum ſeroſæ & bilioſæ evacuentur; maxime quidem conducunt infuſa vinoſa e rad. angelic. vincetox.

 helen.

helen. pimp. alb. carlin. caryophyllat. tarax. apii, coſt. dulc. cyp. rot. ariſtoloch. rot. herb. fumar. cochlear. card. ben. abſinth. abrotan. puleg. roriſmar. menth. meliſſ. fl. cent. min. calend. lavend. ſtœch. arab. ſambuc. ſum. origan. Sem. anis. foenic. bacc. laur. cort. aurant. Cinnam. Rhabarb fol. Senn. fibr. helleb. nigr. bryon. agaric. addito arcan. tartari, paranda: conveniunt etiam pilulæ modeſtius aloeticæ, extr. panchymag. Crollii, pil. de ammoniaco, de agaric. de ſuccin. Cratonis: deinde conferunt ſalina laxantia tartariſata, ſal anglicanum, ſal. Egranum, terra fol. tart. ſpirit. de tribus; nec non alexipharmaca ſanguinem in æqualem motum dirigentia & periphericam excretionem invitantia: non minus proſunt remedia nitrata & ſalia digeſtiva, quæ diureſin facilitant, quo pertinent reſolventia vegetabilia paſſim alibi commendata.

§. VI. Inter alias evacuationes ratio etiam habenda eſt ventilationis ſanguinis, quæ in hoc caſu admodum neceſſaria atque utilis eſt, ſiquidem præſervatoriæ V. Snes in pede adminiſtratæ multum perturbatum menſium negotium ſublevant; & quando corpus ſufficienter præparatum eſt, tunc curam dirigere licet ad menſium reſtitutionem & juſtam promotionem, quæ ſanguinis imminutio in hoc morbo minime negligi debet: in hac Menſium promotione magis lenitate, quam vehementia opus eſt, quemadmodum ab hujus excretionis proſecutione conſtanter reliquæ evacuationes repetendæ ſunt; ſicut pro utroque ſcopo vina medicata proficiunt, quæ partim catharſin & diureſin, partim etiam menſes promovent & invitant.

§. VII. Denique etiam partium hactenus affectarum roborationi opera danda eſt, quæ tunc præcedentibus indicationibus ſocianda & ſubordinanda eſt, quando aliqualis humorum præparatio & evacuatio præceſſit: quare conducunt aromatica, vini uſus modeſtus, herbæ primas præcipue regiones roborantes, ut mentha, meliſſ majoran. abſinth. C. B. cent. min. abrotan. roſmar. ſemina ſtomachica noſtratia & ſimilia remedia: porro huc conferunt Eſſentiæ ari, helen. caryophyllat. pimp. alb. mixtura e Tinct. antim. tartar. & ſpir. C. C. parata, quibus annumero balnea nervina vaporoſa: huc porro ſpectant Tinct. mart. tartariſ croc. mart. antim. cum pulveribus temperantibus miſcendus: denique in tali affectu acidularum & thermarum temperatarum uſus modeſtus admitti poteſt.

CA-

CAPUT XI.

DE SCABIE.

§. I.

AD commune & valde refractarium vitium ſeri, ſive morbum ſeroſum me nunc converto, qui conſiſtit in inquinatione maſſæ ſanguineæ, præcipue vero lymphæ, quæ depravatio denique toti corpori communicatur, licet ſalutari ratione & inventione natura hoc inquinamentum a nobilioribus & internis partibus in ignobiliores & externas transferat & ſui corporis repurgationem proſequatur: eſt itaque hoc inquinamentum ſcabioſum plane ſpeciale, quod cum venerea labe non modo aliqualem genericam convenientiam habet, ſed & ſubinde cum eadem proximius interdum coincidit, unde vulgaris innotuit differentia inter benignam & malignam ſcabiem, quæ poſterior tanto magis rebellis & refractaria eſt, quo magis non modo venereum contagium deterioris indolis eſt, ſed & quæ ſcabies venerea eapropter magis immorigera exiſtit, quo magis etiam ſimplicior ſcabies utplurimum admodum contumax eſſe deprehenditur.

§. II Eſt proinde ſcabiei illa indoles, ut ſubtile ſeroſum acre contagium & inquinamentum intimius ſubtilem & laudabilem lympham inficiat & fermenti inſtar eidem adhæreat, craſin & conſiſtentiam illius depravet & ad corruptionem ulceroſam eandem proximius diſponat; hinc laudabilis & ſalutaris omnino conatus eſt, ſi tam deperdita lympha eliminatur, pernicioſum & periculoſum contra conamen eſt, ſi hoc inquinamentum modo in peripheriam corporis depoſitum, denuo ad interna nobiliora viſcera retropellitur: quare prudens medicus hanc ſcabiei depoſitionem in ſuperficiem corporis impedire minime, quin potius adjuvare & modeſte invitare & promovere debet: etenim illa plebeja experimenta, medicis aliquando plane uſitata, quibus ſcabies extrinſecus exſiccatur, maxime infida ſunt, quibuscum utplurimum ſuſpecta talis ſubtilioris fermentativi inquinamenti retropulſio conjuncta eſt: unde rectius convenit hujus inquinamenti materialis abſterſionem, colliquationem & excretionem adjuvare.

§. III. Subinde etiam cura ſcabiei accommodanda eſt diverſo illius gradui atque ſtatui, prout, illa vel ſimplex et benigna, vel complicata & maligna

gna, vel tractabilior, vel immoderatior exiſtit, maxime etiam attendendus eſt concurſus plethoræ & dyscraſiæ ſangvinis; ſiquidem utraque particularis qualitas multum ad ſcabiei exacerbationem & confirmationem contribuit: præterea ſcire convenit, quam mobile hoc ſcabioſum inquinamentum exiſtat, ſiquidem intrinſecus paulo intenſius commotum, non modo intimius maſſæ humorum inſinuatur & latius dispergitur, ſed & pernicioſum ſuum effectum ulceraſcentem accelerat: extrinſecus vero agitatum facile in alia loca pellitur & quoniam gelatinoſæ lymphæ ordinarie firmius adhæret, hinc hujus inquinamenti abſterſio minime præcipitari poteſt, imo cum lymphæ augmentum & alia accidentalis impuritas fomitem ſcabiei ſuppeditant, eapropter in therapia congrue invenienda & exercenda, ſinguli hi reſpectus bene annotandi & tractandi ſunt.

§. IV. In Cura ſcabiei recte adminiſtranda cavendum eſt 1) a frequentibus & impetuoſis catharſibus: 2) a vehementibus & diffuſis diaphoreſibus: 3) a prodigo abſorbentium aliorumque incraſſantium uſu: 4) a remediis volatilibus & nimis impetuoſe maſſam ſangvineam commoventibus: 5) a largo & inopportuno interno ſulphuratorum uſu: 6) ab externa ſulphuratorum applicatione: 7) ab internis ſuſpectis mercurialibus: 8) ab externa præmatura, copioſa & inordinata mercurialium ordinatione: 9) a communi & indiſcreto balſamicorum exoticorum acrium commendatione: 10) a regimine vel nimis æſtuoſo, vel nimis frigido: 11) a negligentiori primarum regionum repurgatione: 12) ab omnibus poſitive adſtringentibus remediis: 13) a Diæta valde alimentoſa & opipara: 14) a præmaturo aut nimis largo lignoſorum exoticorum uſu: 15) a ſangvinis curatoria ſubtractione: 16) ab indiſcreto ſalivationis uſu: 17) a balneis vaporoſis, nimio impetu in ſuperficiem corporis humores invitantibus: 18) a negligentiori veſtimentorum repurgatione: 19) ab usu lacticiniorum: 20) a perverſo regimine.

§. V. Specialis Scabiei Cura hiſce fundamentalibus nititur indicationibus 1) ut inquinamentum ſcabioſum a maſſa humorum abſtergatur, adeoque ſangvis mundificetur: 2) ut illud inquinamentum debite evacuetur: in qualibet indicatione adhuc particulares circumſtantiæ obſervari debent, quæ partim ad diverſam ſpeciem, partim ad diſcrepantem gradum ſcabiei pertinent; ubi adhuc quorundam accidentalium pathematum, hunc affectum comitantium, mentio injicienda erit, ne ex ſiniſtra horum tractatione genuina morbi cauſa exacerbetur & ſcabies in deteriorem ſtatum conjiciatur.

§. VI. Quod itaque prædictas indicationes attinet, tunc principale ſtudium eſt, quo ſangvis ab impuritate ſcabioſa repurgetur: id ipſum variis modis contingit, vel reſolventibus remediis, ut ſunt Eſſ. Ari. helen. imperat. angelic.

angelic. caryophyllat. vincetox. pimp. alb. fumar. ſcord. petaſit. gentian. alb. eximiæ vero utilitatis eſt Eſſ. pimp. alb.; vel colliquantibus ſalinis alcalinis, ut Tinctura antimonii acri; vel ſalibus detergentibus, modica quantitate, vel abſorbentibus cum acidis imprægnatis, vel antimoniatis fixis, vel balſamicis, ut Eſſentia Succini & Myrrhæ: quæ remedia ita varianda ſunt, prout ſubjecta diſcrepant; ſiquidem calidiora & acriora remedia pro temperatioribus reſervanda ſunt ſubjectis: ita pro humidioribus & magis pituitoſis conferunt Eſſentiæ Lignorum, Ligni Saſſafr. polychreſtra quaſi eſt Eſſentia Pimp. alb. ita in valde pituitoſis Tinct. Sulphur. interdum interponenda eſt: denique etiam eximie inquinamentum ſcabioſum abſtergit ſulphur, uſu interno in floribus cum abſorbente remedio remixtum modica quantitate adhibitum; & hoc ſulphur, uti non modo interne uſurpatum hoc inquinamentum reſolvit, ſed & expellit, ita peculiarem illam qualitatem habet, ut extrinſecus adhibitum retropellentem qualitatem exſerat: deinde efficaciſſime colliquat & ad excretionem diſponit inquinamentum ſcabioſum Mercurius, qui ſive dulcis interne, ſive in ſubſtantia externe, parcius adhibitus, ſua laude in hoc affectu non caret: denique etiam reſolvente & mundificante qualitate præditum eſt G. Iuniperinum, Therebinthina & reliqua Gummata.

§. VII. Hiſce reſolventibus, præparantibus & mundificantibus remediis ſubordinanda ſunt evacuantia, quorum diverſa conveniunt; & quidem proſunt remedia primas vias repurgantia & ſerum billioſum acre educentia, ne maſſa humorum ulterius ex hac impuritate inquinetur: hoc nomine proſunt extr. panchym. Crollii, mercur. dulc. maſſ. pil. de ſuccin. Crat. pil. de ammoniac. pilul. ex extract. fumar. ſcord. cochlear. cent. min. pimp, alb. vincetox. G. ammoniac. myrrh. ſuccin. juniper. therebinth. reſ. jalapp. agar. trochisc. mercur. dulc. paratæ: & talia evacuantia per intervalla repetenda ſunt: porro conducunt alexipharmaca, cum modeſto regimine uſurpanda, quo pertinet Eſſ. alexipharm. Stahliana: ita etiam prædictus moderatus Sulphuris uſus internus, antimon. diaph. & decocta lignoſa hanc inquinamenti ſcabioſi translationem in ſuperficiem corporis adjuvant: cavendum vero eſt, ne nimis calidum regimen ordinetur, neve cum impetu ſudor diffuſus eliciatur: denique etiam mitiora diuretica proſunt, quo ſerum impurum etiam per hanc ſpeciem excretionis educatur & huc conferunt Eſſentiæ helenii, vincetox. pimp. alb. ſuccin. ut & therebinthinata remedia.

§. VIII. Præter has generales practicas Scabiei tractationes ſeorſim adhuc nodandum eſt, quod in ſcabie refractaria præter hæc generalia adminicula proſint modeſtæ inunctiones cum ungvento mercuriali: quo tempore interne Eſſentia alexipharm. aut mixtura ex Eſſ. pimp, alb. vincetox. ſuccin. &

 fumar.

ſumar. adhibenda eſt; non minus mercurii dulcis uſus ad duo grana cum abſorbente ſubjecto & antimon. diaph. mixtus per triduum adhibitus, ſed cum ſufficienti vehiculo aſſumptus, proficit, quo tempore eædem Eſſentiæ ſubordinandæ ſunt: ita pro eodem refractario ſcabiei gradu confert Tinct. ant. acr. cum Tinct. ſulphur. mixta, ut & in ſubjectis humidioribus decocta lignoſa, balſamus de copaiva: externa in tali ferina ſcabie parum proſunt, unde potius per interna negotium abſolvere convenit: in quo ſtatu interdum pulveres temperantes nitroſi oblati proficiunt, quo immorigeri motus in tantum mitigentur: balnea nunquam in ſcabie ſingularem aut fidam utilitatem habent: denique aliquando in ferina ſcabie modeſta ſalivatio locum invenit, modo antea corpus ſufficienter præparatum ſit: præterea cum prædictis adminiculis conjungenda eſt accurata ratio regiminis congrui & diætæ idoneæ.

§. IX. Mentio etiam facienda eſt ſymptomatum in ſcabioſo affectu nonnunquam occurrentium: quodſi itaque febrilis commotio ſeſe conjungat, tunc confert pulvis temperans nitroſus & Eſſ. alexipharmaca: ſi ſcabies retropulſa eſt, tunc conducit tempeſtiva laxatio cum mercurio dulci adjuvanda, deinde Eſſ. fumar. valerian. pimp. alb. ſuccini, aut Tinct. antim. acr. Tinct ſulphur & Eſſ. ſuccin. nec non flor. ſulphur. c. abſorb. & antim. diaph. remixti, aut in ſubjectis humidis decocta lignoſa, vel Eſſ. Lign. Saſſafr. c. reliquis Eſſentiis combinata: quando febris a retropulſa ſcabie ingruit, tunc proſunt pulveres temperantes & Eſſentia pimp. alb. helen. vincetox. caryophyllat. ſcord. valerian: quando tumores a ſcabie retropulsa oriuntur, eadem conferunt, quæ modo ad retropulſam ſcabiem commendata ſunt, externe vero reſolventia & nervina in ſacculis & fomentis conveniunt: ad nimium ardorem & pruritum demulcendum, convenit modeſta frictio cum molliori excutia, aut modeſta asperſio cum lixivio alcalino ſimpliciori & dilutiori, quæ quidem pruritum exasperare videtur, ſed quam mox lenitio excipit: proinde etiam cavendum eſt, ne nimium exæſtuetur corpus: emplastica ad hunc pruritum nihil conferunt: ad ſeparationem craſſiorum & duriorum cruſtarum convenit oleum ovorum cum Eſſentia ſuccini dilutum: vix enim tantum in cutaneis affectibus myrrha proficit.

§. X. Quod denique Scabiem veneream attinet, tunc ad illam eadem remedia conferunt, quæ ad affectum venereum prosunt, maxime vero ſecura mercurialia & decocta lignoſa, aut pro urgente gravitate affectus modeſta ſalivatio: pauca adhuc quoad diætam & regimen ſcabioſorum addere lubet: in ſcabie itaque frigus internum & externum nocet, modeſtus & conſtans calor prodeſt: aër humidus, turbidus & vappidus obeſt: cibus ne ſit valde nutriens, craſſus, ſalinus, pingvis, largiter aromatisatus, ſed temperatus & dilutus:

hinc

hinc vulgo pingvedines animalium facile ranceſcentes nocent, qualis eſt ſuilla: potus ſit ſufficiens, ſed purus: veſtimenta, imprimis induſia frequentius mutentur, ne inquinamenta, quæ ſemel exſpirarunt, denuo retrolabantur & corpus iterum inquinent; omnia denique illa omittantur, quæ impetuoſius ſangvinem commovent.

CAPUT XII.

DE
DE LEPRA ET ELEPHANTIASI.

§. I.

PRæſentes affectus Leproſi habent cum præcedente ſcabioso aliquam affinitatem, licet inquinamenti hujus leproſi ſpecifica conſtitutio minime conſtet, quemadmodum hæc intellectus humani labes in omnibus contagioſis morbis occurrit; interim ex energia hujus inquinamenti tantum judicare licet, quod materialis cauſa horum morborum ſit contagioſa, quod non modo totam humorum maſſam inficiat, ſed etiam reliqvum corpus maxime externum contaminet: ubi adhuc ſingularis naturæ activitas & directio annotanda eſt, quod perniciosum hoc contagium ab internis nobilioribus partibus in externam ignobiliorem regionem corporis transferat; etenim ſi talis corruptela internas teneriores & nobiliores partes detineret, facile lethalis eventus conſequeretur; inde etiam contingit, ut, ſi hæc labes leprosa non modo augescit & increbescit, ſed interiora occupat, denique ſuperveniente hecticodeo affectu funeſtus exitus hiſce miserandis morbis finem imponat.

§. II. Et quanquam vulgo in ejusmodi morbis impuritates ſalinæ fixæ, tartareæ, acidæ auſteræ, aut etiam ſulphureæ accuſentur, tamen hæc hariolatio parum ad practicam applicationem utilitatis confert; ſiquidem in cura horum morborum totus labor eo redit, quo hoc inquinamentum abſolute & tempeſtive eliminetur, licet ante hanc excretionem modeſta involutio & alteratio illius contagii locum inveniat, in qua tamen diu occupatus eſſe haud debet prudens artifex: proinde etiam noſſe convenit, quomodo hi affectus non raro cum venereo inquinamento coincidant, ſicut ſupra indicatum fuit, quod ſcabioſæ impuritates aliquam harmoniam habeant cum venerea infectione, id

quod

quod etiam hoc loco de leproſis affectibus inculcandum eſt: denique bene notare & ad uſus practicos obſervare convenit, quod hi affectus communiter contagioſi ſint, adeoque in cura multa aſſiduitate & dexteritate indigeant.

§. III. In Therapia horum morborum cavendum eſt 1) ab inſufficienti aut neglecta primarum viarum & craſſiorum impuritatum repurgatione & evacuatione: 2) a nimis frequenti & ſimul valde copiosa & impetuosa evacuatione: 3) a nimis vehementi commotione humorum: 4) a regiminibus valde æſtuoſis aut viciſſim nimis laxis & refrigerantibus: 5) a ſuſpectis mercurialibus; 6) a præmaturo aut copioſo ſulphuris uſu interno: 7) ab externis ſulphuratis aliisque repellentibus, aut præmature exſiccantibus: 8) a ſalium volatilium uſu curatorio: 9) a nimis incraſſantium uſu; 10) ab internis & externis adſtringentibus 11) a ſuperflua humorum correctione & evacuationum negligentiori promotione: 12) ab externis pingvibus facile ranceſcentibus & ulceroſam corruptionem magis defœdantibus.

§. IV. Poſitiva horum morborum Cura ita exercenda eſt, ut ante omnia corpus a craſſis impuritatibus liberetur, quo ſcopo in aptis ſubjectis convenit emeſis, cum Sulphure antimon. aut rad. aſari provocanda: deinde conducunt moderatæ purgationes, quo pertinent pilulæ parandæ ex extr. fumar. cochlear. cent. min. helen. pimp. alb. valerian. gentian. rubr. galb. bdell. myrrh. thereb. reſ. jalapp. extr. helleb. nigr. mercur. dulc. agaric. trochiſc. huc etiam pertinent pil. de agaric. extr. panchym. Croll. c. mercur. dulc. miſcenda: porro proſunt vina medicata, paranda e rad. helen. valerian. pimp. alb. vincetox. angelic. bardan. petaſit. chin. Saſſapar. herb fumar. cochlear. ſcord. card. bened. beccaburg. abrotan. menth. roriſmar. cuſcut. fl. cent. min. ſambuc. acac. calend. ſtæchad. arab. ſumit. origan. ſem. anis. fœnic. bacc. laur. Lign. Saſſafr. Cort. Citr. aurant. fol. Senn. Rhabarb. fibr. helleb. nigr. polyp. quern. agarico, addito arcano tartari.

§. V. Porro conveniunt remedia intrinſecus maſſam humorum abſtergentia, reſolventia, mundificantia & inquinamentum in peripheriam corporis transferentia: hoc nomine conducunt decocta e rad. Scorzon. Cichor. apii, bardan. pimp. alb. chin. ſarſap. herb. ſcord. veronic. fumar. ſapon. capill. vener. Lign. Saſſafr. Santal. citrin. ſem. fœnic. bacc. laur. proinde conferunt Eſſentiæ helen. pimp. alb. vincetox. fumar. Succin. Myrrh. Lign. Saſſafr. ſcordii: ut & mixtura e Tinct. antim. tartar. Eſſ. ſuccin. & myrrh. parata: in ſubjectis robuſtis præparato primum corpore concedi poteſt uſus antimonii crudi, ad exigua grana per tres aut quatuor dies continuandus: aut proſunt flor. ſulphur. cum abſorbente remedio mixti: nec non balſamus ſulph. cum oleo amygd. dulc. paratus, ut & Tinctura ſulph. per intervalla exhibenda: quibus

ſulphu-

ſulphuratis remediis interponenda nonnunquam ſunt abſorbentia, modica tamen quantitate: proinde etiam adhiberi interdum poteſt pulvis ex oc. cancr. citrat. corall. rubr. ppt. & nitr. depurat: ſi venereum inquinamentum concurrit, paulo magis decocta lignoſa in uſum trahi poſſunt: multam de reliquo utilitatem habent decocta in hisce affectibus, quibus etiam herba ſcordii conjungenda, quæ ſingularem efficaciam corruptionem extingventem & balſamicam in hisce morbis habet.

§. VI. Præter hæc interna etiam nonnulla auxilia conſtant, quæ ab extra adhibita perinde aliquam utilitatem afferunt: ex hisce ordino balnea, quæ præparato prius corpore conveniunt & ad eliciendam materiam peccantem in peripheriam corporis quadrant: hisce balneis addi poſſunt herbæ ſcordii & ſaponariæ, quæ mundificante ſua qualitate conferunt: non minus admitti poſſunt temperatæ thermæ: ſunt qui radicem oxylapati balneis talibus admiscere jubent, quæ efficaciter & leniter adſtrictorio effectu ſuperficiem corporis roborare dicitur: porro modeſtus uſus lixivii e cineribus clavell. paratus pro lavamento concedi poteſt: alia vero Lixivia ſulphurata non niſi circa finem curæ admitti debent, quo tempore etiam cum eximio moderamine adhiberi poſſunt: in recentioribus ulcerationibus leproſis ad mundificationem efficaciorem conducunt olea empyrevmatica: præterea in tali affectu ſedulo veſtimenta ſunt mutanda & repurganda, nec non transſpiratio in conſtanti ſucceſſu conſervanda: diæta etiam temperatisſima ordinetur & quantum fieri poteſt carnium & pingvedinum uſus evitetur: potius juscula mucilaginoſa, pruna, paſſulæ ſub diæta conveniunt: an ſecundum Borelli commendationem remedia e ſerpentibus parata in hisce affectibus adeo proſint, adhuc experientia atteſtari debet: neque denique penitus in congruo ſubjecto & tempore modeſtus ſalivationis uſus contemnendus eſt.

CAPUT XIII.

DE

DIABETE.

§. I.

Excesſiva urinæ excretio utplurimum nititur exacerbato motu urinæ ſe- & excretionem abſolvente & conſtituente, ad quem propterea tota

thera-

therapia dirigenda eſt: proinde vero conſiderandæ ſunt illæ cauſæ, quæ talem motum exacerbarunt, quales utplurimum non aliæ ſunt, quam talia ſubjecta, quæ vias urinarias valde ſtimulant & ſic dictis poſitive diureticis remediis accenſeri poſſunt, ſicut de cantharidibus & ſalibus volatilibus conſtat, quod talem affectum interdum provocaverint: aſt quoniam acres ejusmodi materiæ & qualiacunque alia ſpicula vix hunc excesſivum urinæ fluxum excitarent, niſi motus in diureſeos negotio auctus eſſet, hinc primario loco providus artifex ad prædicti motus exceſſum advertere, ſubinde etiam præcavere debet, ne materiæ illæ atque cauſæ, motum illum irritantes, in energia ſua continuent.

§. II. Talis motus non modo in augmento toni in renibus conſiſtit, ſed etiam præcurrentes & continuantes congeſtiones immoderatiores præſupponit: hinc evenit, ut in reliquo corpore inſolitæ commotiones ſangvinis orgaſticæ coincidant, tanto magis etiam præcavere convenit, ne in ſubjectis plethoricis febriles & inflammatoriæ commotiones concurſent, quæ præſentem affectum eo acerbiorem reddunt: hinc providus medicus perinde attendit, ne in ejusmodi ſubjectis, plethoræ commotionibus & hæmorrhagicis moliminibus obnoxiis, ſuſpectæ tales commotiones ſuperveniant, quid quod ſubinde præcavet, ne talia vel medicamina vel regimina admittat, quæ ſuſpectorum horum motuum concurſum invitant: eo minus vero negotium ſecure ſuccedit, quando excesſivi tales motus, per contraria curantur & ſubito ſupprimuntur, unde perinde vel extreme pernicioſæ urinæ ſuppresſiones, vel periculoſæ inflammationes excitantur: ad atoniam denique non adeo rigoroſe advertere convenit, quoniam remedia, aliqualem atoniam inducentia, huic affectui opem afferre deprehenduntur: eo magis autem prudentia opus eſt in præſentis affectus ſecura, ſincera & ſolida therapia, quo citius motus excedentes adhuc magis exacerbari, quam tranquillari & mitigari poſſunt.

§. III. In rationali ac prudenti Therapiæ adminiſtratione cavendum eſt 1) ab omni impetuoſa & craſſa evacuatione: 2) ab alvinæ excretionis perturbatione, aut incongrua promotione: 3) a præmaturo uſu adſtringentium medicamentorum: 4) a narcoticorum remediorum communi uſu: 5) a remediorum volatilium curatorio uſu: 6) a nimia humorum incraſſatione: 7) a remediis calefacientibus & concentratis: 8) a diureticis medicamentis; 9) ab oleoſis therebinthinatis, ſuccinatis, aniſatis, ſulphuratis: 10) a nimia viarum emollitione & relaxatione: 11) a nervinis acrioribus & valde ſpirituoſis: 12) a medicamentis valde acidis: 13) a largiori ſalinorum oblatione, quæ diureſin magis augent; 14) a ſpecificorum vias urinarias adſtringentium liberali & præmaturo uſu.

§. IV. Specialis Therapia præſentis affectus hisce indicationibus nititur: 1) Motus excesſivi mitigandi: 2) ſymptomata concurrentia lenienda ſunt: Motus quod attinet, tunc illorum mitigatio abſolvitur Lenitione, Temperatione, Sedatione & Adſtrictione: Lenitio peragitur Clyſteribus emollientibus, decoctis mucilaginoſis, gelatinis, jusculis pingvibus, emulſionibus, lacticiniis, pultaceis, oleis emollientibus & temperatis nervinis: Temperatio adminiſtratur pulveribus antiſpasmodicis cinnabarinis, abſorbentibus, coralliis rubr. ppt. Sedatio peragitur Emulſionibus papaveraceis, MPil. de Cynogl. extr. Chaccarill. cinnab. Syr. papav. rhæad. diacod. mont. Theriac. Adſtrictio abſolvitur vel cum communibus tonicis, vel ita dictis ſpecificis: utrorumque mentio facta fuit in Mictus Cruenti explicatione: ſicut in hoc affectu Millefolii uſus etiam admitti poteſt.

§. V. Symptomatum cura in hoc affectu peculiarem ſibi locum vindicat: alvi adſtrictio cum clyſteribus & rhabarbarinis remediis corrigitur: febrilis commotio abſorbentibus & nitroſis medicamentis, nec non diaphoreticis fixis mitigatur, quo temperatæ Eſſentiæ alexipharmacæ proficiunt: virium dejectio tractanda eſt cum emulſivis, gelatinoſis, jusculis pingvibus Krafft-Suppen, pulpamentis, amygdalatis, Julapiis non acidis: internos dolores mitigant etiam Eſſentiæ reſolventes, caryophyllatæ, helen. pimp. alb. ſuccin. additis Eſſentiis roborantibus abſinth. menth. gentian. rubr. cort. aurant. circa finem curæ providendum eſt, quo alvina excretio ſit libera & partes hactenus affectæ roborentur, quo pertinent mixtura & Tinct. antim. tartar. Eſſ. Succin. & Spir. C. C. qualis mixtura vero parcius adhibenda eſt: proinde etiam modeſtus aromaticorum uſus conducit: quæcunque vero vias urinarias ſtimulant & offendunt, ſedulo vitanda ſunt.

CAPUT XIV.

DE

IMMINUTIONE URINÆ.

§. I.

DEfectiva urinæ excretio eſt morboſa, adeoque medela indiget: præſtat in cura hujus defectus cauſas ſolennes noſſe, obſervare & ad easdem therapiam congrue applicare: maximi quidem momenti illa urinæ immi-

imminutæ ſpecies eſt, quæ a prægreſſis internis adſtrictionibus viarum, nec non quæ a vitio & labe hepatis & renum ortum trahit: alias communis illa eſt urinæ imminutio, quæ a calculo ſive renum ſive veſicæ oritur: proinde ſollicitus artifex morbos prægreſſos obſervare debet, qui interdum ſuſpectam talem internam adſtrictionem poſt ſe relinquunt: ad quam deinde animum in cura applicare debet: maxime quidem attendere convenit, an in hoc affectu actuales quædam ſpasmodicæ commotiones concurrant, an Menſium aut Hæmorrhoidum obſtructiones præceſſerint: an affectus venerei prægreſſi fuerint: an humorum ſpisſitudo in culpa ſit, an internæ excreſcentiæ præſto fuerint & quæ aliæ adhuc cauſæ obſervandæ ſunt: multa etiam attentione opus eſt, in illa peculiari circumſtantia dijudicanda, an ſubjecta alias ad largam diureſin adſveta, aut ſubinde etiam plethorica & congeſtoriis atque ſpasmodicis commotionibus obnoxia ſint, in quo ſtatu talis morboſus diureſeos affectus periculoſioribus ſuccesſibus & conſecutionibus expoſitus eſt.

§. II. In Cura præſentis morbidæ afflictionis ſequentes cautelæ practicæ obſervandæ ſunt: 1) nocent alvinæ excretionis perturbationes, aut perverſæ promotiones 2) obſunt remedia poſitive urinam pellentia 3) abſint ſalia volatilia, tanto magis oleoſa 4) omittantur remedia humores & vias valde commoventia 5) abſtinendum eſt a remediis vulgatis, renum affectibus oppoſitis, concentratis, videlicet ſuccinatis & therebintinatis 6) officiunt famoſa experimenca lithontryptica 7) ſeponantur copioſa diluentia interna, quamdiu actualis viarum conſtrictio durat 8) excludatur nimia viarum emollitio & relaxatio 9) nocet communis uſus experimentorum aperitivorum 10) obeſt indiſcreta hujus affectus tractatio, poſthabita juſta cauſarum diſcretione 11) vitentur remedia motus congeſtorios exacerbantia & denique 12) omittantur omnia illa remedia quæ aliqualem conjunctam & ſubtilem adſtrictoriam qualitatem habent.

§. III. Specialis Therapia præſentis affectus differt quoad ſuas cauſas: quando itaque urina imminuitur ob vehementem & contumacem congeſtionem ſanguinis ad renes, tunc conveniunt clyſteres emollientes, ſanguinis artificialis ſubtractio & pulveres nitroſi, ſubjunctis gelatinoſis & emulſivis adminiculis: quando præceſſerunt ſuſpectæ adſtrictiones internæ, tunc conducunt nitroſa, ſalia deterſiva tartariſata, ſal anglicanum, laxantia remedia amara & interna humectantia; quo etiam ſpectant vina medicata laxantia & modeſte reſolventia, quibus ſalia tartariſata combinari poſſunt: quando contumaces ſpasmi hunc affectum cauſantur, tunc proſunt clyſteres emollientes & cum herb. veronicæ parati, pulveres antiſpasmodici, emulſiva ſimplicia & papaveracea, gelatinoſa, diluentia, interna emollientia, lacticinia, juſcula pinguia,

guia: quando nimia humorum craſſities in culpa eſt, tunc illa proſunt, quæ ſimplici modo humores diluunt & vias leniunt atque emolliunt.

§. IV. Quando internæ vel externæ refrigerationes ad contumacem viarum urinariarum conſtrictionem diſpoſuerunt, tunc ab extra calidæ fomentationes, cataplasmata &c. interne vero decocta & juſcula calida conducunt, qualia auxilia etiam in alia diureſeos obſtructione & viarum conſtrictione proſunt: quando calculus renalis, aut veſicæ urinæ excretionem impediunt, tunc ſpasmi concurrentes leniendi & mitigandi ſunt & quidem cum illis adminiculis, quæ ſuo loco commendata proſtant: deinde providendum eſt, quo abſtructio colli veſicæ dextre reſeretur; præterea conveniunt interna & externa emollientia, modica tamen quantitate adhibenda: multum etiam in hoc paſſu conferunt clyſteres emollientes: quando ex obſtructione glanduloſarum abdominis partium urinæ excretio imminuta eſt, tunc illa conveniunt, quæ in cachexia & hydrope aſcite reſolvente, præparante & diuretico ſcopo laudata & approbata ſunt, quo etiam infuſa vinoſa reſolventia & laxantia ſpectant, nec non ſalina incidentia & detergentia, ſub variis nominibus uſitata.

§. V. Quodſi carunculæ quædam in urethra hærentes, urinæ excretionem impediant, tunc eædem cum temperatis ſepticis remediis auferendæ ſunt: ſi craſſa diæta in culpa eſt, quo minus prompte & ſufficienter urina excernatur, tunc illa emendanda eſt: Minime conſultum eſt, urinæ excretionem mox per poſitiva diuretica urgere velle, ſed præſtat rectius per initia mitiora uſurpare, ſucceſſive vero temperata diuretica interponere: quemadmodum nonnunquam ad promovendam hanc excretionem conferunt fomenta vaporoſa & inſeſſus: in infantibus clysmata emollientia in tali caſu admodum proficiunt, in adultioribus viciſſim pro uſu proximius diuretico confert mixtura e Tinct. antim. tart. & Eſſ. Succini parata.

CAPUT XV.

DE

INCONTINENTIA URINÆ.

§. I.

INvoluntaria Urinæ emiſſio, quatenus morbida eſt, multum calamitatis & ſollicitudinis artifici parit, ſiquidem genuina illius & proxima cauſa con-

 ſiſtit

ſiſtit in defectu motus, qualis defectus communiter vitalitati eſt oppoſitus; quapropter multam difficultatem hujus affectus cura involvit, ita ut interdum hæc afflictio plane incurabilis exiſtat, ni mature idonea medela ordinetur: cauſæ enim, quæ ad hunc affectum diſponunt, ita comparatæ ſunt, ut exquiſitam & magnam offenſionem conſtituant, quæ præcipue ſenſibili ſphincteri veſicæ urinariæ inducitur: quando itaque hæc motus amisſio diutius continuat & in habitum degenerat, tunc ægerrime ille motus revocari poteſt & quando peritus artifex huic afflictioni ſalutarem opem afferre ſperat, tunc tempeſtive cum congruis auxiliis ſuccurrere debet: quemadmodum autem prudens medicus proximius ad hunc motus defectum attentionem dirigere debet, ita etiam ſubinde ad illas cauſas retroſpicere convenit, quæ hunc motus defectum invitarunt, an nimirum eædem adhuc continuent & affligant, quæ in tali caſu antea removeri debent, tunc paulo facilius neceſſarii motus revocari posſunt,

§. II. In cura præſentis afflictionis dextre adminiſtranda cavendum eſt 1) a copioſis, crasſis, impetuoſis & cum ſenſibili ſtimulo provocatis evacuationibus: 2) a remediis valde calefacientibus & vias atque humores admodum irritantibus: 3) a nervinis internis valde concentratis & acribus: 4) a volatilium inopportuno & nimis copioſo uſu: 5) a præmaturo uſu adſtringentium: 6) tanto magis a potentioribus adſtringentibus: 7) a diureticis & ſimilibus remediis vias urinarias ſtimulantibus: 8) ab opiatis medicamentis: 9) a concentratis ſuccinatis, Therebinthinatis & ſulphuratis remediis: 10) a nimium emollientibus & relaxantibus: 11) a refrigerantibus tam medicaminibus, quam regiminibus: 12) a nimis confuſa medicamentorum oblatione, quæ præſentem affectum magis auget, quam minuit.

§. III. Specialis Therapia concernit morbidum ſtatum incontinentiæ urinæ & minime mictionem illam puerorum ex mala conſuetudine provenientem: quare de illo caſu mihi ſermo eſt, quando in ſphinctere veſicæ urinariæ neceſſarius tonus deficit: Præſtat itaque in cura hujus affectus per initia primas regiones ab inhærentibus impuritatibus liberare, quo mitiora laxantia & in adultioribus vina medicata pertinent, quæ poſteriora parari poſſunt e rad. angelic. caryophyllat. pimp. alb. leviſtic. gent. rubr. cyper. rot. coſt. dulc. herb. menth abſinth. cochlear. roriſmar. ſerpill. &c. Rhabarb. polyp. quern. deinde nonnunquam ordinari poſſunt clyſteres nervini cum dimidia vini parte parandi: porro interne proſunt Eſſentiæ Pimp. alb. caryophyllat. Succin. Cort. aurant. gentian. rubr. Cinnam. Caryoph. aromat. cum tantillo Ambræ: nec non mixtura ex Eſs. Millefol. pimp. alb. caryophyllat. gentian. rubr. & Spir. Sal. Ammon. aniſato: interponantur pulveres ex oc. cancr. citra-

tis,

tis, C. C. uſt. corall. rubr. ppt. ſpec. de hyacinth. Nuce Moſchata & maſtiche, quæ ſpecies diverſimode combinari poſſunt: non minus confert mixtura ex Eſſ. Succin. Cort. aurant. nuc. moſchat. milleſol. pimp. alb.

§. IV. Præterea etiam externa apta auxilia roborantia & modeſte adſtringentia conveniunt & quidem cataplaſmata e rad. caryophyllat. leviſtic. valerian. galang. ir. flor. biſtort. Herb. Menth. abrotan. ſerpill. roriſmar. calaminth. puleg. ſalv. thym, agrimon. alchimill. fl. chamom. roſar. lil. convall. hyper. Sem. foenic. aniſ. bacc. laur. &c. additis oleis N M. cinnam. caryophyll. arom. tantillo croci, ambræ & caſtorii; porro conducunt linimenta ex oleo chamomill. ſimpl. & deſtillato, oleo rutaceo, nucis moſch. ſerpill. menthæ, maſtichin. hypericon. &c. proſunt etiam ſuffimigia paranda e rad. leviſtic. ir. flor. biſtort. herb. nervinis, Thur. maſtich. ſuccin. benzoe, ſtorac. calam nec non fomenta vaporoſa nervina: Empl. nervinum; oxy croceum, de Tacamahac, de baccis lauri, de mica panis: aut mixtura e ſpir. vin. camph. ſpirit. lumbr. terr. ſerpill. Eſſ. croc. & ambr. ita etiam oleum ſuccini cataplaſmatibus & linimentis modica quantitate additum conducit: denique etiam injectiones nervinæ et leniter adſtringentes cum lacte parandæ, quibus tantillum aloes & croci orient. immiſcere licet, conveniunt, quales injectiones etiam in illo caſu locum inveniunt, quando circa collum veſicæ ulceratio quædam genita, præſentem affectum conſtituit.

§. V. Paucis denique mentio injicienda eſt remediorum ſic dictorum ſpecificorum, quorum paſſim inter medicos practicos mentio occurrit: ex hisce utplurimum & cum approbatione laudantur loca pudendalia ſuilla de quibus conferantur. A. N. C. quo quidam pudenda apri referunt: nonnulli ſubſtituunt veſicam apri cum urina incluſa, quæ vero haud tantum proficit: ruſtici e pudendis ſuillis parare ſolent ſarcimina, quæ in talcolos conciſa infantibus ſuis lectimingis exhibent: porro laudatur medulla ſaxorum cum oleo cort. aurant. quæ aliquando ſpei ſatisfecit: alibi commendatur guttur galli toſtum cum vino offerendum; erinaceus combuſtus, piſcis in Lucio piſce repertus, vulva leporis; de quibus plurimis adhuc ſuffragium experientiæ conſulendum eſt: ad minimum hæc ſola ſpecifica in præſenti caſu negotium vix abſolute et penitus abſolvunt, quare alia utilia adminicula conjungenda ſunt.

CAPUT XVI.

DE

ISCHURIA ET DYSURIA.

§. I.

DUm præſentes affectus in difficiliori & impeditiori urinæ excretione conſiſtunt, ita ad horum practicam explicationem præcedens imminutæ urinæ tractatio alludit, adeo ut in præſenti conſideratione eo magis brevitati ſtudere queam: præſtat vero horum affectuum diverſas cauſas probe obſervare & ad easdem medendi methodum ſolide & ſincere accommodare, ſicut in præcedenti imminutionis urinæ deductione, ſpecimen quoddam ſubminiſtravi, quomodo ſecundum diverſitatem cauſarum, ſpecialis cura diſcrepet: præcipue quidem iterum in disquiſitione & dijudicatione ætiologica prærogativam aliquam meretur conſideratio motuum congeſtoriorum & ſpaſmodicorum ad tales affectus contribuentium, quippe qui longe acerbiorem & ſenſibiliorem reddunt illorum ſtatum: deinde provide annotari debent prægreſſæ inconſultæ adſtrictiones, concurſus nephritici ſive ſimplices, ſive calculoſi: nec non ſi meatus urinæ obſtructionem quandam perpesſi ſunt, ſi excreſcentia quædam præternaturalis urethram anguſtat & exitum veſicæ obſtruit &c. in quibus caſibus ſimul annotare convenit, an febriles, inflammatorii, congeſtorii & ſpasmodici affectus ſuperveniant & concurſent aut inſiſtant, e quibus circumſtantiis gradus & indoles horum affectuum tanto magis inclareſcit.

§. II. In hisce affectibus eædem cautelæ obſervari debent, quæ in imminutionis urinæ tractatione commemoratæ ſunt: quare in ſpeciali cura præſtat ante omnia alvinam excretionem liberare cum clyſteribus lenientibus oleoſis, aut mannatis, rhabarbarinis, tamarindinatis, paſſulatis, prunatis, aut ſalinis tartariſatis: deinde præſtat in illo caſu, ubi congeſtiones ſanguineæ & ſpasmodicæ commotiones, ſanguinis evacuationem urgentes in culpa ſunt, quando neceſſitas poſtulat V. Snem admittere & pulveres nitroſos aut antiſpasmodicos cinnabarinos adhibere; ſubjungi poſſunt in eodem caſu lenientia, emulſiva, gelatinoſa, lacticinia, decocta lenientia, decoctum veronicæ, foenic. liquirit. externe conducunt cataplasmata lenientia, cum croco, camphora, caſtorio mixta: huc pertinet modeſtus uſus unguenti infrigidantis Galeni & Comitiſſæ, nec non Empl. ſapon. Barbette: quæ externa lumborum regioni applica-

plicari poſſunt: non minus conferunt inſeſſus, linimenta lenientia & modeſte reſolventia; ſacculi diſcutientes, fotus lenientes & mitius nervini: interne vero emulſiones cum Sem. Card. Mar. multam utilitatem promittunt.

§. III. Et ita etiam reliquis cauſis accommodanda eſt Therapia, ſi videlicet calculus in culpa fuerit, advertere convenit, an calculus adhuc fuerit in renibus, an in ureteribus, an in veſica, ubi antiſpasmodica, lenientia, emollientia, ſelecta ſedativa, paregorica, aut etiam catheteris applicatio commendari debent: ſi contumax adſtrictio circa veſicam urinariam contigerit, interna lenientia, gelatinoſa, decocta, juſcula, externa linimenta, cataplaſmata, fomenta, balnea, unguenta lenientia & parcius nervina conducunt: quando aliqualis apertio obtenta & calculus a collo veſicæ remotus fuit, tunc licet remedia diureſin invitantia cum moderamine adhibere, velut Tinct. antim acr. cum liqu. terr. fol. tart. & Eſſ. ſuccin. aut ſuccum Raphani cum hauſtulo vini dilutum, ſemina apii, bardanæ, petroſelini, violar. emulſiones ex aqu. ſcord. fœnic. ſl. ſamb. petroſel. amygd. dulc. & amar. ſem. violar. & papav. alb. Si nimii dolores hos affectus comitantur, proſunt emulſiones ſimpliciores lenientes, oleum amygd. dulc. olivar elæoſaccharum, Maſſa Pil. de Cynogl. ab extra vero cepæ aſſatæ cum lacte calido & croc. orient. in cataplaſma redactæ, oleum ſcorpion. cum oleo lil. alb. & hyoſcyam.

§. IV. Quando ſanguis aut mucus in collo veſicæ aut urethra detentus hosce affectus cauſantur, tunc conveniunt interna emollientia, pinguia, oleoſa, ab extra vero conferunt injectiones oleoſæ lenientes & catheteris applicatio: præſtat inſuper quo alvus lubrica ſit, quare clyſteres emollientes & oleoſi conducunt: proficiunt etiam aliæ topicæ lenitiones, per balnea, linimenta & cataplaſmata obtinendæ, quo viæ rite aperiantur: ſi caruncula venerea horum affectuum cauſa fuerit, tunc per ſelecta & temperata ſeptica, nec non per inſtrumenta apta illius ablatio inſtituenda eſt: ſi interna inflammatio hos affectus invitaverit, tunc adhiberi poſſunt temperantia nitroſa, emulſiva cum Sem. C. M. parata, gelatinoſa, Eſſentiæ reſolventes, clyſteres lenientes & extrinſecus regioni pectinis applicanda cataplaſmata diſcutientia: ulcerationes in veſica urinaria & circa illam ſi hos affectus introducunt, tunc conveniunt injectiones balſamicæ, interne vero proſunt Eſſ. pimp. alb. vincetox. helen. ari. ſuccin. cort. aurant. nec non decocta e rad. apii, Cichor. bardan. liquir. tarax chin. ſarſap. herb. ſcord. veronic. chæref. virg. aur. foenic. cort. citr. cinnam. paſſul. maj. de reliquo oc. cancr. citrati, teſtæ ovor, c. aceto ſolutæ in adultioribus; in junioribus vero Eſſ. ſuccini, lap. percarum urinæ fluxum & ſucceſſum promovent: minime vero confert ſubito & poſitive uri-

nam impellere & urgere, ſed leniori via atque modo ad reliquam curam acceſſum parare.

CAPUT XVII.

DE

STRANGURIA.

§. I.

Supereſt adhuc præſentis vitioſæ urinæ excretionis mentionem injicere, quæ præ reliquis valde familiaris eſt: proxime quidem hunc affectum conſtituit ſpaſmodica ſphincteris veſicæ conſtrictio, ſed ſubinde etiam illæ cauſæ bene ponderandæ ſunt, quæ ad talem affectum contribuunt, quo ſecundum illarum diverſitatem, etiam idoneæ medicationes inveniri & applicari queant: imprimis vero obſervare convenit illam circumſtantiam, quomodo ſubjecta ſpongioſiora & poroſiora ad hunc affectum magis diſpoſita ſint, imo quomodo ſubjecta in negotio diureſeos ſenſibiliora & expeditiora facilius huic affectui obnoxia reddantur: ibi mox inſolita ſive interna, ſive externa refrigeratio, ciborum impurorum & valde ſalitorum, potulentorum inſvetorum, fermentantium, ingeſtio, ad hunc ſpaſmum invitandum ſatisfacit, quo loco minime excludenda eſt urinæ acredo ex ejusmodi perverſa diæta orta, quæ præter conſvetudinem in diverſis ſubjectis hunc affectum cauſatur: eo magis vero advertere convenit, an talis affectus in aliquo ſubjecto in habitum degeneraverit & an primarum regionum impuritas ad hunc affectum vel invitandum, vel confirmandum contribuat.

§. II. Cura hujus affectus ita exercenda eſt, ne talia committantur, quæ e minori malo majus provocant, eapropter cavendum eſt 1) a quibusvis fortioribus evacuationibus 2) a negligentiori primarum regionum repurgatione 3) a præmaturo & indiſcreto uſu carminativorum 4) a ſalium volatilium indifferenti aut liberali uſu 5) a remediis acribus & valde concentratis 6) maxime a ſpirituoſis & oleoſis therebinthinatis, ſulphuratis, balſamicis 7) a poſitivis diureticis, quæ vias urinarias eo magis ſtimulant & offendunt 8) a refrigerantibus 9) valde incraſſantibus 10) copioſis acidis 11) adſtringentibus 12) a communi opiatorum uſu 13) a diæta & regimine inconvenienti 14) a nimis copioſa & variata medicamentorum oblatione, quæ præſentem affectum magis exacerbat, quam mitigat.

§. III. Methodus Stranguriæ medendi diverſis ſuis cauſis accommodanda eſt & quidem quando affectus hic a primarum viarum vitio oritur, tunc conveniunt præſervatoriæ laxationes, imprimis pilulæ ex extractis amaris fumar. cochlear. abſint. card. ben. cent. min. helen. gent. rubr. G. ammoniac. galban. therebint. extr. panchym. Croll. curatorie vero conferunt Salia digeſtiva, Eſſentiæ angelic. ar. helen. pimp. alb. vincetox. caryophyll. gentian. rubr. abſinth. cent. min. cort. aurant. porro conveniunt pulveres temperantes ex oculis cancr. citr. & nitr. parati, aut pulv. ex oc. cancr. citr. corall. rubr. ppt. & nuc. moſch. non minus confert extra affectum vinum medicatum e reſolventibus, roborantibus & laxantibus ſubſtantiis compoſitum: aut ſalia tartariſata & primas vias abſtergentia: quodſi etiam hic affectus e vitio diætæ ortus fuerit, tunc confert hauſtulus generoſi vini, vinum aromatiſatum, ſpiritus ardens aromatiſatus, Eſſentiæ temperatæ carminativæ, aut ad temperandam ſeri acrimoniam oc. cancr. citrat. c nitro mixti. vel pilulæ ex extr. cochlear. cent. min. abſinth. helen. pimp. alb. gent. rubr. G. ammon. galb. aloe correcta & oleo cort. aurant. paratæ.

§. IV. Si ſtranguria ab aliqua refrigeratione originem traxit, tunc interne conveniunt, ſpiritus ardens aromatiſatus, vinum generoſum, vinum calidum aromatiſatum, decoctum thee cum cinnamom. & cort. citr. aut aniſ. ſtellat: decoctum coffee cum caryophyll. arom. juſcula pingvia, gelatinoſa, olea lenientia, potus calidus, cereviſia cum ſemine carvi decocta, juſcula farinacea cum carvo: externe conducunt fomenta calida, tegulæ calefactæ, veſicæ cum aqua calida impletæ, regioni pectinis applicandæ: linimenta ex oleo chamomill. rutac. laurin. lil. alb. ol. deſtill. menth. foenic. cort. aurant. N.M. caryoph. arom. parata; cataplaſmata ex emollientibus & modeſte nervinis ſubſtantiis parata: ſiquidem in hoc ſtatu etiam lactis calidi cum linteo aut ſpongia excepti, applicatio proficit: quid quod ſimplicior calida fomentatio in hoc caſu ſatisfacit.

§. V. Quando urina acrior in culpa eſt, tunc conveniunt diluentia, decocta herb. thee, hordei, avenæ, ſpecierum emollientium, lacticinia, emulſiva, abſorbentia, gummi arabicum cum ejuſmodi decoctis parcius mixta, decoctum raparum, (quod vulgo ſpecifice ad ſtranguriam laudatur) oryza decocta: quando ex inſueto, aut impuro potu orta eſt ſtranguria, tunc convenit hauſtulus vini generoſi, aut aromatiſati, vel ſpiritus ardens, aromata & ſemina aromatica maſticata, decoctum Thee dilutius aromatiſatum: quando hic affectus diutius durat, proſunt interdum clyſteres emollientes & mitius roborantes, laxationes rhabarbarinæ, pilulæ Stahlianæ, ſalia digeſtiva & denique Eſſentiæ carminativæ; externe vero emollientia & modice roborantia conjungi poſſunt;

ſunt: Si denique hic affectus nimium urget M. P. de Cynogl. & Theriaca in uſum trahi poteſt: de reliquo alvus ſemper aperta & libera eſſe debet.

CAPUT XVIII.

DE

VIRULENTO SEMINIS FLUXU.

§. I.

PRiusquam famoſi illius mali venerei in toto ſuo complemento & ſummo gradu mentionem faciam, placet acceſſum aliquem ad mitiorem venerei inquinamenti gradum parare & malignum aut virulentum ſeminis fluxum antea explicare: utplurimum enim evenit, ut venerea inquinatio primo loco ſeſe in ſpermate et liquore ſpermatico prodat, deinde vero, ni extirpetur, ſuccesſive intimius ſeſe propaget & univerſum corpus occupet, quamdiu in hoc primo gradu conſiſtit & ſpermati inhæret, tam diu artifex hoc venereum inquinamentum non in maſſam humorum profligare debet, alias etiam evenit, ut hoc contagium demum in intimiora corporis transferatur: ſed ſubinde etiam ſciendum eſt, quod dum venereum inquinamentum in tam particulari loco & regione hæret, non tam facilis acceſſus ad illud pateat; quare cura ejusmodi affectus haut ita extemporanea eſſe poteſt, ſed patientiam & conſtantiam requirit.

§. II. Evenit enim, ut ſi ſubito hic fluxus profligatur, malum tantum ſuperficiarie curetur & communiter ſeminium quoddam remaneat, quod multa damna parit, hinc malum tale minime fugitive et præcipitanter tractari debet: etenim illa promptitudo & accelerata cura, quam diverſi artifices promittunt, eſt omnino ſuſpecta & palliativam medelam continet: quare ſecurius & conſultius eſt, ſi affectus talis e fundamento curatur; proinde indicandum eſt, quod hæc afflictio in ſubjectis plethoricis & ſucculentis firmiores radices ſumat, in quibus etiam fortiores humorum commotiones graviora ſymptomata, majores dolores, acutas congeſtiones, citiores contagii diſſeminationes poſt ſe trahit, in quibus ſubjectis propterea communia artificia male ſuccedunt.

§. III. Et quoniam hoc contagium venereum ſeſe non modo in humores ſpermaticos, ſed & in partes hosce humores continentes intimius & firmius inſinuat, hinc ſufficiens omnino abſterſio & repurgatio requiritur: neque quidem communes illæ methodi, huic malo oppoſitæ, approbandæ & commen-

dan-

dandæ ſunt, quoniam præmaturam hujus fluxus oppreſſionem, fugitivam univerſalem corporis repurgationem & inſufficientem particularem mundificationem continent, ſiquidem minime in eo cardo rei verſatur, quo tantum hic fluxus cohibeatur: quodſi enim reliqvus affectus e fundamento curatus fuerit, tunc utplurimum ſponte hic fluxus ceſſat, licet ille poſt ſufficientem mundificationem prægreſſam interdum ex vitioſo habitu, ſive conſvetudine prava, aliquando ob nimiam proſtatarum laxitatem aut eroſionem continuet, in quo ſtatu demum huic fluxui frenum imponere convenit: proinde etiam ratio habenda eſt temperamentorum, quorum diverſitati, diverſa etiam medicamenta accommodanda ſunt, ne cum famoſis balſamicis & antivenereis indiſcretim hic affectus tractetur: multum etiam in cura rite inſtituenda juvat notitia concurrentium motuum congeſtoriorum, qui malum augent & contumacius reddunt, proptereaque tempeſtive averti & præoccupari, multo minus per potentiora remedia invitari debent.

§. IV. Ne itaque hic affectus ſiniſtre curetur, cavendum eſt 1) ab impetuoſis purgationibus; 2) a nimis frequenti alvi commotione: 3) a negligenti repurgatione primarum viarum: 4) a ſangvinis artificiali ſubtractione: 5) a prodigis & cum multa humorum commotione ſuccedentibus ſudationibus: 6) a remediis urinam valde pellentibus & vias urinarias ſenſibiliter ſtimulantibus: 7) a communi aut facili cantharidum ordinatione: 8) a medicamentis valde concentratis & volatilibus maſſam ſangvineam valde impellentibus: 9) ab indiſcreto balſamorum exoticorum acrium uſu: 10) a vulgato concentratorum therebinthinatorum, ſuccinatorum & ſulphuratorum uſu: 11) a refrigerantibus uſitatis remediis, ſeminis augmento vulgo oppoſitis: 12) a lignoſorum antivenereorum indifferenti ordinatione: 13) a mercurialibus ſuſpectis & cauſticis: 14) a valde incraſſantibus remediis: 15) ab adſtringentibus: 16) a præmatura hujus fluxus ſuppreſſione: 17) a præmatura ſalivationis ordinatione: 18) a nimis æſtuoſo regimine: 19) a nimis confuſa remediorum oblatione: & denique 20) ab inconvenienti diæta atque regimine.

§. V. Specialis hujus mali cura hiſce indicationibus nititur: 1) ut corpus in genere a generalibus impuritatibus repurgetur: 2) ut partes affectæ bene mundificentur: 3) ut ſiniſtra accidentia, hunc fluxum exacerbantia & offendentia, recte tractentur. Quoad primam indicationem confert ante omnia primas regiones repurgare, ne ex iiſdem plura inquinamenta præſenti malo ſuperveniant: & hoc nomine magis moderatæ laxationes, quam ſimultaneæ & impetuoſæ purgationes proſunt: hinc commendo pilulas ex extracto fumar. cochlear. cent. min. pim. alb. card. ben. gent. rubr. G. ammon. myrrh. thereb. extr. panchym. Croll. mercur. dulc. & uno aut altero gr. agar. troch. ſive reſin.

 jalap.

jalap.; in ſubjectis pituitoſis confert Maſſ. pil. de ſuccin. Crat. interdum etiam rhabarbarina proſunt: cum nude mercurialibus remediis vix conſultum eſt alvum purgare; quare repetitæ laxationes moderatæ plus proficiunt, quam prodigæ purgationes.

§. VI. In ſecundæ indicationis adminiſtratione in genere duplicia remedia mundificantia occurrunt, quædam ſunt mitiora, nonnulla acriora & potentiora, e mitioribus commendo Eſſ. Alexipharmac. Stahlianam, Eſſ Pimp. alb. vincetox. fumar. ſuccin. e potentioribus commendo Eſſentiam Myrrh. Lignorum, Ligni Saſſafr. Tinct. antim. acr. Balſam. Peruv. Balſam. copaiv. Spirit. Thereb. decocta Lignoſa: deinde vero mundificantia triplicis ſunt claſſis, quædam ſimplicius reſolvunt & mundificant, ut Eſſ. alexiph. præcipue Eſſentia pimp. alb. deinde Eſſ. vincetox. quæ efficacius diuretica eſt; porro Eſſentia ſuccini: alia ſunt potentius diuretica & balſamica, velut Tinct. antim. tartariſ. Tinct. ſal. tart. Eſſ. myrrh. Elix. P. P. Balſama exotica: denique dantur potentiſſima diuretica, quæ in affectu valde contumaci & refractario, nec non in ſubjectis robuſtioribus concedi poſſunt, modo cum aliquo moderamine adhibeantur: & hujus cenſus eſt Eſſentia cantharidum Bartholiniana & Balſamus ſulphuris therebint. In ſubjectis plethoricis & ſenſibilioribus mitiora adhibenda ſunt, in temperatioribus vero robuſtioribus & phlegmaticis reliqua efficaciora ordinare convenit; & ita talia remedia vario modo commiſceri poſſunt, ſicut Tinct. antim. acr. Eſſ. ſuccin. & aliquot gutt. balſam. de copaiva conjungere licet: interdum exhibendæ ſunt pilulæ parandæ ex extr. fumar. cochlear. cent. min. pimp. alb. gent. rubr. Myrrh. ſuccin. Maſtich. thereb. balſam. peruviano, aut de copaiv. & aloe correcta.

§. VII. Superſunt adhuc accidentia hujus mali, quæ interdum curam admodum difficilem reddunt, quando affectus nimis refractarius eſt, tunc præter reliqua mundificantia, per triduum exigua mercurii vere dulcis grana exhibere convenit, nec non decocta lignoſa cum regimine modeſte diaphoretico adhibeantur; ſi nimius ardor internus ſub hac cura affligit, tunc conferunt pulveres temperantes nitroſi: ſeponantur vero acriora remedia; ſi hic fluxus poſt ſufficientem mundificationem ultra modum continuat, tunc præmittatur laxatio cum Maſſ. pil. de ſuccin. Crat. & ſubjungantur vel oſſa ſepiæ cum exiguis gutt. balſami de copaiv. mixta, vel pulvis e maſtich. gum. elem. C. C. uſt. corall. r. pp. ſpec. de hyacinth. aut loco horum dent. hippopotam. aut confert ſyr. vel ſuccus agrimoniæ: neque fruſtra in tali caſu. M. P. de cynogl. cum aliis aptis remediis offertur; in caſu neceſſitatis poſſunt etiam congruæ injectiones admitti.

§. VIII.

§. VIII. Sed cum multum damni afferat præmatura hujus fluxus ſuppreſſio, ita in tali caſu proſpiciendum eſt, quo hæc ſuppreſſio tempeſtive referetur, ob id præmittenda eſt modica laxatio, deinde uſurpandæ ſunt Eſſentiæ mitius diureticæ, quo pertinet Eſſ. alexiph. Stahliana, imprimis vero Eſſentia vincetoxici & pimp. alb. nec non Tinct. antim. acr. cum Eſſentia ſuccini maritata: in ſubjectis pituitoſis conjungi poteſt Eſſ. L. Saſſafr. & quando contagium venereum jam intimius propagatum fuit, ibi decocta lignoſa adhiberi debent; ſi ſuppreſſum talem virulentum fluxum Bubones excipiunt, tunc eadem remedia interne conveniunt, quæ modo commendata ſunt: externe vero illa adminicula proſunt, quæ in Chirurgia noſtra propoſita ſunt; hoc loco tantum moneo, ne tales bubones repellantur: præter alia remedia, pro hiſce tumoribus proficua, etiam modeſtus uſus aquæ Calcis vivæ cum camphora mixtæ convenit.

§. IX. De reliquo ardor in præputio & tumor in membro virili aut labiis vaginæ uteri compeſcendus eſt cum prudenti camphoratorum applicatione, in quo caſu etiam ungventa, album & dialtheæ, camphorata cum fructu applicari poſſunt: carunculæ venereæ in urethra hærentes ſelectis & temperatis ſepticis auferantur, quo olea empyrevmatica cum aqua roſarum temperata & denique mercurii albi præcip. uſus ſpectant; in hac neceſſitate etiam idonea inſtrumenta requiruntur: ad fungoſas excreſcentias removendas conferunt olea empyrevmatica & mercurius præcipitatus bene edulcoratus: quando ſuperficialis quædam arroſio adeſt, tunc convenit ol. ovor. cum liqv. myrrh. mixtum: ad ſuperficialia ulcera idem oleum cum mercur. præc. edulcorato proficit: ad gummata & nodoſos tumores interne laxatio cum mercurio dulci acuenda proficit, nec non decocta lignoſa proſunt, externe mercurialia adhiberi poſſunt, ſive fuerit Empl. de ran. vig. c. merc. vel lamina plumbea cum mercurio vivo illita applicanda: denique in hoc malo exacta diæta ſervanda eſt; nocent cibi craſſi, impuri, ſalini valde nutrientes, lactei & potus ſaturati, pingves & fæculenti. nocent ſpirituoſa, vinoſa & valde aromatica: viciſſim diæta ſit tenuis & temperata; regimen ſit modeſte calidum; nocet enim frigus: animus ſit continens & a laſcivis concupiſcentiis liber: loca affecta etiam ſedulo repurgentur, ne inquinamenta ipſis denuo ab extra communicentur.

CAPUT XIX.

DE

BENIGNO SEMINIS FLUXU.

§. I.

BEnignus ille eſt ſeminis fluxus, qui a contagio venereo liber & immunis eſt, qualis in viris rarior, in fœminis vero eo frequentior exiſtit & qui non tam in vitio materiæ, quam motuum conſiſtit, ſiquidem in virili ſexu ad talem affectum contribuunt laſcivæ cogitationes, diæta plena & bona, nec non otioſum vitæ genus: aliquando talis Gonorrhœa benigna excipit malignam, quando videlicet excretorius ille ſeminis motus in conſvetudinem degeneravit, aut quando proſtatæ a prægreſſa ulceratione nimium conſumtæ ſunt, ut impoſterum non congrediantur, ſed aperturam & acceſſum in urethram relinquant: in ſequiori ſexu eo magis vitioſi motus manifeſti evadunt: quemadmodum in maſculis abundantia ſeminis ad talem affectum inter alias cauſas invitat, ita fœminis ubertas materiæ lymphatico-mucilaginoſæ perinde ad augmentum & confirmationem hujus mali contribuit.

§. II. Maxime quidem confert in ſexu ſequiori annotare, quomodo utplurimum Fluor albus Menſium anomalias comitetur & interdum menſium vices teneat, aliquando menſium defectum ſuppleat, ubi loco ſinceri ſangvinis ex uterinis locis ſine exquiſito ordine, hæc materia mucilaginoſa magna admodum copia eliminatur: propterea etiam hic affectus communiter valde pertinax evadit & difficulter cura obtemperat: minime tamen reliquarum cauſarum concurſus oblivioni tradendus eſt, quando videlicet libidinoſæ ideæ & concupiſcentiæ hos irregulares motus in locis uterinis incitant, quando fœminæ multum de humore lymphatico-pituitoſo participant, quando concurrit intemperies mucido-ſeroſa, quando diæta & regimen eſt inconveniens, quas circumſtantias artifex probe obſervare debet, quo huic affectui ab omni latere ſatisfacere queat: ante omnia ad menſium negotium animus advertendus eſt, quando hoc malum e fundamento curari debet: ſicut in viris interdum cum ejusmodi benigno ſeminis fluxu hæmorrhoidales anomaliæ concurſant, quas propterea providus medicus attente conciliare & dextre tractare debet.

§. III. Quo magis intricatus talis eſt affectus, eo major dexteritas & circumſpectio in illius medicatione obſervanda, eaque propter cavendum eſt 1) a nimis impetuoſis evacuationibus & primarum viarum offenſionibus & commotionibus: 2) a negligentiori tam univerſi corporis, quam primarum regionum repurgatione: 3) ab incurioſa hujus mali conciliatione cum negotio hæmorrhagico: 4) a nimis diuturna & prodiga humorum alteratione: 5) a remediis impetuoſe menſes urgentibus & impellentibus: 6) ab aliis valde calefacientibus & acribus remediis: 7) a ſalium volatilium curatorio uſu: 8) a remediis refrigerantibus 9) valde incraſſantibus: 10) a prodigo abſorbentium uſu: 11) ab uterinis ſtimulantibus & valde commoventibus; 12) a præmaturo adſtringentium uſu: 13) tanto magis ab adſtringentibus potentioribus: 14) ab externis & internis ſulphuratis: 15) a ſalivatione: 16) a ſuſpectis mercurialibus: 17) a balſamicis exoticis acribus: 18) ab opiatorum communi uſu 19) a diureticis poſitivis & cantharidum uſu: 20) ab indiſcreto acidularum & thermarum uſu: 21) a negligenti aut confuſa ſangvinis misſione: 22) ab externa uterinarum partium offenſione: 23) ab inconvenienti regimine & diæta.

§. IV. Quod primo loco Gonorrhœam benignam attinet, tunc illius cura hoc ordine exercenda eſt; præmitti & interdum repeti poſſunt laxationes modeſtæ, quo extr. panchym. Croll. pil. de ammoniac. de agaric. de ſuccino Crat. ſpectant: evitandæ vero ſunt fortiores purgationes, quæ motum in locis genitalibus magis exacerbant: deinde adhibeantur remedia hoſce motus temperantia, quo pertinent pulveres nitroſi, aut pulveres abſorbentes cum C. C. uſt. & corall. rubr. mixti: porro conducunt remedia mitius conſtringentia & retinentia, ut ſpecies de hyacinth. bol. arm. ſuccin. alb. ppt. maſtix pulveriſata, Tinctura mart. tartariſata, Liquor min. mart. cum liqv. terr. fol. tart. trochiſc. de carabe: quibus remediis denique annumerari poteſt temperata injectio, videlicet decoct. fl. cham. hyper. roſar. cum lacte, addito tantillo croci orient. & aloes: diæta ſit tenuis & temperata, non valde alimentoſa, neque ſpirituoſa: quodſi etiam hæmorrhoidales anomaliæ concurrant, tunc ante omnia prudens artifex illis ſatisfacere debet, quo hæc afflictio e genuino ſuo fundamento curetur.

§. V. Ad Fluorem Album Benignum me jam converto, in cujus cura ante omnia Menſium ſtatus obſervandus & in ordinem juſtum convertendus eſt: ne vero ſangvinis abundantia & quidem moleſta, hunc affectum acerbiorem reddat, propterea præſervatoriæ V. Snes in pede inſtituendæ ſunt: curatorie conducunt moderatæ & repetitæ laxationes, primas regiones & vias uterinas repurgantes, quo præcipue commendo infuſa vinoſa, paranda e rad. caryophyllat. pimp. alb. vincetox. helen. diptam. alb. ariſtol. rot. cyp. rot. coſt. dulc. bardan. apii, petaſit. gentian. rubr. herb. abrotan. meliſſ. puleg. menth. ro-

riſmar. abſinth. cent. min. cochlear. fumar. beton. major. agrimon. fl. calend. lavend. ſtæchad. arab. ſambuc. matricar. bellid. hortens. ſem. anis. fœnic. petros. bacc. laur. Cort. aurant. citr. cinnam. Rhabarb. Bryon. fol. Senn polyp. quern. proſunt etiam pilulæ ex extractis amaris fumar. cochlear. cent. min. abſinth. ariſtoloch. rot. chaccarill. gent. rubr. meliſſ. ſcord. G. ammoniac. bdell. ſuccin. Myrrh. thereb. maſtich. aloe & agaric. trochiſc. præterea conferunt ſalia deterſiva, tartariſata laxantia.

§. VI. Inter alia remedia, quæ in hoc affectu eximiam utilitatem habent, ſunt pilulæ Becherianæ & Stahlianæ per aliquot dies continuatæ: deinde conferunt Eſſentiæ pimp. alb. vincetox. caryophyllat. valerian. helen. ſuccin. & ipſius etiam myrrhæ; huc ſpectat Liqu. C. C. Succinat. nec non mixtura Eſſ. ſuccini, pimp. alb. chaccarill. & Spir. Sal. ammoniac. præterea interponantur pulveres nitroſi & cinnabarini & nonnunquam exhibeatur Cort. chaccarill. interdum convenit miſcela Eſſ. Millefol. pim. alb. chaccaril. & Spir. C. C. quibus præmiſſis nonnunquam exhibeantur tonica, velut Croc. mart. cachect. Zwelferi, antim. diaph. martial. Ludovic. Tinct. mart. tartaris. Tinct. corallor. ſpec. de hyacinth. cavendum tamen eſt, ne præmature fluor albus ſupprimatur, alias ſuſpecti & quandoque periculoſi conſequuntur affectus: ita etiam ad cohibendum hunc fluxum trochiſc. de carabe conferunt; antequam vero hic fluxus cohibeatur, bene præparandum eſt corpus & motus ſufficienter temperandi ſunt.

§. VII. Præmiſſis evacuantibus & temperantibus locum etiam habent inſeſſus & ſuffitus diſcutientes atque nervini, ſed non nimis frequenter uſurpandi: quid quod corpore ſufficienter præparato, temperatæ thermæ uſu externo conducunt: alias etiam interne decocta reſolventia in uſum vocari poſſunt: an urtica mortua, fl. albo, roſmarin. pulegium, abrotanum in hoc affectu ſpecificam virtutem habeant, nondum ſufficienter experientia comprobavit: interim admodum neceſſe eſt, quo cum hac cura conjungatur diæta temperata, mollis, ſufficienter aromatica; potus ſit ſufficiens, motus corporis conveniens: animus ſit moderatus & a libidine liber: multum juvat matrimonium, conducit etiam peregrinatio & aëris mutatio: frigus internum & externum nocet, calor proficit: aer etiam ſeligatur purus & temperatus.

CA-

CAPUT XX.

DE

LUE VENEREA.

§. I.

AD majorem nunc inquinamenti venerei ſtatum progredior, qui in eo conſiſtit, quando hoc contagium in univerſum reliquum corpus ſeſe diſſeminat & noxam ſuam latius diffundit, inde evenit, ut hic affectus gravior & contumacior evadat, proptereaque neque tam facile, neque tam cito extirpari queat: ſubinde ſciendum eſt, quod hoc malum ſuos diverſos gradus habeat, ſecundum quam diverſitatem etiam medendi methodus discrepat: ſiquidem in mitiori gradu inquinamentum venereum adhuc in humoribus ſubſiſtit, in graviori vero atque acerbiori in partes ſolidas inſinuatur & iisdem damnum ſuum infert: exinde facile colligere licet, quam difficile opus ſit, hoc ſubtile & activum contagium, tam ex univerſa humorum maſſa, quam e partibus poroſis educere velle: ad minimum id quilibet judicare poteſt, quod talis labor minime tam prompte ſuccedat, unde etiam viciſſim præcipitari neque poteſt, neque debet, ni hoc malum repente in pravum ſtatum degenerare debeat: proinde etiam notare convenit, quod hoc inquinamentum ſingulari activitate præditum ſit, qua non modo indies intimiores & firmiores radices capeſſit, ſed & ſubinde in majorem contumaciam progreditur: quibus circumſtantiis ita cognitis, prudens artifex ſpecialem ſuam therapiam accommodare debet.

§. II. Præterea multum ad uſum practicum contribuit ſufficiens notitia & exploratio ſubjectorum, quo ſexu, temperamento, ætate, virium gradu, &c: prædita ſint & an ſecundum harum circumſtantiarum conditionem ſolennes & efficaces quasdam medicationes perferre queant: & quemadmodum ad hujus mali curam vulgo remedia intimioris & majoris efficaciæ adhibentur, hinc prudentia opus eſt, ne talia medicamina indiſcretim offerantur: neque etiam tota cura nimis fugitive tractanda eſt, alias ſeminium quoddam de hoc contagio venereo remanet, quod facile denuo exardeſcit & novam noxam parit: multum tamen interdum impedit ſalutarem hujus mali medicationem, multiplex & numeroſus ille apparatus artificiorum, quæ vulgo huic labi opponuntur, unde variæ novæ methodi circumferuntur, quæ publicum adhuc

 applau-

applauſum expectant: eaque propter etiam contingit, ut ob multiplicem, variabilem & fugitivam curationem utplurimum aliam, rarius ſinceram faciem hic affectus induat: neque etiam illa ſeductio approbanda eſt, dum hoc malum utplurimum refractarium exiſtit, quando quisquam illud cum audacia & vehementia profligare ſuscipit: quam rectius in mediocritate cura hujus affectus conſiſtere debet, ut nihil audacter, nihil timide, nihil negligenter adminiſtretur.

§. III. Et quoniam hujus mali cura variis offenſionibus obnoxia eſt, propterea cavendum eſt: 1) a nimis impetuoſis & frequentibus evacuationibus alvinis: 2) a negligentiori repurgatione primarum regionum: 3) a præmatura, nimis præcipitata & inſufficienti ſalivatione: 4) a medicamentis ſuſpectis & corroſivis mercurialibus: 5) a nimis vehementi commotione humorum, tanto magis in plethoricis: 6) ab indiſcreto uſu balſamicorum acrium exoticorum: 7) a medicamentis nimis calefacientibus & concentratis: 8) a nimis æſtuoſo & refrigerante regimine: 9) a promiscuo uſu lignoſorum antivenereorum, imprimis acrium: 10) ab indifferenti & copioſo ſulphuratorum internorum uſu: 11) ab incraſſantibus remediis: 12) a ſudatione cum eximia humorum commotione procedente: 13) a negligentiori promotione, aut perturbatione actuali ordinariarum evacuationum: 14) ab antiſcorbuticorum communi uſu: 15) a ſangvinis indiſcreta artificiali ſubtractione: 16) a virium langventium & deficientium majori offenſione: 17) a medicamentis cupreis: 18) ab adſtringentibus medicamentis: 19) a nimis prodiga & confuſa remediorum oblatione: 20) ab inconvenienti regimine & diæta: reliquæ cautelæ, quæ ſeorſim circa congruam ſalivationis adminiſtrationem obſervandæ ſunt, in Therapia generali commendatæ proſtant, ubi ſpeciali capite de ſalivatione actum fuit.

§. IV. Specialis Therapia Luei venereæ differt quoad gradum hujus mali: in genere ad quamcunque curam hujus affectus requiritur juſta corporis præparatio, in qua per initia primæ regiones ab impuritatibus liberari debent, per illa laxantia & evacuantia, quæ ſuperius in virulenti ſeminis fluxus explicatione allegata ſunt: in quali caſu aliis laxantibus modica quantitas mercurii dulcis genuini commiſceri poteſt: deinde proſpiciendum eſt, quo ſuperficies corporis recte pervia evadat, ne maxime neceſſariam excretionem in hoc malo ſuſpecta peripheriæ corporis ſtrictura impediat: qua præparatione poſitive inſtituta, deinde ipſa propria & ſpecialis cura hujus mali ſuſcipienda eſt, ita quidem ne e diæta & regimine talia offendicula accidant, quæ reliquum curæ ſalutarem ſucceſſum premunt.

§. V. Quando itaque inquinamentum adhuc mitius eſt & in humorum maſſa delitescit, tunc convenit per modeſtam & repetitam ſudationem

hoc

hoc contagium eliminare, magis vero in hoc gradu decocta lignoſa, quam remedia eſſentificata exhibere confert, quæ poſteriora ſuperfluas commotiones ſangvinis excitant: decocta etiam magis dilutiora, quam ſaturatiora proſunt: cavendum tamen eſt, ne ſint nimis aquoſa, alias diarrhœas, flatulentias, cardialgias & colicas moleſtias cauſantur: & in horum decoctorum præparatione providendum eſt, ne pro ſubjectis calidioribus acriores ſpecies ſeligantur: parentur talia decocta e radic. Scorzoner. pimp. alb. chin. Sarſapar. bardan. apii, liquirit. herb. ſcord. Saponar. fumar. Lign. Gvajac. Saſſafr. Junip. Santal. citrin. Cort. Citr. Cinnam. paſſul. Maj. Sem. fœnic. aniſ. carv. quale decoctum mane & veſperi exhibeatur & regimen modeſte diaphoreticum conjungatur: proſunt etiam ſudationes in balneo ſicco inſtitutæ, ſed ubique cum moderamine dirigendæ: interdum interponere convenit Eſſentiam pimp. alb. bene ſaturatam, aut ſub miſcela Eſſ. Succini: repetantur aliquando laxationes: interdum exhibeatur miscela ex Tinct. antim. acr. & Eſſ. Succin. parata, quæ Eſſentiæ ſpirituoſæ non nimis frequenter, neque nimis largiter offerri debent.

§. VI. Quodſi hujus Luei gradus major fuerit, ubi contagium venereum ſolidis partibus nunc inhæret & varias ulcerationes & intumeſcentias ſuſpectas cauſatur, ibi efficacius auxilium applicandum eſt: quo loco atque tempore ſalivatio debito ordine & ſufficienti gradu adminiſtranda, ſervatis illis cautelis & methodis, quæ in Therapia propoſitæ ſunt: illud unicum de hac ſalivatione iterata vice monere lubet, quo ſufficienter celebretur, alias non modo nihil utilitatis affert, ſed & malum magis corrumpit: ſub hac ſalivatione præſtat ſedulo præcavere, ne fauces inflammentur, ne alvus obſtruatur, ne primæ regiones inquinentur, ne transſpiratio inſenſibilis opprimatur, ne ptyalismus nimium urgeatur: quin potius confert, quo interdum decocta lignoſa exhibeantur & moderata diaphoreſis inſtituatur: ita eveniet, ut ſub juſta adminiſtratione ſalivationis & applicatione juſti regiminis varia gravia ſymptomata evitentur: de reliquo brevibus moneo, quod alia arcana in hoc malo paſſim commendata adhuc uberiori approbatione indigeant, quod præcipue valet de famoſis illis diaphoreticis mercuriis, qui utplurimum nihil aliud ſunt, quam mercuriale præcipitatum & edulcoratum ſedimentum, de quibus arcanis communiter plus promittitur, quam præſtatur: quod denique ſymptomata attinet, quæ huic malo ſe aſſociant, velut cephalalgiam veneream, ulcerationem veneream alvi fluxus, tumores, ſcabiem &c: tunc illorum tum in præſenti practica tractatione, tum in Therapia & chirurgia ſufficiens mentio facta fuit, quare illorum commemorationi hoc loco inhærere non placet.

CAPUT XXI.
DE
SCORBUTO.

§. I.

INter illos affectus, qui in communi Pathologia valde cogniti, ſed in noſtris regionibus raro obvii, attamen in triviali morborum accuſatione in ſchola medica perquam uſitati ſunt, primarium locum obtinet Scorbutus, adeo ut vix imperitus balneator & vetula naſutior reperiatur, quibus Scorbuti appellatio incognita eſt: haud vero hoc loco de abuſiva tali accuſatione ſermo mihi eſt, ſed de affectu ipſo verba facere lubet; unde brevibus indicabo quænam medendi methodus eidem ita applicanda ſit, ut genuinis ſuis cauſis competat: ubi tamen non poſſum non, quin illam cautelam ſingulari ſtudio adhuc inculcem, ne hæc methodus in illis caſibus adhibeatur, ubi nullus ſcorbutus adeſt, ſed tantum ex falſa opinione præſupponitur; alias remedia ſcorbutum profligantia ejus activitatis ſunt, ut facile alios ſenſibiles affectus exacerbent, quod præcipue valet de affectu hypochondriaco, ſplenetico, de anomaliis hæmorrhoidalibus & ſimilibus aliis morbis, qui in communi pathologia multis ambiguitatibus obnoxii ſunt.

§. II. Quo itaque hic ominoſus affectus legitime curetur, præſtat ante omnia illius indolem genuinam noſſe: de hac vero ſciendum eſt, quod eximia morbidæ afflictionis complicatio in Scorbuto occurrat; quare partim hic affectus tam intimas radices habet, partim non tam cito atque facile emendari & curari poteſt: fruſtra itaque illius cura urgetur, aut præcipitatur, quin rectius convenit illam cum maximo moderamine & ſingulari continentia exercere: malum enim in ſcorbuto & illud quidem radicale & fundamentale eſt quadruplex: primo enim urget ſangvinis moleſta plenitudo: deinde affligit ſuſpecta humorum ſpiſſitudo: porro adeſt abundantia ſeri acrioris & denique concurrit mala reliqui aquoſi ſeri mixtio cum maſſa ſangvinis: & huic multiplicato malo condigne in hoc affectu ſubvenire convenit: quod negotium, quia vix tam confeſtim ad ſalutarem effectum promoveri poteſt, hinc patientia & dexteritate opus eſt, minime vero conſultum eſt in tam intricato & multiplicato malo temeritati ſtudere, ſed omnia officia prudenter & temperanter adminiſtrare expediet; imprimis etiam confert in hoc affectu bene annotare con-

curſus hæmorrhagicos, anomalias hæmorrhagicas, præcipue hæmorrhoidales, quo illis tempeſtive convenientem operam adhibere poſſit peritus artifex: neque etiam denique illæ cauſæ prætervidendæ ſunt, e quibus tale malum ortum ſuum traxit, quo iisdem attentus medicus conveniens conſilium & auxilium ferre queat.

§. III. In Cura Scorbuti rite exercenda cavendum eſt 1) ab indiſcreto vomitoriorum uſu; 2) a poſitivis purgationibus & alvi ſenſibilibus ſtimulationibus: 3) a nimis frequenti alia artificioſa alvi provocatione: 4) ab inopportuna, aut confuſa & excesſiva ſangvinis ſubtractione: 5) a diffuſis & impetuoſis ſudationibus: 6) a medicamentis valde calefacientibus & humorum maſſam impellentibus: 7) a volatilium remediorum vulgari uſu, maxime quidem curatorio: 8) a communi martialium ordinatione, pro aperitivo ſcopo dicata: 9) ab aliis adſtringentibus medicamentis: 10) a nude alterantium remediorum nimis diuturno uſu: 11) ab ordinariarum evacuationum negligentiori promotione: 12) a negligentiori ſangvinis ventilatione: 13) a copioſo abſorbentium uſu: 14) a negligentiori conciliatione & tractatione prægreſſarum ſalutarium ſpontanearum Hæmorrhagiarum: 15) a remediis balſamicis acribus, putredini vulgo oppoſitis & quidem ab interno illorum uſu: 16) a remediis antivenereis: 17) a confuſo antiſcorbuticorum uſu: 18) a communi opiatorum uſu: 19) a ſymptomatum ſubitanea ſuppresſione: 20) ab inconvenienti diæta & regimine.

§. IV. Specialis Scorbuti Cura hiſce indicationibus medicis nititur: 1) ut corpus ad ſpecialem curam rite præparetur: 2) ut humores ſpisſiores legitime reſolvantur: 3) ut impuritates ſcorbuticæ recte evacuentur: 4) ut ſymptomata urgentia & principalia mitigentur: 5) ut partes affectæ iterum ſufficienter roborentur: 6) ut debita præſervatio ordinetur: ſingulæ vero hæ indicationes non modo ſecundum ordinem talem præſcriptum, ſed & cum aliquali conſtantia & continentia exercendæ ſunt, quoniam hoc malum minime facile aut cito extirpari poteſt.

§. V. Quoniam Scorbutici ob prægreſſum irregulare vitæ genus varias impuritates colligunt, quæ in ventriculo & reliquis primarum regionum partibus hærent, hinc ante omnia præſtat corpus ab iisdem repurgare, quo reliqua auxilia ad ſalutarem effectum pertingant: ob id proficit antea, ſi neceſſitas poſtulaverit & circumſtantiæ ſubjectorum permiſerint, collectas cruditates e ventriculo ducere, per oblationem congrui vomitorii: licet alias emetica minime promiscue ſcorbuticis ordinanda ſint: quapropter non niſi in ſubjectis robuſtioribus & viribus adhuc præſentibus, ut & initio affectus & quando cruditates tales adhuc in ventriculo adſunt, tale vomitorium admitto: quo loco

vel

vel decoctum ſedi vermicularis ad aliquot uncias, vel rad. aſari, commendo: ad repurgationem vero reliquarum primarum regionum conveniunt moderatæ evacuationes artificioſæ alvinæ, cum remediis Rhabarbarinis, Mannatis, Sennatis, Polypodiatis, Helleborinis, correctis Aloeticis, Agarico, Tartariſatis & ſalibus abſterſivis laxantibus, provocandæ; cavendo ne ſenſibilis ſtimulus committatur aut excretio talis cum impetu urgeatur, quoniam etiam ſcorbutici utplurimum ſanguinis abundantia laborant, imo quoniam, urgens ſpiſſitudo ſanguinis aliter attenuari vix poteſt, niſi antea conveniens ſpatium in corpore ſubminiſtretur, hinc eximiam utilitatem pro reliqua cura rite & efficaciter adminiſtranda habet Venæ Sectio, præſervatorio ſcopo in pede celebranda: quidquod ſubinde ſingularem utilitatem in ſubjectis hæmorrhoidariis habet ſubordinata applicatio hirudinum ad loca hæmorrhoidalia: quibus ſingulis adminiculis præparatio corporis ad reliquam curam efficaciter abſolvendam, perficiatur.

§. VI. Proximius ad Curam Scorbuti pertinent debita & ſufficiens ſanguinis attenuatio, reſolutio & dilutio, nec non ſeri acrioris abſterſio, atque temperatio: e ſimplicioribus auxiliis convenit potus ſufficiens, ſed temperatus dilutus, neque valde ſaturatus, ut & juscula dilutiora gelatinoſa atque decocta et infuſa aquoſa calide paranda e radicibus Cichorii, Scorzoneræ, Apii, Taraxaci, Herb. Veronicæ, Scordii, Capilli veneris, Foeniculi, Cortice Citri, Cinnamomi, Semine Carvi, Baccis Lauri, Hord. excort. Paſſ. Maj. deinde etiam conducit ſufficiens motus corporis, maxime vero per labores & exercitationes corporis perficiendus: ex artificioſis & pharmaceuticis adminiculis talia conducunt quæ intimius & efficacius, imo ſpecialiori effectu reſolvunt & ſerum acre colliquant, e quibus ſeorſim hoc loco commendo Rad. pimp. alb. helen. ari vincetox. imperatoriæ, caryophyllatæ, angel. gent. rub. galangæ, Cichor. Tarax. Scorzoneræ: ſpecialius proſunt uſu maxime diætetico Raphanus, Armoracia, Naſturtium, Cochlearia, Synapi, Eruca, piper, Zingiber & extra hunc uſum diæteticum proſunt Fumaria, Beccabunga, Trifolium fibrinum, Centaurium min. Card. benedict. Thlaſpium, Piperitis, Cap. ven. Ruta: quo refero herbas acidulas, temperata tamen quantitate, ne ſuſpectam incraſſationem cauſentur admiſcendas; ſingulari ratione in hoc affectu confert Cochlearia tam in ſubſtantia quam in ſucco aſſumenda, hinc etiam in hoc affectu proficit ſyrupus Foreſti Sceletyrbicus: e reliquis ſpeciebus parari poſſunt infuſa, decocta, extracta, ſucci, quales formulæ pro diverſa ſubjectorum ratione & conſtitutione adhiberi debent: præterea etiam cum hiſce remediis talis ſelectus inſtituendus eſt, ut in ſubjectis calidioribus & activioribus temperatiora remedia adhibeantur, in reliquis vero efficaciora ordinentur.

§. VII.

§. VII. Quando itaque tali ratione & ſufficienti quidem tenore & gradu reſolutio & abſterſio impuritatum perficitur, tunc etiam confert easdem heterogeneitates & quantitate ſufficienti & e loco convenienti evacuare; obid ſub cura confert interdum moderatas laxationes repetere, quæ vel cum infuſis vinoſis, vel cum pilulis modice aloeticis & hellebor. additis extractis amaris & gum. ammoniac. galb. ſagap. myrrha, perficiendæ: quo loco etiam ſingularem laudem merentur pil. Stahlianæ et Becherianæ; ſicut nonnunquam pauca grana extracti Panchymag. Croll. exhiberi poſſunt: deinde convenit ſeri excretionem per urinam promovere, pro quo ſcopo ſalia digeſtiva ſolubiliora, nec non ipſum Nitrum, ut & temperatus uſus acidulorum remediorum, nec non Raphanacea conferunt, conjuncto ſufficienti interna corporis humectatione: denique etiam cura habenda eſt, quo per moderatam diaphoreſin ſerum ſubtile eliminetur, quæ excretio tamen minime cum impetu urgenda eſt, unde rectius lenior methodus & regiminis ratio præferri debet: pro hac evacuatione invitanda conducunt Eſſentiæ pimp. albæ, ari, Vincetoxici, Fumariæ, aut decocta ſuperius commendata: Præterea maxime convenit regimen modeſte calidum conſtanter conjungere, quo tranſpiratio facile procedat & peripheria corporis ſemper aperta maneat.

§. VIII. Porro in præſentis morbi cura ratio habenda eſt Symptomatum concurrentium & urgentium; inter illa vero maxime affligunt ſpaſmodicæ ſtricturæ, tum in externo, tum interno corpore ſuccedentes, quibus opponi poſſunt pulveres antiſpasmodici nitroſi cinnabarini; ſicut pro ſedativo ſcopo interdum cort. Chaccarill. exhiberi poteſt: pro mitigandis ſpaſmis Venam Portæ affligentibus confert mixtura ex eſſentia millefol. gent. rub. chaccarill. & fumar. parata: quando in hoc affectu tam orgaſticæ, quam febriles commotiones urgent, tunc pro illis tranquillandis, conducunt pulveres nitroſi, aut oculi cancrorum citrati cum additamento corall. rub. &c. Quando alvi adſtrictio urget, adeoque affectum acerbiorem reddit, tunc conveniunt clyſteres lenientes & modeſte roborantes: quod ſi vero moleſtæ & torminoſæ diarrhœæ irruant, tunc easdem ſubito compeſcere minime convenit, ſed potius ordinari debent pulveres temperantes nitroſi digeſtivi, Eſſentiæ temperatæ carminativæ & cortex chaccarill. conjunctis pil. polychreſtis Stahlianis vel Becherianis: quando Hæmorrhagiæ quædam ſuſpectæ concurrunt, tunc conferunt prædicta nitroſa cinnabarina, nec non interna diluentia, lenientia, gelatinoſa decocta e rad. Cichor. Scorzon. apii hord. ex cotr. Veron. paſſ. maj. C. C. raſp. floribus chamomill. & papav. rhæados parata, addito tantillo nitri; vel pro cohibitione urgentium talium Hæmorrhagiarum convenit pulvis e ſpeciebus de Hyacintho, oculis cancr. citratis et Maſſa pilularum de Cynogl. paratus; denique pro

eodem

eodem ſymptomate conferunt frictiones extremitatum, pediluvia & modeſtæ laxationes: quando ſtaſes & maculæ ſuperficiales occurrunt, tunc eædem minime ſubito repellendæ ſunt, ſed rectius reſolvi debent per camphorata, ſpecialius vero per applicationem herbarum recentium Cochleariæ, Beccabungæ, Naſturt. Sedi Vermicularis, contuſarum: interne conferunt eſſentiæ ſuperius recenſitæ reſolventes & diſcutientes cum decocto e rad. ſcorzon. apii pimp. alb. vincetox. ſarſaparill. herb. ſcord. veron. fumariæ, capil. vener. flor. chamomil. ſamb. acaciarum, ſem. fœnicul. carvi bac. laur. cortice citri, Cinnam. paſſ. majoribus & C. C. raſp. parato. Quando denique Lipothymiæ cum hoc affectu concurſant, tunc ad eaſdem minime ſubtilia & volatilia remedia pro odore conveniunt, ſed potius temperata, velut ſunt aquæ nervinæ, quibus cum conjungi poſſunt frictiones extremitatum.

§. IX. Quando hæ indicationes ſufficienter adminiſtratæ ſunt, tunc ſi præſens affectus mitior comparuerit, eo cura eſt applicanda, quo viſcera, quæ hactenus laborarunt, iterum debite roborentur, qualis roboratio vel cum diæteticis, vel cum pharmaceuticis peragi poteſt: e priorum claſſe confert modeſtus uſus aromaticorum, quo juſcula vinoſa aromatiſata refero: huc etiam ſpectant juſcula gallinacea aromatiſata & gelatinæ cum paſſulis, amygd. dulc. citro & Cinamom. mixta; e pharmaceuticorum claſſe conducunt partim tonica & quidem ſelecta martialia, velut Croc. Mart. Ant. Stahlii, Croc. Mart. Cacheſt. Zwelf. Ant. diaph. Mart. Ludov. Tinct. Mart. tart. Tart. vitriol Mart. tinct. Mart. c. ſuc. pom. nec non mixtura noſtra roborans, ſæpisſime nominata: ſub horum roborantium & quidem poſterioris claſſis medicamentorum uſu conjungi debet ſufficiens potus & motus, deinde etiam præcavendum eſt ne alvus adſtringatur.

§. X. Quando itaque talis affectus ſufficienter curatus fuit, tunc conveniens præſervatio ordinanda eſt; hæc in eo conſiſtit, ut ordinariæ evacuationes quælibet rite continuent: deinde proſunt præſervatoriæ laxationes, Venæ Sectiones & in aptis ſubjectis hirudinum applicationes ad hæmorrhoidalia loca: porro diæta ſit mollis, liquida, modeſte aromatiſata, nocent enim cibi duri, ſpisſi, frigidi & impuri: ſub diæta conducunt illæ ſubſtantiæ reſolventes, quarum ſuperius mentio facta fuit; potus ſufficiens & motus atque labores corporis conſtantes & convenientes ſunt eximium ſcorbuticorum auxilium: aer adhibeatur temperatus, purus, ſerenus, a nimia frigiditate & humiditate alienus; plus enim calor proficit: denique etiam præſervatoriis uſibus relinqui poſſunt balnea, tam domeſtica, quam thermarum & acidularum moderatus uſus; quæ ſingula auxilia cum conſtantia quadam & ordine juſto adhibenda ſunt.

SECTIO IX.
DE
FEBRIBUS IN GENERE.

§. I.

SEquitur in ordine celebris & eximiæ dignitatis tractatio de Febribus, quam in generaliori conſideratione præmittam, donec diverſas Febrium ſpecies ſeorſim explicem; meretur vero hæc disquiſitio eo majorem attentionem, quoniam in experientia medica Febres frequentisſimum morbum conſtituunt, dein quia pluribus ſpeciebus in Hiſtoria Practica ſeſe prodit & quia denique in Therapia Febrium tam magnus diſſenſus vulgo occurrit, ita ut difficile videatur optima maximeque ſecura auxilia ſeligere, præprimis cum tam multiplex atque ſpecioſus apparatus remediorum, ita dictorum antiſebrilium, animum facile distrahere & confundere posſit.

Conf. Stahlii Diſp. de Febribus in genere.

§. II. Quando curatius verum genium Febris, legitime decurrentis, obſervamus, tunc deprehendimus, quod ipſa Febris ſit ſolennis & exquiſita quædam Therapia, qua mediante natura humana præceps quoddam, aut ſonticum periculum corpori imminens, extraordinaria activitate, aſſiduitate & dexteritate avertere & ſolennibus quibusdam excretionibus ſanitatem labefactatam in priſtinam integritatem reſtituere conatur; quare non melius, ſincerius & efficacius febris decurrit, quam ſi natura, ſibi relicta, eandem legitime abſolvit, cum vicisſim artis concurſus non tam liberum, ſecurum & ſincerum ſucceſſum & effectum ſalutarem promittat; propterеaque ſanitas quæ Febrem a ſola natura abſolutam ſequitur, longe firmior & præſtantior eſt, quam quæ artificioſa methodo iterum reſtaurata eſt.

§. III. Temerarium itaque conamen eſſet, ſi artifex illud officium ſuum eſſe reputaverit, quod Febrem omnibus viribus fuget atque ſupprimat, quod idem eſſet ac naturam neceſſariis & ſalutaribus illis armis ſpoliare, quibus contra præſens periculum rationabili atque conſulto propoſito & directorio pugnat; quapropter mirum non eſt, ſi oppreſſa febre materia peccans non modo in corpore remanet, ſed etiam ita ſui juris evadit, quo hominem interimat, cum vicisſim nihil turbata febre hac methodo omnis noxa expugnata fuiſſet; quapropter omnis ille conatus artificioſus indoli Febris repugnat, qui

motus febriles vel turbat, vel exacerbat, vel ſuffocat; qualia offendicula in praxi medica non æque raro occurrere videntur.

§. IV. Et cum Febris minime craſſo & crudo quodam modo pro tumultuario & confuſo adeoque etiam pernicioſo actu agnoſcenda ſit, ita tanto magis convenit illius ordinem atque juſtum ſucceſſum annotare, imprimis vero attente obſervare, quibus effectibus ſua ſponte cum ſalute excurrat, quam ingenuam methodum deinde artifex ſolicite imitari debet, ſic habebit cynoſuram rationalis Therapiæ, quo in tam delicato affectu omnia κατὰ τάξιν perficiat, cum ipſa febris in pulchro & laudabili ordine decurrat, qui quo magis ab accidentalibus confuſionibus præſervatur, eo citius atque certius ſalutem affert.

§. V. Omnis Febris terminatur in excretione, quapropter vi vocis actum ſolennem purgatorium indicat, per quem corpus a cauſa nociva liberatur, quæ non modo ſubjugatur, ne tam velocem noxam exſerat, ſed & denique eliminatur, ne corpus amplius offendat: quæcunque itaque Febris ſine ſufficienti evacuatione decurrit, illa non benigne, neque genuine excurrit, ſed vel cito patientem jugulat, vel repentinam & periculoſam recidivam patitur, vel in ominoſas morbidas & ſimul chronicas conſecutiones degenerat, adeoque ſiniſtrum eventum naniſcitur, quem tamen fruſtra illi, quibus febris abſolute præternaturale pathema eſt, cum eſſentialibus Febris circumſtantiis atque requiſitis confundunt.

§. VI. Sed quoniam ferme omnes excretiones prævia legitima materiarum præparatione, videlicet ſeceſſione, involutione & ſecretione nituntur, ita in omni Febre abſolute neceſſaria eſt præcedens cauſæ febrilis præparatio, quo poſthac commode re- & emoveri queat; hinc febres ſibi relictæ & legitime decurrentes minime præmaturas excretiones inferunt, ſed coctionem materiæ præmittunt; ob id etiam medicus cocta movere debet & non cruda; error itaque eſt, non facile excuſandus, quando mox in initiis febrium evacuationes impelluntur; hinc & ſeceſſioni & ſecretioni & excretioni conveniens tempus relinquendum eſt, neque artifex quicquam præmature aut præpoſtere committat.

§. VII. Maximum momentum, quod in Febrium ſalutari indole attenta disquiſitione indiget, eſt opportunitas temporis, quoniam omnes ſalutares actus & effectus febriles non ita confeſtim decurrere poſſunt, ſiquidem ſub diverſo temporis gradu in variis febrium ſpeciebus natura humana ſalutares fines aſſequitur, propterea etiam ſecundum juſtum talem temporis ordinem functiones ſuas diſtinguit, id quod abunde teſtantur accuratiores conſiderationes Periodi, Typi, Paroxyſmi & Criſeos febrilis: hæc ipſa vero digna & celebris

febris circumſtantia ab artifice magna cum ſolicitudine & dexteritate & obſervanda & imitanda eſt, ne in ulla febre inopportuna quædam Therapia exerceatur, quæ graviter turbabit febrem & ſalutarem eventum intercipiet atque impediet.

§. VIII. Ipſa hæc opportunitas temporis eſt principale adminiculum, quo motus febriles ad ſalutarem finem pertingant, quando antea accidentalia incommoda removentur, deinde organa neceſſaria juſte aptantur, porro materia peccans a priſtino nexu & coalitu liberatur, proxime bene præparatur atque mobilis redditur, ſubinde juſto tempore, congrua quantitate & neceſſaria conſtantia ſecernitur & ſeorſim colligitur, denique etiam juſto motu & modo excernitur: quippe qui ſinguli actus in convenienti ordine adeoque idoneo tempore ſuccedere debent, quem ordinem quo magis artifex ſervabit, eo melius ipſa febris excurret.

Conf. Stahlii. Diſſ. de Rationali Febrium ratione.

§. IX. Sed cum Febris in ſe ſpectata augmentum motuum vitalium exiſtat, dum extraordinaria hac ratione atque methodo ſuis viribus & ſua activitate natura periculo præſenti reſiſtit, ita inconſultum & temerarium artificis opus eſſet, quod artis nomine maxime indignum cenſeo, quando hi motus irritantur, exacerbantur & impelluntur, ubi denique omne nimium in vitium vertitur: quapropter minime huic methodo ſubſcribo, quando per fortiores excretiones febres urgentur, cum viciſſim conſtans experientia teſtetur, quod quælibet febris non melius atque ſecurius excurrat, quam quæ moderatis motibus procedit: contrarium enim cum funeſto aut æquivoco ſuo eventu ſatis cognitum eſt.

§. X. Tanto minus vero & Rationi & Experientiæ conſonum eſt, quod per ſpecifica & univerſalia indiſcretim omnes Febres percurari queant, cum ſatis conſtet, quod materia febrilis ſit diverſæ ſpeciei, quod indoles Febrium diſcrepent, quod excretiones febriles ſint diverſæ, quod Typi febriles varient, &c: quibus diſcretis reſpectibus Panaceæ tales non ſatisfacient; unde aſſero, quod nullum adhuc conſtet certum atque fidum antifebrile univerſale remedium, ſed quod methodi medendi ſint accommodandæ diſcrepantibus Febrium geniis atque ſpeciebus & quod per tempora variantibus motuum febrilium ſucceſſibus varia convenientia auxilia offerenda ſint.

§. XI. Multum omnino refert & ſubinde palmarium requiſitum methodi Febribus medendi eſt, quo auxilia ordinentur, ne contra febris ordinem impingant: ita enim perverſa operatio eſſet, ſi artifex tunc excretionem urgere vellet, quando ſuis motibus, reſpectibus atque directoriis natura præparationi materiæ incumbit: quin rectius rationi ſanæ & febris indoli conſonum eſſet,

eo tempore excretionem adjuvare, facilitare, promovere, aut pro re nata provocare, quando materia ad evacuationem diſpoſita eſt & ex parte ipſa natura ad talem exonerationem magis conſentit: hinc illæ antipraxes, quando ſub vigore æſtus ſudationes urgentur, aut quando in intermittentibus ſub paroxyſmo frigoris vomitus aut alvinæ excretiones commoventur, (quales evacuationes utplurimum ſiniſtre decurrunt) juſtam omnino cenſuram merentur.

§. XII. Præterea eximiam utilitatem in Therapia Febrium habet animadverſio ſufficientis illius activitatis ſpontaneæ, qua utitur natura pro præſente damno averruncando: & in hac conſideratione judicio opus eſt; hoc viciſſim præſupponit juſtam cognitionem Febrium pathologicam, ut recte conſtet, ubi & quando natura ſuo officio rite defungitur: quodſi itaque ex vero atque certo conſtiterit naturam ſibi ſufficere, tunc impudens & imprudens conamen eſſet, præter neceſſitatem artem immiſcere velle, quin longe conſultius fuerit, tantum bono regimine ſuccurrere, accidentia prava avertere, omnia poſitiva adminicula, tanto magis vero commoventia, ſeponere & leniſſima methodo in tali ſtatu uti: cum contra, ſi natura ſufficienter operatur & artifex ſuos conatus atque ſtimulos conjungit, magnæ oppletiones, anguſtationes, excretionum oppreſſiones aut præcipitationes, inflammatoriæ & congeſtoriæ commotiones, mentis motiones, majores inquietudines & intenſiores exæſtuationes, quin denique funeſti eventus ſuperveniant.

§. XIII. Quemadmodum in evacuationis febrilis tractatione & directione nulla amethodia committenda eſt, ita viciſſim abſtinere debet rationalis & prudens artifex, ne in correctione materiæ febrilis nimis ſcrupuloſe & ſubtiliter ſpeculetur & operetur, neve propterea εὐκαιρίαν prætermittat & in otioſo quodam labore diutius ſubſiſtat: hinc enim contingit, ut ſub laborioſo tali alteratorio actu excretiones turbentur & juſtus harum ordo pervertatur: ſuffecerit in tantum alterationem talem perfeciſſe, quo materia evacuanda legitimam ſuam mobilitatem nanciſcatur: reliquæ vero ſpecialiſſimæ phyſicæ qualitates & pathologiæ materiæ peccantis, utplurimum a vere medicis uſibus atque reſpectibus animum detinent.

§. XIV. Eximium porro adminiculum therapevticum eſt, ſi artifex ſe & excretiones non cogit, impellit, exſtimulat, aut præcipitat, ſed ſi partim præſentia partim imminentia impedimenta tempeſtive & modeſte removet; ſi porro talia lenia ſubſidia affert, quæ utrumque actum levant, facilitant & leniter promovent, minime vero immoderate commovent: præterea non inconſulta erit actio, ſi artifex materiam & cauſam febris ita diſpoſitam invenit, ut ſine damno atque periculo, aut etiam ſingulari incommodo eandem tempeſtive

ve ſimul & ſemel ſubtrahere posſit, ut illam non cum onere naturæ tractandam relinquat, v. g. ſi febris quædam propter ſangvinis ubertatem moleſtam ſuſcipitur, tunc tempeſtiva V Sio fundamentum totius reliquæ curæ eſt.

§. XV. Magna tamen circumſpectio adhibenda eſt, ne relicta cauſa febrili, motus neceſſarii & ad ſalutarem finem directi extinguantur, qualis Therapia magis patientes occidit, quam reficit; imo ne quidem conſultum eſt, præmature febrem intercipere & negligentiori regimine, aut inconvenientiori medicamine ſalutares evacuationes turbare & impedire, cum experientia doceat, quod ob excretionum eſſentialium largiorem ſucceſſum febricitantes vix ſuccumbant, ſed ob harum evacuationum defectivum, aut inordinatum decurſum plurimi pereant, quotquot ſub febre delinqvunt atque moriuntur.

§. XVI. Maxime etiam confert, quo in rationali & ſalutari Febrium Therapia exacte veræ & genuinæ Febrium ſpecies conſtent, ne confuſa inde emergat methodus: quid enim familiarius eſt, quam in communi praxi febres malignas profligare; cum multæ pro malignis æſtimentur & tractentur, quæ nihil quicquam malignitatis continent; quid communius eſt, quam febres ex ventriculo extorquere, quas juxta placita Helmontiana vulgo vocant ein Magen-Fiber, in quibus ſi cura ad ventriculum dirigitur, penitus febrilis typus confunditur: & hæ ſunt tales febrium ſpecies, quæ ſæpe ignorantiam artificis celare & obtegere debent, etenim ſi qua febris, quoad indolem ſuam non ſtatim patet, tunc mox accuſatur, vel malignitas, vel ventriculus, vel catarrhus: & ne nihil egiſſe videatur, ordinatur interdum ſimplicisſimus pulvis terreus, qualis in omnibus febribus ſine noxa adhiberi poteſt: pejus vero cedit negotium, ſi mox calida antidotalia, anticatarrhalia, aut ſtomachica ingeruntur.

§. XVII. Arcani inſtar in Therapia Febrium inſervit congruum Regimen, quod ſicut toti Febris decurſui eximie quadrat, ita ſeorſim ſpeciales febriles actus & effectus ſalutares allevat, dum rationem temporis bene obſervat, adeoque ſecesſioni & præparationi, nec non ſecretioni materiæ febrilis congruam moram conciliat; maxime vero excretiones opportunas atque ſufficientes adjuvat: vicisſim omnes has evacuationes graviter turbare poteſt: quemadmodum incongruum regimen exanthematum maturas expulſiones impedit, aut expulſorum exanthematum febrilium retropulſiones accelerat, ſudores neceſſarios ſupprimit, vomitus & Diarrhoeas exacerbat, Hæmorrhagias turbat & ad periculoſisſima ſymptomata diſponit: hinc non modo febricitantes non melius, efficacius, citius, certius atque firmius reſtituuntur, quam mediante bono regimine, ſed & multi in priſtinam ſanitatem ſolo tali regimine transferuntur.

§. XVIII.

§. XVIII. Speciosa illa methodus, quæ vulgo famoſo titulo & prodigioſis promiſſionibus ad curam Febrium commendatur, haud ita ingenua atque probata eſt neque ſuis promiſſionibus dignam ſe præſtitit: eſt vero illa, quando per alexipharmaca, antidotalia, diaphoretica, bezoardica, cardiaca, cordialia, alexicaco-cardiaca & ſudorifera, magni nominis & ominis, magni inventoris, magnæ exiſtimationis, magnæ fiduciæ, magni pretii, febres tractantur, quando aquoſi ſudores urgentur, quando calida regimina conferuntur, quando potus ſufficiens denegatur, ne juxta credulorum & præjudicantium ſtylum febris nutrimentum acquirat: inde ſane contingit, ut juxta talem modum admodum ſolicite tractati febricitantes, eo citius e manibus artificis per extemporaneam mortem emergant: imo hinc eſt, cur extra contagioſas febres, illi maturius ſuccumbant, quibus talia auxilia laudabili induſtria adhibita fuerunt, quam quibus præter leniſſimum regimen nihil ſpecioſi & prodigioſi ordinatum fuit.

§. XIX. Peſſima maximeque iniqua, nec non a ratione aliena illa eſt Therapia, quæ tantum evidentibus pathematibus & ſymptomatibus febrilibus leniendis & demulcendis intenta eſt; & hæc nulla alia quam ſuperficiaria & palliativa exiſtit: quisquis vero febrem e fundamento curare cogitat, ille magis evacuationibus dirigendis, ſublevandis & promovendis operam dare, minime tamen primario quodam ſtudio atque conatu ſymptomata anxie profligare debet; quo plus enim curæ, laboris & temporis illis impenditur, eo plus fundamentali Therapiæ ſubtrahitur: exinde liquet quod verum fundamentum hujus Therapiæ non conſiſtat in cura caloris, frigoris, capitis doloris, inappetentiæ, vigiliarum, debilitatis &c: ſingula enim ſymptomata vel ſua ſponte emendantur & leniuntur, ſi cura e fundamento rite procedit.

§. XX. Præterea multum omnino refert evacuationes febriles ſecundum diverſas Febrium ſpecies rite diſcernere, ne eſſentiales & accidentales circumſtantiæ inter ſe ludicre confundantur, neve proinde priores negligentius tractentur, poſteriores vero immoderatius urgeantur, quæ diſcretio e juſta Febrium pathologica notitia haurienda eſt: neque etiam negare poſſum, quod ſub minus legitimo Febris decurſu natura interdum vel ſua ſponte ſecundariis & accidentalibus evacuationibus inducendis & continuandis incumbat, vel per artificia & incongrua regimina eo ſeducatur: unde ex Hiſtoria Practica liquet, quid inopportunæ V Snes valeant, ad inferenda molimina hæmorrhagica, quid vel nimis frigida, vel nimis multa potulenta contribuant ad dejectiones vomibundas & commotiones alvinas: &c:

§. XXI. Sed ne nimis diu in talibus generalibus, ſed ſubinde etiam fundamentalibus obſervationibus pathologico-practicis ſubſiſtam, mox ſubjungam

jungam generales cautelas Practicas, quæ ad Therapiam Febrium ſpectant: nocent 1) V Snes, ubi nulla plethora urget & turget: 2) nocent etiam eædem vel ſerius inſtitutæ, vel nimis parcæ, 3) nocent Vomitus artificiales, ubi nulla cauſa in ventriculo hæret & ubi materia eſt immobilis, imo ubi ſua ſponte natura ad vomitum inclinat: 4) nocent commotiones alvi ſenſibiles, maxime in malignis febribus, aut inopportuno tempore: 5) nocent præmaturæ commotiones & provocationes ſudorum: imprimis nocent 6) ſudores aquoſi per artificia excitati: 7) obſunt regimina anxia & æſtuoſa: obſunt 8) omnia remedia impellentia, calida, acria, concentrata, ſpirituoſa, volatilia: 9) obſunt omnia regimina & medicamina refrigerantia, laxiora & negligentiora: obſunt 10) etiam actuales ordinariarum evacuationum obſtructiones, indoli febris repugnantes: 11) pernicioſa ſunt omnia communia narcotica medicamenta, imprimis in febribus ſenſibilitate ſua valde diſtinctis: 12) officit nuda ſymptomatum complacatio & palliatio, quando radix & cauſa febris negligitur: 13) damnanda eſt ſubtractio neceſſariæ humorum & viarum diluitionis: 14) fugienda ſunt adſtringentia, quæ excretiones ſalutares vel ſupprimunt, vel turbant: 15) ſeponantur vulgata & famoſa febrifuga, quæ non ita divina ſunt, uti vulgo declamantur, eo magis vero omittantur, quando cauſa febris nondum evacuata eſt, quando artifices alias illorum applicationem non bene intelligunt 16) abſint communia nervina, viribus reſtituendis, curatorio ſcopo oblata, qualia utplurimum calidioris indolis ſunt: 17) nocent confuſæ evacuationum febrilium excitationes, imprimis ſub vigore æſtus febrilis; 18) nocent nimis acceleratæ remediorum diverſorum & multiplicium effectuum ingeſtiones: 19) nocent omnia experimenta, quæ ſub vigore febris inſtituuntur, per polychreſta, panaceas, univerſalia, mumialia &c: quæ utplurimum legitimam febrem pervertunt, aut anomaliam eo facilius ad periculoſum eventum promovent: 20) nocent immodicæ ſangvinis & materiæ peccantis incraſſationes & conſtrictiones: 21) neque ulla externa ſubſidia ſuppetunt, quibuscum cauſa febrilis ſubjugari poſſit: 22) nocent compoſita, quæ conſtant ex ſubjectis diverſi, perverſi & haud convenientis effectus, qualia ſunt famoſa theriacalia & quotquot alia e ſpeciebus commoventibus, ſed ſimul ſedantibus & adſtringentibus conſtant: 23) maxime etiam nocent ſimultaneæ evacuationum provocationes artificiales & denique 24) nocent variantes methodi, quæ ſimul in una eademque febre applicantur: hinc febricitantes, quotquot vitam ſuam amant, habent, quo caveant a convocatione multorum medicorum & obſtinatorum & ſententiis contrariorum: & hæ ſingulæ principaliores cautelæ ſunt, quæ in generali Febrium Therapia notari debent.

§. XXII. Nunc ſeorſim ſignificabo, quæ cautela, prudentia & dexteritas circa univerſalium uſum in Febrium Therapia adhibenda ſit; & ita in Medicina Practica vulgo V Snes commendantur, tanquam univerſale auxilium, quo quidam vel cauſam febris, vel illius impetum præoccupare promittunt atque contendunt: ſed cum plurimæ febres non tam quantitati ſangvinis abundanti oppoſitæ ſint, ita in plurimis V. Sio minime directe & eſſentialiter competit: quando vero plethora principalis alicujus Febris cauſa exiſtit, tunc V. Sio ſufficiens minime tamen parca, neque etiam excesſiva in primo vel altero ægrotationis die concedi poteſt: providendo quo deinde regimina & medicamina temperata ſubjungantur, quæ placidam diaphoreſin promovent.

Conf. Stahlii Diſſ. de V. Sne in febribus acutis.

§. XXIII. In malignis febribus V Sio curatorio ſcopo minime concedenda eſt: quando vero in reliquis febribus hæ circumſtantiæ deſunt, ut primo plethora eximia adſit, quæ deinde variis commotionibus antehac facile obnoxia fuit, nec non proxime ante febris invaſionem valde agitata eſt, ut porro febricitantes antehac & frequentibus & facilibus & liberalibus Hæmorrhagiis expoſiti fuerint, ut mox in primis febris initiis graves ſpumefactoriæ ſangvinis commotiones concurrant, tunc non convenit venam ſecare: hæ enim circumſtantiæ admittunt in aliis febribus V. Snem: qua celebrata cura adhibenda eſt, quo ſuccesſive temperatæ diaphoreſes decurrant: refrigerantia vero & regimina & medicamina ſedula evitanda ſunt, ſicut etiam valde calida auxilia in tali ſtatu excludi debent: de qua conſideratione actum fuit in Therapia, ubi diſcurſus de V. Snis uſu in febribus occurrit.

§. XXIV. Deinde multis in uſu eſt in primis Febrium initiis Vomitoria ordinare & quidem in malignis æque atque benignis febribus: ſed multa circumſpectione opus eſt circa illorum uſum: minime ita indiſcretim eadem admitti poſſunt, cum in plurimis ſubjectis magis noceant, quam proſint, præcipue vero in ſubjectis ſenſibilibus admodumque plethoricis: quando tamen ſubjecta durioris & robuſtioris indolis ſunt & antehac in irregulari diæta & vitæ genere conſtituta fuere, ut juſte præſumere liceat, multam impurioris ſaburræ colluviem in ventriculo adeſſe, tunc licet lenem ſtimulum emeticum adhibere: qualis Therapia præcipue in medicina caſtrenſi locum invenit: providendum tamen eſt, ne antea in ventriculo, aut connexo inteſtino duodeno inflammatio adſit aut immineat, alias in tali ſtatu eximie nocent quælibet vomitoria.

§. XXV. Poſitivæ Purgationes in nulla Febre ſecuræ, utiles & neceſſariæ ſunt, minime omnium in maligna; inſolita contra & indoli febris non conveniens alvi obſtructio in omni Febre incommoda & nociva eſt, unde re-

ctius conducit, quo alvus juſta ſua libertate gaudeat, proptereaque magis lenienda, emollienda & diluenda, quam poſitive ſtimulanda eſt; pro hac moderata alvi liberatione tam in malignis, quam benignis Febribus Nitri modicus uſus laudabile remedium ſubminiſtrat, quemadmodum urgente necesſitate clyſteres lenientes ſecurius juvant, quam remedia ab intra alvum commoventia; quando vero diverſæ febres legitimum exitum attigerunt, tunc interna moderata abſterſio & laxatio utilis, imo neceſſaria eſt.

§. XXVI. Diaphoretica ſunt juxra communem æſtimationem quaſi ſacra anchora in Therapia Febrium, quo plurimi repente confugiunt, ſed merentur inculcari notatu dignæ hæ obſervationes, quod multæ febres feliciter ſine talium famigeratorum diaphoreticorum uſu excurrant; deinde quod ſpecioſa talia diaphoretica admodum ambigue operentur, dum motus febriles exacerbant & effectus ſalutares præmature impellunt atque accelerant: quid quod in nulla febre (quod repetito inculco) diffuſus, copioſus, aquoſus aut ſimultaneus ſudor fidus & probatus eſt, quin rectius moderatus & ſucceſſivus mador præferri debet; criticus tamen ſudor largus & aquoſus eſſe debet, quem artifex minime turbet, neque impellat aut augeat; neque impediat aut coerceat.

§. XXVII. Et quanquam plurimæ febres congrua Diureſi, præter reliquas neceſſarias evacuationes abſolvantur, tamen urinæ excretionem cum ſtimulo aliquo urgere velle, minus ſecurum eſt; neque vicisſim confert, ſi vel ſponte diureſis retinetur, vel per malum regimen & iniqvum artificium impeditur & pervertitur; propterea vero poſitiva diuretica minus ſecure ordinari poſſunt, quoniam reliquis excretionibus turbandis ſatisfaciunt: quare rectius leniſſima methodus applicari debet, quo videlicet per potum ſufficientem, per Nitri uſum, per modicam ſalium digeſtivorum ordinationem, per abſorbentia cum acidis ſaturata, per temperata alexipharmaca & reſolventia & in ſubjectis floridioris habitus atque ſangvinis, per acidulata diureſis facilitetur atque promoveatur.

§. XXVIII. Quoad Alterantium uſum in Febrium Therapia perinde judicio & prudentia opus eſt, ne materiæ peccantis operoſa & ſcrupuloſa correctione evacuationem tempeſtivam turbemus; interim refractæ doſes abſtergentium, abſorbentium, reſolventium temperatorum, demulcentium & ſubtili mucilagine involventium, aut in malignis febribus modeſte inſpiſſantium remediorum concedi poſſunt; cavendo ne cum talibus remediorum generibus ullus exceſſus committatur, quia alias eo certius excretiones opportunas pervertunt: neque etiam hæc alteratio extendenda eſt ad ſubtiles qualitates phyſicas: ſuffecerit, ſi ſpisſiorem materiam volubiliorem reddimus, ſi acriorem per

abſorbentia, diluentia & gelatinoſa mucilaginoſa temperamus, ſi nimis ſubtilem parcius inſpiſſamus: de reliquo juſtus motuum febrilium ſucceſſus ſufficienter materiarum peccantium præparationem adjuvabit.

§. XXIX. Potus ſufficiens nunquam febricitantibus denegandus eſt, qui propterea medicina magnæ efficaciæ appellari meretur, dum materiæ & cauſæ febrilis præparationem facilitat, evacuationem ſublevat, motum promovet, organa diluit & flexilia atque permeabilia reddit, æſtum, ſitim & inquietudinem temperat varioſque alios uſus exſerit: ordinandus vero eſt potus non nimis ſpiſſus, ſaturatus, recens, fæculentus & ſpirituoſus, neque nimis calidus, neque nimis frigidus, non nimiis hauſtibus ingurgitandus; & ſi febricitantes potum cereviſiarium averſantur, convenit decocta dilutiora hordeacea, paſſulata &c. ordinare: a carneis, gelatinoſis potulentis abſtinendum eſt, quia febricitantes non modo carnes, ſed & ex carnibus præparata averſantur.

§. XXX. Nervina & roborantia remedia non raro in Febribus ordinari ſolent, quando quidam conjunctas debilitates & virium jacturas valde metuunt, quemadmodum in malignis & bilioſis febribus, præ aliis tales virium proſtrationes occurrunt: ſed præſtat etiam circa illorum uſum circumſpectionem adhibere, cum plurima ex ejusmodi roborantibus ſpeciebus ſubtilioris & calidioris indolis exiſtant, quare non niſi temperatisſima ſeligenda ſunt, quæ magis in liquida, quam in ſicca forma exhiberi debent; vulgo pulvilli quidam nervini pulſibus apponi ſolent, qui tamen non aliter proſunt, niſi in ſubjectis credulis, aut quæ ex odore ſvaveolentium ſpecierum inde reficiuntur, minus tamen ſecurum eſt per ſubtilia fragrantia, ſvaveolentia ſubjecta febricitantes afficere, qui communiter talia averſantur.

§. XXXI. Præterea vulgo magna laus tribuitur acidis ſubjectis contra nimium æſtum & magnam ſitim febrilem, ſed & cum illis provide procedere convenit; ut primo temperies & moderamen ſervetur; deinde in ſubjectis, quibus paulo ſpisſior eſt ſanguis, omittantur; alias modeſtus illorum uſus tam in malignis, quam benignis, febribus, excluſis bilioſis & intermittentibus, concedi poteſt: ſed præſtat etiam ſub illorum uſu ſufficientem potum admittere, ne nimiam ſanguinis ſpisſitudinem cauſentur: liberalior enim acidorum uſus non modo ſuſpectam craſſitiem humoribus inducit, eaque propter excretiones impedit, ſed & varias perverſas commotiones in primis regionibus excitat; imprimis in infantum febribus, nec non in puerperarum febrilibus affectibus ab acidorum uſu abſtinendum eſt.

§. XXXII. Narcotica remedia in nulla febre conveniunt, ſiquidem in maligna adhuc majorem animi & corporis enervationem cauſantur, in benigna viciſſim totum typum pervertunt, ubique etiam ad affectus ſoporoſos,

con-

confuſum febris decurſum atque exitum contribuunt; quare neque opiatæ illæ compoſitiones miſcellaneæ theriacales id efficiunt, quod de iisdem vulgo promittitur: & licet quibusdam artificibus in more poſitum eſſe deprehendatur, paroxyſmos febriles, præcipue intermittentes, cum opiatis compeſcere, tamen hæc methodus non admodum ſecura eſt, ad minimum communia opiata, aut liberalior quorumlibet ſedativorum uſus concedi non poſſunt: neque quidem ſub febrium decurſu cinnabarina remedia admitto, quoniam æſtum & inquietudinem augent.

§. XXXIII. Poſteaquam univerſalium remediorum mentionem feci, jam ad generalem methodum febribus medendi progredior & in hac ſequentes indicationes commendo 1) ut cauſa febrilis legitime præparetur 2) ut evacuatio febrilis dextre dirigatur; 3) ut ſymptomata febrilia ſecure mitigentur, 4) ut regimen congruum ordinetur: ſingulæ hæ indicationes ita proportionate exercendæ ſunt, ne quicquam indoli febris præjudicent: maximum momentum & arcanum in hac methodo eſt, ne evacuationes præmature, aut impetuoſe urgeantur & quo magis placide hæ indicationes adminiſtrantur, eo certius atque citius Deo benedicente febris ad ſalutarem effectum atque eventum pertingit.

§. XXXIV. Quod materiæ & cauſæ febrilis præparationem concernit, tunc illa ſecundum generalem febrium diſcretionem variat, in quantum nimirum Febres vel Malignæ vel Benignæ, vel Continuæ vel Intermittentes, vel Acutæ vel Chronicæ ſunt: in Malignis præparatio perficienda eſt cum remediis miaſma involventibus & maſſam ſangvineam a præcipiti illius invaſione præoccupantibus remediis; hujus cenſus adminicula ſunt abſorbentia teneriora vel ſimpliciora, vel cum acidis imprægnata; deinde conveniunt decocta ex Scorzonera, hordeo, ſcordio, veronica, paſſulis, citrata, cum modico Cinnamomi remixta: porro conferunt acidulata adminicula, quo præcipue acetoſitas Citri pertinet, non excluſis tamen aliis vegetabilibus, ut & mineralibus aciditatibus.

§. XXXV. In Acutis Febribus ad præparandam materiam febrilem, quæ aliquali temperatione & involutione indiget, conducunt terrea teneriora & ſimpliciora, haud vero uſta; deinde conferunt remedia nitrata, porro diluentia, humectantia, decocta hordeacea dilutiora, paſſulata, citrata cum modica quantitate ſyrupi acidi vegetabilis remixta; non minus abſorbentia cum acidis ſociata pro hoc ſcopo eximie conferunt, maxime in inflammatoriis & bilioſis febribus, in quibus poſterioribus etiam alia decocta dilutiora proſunt, ut decoctum Coffee, non valde ſaturatum neque nimis calidum, ne-

 que

que nimiis hauſtibus ingurgitandum; huc pertinet cremor hordei & quæ alia fluida ſua mucilagine hanc involventem qualitatem exſerunt: excludo vero terras bolares & ſigillatas; præfero viciſſim in bilioſis febribus Cryſtallum montanam præparatam, quam æque ſalia corroſiva abſorbent, ut propterea illa ad bilem acrem temperandam conducat.

§. XXXVI. In chronicis Febribus, quæ non ſunt exquiſite intermittentes, materiam præparant partim abſorbentia ſimpliciora & acidulata, partim corallia rubr. ppta. partim remedia nitroſa & modicus ſalium amarorum uſus; huc porro quadrant auxilia remiſſius acidulata, quæ abſtergunt & involvunt; conveniunt etiam emulſiva dilutiora & a ſeminibus frigidis libera, nec non decocta hordeacea cum Scorzonera, Cichorio, paſſulis, citro, cinnamom. veronica, ſcordio: pertinent huc potiunculæ ex aquis diaphoreticis & ſyrupis acidulis, aut ex aquis reſolventibus & additis abſorbentibus & antimoniatis fixis ſubſidiis; abſtinendo a craſſioribus terreis ſubjectis: denique etiam in talibus febribus modicus lactis tenerioris & dilutioris uſus abſterſoriam & præparatoriam ſuam utilitatem promittit.

§. XXXVII. In intermittentibus denique febribus præparatio materiæ ſuccedit per remedia ſalina digeſtiva, nitroſa & tartariſata; quo quidam uſum ſalium vegetabilium referunt: licet etiam parcam abſorbentis ſubjecti quantitatem commiſcere, minime tamen liberalem illius copiam ordinare, quia humores nunc ſpiſſos atque viſcidos magis incraſſat: conjungendus etiam eſt potus ſufficiens, qui lentorem diluere & emollire adjuvat, maxime vero conferunt decocta ſimpliciora, ut Coffee & herbæ Thee aut veronicæ, ſed dilutiora; ſiquidem calor etiam lentam talem materiam magis emollire adjuvat: denique diverſa amara vegetabilia ſubjecta materiam reſolvere adjuvant: præſtat propterea præ ſiccioribus magis liquidiores formulas adhibere, quæ plus penetrant, eluunt atque leniunt.

§. XXXVIII. Singula hæc remedia non illo tempore demum exhibenda ſunt, quando ſecundum legitimam febris indolem excretiones ſuccedere debent, ſed potius tunc eadem offerre convenit, quando nunc ſua ſponte natura ad præparatorium actum ſeſe quadantenus accingit, ubi cum modica congrue præparantis remedii doſi ſublevari poteſt: quidquod conſultius eſt, ſi repetitis parcis doſibus alterantia talia auxilia exhibentur, quam ſi magnis & ſimultaneis quantitatibus ingeruntur: quando vero indoles febris requirit, quo evacuatio ſuccedat, tunc natura minime cum alterantibus turbanda, impedienda & ab excretione detinenda eſt.

§. XXXIX. Excipit nunc altera indicatio, qua evacuationis febrilis dextra directio commendatur, harum evacuationum diverſæ ſpecies pro Febrium

brium varietate occurrunt, quæ ſingulæ juſto directorio indigent; primariæ harum ſunt periphericæ & diureticæ: quod diaphoreſin attinet, tunc illius promotio in omni febre moderata eſſe debet; maxime in maligna optimo moderamine opus eſt, ne ulla impetuoſa commotio tentetur, quoniam in eadem omnes ſtimuli diaphoretici & alexipharmaci, præſente reliqua eximia naturæ abjectione & virium jactura repentinos malos effectus cauſantur; quare vel diaphoretica fixa, vel alexipharmaca ſelecta & temperata, vel nuda regimina congrua ſatisfaciunt: imprimis in ſubjectis ſenſibilibus, admodum plethoricis & ubi acerbior eſt motus febrilis, cum poſitivis diaphoreticis caute procedendum eſt; quodſi vero non ſua ſponte opportuna diaphoreſis oriatur, tunc paucæ guttulæ vel Eſſentiæ alexipharmacæ Stahlianæ, vel correctæ & temperatæ Ticturæ Bezoardicæ ſatisfaciunt: quid quod ſine tali artificioſo remedio interdum modeſtus potus ſimplicioris infuſi, remiſſius calidi, placidam diaphoreſin prolicit; aliquando quietum regimen neceſſarium & moderatum ſudorem provocat.

§. XL. In malignis Febribus vel diaphoretica fixa, vel mixtura ſimplex parcius camphorata, vel temperatæ Eſſentiæ alexipharmacæ, paulo largius ſcordiatæ, vel ſola abſorbentia pro hoc ſcopo ſatisfaciunt, modo congruum regimen concilietur: & in hiſce febribus ſingularis illa cura occurrit, quo exanthemata maligna tempeſtive erumpant, quæ minime cum impetu expelli debent; de qua re tam in Therapia actum fuit, quam inferius adhuc ſeorſim agendum erit: multum tamen ad hanc ſpecificam periphericam excretionem contribuit exactum regimen & placidus totius affectus decurſus, quo proinde uſus temperatiſſimorum alexipharmacorum remediorum ſpectat.

§. XLI. Neque etiam poſitivo quodam ſtimulo urgenda eſt diureſis, ſed prout ſuperius indicavi, pro urinæ excretione promovenda conducit potus ſufficiens, uſus decoctorum ſive ſimplicium, ſive dilute hordeaceorum citratorum, cum Nitro aut cremore Tartari mixtorum: huc quadrant pulveres nitrati & Eſſentiæ temperatiores reſolventes, quemadmodum abſorbentia cum acidis combinata hanc excretionem facilitant: de reliquo juſtus alvi ſucceſſus etiam diureſeos congruam libertatem promittit: conſultius vero eſt, ſi hæc excretio ſucceſſive, quam ſimultanee procedit & decurrit.

§. XLII. Quotieſcunque & quamdiu æſtus febrilis in majori & acerbiori gradu continuat, toties excretiones tali tempore urgere velle, minus ſecurum eſt, propterea magis convenit circa æſtus qualemcunque remiſſionem eſſentiales tales evacuationes adjuvare, minime vero per calida remedia impellere, alias æſtus remiſſior mox iterum irritatur & in acerbiorem illum gradum conjicitur: inter omnia tamen ſecura adminicula, quibus excretiones hæ

prin-

principales promoveri poſſunt, maximam laudem meretur potus ſufficiens, quo vicisſim deficiente non modo Febris gravius affligit, ſed & evacuationes magis difficulter atque irregulariter procedunt: proinde easdem evacuationes eximie & ſecure facilitat regimen congruum; incongruum vero graviter turbat.

§. XLIII. Quando actuales criticæ evacuationes expectandæ ſunt, tunc congruum regimen optimam medicinam conſtituit; ante criſin vero præſtat omnia impedimenta removere & ſi excesſiva commotio præſumitur, præmitti poſſunt auxilia diluentia, lenientia & temperantia: criſis ipſa non eſt turbanda, neque cohibenda, quia quælibet critica evacuatio largior eſſe debet; quid quod magis ſub criſi omnia remedia ſeponenda & omittenda ſunt, niſi præter regimen conveniens etiam potus ſufficiens concedatur: ad ſummum ſub criſi legitime decurrente, ſub diluentibus ſubſidiis moderate analeptica concedi poſſunt: quodſi etiam critica quædam evacuatio actu excedat, tunc magis temperantia & lenientia, præ adſtringentibus & ſopientibus, conveniunt.

§. XLIV. Quando in febre quadam vomitus aut alvi efficacior depoſitio eſſentialem quandam evacuationem conſtituit, tunc neutiquam tales excretiones cum ſtimulo quodam excitandæ ſunt, ſi præcipue interne inflammatoriæ commotiones abſunt vel imminent, ſed potius per diluentia, humectantia, lenientia, elubricantia, involventia &c. talis evacuatio facilitanda eſt; interdum etiam abſorbentia, detergentia, paſſulata, prunata, tamarindinata placidam talem catotericam exonerationem adjuvant: quod ſi vero in aliqua febris ſpecie poſitive alvum, aut ventriculum movere conveniat, tunc hæc operatio minime ſub paroxysmo, ſed extra illum & quantum fieri poteſt, admodum leniter adminiſtrari debet.

§. XLV. Hæmorrhagiæ, quando quibusdam Febribus eſſentialiter competunt, minime impelli & activiori methodo urgeri ſed perquam modeſte tractari debent, quæ, ne ſpontaneis immoderatis commotionibus urgeantur, per præmiſſa temperantia abſorbentia, nitrata & diluentia atque humectantia præparandæ ſunt; deinde vero regimen tranquillum, quietum & moderatum proficit, ne inquietudo, aut actualis refrigeratio, vel ulla impetuoſa commotio anomalicos quosdam ſucceſſus cauſetur: providendum inſuper eſt, ne talis Hæmorrhagia excedat, in quo caſu temperantia & lenientia remedia cum regimine tranquillo æque conveniunt: licet etiam externa reſolventia, discutientia & modeſte tonica conjungi queant.

§. XLVI. Sub omnium excretionum febrilium promotione Bezoardica & Alexipharmaca remedia caute & parce ordinari debent, ſiquidem moderata

rata illorum quantitas non modo neceſſarium effectum exſerit, ſed nullam præjudicioſam commotionem inducit; Multo minus Spirituum Volatilium uſum ad curam Febris admitto, licet de ſpiritu & toto reliquo corpore C. C. vulgo eximia prædicata recenſeantur & circumferantur: ſed cum alexipharmaca Cervi virtus magis theoretica & hypothetica ſit, ita encomia illa communiter evileſcunt: nocent vero volatilia in febribus curatorio ſcopo ordinata & ad vehementes orgasmos, oppletiones, anguſtationes, inflammatorias commotiones & deliria disponunt; neque vulgarem camphoræ uſum admitto, quoniam eadem intenſe commoventem ſuam qualitatem utplurimum exſerit: unde mihi compoſitiones camphoratæ cum refrigerantibus remediis paratæ non arrident: & licet in Mixtura Simplici camphora præſto ſit, tamen illa compoſitio, quam in febribus commendo, vix decimam unius grani camphoræ partem continet.

§. XLVII. Quod lapidem Bezoar attinet, tunc in nulla Febrium ſpecie eodem indigeo, quoniam temperatiora alexipharmaca vilioris pretii & ſecurioris utilitatis proſtant, ut nulla necesſitas urgeat, quo ad ſplendidum ejusmodi remedium confugiam, quod magis per plebejam æſtimationem, quam certam & ſufficientem experientiam comprobatum eſt: neque terrea uſta & bolaria medicamenta in febribus pro diaphoretico ſcopo commendo, multo minus adſtringentes illas ſpecies & quidem radices, quibus vulgo in malignis ſingularis virtus adſcribitur, ordino: ſuffecerit ſimplicisſimis & lenisſimis ſubſtantiis uti, neque in ſpecioſis & pretioſis eximiam aliquam opem inquirere.

§. XLVIII. Nunc ad tertiam indicationem progredior & ſignificabo, quomodo principalioribus Symptomatibus febrilibus ſuccurrendum ſit: quod enim excretiones ſymptomaticas attinet, tunc eædem repente coërceri non debent; quin rectius in illarum cura lenientia, temperantia & tunc denique moderata tonica ordinanda ſunt: e ſedativis vero remediis nullum ſecurius in febrium cura commendari poteſt, quam Chaccarilla, quæ ſine ullo præjudicio futurarum evacuationum neceſſariarum, tamen efficaciter operatur: repentinæ contra ſymptomaticarum excretionum ſuppresſiones totum febris typum turbare ſolent, unde in harum cura mitior ſemper methodus præferri debet.

§. XLIX. Multum vero anguntur tam medici quam adſtantes de calore & æſtu febrili, quare non pauci operoſe efflagitant, quo æſtus talis extingvatur, man ſoll der Hitze ſteuren, und dem Fieber nicht ſeine Gewalt laſſen: quaſi febris in calore conſiſtat! qui officioſe, rigoroſe & laborioſe calorem febrilem opprimere nituntur, illi eximie totam febrem turbant: quo vero nimius æſtus mitigetur, convenit uſus Nitri, nec non abſorbentium & in

floridis ſubjectis coralliatorum remediorum: multum inſuper confert potus ſufficiens, ſub quo etiam aliquid Nitri præbere licet: neque acidulatorum modicus uſus contemnendus eſt: confert regimen quietum & ab externo, tanto magis vero anxio calore liberum; non minus denique decocta dilute mucilaginoſa nimium ardorem temperare adjuvant: Spiritus Nitri dulcis in tota Febrium cura nihil effectu dignum perficit: interim paſſim tanquam idolum in Therapia Febrium æſtimatur & commendatur: ſed effectus teſtabitur de ſua cauſa: unde experientia, ab omni præjudicio aliena, conſulenda erit.

§. L. Porro appetitus proſtratus multos angit & affligit, quo ſiniſtrum eventum metuant, unde & medici per artem appetitum excitare interdum laborant & adſtantes cum multa perſuaſione & ſolicitudine alimenta & cibos obtrudunt: haud vero utile & conſultum eſt contra appetitum febricitantes ad cibos urgere, qui cum averſione ingeſti, cardialgias, ructus, majores capitis dolores & inquietudines cauſantur: minime omnium patientes ad carnium comeſtionem rigoroſe & auſtere adigendi ſunt: melius eſt, ut ſub appetitus defectu febricitantes nihil comedant; interim ſuperato periculo hi ipſi, quamprimum convaluerunt, priſtinum defectum compenſabunt: in quo paſſu tamen iterum moderamini ſtudere decet, quia nimiæ ciborum ingeſtiones non modo incommoda, ſed & damna & periculoſas recidivas poſt ſe trahunt.

§. LI. Neque vigiliæ anxium tenere, multo minus eo impellere debent medicum, quo ſomnum conciliare, eundemque per famoſa narcotica procurare audeat: abſint omnia interna & externa ſoporifera! nam quando ſecurum eſt, quo natura ſomnum capiat, non deſiſtet ab hac requie, ſi vero contra ſecuritatem ad ſomnum urgetur, non modo confuſus & morbidus ſomnus, aut affectus ſoporoſi oriuntur, ſed & febris tota turbatur, ut repentini periculoſi affectus ſuperveniant: præſtat rectius a talibus abſtinere, quæ inquietudinem cauſari ſolent, de reliquo bonum regimen & juſta operationum febrilium directio aliqualem ſublevantem & ſecurum ſomnum promittit.

§. LII. Virium dejectiones communiter omnes febres comitantur, quæ in diverſis febrium ſpeciebus gradu differunt; ſed licet ad easdem principalem reſpectum artifex haud dirigere debeat, tamen non inconſultum eſt, quo viribus moderate & quantum febrium ſpecies permittunt, ſuccurrat: hoc ipſum ſuccedit per regimen temperatum, potum ſufficientem & legitimam excretionum febrilium directionem; etenim regimen anxium & æſtuoſum, potus denegatio & excretionum anomaliæ vires valde affligunt: quando vero proximius viribus ſubvenire placet, tunc modeſtus & congruus Cinnamomi uſus, Citri cortex atque acetoſitas, aquæ analepticæ non empyrevmaticæ conducunt, quo inter alias aquam Cinnamomi cydoniatam, emulſiones dilutiores, decocta

hor-

hordeacea, paſſulata, Citrata cum aquis analepticis remixta refero: multum etiam ad virium moderamen contribuit, ſi febricitantes non nimium cum medicamentis moleſtantur.

§. LIII. Ad capitis dolores & vertiginoſas perturbationes fruſtra auxilia quædam fida, certa & conſtantia ordinantur, quamdiu motus febrilis in ſuo vigore eſt: neque enim ſecure externa reprimentia & narcotica præſcribuntur: alia vero ſpirituoſa & concentrata eo magis caput affligunt: unde potius ſimpliciora epithemata & domeſtica adminicula adhibere licet: haud ſecurum tamen eſt tales capitis afflictiones cum aliqua vi profligare velle: neque etiam congruum eſt, caput cum varie odoratis afficere, quoniam febricitantes cum externis ſuis ſenſibus ordinarie valde ſenſibiles ſunt & olida ſubjecta non parum averſantur.

§. LIV. Deliria in Febribus dextre æque ac prudenter tractanda ſunt: præprimis convenit, quo ordinariæ imprimis alvinæ excretiones liberæ ſint, deinde procurandum eſt, quo febriles excretiones legitime ſuccedant, porro convenit temperatum regimen & ſangvinis æqualis diſtributio per corpus, in ſubjectis, quibus ſangvis non ſpisſior eſt, conducunt temperata acidulata & inter hæc Mixtura ſimplex: præterea proficit frictio ſuperficiei corporis, maxime pedum: proſunt lenientia & diluentia adminicula: interdum conducunt clyſteres & temperatiora rubefacientia, pedum plantis apponenda: Sectio raninarum venarum ob varios reſpectus ſecura non eſt: externo uſu magis conveniunt camphorata & modeſte reprimentia, qualia ſunt aceta, variæ compoſitionis.

§. LV. Quando ſoporoſi affectus adſunt, tunc alvinam excretionem provocare convenit, ni Febris ſpecialiorem contraindicationem offerat: deinde refert per efficaciora alexipharmaca diaphoreſin promovere: nec non conveniunt frictiones corporis & pedum & rubefacientia remedia plantis pedum applicanda: conferunt etiam cucurbitulæ cæcæ, dorſo & nuchæ apponendæ: ab extra vero tam epithemata diſcutientia & nervina, quam aceta rutacea, roſacea, lavendulata &c: adhibere licet: maximum auxilium erit, ſi excretiones neceſſariæ in ordinem & ſucceſſum juſtum convertuntur.

§. LVI. Rarius in Praxi medica obtingit, ut excretiones febriles in aliquo exceſſu peccent, quando vero talis ſymptomaticus exceſſus evenit, tunc nunquam ſecurum erit, ſubito eundem cohibere, ſed magis ſalubritati conſulet, ſi ſucceſſive hic exceſſus aufertur; quodſi vero excretiones illæ defecerint, tunc in hac methodo, quam hactenus expoſui, continuandum, neque ad fortiora & impetuoſiora tentamina tranſeundum eſt; præcipue cum omnes evacuatio-

nes tales cum rigore & vehementia commotæ longe certius ſiniſtre, quam proſpere cedant.

§. LVII. Si evenit, ut certarum ſebrium paroxyſmi ultra terminum juſtum continuent, adeoque in malam conſvetudinem degenerent, tunc demum famigerata antifebrilia, ſive febrifuga in uſum trahere licet: certus vero de eo eſſe debet artifex, quod cauſa febrilis ſufficienter remota ſit, neque hoc tempore alvus obſtructa eſſe debet, neque etiam talia febrifuga, quæ adſtrictoriam efficaciam habent, magna quantitate, aut nimis frequenter exhibenda ſunt; quid quod convenit, ſub illorum uſu non modo ſufficientem potum præbere, ſed & temperantia & reſolventia alexipharmaca interna offerre; denique invigilandum eſt, ne poſt illorum effectum ſebrifugum alvus & urinæ excretio ſupprimatur.

§. LVIII. Ultimo denique loco Regiminis febrilis mentio facienda erit, hoc enim plurimam ferme partem in Therapia Febrium abſolvit, ſiquidem omnia reliqua artificia atque auxilia ſub incongruo Regimine ſalutares effectus haud promittunt; optimum regimen eſt, ſi patientes non magno interno & externo æſtu anguntur, ſed in bona temperie atque quiete conſervantur, ſi non nimis frequentibus medicamentorum oblationibus moleſtantur, ſi non nimis potentibus remediis offenduntur, ſi non ad prodigas & præmaturas excretiones urgentur, ſi potus neceſſarius iisdem non ſubtrahitur, ſi corpus non ſenſibilibus internis & externis refrigeriis ſubmittitur, ſi excretiones neceſſariæ non præmature finiuntur & ſi animus in qualicunque poſſibili tranquillitate conſervatur.

§. LIX. Poſt Febrem rite abſolutam exactum moderamen in rerum non naturalium uſu ſervare convenit: imprimis animus in requie continendus, cibi non nimium ingerendi, potus non frigidi neque valde ſpirituoſi aſſumendi, ordinariæ excretiones juſta libertate præditæ eſſe debent, imprimis peripherica evacuatio aliquandiu paulo majori gradu ſuccedat: roborantia magis diætetica, quam pharmaceutica adhibeantur & in omnibus functionibus juſta temperies ſeligatur, neque ſubito vires animi atque corporis immoderatius intendantur & exerceantur.

§. LX. Imprimis ad illas cauſas prudens reſpectus habeatur, e quibus antea febris orta fuit, quæ ne frequentius corripiant & ad efficaciam ſuam pertingant, præoccupandum eſt: imprimis illæ febres bene attendantur, quæ periodice reverti ſolent, quale quid de intermittentibus obſervare licet, quæ interdum poſt annuum recurſum etiam recurrunt: ubi proſpiciendum eſt, ne ad ejusmodi facilem recurſum ulla anſa præbeatur, ſed opera adhibenda eſt, quo omnis

omnis cauſa præmature removeatur & intercipiatur; in quibus ſingulis animadverſionibus generalis Febrium Therapia conſiſtit.

CAPUT I.

DE

FEBRE EPHEMERA.

§. I.

TRanſitum nunc facio ad ſpecialiorem Febrium commendationem & explicationem Practicam & in hac primo loco ex omnibus Febrium ſpeciebus brevisſimam & benignisſimam præfero, quæ *Ephemera* ſive *Diaria* audit & quæ ipſa hac ſua benignitate mox indicat, quod non modo operoſa, officioſa & ſcrupuloſa Therapia artificialis non neceſſaria ſit, ſed quod ſpecioſa talia artificia ſimplicitatem & benignitatem hujus febris admodum offendant atque turbent, ut propterea ex Ephemera ſimplici facilius Ephemera plurium dierum (uti antiquiores appellare ſolent) oriatur, adeoque affectus intricatior & periculoſior generetur, cum vicisſim lenitas hujus Febris ſibi relictæ, ſimplicitatem & tractabilitatem illius ſignificet.

§. II. Tanto minus ſpecioſa & ſcrupuloſa artificia in hujus Febris cura adhibere convenit, quoniam ſubjecta, quæ ab hac febre corripi deprehenduntur, ſenſibiliora exiſtunt, quæ eapropter facilius ſuſpectis alterationibus & offenſionibus obnoxia ſunt: quid quod cauſa ejusdem Febris ita comparata eſt, ut neque magna quantitate turgeat, neque valde prava qualitate urgeat, ſed mitiori methodo & leniori tractatione indigeat, præcipue cum experientia teſtetur, quod ſine eximiorum artificiorum concurſu hæc febris longe facilius, longe ordinatius & longe benignius decurrat; ita ut tantum congruo regimine opus ſit & cura per abſtinentiam & expectationem plus valeat, quam per anxiam officioſitatem.

§. III. Verſatur Ephemera circa ſangvinis ſuperfluam quantitatem, quæ non modo antehac actualibus ſpontaneis depletionibus, ſed & frequentibus commotionibus obnoxia fuit, ſed quæ ipſa etiam nunc per diverſas cauſas ex animo, diæta & regimine provenientes, ita ſenſibiliter agitatur, ut illius moderatæ imminutioni natura nunc moderata febrili operatione & activitate con-

conſulat atque ſuccurrat: ex qua animadverſione facile elucescit, quanta circumſpectione opus ſit, in diſcernendis cauſis, ne occaſionales impulſus cum vera febris eſſentia confundamus, alias facile notabilis antipraxis exinde emergit, ut genuina febris cauſa nunc in ventriculo, nunc alibi inquiratur & ita febris e genuino ſuo ſundamento non curetur.

§. IV. Interea etiam admodum refert, quo in hujus Febris Therapia ad cauſas illas impulſivas ſive occaſionales curatius retroſpiciamus, quo ad certitudinem pertingamus, quod ſangvinis plenitudo ſit genuinum objectum in hoc actu febrili & quod illa per varias cauſas exacerbari poſſit: imo præſtat ſub conciliatione prudenti ſingularum talium circumſtantiarum ad illam certitudinem adſpirare, quod hæc Febris ab omni malignitate libera ſit, neve talibus medicamentis tractari & affici debeat, quæ vulgo malignitati opponuntur; alias ſub hac fallacia elenchi facile contingit, ut Ephemera e ſua ſimplicitate & benignitate in complicatum & intricatum ſtatum conjiciatur.

§. V. Pro benigniori & efficaciori hujus Febris cura ſequentes cautelæ tenendæ ſunt: 1) nocent quælibet immoderatæ evacuationes: 2) nimis multæ & frequentes remediorum ingeſtiones: 3) regimina calida & 4) ſudores cum impetu provocati: 5) remedia calefacientia, acria & concentrata: 6) viciſſim etiam refrigerantia & valde incraſſantia: 7) medicamenta balſamica, quæ juxta communem Praxin malignitati opponunt: 8) ordinariarum excretionum turbationes, aut negligentiores promotiones: 9) præmaturæ diaphoreſeos concitationes: 10) abſorbentium uſtorum & adſtringentium oblationes: 11) diffuſæ & confuſæ formularum commixtiones & 12) operoſæ nervinorum ordinationes.

§. VI. Præſtat rectius in poſitiva cura 1) motum febrilem in juſto & temperato ſucceſſu conſervare: 2) excretionem febrilem ab omni offenſione liberare & munire: 3) quælibet ſymptomata concurrentia moderate lenire & 4) Regimen conveniens conjungere: interim adhuc indico, quod talis febris ſine omni concurſu artificiorum optime & efficacisſime percurari poſſit: imo quod longe melior & ſecurior hæc methodus ſit, quæ magis per naturæ vires, quam per artificiorum efficaciam affectui alicui medetur: & quoniam hæc febris alias brevis eſt, ita inconſultum eſſet cum multis remediorum uſibus patientem affligere velle: de reliquo in hac febre optima & maxime ſecura remedia ſunt ſimplicia.

§. VII. Quod motus febrilis directionem attinet, tunc obſervare convenit, an in patiente præceſſerit, vel adhuc adſit poſitiva alvi occluſio, ſiccitas, aut ſegnities, quæ mox in initio cum clyſmate aut ſuppoſitorio corrigi debet, nam interna remedia tardius operantur: quia itaque in hac febre occaſio

brevis

brevis eſt, propterea in hac circumſtantia extemporanea medela requiritur: deinde præſtat motum febrilem ab omni impetuoſo ſucceſſu præſervare, quo conveniunt pulveres abſorbentes, nitrati, coralliati; in ſubjectis paululum adultioribus, floridioribus & magis plethoricis conducunt decocta hordeacea, paſſulata, cum Scorzonera & Hb. veronicæ parata, additis ſyrupis acidulis vegetabilibus: multum etiam proficit potus dilutior, in ſufficienti quantitate conceſſus, qui pro re nata cum exigua nitri portione miſceri poteſt: neque parum ad motuum febrilium moderamen quies animi atque corporis conducit.

§. VIII. Excretio quæ in hac febre exſpectari debet, eſt vel Hæmorrhagia narium, vel moderatus ſudor, licet placida quædam diapnoes etiam præter illam Hæmorrhagiam occurrat: prior excretio poſitive excitari non facile poteſt, interim ad faciliorem illius eruptionem & leniorem ſucceſſum, bonum regimen & ſufficiens ſanguinis dilutio convenit: inquietudo & qualiscunque motuum febrilium perturbatio perquam difficilem & anomalam reddit illam Hæmorrhagiam: quo vero altera excretio modeſte ſublevetur, conveniunt vel decocta hordeacea, remisſius citrata & cum parca ſcordii quantitate mixta, aut cum aquis diapnoicis non empyreumaticis conjuncta, vel potiunculæ ex ejusmodi aquis compoſitæ, additis abſorbentibus ſubſtantiis aut parca quantitate antimonii diaphoretici: de reliquo & hanc excretionem quietum regimen, nec non potus ſufficiens efficaciter promovet, ſicut vel ſimplex decoctum, modeſte calidum, placidam diaphoreſin excitat.

§. IX. Circa ſymptomatum curam perinde circumſpectio adhibenda eſt, ne dum accidentalia profligantur, eſſentiales circumſtantias negligamus: quando itaque vomitus in hac febre occurrit, haud illum ſupprimere convenit, ſed præſtat præter regimen quietum & abſtinentiam a nimia potulentorum ingurgitatione, prædictos pulveres abſorbentes, ſalinos, coralliatos offerre, qui tantum efficient, quo aliis remediis opus haud fuerit: neque etiam facile contingit, ut in hac febre vomitus excedant: æſtus etiam ita conſtitutus eſt, ut nullo fræno indigeat, quemadmodum nitrata, acidulata & ſufficiens potus, una cum temperato regimine omnem caloris exceſſum leniunt: capitis dolor non niſi per domeſtica epithemata demulcendus eſt, cavendo ab adſtringentibus, quæ imminentes Hæmorrhagias narium valde pervertunt: reliqua ſymptomata in hac febre vix vnquam illius gradus atque valoris eſſe deprehenduntur, quo peculiari cura mitigari debeant.

§. X. Supereſt regimen peculiari hoc loco indicandum, quod in hac Febre lene, quietum & temperatum ſit; neque enim convenit confeſtim deſideriis muliercularum annuere, quæ cardiacorum remediorum uſum efflagitant,

gitant, man ſolle eine Hertzſtärckung verordnen: abſit anxia inquietudo: omittatur quælibet poſitiva refrigeratio, neque alimenta aut eximie nutrientia medicamenta obtrudantur: excretiones febriles non præmature intercipiantur, neque vehementer urgeantur & augeantur: & poſteaquam febris congrue ceſſavit, ſedulo illæ cauſæ evitentur, quæ olim hanc febrem excitarunt: animus ſit liber ab impetuoſa commotione; evitentur immoderatæ exæſtuationes, inebriationes, ſpirituoſorum ingeſtiones, libidinoſæ commotiones & quicquid alias ad ſangvinis immoderatam agitationem contribuit.

CAPUT II.

DE

FEBRE SYNOCHA SIMPLICI.

§. I.

ALia nunc excipit ſpecies Febris, quæ a præcedenti non multum diſcrepat, unde a quibusdam Ephemera plurium dierum dicitur, eo quod ab Ephemera ſimplici non niſi durabilitate diſcrepet, quæ cum continenter duret, ita etiam indies augeſcit & propterea Ephemeram gravitate ſuperat: & licet hæc ſynocha in frigidioribus climatibus infrequentior ſit, tamen illius notitia minime negligenda eſt, imprimis cum ad aliarum, frequentius obviarum febrium, illuſtrationem contribuat, quæ dum ulterius una cum Ephemera, tota ſua genuina conſtitutione ab omnibus aliis ſimplicioribus febribus differt, ita eo majori attentione indiget, ut deinde quoad veram ſuam cauſam recte dirigatur & tractetur, quoniam & hæc febris peculiaribus alterationibus & perverſionibus obnoxia eſt.

§. II. Sed dum hæc Synocha Febris ad plethoræ imminutionem directa eſt, inſuper vero diutius durat quam Ephemera, nec non cum intenſiori motuum augmento decurrit, ita facile colligere licet, quod in hac Synocha copioſior plethoræ depletio ſuccedere debeat, quam in illa Ephemera & quod in priori, ſanguinis abundantia magis turgeat atque urgeat, imo quod illa Febris propterea ad majorem ſanguinis imminutionem active directa ſit, quare illius ſucceſſus turbari non debet, multo minus ſecurum eſt excretiones in hac Febre largiores ſubito cohibere velle, quin rectius indoli hujus affectus conforme eſt, quo evacuationes, quæ huic febri eſſentialiter competunt, paulo liberalius & paulo copioſius, haud tamen exceſſive, decurrant.

§. III.

§. III. Et ita præter ephemeram & Synocham ſimplicem nulla alia febris ſimplex occurrit, quæ ita nude & abſolute ſanguinis, (in craſi & conſiſtentia ſua non æque pravi) abundantem quantitatem concernat, quoniam omnes reliquæ ſebres circa qualitatem vitiatam occupantur & non niſi ſecundaria occupatione interdum ſanguinis ſimul abundantis exonerationem reſpiciunt: quo magis itaque Synocha hæc ſimplex eſt,eo minus convenit, illam ad alias excretionum ſpecies impellere & ſeducere, ſed eo magis expedit eandem ſimplici & ingenua dexteritate tractare, neque ſpecioſis artificiis illam turbare: quid qud ſubinde invigilandum eſt, cum ſanguinis motus in hac ſebre non modo intenſior & validior ſit, ſed & facile in exceſſum quendam delabi posſit, quo ſuſpectæ tales turgefactoriæ commotiones præoccupentur, aut anomalæ eluctatoriæ congeſtiones & inflammatoriæ contentiones intercipiantur.

§. IV. Principalis reſpectus in hac ſebre habendus eſt de Plethora, quæ ſicut in aliis Febribus non raro tanquam accidentalis circumſtantia in conſenſum trahitur, ita in hac Synocha ſimpliciſſimum objectum conſtituit, propterea tam efficacia & interdum etiam impetuoſa molimina Hæmorrhagica occurrunt, quæ quandoque cum deliriis, aliquando cum actualibus inflammationibus, nonnunquam cum lethalibus extravaſationibus ſangvinis, circa criticos dies obtingentibus minus legitime excurrunt; optime vero vel in narium Hæmorrhagiam, vel in ſudorem largiorem deſinit totus præſentis Febris apparatus: & quo tales evacuationes fiant, vel intenſior motus tonici congeſtoria adminiſtratio requiritur, ut ſanguis extra caput perrumpat, vel auctior impresſio & transpresſio per partes carnoſas neceſſaria eſt, quo major ſangvinis quantitas in ſerum convertatur & ſub copioſiori ſudore poſthac excernatur.

§. V. Ob id in hac Febre maximum refert, quo hi motus atque effectus dextre tractentur, ne excedant, aut inordinate procedant, ſed ad juſtum ſuum eventum pertingant; ſiquidem ex ea etiam circumſtantia facilior exceſſus metuendus eſt, quoniam utplurimum hæc Febris ex prægreſſo quodam ſingulari exceſſu oritur, qui deinde per reliquum ſebris decurſum continuat, quapropter cum vulgatis antifebrilibus arcanis, quæ vel impulſoriæ, vel adſtrictoriæ efficaciæ ſunt, caute procedendum eſt, quoniam in hac ſebre eo citius & ſenſibilius noxam parere ſolent: imo cum in hac Synocha legitimæ atque eſſentiales evacuationes utplurimum magis ad criticum terminum reſerventur, ita haud ſecurum eſt, quando eædem per internas commotiones ad præmaturum ſucceſſum urgentur: neque penitus experientiæ contrariatur, quod interdum in hac febre duplicata hæc evacuatio occurrat, quo activior natura, quo major plethora & quo magis in aliquo individuo propenſio ad Hæmorrhagias & ſudores adeſt.

§. VI. Et dum hæc Febris tam ratione ſui ſubjecti, quam ratione ſui ſucceſſus perquam ſenſibilis eſt, propterea in illius cura cavendum eſt 1) ab oblivione & neglectu tempeſtivæ V. Snis, 2) ſed & a nimis parca tali artificiali ſanguinis depletione, ut & 3) a præpoſtera ſanguinis ſubtractione 4) ab aliis evacuationibus immoderatis & per ſenſibilem ſtimulum commotis 5) a remediis refrigerantibus, 6) ſanguinem valde incraſſantibus, 7) a regimine negligentiori & refrigerante, 8) a præmatura ſudoris commotione 9) a valde calidis, acribus, ſpirituoſis & volatilibus 10) a negligentiori diaphoreſeos promotione poſt præmiſſam V. Snem 11) ab inopportuna & inordinata raninarum venarum ſectione, 12) ab alvi obſtructione & perturbatione, unde communiter in hac febre neceſſariæ excretiones alterantur.

§. VII. Poſitiva præſentis Febris Therapia ſequentibus abſolvitur indicationibus 1) ut cauſa febris opportune removeatur & ſubtrahatur 2) ut ſucceſſus febris legitime dirigatur, 3) ut excretiones febriles ad juſtum ſucceſſum præparentur & in congruo decurſu conſerventur: 4) ut ſymptomata urgentia & extraordinaria recte tractentur, 5) ut regimen idoneum præſcribatur & 6) ut conveniens præſervatoria methodus ordinetur: Tota vero hæc methodus poſſibili lenitate & dexteritate adminiſtranda, ne præſentes indicationes inter ſe confundantur.

§. VIII. Quod tempeſtivam materiæ febrilis ſubtractionem attinet, tunc non alia indicatio huic febri conformis eſt, quam ſanguinis abundantis imminutio, quæ in nulla alia febre ita neceſſaria & per eſſentiam conveniens atque utilis eſt, quam in præſenti: ob id ſine ulla mora & quidem mox in primo febris initio larga V Sio in brachio proficit, quæ minime in proximos dies reſervanda eſt, quando adhuc medicus in primo morbi initio accerſitus eſt: etenim quando jam per aliquot dies febris duravit, tunc in maximo febris vigore conſtituta natura hoc præpoſterum auxilium minus commode apprehendit, ſed potius in ſpontaneo ſuo labore alteratur & offenditur; ſicut talis paralleliſmus occurrit in moralibus negotiis, in quibus præpoſtera auxilia non tantæ ſecuritatis, utilitatis & efficaciæ ſunt, ac ſi mature oblata fuiſſent: quare pro tali adjumento primus vel ſecundus dies quadrat; reliqui enim dies nunc ad criticos terminos appropinquant & ſi coctio incipit, tunc ſeria talis VSio magnas turbas in totum febris decurſum conjicit.

§. IX. Quando hæc prima indicatio adminiſtrata fuit, vel opportunitas temporis præterlapſa eſt, qua illa celebrari potuerit, tunc altera indicatio exercenda erit, quo videlicet motus febrilis in legitimo ſucceſſu conſervetur: hoc contingit, quando exceſſus motuum febrilium vel præoccupantur, vel ſi præſentes fuerint, mitigantur: quadrant huc remedia abſorbentia, co-

rallia

rallia rubr. ppt. & nitrum in ſubſtantia commixtum: quales pulveres bis vel ter per diem exhiberi poſſunt: huc etiam quadrant decocta pharmaceutica e Cichorio, Scorzonera, Citro, paſſulis &c. parata: & quando ſanguis floridior atque ſubtilior ad ejusmodi vehementiores commotiones ſpumefactorias diſponit, tunc convenit vel cum conſveto potu cereviſiario aliquid Nitri, vel ſpiritus mineralis acidi miſcere, vel Julapia & decocta modeſte acidulata offerre, quo ſanguis in moderatam conſiſtentiam ſpiſſiorem convertatur; præſtat vero etiam ſub acidorum remediorum uſu potum ſufficienter diluentem propinare; neque in hoc poſteriori reſpectu uſum Mixturæ ſimplicis correctæ, nimirum parcius camphoratæ, rejicio; & quo melius ſerum acre ex ſanguine reſoluto genitum, abſtergatur & temperetur, conveniunt abſorbentia cum acetoſitate citri aut Tartaro ſaturata; quemadmodum decoctis ſimpliciter mucilaginoſis & diluentibus commode Nitrum, aut Tartari cryſtalli combinari poſſunt.

§. X. Si itaque motus febriles in juſto & ordinato ſucceſſu conſervantur, tunc ſua ſponte excretiones, huic Febri convenientes, legitime procedunt, quæ tunc non niſi regimine bono dirigi debent, ita ut præſcindantur omnia illa accidentia, quæ aliquas turbas provocare poſſunt; præſtat vero juxta tenorem tertiæ indicationis excretionum ſalutarem ſucceſſum ita dirigere, ut ſub abſtinentia a poſitivis diaphoreticis remediis & regiminibus, tantum per diluentia, humectantia, abſorbentia, regimen quietum & a jectigatione atque refrigeratione liberum, nec non per Mixturæ ſimplicis uſum ſub placido ſucceſſu neceſſariæ evacuationes promoveantur; & ſi criticæ excretiones expectandæ ſunt, tunc eo magis ante illarum eruptionem exhiberi debent remedia temperantia nitrata, diluentia, mucilaginoſa liquidiora, vel præſente ſangvine floridiori & ſub metu imminentis ſuſpectæ turgefactoriæ maſſæ ſanguineæ commotionis, acidulata temperata remedia & Julapia diluentia, moderate analeptica & parcius acidulata; omnis vero error tam patheticus, quam in regimine ſedulo evitari debet: multo minus ſecurum eſt per ſubtilia, calefacientia, volatilia & ſimilia excretiones in hac febre urgere velle, quæ non modo neceſſarias evacuationes turbant, ſed & deliriorum, affectuum phreniticorum, anginodeorum, apoplecticorum & convulſivorum cauſa evadunt.

§. XI. Imprimis providendum eſt, ne imminentibus criticis evacuationibus, reliquæ conſvetæ excretiones offendantur, cum utplurimum fieri ſoleat, ut ſudores & Hæmorrhagias, critice invadentes, alvi & urinæ moderatæ reſtrictiones antecedant; in hac circumſtantia non convenit & urinæ & alvi excretionem urgere, ſed tantum per ſufficientem uſum diluentium & humectantium ſuccurrere atque ſub placido & quieto regimine criticarum illarum evacuationum ſucceſſum dirigere: haud etiam conſultum eſt ſub evacuationum talium

ſuc-

ſucceſſu ulla remedia majoris & ſenſibilioris efficaciæ, aut acriora & ſpirituoſiora nervina & analeptica adhibere, ſed rectius omni ſimplicitate uti, aut per negativam Therapiam ſuccurrere: ne vero & alvina & urina evacuatio in ſuſpecta quadam retentione ſubſiſtat, optime conveniunt auxilia nitrata, potus ſufficiens & quando maximus febris impetus præteriit, temperatus uſus ſeri lactis admitti poteſt: cavendo ne talia lactea ſubjecta exhibeantur, quando in primis regionibus impuritates bilioſæ præſumuntur.

§. XII. Sed cum hæc Febris non penitus libera ſit a ſuſpectis ſymptomatibus, ita in quarta indicatione convenit vel imminentia talia ſymptomata præoccupare, vel præſentia debite & efficaciter mitigare: præoccupatio ſuccedit, quando præcedentes indicationes legitime applicantur & adminiſtrantur: mitigatio vero concernit ſtatum quorundam ſymptomatum antequam nocumentum inferunt & dum propius noxam illam minantur: quando itaque mox ab initio febris alvus rigide occluſa eſt, non bonum eſt ſignum; neque propterea integrum eſt alvum ab intra exſtimulare, quare rectius conveniunt lenientia & diluentia interna, nec non decocta paſſulata & prunata, remisſius tamarindinata; ab extra clyſmata, ſuppoſitoria lenitiva & globuli moſchati ſatisfaciunt; ſub quorum tempeſtivo & congruo uſu non opus eſt ad actualia alvum moventia confugere: denique huic accidentali inopportunæ alvi occluſioni conſulunt nitrata remedia & parcus ſalium digeſtivorum uſus.

§. XIII. Quando in hac Febre vel inopportuna V. Sio, vel remedia & regimina calefacientia & refrigerantia adhibentur, vel patientes valde inquieti ſunt, tunc facilius ſuperveniunt inflammatoriæ faucium afflictiones & deliria; quod priores attinet, tunc præſtat, quantum poſſibile eſt, interne nitrata & acidulata continuare, ſuperficiem corporis, præcipue pedes pro revulſione quadam inducenda, fricare, plantis pedum modeſte rubefacientia adhibere, clyſteres lenisſime ſtimulantes ordinare, regimen quietum injungere, decocta mucilaginoſa, moderate paſſulata & citrata conciliare, deinde vero gargariſmata reſolventia, diſcutientia, leniter nervina & reprimentia præſcribere, quibus commode aliquid nitri commiſcetur: venarum ſublingualium ſectio non adeo neceſſaria eſt, niſi gravitas affectus eandem urgeat & antea in initio febris alia Venæ Sectio præceſſerit, alias talis inciſio raninarum venarum peſſime cedit.

§. XIV. Quod deliria attinet, tunc æque interne nitrata, abſorbentia cum acidis maritata, acidulata, decocta mucilaginoſa, paſſulata, cum ſcordio & ſcorzonera mixta, frictiones efficaciores pedum, phænigmi moderati pedibus applicandi, clyſmata aut ſuppoſitoria modeſte ſtimulantia, ab extra capiti applicanda camphorata, aut epithemata euporiſta domeſtica cum camphora

phora, aceto roſaceo & aqua roſarum mixta: neque inutilis erit, ſi commode adminiſtrari poteſt moderata narium ſcarificatio, aut ſi V. S. alia præmiſſa fuit, ſectio jugularis venæ: quidquod talis inciſio venæ frontalis aut jugularis adminiſtrari poteſt quando delirium urget & acriter inſiſtit, etiamſi nulla brachii ſectio præceſſerit, modo alvina excretio libera ſit.

§. XV. Nimius æſtus haut poſitive & repente ſupprimendus eſt, attamen illius urgens intenſior gradus per remedia nitrata, abſorbentia cum acidis conjuncta, coralliata, acidulata, diluentia, decocta lenientia citrata, mucilaginoſa paſſulata, tartariſata temperatur: proinde in hac febre abſtinendum eſt ab analepticis acrioribus, concentratioribus & ſpirituoſioribus; temperatiora & dilutiora vero analeptica aliis formulis combinanda ſunt: quidquod expedit circa Cinnamomi uſum moderamen ſervare: multum etiam viribus ſuſtentandis in hac febre potus ſufficiens contribuit, quemadmodum omnes formulæ diluentes in toto hujus febris decurſu conducunt.

§. XVI. Quod exceſſum euacuationum, huic Febri conformium, concernit, tunc nullibi ſecurum eſt repentinas ſuppresſiones tentare, ſed potius lenisſimam methodum ſeligere: temperant enim talem exceſſum remedia nitrata paulo frequentius uſurpata, nec non coralliata, cum regimine quieto conjuncta: narcotica in hac etiam febre extreme fugienda ſunt: neque ſecurum eſt per contrarium regimen excedentes tales evacuationes turbare: proinde apertio alvi per clyſterem exceſſum talem coercet; quo alia moderata derivantia & revellentia, quorum varia occaſione hactenus mentio facta fuit, referri merentur.

§. XVII. Quinta indicatio continet ordinationem boni regiminis: & ſicut pasſim de hoc regimine in hac febre actum fuit, ita adhuc noto, quod admodum lene, tranquillum & moderatum regimen conducat: laxum enim & cum refrigeriis conjunctum regimen varia periculoſa ſymptomata præcipue capitis & pectoris cauſatur: nimis rigoroſum vicisſim & æſtuoſum regimen totum febris decurſum exacerbat: proinde nimis frigidus & nimis calidus potus hanc febrem turbat, parcus etiam & denegatus potus multis incommodis excitandis quadrat: de reliquo continentia in hac febre multum juvat.

§. XVIII. Quando Febris hæc legitime decurrit, tunc proſpiciendum eſt, quo ordinariæ evacuationes rite continuent & ſi ſub febris ſucceſſu alvus interdum ſegnior aut ſiccior fuit, tunc præſtat leni laxante remedio primas vias repurgare; deinde ſub continuato regimine modeſte calido tranſpiratio in efficaci ſucceſſu conſervanda eſt: nec non uſus diluentium & infuſorum calidorum diureſin una cum reliquis ſingulis ordinariis excretionibus facilitant: commendanda vero eſt abſtinentia a plena & lauta diæta, ab alimentis & potulentis, imprimis ſpirituoſis, a compotationibus, inebriationibus, exæſtuationibus,

nibus, impetuoſis commotionibus tum animi tum corporis, ut & nimio veneris uſu, balneis valde calidis & quibuscunque aliis occaſionibus, quotquot ad ſangvinem fortiter commovendum contribuunt: opportunæ vero V Snes, temporibus præſervatoriis inſtituendæ, maxime proficiunt: quæ conſilia & auxilia ſextæ indicationi, in hac Therapia commendatæ, ſatisfacient.

CAPUT III.

DE

SYNOCHA PUTRIDA.

§. I.

A ſimplici ad compoſitam nunc progredior Synocham, quæ Putrida alias vocatur & quæ præter ſimplicem ſuum ſtatum atque genium adhuc aliam indolem, cauſam& reſpectum involvit, quæ connexa ratio vulgato illo prædicato putridæ qualitatis,in veterum æque ac recentiorum ſtylo atque judicio admodum uſitato, multum ad ætiologicam cognitionem & practicam tractationem præſentis febris contribuit, licet craſſus ille ſignificatus putridi attributi in tantum neceſſaria reſtrictione indigeat, quod actualis quidem putredo nondum in hujus febris eſſentiali conſtitutione præſumi debeat, ni per accidens interdum putridus ille, ſed ſubinde etiam funeſtus, exitus extimeſcendus ſit.

§. II. Frequentior hæc Febris eo majorem attentionem requirit. quo in Therapia utrique ſtatui ſatisfacere conveniat; ubi etiam eo majori dexteritate atque moderamine opus erit, quo intricatior hæc febris ob complicationem finium eſſe deprehenditur, dum motus febriles partim qualitatis, partim quantitatis vitium pro objecto habent; unde putrida hæc febris appellatur, quia materia citius & efficacius putrefaciens ſubtilis ſeroſa, acris orgaſtica e maſſa ſangvinea præcipue, quam occupavit, abſtergenda & removenda eſt: ſynocha proinde vocatur, quia præſens ſangvinis plenitudo ſub hoc actu febrili imminuitur, ut adeo natura mediante hac febre duplicem neceſſarium & ſalutarem effectum atque ſcopum impetret.

§. III. Hæc notitia eo magis providum reddit artificem, ne in hac febre motus, alias intenſiores, urgeat, augeat atque impellat, ſed poſſibili lenitate eosdem ad ſalubres illos effectus promoveat, eo curatius vero obſervet atque attendat, quo ipſi illi motus in congruo ordine progrediantur, ne ullibi

ſus-

ſuſpecta quædam accidentia coincidant, quæ complicatam hanc febrem offendere poſſunt: imo quoniam ob multiplicitatem effectuum & finium vel ſua ſponte natura in aliqualem confuſionem propendet, ita tanto magis providendum eſt, ne eo ulla cauſa ſubminiſtretur, quoniam non modo error inductus particularem noxam minatur, ſed & præceps illa Febris corruptio, ad quam præceps ruit natura, ſingulare damnum ominatur.

§. IV. Neque quidem in ullo actu atque ſcopo artifex delinquere debet, ne una harum evacuationum plus quam altera promoveatur, neve una in alterius præjudicium procedat, ſed quo æquitas atque æquilibrium in hac Febre teneatur; alias contingit, ut, ſi una harum excretionum nimis rigoroſe & copioſe ſuccedit, altera negligentius tractetur & nihilominus propter hujus defectivum ſucceſſum orta febris ſiniſtre decurrat: eo minus convenit ad ullam talem febrilem excretionem naturam cogere & impellere, ſed rectius ſub temperata methodo in maxima tranquillitate Febrem conſervare, ſuccesſivis magis, quam ſimultaneis ſalutaribus effectibus Febrem adjuvare & promovere; ſiquidem alias in hac Febre artifex occaſionem nanciſcetur potius impetuoſas commotiones præoccupandi, quam deficientes ſucceſſus excitandi & impellendi.

§. V. Ne itaque in complicata hac Febre error quidam committatur, cavendum eſt 1) a præpoſtera V. Sne. 2) a craſſis & impetuoſis aliis evacuationibus. 3) ab alvinæ excretionis perturbatione aut obſtructione: 4) a præmaturis ſudationibus, tanto magis vero 5) ab anxiis ſudorum impulſibus & commotionibus: 6) a remediis & regiminibus impellentibus & valde calefacientibus: 7) vicisſim etiam a medicaminibus & regiminibus poſitive refrigerantibus; 8) a nimia ſangvinis incraſſatione: 9) a defectiva humorum diluitione: 10) a nimis copioſa, diverſa & multiplicata medicamentorum ingeſtione, quoniam facile unus ex complicatis actibus & ſcopis febrilibus offenditur: 11) ab omni narcoticorum vulgarium uſu: & 12) ab intenſioris æſtus oppresſione & Hæmorrhagiarum opportunarum perturbatione.

§. VI. Poſitive in hujus Febris cura proximæ indicationes obſervandæ & exercendæ ſunt: 1) ut juſtæ præparationes ad benigniorem & ſecuriorem febris ſucceſſum inſtituantur; 2) ut typus febris in congrua temperie & legitimo ſucceſſu conſervetur atque a periculoſis accidentibus præmuniatur: 3) ut potiora & ominoſiora ſymptomata dextre & tempeſtive mitigentur: 4) ut regimen idoneum atque conveniens præſervatio ordinetur, ne febris hæc vel de præſenti, vel in futurum ſiniſtras plures complicationes morbidas inferat; quemadmodum interdum evenit, ut ob utriusque negligentiorem uſum, affectus oedematoſi, phlegmonodei, rhevmatici, ſpaſtici, hectici, febriles lenti &c. ſuperveniant, qui ſinguli itaque præoccupandi ſunt.

§. VII.

§. VII. In primæ indicationis adminiſtratione judicio opus eſt, quo antea tempeſtive hujus febris indoles recte agnoſcatur, quo præcipue contribuit animadverſio cauſarum præcedentium, quæ ad hujus febris invaſionem concurrerunt & ſtatus plethorici cum neceſſariis ſuis circumſtantiis, an videlicet patiens ante hac frequentioribus & intenſioribus plethoræ commotionibus, nec non vel ſpontaneis vel artificialibus ſangvinis depletionibus obnoxius fuerit &c: unde convenit ante omnia inquirere, an alvus libera ſit, quæ ſub qualicunque defectu expedienda: deinde præſtat tempeſtive & quidem mox primo vel altero die V. S. celebrare, haud vero parcam, ſed ſufficientem: proxime invigilandum eſt, quo juſtis temporibus diaphoreſes rite procedant & progreſſus ſangvinis per ſuperficiem corporis æqualiter contingat, neve refrigerantia remedia & regimina ſubordinentur.

§. VIII. Ipſa febris ita dirigi debet, ut partim juſtus gradus augmenti quoad motum ſangvinis conſervetur, partim ut congrua abſterſio & ſecesſio impuritatum promoveatur: pro utroque hoc ſcopo conveniunt remedia abſorbentia, ſimpliciora æque ac cum acidis maritata, deinde nitrata & parcius ſalina deterſiva, qualia remedia ſub æſtus majori gradu & continuatione repetitis vicibus exhibenda ſunt: præterea conferunt decocta aliquoties hactenus commendata, vel e Scorzonera & Cichorio parata, hordeacea cum Citro, Tartaro aut nitro mixta: pertinet huc potus ſufficiens, per quem ſangvinis maſſa in neceſſaria fluiditate conſervatur & ſe- atque excretoria functio adjuvatur: hiſce ſi regimen congruum conjungitur, facilius febris in ordine ſuo & legitimo ſucceſſu ſervari poteſt.

§. IX. Haud vero ſecurum eſt præmature excretiones febriles neceſſitare aut cogere, unde potius confert circa & poſt quartum ægrotationis diem evacuationes attendere & ſi neceſſe eſt facilitare: principalis harum excretionum eſt, quo diaphoreſis moderate ſuccedat, quæ non niſi circa æſtus remisſionem placide erumpere, modeſte continuare & ſucceſive remittere debet: & hæc ſub legitimo febris decurſu vel ſua ſponte erumpit & procedit, vel cum modeſto regimine adjuvatur, vel cum hauſtulo tepidioris decocti promovetur, vel cum remedio bezoardico terreo - calcareo temperatiori facilitatur, vel cum exiguis guttulis Tincturæ Bezoardicæ vel alexipharmacæ, mitioris & lenioris efficaciæ, inducitur: licet etiam ſæpe periti & providi artifices nullo poſitivo bezoardico, aut ſudorifero remedio indigeant, ſed modeſtiori methodo hanc evacuationem promovere ſciant.

§. X. Hæmorrhagias ſub hac Febre artifex nullis remediis atque regiminibus excitare debet, licet eædem ſanguinis imminutioni inducendæ inſerviant: longe magis vero ordinate hæc febris excurrit, ſi in unicam excre-

tionem

tionem diaphoreticam tranſit, ſiquidem per motum febrilem ſangvis abundans conſumi, diſſolvi, in ſerum converti & cum ſudore imminui poteſt & ſolet, ita ut una hac evacuationis ſpecie & quantitatis & qualitatis vitio ſubveniatur: quomodo vero Hæmorrhagiis ſubveniendum ſit, ſi quæ in hac febre occurrunt, ipſa indoles febris indicat: quemadmodum optima illa methodus exiſtit, ne eædem aut ſupprimantur, aut impellantur, ſed cum remediis temperantibus, lenientibus & regimine apto in moderatum ſucceſſum & decurſum promoveantur.

§. XI. Tertia indicatio ſymptomatum principalium & urgentium levamen & mitigationem inculcat: in qua claſſe nimius æſtus primo loco notandus eſt, quippe qui huic febri facilius accidit, ſed qui propterea minime cum vehementia coerceri, rectius vero leniri & mitigari debet: quapropter pro hoc ſcopo conveniunt remedia nitrata, tam ſub pulveribus, quam ſub potu exhibenda: conducit inſuper potus ſufficiens & uſus aliorum diluentium, ut decoctorum ex Scorzon. Cichor. hord. excort. paſſul. Citro, Tartaro, Scord. Veron. flor. Sambuc. &c: paratorum: proinde temperatiora acidulata conferunt, velut Mixt. Simpl. Julapia paranda ex Decocto hordei, aquis Scord. fl. ſamb. Scabioſ. Ceraſ. nigr. Syr. acetoſ. citr. &c: providendo, ne acida nimis larga quantitate exhibeantur: Emulſiva in omni febre cum ſingulari prudentia ordinanda ſunt: tanto minus approbo uſum emulſivorum cum acidis mixtorum, quæ primis viis non leves turbas inferunt, ſubinde ad ſpecialem maſſæ ſangvineæ inquinationem conciliandam quadrant.

§. XII. Alterius indolis ſymptoma, in hac Febre occurſans, eſt particularis ſangvinis congeſtio ad caput & pectus, cum hæmorrhagica contentione prædita, quæ nonnunquam in inflammatoria pathemata, interdum in mentis mutationes tranſit: huic commotioni ſpecialiori ſubveniendum eſt per frequentiorem nitratorum remediorum uſum, per abſorbentia cum acidis mixta, per coralliata, per uſum Mixturæ Simpl. per decocta mucilaginoſa remiſſius acidulata, per ſufficientem potum, per regimen moderatum, per æqualem ſangvinis diſtributionem, per clyſteres leniter ſtimulantes, per frictiones pedum & uſum externorum reſolventium, diſcutientium & modeſte reprimentium: interea ab omni interna ſangvinis commotione & poſitive diaphoreticorum applicatione ſedulo abſtinendum eſt, ſicut juſtum regimen ejusmodi afflictioni eximie confert.

§. XIII. Nimia oppletoria exterioris corporis moleſtia, cum multa inquietudine conjuncta, minus ſecure & perite cum laxiori & negligentiori regimine, neque cum refrigerantibus remediis tractatur, ſed potius conducit quietum regimen, uſus abſorbentium cum acidis maritatorum; proinde proſunt

Bbbbb

ſunt coralliata & leniter acidulata, ut & nitrata remedia, conjuncto potu ſufficienter diluente: quadrant huc julapia e decocto hordeaceo, paſſulato, Citrato, Tartariſato, cum aquis reſolventibus parata, additis Syrupis vegetabilibus acidiusculis: multum ſubinde confert, quo ſub tranquillo regimine excretio peripherica rite procedat.

§. XIV. Et cum in hac Febre, legitime decurrente, communiter largior diaphoreſis occurrat, ita duplex cautela practica tenenda eſt, primo ne liberalior talis evacuatio turbetur, impediatur, aut cohibeatur, ſed ut ſub moderato regimine & ſufficienti diluentium uſu in juſto & conſtanti ſucceſſu conſervetur; deinde ne per poſitiva diaphoretica & alexipharmaca magis impellatur & immoderatior reddatur, ſed in tranquillo gradu ſervetur: quemadmodum etiam opportunæ Hæmorrhagiæ nunquam temere tractari debent; ne tamen molimina hæmorrhagica offendant & reliquam Febrem turbent, illa auxilia applicanda ſunt, quæ pasſim in ſuperioribus ordinavi.

§. XV. Quando deliria aut ſoporoſi affectus invadunt, tunc eo major cura adhibenda eſt, quo legitimæ excretiones cum juſto regimine promoveantur, conveniunt proinde revellentia, ſæpius allegata; proſunt etiam decocta modeſte diaphoretica & analeptica: capiti applicari debent diſcutientia, camphorata & ſelecta nervina, non tamen valde concentrata & acria, proptereaque congeſtionem ſangvinis ad caput ſoventia & augentia, ſed hanc potius moderate reſolventia & reprimentia: abſint vero in tali afflictione interna & externa narcotica.

§. XVI. Denique juxta quartam indicationem bonum regimen & congrua præſervatio in hac Febre commendari debent: Regimen ſit modeſtum atque tranquillum, adeoque a quolibet exceſſu liberum: concedatur potus ſufficiens & diluens: excretiones non urgeantur, augeantur & præmature impellantur: imprimis caput a qualibet offenſione & exæſtuatione arceatur, neque cum pedum refrigeratione anſa præbeatur, quo ſuſpectæ congeſtiones ſuperiores corporis regiones invadant: neque etiam decet langventes functiones animales, quamdiu febris vigor adeſt, per artificia aggredi aut urgere: alvus ſit libera: minime tamen exſtimuletur: Præſervatio ſit per Venæ Sectionem, aut legitimum ſucceſſum ſpontanearum ſalutarium Hæmorrhagiarum, per diætam moderatam, non nimis plenam, neque nimis lautam; per abſtinentiam a nimia animi & corporis commotione, ut & a larga ingeſtione aromaticorum & ſpirituoſorum ſubjectorum: præſtat etiam ne inſenſibilis transſpiratio ſupprimatur, aut craſſe perturbetur, quicquid itaque ad immodicas ſangvinis commotiones contribuit, illud omni ſtudio evitari debet.

CAPUT

CAPUT IV.

DE

FEBRE ACUTA CONTINUA.

§. I.

PRæcedentis Synochæ putridæ Febris explicatio non exiguam lucem affundit huic præſenti tractationi, ſiquidem Febres continuæ cum putrida Synocha tam ratione indolis, quam frequentioris invaſionis admodum conveniunt; quemadmodum ſingulari conſideratione digna eſt illa circumſtantia, quod plures acuta febre decumbentes, ſangvine abundantiori polleant & quod plurimæ illarum cauſarum, quæ ad plethoram cum damno impellendam contribuunt, etiam ad acutam febrem excitandam quadrent, ita ut propterea in hujus Febris cura non levis aut fugitivus reſpectus ad Plethoram inſtituendus & continuandus ſit.

§. II. Interea magis ad Eſſentiam hujus ſpeciei Febris pertinet, quod principale vitium ſit in qualitate humorum & non in quantitate, dum maſſæ ſangvineæ inſinuata eſt materia ſeroſa ſubtilis, ſalino-ſulphurea, acris, orgaſtica, valde fermentativa, eoque citius putrefactionem minitans: hinc antiquiores medici hanc Febrem nomine putridæ ſimplicioris continuæ ſignificare & allegare ſciunt: & talis pernicioſa materia non raro ex ipſa maſſa ſangvinea generatur, quando vel ſangvis ſuperfluus, vel nimis floridus vehementer commovetur & a ſuis ſubtilibus apoſpasmatibus non legitime liberatur; quando propterea auctior transſpiratio ſufflaminatur, quando copioſa talia ſubtilia ſpirituoſa ſubjecta ingeruntur & cum reliquo ſangvine immoderatius compelluntur; quando e ſuperficie corporis ulceroſa acria fermentativa inquinamenta repelluntur; quando rhevmatiſmi & catarrhi acres ſupprimuntur & materia talis in latifundium ſangvinis reprimitur atque ad nobiliores & ſenſibiliores partes revehitur; quando acris, ſubtilis, bilioſa materia in eandem maſſam ſangvinis affunditur &c.

§. III. Fruſtra itaque pro eſſentiali Febris continuæ acutæ ratione agnoſcitur aut ſupponitur inflammatio, licet ex accidenti huic febri vel interna, vel externa, inflammatio ſupervenire ſoleat; quare rectius motus in hiſce febribus repurgationem & liberationem ſangvinis a ſubtili illa orgaſtica putrefaciente materia pro ſcopo ſuo agnoſcunt, qualis ſeparatio & diaphoretico &

diuretico effectu perficitur: quando vero præter illam vitioſam ſangvinis qualitatem adhuc concurrit ſangvinis moleſta plenitudo, tunc motus febriles etiam poſterioris moleſtiæ remotionem proſequuntur, quapropter gradus motus febrilis eſt major & diaphoreſis atque diureſis eſt copioſior, dum non modo principalis materia febrilis, ſed & copioſior ſangvis ſub motu febrili & per hunc in ſerum reſolutus eliminatur.

§. IV. Sed cum in Febribus continuis ſimplicioribus diverſi actus & effectus neceſſarii ſint, videlicet quo materia peccans antea a reliqua mixtione ſangvinis & præcedente nexu ſeparetur & liberetur, quo deinde ita ſeparata materia illa involvatur & temperetur, quo proxime rite ſecernatur & denique tempeſtive excernatur, id quod per modum ſeceſſionis, præparationis, ſe- & excretionis contingit, ita non exiguæ utilitatis enchiriſis in harum Febrium Therapia eſt, ſi omnia ordine congruo tractantur, neque hæ functiones præcipitantur; quare Hippocrates recte monuit, quod cocta movenda ſint & non cruda: hinc in hiſce febribus coctio materiæ peccantis eſt cynoſura, qua in reliqua rationali & ſalutari Therapia uti debet artifex.

§. V. Probe ſubinde diſcernendum eſt, ne eſſentialia & accidentalia requiſita inter ſe confundantur, ut ſubinde meliori magisque ſalutari methodo medicus has continuas febres ad genuinas ſuas excretiones promovere queat; ſed cum in iisdem febribus interdum quædam evacuationes occurrant, quæ reliquum febris decurſum facilitant, ita viciſſim exinde prudens artifex addiſcit, ne tales præparationes turbet, aut cohibeat, quod imprimis valet de vomitibus, alvi fluxibus & Hæmorrhagiis in initio harum Febrium obtingentibus: quæ obſervationes vero dum omnino ad Hiſtoriam Practicam ſpectant, tamen minime medicum ſeducere debent, ne in defectu ſpontanearum talium evacuationum, id ſui officii eſſe ducat, ut easdem promiſcue artificioſo quodam ſtimulo excitet, nam duo cum faciunt idem, non eſt idem: quare tales excretiones indiſcretim provocatæ ſæpe eximium damnum afferunt.

§. VI. Quo itaque hæ Febres & rationabiliter & ſecure & utiliter tractentur, cavendum eſt 1) a vulgato uſu Venæ Sectionis, quæ juxta communem methodum in hiſce Febribus ordinatur: 2) a promiſcuo & facili uſu vomitoriorum & purgantium: 3) a præmatura commotione diaphoretica; imprimis vero 4) a ſudoris excitatione antequam coctio facta: 5) a remediis & regiminibus calefacientibus & valde exæſtuantibus: 6) a volatilibus medicamentis: 7) a communi refrigerantium uſu: 8) a ſuſpectis præcipitantibus, valde incraſſantibus & adſtringentibus: 9) a diluentium adminiculorum & reliqui ſufficientis potus ſubtractione: 10) ab opiatis & qualibuscunque ſoporiferis ſedativis remediis: 11) a cardiacis & nervinis ſpirituoſis & commoventibus:

12) a

12) a communi interno camphoræ uſu: & hæ potiores ſunt cautelæ in hac Febre obſervandæ.

§. VII. Genuina viciſſim harum Febrium Therapia hiſce abſolvitur indicationibus 1) ut corpus ad legitimam harum Febrium progreſſionem præparetur: 2) ut materia peccans ad futuram commodam evacuationem diſponatur 3) ut motus & evacuationes febriles recte dirigantur & promoveantur 4) ut ſymptomata potiora congrue mitigentur 5) ut regimen & præſervatio conveniens ordinetur: præſtat vero has indicationes congruo tali ordine applicare, ne typo febris vis inferatur, neve excretiones vel præmature, vel præpoſtere urgeantur; quo exquiſitius enim & juſto ordine atque tempore effectus febriles decurrunt, eo major ſpes de ſalutari eventu impetrando affulget.

§. VIII. Quod primam indicationem attinet, tunc illa vel privativa, vel poſitiva methodo exerceri poteſt: quoad priorem conſiderationem mox practica quæſtio occurrit, an huic Febri ſimpliciori V.Sio conducat? hanc quæſtionem negativa aſſertione decido & aſſero, quod non modo V.Sio in hac Febre non utilis, ſed & magis noxia ſit, quæ circa criticos dies ad gravia deliria, ſuſpectas oppletiones & orgaſticas ſanguinis commotiones, ad congeſtiones acerbiores, motus inflammatorios, affectus ſoporoſos, majores æſtus & ſiccos ardores, ut & ad ominoſiores vigilias & inquietudines &c. diſponit: quare conſultius omittitur: præprimis cum ſanguinis imminutio genuino ſtatui hujus febris minime reſpondeat: neque etiam indiſcretim vena ſecanda eſt, licet aliqualis plethora conjuncta ſit, quæ niſi valde turgeat & urgeat, proinde mox in prima Febris acceſſione valde commota, aut alias facilioribus turgefactoriis commotionibus obnoxia & per ſpontaneas liberales Hæmorrhagias imminuta fuerit, in hac Febre cum V. Sne alterari non debet: repeto vero quod ſecurior methodus ſit, ſi communis ille uſus V. Snis omittitur.

§. IX. Quodſi vero quisquam æſtimaverit, quod VSio ſumme neceſſaria ſit, tunc eadem non niſi primo vel altero die celebranda eſt, deinde non parca, neque tamen exceſſiva eſſe debet, porro ſubjungenda eſt methodus, qua ſanguis cum efficaci moderamine in ſuperficiem corporis conſtanter dirigitur, ad ordinatam & conſtantem diaphoreſin præparatur & a particularibus congeſtionibus præſervatur; quare evitanda ſunt medicamina & regimina valde calefacientia & refrigerantia; etenim ſi contra hanc circumſtantiam atque methodum impingitur, eo certius tunc cum magno periculo circa criticos dies raptus illi humorum ad caput & deliria, aut phrenitica pathemata, vel apoplectodeæ afflictiones contingunt: tutior methodus eſt, quod notanter denuo repeto, ſi V.S. omittitur.

§. X. Neque incognita illa eſt methodus, qua multi duplici argumento inducti & ſeducti ſubjecta ægrotantia cum emeticorum uſu ad feliciorem febris decurſum præparare contendunt: quando ex duumviratu illo famoſo Helmontiano ſedem & fomitem febrium in ventriculo quærunt: ſecundo quando colligunt, quod nonnunquam ſpontanei tales ſalutares vomitus, non æque ad eſſentiam febris ſpectantes, oriantur, quare artifices ſemper naturam imitari volunt, qui artificioſi vomitus vero minus ita bene cedunt, ac ſpontanei; unde etiam ab illorum provocatione dehortor; quodſi tamen medico obtingant ſubjecta robuſtiora, minus ſenſibilia, quæ ante febris invaſionem irregulari & crudiori diætæ addicta erant & in quibus propterea juſte præſumitur copioſa ſaburra in ventriculo deliteſcens, quæ legitimum febris decurſum graviter turbare poteſt: in tali paſſu lenis ſtimulus emeticus concedi poteſt: cavendum tamen eſt, ne hæc exceptio nimis amplificetur.

§. XI. Præſtat rectius invigilare, quo alvina excretio ſub toto hujus febris decurſu libera ſit, propterea conveniunt lenientia, diluentia, nitrata, paſſulata, prunata, tamarindinata, tartariſata, digeſtiva & magneſiæ albæ opportunus uſus: ſenſibiliora vero ſtimulantia evitanda ſunt: maxima circumſpectio adhibenda eſt, ne circa criticos dies alvus valde occluſa ſit, ne viciſſim perturbetur & ſenſibilius provocetur, ſed cum moderamine & lenitate tractetur, alias ſalutares excretiones, quæ illo tempore ſenſibiliores ſunt & efficacius ſuccedunt, mox obruuntur & tota febris in periculoſum ſtatum conjicitur.

§. XII. Altera indicatio continet & commendat materiæ peccantis neceſſariam præparationem ad futuram facilem & promptam evacuationem; hæc vero triplici modo adminiſtratur; quando nimirum illius abſterſio & ſeceſſio a reliqua maſſa ſanguinis promovetur, deinde quando ſubtilis acrimonia illius temperatur & denique quando tenuis talis materia leniter involvitur & cum aliis materiis ſubigitur, ne ob nimiam ſuam tenuitatem ſe & excretorio motui reſiſtat, ſed ſub tractabiliori tali conſiſtentia magis obtemperet.

§. XIII. Perficitur triplex hæc materiæ peccantis præparatio, quando febrilis motus in bona temperie procedit, neque per initia impellitur & augetur, mediante quo impulſu materia illa magis mixtioni ſanguinis innectitur & immiſcetur: præterea huc conveniunt diluentia & humectantia, quæ ſangvinis mobilitatem promovent, ſub qua abſterſio materiæ peccantis a ſangvine facilius ſuccedit: porro conferunt remedia abſorbentia teneriora, tam ſimplicia, quam cum acidis imprægnata, nec non parcus uſus ſalium digeſtivorum; juvant etiam decocta ex Scorzonera, Cichorio, Apio, Bardana, Scordio, Veronica, fl. Sambuc. Citro, Tartaro, Nitro, paſſulis & aquis quibusdam reſolventibus parata: huc etiam ſpectant decocta ſimpliciora, ſed dilutiora hordeacea cum tantillo

tillo Cinnamomi & Nitri mixta; denique vel ſemel tantum per diem Tincturam temperatam Bezoardicam ſub æſtus remisſione ad exiguas guttulas exhibere licet: quamvis ſub legitimo uſu prædictorum Decoctorum ne quidem alexipharmacæ Tincturæ neceſſariæ exiſtant.

§. XIV. Secundum tenorem tertiæ indicationis requiritur congruum directorium & motus & evacuationis febrilis: quod primo motus attinet, tunc ex parte præcavendum eſt, ne illi exacerbentur & immoderatius impellantur; ex parte præſentes vehementiores commotiones leniendæ & mitigandæ ſunt: prius ſuccedit, quando mox ſub prima febris invaſione regimina & remedia calida ſeponuntur, quando non præmaturi ſudores excitantur, quando non aliæ excretiones provocantur, quando omnia ſtimulantia & activa remedia arcentur, quando potus ſufficiens & conveniens conceditur, quando omnis animi & corporis inquietudo evitatur & quando abſorbentia & nitrata remedia ſub reliquo communi æſtu exhibentur.

§. XV. Poſterius obtinetur, per frequentiorem uſum pulverum abſorbentium & nitratorum, quibus nonnunquam corallia rubra conjungi poſſunt; huc etiam quadrat, quando in conſuetum ſimplicem potum, aut prædicta dilutiora decocta aliquid de nitro depurato, aut lapide prunellæ conjicitur: conferunt in hac afflictione decocta mucilaginoſa, Citrata, paſſulata, tartariſata &c. in ſubjectis, quibus floridior eſt ſanguis, admitto uſum moderatum acidulatorum ſive vegetabilium, maxime acetoſitatis citri, ſive mineralium; qualia acida in formula julapiorum & decoctorum exhiberi poſſunt: non minus Clysſus antim. ſulph. ſive ſimpliciori potui, ſive formulis liquidis pharmaceuticis ad gratum & temperatum acorem usque commiſcendus eſt: pertinet huc uſus mixturæ ſimplicis, remisſius camphoratæ: proinde excludo Tincturas illas famoſas Roſarum, Bellidis &c. neque aceta pharmaceutica prærogantem utilitatem promittunt: denique etiam ad alterum hunc ſcopum emulſiones dilutiores ex aquis reſolventibus & ab empyreumate liberis, nec non amygd. dulc. pineis atque Sem. Card. Mar. paratæ, quadrant: neque enim ſemina illa famoſa frigida utilia ſunt, quæ juxta conſtantem Celeb. Stahlii confesſionem, ſterilia deprehenduntur: neque etiam ſpiritus Nitri dulcis pro hoc fine aliquod levamen affert.

§. XVI. Ad excretiones febriles dirigendas nunc progredior, quarum duæ ſpecies occurrunt, quæ eſſentialiter huic Febri competunt; una eſt diaphoreſis, altera diureſis; utraque conjunctim ſuccedere debet, ita tamen ut ſine impetu decurrat: minime vero ſecurum eſt diaphoreſin ſub æſtus vigore urgere velle, quin rectius indoli Febris reſpondet, quo remittente ſemper nimio æſtus gradu adjuvetur & promoveatur: optima, maximeque ſecura pro-

mo-

motio eſt, quæ cum tranquillo, moderato, leni & quieto regimine ſuccedit, ſub quo vel ſua ſponte excretio illa procedit, ut nullo poſitive artificioſo ſtimulo indigeat: proinde diaphoreſin illam adjuvat, ſi ſub remisſione acerbioris æſtus potio præbetur, parata ex aquis diapnoicis & abſorbente aut antimoniato fixo remedio: quadrat huc parca ingeſtio decocti vel ſuperius commendati, ſed tepefacti, vel alterius conſveti dilutioris tepidi decocti: in quibusdam ſubjectis & ubi ſudor deficit, oblatio temperatæ Tincturæ Bezoardicæ, aut Alexipharmacæ ad exiguas guttulas conducit, nec non in hominibus floridioris ſanguinis Mixturæ ſimplicis uſus convenit: ſed cum in noſtris regionibus hæc Febris ſuccesſivis diaphoreſibus abſolvatur, ita cum optimo moderamine promotio hujus excretionis dirigenda eſt.

§. XVII. Quod Diureſeos promotionem attinet, tunc eadem optime ſuccedit quando alvus libera eſt, quando inquieta jectigatio & ſuſpecta refrigeratio interna æque ac externa ſollicite evitatur, quando ſufficiens & diluens potus conceditur, quando pulveres nitroſi & modeſtius digeſtivi adhibentur, quando juſto tempore & temperata quantitate Eſſentiæ reſolventes alexipharmacæ interponuntur, quando abſorbentia cum acidis ſaturata aut temperata acidulata remedia exhibentur; a ſenſibilioribus vero ſtimulis ſtudioſe abſtinendum eſt: de reliquo dilutiora decocta tepida, remisſius Tartariſata aut nitrata, hanc excretionem facilitant.

§. XVIII. Quarta nunc excipit indicatio, quæ circa ſymptomatum principaliorum medicationem & mitigationem verſatur: quando itaque in hac febre vomitus ſymptomatici aut alvi fluxus acrius inſiſtunt & in exceſſum inclinant, tunc cum adſtringentibus non cohibendi, ſed temperandi & ſedandi ſunt cum pulveribus abſorbentibus, nitratis, parcius digeſtivis, coralliatis, terreis cum acidis ſaturatis, nec non Eſſentiis ari, helenii, caryophyllatæ, pimpin. alb. quo etiam & ſecure & efficaciter uſus chaccarillæ tam in pulvere cum aliis prædictis pulverulentis, quam in eſſentia cum ante nominatis Eſſentiis, accenſendus eſt: Sed ſicut alvi obſtructio perinde in hac Febre noxia eſt, ita per interna lenientia, nitrata, tamarindinata, parcisſima correcta aloetica, deinde etiam per clyſteres emollientes, ſuppoſitoria lenientia & globulos moſchatos promoveri & aperiri debet,

§. XIX. Deliria & ſoporoſi affectus hanc Febrem interdum comitantur, ſi vero hactenus commendata methodus adhibetur, non facile tale accidens metuendum eſt: quodſi tamen hæc ſymptomata concurrant, tunc talia auxilia conveniunt, quæ in ſimili afflictione in præcedenti Febrium ſpecie commendata proſtant: omni ſtudio evitanda ſunt opiata & volatilia, quæ remediorum genera alias ita capacia ſunt, quo hæc ſymptomata cauſentur: maximum

mum remedium in ejusmodi afflictionibus & tempeſtivus & ſufficiens excretionum ſucceſſus, conjuncto congruo regimine,

§. XX. Magnæ vigiliæ non anxium habere debent medicum, multo minus ſoporifera ſive externa, ſive interna ſecura ſunt: præſtat regimen quietum & potum ſufficientem conjungere verſus noctem vero pulveres nitratos, aut decocta mitius acidulata exhibere; capiti Epithemata domeſtica communia cum tantillo camphoræ remixta conferunt, quæ ad capitis intenſiores dolores paululum mitigandos quadrant: pro viribus reficiendis nil ſecurius confert, quam regimen moderatum & a nimia exæſtuatione liberum, potus ſufficiens non valde frigidus, neque valde calidus, decocta mucilaginoſa, dilutiora, leniter acidulata & cum aquis temperatis analepticis mixta, quo imprimis aqua Cinnamomi cydoniata ſpectat; alia ſpecioſe artificioſa, nervina aut calida cardiaca removenda ſunt.

§. XXI. Ultimum ſupereſt, ut videlicet de Regimine & Præſervatione huic Febri conveniente pauca annectam: Regimen quod concernit, tunc illud ab omni coacto & anxio æſtu liberum] eſſe debet, ſit vero vicisſim quietum, tranquillum & ab actuali refrigerio liberum: potus exhibeatur ſufficiens non vero valde frigidus; cum cibis ne moleſtentur patientes, ad ſomnum non anxie cogantur, alias magis inquieti evadunt; ſub æſtus acerbiori ſucceſſu patientiæ, continentiæ & quieti indulgeant, alias totus febris ſtatus magis turbatur, animus in posſibili tranquillitate conſervetur &c. &c.

§. XXII. Quoad Præſervationem in Plethoricis opportunæ V. Snes conferunt; proſunt interdum alvi abſterſiones per rhabarbarina, tamarindinata, paſſulata, tartariſata, Magneſiam albam, Sal anglicanum: tranſpiratio inſenſibilis nunquam vehementer alteretur, ſed interdum arbitraria moderata diaphoreſis inſtituatur: diæta non nimis aromatica & ſpirituoſa ſit: potus adhibeatur ſufficiens, ſed dilutior: evitentur inebriationes & ſpirituoſorum crebræ ingeſtiones: tempore verno ordinentur vina medicata reſolventia, moderate diuretica & laxantia Rhabarbarina: æſtivo tempore modeſtus uſus acetariorum & acidulatorum, nitratorum, abſorbentium & coralliatorum confert: neque denique quibusdam ſubjectis temperatæ acidulæ cum moderamine adhibitæ ad præſervandam hanc Febrem nocent, quin rectius proſunt,

CAPUT V.

DE FEBRE INFLAMMATORIA.

§. I.

ALterius indolis acuta & continua Febris eſt, quæ Inflammatoria audit, utpote quæ præcedente ominoſior, intricatior & periculoſior exiſtit, cum in morbo complicato occurrat, adeoque alterius acuti, ordine prioris & præcedentis affectus, ſymptoma evadat; propterea inflammatoria audit, non quod inflammationem efficiat, neque ex inflammatione prodeat, ſed huic ſuperveniat & cum inflammatione unita quaſi vi ſtaſeos reſolutionem, maxime vero corruptionis præoccupationem proſequatur, ſed eo ipſo non exiguis difficultatibus & ambiguitatibus obnoxia eſt, dum primario cum hac Febre natura præſenti arduæ inflammationi, deinde ipſius Febris indoli & ſalutari ſucceſſui invigilare debet, ne in ullo latere aliquid committat, quod damnum afferre poteſt.

§. II. Sicut vero quoad formalem ſuam rationem non niſi unica eſt Inflammatio, quæ circa præſentem ſtaſin, aut ſtagnationem ſonticam occupatur & illarum diſcusſionem urget, ita etiam non niſi unica Febris inflammatoria eſt, quæ eſſentialiter nullibi differt, ſive inflammatio in capite, ſive in collo, ſive in pectore, ſive diaphragmate, ſive ventriculo, ſive Hepate, ſive Liene, ſive inteſtinis, ſive renibus, ſive utero fuerit; unde varii deinde affectus nomine diſcreti oriuntur, ut Phrenitis, Angina, Pleuritis, Peripneumonia, Paraphrenitis, Hepatitis, aut Typhodes, Splenitis, Nephritis, Leipiria &c. exinde facile fluit, quod una eademque medendi methodus in hac Febre valeat, ſive capitis, ſive pectoris, ſive abdominis inflammationem comitetur; ſed ſicut periculum diſcrepat, prout inflammatio intimiorem & ſenſibiliorem partem occupavit, ita & jam ſecundum hanc circumſtantiam periculum febris inflammatoriæ differt.

§. III. Cum itaque hæc Febris propter Inflammationem ſit, ita uterque hic acutus affectus putridæ corruptioni e ſtagnatione aut ſtaſi ſibi relictæ, imminenti opponitur; proinde competit ipſi Febri ſatisfacere, ne ſubtilia illa apoſpaſmata ſalino-ſulphurea, quæ ſub motu febrili generantur, in latifundio humorum contineantur, ut propterea mixtioni ſangvinis putrida diſſolutio immi-

immineat, licet mediante motu febrili inflammationis indoli ſatisfactum ſit: quare in hac Febre primarius ſcopus eſt, quo ſtaſis aut ſtagnatio reſolvatur; deinde abſolute etiam utile & neceſſarium eſt, quo diaphoreſis atque diureſis legitime ſuccedat, quæ ſuccesſiva continuatione abſolvitur, quia ſub toto febris decurſu primaria cura ad inflammationis ſalutarem promotionem adhibetur, quapropter reliqua materia ſubtilis orgaſtica ſuccesſive eliminatur, ni ob peculiarem naturæ dexteritatem & activitatem critico ſimultaneo actu materia illa collecta evacuetur.

§. IV. Interdum etiam contingit, ut in febricitantibus talibus conjuncta eximia ſangvinis abundantia totam hanc febrem ob hanc complicationem periculoſiorem reddat, ſiquidem ſub hoc ſtatu communiter major æſtus, gravior oppletio, inſignior inquietudo & ferme omnia reliqua ſymptomata acerbiora ſunt: quare etiam accidit, ut talis inflammatoria febris in tali ſtatu nonnunquam de continentis febris indole participet; quapropter ſub hac complicatione molimina ſuſpecta hæmorrhagica quandoque intercurrunt, licet exinde inflammatio admodum anceps reddatur, ſi imprimis hi conatus hæmorrhagici, vel inopportune, vel impetuoſe, vel ſine congruo effectu affligant; quare triplex hic reſpectus nimirum ſtaſeos diſcusſio, febris legitima adminiſtratio & plethoræ imminutio totum præſens morbi ſchema intricatum & periculoſum reddit.

§. V. Neque boni ominis eſt, ſi præſens inflammatio mediante febre non ad diſcusſionis effectum pertigit, ſed in ſuppurationem tranſiit, cum abſceſſus in internis partibus & nobilibus organis non facile mundificatoriis & conſolidatoriis actibus obtemperet, ſed facilius in mortiferam ulcerationem degeneret, præprimis cum immediatus artificioſus acceſſus præcluſus ſit; quemadmodum etiam plethora præſens ad illud incommodum atque offendiculum diſponit, ut gravior & immoderatior congeſtoria reſtrictio ſangvinis ad internam ſtaſin tranſeat, quæ efficacem & liberam diſcusſionem impedit, eo facilius vero ad ſuppuratorium effectum contendit, vel plane etiam ob hujus defectum ſphacelationem accelerat: ut ita ex omni parte artifex habeat, quo prudentiam, continentiam, dexteritatem & peritiam in hac intricata febre obteſtetur.

§. VI. Quo magis complicata itaque hæc Febris eſt, eo major circumſpectio, ut adhibeatur, neceſſe eſt, propterea cavendum eſt 1) a promiſcuo Venæ Sectionis uſu: 2) a quibusvis fortioribus evacuationibus tam ano-quam catotericis. 3) ab occluſione, perturbatione, aut negligentiori promotione ordinariarum excretionum: 4) a remediis & regiminibus calefacientibus & commoventibus: 5) ab uſu communium reſolventium & diſcutientium, quæ ut plurimum ſangvinem valde impellunt: 6) a communi Camphoræ internæ uſu: 7)

a curatoria ſalium volatilium oblatione: 8) a remediis & regiminibus refrigerantibus & ſangvinis æqualem commotionem & diſtributionem turbantibus: 9) a communium opiatorum uſu vulgato, qui in hiſce febribus vale ſuſpectus eſt: 10) a fortiori & impetuoſiori diaphoreſeos excitatione & promotione: 11) a ſulphuratorum credulo, liberali & inopportuno uſu: & denique 12) a nimia & multum variante remediorum ingeſtione, cum potius in hisce febribus parcæ, ſed repetitæ medicamentorum doſes conferant.

§. VII. Pro ſecuriori & certiori præſentis Febris Therapia ſequentes indicationes annotandæ & exercendæ ſunt: 1) ut remotiora incommoda, febrem hanc ex accidenti offendentia, tempeſtive removeantur: 2) ut ſucceſſus Febris accurate dirigatur & promoveatur; 3) ut Excretio febrilis juſte adjuvetur: 4) ut viribus in hac Febre admodum langventibus conſulatur: 5) ut ſymptomata periculoſiora mitigentur & leniantur 6) ut Regimen atque præſervatio conveniens ordinetur: & ſingulæ hæ indicationes cum optimo moderamine applicari debent, quoniam hæ Febres valde ſenſibiles ſunt & omnem acerbiorem commotionem ægerrime perferunt.

§. VIII. Quando juxta tenorem primæ indicationis remotiora incommoda aufferri debent, tunc iterum notatu digna illa practica quæſtio decidenda occurrit, an in hisce inflammatoriis febribus ita abſolute Venæ Sectio neceſſaria ſit? communis quidem inter practicos occurrit Venæ Sectionis etiam ſatis ſæpe indiſcreta commendatio in talibus febribus; quam vero non adeo promiscue neceſſariam eſſe affirmo: & licet interdum in uno alterove ſubjecto plethora moderata adſit, tamen nulla neceſſitas urget, quo illa depleatur, ſi olim ſemper quieta, neque unquam, vel per ſpontaneam, vel per artificialem evacuationem ſangvinis imminuta fuit.

§. IX. Quando contra in ſubjecto quodam turgidior plethora adeſt, quæ antehac gravioribus impulſibus, aut actualibus Hæmorrhagiis obnoxia fuit, quando inſuper proximius prægreſſa vehemens plethoræ commotio ad præſentem Febrem contribuit, quando talis Febris hoc tempore maxime corripit, in quo febricitantes olim plethoram ſuam artificiali evacuatione imminuere ſveverunt, quando mox in primis initiis febrium inflammatoriarum magna plethoræ inturgeſcentia occurrit &c: tunc admitto Venæ Sectionem in brachio inſtituendam, vel prima ſtatim vice ſufficientem, vel nonnunquam convenit, ut repetito inciſa vena relaxetur & ſangvis emittatur, adeoque repetita ſit alteratio: præſtat tamen hanc ſangvinis depletionem mox in primo Febris initio adminiſtrare: quando vero prædictæ circumſtantiæ deficiunt & plethora quieta cum Venæ Sectione imminuitur, tunc tanto certius talis Venæ Sectio nocet, quia nunc quietam Plethoram commovet.

§. X.

§. X. Alterum incommodum, quod tempeſtiva remotione indiget, eſt alvinæ excretionis perturbatio, quæ ſub toto Febris Inflammatoriæ decurſu abeſſe debet: unde rectius alvus aperta & libera ſit, quæ ſi ſtricta vel ſicca fuerit, interne lenienda aut ab extra cum clyſteribus & ſuppoſitoriis emollientibus promovenda eſt, cavendo, ne ſtimulantia & poſitive purgantia adhibeantur: neque aloëtica, niſi valde correcta & in refracta doſi concedenda ſunt: præſtat etiam quo alvus aperta ſit, antequam Venæ Sectio applicatur: modeſtus uſus Rhabarbari, Tamarindorum, magneſiæ albæ in initio hujus febris alvum ſecure aperit ſub febris decurſu vero remedia nitrata, decocta mucilaginoſa, cum oleo leniente remixta, aut decocta dilutiora hordeacea cum nitro & paſſulis mixta alvinam excretionem facilitant: denique pro hoc ſcopo auxilia paſſulata & prunata conferunt; omnis modeſta alvi promotio proficit, ſimultanea vero & impetuoſa officit.

§. XI. Si porro hanc Febrem præceſſit repentina, firma & contumax ſuperficiei corporis conſtrictio & ſangvinis reſtrictio ad interiora, tunc mox ab initio hæc ſuſpecta peripheriæ occluſo emendanda eſt, fit hoc per tempeſtivum & repetitum uſum nitratorum remediorum, per regimen moderatum & quietum, per modeſtam frictionem ſuperficiei corporis, modicam oblationem temperatæ Eſſentiæ alexipharmacæ cum Eſſentia ſcordii mixtæ & per uſum decocti tepidi, ſive ſimplicioris, ſive dilutioris pharmacevtici, quo iterum cum moderamine ſangvis, quantum præſtat, in peripheriam corporis transferatur.

§. XII. Cum Febris æque ac inflammatio ad reſolutionem & diſcusſionem ſtaſeos tendat, ita in hac febre nulla præſtantiora remedia eſſe videntur, quam reſolventia & diſcutientia; ſed dum ad affectum locum haud immediatus acceſſus patet, reſolventia vero remedia utplurimum acriora & calidiora ſunt, ita hæc animadverſio magis theoretica, quam practica exiſtit; quod enim de efficacia Salium volatilium in humores craſſos & coagulatos opponitur, illud ſub applicatione therapevtica magis pernicioſum quam fructuoſum erit: alia enim circumſtantia eſt, quando ſalia talia in notabili quantitate ſangvini, extra corpus humanum & extra motum progresſivum conſtituto, offenduntur & quando intra corpus aſſumuntur, ubi non modo ad vehementiores ſpumefactorias ſangvinis commotiones contribuunt, ſed & in partibus fibroſis tam muſculoſis, quam tunicaceis & membranaceis ſubtilem ſtricturam excitant, quæ omni ſalutari effectui, febri inflammatoriæ competenti, eximie repugnaret; quare illorum uſus magis noxius, quam proficuus eſſe obſervatur.

§. XIII. Camphora quaſi pro principe remediorum reſolventium æſtimatur, quemadmodum etiam ſatis efficaciter diſcuſſoriam hanc qualitatem ob-

obteſtatur, quando immediate ſangvinis ſtagnationem aut ſtaſin afficit & offendit; ſed quando camphora intimius intra humores recipitur & cum iisdem commovetur, facile excesſivam turgefactoriam commotionem ſangvini conciliat, quæ in hac febre magis noxia, quam ſalutaris eſt, imprimis quando juxta communem modum eadem adhibetur: quare etiam vulgares illæ formulæ, ubi camphoræ cum nitri additamento compedes adjudicantur, non ſatis exacte votis reſpondent, ſiquidem non niſi parcisſima camphoræ doſis, quæ cum aliis ſubjectis paulo intimius ſubacta eſſe debet, pro uſu interno concedenda eſt.

§. XIV. Mumia, Therebinthina, Gummata acriora, imprimis Myrrha, olea ſulphurata, ipſum ſulphur quamvis vulgo deprædicentur, quod eximiam reſolventem vim habeant, tamen in hac Febre ſua laude dignum quid non præſtant, quia majorem impetum & orgaſticum motum ſangvini conciliant, qui diſcuſſorio effectui maxime contrariatur; inde potius temperatus & ſalutaris febris decurſus pervertitur, ſtagnatio aut ſtaſis augetur & perniciofus eventus acceleratur.

§. XV. Specifico quaſi reſolvente effectu commendatur Sambucus, cujus cortex medianus in eriſypelaceis inflammationibus, in peripheria corporis immediate applicatus, aliquid hoc prædicato dignum præſtat: haud vero propterea ab externo & immediato uſu, ad internum valet conſequentia, neque a cortice tanquam parte ad generalem ſambucinorum uſum argumentari integrum eſt: accedit Chærefolium, quod debilem efficaciam habet, neque in tam ardua & difficili interna inflammatione ſatisfacit, niſi in ſubſtantia & largiori quantitate aſſumatur, qui modus vero non ſatis arridet patientibus, neque febri admodum competit: hyſſopus ab extra adhibitus magis reſolventem ſuam qualitatem exhibet, intrinſecus vero ad incommodas commotiones ſangvinis diſponit; flores Papav. rhæad. Hyperic. Sambuc. Bellid. min: communiter ſpem deſtituunt & promisſis non ſatisfaciunt: neque aquæ ſcord. chæref. plantag. ſamb. fl. tiliæ directe ſtaſin diſſolvunt, adeoque ſpeciali hac laude indignæ ſunt; uti neque antimonium diaphoreticum tam ſpecialem diſſolventem qualitatem habet, quæ a quibusdam eidem imputatur.

§. XVI. Sed dum hæc remedia id in febribus Inflammatoriis non efficiunt, quod debent, neque etiam natura in corporis ſui oeconomia talia materialia inſtrumenta habet, quibuscum poſitive & directe discuſſionem necesſariam perficere poteſt, ita mediante ſolo motu febrili res perficienda eſt, imprimis cum in internam inflammationem nullum immediatum jus & acceſſum habeat ars medica: eapropter altera indicatio valet, quo videlicet Febris ſucceſſus recte dirigatur: & hoc ipſum contingit, ſi partim motus febrilis in æquali & moderato decurſu atque gradu conſervatur, partim ſi apoſpaſmata ſeroſo-

roſo-orgaſtica temperantur & involvuntur; prior operatio ſuccedit per pulveres nitratos, per Decocta e Cichor. Scorzon. apio, Bardana, Veronic. Scord. Chærefol. Scabios. Citr. paſſulis, &c: parata; poſterior adminiſtratur per abſorbentia diverſæ ſpeciei, tam ſimplicia, quam cum acidis ſaturata, nec non per corallia rubra ppta. aut magiſterium coralliorum, quæ utriusque efficaciæ mixta remedia aliquoties per diem exhibita indicatos ſcopos aſſeqvuntur.

§. XVII. Vulgo in hac Febre ſpeciali encomio laudantur cancri fluviatiles, chelæ cancrorum, teſtæ ovorum, dens apri, mandibula lucii piſcis &c: quæ vero haud tantum efficiunt, quantum de iisdem promittitur, niſi poſteriora hæc ſubjecta, quo C.C. raſpatum refero, cum conjuncta ſua tenui gelatinoſa animali mucilagine ſubtilem temperantem & lenientem qualitatem exſerant; quales ſpecies propterea, licet non exquiſite ſpecificam virtutem in hac febre habeant, non tamen penitus contemni aut rejici poſſunt: ita etiam in ſubjectis floridioris habitus & activioris indolis pro febris moderamine temperatus acidulatorum uſus conducit, quemadmodum pro hoc ſcopo Nitrum depuratum, antimoniatum & lapis prunellæ confert: ſpiritus nitri dulcis vero nullam diſcretam & eximiam utilitatem in hac afflictione exhibet, licet vulgo quidem magnis laudibus efferatur.

§. XVIII. Ipſa interna diſcusſio, quæ partim cum motu inflammatorio, partim cum febre intenditur, non meliori methodo, ſi qua ſperanda eſt, impetratur, niſi motus in moderato & legitimo ſucceſſu conſerventur; id quod tam cum recenſitis adminiculis obtinetur, quam cum uſu Eſſentiarum reſolventium modeſte diureticarum & alexipharmacarum, quo præcipue Eſſentia Pimp. alb. vincetox. & ſcordii pertinet; cum vicisſim Helenii, Petaſit. & imperatoriæ Eſſentiæ, quia acriores ſunt, parca quantitate offerri debent: in temperatioribus ſubjectis admitti poteſt Liquor C C. ſuccinatus, in activioribus Mixtura ſimplex conducit, quæ tamen correcta & a nimia camphoræ quantitate libera ſit: adjuvant etiam internum diſcuſſorium effectum abſterſoria qualitate ſalia digeſtiva, cum pulveribus temperantibus parca quantitate combinanda.

§. XIX. Sed ordo me ducit ad tertiam indicationem, qua Evacuationum febrilium juſtum directorium commendatur; harum excretionum iterum non aliæ occurrunt, quæ huic febri magis competunt, quam moderata diaphoreſis & juſta diureſis; quod enim vulgo de puris mictione enarratur, illud ad æquivocas obſervationes referri meretur: interim hoc loco ſermo mihi magis eſt de evacuationibus, quæ febri inflammatoriæ propius reſpondent: nunc vero iterum ad inflammatorios æque ac febriles inflammatorios affectus vulgo artificialis diaphoreſis commendatur, ſub qua commotione plurimi diſcuſſionem ſperant & promittunt; ſed cum omnis impetuoſa ſangvinis commotio huic febri

bri valde præjudicet, ita etiam longe rationabilius atque conſultius eſt, quo cum maxima lenitate & temperantia hæc evacuatio tractetur, præprimis cum alias in hac Febre madores facilius procedant & proclivitas ad ſudandum adſit, hinc communem methodum, qua poſitivæ ſudationes impetuoſe paſſim ordinantur, non approbo.

§. XX. Quapropter præſtat moderatam talem diaphoreſin adjuvare cum quieto & temperato regimine, cum decoctis vel ſimplicibus atque domeſticis, vel e Scorzonera & antea recenſitis ſpeciebus, paratis, cum potionibus ex aquis reſolventibus diapnoicis, omiſſa Fumariæ aqua & abſorbentibus aut bezoardicis fixis, compoſitis, cum Mixtura ſimplici, pulveribus diaphoreticis fixis, mixtura ex Eſs. Pimp. alb. caryophyllatæ, vincetox. & ſcordii conſtante, ad exiguas guttulas oblata: huc etiam conferunt julapia e Decocto hordei, cichor. & paſſul. aquis Scord. Scorzon. fl. Samb. Plantag. Scabioſ. C. B. Ceraſ. nigr. Syr. Beton. Heder. Terr. acetoſ. Citr. papav. rhæad. multum etiam liberum & facilem diaphoreſeos ſucceſſum facilitat potus ſufficiens & conveniens, modo non valde frigidus & ſpiſſus ſit.

§. XXI. Diuretica excretio promoveri debet in hac Febre cum pulveribus nitratis, cum ſale neutro mixtis, cum abſorbentibus acidulatis, cum decocto veronicæ, cum potu ſufficienti & tepido, cum Mixtura ſimplici, cum Eſſ. vincetox. pimp. alb. caryophyllatæ, cum potu moderate acidulato: ubi ſimul providendum eſt, quo alvina excretio libera ſit, quia alvi occluſio neceſſariam excretionem urinæ impedit: multum etiam huc quadrat regimen tranquillum & quietum & quo de reliquo motus febrilis placide & æqualiter decurrat: de ſymptomaticis excretionibus ſuo loco dicendum erit: ſicut de excretionibus certis inflammationibus, ut peripnevmoniæ, nephritidi &c. propriis, modo ſuo ordine dictum fuit.

§. XXII. Quoad quartam indicationem, virium etiam ratio habenda erit, quæ in hac febre non parum vacillant atque concidunt: abſtinendum tamen eſt ab acrioribus nervinis; ſeligenda ſunt temperatiora: conveniunt emulſiva dilutiora cum amygd. dulc. pineis & ſi dolores multi concurrant ſem. papav. alb. parata; conducunt Julapia ex Decocto Cichorii paſſulato & Citrato, additis aquis diapnoicis & temperatis analepticis, ut roſarum, ceraſ. nigr. lil. convall. naph. admiſceri poſſunt ſyrupi de canela, de betonica, cydoniorum, Bugloſſæ, &c: non parum etiam febricitantes reficit, ſi ipſis ſufficiens potus conceditur: proficit cremor hordei cum tantillo acetoſitatis citr. & cinnamomi mixtus: admitti denique poteſt exiguum panis ſaccharati cum vino temperato & cum ſyrup. rubi idæi mixto impregnati.

§. XXIII.

§. XXIII. Quod jam quintam indicationem attinet, tunc ſymptomatum mentio injicienda erit: quando itaque in febre inflammatoria eximius quidam dolor concurrit, qui ad inflammationis & febris perturbationem contribuere ſolet, tunc interna lenientia & ſecura ſedantia adhiberi poſſunt: e numero priorum ſunt emulſiva modo commendata, nec non decocta hordeacea & ſi patientes perferre poſſunt, decoctum C. C. neque incongrue emulſionibus ſem. papav. alb. adjicitur, ſicut decoctis ſyr. papav. rhæad. admiſcendus: neque in hac afflictione modicus Theriacæ, aut Diaſcord. Fracaſt. uſus rejici poteſt: ſpecialem efficaciam habet ad dolores inflammatorios, imprimis interpunctorios & lancinatorios laterales leniendos & demulcendos Sem. Card. Mar., quod optime in ſubſtantia aſſumitur, licet etiam ſub emulſionibus quantisper conferat: ſedativum auxilium partim commemoratum eſt, partim citra opiatorum ſelectum in cortice chaccarillæ hæret, qui ſine damno & præjudicio etiam in hac febre admodum proficit.

§. XXIV. Quando in hac febre narium Hæmorrhagia occurrit, tunc illa quidem haud ſingularem utilitatem affectui affert, niſi tempeſtive erumpat & paulo largius ſuccedat, quando vero circa judicatorios dies oritur, tunc aliqualibus turbis inferendis quadrat: nullibi tamen ſupprimenda, aut cum vi ſubjuganda, ſed per hactenus recenſita lenientia, demulcentia, diluentia & temperantia tractari debet: in quo paſſu multum etiam confert regimen quietum & temperatum, nec non alvi liber ſucceſſus: ſi vero admodum ſuſpectæ fuerint tales Hæmorrhagiæ, tunc conveniunt pulveres e C. C. uſto Corall. rubr. ppt. Lap. prunellæ, aut emulſiones papaveraceæ, aut Julapia modeſte acidulata, aut diaſcord. Fracaſt: conjunctis externis diſcutientibus & temperanter reprimentibus, imprimis Epithematibus.

§. XXV. Largiores ſudores nunquam vel cum regimine inverſo, vel cum remedio quodam cohiberi debent: præſtat rectius ante omnia regimen congruum ordinare, deinde pulveres ex abſorbente cum acido ſaturato remedio, corall. rubr. ppt. & Lapide prunellæ exhibere: huc porro inſerviunt emulſiones commendatæ, nec non decocta mucilaginoſa, julapia acidulata, Mixtura ſimplex ſine regimine uſurpata, C.C. uſtum cum oc. canc. cum acetoſ. citr. ſaturatis: C. C. raſpatum: & in hoc ſtatu tamdiu bezoardica & alexipharmaca ſeponenda ſunt: quodſi circa judicatorios dies largiores ſudores ingruant, tunc ab omni freno abſtinendum eſt, ſed regimen tranquillum, cum ſubjuncto potu ſimplici, ſed ſufficienti & pulverum terreorum cum acidis maritatorum uſu, ſatisfacit.

§. XXVI. Pauca hac occaſione de topicorum uſu in hac febre dicere placet: & hæc, licet propius ad inflammationem ſpectent, quam ad febrem,

tamen quia in inflammatoria Febre interdum commendata obſervantur, propterea illorum reminiſcor: quando vero in tali affectu inflammatio interior eſt, ſive in capite, ſive in pectore, ſive in abdomine, tunc externa diſcutientia, qualiacunque etiam illa fuerint, parum votis & promiſſionibus reſpondent, quoniam nulla ratione latentem ſtagnationem aut ſtaſin afficiunt, ubi ne quidem etiam ad famoſum illum partium conſenſum provocare licet: quodſi vero inflammatio ſuperficialis fuerit, tunc topica talia remedia plus emolumenti afferunt.

§. XXVII. Quando in hac Febre multus internus ardor, eximia anxietas, ſudor frigidus, major horror atque rigor in ſuperficie corporis, animi deliquia, internæ convulſivæ & ſingultuoſæ commotiones, gravis agrypnia, immodica ſudatio &c. occurrunt, tunc ſtatus valde periculoſus eſt; haud vero ſecure ad alia adminicula in hac afflictione confugiendum eſt, quam quæ paſſim hactenus commendata fuere: in ſingultu, quia in hac febre admodum periculoſus & ſuspectus eſt, ſi non a refrigerio ab extra admiſſo & commiſſo ortum traxit, nitri modeſtus uſus conducit: quodſi denique in certis febrium inflammatoriarum ſpeciebus diarrhœa concurrat, tunc pro hac mitiganda vel pulveres ſimpliciter abſorbentes & nitrati, vel corticis chaccarillæ ordinationes ſecure & efficaciter proficiunt: adſtringentia & narcotica communia poſitive nocent.

§. XXVIII. Quod Criticos ſudores, qui interdum in Febre Inflammatoria occurſant, concernit, tunc eosdem nullo modo turbare convenit, neque impellendo, neque opprimendo: conſultius eſt iisdem cum bono regimine ſuccurrere, aut ad minimum temperantia remedia ordinare; neque male interdum temperata & ſelecta analeptica exhibentur: maxime vero confert potum ſufficientem, neque nimis ſpiſſum, neque nimis frigidum ſubminiſtrare, adeoque cum ejusmodi adminiculis tam legitimum illorum ſudorum ſucceſſum adjuvare, quam exceſſum præoccupare, aut ſi neceſſitas requirit, mitigare; interim regimen quietum & temperatum in hac circumſtantia plurimum valet.

§. XXIX. Agmen denique claudit in præſenti tractatione ordinatio congrui regiminis & convenientis Præſervationis: in febre hac conducit regimen moderatum & ab omni anxia incalescentia liberum, ita tamen conſtitutum, quo ſenſibilis & actualis refrigeratio arceatur & temperetur, mador in tranquillo & conſtanti ſucceſſu conſervetur: ſicut externa ita etiam interna refrigeratio nocet: potus ſufficiens & dilutus prodeſt: nocet, ſi prodigis hauſtibus ingeritur: omnis corporis inquietudo ſedulo evitanda eſt: nimis frequenter & nimis largis doſibus remedia exhibere utile non eſt: Præſervatur vero talis Febris, ſi plethorici homines ſive ſpontaneas ſive artificiales ſangvi-

nis

nis evacuationes in juſto ordine & ſucceſſu conſervant, ſi diætam temperatam ſeligunt, ſi ſpontaneas ſuas Hæmorrhagias a repentina ſuppreſſione arcent, ſi copioſiorem transſpirationem periphericam non ſimul & ſemel opprimunt & de reliquo in animo, diæta & regimine bonam continentiam ſervant; qualis vivendi ratio etiam in aliis ſubjectis ad præſervandam febrem inflammatoriam neceſſaria eſt: neque denique aliæ evacuationes ſpontaneæ ſalutares ſubito repelli & deobſtrui debent: abſtineant etiam ſubjecta a repentinis & immoderatis corporis commotionibus & ſubitaneis ſangvinis impulſibus & intumefactionibus, ut & a repentina immutatione caloris atque frigoris, unde interdum ſtaſibus ſubitaneis anſa præbetur. &c.

CAPUT VI.

DE

FEBRE ARDENTE BILIOSA.

§. I.

CUm in præcedentibus de Inflammatoria Febre actum fuerit, ita mox Febrium cholericarum explicationem ſubjungo, eo quod in hisce æque interna inflammatio occurrit, quæ tamen a bile non ſangvinis, ſed e ſangvine jam in peculiarem ſuam veſiculam ſecreta & depoſita, nunc in inteſtinis acerrime conſermentata excitatur, eo ipſo vero ſatis complicata, intricata & periculoſa exiſtit, dum adeo qualificata hæc inflammatio eſt, ut plures reſpectus involvat, ac quidem in ſimplici inflammatoria Febre occurrunt, licet quidem vicisſim inflammationes in intimiori regione partis valde ſangviferæ conſtitutæ æque aliquam prærogativam quoad periculoſum ſuum ſtatum contineant, hinc in relatione ad bilioſas febres, Hepatitis, ſplenitis, paraphrenitis &c. infrequentior eſſe obſervatur.

§. II. Multiplex itaque reſpectus in Bilioſis Febribus occurrit 1) adeſt cauſtica & corroſiva bilis, quæ tempeſtive, ſtrenue & ſine mora eliminari debet: 2) adeſt inflammatio interna, quæ accurate tractanda & dirigenda eſt: 3) adeſt Febris, quæ bilis evacuationi & inflammationis directioni legitime accommodanda eſt: 4) ipſa illa Febris eo applicari debet, quo ex una parte apoſpasmata bilioſa, quæ ex accidenti maſſæ ſangvineæ inſinuata ſunt, ex altera parte illa, quæ ſub febris decurſu generantur, legitime & ſufficienter eliminen-

tur: & denique 5) quo in locis affectis facta qualiscunque ſuperficialis arroſio ita tractetur, ne periculoſa ulceratio remaneat & Hectica Febris hanc prægreſſam ardentem conſequatur: & hi ſinguli reſpectus in Praxi medica exquiſitam attentionem merentur, quo cuilibet artifex providus condigne ſatisfacere queat.

§. III. Hæc bilis, quæ ſub vehementiori et intimiori Fermentatione cum aliis ſubjectis, ſive pingvibus, ſive dulcibus, ſive fæculentis, in genere vero facile fermentantibus et aceſcentibus, in cauſticam acrimoniam degeneravit, licet proximiori ſuo contactu, non æque partem valde ſangviferam offendat, attamen dum partim ventriculum, tendinoſum pylorum et duodenum, ut partes admodum ſenſibiles afficit, partim per hæc loca latius ſe diffundit, tamen eo ipſo ſatis deleterium effectum habet, cui omnibus viribus reſiſtere debet natura, ne ex partium illarum eximia arroſione, putrida corruptio oriatur: ubi illa adhuc circumſtantia memori mente tenenda eſt, quomodo longe acerbius febris exardeſcat, quo magis cauſtica bilis in inferiores tractus inteſtinorum ſeſe diffudit, quo latius per eosdem inflammatio & arroſio ſe extendit & quo magis etiam neceſſarium eſt, quo per inferiora bilis hæc excutiatur.

§. IV. Præcipuum auxilium eſt, ſi in hac Febre tempeſtiva bilis cauſticæ excuſſio ſuccedit, exinde etiam contingit, ut Febris non tanta acerbitate affligat, cum principale objectum remotum ſit; contra vero longe majus periculum involvit hujus excretionis cunctatio: ſed cum proximior via ſit, quo ſurſum acris talis bilis expellatur, ita potius plurimi conatus magis ſurſum vergunt: quo loco merito eximia illa difficultas annotanda eſt, dum acerrima hæc bilis inverſa periſtalſi e duodeno inteſtino per pylorum intra ventriculum retrovehi & denique ex hoc ejici debet: in quo ſtatu mirum eſſe vix poteſt, cur tantæ anguſtiæ & ſub ſcrobiculo cordis ardentes cardialgicæ afflictiones adſint, dum & cavſis bilis & inflammatoria & inverſa ſpaſtica commotio, adſint, quæ partes has ſatis ſenſibiles detinent.

§. V. Interea inflammatoria illa commotio interna in loco affecto in hac febris ſpecie paulo mitior eſt, quæ in altera & per excellentiam dicenda ardente Febre longe major adeoque extreme periculoſa exiſtit: præcipua tamen ſpes certioris aut facilioris reſtitutionis nititur partim tempeſtiva bilis expulſione, partim etiam proximiori illius excretione, quæ per vomitum ſuccedit: deinde internæ inflammationi ſatisfaciendum eſt; & ne denique ipſa Febris ſibi nocumento ſit, præſtat, quo excretiones, Febri directe competentes, legitime, opportune & ſufficienter procedant; ita omnibus circumſtantiis, quæ in complicato hoc ſtatu occurrunt, rationabiliter & exquiſite proſpicitur: de reliquo naturæ nullum commercium eſt cum quantitate

ſan-

ſangvinis, niſi hæc valde turgeat atque urgeat, quæ ulterior & mere accidentalis complicatio plethoræ cum hac febre, eo periculoſiorem etiam mitioris bilioſæ febris ſtatum reddit: quod etiam intenſiorem ſitim attinet, tunc illa non modo cum interna cauſtica bilis efficacia cohæret, ſed & artificem inſtruit, quomodo juxta methodum & inſtinctum naturæ huic Febri condigne conſulere debeat.

§. VI. Quo itaque & hæc Febris ſcite & perite tractetur, cavendum eſt 1) a vulgari V. Snis uſu 2) a vomitorio & poſitive purgante remedio 3) a præmatura diaphoreticorum oblatione 4) a perturbatione ſpontaneæ bilis evacuationis, 5) a prodigo & ſimultaneo abſorbentium uſu 6) a terreis abſorbentibus remediis, quæ ſimul adſtringentia ſunt, 7) a copioſo ſalium detergentium uſu: 8) a remediis acribus, calefacientibus, reſinoſis, 9) a poſitive refrigerantibus medicamentis 10) a largiori acidorum oblatione 11) a communi opiatorum ordinatione 12) a nimia ſudoris commotione 13) ab acrioribus nervinis ſubjectis 14) ab obſirmatione obſtructionis alvi, 15) ab emulſivis & lacticiniis tum ſimplicioribus tum cum refrigerantibus mixtis 16) a formulis & remediis dulcibus 17) a prodiga & ſimultanea potulentorum ingeſtione 18) a regimine inquieto & vel nimis anxio, vel nimis laxo & refrigerante 19) a nimia remediorum ingeſtione & frequenti variatione & denique 20) a nuda ſymptomatum cura & mitigatione.

§. VII. Therapia ſimplicium Febrium Bilioſarum rationabiliter, ſecure & efficaciter hiſce comprehenditur indicationibus 1) ut materia principalis, nimirum bilioſa acris temperetur & ad faciliorem excretionem præparetur 2) ut excretio materiæ bilioſæ, cum maxima lenitate & circumſpectione facilitetur 3) ut motus febrilis legitime dirigatur & ab omni anomalia præoccupetur 4) ut ſymptomata ardua & urgentia debite tractentur & mitigentur 5) ut febris ad ſecurum exitum promoveatur, ne aliquid ſiniſtri conſequatur & 6) Regimen & Præſervatio conveniens præſcribatur: ſingulæ hæ indicationes cum maxima lenitate & moderatione exercendæ ſunt, quia in hac febre tot complicati & periculoſi reſpectus occurrunt atque concurrunt.

§. VIII. Prima harum Indicationum maxime neceſſaria eſt, quia bilioſa cauſtica ſaburra neque ſecure moveri, neque fructuoſe emoveri poteſt, aut debet: præparatio hujus materiæ vario modo contingit, dum vel diluitur & cum vehiculo leniente debilitatur; vel dum abſorbetur, abſtergitur & temperatur; vel dum involvitur & in congruum receptaculum aſſumitur, ut eo facilius evacuari poſſit: quoad primam hanc operationem jam ſatis veterum ſecretum innotuit, ubi per ptiſanas, cremores, linctus & decocta ſua materiæ efficaciam infringere laborarunt, quo etiam illorum hydromelita & juxta alios lacti-

 cinia

cinia dilutiora ſpectant: ad horum imitationem acceſſerunt alii, qui ejusmodi decoctis immiſcebant talia ſubjecta, de quibus ſperabant & promittebant, quod bilem præcipitent & temperent, uti tamarindinata & ex roſis albis, aut violis parata, quo præcipue ſyrupos referebant: iterum immutarunt alii hanc methodum & pro urgente interno ardore demulcendo refrigerantia commiſcuerunt: Sydenhamius jubet illo loco ubi de cholera morbo agit, pullum gallinaceum cum magna aquæ copia decoquere & tale decoctum largius, aut affatim haurire; quem hauſtum ſive eluvionem intra tres vel quatuor horas perficere ordinat: alii decocta e ſpeciebus refrigerantibus, ut portulac. nymph. endiv. lactuc. ſemperviv. malv. hed. terreſtr. &c. parata, ordinant &c.

§. IX. Multum quidem conferunt diluentia, ſed quo magis ſimplicia ſunt, eo efficaciora exiſtunt: ordino itaque dilutiora mucilaginoſa & gelatinoſa, ut cremorem & decoctum hordei, aut avenæ, decoctum C. C. levisſime citratum; decoctum Cichorei, Scorzoner. hord. leviter paſſulatum; infuſa ſimpliciora ſive herb. Thee & veronicæ, ſive Coffee, modo dilutiora, neque valde ſaturata ſint: & quoniam ferme in omni febre carnoſa ſubjecta adeoque juſcula carnoſa patientes averſantur, ita prædicta pro hac functione ſatisfaciunt, niſi juſcula gallinacea valde diluta & aquoſa fuerint: licet etiam talibus recenſitis decoctis exiguam quantitatem vel Cort. Cinnam. vel Citr. aut aurant conjungere, imo proficit, quo ipſis aliquid Nitri immiſceatur: ſed cavendum eſt, ne hæc decocta & liquida vel nimis calida vel frigida offerantur, neve magnis hauſtibus ingerantur, ſed præſtat eadem ſorbillare, aut cochleatim, ſed repetito exhibere; ita non magna ſua quantitate, minus ſimultanee & immodice ab anxiis patientibus ingeſta, ventriculum nunc extreme ſenſibilem haud offendent, neque præſentes anguſtias augebunt: Haud vero pro diluenda bile cauſtica emulſiva aut lacticinia admitto, quia non modo facile in caſeoſam ſpisſitudinem degenerant & affectas partes magis angunt & offendunt, ſed & quia ſtimulum continuantis aceſcentis fermentationis ſubminiſtrant & propterea plurima ſymptomata augent.

§. X. Altera operatio in hac indicatione æque & rationalis & utilis eſt, quando videlicet bilis cauſtica cum alio congruo additamento obtunditur, debilitatur & commiſcetur, ne partes, quas contingit, ulterius cum corroſiva ſua acrimonia offendat: & quemadmodum alias acida corroſiva cum terris macris conjuncta & ſaporem & effectum corrodentem amittunt, ita in hac afflictione, ubi ad bilioſam ſaburram cauſticam immediatus acceſſus patet, terrea remedia eximiam utilitatem offerunt: neque neceſſe eſt ſcrupuloſe magiſteria ſeligere, cum ſimplicisſimæ terræ abſorbentes ſufficiant, modo non nimis craſſæ ſint: deinde abſtinendum etiam eſt a terreis ſubjectis, quæ adſtringentem

effe-

effectum poſt ſe reliquunt, ut ſunt terræ uſtæ, ſigillatæ, bolares & exoticæ diverſæ: ſufficiunt variæ partes ex animalibus marinis, quæ oſtracodermata vulgo dicuntur.

§. XI. Præſtat etiam quoad uſum talium abſorbentium cavere, ne juxta quorundam modum nimis prodiga & larga quantitate ſimul & ſemel exhibeantur, alias vehemens illa bilis ſubactio cum magna hac quantitate terrei remedii non modo graviſſimis cardialgiis excitandis quadrat, ſed & ad immodicas evacuationes, aut contra ad repentinas nimias bilis incraſſationes diſponit: quemadmodum etiam vicisſim omnis copioſus terreorum uſus in hac febre nocet, dum hanc billioſam ſaburram ita inſpiſſat, ut non facile abſtergi & evacuari queat, unde ſuperveniunt febres lentæ, aut febres corruptæ cum tertianario typo colludentes, vel hecticodeæ & ſi antea cauſtica bilis intrinſecus ſuperficialem arroſionem intulit, quæ neque abſterſa, neque reparata, ſed in ulcerationem ſuperficialem delapſa eſt, tunc paulo magis hectica Febris confirmatur: unde rectius abſorbentia talia remedia parca ſemper quantitate, ſed repetita vice, modo non excesſive exhiberi debent.

§. XII. Speciali utilitate ad bilis acrimoniam infringendam, imprimis in infantibus commendatur Cryſtallus Montana præparata, quæ propterea abſorbentium numero optimo jure inſeritur, cum omnino acida corroſiva cum eadem ſeſe conjungant: eximium proinde adminiculum pro tertia operatione, in hac indicatione proficua, præbet ſimplex Nitrum, quod acrem & ſubtilem materiam biliofam incraſſat, ubi ſub hac conſiſtentia mucida inducta, acrium ſubtilium particularum agilitatem involvit & coërcet, proinde vias affectas demulcet & irritatas aut cum ſuperficiali inflammatione affectas partes cum lubrica & refrigerante ſenſatione lenit atque mitigat, adeoque variis modis præſtantiſſimam & uberrimis exemplis comprobatam utilitatem affert: hinc hoc ſubjectum cum abſorbente remedio ſecure combinari & exhiberi poteſt; ubi vani illi ſunt metus & ab experientia alienæ perſvaſiones, quaſi Nitrum poſitive laxantem vim habeat, adeoque in hoc affectu partes affectas magis ſtimulet: commode itaque hoc nitrum in hac febre vel cum alio communi & ſimplici abſorbente, vel cum cryſtallo montana conjungitur & per initia in hac miſcela exhibetur, ſuccesſive vero ſub continuatione tum ardoris cholerici, tum æſtus febrilis aliquid de antimonio diaphoretico conjungi poteſt.

§. XIII. Et cum ejusmodi abſorbentibus & nitratis remediis congrua oblatione conjungantur diluentia, quæ eo magis ſalutarem materiæ peccantis involutionem promovent: habet etiam aliqualem efficaciam nitro ſimplici analogam, ſed non majorem, nitrum ſulphuratum, ſive in lapide prunellæ, ſive in antimoniato nitro: ſed cum ſimplex nitrum easdem virtutes habeat, non eſt

cur

cur hæc compoſita præferamus: neque denique vel ſalia digeſtiva amara, vel ſalia vegetabilia in hac febre pro hac indicatione neceſſaria ſunt; ſane enim repetito veritatem illam inculco, quod, quo ſimpliciora remedia ſunt, eo utiliora in hac febre exiſtunt: ſalia enim amara, efficacius detergentia in præſente afflictione non raro, loco ſperatæ utilitatis, incommoda pariunt & turbas dant.

§. XIV. Altera nunc excipit indicatio, ut videlicet evacuatio hujus materiæ, circa quam primario Febris hæc occupatur, quovis moderamine promoveatur: exulant vero hoc loco omnia emetica & cathartica, ſive ab initio, ſive alibi offerantur: neque etiam confert ita confidenter catotericam excretionem cum poſitivo ſtimulo inducere: etenim ſi natura ad internam exonerationem vergit, tunc vel mox ſua ſponte eo pervenit, vel cum nude leniente enemate eo invitari poteſt: optime tamen omnis excretio bilioſa ſine poſitivo ſtimulo adjuvatur & quidem, quando materia peccans cum ſufficienti vehiculo diluente ſubigitur & involvitur, quo loco infuſa moderate calida plus, quam ulla alia auxilia ſatisfaciunt: ad ſummum denique leni externa enchireſi ſive faucium titillatione & clyſteris uſu excretio hæc facilitanda eſt: judicio tamen opus eſt, ut artifex etiam diſcernat, quando natura ad catotericam evacuationem una contendit.

§. XV. Quoad tertiam indicationem Febri proſpiciendum eſt, quo illius motus & excretio rite tractetur: quod motus attinet, rariſſime quidem illi deficiunt, facilius contra excedunt, qui exceſſus propterea & præoccupari & emendari debet legitima evacuationum cholericarum directione & promotione, quæ quo difficilius & parcius procedunt, eo magis exardeſcit febris: deinde convenit regimen quietum atque tranquillum: porro continuanda ſunt remedia abſorbentia, vel ſimplicia, vel cum acidis ſaturata, nec non Nitrata; proſunt etiam decocta mucilaginoſa & tunc demum parcius acidulata, quando bilioſa impuritas evacuata eſt: evacuatio febrilis promovetur per diaphoretica fixa, ut antimonium diaphoret. cum pulveribus abſorbentibus mixta, per continuatum uſu decoctorum tepidorum, nec non per Mixturam ſimplicem, quæ vero non maturius exhibenda eſt, niſi ſaburra bilioſa ſufficienter excreta fuerit: alias tamen Decoctum ex Cichor. Scorzon. Apio, Scord. Veronic. chærefol. fl. chamom. ſimpl. & Papav. rhæad. cum tantillo Cort. Citri paratum convenit; neque male ejusmodi decocto aquæ temperatiores diaphoreticæ commiſcentur; quemadmodum potiones ex ejusmodi aquis & abſorbente remedio paratæ, pro hac indicatione conducunt.

§. XVI. Proximum eſt ut ſymptomatum rationem habeam, quorum varia etiam præſentem febrem affligunt; ſi mox per initia alvus occluſa fuerit, tunc enemata lenientia, oleoſa, emollientia & modeſte roborantia ordinan-

nanda ſunt, ſeponendo omnia interna ſtimulantia, quæ non modo copioſiorem bilis affuſionem cauſantur, ſed & ſuſpecto quodam impetu materiam bilioſam deorſum pellunt, variosque pravos effectus poſt ſe relinqvunt: ſi evacuationes bilis ſive emeticæ, ſive catharcticæ excedunt, præ vulgari opiatorum uſu commendo requiem corporis, non largam qualiumcunque remediorum ingeſtionem, pulvillos nitratos cum Corall. rubr. ppt. aut C. C. uſto mixtos, nec non Cort. Chaccarill. ad ſummum ſub prædictis decoctis tantillum theriacæ ſimplicis exhibere licet: proſunt etiam ab extra cataplasmata & emplaſtra moderate roborantia, quibus aliquid camphoræ & theriacæ combinare licet.

§. XVII. Et quanquam communis illa methodus ſit, in hac Febre ſymptomata per anodyna mitigare, tamen hæc opiata juxta vulgarem uſum magis pernicioſa ſunt: unde urgente magna cardialgia non alia adminicula conferunt, quam quæ ad materiæ præparationem & evacuationem antea commendata fuere: multum vero pro levanda hac cardialgia confert quietum regimen & parca remediorum ordinatio: pro ſiti anxia, clamoſa & urgente nihil magis convenit, quam bilis cauſticæ diluitio, involutio & temperatio, ſic internus ardor demulcetur: acida pro ſiti mitiganda nimis circumſpecte adhibenda ſunt, quia facilius ad morbi exacerbationem contribuunt: conferunt tamen in hac afflictione decocta mucilaginoſa moderate citrata.

§. XVIII. Lipothymiæ quæ nonnunquam in hac Febre occurrunt, cohærent cum cardialgiis acerbius affligentibus, unde pro iisdem peculiaris Therapia haud ordinanda eſt: etenim analeptica & nervina remedia non conducunt, quamdiu adhuc materia peccans bilioſa continetur, quare & hiſce animi deliquiis non melior medicina parari poteſt, niſi quæ bilioſæ materiæ congruam evacuationem facilitat: deinde conducunt decocta ſuperius commendata, modeſtius paſſulata & cum aquis temperatis analepticis mixta; urgens ardor in faucibus temperatur per decocta dilutiora lenientia mucilaginoſa, parcius nitrata, cavendo a vulgatis ſyrupis & communi acidorum uſu; Lingua proinde ſedulo a ſordibus eſt repurganda, ne faucibus nocumenta accidant: pro nimio virium defectu præter bonum regimen & adminicula hactenus ordinata, nihil ordino, niſi decoctum Scorzon. cum Cort. Citr. Cinnam. hord. excort. Herbæ ſcord. chæref. fl. Sambuc. chamom. ſimpl. aquis roſar. ceraſ. nigr. &c. mixtum; ab acrioribus nervinis ſedulo abſtinendum.

§. XIX. Ardor ſiccus cum intercurrentibus ſudoribus anxiis & frigidis non ſecurius tractatur, niſi cum bono regimine, cum modeſto uſu decoctorum tepidorum, lenientium, remiſſius analepticorum & diapnoicorum, nec non cum moderata frictione ſuperficiei corporis, interpoſitis remediis nitratis; Deliria, quæ in hac febre non infrequentia ſunt, leniantur cum clyſteribus, phœ-

 nigmis

nigmis moderatis, plantis pedum applicandis, cum juſta promotione evacuationum bilioſarum, cum regimine quieto & temperato, cum pulveribus & decoctis nitratis, cum frictionibus ſuperficiei corporis, cum cucurbitulis cæcis, dorſo applicandis ſi delirium permittit, abſtinendum vero eſt ab opiatis & calidis quibusvis remediis: Ita etiam narium Hæmorrhagiæ magis cum temperantibus & lenientibus, quam ſedantibus, refrigerantibus & adſtringentibus mitigari debent.

§. XX. Quando convulſivæ commotiones imminent, tunc ante omnia invigilandum eſt, quo excretio bilioſa rite ſuccedat, quo alvus ſit libera, aut cum enematibus lenientibus liberetur, quo deinde exhibeantur decocta diaphoretica & analeptica, quo interponantur pulveres nitrati cum Corall. rubr. & exiguis Spec. de Hyac. granis mixti, quo exhibeantur potiones ex aquis roſar. fl. Samb. tiliæ, Scabioſ. & analepticis quibusdam, additis oc. cancr. c. ſucc. Citr. Corall. rubr. ppt. Spec. de Hyacinth. In nimiis vigiliis præter hactenus ordinata & ad totius affectus indolem ſpectantia, imprimis vero regimen temperatum atque quietum, non alia tentanda ſunt: denique tum ad vigilias, tum ad acerbiores capitis dolores, epithemata domeſtica ſimpliciora commendo; opiata, adſtringentia & repellentia valde diſſvadeo.

§. XXI. Pro interna arroſione tum ventriculi, tum inteſtinorum demulcenda, lenienda & reparanda, non quidem multum valet ars medica, ſed ſi excretio bilis ſufficienter ſuccesſit, conveniunt decocta mucilaginoſa & gelatinoſa continuanda, combinanda cum Herb. Scord. chærefol. veronic. tantillo nitri & boli albi: providendo ne hujus abundans quantitas adjiciatur: ſi vero arroſio eſt in inteſtinis crasſis, tunc commendo clyſteres e juſculis gallinaceis, aut decoctis gelatinoſis, paratos, addita herb. ſcord. chæref. oleo ovorum; tantillo therebinth. ſimpl. venet. aut etiam nitri, quid quod ejusmodi clyſteri licet exiguam boli albi quantitatem admiſcere: abſtinendum vero eſt a Balſamicis exoticis, niſi circa exitum totius curæ exigua portio balſami de copaiva cum vitello ovi temperati, clyſmati prædicto conjungi queat.

§. XXII. Paucis adhuc hoc ordine notatu dignam illam cautelam inculco, ne præmature diaphoretica remedia ordinentur; propterea antea bilioſa excretio adjuvanda & promovenda eſt, alias ſi mox per initia alexipharmaca & communia diaphoretica obtruduntur, tunc præſens febris longe acerbior & immoderatior redditur, materia bilioſa intrinſecus gravius commovetur, largior bilis affuſio ad locum affectum urgetur, excretio vero bilis neceſſaria impeditur, cardialgia augetur, ardor ſub ſcrobiculo cordis vehementior redditur, ſuperveniunt deliria, ſudores frigidi, Lipothymiæ, æſtus aridus & anxius, magnæ inquietudines, colli tumores & inflammatoriæ afflictiones, imo

con-

convulſivæ commotiones: paulo mitiorem conſecutionem poſt præmaturum alexipharmacorum uſum conſtituunt metaſtaſis febrilis ad artus, ſub febre contingens, dolores ſpaſtici, affectus rhevmatici: interdum etiam accidunt affectus icterici cum acuto tamen febrili morbo ſtipati; nonnunquam ita corruptablioſa febris in lentam degenerat, quæ admodum ſenſibilis eſt, ut propterea facile deteriorationibus expoſita ſit, quin denique in ſuſpectos hypochondriacos, hepaticos aut plane hecticos affectus delabatur.

§. XXIII. Neque etiam in hac febre ſpiritus volatiles utilis & ſecuræ efficaciæ ſunt, neque acria alexipharmaca conferunt, quæ internam ſuperficialem arroſionem valde offendunt, ut propterea ardor internus revocetur & augeatur, cardialgiæ irritentur, æſtus febrilis fortior & immoderatior reddatur: unde potius in hac febre privativa, quam poſitiva diaphoretica conferunt: proinde etiam a præmaturo carminativorum uſu abſtinendum, quæ partes arroſas æque inique afficiunt & ardorem internum atque febrem exacerbant: peſſimi denique effectus in hac febre ſunt adſtringentia & febrifuga remedia.

§. XXIV. Sed quo affectus hic rite decurrat, præſtat circa exitum totius affectus cum rhabarbarino & paſſulato remedio inteſtina abſtergere, quo etiam Magneſiæ albæ uſus confert, ne bilioſæ quædam impuritates remaneant, præterea aliquandiu moderatus diaphoreſeos ſucceſſus conſervandus eſt & quidem hoc tempore cum Eſſentiis temperatiſſimis alexipharmacis, quid quod denique remedia roborantia & tonica ſubordinanda ſunt, unde vel cum Eſſentiis alexipharmacis Eſſentia gentian. rubr. abſinth. cent. min. meliſſ. cinnam. Cort. aurant. miſceri & offerri poſſunt, vel diætetica roborantia conveniunt, imprimis temperata juſcula vinoſa, e Cinnam. Macis, cort. Citr. parata, vel denique Tinctura quædam roborans, quando febris ceſſavit, exhibeatur, ſive Tinct. Mart. Tartar. ſive Mixtura e Spir. C. C. & Tinct. antim. Tartariſata: uti exigua grana Croci temperati martialis & ſpec. de Hyacinth. cum oc. cancr. c. acet. Citr. Corall. rubr. ppt. & Cinnam. acri conjuncta pro hac quinta indicatione ſemel per diem & quidem ante prandium oblata conferunt.

§. XXV. Ultimum ſupereſt, ut videlicet juſtum Regimen præſcribatur & congrua Præſervatio ordinetur: regimen in hac Febre accuratum requiritur, quod liberum ſit ab inquietudine, multa jectigatione & interna atque externa exæſtuatione; patienti concedatur potus ſufficiens, modo non largis hauſtibus ingeſtus: decubitus declivis febricitantibus talibus non admodum commodus eſt: formulæ remediourm ſicciores, ſpiſſiores & diffuſiores non conveniunt: ſudores impetuoſe provocati nocent; alimenta ne præmature obtrudantur & ſi patiens morbum ſuperavit, poſtea non niſi mollia alimenta neque nimis prodiga aut copioſa aſſumantur: alvus ſit conſtanter aper-

ta &c: præſervatio optime ſuccedit per animum tranquillum & ab iracundia alienum, per diætam diluentem & humectantem, per rhabarbarinorum & paſſulatorum repetitum uſum, nec non per abſorbentia interdum aſſumpta, per decocta domeſtica & per regularem diætam, ne ulla cauſa præbeatur, quæ copioſam bilis affuſionem & acrem conſermentationem invitat.

CAPUT VII.

DE

FEBRE EXQUISITE ARDENTE SIVE CAUSO.

§. I.

HActenus de mitiori febris cholericæ gradu dictum fuit, ſequitur nunc alter & quidem ſummus gradus quantum quidem unquam innotuit, quem propterea vulgo Cauſum & per excellentiam ardentem Febrem nuncupant, utpote in qua ſummus ardoris gradus obtingit, qui internas regiones affligit, ita ut patientes ſub cordis ſcrobiculo flammeum æſtum & ardentem calorem experiantur, propintereaque extreme anxii ſint, adeoque longe periculoſius hac ardentis ſpecie, quam priori laborent patientes, ut propterea ab Hippocrate hic morbus Lib. II. de Morb. πυρετὸς ὁ φονώδης appelletur: i. e. Febris lethifera, interficiens, occiſoria, ſive affectus θανατώδης mortiferus; aut rectius mortifero eventui ſimilis: eo, quia hoc morbo correpti, raro emergunt: & licet in hoc affectu febris non eo finaliter directa ſit, quod mortem inferat, tamen concurrentes primariæ circumſtantiæ ita comparatæ ſunt, ut febris hæc mortem fugare & avertere haud queat.

Conf. Stahlii Diſſ. de Febre Lethifera Hippocratis.

§. II. Quemadmodum hic Cauſus extremus Febris bilioſæ gradus eſt, hinc etiam circumſtantiæ ita comparatæ ſunt, ut extremam aliquam perniciem minentur; id contingit, cum in hoc cauſo deficiat illud adminiculum per quod affectus talis cholericus radicaliter curari poſſet: hoc vero nihil aliud eſt, quam tempeſtiva, conveniens atque ſufficiens bilis corroſivæ excretio; quæ cum in hac febre deficiat, undecunque etiam hoc contingat, ſive ob naturæ averſionem & tergiverſationem, ſive ob bilis tenuitatem & paucitatem, ſive ob illius ſubtilem diffuſionem per affecta loca, ſive ob impetuoſam ſpaſticam conſtrictionem

affe-

affectarum partium &c; ita acerrima illa bilis interea partes, in præcedenti tractatione nominatas, efficacius arrodit, ut ſenſibilis eryſipelacea inflammatio contumax accidat & febris ſatis valida, anxia & operoſa ſuperveniat, quæ rectius pro avertendo omni imminente periculo ſuſcipitur & continuatur: interea vero non modo hæc ſumme neceſſaria evacuatio deficit, ſed & alvina excretio utplurimum adſtricta & obſtructa eſt, atque retenta ſaburra bilioſa cauſtica in ſpisſiorem piceam conſiſtentiam tranſit, niſi ſerius denique & quaſi per ultimum naturæ conatum inutilis talis evacuatio ſuccedat, cum jam internum periculum haud facile averti queat.

§. III. Merentur itaque in hac Febre ſingularem attentionem 1) Naturæ humanæ vel averſio, vel aberratio, 2) bilioſæ materiæ ineptitudo & indiſpoſitio ad facilem excretionem 3) præceps hujus materiæ energia in partes organicas ſenſibiles 4) duplex periculoſus & implicatus actus, unus materiæ corrodens, alter naturæ per inflammationem & febrem, extremis viribus auctam, ſed ſub variis tergiverſationibus procedentem, reſiſtens 5) extremi motuum gradus, modo in defectu, modo in inopportuno ſucceſſu, modo in exceſſu peccantes; 6) partium quibuscum auxilia excipienda eſſent, ſumma afflictio & incapacitas, quo minus legitime aut facile remedia ad ſalutarem uſum & effectum dirigi queant, 7) dolorum & pathematum exacerbatio & multiplicatio, unde unum accidens alterum auget & exaggerat, adeoque totum affectus præſentis ſchema in perpetuo accremento conſiſtit: 8) præpoſtera occaſio, qua ad radicem mali acceſſus patet, quando ſerius demum bilis cauſticæ eliminatio ſuccedit, ubi nunc interna labes in tam extremo noxæ gradu conſtituta eſt, ut ſingulare Dei & naturæ opus ſit, quando febricitantes mortis periculum emergunt: interim Hippocratis medica obſervatio eſt, quando de tali febricitante l. c. dicit: *hic intra ſeptem dies, aut etiam prius moritur.*

§. IV. In medica præſentis Febris tractatione, neque aliæ indicationes obſervandæ & exercendæ ſunt, quam quæ in præcedente Febre propoſitæ & explicatæ proſtant, interea ſingularem attentionem meretur illa cura, quam Hippocrates in hoc morbo l. c. commendavit, quæ ita comparata eſt, ut facile quisquam perſpicere poſſit, quod Senex plus Expectationi, quam artis poteſtati tribuerit: etenim dum *refrigerantia ad viſcera & caput admovere, hordeum torrefactum una cum paleis bibendum exhibere, mulſam exinde conficere & dilutam propinare* jubet: dum præcipit quod *cibus non ſit offerendus, neque ſorbitio ante ſeptem dies, niſi patiens debilis videatur, qualis ſi ſit, ptiſanæ ſuccum frigidum, liquidum & paucum bis per diem exhibere, cui aquam ſuperbibere* ſvadet: pergit Senex: *at ubi ſeptimus dies præterierit & febris remiſerit, milium lambat, ſub veſperam cucurbita, & paucæ betæ exhibendæ, vinumque album aquoſum exhibendum*: ſed quid hæc

hæc omnia ad tam extreme periculoſum morbum! videtur hæc Senex commendaſſe, ne nihil egiſſe videatur & de reliquo eventum expectaſſe.

§. V. In cura vero hujus affectus diſſvadeo artificialem poſitivam evacuationem, neque cum emetico neque cum catharctico remedio ſuſcipiendam, quam omnes præſentes circumſtantiæ contraindicant, cum interna inflammatio ita repente exinde exacerbetur, ut præceps funeſtus eventus inſequatur; tanto minus vero ratio ſvadet, quo acerrima materia per inferiora deturbetur: & licet neceſſarium, imo ſalutare ſit, quo natura materiam peccantem tempeſtive eliminet, tamen eadem ad hanc evacuationem per communia qualiacunque evacuantia remedia non erit provocanda ne ſuſpectæ ſpaſticæ commotiones præſentibus inflammatoriis motibus ſuperveniant, neve præſentia damna augeantur & imminentia majora nocumenta accelerentur: & licet alvi oppresſio & obſtructio in hac Febre ſatis ſuſpecta ſit, tamen circa illius etiam lenem apertionem caute procedendum eſt, unde non niſi emollientes & lenientes clyſteres admitto.

§. VI. In quo itaque natura delinquit, dum ſpontanea activitate neceſſariam evacuationem non committit, in eo ars in tantum ſuccurrere debet & poteſt, ut, dum haud ſecurum ſit per inſtrumenta artificioſa excretionem urgere, pro materia peccante edomanda, infringenda & coercenda auxilia offerat, quo illa in energia ſua phyſica temperetur, ne corroſivum ſuum effectum vehementer continuet: fit hoc ex parte cum adminiculis diluentibus; quæ vero minime copioſis & ſimultaneis hauſtibus ingerenda ſunt, alias cum impetu modo ingeſta iterum evomuntur, quin denique exinde ita ſenſibilis redditur ventriculus, ut nihil retineat, quicquid etiam exhibetur, adeo ut vani & vacui conatus vomibundi continuent, qui non modo graviter patientem enervant, ſed & inflammationem internam valde exacerbant: quare circa diluentium uſum ſuperius annotatæ cautelæ obſervari debent, eapropter etiam Hippocrates non largum potum commendat, quem tamen Sydenhamius ordinat.

§. VII. In directa hujus Febris Therapia Celeb. Stahlius in diſputatione ſuperius nominata ſequentes indicationes commendat: 1) Materiæ acris correctionem: 2) inflammationis diſcusſionem & conjuncti ardoris mitigationem: 3) Febris compoſitionem & 4) factæ arroſionis reſtaurationem; Prima indicatio adminiſtratur per uſum convenientem abſorbentium, terreorum vel ſimplicium, vel cum acidis ſaturatorum ſubjectorum, quo Cryſtallus montana referenda eſt: cavendum vero iterum eſt, ne largis doſibus talia remedia offerantur, neve terræ uſtæ, bolares aut ſigillatæ, quæ communiter adſtringentes ſunt, ſeligantur.

§. VIII.

§. VIII. Pro altera indicatione efficax & ſecurum remedium eſt Nitrum; non loquor de famoſo ſpiritu nitri dulcii, ſed de nitro depurato, quod internum ardorem & ſimul conjunctam inflammationem lenit; licet in inflammationis diſcusſionem ars medica ſub præſentibus circumſtantiis nullum directum jus habeat, ſed totum negotium activitati & dexteritati naturæ relinqui debeat: & quod ſpecialem nitri uſum concernit, tunc illud pro majori ardoris gradu paululum majori quam uſitata quantitate exhiberi poteſt, ita ut ſingulis alternis horis exhibeatur pulvillus ex VIII. gr. Nitr. dep. VI. gr. abſorbentis remedii & iv gr. antim. diaph. paratus. proinde etiam pro eodem ſcopo convenit Lapis Prunellæ, qui cum abſorbentibus ſubjectis mixtus inflammatorium ardorem demulcet.

§. IX. Quod internæ arroſionis reparationem attinet, tunc eadem non præmature ſuſcipienda eſt, ſed tunc demum, quando materia peccans aut remota, aut ſufficienter temperata eſt: haud vero in hoc caſu mellita conducunt, ſed potius decocta diluta, mucilaginoſa e Cichor. Scorzon. hord. parata conveniunt, quibus aliquid ſcordii & chærefolii remiſcere licet: reliqvum naturæ energiæ relinquendum, quæ in graviori adhuc & quidem dyſenterica inteſtinorum arroſione hanc reparationem committit: Febris denique juſtus ſucceſſus cum regimine congruo adjuvandus; cavendo ne ulla impetuoſa commotio in maſſam ſangvinis introducatur: præſtant potius privativa, quam poſitiva diaphoretica ordinare: de reliquo tam ad præſentem affectum, quam illius ſymptomata illa auxilia conferenda ſunt, quæ in præcedente tractatione latius commendata proſtant.

§. X. Accidit interdum tam in Cauſo, quam in Febre Bilioſa, quando materia bilioſa evacuata & inflammatio diſcuſſa eſt, ut ſub declinatione & ultimo decurſu largi ſudores oriantur, qui nonnunquam medicum affligunt & angunt; ſed haud convenit eapropter ſtatim animum abjicere, aut trepidare, cum hi ſudores a famoſis colliquativis ſudationibus adhuc diſcrepent: neque vero propterea ſecurum eſt, ſi quisquam ſudores illos ſtatim opprimere & cohibere audeat: abſint itaque remedia adſtringentia & regimina atque medicamina vulgaria refrigerantia: præſtat rectius, ſi in patiente vel mediocriter vires adſunt, ſi appetitus redit, ſi ſubjecta iterum tranquille dormiunt, talem ſudorem cum continentia & moderamine tolerare, regimen quietum continuare & ab omni offenſione abſtinere, ſic interdum ſudor ille ſponte ceſſat; interea vero confert potum ſufficientem conjungere, & emulſiones analepticas interponere, proſpiciendo, ne error in diæta committatur: quodſi tamen ſponte ceſſare ſudor talis recuſaverit, interea in exceſſum degenerare advertatur, tunc convenit uſus nitratorum remediorum; coralliorum rubr. ppt. C. C. uſt. Spec. de Hyacinth.

aut

aut exigua quantitas Tincturæ Corallorum: cavendo ne cum ſenſibiliori & potentiori adſtrictionis effectu hic ſudor coërceatur.

CAPUT VIII.

DE

FEBRE CATARRHALI BENIGNA.

§. I.

ORdo me ducit ad Catarrhalis Benignæ Febris commendationem, quæ perinde ſymptomaticis Febribus annumerari meretur, eo quod præſentibus quibusdam catarrhis ſive capitis, ſive pectoris ſupervenit, eosdem comitatur & cum illis decurrit, ut ita catarrhus non ſit ex Febre, aut propter Febrem, ſed febris propter catarrhum progrediatur, qua mediante natura humana præſentis catarrhi, ſive majoris, ſive difficilioris, ſive ſenſibilioris decurſum & ſalutarem exitum facilitare & promovere laborat: meretur vero eo ipſo hæc febris, quam veteres græci phlegmaticam & a typo ſuo quotidianam continuam, arabes vicisſim eorumque interpretes Laticam vocarunt, curatiorem deductionem, quia in eadem perinde complicatus ſtatus occurrit, ac in præcedentibus quibusdam Febrium ſpeciebus annotatum fuit.

§. II. Eo ipſo iterum duplex principalis conſideratio in hujus Febris formali ratione occurrit, primo quod hæc Febris ſit pro Catarrho legitime abſolvendo & adjuvando, deinde quod hæc Febris pro ſe ipſa vigilare debeat, ne quicquam ſuboriatur, quod corpori noxam afferre poteſt: & ne hæ functiones confuſe ſuccedant, primarium requiſitum eſt, quo pars, cum catarrho affecta, debite liberetur; quod contingit, ſi materia catarrhalis ex eadem eliminetur; deindeque apoſpaſmata ſangvinis ſubtilia ſalino-ſulphurea, quæ ſub motu febrili genita fuere, opportune & convenienter evacuentur & ita ab omni latere corpus repurgetur atque priſtinæ integritati reſtituatur: duplex vero hic actus eo facilius atque citius quidem ad ſalutarem exitum pertingere poteſt, quo minor noxa in ſimplici catarrho adeſt.

§. III. Eſt itaque ſalutaris hujus Febris effectus, quo Catarrhum partim diſſolvat, partim fluxilem reddat, quo porro ad affectam partem ſufficientem humiditatem affundat & quo denique moderata diureſi atque diaphoreſi reliquam materiam reſiduam eliminet; quæ functiones facilius decurrunt, quo minus

minus Catarrhus quidam epidemica quadam lue laborat, aut valde acris exiſtit; alias dum ipſe hanc malignitatem induit, propterea etiam febris catarrhalis maligna euadit, de qua ſuo loco dicendum eſt: interim mitior indoles catarrhalis benignæ Febris in genere artificem ab operoſis & anxiis quibusdam tentaminibus præſervare poteſt, ſiquidem & rationi & experientiæ reſpondet, ut quo ſimplicius febris illa tractetur, eo melius, citius & ſecurius excurrat atque decurrat, cum contra arduæ operationes Therapevticæ, eandem magis implicent, acerbiorem reddant, conſequenti lentæ febri anſam præbeant, ad affectus aſthmaticos, œdematoſos, phlegmonodeos, inflammatorios, hecticos diſponant.

§. IV. Proinde reſpectus habendus eſt ſtatus plethorici in febricitantibus, aut prægreſſarum frequentiorum plethoræ commotionum, ubi communiter hæc Febris paulo acerbior & æſtuoſior evadit, quod quidem accidens cum ſimplici Febris ſtatu confundi haud debet: nec non circumſtantia illa bene conferenda eſt, quomodo ſæpe ordinariarum excretionum turbæ & oppreſſiones ad catarrhos diſponant, ita vicisſim facile colligere licet, quomodo earundem juſtæ revocationes & promotiones catarrhos illos multum ſublevent; quare diarrhoea in tali Febre occurſans ſi non excedit, nullum damnum affert, cum contra alvi ſegnities, aut actualis obſtructio communiter catarrho præjudicet; denique etiam annotatione digna eſt illa obſervatio, quomodo ſimpliciores catarrhi facile per immoderatas commotiones ita exacerbari queant, ut acutam & ſemi inflammatoriam indolem induant.

§. V. Quo itaque hæc Febris meliori & ſecuriori ſucceſſu tractetur, cavendum eſt 1) ab artificiali ſanguinis ſubtractione, quæ neque eſſentiæ Febris reſpondet, neque ob lenitatem illius pro accidentali plethoræ concurſu præſcindendo neceſſaria eſt 2) ab artificiali emetica evacuatione, quæ & catarrhum & Febrem valde commovet & confundit 3) a poſitiva purgatione, quæ mitiori febris indoli non quadrat, ſed alias ſuſpectas commotiones excitat 4) a quibuscunque impetuoſis commotionibus & immoderata atque audaci medendi methodo, quoniam lenis febris leni methodo obtemperat 5) a præmaturis ſudationibus artificialibus & ſpontanearum ſudationum perturbatione 6) a medicaminibus & regiminibus calefacientibus & impellentibus; ut & 7) vicisſim refrigerantibus 8) a prodigo abſorbentium remediorum uſu, qui ad lentas febriles conſecutiones diſponit, aut moleſtas vomibundas commotiones excitat: 9) a volatilium curatorio uſu 10) ab anti catarrhalibus vulgaribus acribus, concentratis & exoticis 11) ab opiatorum remediorum oblatione 12) ab adſtringentibus & febrifugis 13) a perturbatione ordinariarum evacuationum, imprimis alvinarum 14 a nimia commotione & impulſione catarrhorum, velut ab immoderato, aut incongruo ptarmicorum & bechicorum uſu 15) a paroxyſmo-

 ſmo-

ſuorum febrilium qualicunque perturbatione, aut exacerbatione 16) a nimis frequenti & variabili medicamentorum oblatione 17) a ſubtractione neceſſarii & ſufficientis potus 18) a cordialibus communibus acribus & ſimilibus aliis nervinis 19) a præmatura & catarrhi & Febris deſertione & denique 20) a nimis diuturna & ſollicita materiarum peccantium correctione & incurioſa evacuationum promotione.

§. VI. Poſitiva præſentis Febris Therapia hiſce indicationibus circumſcripta eſt 1) ut generalia urgentia obſtacula congrue & tempeſtive removeantur 2) ut catarrhi præſentis diſcuſſio & materiæ tam catarrhalis, quam febrilis præparatio adjuvetur 3) ut evacuatio tam catarrhalis, quam febrilis rite promoveatur & dirigatur 4) ut ſymptomata quædam urgentia & ſuſpecta conſectaria emendentur 5) ut Regimen & Præſervatio conveniens ordinetur.

§. VII. Ad generalia urgentia incommoda referri meretur alvi ſegnities, aut obſtructio occurſans, quæ ſicut in initio, ita etiam in toto decurſu hujus Febris adverſa eſt; haud vero confert alvum cum eximio ſtimulo irritare, unde potius lenis abſterſio & lenitio ſatisfacit: pertinent huc vel clyſter emolliens & leniter roborans, vel ſuppoſitorium lenisſime ſtimulans, ſed plus emolliens, vel uſus pilularum Stahlianarum, vel aliæ pilulæ ex extractis amaris, (omiſſa Fumaria,) Gum. ammon. bdell. exiguis aloës correctæ granis & exilisſima quantitate trochiſcorum de agarico; vel ſi mitior æſtus & vires patientis permittunt, exigua grana extracti Panchym. Crollii proſunt: a mercurialibus vero ſub hac febre abſtinendum eſt, niſi vel in primo initio, vel circa exitum febris in ſubjectis humidis temperata mercurii dulcis quantitas cum aliis mixta, concedi queat.

§. VIII. Alterum incommodum eſt, quando ex prægreſſo perverſo regimine & incongrua tempeſtate ſuperficies corporis rigide occluſa eſt, adeoque ſub febre difficilis progreſſus humorum per peripheriam corporis metuendus eſt, in qua afflictione convenit præter congruum regimen moderata frictio ſuperficiei cum linteis calidis & modeſtus uſus ſimplicium decoctorum tepidorum, quibuscum ingreſſus ſanguinis in hanc peripheriam corporis adjuvari debet: denique ad generalia hæc impedimenta pertinet, ſi ob prægreſſam malam & irregularem diætam multa ſaburra in ventriculo collecta eſt, quæ mox per initia hujus febris variis cardialgicis moleſtiis & ordinariarum evacuationum turbis anſam præbet, in qua afflictione in aptis ſubjectis mox in initiis, cum modeſta promotione, ſive interna, ſive externa, evacuationi huic ſuccurrendum eſt.

§. IX. Secunda indicatio occupata eſt circa catarrhi directorium, ubi illius diſcuſſio neceſſaria eſt & materiæ tam catarrhalis, quam febrilis præparatio

tio requiritur: hoc poſterius ſuccedit per remedia abſorbentia tam ſimplicia, quam cum acidis ſaturata, modica tamen quantitate exhibenda, quæ cum tantillo ſalis deterſivi & Nitri depurati mixta, tam proxime circa febris exacerbationem, quam repetito ſub hac commode exhiberi poſſunt: conveniunt etiam decocta e Cichor. Scorzon. Bardan. Liquir. Hb. Veron. Scord. Chæref. Tuſſilag. Cort. Citr. Cinnam. cryſtall. Tartar. parata: huc etiam ſpectant Decocta ex hordeo excort. e C. C. paſſulis &c. facta: quo pariter alias ſimplicior potus ſufficiens proficit: diſcusſionem vero catarrhi adjuvat uſus alexipharmacorum & Bezoardicorum temperatorum, quo imprimis Eſſentiæ enulæ, vincetox. Pimpin. alb. pertinent: non rejecta alia Tinctura temperata Bezoardica; ari eſſentia, temperata quantitate addita, non contemnendæ utilitatis exiſtit: e quo numero tamen ſaſſafrata & ſuccinata remedia in hoc catarrhali febrili affectu excludo, quæ in ſimplicioribus catarrhis plus proficiunt: hiſce diſcutientibus remediis annumero potiones ex aquis diapnoicis & antimon. diaph. paratas & talia remedia alexipharmaca & reſolventia præcipue antemeridianis horis conducunt, ubi febris remisſior exiſtit.

§. X. Præterea ſecundum tertiam indicationem cura adhibenda eſt, quo partim catarrhalis, partim febrilis excretio rite ſuccedat: quod priorem attinet, tunc catarrhus capitis, difficilius in coryzam deſinens, adjuvandus cum applicatione epithematum frontalium domeſticorum, aut aliorum, cum tantillo camphoræ mixtorum, abſtinendo abuſu repellentium, aut acrium cephalicorum: proficit etiam modeſtus odor ſalis volatilis oleoſi, cavendo, ne in uſu ejusmodi remedii exceſſus committatur, neve ſub æſtus acerbiori gradu tale ſubjectum adhibeatur, eapropter etiam non niſi lenisſima ptarmica concedi debent: quando vero catarrhus pectus detinet, neque expectoratio prompte ſuccedit, interea tamen mucida pectoris oppletio urget, tunc mitiora expectorantia cum prædictis decoctis offerenda ſunt; providendo ne talia luxurioſe exhibeantur, neve nuda emollientia ordinentur, quare parari poteſt decoctum hordei cum Veronica, chærefol. ſcord. tuſſilagine, fl. chamom. ſimp. enulæ, ſambuci, quibus addi poteſt liquiritia, ſyr. violar. & tantillum oxymelitis ſquillitici: hiſce expectorantibus interponi debent prædictæ Eſſentiæ reſolventes, quæ diſcuſſoria ſua qualitate ulteriorem affluxum detinent & ab intra catarrhum diſcutiunt.

§. XI. Proinde etiam febrilis excretio legitima promotione indiget, quæ ſi ſponte ſuccedat, nullo ſtimulo urgeri, ſed neque contrario regimine turbari debet; interea & remedio congruo atque ſecuro interdum adjuvari & regimine moderato facilitari poteſt: inter remedia conferunt in ſubjectis ſenſibilioribus & activioribus diaphoretica fixa, aut uſus moderatus mixturæ ſimplicis, nec non decocta tepida e Cichorio, Scorzon. & Scordio parata; in reliquis

vero conducit Eſſentia quædam alexipharmaca, aut Tinctura Bezoardica ab adſtringentibus & narcoticis remediis libera: qualia remedia non niſi illo tempore exhibenda ſunt, quando calor juxta paroxyſmorum variationes remittit, id quod matutinis horis evenit; deinde etiam diuretica evacuatio moderate promovenda, quod partim per potum ſufficientem, partim per pulveres nitratos cum tantillo ſalis digeſtivi mixtos, partim per prædictas eſſentias ſuccedit: cavendo ne incongruum regimen tam diaphoreticam, quam diureticam excretionem perturbet.

§. XII. Intercurrunt etiam nonnunquam ſymptomata, quæ pro reliquo Febris decurſu ominoſa exiſtunt, quibus propterea medela conveniens ordinanda eſt; quodſi itaque præter febris genuinam indolem major & vehementior æſtus concurrat, tunc neque communia refrigerantia remedia, neque regimen laxius concedendum eſt, præſtat rectius regimen quietum & temperatum ordinare, abſorbentia cum acidis imprægnata, aut pulveres nitratos & coralliatos exhibere, decocta mucilaginoſa & modeſtius acidulata præſcribere, nec non loco horum mixturæ ſimplicis uſum conferre, de reliquo vero potum ſufficientem ſubminiſtrare: a terreis uſtis, ſigillatis, bolaribus, foſſilibus, aut nimio acidorum uſu ſedulo abſtinendum eſt.

§. XIII. De Diarrhœa in præcedentibus dictum fuit, quod, ſi moderata fuerit, nihil damni afferat, ſi vero in exceſſum degenerare videtur, aliquo moderamine indigeat: imprimis cavendum eſt, ne diarrhoea talis ſubito cohibeatur, quare per initia pulveres nitratos & coralliatos ordino; proxime vero Eſſentias helenii, ari, caryophyllat. pimp. alb. gentian. rubr. extra caloris acerbiorem decurſum commendo, aut ſi neceſſitas poſtulaverit eſſentiis talibus Tincturam chaccarillæ commiſcendam laudo: uti pulvis e cort. chaccarillæ, ocul. cancr. c. acet. citr. & corall. rubr. ppt. paratus in hac neceſſitate conducit.

§. XIV. Alvus in hac Febre nunquam clauſa eſſe debet, unde in conſtanti moderato ſucceſſu conſervanda eſt: conferunt huc diluentia, nitrata, paſſulata, prunata, ut & pyra & poma cocta, modeſte ſaccharata & cum tantillo Cinnamomi mixta: nec non pilulæ leniſſime laxantes & abſtergentes, Magneſia alba, ſalia abſterſiva & digeſtiva: proſunt etiam clyſteres emollientes, ſi alvus rigide clauſa & obſtructa eſt: Quando porro in hac febre nimia tuſſis urget, tunc omiſſis prædominantibus acidis remediis, conferunt abſorbentia cum acidis imprægnata, pulveres nitrati, eſſentiæ prædictæ reſolventes, decocta mucilaginoſa cum temperata expectorantium quantitate mixta, ut & emulſiva ex aquis reſolventibus, imprimis vero veronicæ, ſcordii, foenicul. hyſſop. fl. ſambuc. ſcabioſæ, nucleis pingvibus, ſemine papav. alb. card. bened. Mariæ ac ſaccharo candiſato parata: Nimii capitis dolores mitigari poſſunt cum externis

cam-

camphoratis & temperatis reſolventibus epithematibus, quo regimen temperatum confert, quoniam multa inquietudo omnia ſymptomata febrilia exacerbat.

§. XV. Quod porro ſuſpectas conſecutiones attinet, quæ in hac Febre metuendæ ſunt, tunc contingit nonnunquam, ut febris illa, quando intra primum ſeptenarium non remittit, aut in ordinem juſtum redit, in lentum & quo diutius durat, denique in hecticum ſtatum degeneret; ſub quo metaſchematismo non conſultum eſt tam quoad prædictam methodum, quam quoad medicamenta variare; ſubinde cautela adhibenda eſt, ne remedia largiori quantitate exhibeantur, ubi præcipue a copioſo abſorbentium uſu abſtinendum eſt: interim in hac neceſſitate conducunt abſorbentia cum acidis maritata, Corallia rubr. ppt. antimon. diaphor. nec non modicus Nitri uſus: interponi poſſunt Eſſentiæ temperatiores alexipharmacæ, reſolventes & moderate diureticæ, excluſis potentioribus atque acrioribus: conducunt inſuper potiones ex aquis reſolventibus & diapnoicis paratæ, quibus modica quantitas vel abſorbentis, vel diaphoretici fixi remedii addi poteſt: volatilia vero, calefacientia & quæcunque alia potentioris efficaciæ ſunt, ſedulo evitari debent.

§. XVI. Denique regimen congruum præſcribendum eſt, quod in hac febre ab omni impetuoſa commotione alienum eſſe debet, quia tota indoles illius lenis & temperata exiſtit, unde calida regimina & catarrhum & Febrem exacerbant, moderatus calor & temperatus diaphoreſeos ſucceſſus optime huic febri competit; proinde a multo medicamentorum uſu abſtinendum eſt, adeoque ſimplici methodo hæc Febris tractari debet: præſervatur hæc febris ſufficienti & conſtanti alvi ſucceſſu, repetita moderata laxatione, juſta continuatione transpirationis inſenſibilis, bono regimine circa aëris intemperiem & talibus adminiculis, quæ ad præoccupandas catarrhales afflictiones in certis individuis ſeorſim conducunt, uti in quibusdam ſubjectis V. Snes opportunæ, in aliis moderatæ diaphoreſes conferunt.

CAPUT IX.
DE
FEBRE TERTIANA.

§. I.

Nunc ad illam Febris Speciem progredior, quæ tanquam Specimen motus & negotii febrilis, in genere conſiderandi, exiſtit & quæ propterea

 in

in Hiſtoria & ætiologia ſingulari attentione digna eſt, præprimis cum hæc febris perquam frequens eſſe deprehendatur, deinde quæ tot corruptionibus expoſita eſt, nec non quia multiplices ſpecioſæ methodi, promiſſiones & arcana vulgo proſtant, quæ huic Febri dicata ſunt, ut propterea eo major cura adhiberi debeat, quo talis methodus ſeligatur, quæ indoli febris magis reſpondeat, præcipue cum in vulgari Therapia multæ craſſæ Empiriæ occurrant, quæ in cæco Febriſugorum uſu præcipites & laborioſæ exiſtunt: quo adhuc illæ peſſimæ converſiones & transfigurationes aliorum morborum ſpectant, quæ vulgo ne quidem obſervantur, multo minus ad aliquam utilem applicationem transferuntur, ut e periculo denique quidam ſapere & hanc febrem e ſundamento curare diſcant.

Conf. Stahlii Diſp. de Febrium Specimine Tertiana.

§. II. Simplicior hujus Febris ſtatus ita comparatus eſt, ut præcipue ſaburra quædam, ex incongrua diæta collecta, lenta, viſcida, tenax, ſpiſſa, promptam & neceſſariam concoctionem impediens, e ventriculo, quem detinet eliminetur & dum cum concoctione chylificatio, ſangvificatio, ſecretio & excretio ordinaria conſentit, ita etiam redintegrata concoctione, reliquæ functiones naturales & vitales in juſtum ordinem revertuntur: in quo reſpectu iterum cura habenda eſt, quo antea materia peccans ſufficientem & convenientem mobilitatem nanciſcatur, quo non maturius impellatur, priusquam mobilis fuerit, quo evacuatio & tempeſtive & temperanter ſuccedat, quo ſimul reliquæ ordinariæ excretiones in congruum ordinem redeant & quo etiam in toto hoc actu Febri ſatisfiat, ita, ut illæ impuritates, quæ ſub febre oriuntur, etiam legitime & tempeſtive exterminentur.

§. III. Præſtat inſuper in hac Febre accidentales concurſus ab eſſentialibus conditionibus bene diſcernere; ubi nonnunquam evenit, ut in uno & altero ſubjecto in quo antea peccans talis materia in ventriculo collecta fuit, ſuperveniens repentina & ſenſibilis ordinariæ transpirationis ſuppresſio ultimum quaſi irritamentum naturæ ſit, quo hæc in febrilem motum exardeſcat, ubi deinde fruſtra quidam principalem hujus febris peccantem materiam in ſangvine & non in ventriculo quærunt, ita etiam nonnunquam in ſubjectis, hac Febre decumbentibus ſingularis Plethoræ gradus adeſt, qui ad majorem æſtum, quam qui febri competit, contribuit, proptereaque ipſum decurſum febris immoderatiorem reddit, ut interdum intermittens typus in continuum, aut plane acutum convertatur: eapropter quidem multum refert, hanc circumſtantiam annotare, ſed non cum eſſentiali & primaria febris ratione & conditione confundere, quæ notitia eo præcipue contribuit, quo hæc febris methodice & e genuino ſuo fundamento tractetur.

§. IV.

§. IV. Eximium adminiculum pro juſta tali methodo invenienda, ſubminiſtrat obſervatio ſpontaneæ Therapiæ, qua hæc Febris in diverſis tranquillis & moderatis ſubjectis a natura tractatur: ubi omnino refert annotare & deinde applicare & imitari ordinem naturæ ſimplicem, excretiones conſvetas, quibus natura utitur, ut & ſucceſſus atque eventus, qui talem ſpontaneam Curationem conſequuntur: cum vicisſim admodum anceps, mutilum & lubricum opus ſit, nudis experimentis fidem dare velle, ubi quandoque febris tertiana neſando modo per maxime periculoſa & pernicioſa aut plane venenoſa ſubjecta, vel alia temeraria experimenta profligata fuit, ut dehinc vel æquivoca, vel accidentalis talis curatio in alia imitatione & pluribus caſibus peſſimarum conſecutionum, aut maxime ſuſpectarum corruptionum cauſa facta ſit.

§. V. Proinde maxime a ſana ratione abludit, ſi in hac febre motus febriles tantum atro carbone notantur & poſthac omni auſteritate & rigore profligantur: inde innotuerunt illæ antipraxes, ut vel neglecta omni neceſſaria materiæ peccantis præparatione & evacuatione ſubito & temere motus febriles oppresſi, vel poſt præcipitatam, immaturam & inſufficientem evacuationem, quæ utplurimum cum magna vi provocatur, præmature illi neceſſarii & ſalutares motus cohibiti fuerint; unde aliter fieri non poteſt, quam ut ob gravem motuum perturbationem, ob materiæ peccantis occluſionem & retentionem & ob ſalutaris illius adminiculi fugam, per quod materia illa removeri debuerat, pernicioſa phænomena conſequantur, quæ totam œconomiam animalem eximie turbant atque deſtruunt: exinde vero facile eluceſcit, quam delicate hi motus febriles tractari debeant.

Conf. Stahlii Diſp. de Febribus intermittentibus turbatis atque corruptis.

§. VI. Præſtat inſuper prudenter judicare, quando hi motus ſuperflui ſunt & in pravam conſvetudinem degenerant, dum materia febrilis ſufficienter evacuata eſt, in quo ſtatu tunc motus illi, ut morbidi & inutiles compeſcendi ſunt, ne œconomiam vitalem turbent & patientes magis defatigent: ſicut vero in conſultum eſt præmature motus illos urgere & ad evacuationes cogere velle, ita pernicioſus ille metus eſt, quando iidem motus confeſtim pro ſuperfluis & morbidis declarantur: quo loco iterum prædicta circumſtantia inculcanda eſt, quod videlicet plethoræ concurſus febrem talem etiam longinquiorem reddat, qua circumſtantia præſente periculoſum vicisſim eſſet, ſi quis febrem talem ſubito coercere vellet, ubi vel acuti vel lenti febriles motus ſupervenirent, adeoque poſteriorem ſtatum longe magis implicarent & ſuſpectum redderent.

§. VII. Quidquod temerarium artificis opus eſſet, ſi in una vel altera functione, ad hanc febrem legitime ſpectante, natura ſua ſponte ſufficienter operetur, aut ad ſanitatem impetrandam cooperetur & artifex in eodem nego-

tio

tio adhuc illam cum impetu excitare, irritare & urgere vellet; hinc minime convenit evacuationes ſpontaneas per artificia augere; neque etiam aut rationale aut ſalutare eſt, impatienter & immoderate congruas tales excretiones ante juſtum tempus provocare & non expectare velle, an & in quantum in hoc negotio natura ſuo officio defungatur: quin potius tanquam principale requiſitum totius rationabilis & ſecuræ methodi commendari debet, quo excretiones & tempore atque ordine juſto & gradu atque copia ſufficienti decurrant, ne ex alia amethodia graves typi febrilis perverſiones atque corruptiones emergant.

§. VIII. Et cum hæc Febris ordinatos ſuos paroxyſmos habeat, qui ipſi cum præparatione & evacuatione materiæ febrilis occupati ſunt, ita maxima cautela opus eſt, ne dum natura circa præparationem occupata eſt, artifex evacuationem plane inconvenienti tempore urgeat, utpote quæ confuſa Therapia eo magis univerſum Febris typum invertit: hinc rectius palmarium requiſitum Therapiæ artificialis eſt, quo Therapiæ naturæ accommodata ſit, adeoque hanc ſublevet, facilitet & promoveat: præterea etiam artifex obſervare debet, quomodo ſubjecta febricitantia conſtituta ſint, quibus etiam quoad diverſas alias circumſtantias ſeſe accommodare debet, quando videlicet animo moroſiora, ſenſibiliora & contumaciora ſunt, quando irregulari vitæ generi dedita fuere, quando evemeta ſunt, quando olim aliis affectibus neque adſveta neque defatigata ſunt, quando in negotio digeſtionis & egeſtionis frequentioribus anomaliis & difficultatibus obnoxia fuere & ſi quæ aliæ individuales adhuc rationes intercurrunt.

§. IX. Quo frequentioribus perverſionibus hæc Febris expoſita eſt, eo major dexteritas & circumſpectio adhibenda eſt, ne talis offenſio inducatur; nocent itaque 1) præmaturæ & promiſcuæ emeſes artificiales: nocent etiam 2) poſitivæ & immoderatæ purgationes; 3) neque ad eſſentiam Febris quicquam contribuit Venæ Sectio 4) nocent quælibet præmaturæ evacuationes: 5) obſunt reliquarum ordinariarum evacuationum perturbationes, aut incongruæ & negligentes promotiones: 6) officiunt ſuſpecta præcipitantia, quæ incraſſantem aut adſtringentem, aut mixtum & contrarium effectum habent. 7) abſtinendum eſt ab abuſu abſorbentium, ut & 8) a terreis uſtis & valde mucilaginoſis: 9) nocent confuſæ remediorum oblationes contra febris ordinem pugnantes, 10) nocet præmaturus carminativorum uſus, aut quando in ſimplici tertiana ſub paroxyſmo frigoris calida & acria medicamenta exhibentur: 11) nocent præmaturi impulſus diaphoretici, aut 12) negligentiores atque confuſæ diaphoreſeos promotiones: 13) nocet communis Corticis Chin Chinæ uſus, aut 14) qualiscunque præmatura motuum febrilium ſuppresſio: 15) fugienda ſunt ſub febris

decurſu

decurſu communia narcotica: 16) abſint etiam acida, refrigerantia vulgaria & quæcunque alia ſingulares turbas primis viis inferunt: 17) nocent remedia tam ſpecie, quam copia multa ingeſta: 18) imprimis etiam nocet laxum & irregulare regimen tam quoad animum, quam quoad victum & potum: 19) nocent univerſalia & ſpecifica illa, quæ paſſim circumferuntur, imprimis in communi & promiſcuo ſuo uſu: 20) nocent negligentiores obſervationes, conciliationes & tractationes accidentalium concurſuum, cum febre hac ſeſe complicantium eandemque implicantium: 21) nocent communia illa experimenta, quæ vulgo a plebejis mulierculis circumferuntur & commendantur: 22) nocent qualescunque paroxysmorum febrilium exacerbationes: 23) prohibendus proinde merito eſt peſſimus ille mos, quando in hac Febre ſufficiens potus denegatur, ſub perſvaſione man ſtärcke das Fieber dadurch: 24) nocent nimiæ ſudationes, arte provocatæ: neque 25) ſecuræ ſunt curationes illæ magneticæ, archeales, ſympatheticæ, mumiales &c: denique nocent 26) nimis diuturnæ paroxysmorum febrilium continuationes & permiſſiones: reliquæ ſpecialiores cautelæ ſparſim occurrent.

§. X Poſitiva Febris tertianæ Therapia has indicationes involvit 1) ut materia febrilis convenienter & ſufficienter præparetur: 2) ut etiam legitime evacuetur: 3) ut accidentales concurſus rite tractentur: 4) ut incongruæ febris qualitates emendentur: 5) ut partes affectæ roborentur: & 6) ut regimen congruum atque apta Præſervatio commendentur: & in hoc ordine etiam hæ indicationes exercendæ ſunt, ita tamen, ut paroxyſmorum ſucceſſibus reſpondeant: & quoniam hæc febris chronica eſt, ita ſucceſſivæ, moderatæ præparationes atque evacuationes plus conveniunt, quam ſimultaneæ aut prodigæ, maxime enim in hac febre confert temperantia, nocet vero viciſſim audacia & immodeſtia.

§. XI. Præparatio materiæ in ventriculo hærentis, uti quidem ab ipſa natura intenditur & adjuvatur, ita ſimplici methodo ab artifice promovenda eſt: eſt vero conditio materiæ lenta, viſcida, tenax, ventriculum impaſtans & conglutinans; unde maturius evacuari non poteſt, niſi mollis, humida, lubrica & mobilis fuerit: hanc volubilitatem ipſi natura inducit per emollitionem & affuſionem ſufficientis humiditatis: ſicut vero humida tepida aut moderate calida ſubjecta tenaces muciditates magis emolliunt, ita ad materiæ febrilis præparationem nihil magis confert, quam uſus potulentorum tepidorum, aut calidorum ſufficiens, quo infuſa domeſtica calida refero: frigidus enim potus magis inſpiſſat præſentes viſciditates: pertinet huc cereviſia dilutior calida cum tantillo pingvedinis & ſeminis carvi mixta, ut ſimplex, attamen etiam ut ſalutare adminiculum: conferunt juſcula liquidiora, haud tamen mucilagino-

ſa: & hæc diluentia adminicula præcipue extra & ante paroxyſmum adhibita utilitatem ſuam promittunt: licet ſub frigoris paroxysmo moderata quantitate aſſumta perinde juvent.

§. XII. Deinde ad præparationem hujus materiæ etiam pharmacevtica quædam auxilia conveniunt, qualia ſunt incidentia, digeſtiva & deterſiva ſalia, ex acido vitrioli & terra alcalina parata, quorum variæ ſpecies diverſorum nominum proſtant: haud vero hoc nomine famoſum Sylvii Sal collaudo, quod præ ſalis communis effectu vix meliorem promittit, neque Sal ammoniacum plurimorum ſubjectorum ſenſibilitati, etiam mediocri, ſatisfacit; neque ſalia vegetabilia aliquam prærogativam tenent, quæ communiter ſalia ſpuria ſunt: neque hoc loco ſalia tartariſata commendo, quæ quia ſenſibilius afficiunt, abſtergunt & quadantenus alvum movent, die paroxysmi haud tanti uſus ſunt, ac die intermittente: unde reliqua ſalia neutra, enixa, ſive media dicta præfero: hæc cum nitro & exigua quantitate abſorbentis remedii mixta tum extra, tum proxime ante paroxyſmum conducunt: quemadmodum in contumaciori tertiana ſine alterius ſubjecti additamento, hæc ſalia digeſtiva ordinare ſoleo: in quibusdam caſibus abſorbentia cum acido combinata pro eodem ſcopo conferunt.

§. XIII. Quod vero alia reſolventia attinet, tunc eadem in hac Febre haud tantum ac prædicta adminicula conferunt, interim extra paroxysmum imprimis in formula decoctorum quadantenus conveniunt: ſunt talia amara & ſubtilius ſulphurea & ſalina alia, ut radices Cichor. Scorzon. apii, Bardan. helen. taraxac. ruſci, Herb. Scord. veronic. C. B. cent min. fumar. abſinth capill. ven. cuſcut. &c: uti etiam extra paxoxysmum & in die intermittente uſu diætetico conducunt rhaphanacea, naſturtium, armoracia, ſynapi, cepæ, piper, porrum: ita extracta amara pro eodem uſu ſatisfaciunt; præſtat vero inſuper ſufficientem humectationem conjungere; a ſpisſis enim formulis in hac febre ſedulo abſtinendum eſt: in ſubjectis phlegmaticis uſus piperis, zingiberis, galangæ & zedoariæ præ præſenti ſcopo concedendus eſt.

§. XIV. Secunda indicatio verſatur circa materiæ febrilis evacuationem; primaria excretio conſiſtit in proxima ventriculi repurgatione quæ per vomitum ſuccedit: altera excretio moderata diaphoreſi decurrit: cum priori in ordinario & legitimo febris ſucceſſu terminatur paroxyſmus frigoris, cum poſteriori vero, paroxyſmus caloris: in nonnullis ſubjectis diarrhoea occurrit & quidem in talibus, quæ alias laxioris alvi fuerunt, aut quæ ægrius vomitus experiuntur: optima methodus eſt, ſi lenisſimis & ſimplicisſimis auxiliis excretiones tales promoventur, quemadmodum longe melioris notæ & ſincerioris indolis exiſtit, ſi evacuationes tales ſua ſponte ſuccedunt: eapropter convenit

venit easdem adjuvare vel adminiculis diluentibus, vel regimine moderato & quieto; ubi tamen maxima cautela & cura obſervanda eſt, ne inconvenienti tempore tales excretiones urgeantur, aut promoveantur.

§. XV. Quando contingit, ut excretiones hæ non ſua ſponte oriantur, tunc ſub congruis circumſtantiis & tempore juſto eædem artificialibus auxiliis promoveri debent: quod enim vomitoria attinet, tunc illa minime tempore & die paroxysmi ordinanda ſunt, deinde moderatus ſtimulus ſatisfacit; denique ſubjecta requiruntur non valde ſenſibilia & tenera, non valde plethorica, neque ad diverſas anomalicas commotiones adſveta: ſi tale lene emeticum remedium locum haud invenerit, tunc intermittente die moderata alvina abſterſio ordinanda eſt, quo conveniunt Tartariſata remedia & ſalina alia e fontibus ſotericis parata, ſolubiliora & magis abſtergentia: in quibusdam ſubjectis conveniunt infuſa vinoſa reſolventia & laxantia, ubi ad ultimam claſſem ſpectant rhabarbarum, ſol. ſennæ, agaricus, aſarum.

§. XVI. Quod evacuationem diaphoreticam attinet, tunc notandum eſt, quod in ſubjectis plethoricis paulo largior ſudatio ſuccedere debeat, quæ vero magis per diluentia & moderata regimina, quam impellentia & poſitiva diaphoretica promoveri debet: etenim quando hæc ſufficiens diaphoreſis deficit, tunc febris intermittens vel in acutam exardescit, vel ad ſuſpectas recidivas & lentas conſecutiones diſponitur; interdum evenit, ut vel ſub bono regimine hæc excretio procedat, in quibusdam aptis ſubjectis adjuvari poteſt cum Tinctura temperata bezoardica, aut Eſſentia alexipharmaca, qualis exeunte paroxysmo caloris ſub moderato regimine diaphoretico ad exiguas guttulas exhibita ſatisfacit: in reliquis vero ſubjectis floridioris ſangvinis & activioris indolis ſepoſitis vulgatis diaphoreticis, vel infuſa calida ſimplicia & domeſtica, vel ſi multus æſtus præcesſit, Mixtura ſimplex conducunt.

§. XVII. Et quoniam hæc Febris per unicum diem intermittit, ita hoc intercalari die & primæ excretioni, nimirum repurgationi ventriculi & alteri evacuationi nimirum diaphoreſi ſubveniendum eſt: priori ſubvenit continuata materiæ peccantis præparatio, quando videlicet una vel altera hora poſt cœnam remedium incidens, abſtergens & digerens exhibetur; ita pro eodem præparante ſcopo extracta amara magis conferunt, quorum effectus alias, ſi in paroxysmum caloris incidit, magis æſtum auget & exacerbat: quando itaque tertiana febris majorem gradum frigoris continet, tunc eo magis præparantia talia remedia intermittente die ordinanda, quæ etiam vel ſola uſurpata ſine alterius remedii commixtione in tali circumſtantia conveniunt: non minus hoc die remedia tartariſata & ſalia fontium medicinalium conferunt: de reliquo eximiam adhuc incidentem & colliquantem qualitatem habet ſal mirabile, quod

prout magis ſolubile eſt, ita facilius cum materiis tenacibus congreditur, harumque viſciditatem diſſolvit & colliquat.

§. XVIII. Præterea commode & fructuoſe conſulitur repurgationi tum ventriculi, tum connexarum primarum viarum, quando intermittente die interdum vina medicata e reſolventibus & laxantibus remediis parata exhibentur: poſteriori vero, nimirum diaphoreticæ evacuationi, duplici ratione conſulitur, quando vel regimen moderate calidum intermedio hoc die continuatur, ut transſpiratio auctior ſuccedat, vel quando ad promovendam hanc majorem periphericam excretionem decocta ſive infuſa calida continuantur, aut Tinctura bezoardica mane & poſt meridiem exhibetur: proinde etiam Eſſentiæ reſolventes & moderate diureticæ hoc die conveniunt, quæ ſerum acre in maſſa ſangvinea, e paroxyſmo caloris reſiduum, per diureſin temperatam evacuant: quod ſi itaque in febre tertiana paroxyſmus caloris acerbior fuerit, tunc uſus talium eſſentiarum intermittente die continuatarum admodum proficit: cavendo, ne exceſſus tam cum alexipharmacis remediis, quam cum regimine calido committatur.

§. XIX. Tertia indicatio verſatur circa accidentales concurſus, qui nonnunquam typum tertianæ legitimum turbare ſolent: ex illis primo occurrit confluxus bilioſæ materiæ e prægreſſa iracundia ortus, qui ultimum interdum lapidem admovet, quo febris erumpat, quando jam ſub cineribus quaſi ardet & materia peccans in ventriculo adeſt, quare talis febris larvam bilioſæ febris induit, aut valde contumax evadit, aut compoſita redditur, qualis veteribus Hemitritæa dicta conſtat: hic concurſus ita emendandus eſt, ut ſub præparantium remediorum uſu abſorbentia, ſed juſta tamen quantitate, combinentur, quo præcipue terrea talia remedia cum acidis impregnata conferunt: deinde interpoſitis diebus nonnunquam bilis evacuatio promovenda eſt, partim per rhabarbarina auxilia, partim per magneſiam albam; providendo quo omnia placide & moderate ſuccedant: & cum humectantia & dilutiora hordeacea bilis involutioni inſerviant, ita hæc adminicula etiam in uſum trahenda ſunt.

§. XX. Aliud accidens, quod huic febri interdum conjungitur, eſt moleſtia quæ e plethorico ſtatu imminet, dum paroxyſmus caloris major & gravior evadit, febris eo ipſo magis immorigera redditur, aut plane in acutum typum propendet: in hac neceſſitate circumſpecte procedendum eſt, ita quidem ne ſub calore febrili regimina calida & medicamina alexipharmaca aut ſudorifera liberaliter adhibeantur: neque etiam ſecurum eſt in tali ſtatu proximius ſub paroxyſmo & ſub illo communia carminativa offerre, quæ ut calida, febrem magis exacerbant: haud tamen eapropter neceſſe eſſe duco, quo Venæ Sectio adminiſtretur, quoniam citra hanc hoc accidens dirigi poteſt: ni ple-

plethora valde turgeat & urgeat & ex nimia orgaſtica commotione ſangvinis acuta febris metuenda ſit, aut ubi antehac plethora talis actuali artificiali opera depleta fuit, vel ubi febris in tale tempus incidit, quo olim plethora moleſta imminuta fuit; ſub quibus circumſtantiis die intermittente Venæ Sectio admitti poteſt: quando vero hæc neceſſaria haud eſt, tunc pro mitigatione nimiæ commotionis febrilis atque æſtus ſub paroxysmo caloris vel pulveres nitrati, vel abſorbentes cum acido ſaturati & cum coralliis rubr. mixti, vel mixturæ ſimplicis uſus cum ſufficienti potu conveniunt.

§. XXI. Quoad quartam indicationem proſpiciendum inſuper eſt, ut irregularis Febris hujus ſucceſſus corrigatur: eſt vero principalis talis anomalia, quando motus & actus febrilis ultra ſuum terminum durat & nunc in habitum degenerat, dum excretio neceſſaria ſufficienter ſuccesſit; ſub hac circumſtantia demum febrifuga remedia ordinare & rationabile & ſecurum eſt: ſecus vero fit, quando ante ſufficientem evacuationem Febris ſupprimitur, aut quando cum impetu & immoderato ſtimulo, adeoque coacte, evacuationes provocatæ fuere & deinde æque ita coacte Febris cohibetur: quæ methodus nimis craſſa & immodeſta eſt, proptereaque naturam in ſua œconomia valde turbat & confundit: quando itaque ſecurum eſt febrem hanc cohibere, tunc convenit Crocus martis antimon. Stahlii, aut antimonium diaphoreticum martiale Ludovici, aut Crocus martis Cachecticus Zwelferi, cum abſorbente remedio & nitro remixta, ante paroxysmum offerenda; providendo quo ſufficiens, aſt non nimius potus concedatur; habet vero prædictus Crocus martis antim. Stahlii præ Chin china hoc commodum, quod eadem certitudine paroxysmum febrilem ſiſtat, ac hæc efficere ſolet, quod deinde efficaciam ſuam exſerat, cum ſubſequente vegetiori appetitu & quod denique illius uſum non tam ſuſpecta pathemata excipere ſoleant, quæ Chinchinæ oblationem conſequuntur, quo eximia alvi aliorumque viſcerum internorum ſtrictura, occluſio & offenſio ſpectat, licet gratis & ſine fundamento de famoſo illo cortice tradatur, quod congrue uſurpatus, alvum aperiat.

§. XXII. Proinde motus febrilis cohiberi poteſt per quælibet ferme adſtringentia, unde quidam exotico cortici, Fraxini corticem ſubſtituere volunt, licet vulgarium adſtringentium uſus eo minus ſecurus exiſtat: peſſime quidam cum alumine febrem ſupprimunt: licet vero in robuſtioribus ſubjectis congruo tempore Cortice chin chinæ uti, modo prodiga communis quantitas evitetur; convenit tamen ante paroxysmum eundem exhibere & præoccupare atque advertere, ne poſt illius uſum alvus obſtruatur: qualis exiccatio aut obſtructio ſi inſequi videatur, vel per digeſtiva & abſtergentia tartariſata, vel per laxantia & ſufficientis potus uſum reſeranda eſt, quo præcipue vina

 medi-

medicata, moderate evacuantia & reſolventia, nec non pilulæ Stahlianæ conducunt: Cum radice gentianæ rubræ ſecundum commendationem B. Ettmulleri in illo caſu nimis diuturnum paroxysmum febrilem cohibui, quando magna ventriculi & inteſtinorum atonia adfuit: ita in mitiori ſtatu & ſenſibilioribus ſubjectis cum cortice chaccarillæ febrem hanc cohibitam obſervavi: haud ſecure cum communibus narcoticis cohibitio hæc ſuccedit; interim pilulæ Wildeganſianæ ad unum vel duo grana veſperi ante diem febrilem exhibitæ, febrem hanc compeſcunt, ubi evenit, ut verſus tempus matutinum patiens cum euphoria & ſine ſubſequente alio incommodo ſudet; hinc paroxysmus febrilis ceſſat: quodſi vero harum pilularum uſum alia ſuſpecta pathemata excipiant, indicium eſt, quod eædem pilulæ non genuinæ ſint: quando febris hæc per ejusmodi remedia cohibita fuit, tunc præſtat proſpicere, quo alvus libera maneat & diureſis rite continuet, hinc ſubordinanda ſunt temperantia, abſtergentia, diluentia, conjuncto convenienti motu corporis.

§. XXIII. Quando Tertiana Febris præmature ſuppreſſa eſt, cujus circumſtantiæ varia ſigna quoad ſingulas functiones, maxime quoad excretiones, appetitum & operationes in primis regionibus, occurrunt, tunc non melius conſilium ſubminiſtrari poteſt, niſi ut febris revocetur & revocata ita denuo tractetur, prout hactenus indicatum fuit; ad revocandam hanc febrem præmature cohibitam varia probata & ſecura adminicula conſtant, maxime quidem genuinæ pilulæ Stahlianæ: deinde ad reſtituendam febrem, per corticem chin chinæ incongrue oppreſſam, conducunt Salia digeſtiva in ſimplici ſubſtantia oblata, nec non ſalia Tartariſata, imprimis vero moderata purgantia, quo conveniunt infuſa vinoſa e reſolventibus, diureticis, abſtergentibus & laxantibus parata, quibus commode agaricus addi poteſt: quando vero poſt Chin chinæ uſum alvus contumaciter obſtructa eſt & colica atque flatulenta pathemata inſequuntur, tunc primo loco alvus cum clyſtere emolliente & moderate roborante liberanda eſt & demum poſt aliquam moram infuſa talia evacuantia ordinanda ſunt: in ſubjectis robuſtioribus poteſt etiam per modeſtum uſum Spiritus Salis ammoniaci febris ſuppreſſa revocari; ſed hoc remedium requirit expertum & prudentem artificem; alias in ſubjectis in quibus diſpoſitio ad tumores œdematoſos adeſt, afflictio talis ſatis contumax & ſuſpecta, per Salium volatilium uſum acceleratur & promovetur: ubi effœminata & lepida eſt aſſertio, das Fieber ziehet ſich durch die Beine hinaus: conſultius eſſet, ſi e congruo loco egrediatur & diſcedat.

§. XXIV. Quando febrem tertianam præmature ſuppreſſam pathemata hypochondriaca, flatulenta, colica, cachectica, œdematoſa, alvi perturbationes &c. ſequuntur, tunc eximie conferunt pilulæ Stahlianæ, remedia ale-

xiphar-

xipharmaca, ut & ſtomachica, maxime amara, ut Centaurium minus, Carduus Benedictus, Fumaria, cum quibus moderata laxantia conjungenda & interponenda ſunt: quodſi febris hæc vel per inordinatam medendi methodum, vel per malum regimen patientis ita depravata fuerit, ut contumacius & ultra juſtum terminum continuet, tunc inſiſtendum eſt uſui remediorum incidentium digeſtivorum, quo impuritatum reliquiæ ſufficienter abſtergantur; deinde uſurpanda ſunt auxilia, ventriculum & reliquas primas regiones roborantia, imprimis amara, non neglecta radicula illa egregia Pimp. alb. quo adhuc enulæ radix pertinet, ſiquidem in ſubjectis temperatioribus Zedoariæ radix admittitur: qualia adminicula vel in vinis medicatis, vel in eſſentiis conferunt: abſtinendum tamen eſt a concentratis ſubjectis, oleis deſtillatis & remediis myrrhatis, crocatis & vulgaribus aloeticis.

§. XXV. Quando tertiana febris nimis refractaria exiſtit & diutius atque contumacius inſiſtit, tunc interdum in diebus intermittentibus infuſa vinoſa laxantia & roborantia exhibenda ſunt, quæ parari poſſunt e radicibus helen. ari, Pimp. alb. caryophyll. gentian. rubr. Zedoar. galang. acor. herb. amaris, ut & menthæ, rorismar. Cort. aurant. Citr. Cinnam. Winteran. Rhabarb. fol. Senn. polypod. agaric. ante paroxysmum exhibeantur præparantia & incidentia; exeunte toto paroxysmo offerenda eſt Eſſentia alexipharmaca: & ſi poſt repetitum digeſtivorum uſum febris in priſtina contumacia perſiſtere videtur, tunc ante paroxysmum febrilem exhibenda eſt doſis Eſſentiæ alexipharmacæ & ſtomachicæ, abſque tamen poſitivo regimine diaphoretico: providendo tantum ut patiens bona continentia, moderamine & tranquillitate utatur.

§. XXVI. Quodſi alias hæc Febris cum legitimo decurſu convenientem exitum nacta fuerit, tunc circa finem ordinanda eſt moderata laxatio, per infuſa vinoſa cum epicraſi efficacia perficienda, cavendo, ne poſitiva purgatione & ſenſibili primarum viarum ſtimulatione ſubjecta offendantur: deinde in illa febre tertiana, quæ a repentina inſenſibilis transſpirationis oppreſſione excitata fuit, eo cura dirigenda eſt, quo ſub congruo regimine atque moderamine & diaphoreſis & diureſis rite ſuccedat atque continuet; cavendo tamen, ne hæ evacuationes immodeſte exſtimulentur: quando denique febris hæc penitus ceſſavit, tunc ſubjecta illo præcipue die magis ſibi moderari debent, quo paroxysmi febriles antehac occurrerunt.

§. XXVII. Excipit nunc quinta indicatio, ut partes hactenus affectæ, tam ſub febre, quam quando illa ceſſavit, roborentur: ſub febre roboratio hæc in die intermittente perficienda eſt, quando præcipue excretiones præcurrerunt: haud tamen pro hac roboratione ſecuri uſus ſunt martialia, aut communia

nia adſtringentia, ſed conferunt ſtomachica, quorum in præcedentibus hactenus mentio facta fuit, quemadmodum ſub diæta eadem roboratio perpetrari poteſt: poſt febrem ſimilia adminicula conferunt, quo Eſſentiæ ſtomachicæ conveniunt: & hoc etiam tempore ſelecti & teneri croci martiales admitti poſſunt, quo adhuc Tartarum vitriolatum martialem cum cinnamomo mixtum refero: neque ſub diæta congruum aromatum uſum excludo: huc etiam ſpectat uſus vini boni & generoſi.

§. XXVIII. Denique ſequitur ordinatio boni regiminis, huic febri competentis, quod omnino exactum etiam eſſe debet, cum facile perverſum regimen hanc febrem graviter turbare ſoleat: regimen quod die paroxyſmi convenit, ita diſpoſitum eſſe debet, ne ante paroxyſmum cibi ingerantur, tanto minus ſolidi & craſſi, juſcula tamen dilutiora non nocent: neque proxime ante paroxyſmum multus potus aſſumi debet, tanto minus frigidus, qui non modo paroxyſmum frigoris accelerat, ſed & exacerbat, neque etiam ſub paroxyſmo vel prodigus, vel valde frigidus potus conducit, unde ſufficiens quidem & tepidus, aut moderate calidus, aſt non exceſſivus convenit: vini potus vel proxime ante paroxyſmum, vel ſub illo, in plethoricis & inſvetis non confert, neque etiam mox poſt paroxyſmum ingeſtus proficit, quia interdum paroxyſmum caloris denuo excitat: neque confeſtim poſt paroxyſmum cibus ingeri debet, ſed poſt moderatam demum moram cibus parcus, mollis & evpeptus concedendus eſt.

§. XXIX. In die intermittente ſervanda eſt diæta temperata, cibus ſit mollis & parcus, omnis enim venticuli oppletio & obſaturatio nocet, potus ſit neque refrigerans neque nimis ſpiſſus, aut fermenteſcens: nocent cereviſiæ dulces magis tamen conferunt amaricantes: proficit etiam vini potus & aromatum moderatus uſus: alvus conſervetur in conſtanti & juſto ſucceſſu: frigus internum & externum arceatur & magis moderatus calor continuetur: quantum circumſtantiæ permittunt, interdum motus corporis & moderatus labor ſuſcipiatur: a nimio calore & magna exæſtuatione tum ſub paroxyſmo, quam extra illum ſolicite abſtinendum eſt: maxime febrem hanc confundit multiplex & variabilis remediorum uſus, præcipue illorum plebejorum ſecretorum, ubi vix fœmina & muliercula occurrit, quæ neſciat arcanum contra tertianam: omnium denique rerum non naturalium uſus ſit ſelectus & moderatus.

§. XXX. Præſervationem quod attinet, tunc quædam ſubjecta ita ſenſibilia ſunt, ut quando ſemel Febrem hanc perpeſſa ſunt, impoſterum ex levi errore diætetico ad eandem Febrem diſponantur: neque etiam rara obſervatio eſt, quomodo poſt annuum recurſum eadem febris denuo invadat: in tali poſteriori caſu præſtat circa annuum illud tempus non modo exactum uſum

rerum

rerum non naturalium ſervare, ſed & cum moderatis abſtergentibus, reſolventibus & laxantibus ſuccurrere, quibus ſubjungenda ſunt & temperata alexipharmaca & moderata ſtomachica: quoad priorem circumſtantiam imprimis opera danda eſt, ne ullus exceſſus in victu committatur; unde ne quidem mollis cibus ad ſaturitatem ingerendus eſt, præſtat rectius moderamini ſtudere, ne ullus ſtimulus adjiciatur, qui primas regiones turbat: proinde tranſpiratio in congruo ſucceſſu conſervanda eſt, ne unquam opprimatur: denique præoccupandum eſt, ne neceſſarius ventriculi tonus unquam debilitetur: quare præſervatorie vinum generoſum, multum, acidulæ vero non tantum proficiunt: & ne Febris hæc ex bilis copioſiori profuſione irritamentum acquirat, expedit etiam quo animus tranquillus & ab iracundis commotionibus liber ſit: Motus denique corporis, peregrinatio, potus ſufficiens, balnea moderata perinde ad præſervationem hujus Febris conferunt.

§. XXXI. Brevibus adhuc & pro colophone indicabo in quantum vulgatis ſpecificis remediis in hac febre fides danda ſit: mox vero denoto, quod ad hanc febrem nulla talia ſpecifica remedia dentur, quæ radicem mali tollant, cum cauſa hujus febris ſpecifico & ſubitaneo quodam actu inverti, præparari & repente evacuari non posſit: & cum ex eſſentia ſpecificorum ita dictorum remediorum fluat, quod haud materiæ alterandæ & emendandæ, ſed motibus potius corrigendis quadrent, febrilis vero motus pro materia febrili ſucceſſive præparanda, ſequeſtranda & evacuanda abſolute neceſſarius ſit, ita tale ſpecificum antifebrile haud conſultæ & ſecuræ eſſet efficaciæ, quod relicto fomite motus tantum compeſceret: eapropter etiam communia febrifuga ſuſpectæ virtutis exiſtunt, dum frequentius illorum uſum febres lentæ, hecticæ, affectus hypochondriaci, afflictiones Hepatis, morbi oedematoſi, cachectici, hydropici, icterici, ſplenetici inſequuntur: & licet pasſim circumvolent ſpecifica talia diverſorum authorum, ut Helmontii, Mynſichti, Crollii, Kergeri, Timæi, Riverii, Strobelbergeri (quo aqua benedicta Rulandina pertinet, quæ tanquam univerſale febrifugum commendatur) &c. aut certe ſpecies remediorum ut gentiana, cortex Winteranus, Lignum colubrinum, Cortex Chin Chinæ, tamen quædam horum arcanorum, vel reſolvendo & colliquando materiam, vel evacuando, vel roborando partes, vel conſtringendo viſcera diverſo vero fato atque ſucceſſu operantur.

CAPUT X.

DE FEBRE QUARTANA.

§. I.

POſteaquam ſatis diſerte atque diffuſe Tertianæ Febris medicam tractationem explicaverim, nunc ad Quartanæ Febris Therapiam progredior, cui præcedens commendatio plurimum lucis affundet, ſiquidem utræque Febres admodum conveniunt, dum non modo intermittentis indolis, ſunt, ſed & quoad cauſam morbificam, ſive materiam peccantem perquam cohærent, ita ut etiam quoad affectas partes non exigua harmonia occurrat; ob id ferme eadem methodus in Quartanæ cura commendanda erit: quemadmodum vero Tertianæ cura exquiſitius propoſita fuit, ita in præſenti Febre brevitati ſtudere poſſum: maxime quidem in præſenti Febre noſſe convenit, quod paroxyſmi alio tempore invadant atque decurrant, quod cauſa morbifica intimius hæreat, neque ita immediatis acceſſibus pateat & quod propterea tota hæc Febris magis contumax, diuturna & refractaria exiſtat.

§. II. Ex eo mox colligere licet, quod haud ita facile atque expedite hæc Febris curari queat & quod propterea a ratione & poteſtate artis alienum ſit, quo febris hæc cito ſuperetur; unde non modo temerarium eſſet, ſi artifex ſubitaneam opem promitteret, imo periculoſum & pernicioſum eſſet, ſi cura cum impetu & incontinentia adminiſtraretur: quare longe magis genuinis circumſtantiis hujus febris quadrat, quo cura cum optimo moderamine perficiatur, ita tamen ut in ſubjuganda materia peccante conſtantia adhibeatur: quo magis contumax enim hæc Febris eſt, eo major conſtantia adhiberi debet in medendi methodo, ſed quo magis refractaria ipſa exiſtit, eo minus conſultum eſt, hanc impetuoſe aggredi: quapropter non niſi ſucceſſiva materiæ peccantis expugnatio in præſenti Therapia ſuſcipienda eſt.

§. III. Etenim hæc materia peccans communiter in primis regionibus hæret, ſed in quibusdam ſubjectis ſatis intime & tenaciter partes abdominis detinet, in quibus ſucceſſive ex diætæ erroribus colligitur, ſed eo ipſo tanto magis in refractaria ſua qualitate obfirmatur, unde evenit, ut quo magis Hepar ab hac materia oppleta eſt, eo certius atque citius e qualicunque vitio artis ſingularia pathemata in Hepar redundent, quod etiam de ſplene aliisque partibus va-

valet, quare tam multiplices, ſontici, intricati, refractarii & chronici morbi vel leviter turbatam quartanam febrem excipiunt, quæ obſervatio & animadverſio eo magis circumſpectionem in Therapia tenendam inculcat, quo magis in propria ſua indole contumax & immorigera hæc febris exiſtit: ſed cum nihilominus ſub implicato hoc ſtatu natura accuratos quosdam paroxysmos ſervare ſoleat, propterea eo major induſtria adhibenda eſt, quo ordo hic, in quo ſua ſponte natura huic affectui ſuccurrere laborat, bene obſervetur, neque ullo modo pervertatur.

§. IV. Eo magis hæc Febris contumax & refractaria exiſtit, quoniam ſub eadem utplurimum ordinariæ excretiones ſuppreſſæ ſunt, quæ alias eo inſervire deberent, quo loca affecta repurgari & materia peccans eliminari debeat, quare non modo cura adhibenda eſt, ut evacuationes illæ liberentur, ſed & quo ſuccesſive materia febrilis deinde eliminetur: perverſa vero illa methodus eſſet, qua excretiones febriles maturius urgentur, antequam materia excernenda mobilis reddita eſt: neque etiam ex illis ſpecialisſimis obſervationibus, ubi per fortiores evacuationes in hac febre ſalutaris quidam affectus impetratus fuit, regulæ conficiendæ ſunt, cum potius frequentior experientia teſtetur, quomodo immoderatæ evacuationes, non modo ægrius cum exoptato effectu ſucceſſerint, ſed & ipſam febrem contumaciorem reddiderint & in primis regionibus firmiores impaſtationes & occluſiones conciliaverint: tanto magis etiam in hac ſpecie febris occaſio patet, obſervandi & annotandi virtutes & promisſiones de ſpecioſis illis antifebrilibus, quæ eo certius confirmabunt, quam parum triviales opiniones in hac febre applicari queant.

§. V. In cura Quartanæ Febris eædem cautelæ practicæ valent, quæ in tertiana obſervandæ ſunt, quo vero illæ magis ad hanc ſpeciem intermittentis febris applicari queant, brevibus potiores repetam: 1) cavendum eſt ab omni incontinenti, immoderata, præcipitata & impetuoſa methodo medendi 2) a quibusvis evacuationibus fortioribus & cum ſenſibili ſtimulo provocatis: 3) maxime a communi emeticorum uſu quæ locum affectum non attingunt: 4) a præmaturis, aut nimis frequentibus evacuationibus, etiam lenioribus 5) a negligentiori præparatione materiæ febrilis 6) a frequenti abſorbentium uſu 7) ab uſtis, adſtringentibus, martialibus, communibus incraſſantibus & refrigerantibus remediis 8) a præmatura ordinatione carminativorum medicamentorum 9) ab evacuationibus per artem provocatis ſenſibilioribus, die paroxyſmi ſuſceptis 10) a remediis volatilibus & concentratis oleoſis 11) a vulgatis febrifugis remediis, quæ tanto magis in hac Febre noxam involvunt 12) a regimine anxio & æſtuoſo 13) a remediis vulgatis opiatis 14) a prodigis ſudationibus 15) a remediis mercurialibus 16) ut & a ſimplicioribus ſulphuratis 17) a medicamen-

tis acidis & dulcibus 18) a ſalivatione, quæ interdum adverſus quartanam commendata legitur 19) ab inſufficienti humorum & viarum humectatione 20) a nimis frequenti regiminum & remediorum variatione.

§. VI. In ſpeciali Febris Quartanæ Therapia hæ indicationes obſervandæ ſunt, 1) ut materia peccans ſucceſſive, efficaciter tamen atque ſufficienter præparetur: 2) ut ſucceſſive atque leniter evacuetur: 3) ut conſvetæ evacuationes in juſtum ordinem promoveantur: 4) ut partes affectæ roborentur: 5) ut corrupti motus atque ſucceſſus emendentur: 6) ut regimen idoneum & congrua præſervatio ordinetur: ſingulæ hæ indicationes cum maxima lenitate, patientia & conſtantia exercenda ſunt, quo ita natura ab hac ardua afflictione juſtis & ordinatis ſucceſſibus liberetur, neque magis obruatur & confundatur.

§. VII. Præparatio materiæ eadem methodo adminiſtranda eſt, qua in tertiana peccans materia ad excretionem diſponi debet: ſuccedit hoc triplici modo, videlicet per diluentia, incidentia & ſimul abſtergentia & denique per reſolventia: diluentia ſint ſimpliciora potulenta & infuſa calida, haud ſaturata; abſtinendo a decoctis mucilaginoſis, quæ facilius lentorem, intimius in primis regionibus hærentem, augent: ad incidentia & abſtergentia pertinent Salia communia digeſtiva, media ſic dicta amara & Tartariſata, quæ ita ſimpliciter aſſumta, eo efficacius abſtergunt atque colliquant: ex ejusmodi ſalibus vero illa præferri merentur, quæ in humiditatibus ſolubiliora ſunt, ut ſal mirabile Glauberi, ſal anglicanum, ſalia ex aquis mineralibus provenientia, ut Sal Egranum: hisce ſalinis remediis annumero ſalia vegetabilia, quæ vero haud meliorem, nedum quidem facile æqualem efficaciam habent.

§. VIII. Proinde etiam conveniunt reſolventia auxilia, tanto magis in ſubjectis temperatioribus & humidioribus, e quibus præcellunt radices ari, zingiberis, ſquillæ, Vincetoxici, Helenii, imperat: gentian. rubr. nec non herbæ amaræ, imprimis Fumaria, Centaur. min. & Cochlear. huc pertinet uſus diæteticus ſynapios, ceparum & ſimilium: & talia reſolventia remedia imprimis in liquida formula, ut in decoctis & infuſis vinoſis offerenda ſunt, ubi magis penetrant & ſimul diluunt: quodſi herbæ tales recentes ad manus fuerint, tunc ſuccus exinde expreſſus cum hauſtulo vini aſſumptus perquam confert: & hæc quidem reſolventia remedia maxime intermittentibus diebus uſurpanda ſunt, ſub quorum uſu ſufficiens corporis motus proficit, imprimis in quartanariis equitationem eximie proficuam deprehendi; quemadmodum aliæ modeſte ſuccuſſatoriæ corporis commotiones conferunt.

§. IX. Cum ejusmodi præparantibus remediis hæc methodus præcipue ſervanda eſt, ut in illo caſu efficaciora reſolventia & incidentia ſeligantur

tur

tur & ordinentur, ubi Febris in primis initiis conſtituta & a repentinis diætæ & regiminis vitiis contracta fuit: in reliqua quartanæ conditione, quando materia febrilis profundius & intimius deliteſcit & a ſucceſſivis animi & diætæ vitiis, nec non a prægreſſis iniquis aliorum morborum, qui in hypochondriis ſedem ſuam habuerunt, therapiis, febris hæc ortum traxit, a mitioribus præparantibus incipiendum & ſucceſſive ad efficaciora procedendum eſt: & hæc adminicula præparantia in intermittentibus diebus ſedulo & conſtanter ordinanda ſunt; quædam etiam illorum imprimis ſalina proxime circa paroxyſmum appropinquantem exhiberi debent; ſicut etiam ſub paroxyſmo potus ſufficiens, tenuis ac tepidus multum ad materiæ præparationem contribuit, uti viciſſim ſpiſſus & frigidus, magis incraſſationem illius adjuvat.

§. X. Altera indicatio ſucceſſivam peccantis materiæ evacuationem commendat, in cujus directorio hæc principalis cautela iterato inculcanda eſt, ne partim præmature, neve partim immodice excretio talis urgeatur: ob id præſtat prædicta præparantia remedia ſufficienter adhibere & poſt aliquam moram evacuationem ſuſcipere: haud vero ſecurum & ſalubre eſt, illis diebus, in quibus paroxyſmi incidunt, evacuationes tales provocare: neque ita directe huic febri vomitoria conſulunt, quoniam peccans materia non tam in ventriculo, quam in aliis primarum viarum tractibus & partibus latet: quando tamen contingit, ut adhuc ventriculus cum ſaburra quadam oneratus ſit, neque ſpontanea emeſis ſuccedat, coeterumque ſubjectum ad artificialem vomitum diſpoſitum fuerit, tunc vomitorii uſus non rejiciendus eſt; ſiquidem in aptis ſubjectis aſari radicem, quæ peculiari nota a B. Ettmullero commendatur, admitto; nec non ſquilla in ſubſtantia & vincetoxici radix, quam eandem etiam Ettmullerus laudat, ad vomitus provocationem & efficacem promotionem conducunt: utpote quæ ſpecies præter evacuantem, ſimul utilem colliquantem effectum exhibent.

§. XI. Paulo magis in hac Febre conferunt evacuationes alvinæ, perinde vero moderatæ, quæ præparantibus auxiliis ſubordinari debent: eximiam utilitatem habent infuſa vinoſa, paranda, e rad. helen. angelic. vincetox. caryophyllat. ari, ariſtoloch. carlin. galang. gent. rubr. Zingib. Zedoar. Herb. Fumar. Cochlear. C. B. Cent. min. abſinth. abrot. Capill. ven. Epithim. Cuſcut. marrub. alb. ſcolopendr. roriſmar. &c. addendo Folia Sennæ, aſarum, fibr. helleb. nigr. polypodium, agaricum & Sal aut arcanum Tartari: conveniunt etiam pilulæ ex extractis amaris, Gummi ammoniaco, Galbano &c. extracto Panchymag. Croll. hellebor. nigr. trochiſc. Alhand. trochiſc. de agarico paratæ: proſunt laxantia tartariſata, ſpiritus de tribus, ſal anglicanum & ſimilia abſtergentia; ſcammoniata, quæ quidem vulgo a practicis in quartana com-

mendantur, cum modeſtia uſurpanda ſunt; neque etiam colocynthiacis remediis facile fides danda eſt, quoniam nimis potenter operantur: multum denique mitiorem ſucceſſum alvinæ evacuationis promovent diluentia & humectantia.

§. XII. Quando hæc evacuatio, febri maxime competens, adminiſtrari debet & quidem extra paroxyſmum, tunc cura habenda eſt, quo in die paroxysmi aliqualis evacuatio placide & ſine magna commotione ſuccedat: præſtat itaque quo exeunte paroxysmo caloris diaphoreſis quadantenus procedat, quæ communiter in contumaci hac febre deficere ſolet: hæc ipſa adjuvanda eſt per diluentia, per decocta temperanter calida & per Eſſentiam alexipharmacam; quo nonnunquam frictiones ſuperficiei corporis conferunt: & quo ſucceſſive hæc excretio invitetur, non inutile erit, ſi extra paroxyſmi diem patientes, quantum fieri poteſt, labores ſuſcipiant; neque contemnendus plane uſus eſt Balneorum in quartana diebus intermittentibus interdum ordinandus, quo diaphoreſis, diureſis & alvus moderate promoveantur.

§. XIII. Et hæc ipſa etiam auxilia conducunt quoad tertiam indicationem, ut videlicet ordinariæ evacuationes in ordinem juſtum promoveantur & in eodem conſerventur: quamdiu enim alvus contumaciter reſiſtit, tam diu febris ſucceſſus adhuc ſuſpectus eſt; neque æque neceſſe eſt, quo alvus ſemper per pharmaca provocetur, quin conſulto interponuntur diætetica, lenientia, prunata, paſſulata, humectantia; ſicut interdum paſſulæ laxativæ conveniunt, conjungantur diætetica, abſtergentia, e naſturtio, armoracia, raphano, cochlearia, ſynapi, cichorio, petroſelino, aſparago &c. quæ excretiones adjuvant & facilitant: confert ſufficiens potus magis tepidus quam frigidus, quo nonnunquam decocta domeſtica referenda ſunt, quæ & diaphoreſin & diureſin promovent: denique pediluvia, inſeſſus & motus corporis, maxime equitatio, conſuetas evacuationes in ordinem juſtum ducere adjuvant.

§. XIV. Quarta indicatio conſiſtit in juſta emendatione corruptorum motuum atque progreſſuum hujus Febris: quando itaque hæc Febris ultra juſtum ſuum terminum continuat & ex conſvetudine perennat, dum evacuationes ſufficienter præceſſerunt, interea & appetitus & vires & ſomnus & animi tranquillitas atque alacritas in aliqualem ordinem redierunt, præcedens morbidus conſpectus in vividum & naturalem mutatur, alvus iterum libere aperitur & expeditur, caput denuo priſtina integritate frui incipit, interea poſt duos intermittentes dies circa conſvetas paroxysmorum horas pathemata febrilia ingruunt, tunc licet & convenit motus febriles modeſte cohibere: haud tamen conſultum eſt eosdem ſimul & ſemel ſupprimere; ſecurius eſt, ſi vel ſponte ſucceſſive imminuuntur, vel per artem ſucceſſive mitigantur: huc quadrant illa

febri-

ſebriſuga, quorum in Febre Tertiana mentio facta fuit: præſtat propterea matutinis horis Eſſentiam aliquam carminativam & aliquot horis ante paroxyſmum ingruentem, ſecurum aliquod febriſugum remedium exhibere.

§. XV. Quando ob Febris Quartanæ irregularem ſucceſſum, aut adſtringentinm remediorum ſiniſtrum uſum œdematoſi quidam tumores ingruunt, tunc mature ſuccurrendum eſt & quidem per ſalium digeſtivorum repetitum uſum, nec non per pilulas Balſamicas Stahlianas, aut per infuſa vinoſa laxantia, moderate diuretica & roborantia, maxima tamen cum cautela, vigilantia & dexteritate ejusmodi tumores œdematoſos præoccupare convenit, quoniam valde ſuſpectæ indolis ſunt: quodſi etiam in hac febre paroxyſmus caloris acerbior fuerit, tunc ſub æſtu nitrata remedia offerenda ſunt; exeunte tali paroxyſmo præter bonum regimen cum temperatis Bezoardicis auxiliis proſpicere convenit, quo diaphoreſis moderate ſuccedat: & cum quartana febris eadem qualitate prædita eſſe obſervetur, ut poſt annuum decurſum denuo facile invadat, hinc eadem methodus ad annuam talem febris recurſionem præoccupandam conducit, quæ in Tertiana Febre commendata fuit.

§. XVI. Secundum quintam indicationem partium roborationi opera danda eſt & hæc vel ſub febris decurſu, vel ſub exitu illius, imo quando eadem penitus ceſſavit, locum invenit: conveniunt itaque roborante hoc effectu amara remedia, nec non radices helenii, ari, caryophyllatæ, gentian. rubr. galang. zingib. herb. menth. meliſſ. cent. min. abrotan. rorismar. puleg. thym. lavendul. &c: quando Febris ceſſavit conducit Tartarus vitriolatus martialis, antimon. diaphor mart. Ludovic. Tinct. mart. tartariſata cum Liqv. Terræ fol. Tartari, huc conducunt vinum & juſcula inde parata; zingiber conditum: ſub quorum uſu ſedulo providendum eſt, quo alvus libere procedat; neque concentrata talia carminativa conveniunt, cum ſecurius ſit, ſucceſſive talem roborationem commiſiſſe.

§. XVII. Quod denique regimen concernit, tunc in Quartana eximium auxilium affert, motus corporis, maxime equitatio moderata, exercitatio corporis, labor, peregrinatio: interdum modeſtus uſus Balneorum confert: diæta ſit mollis, tenuis, parca, humida: a frigido victu & potu abſtinendum eſt: acida evitentur & quæcunque primas vias turbant arceantur; aer ſeligatur temperatus & ſerenus, nocet enim frigidus, humidus, turbulentus & nebuloſus: moderatus calor adhibeatur: animus ab iracundia liber ſit, potus ſit tenuis, aſt ſufficiens; proſunt decocta calida: quæ præcepta, ſi extra hanc Febrem ſedulo obſervantur, habebunt etiam illam utilitatem, quo ab hac Febre præſervent.

CAPUT

CAPUT XI.

DE

INTERMITTENTE COMPOSITA.

§. I.

PRoximum eſt ut Intermittentium Compoſitarum mentionem injiciam, quæ complicatio tam in Tertiana, quam Quartana obſervatur & diverſo modo ſeſe ſiſtit: communiter tertiana compoſita illa eſt, quæ quidem paroxysmos ſuos & frigoris & caloris ſervat, ſed quæ cum caloris paroxysmo paululum quidem & ſucceſſive remittente, ſed non intermittente durat in alterum diem, donec denuo paroxysmus frigoris inſequatur & eundem decurſum ſervet: alias etiam datur teriana compoſita, quæ indies ſuos paroxysmos, ſed & indies ſuas intermiſſiones habet; interim ratione invaſionis & decurſus primus & tertius, ſecundus & quartus paroxysmus conveniunt: qualis febris duplicata, ſed ſimul quotidiana & compoſita exiſtit. proinde etiam dantur intermittentes quotidie duplicatæ, quales febres ſeſe nonnunquam ſub larva Epidemicarum interdum etiam benignarum, ſed ſporadicarum ſiſtunt.

§. II. Quo magis tales Febres intermittentes a juſto ſuo typo recedunt eo contumaciores exiſtunt, ſed & eo ipſo facilius in perfecte acutam indolem degenerant & quidem in ſubjectis plethoricis, aut quando regimina & medicamina calida ordinantur: maxime vero in tali compoſita febre advertere convenit, quomodo vel copioſior bilis affuſio in primas regiones, vel gravis plethoræ commotio, vel ſeri ſubtilioris orgaſtici copioſior collectio in humoribus, vel accidentalis concurſus repentinæ ſuppreſſionis tranſpirationis inſenſibilis hanc febrem cauſetur; ubi adhuc duplex illa circumſtantia conferenda eſt, quando vel ipſa ſubjecta ægrotantia in actionibus moralibus & reliquis vitalibus immorigera & inordinata ſunt, vel quando in initiis ſimplicium intermittentium incongruæ medicationes adhibentur, quæ totum reliqum typum pervertunt; ſecundum has itaque cauſas therapia rationalis inſtruenda eſt.

§. III. Multum itaque refert obſervare an aliorum affectuum concurſus Intermittentem Febrem in ſimplici ſuo typo alterent & in compoſitum convertant, quibus morborum complicationibus cum ſpeciali Therapiæ ſuæ directione & applicatione obviam ire debet artifex: imprimis ratio habenda eſt concurrentis & urgentis plethoræ, ut & conſpirantis ſpiſſitudinis ſangvinis, nec

non

non colludentium pathematum hypochondriacorum; præter antea nominatas circumſtantias: haud vero ſuperflue, aut ſuperficiarie repeto, quod animus incompoſitus, ſed turbulentus & incontinens ad compoſitas & inordinatas intermittentes Febres contribuat, in quo paſſu eo major circumſpectio neceſſaria eſt, quo minus per incongruas medicationes febris talis in acutam conjiciatur, uti vicisſim complicata talis Febris mitiori methodo in ſimpliciorem typum converti poteſt: illud adhuc in genere notandum eſt, quod hæ Febres ſint valde ſenſiles & mobiles proptereaque cum lenitate & prudentia tractari velint.

§. IV. Ne itaque in hujus Febris cura error committatur, cavendum eſt 1) a vomitu artificioſe provocato: 2) a poſitiva purgatione & primarum regionum ſtimulatione 3) a negligentiori evacuationum promotione, 4) a remediis calefacientibus & impellentibus: 5) a præmatura diaphoreſeos concitatione: 6) ab impetuoſis diaphoreſibus: 7) a copioſo terreorum uſu. 8) ab adſtringentibus & communibus febrifugis: 9) a narcoticis remediis: 10) a præmaturo & immodico carminativorum uſu: 11) a confuſa evacuationum concitatione: 12) a concurrentis plethoræ gravi commotione: 13) ab interrupta diaphoreſi: 14) a regimine vel nimis æſtuoſo, vel nimis frigido 15) a nimis copioſa & multiplicata remediorum ordinatione: 16) a ſymptomatum febrilium nuda profligatione 17) a communi uſu arcanorum febrifugorum experimentorum & denique 18) a præmatura motuum febrilium oppresſione.

§. V. In poſitiva Cura antea providendum eſt, ne alvus clauſa & adſtricta ſit, unde potius cum lenientibus, ſalinis abſtergentibus, Rhabarbarinis & Tamarindinatis aperienda & liberanda eſt, cavendo ne ſtimulantia exhibeantur, maxime rhabarbarina remedia conveniunt, quando birioſa quædam complicatio in hac febre obſervatur, quæ ratione ordinationis indoli febris ita accommodanda ſunt, ne ſub febrili decurſu operentur: & hac ratione vel Rhabarbarum in ſubſtantia, vel infuſum rhabarbarinum cum ſpeciebus reſolventibus & roborantibus mixtum, cui aliquid arcani tartari combinari poteſt, convenit; neque male talis moderata laxatio repetitur: cavendum etiam eſt, ne ejusmodi vino medicato acriores ſpecies conjungantur, quia hæc febris perquam leniter & continenter tractari debet.

§. VI. Deinde talis Febris quaſi acuta tractanda eſt, ita ut ante & ſub paroxysmum offerantur remedia temperantia & præparantia, velut pulveres Nitrati, e pauca abſorbentis remedii quantitate, antimonio diaphoretico & Nitro depur. parandi, quibus interdum aliquid de ſale digeſtivo miſceri poteſt: multa terrea remedia & craſſa abſorbentia non approbo; tanto minus talia, quæ ſimul adſtringentem qualitatem habent: confert etiam temperante & abſtergente uſu Nitrum antimoniatum & lapis prunellæ, rectius vero digeſtiva amara ſa-

 lia

lia moderatis & ſuccesſivis, quam prodigis & ſimultaneis oblationibus commendanda ſunt: quod ſi etiam in tali febre ſtatus bilioſus fuerit, tunc conjungi poſſunt abſorbentia cum acidis imprægnata, Cryſtallus montana & Corallia rubr. ppta.

§. VII. Quando in quolibet paroxysmo æſtus remittere videtur, tunc cum continentia corporis & quiete moderata diaphoreſis promovenda eſt, hæc enim nunquam deficere, neque tamen propterea immoderate impelli, ſed cum lenitate invitari debet: in quibusdam ſubjectis præſtat illo tempore cum modeſto ſtimulo alexipharmaco hanc diaphoreſin facilitare, ſeligendæ vero ſunt Eſſentiæ temperatiores reſolventes ut Caryophyllat. vincetox. pimp. alb. helen. quemadmodum in ſubjectis floridioribus Mixturæ ſimplicis uſus temperatus non incongruus eſt: quodſi etiam æſtus intenſior metum imminentis acutæ febris incutiat, tunc invigilandum eſt, ut non modo diaphoreſes placide & ſufficienter ſuccedant, ſed & ut regimen tranquillum & temperatum ſervetur, ſub æſtu vero tam nitrata, quam abſorbentia cum acidis maritata & ipſa acidulata remedia adhibeantur; quibuscum potus ſufficiens conjungi debet, quo motus febrilis juſto ordine decurrat.

§. VIII. Conferunt ſubinde ſub paroxysmo caloris Iulapia, quibus aquæ temperatæ diapnoicæ & analepticæ, nec non acidulata remedia jungi poſſunt; quando æſtus miteſcit & diaphoreſis ſucceſſit, tunc interdum pilulæ balſamicæ Stahlianæ, interdum etiam moderatæ laxationes inſtituendæ ſunt; ubi artificis judicio opus, quo juſtum tempus & congruæ circumſtantiæ ſeligantur: quando etiam aliquoties neceſſariæ excretiones ſucceſſerunt, tunc roborantia & temperata ſtomachica remedia ordinanda & conjungenda ſunt; haud vero ſecurum eſt hanc febrem cum adſtringentibus fugare: aſt quando ſua ſponte ceſſavit, tunc poſtea per aliquot dies alexipharmaca remedia ſub moderato regimine continuanda ſunt, quo aliquandiu temperata diaphoreſis perennet: alias contingit, ut poſt negligentius regimen hæc febris ſuſpecte recidivet, id quod tamen hoc adminiculo præoccupari poteſt; ſicut etiam præter tale congruum regimen una diæta bona & regularis injungenda eſt.

§. IX. Quando primarum viarum abſterſiones ſufficienter peractæ ſunt & maſſa humorum cum congruis diaphoreſibus ventilata fuit, tunc ſtomachica temperatiora remedia ordinari poſſunt; quorum uſus tamen circumſpectus ſit, ne calorem febrilem incendant augeantque: imprimis ſub hac febre ordinandum eſt moderatum regimen, quemadmodum tranquillitas & continentia ſub paroxysmis non infimæ dignitatis auxilium eſt: remittente hac febre cum fructu lenis laxatio repetitur & pilularum prædictarum uſus continuatur: adſtringentia qualiacunque quantum fieri poteſt, evitentur: in diæta

cum

cum cura omnis occaſio præſcindenda eſt, ne ullus ſtimulus adhibeatur, ex quo febris recidivam pati ſolet: quoad aeris uſum & regimen, perinde continentia & modeſtia commendanda eſt; alias e levi externa intemperie Febris hæc novum incitamentum nanciſcitur.

CAPUT XII.

DE

FEBRE HECTICA.

§. I.

NUnc ad odioſam illam Febrem progredior, quæ non modo artifici multam crucem figit, ſed & quam homines valde averſantur, quoniam confirmata & inperfecto gradu conſtituta veram & perfectam curam medicam reſpuit; quare tanto magis circa illius notitiam & tractationem medicam certitudo impetranda eſt, ut in primis hujus febris initiis & mitiori gradu talia ſalutaria conſilia & auxilia applicentur, quæ illius ulterius accrementum tempeſtive præſcindunt & minus accelerant, ut ita primæ radices ejusdem extirpentur, ne in completum & ſummum ſuum gradum degeneret.

Conf. Stahlii Diſp. de Febre Hectica Abſceſſuum internorum Comite.

§. II. Multum refert in ſalutari hujus Febris Therapia commendanda, ad primas illius origines retroſpicere & obſervare, an e negotio hæmorrhagico perperam tractato, an ex aliarum evacuationum & ſecretionum anomaliis, an e prægresſis febribus ortum traxerit: quid quod præſtat in illius ætatem inquirere; quæcunque enim Hectica diu duravit, illa non procul eſt a ſuo complemento: confert etiam annotare, an jam talis febris ſub multorum manibus fuerit; quo plures enim cum eadem commercium habuerunt, eo deterioris indolis exiſtit: refert percontari, an fortiores quædam & ſimul craſſiores evacuationes præmiſſæ fuerint: quæ communiter illam febrem corrumpunt & exacerbant: convenit circumſpicere, an adhuc qualiscunque moleſta plethora concurrat, an antehac ſubjecto ægrotanti intenſiores plethoræ commotiones uſitatæ fuerint, an tales commotiones adhuc alternent & recurrant: & denique utilis & neceſſaria erit obſervatio, an hectica talis cum phthiſi, an cum alia afflictione conjuncta ſit, quo eo magis reſpectus cauſales diſtincti agnoſcantur & condigne tractentur.

§. III. Proinde etiam noſſe convenit, quomodo perfectæ & confirmatæ Hecticæ diverſi adhuc gradus in Hiſtoria practica occurrant: horum prior eſt, quando ægrotantes adhuc aliquali orthoſtadia fruuntur, quo tempore paulo efficaciora auxilia ordinare licet: poſterior eſt acerbior hecticæ ſtatus, ſub quo ægrotantes graviter decumbunt, licet nonnunquam contingat, ut exacerbatio talis remittat & per intervalla ſubjecta paulo melius habeant: facile quidem iterum evenit, ut remisſior hic gradus deterioretur, quemadmodum in hac febre nunquam fida conſtantia promittenda eſt, ſunt enim ægrotantes valde ſenſibiles & ex leviſſima cauſa afficiuntur & alterantur: omnium maxime vero animi pathemata hanc febrem exacerbant; ut propterea multum interſit, quo animus compoſitus & tranquillus ſit.

§. IV. Genuina quidem cauſa Hecticæ febris eſt ſcirrhoſa quædam oppletio, aut ulceroſa corruptio in nobiliori quodam organo; unde contingit, ut ejusmodi febris tali labi in pulmonibus, in hepate &c: ortæ, ſuperveniat: ſed eo ipſo etiam talis ſtatus medicationi & plenariæ curationi vix obtemperat, ſiquidem ſcirrhoſa illa conſtitutio, vel leviter commota, facilius in ulceroſam perniciem delabitur; ulceroſa vero corruptio ob continuum & immediatum humorum affluxum extirpari non poteſt, quapropter perfecta talis hectica immedicabile malum eſt: ſed eſt etiam affectus perquam delicatus, cum ſubjecta non modo valde ſenſibilia & mollia evadant, ſed & cum ipſe morbus longe magis in deteriorem, quam meliorem ſtatum declinet: neque infimæ dignitatis conſideratio eſt in hac febre, quod tot cauſæ concurrant, quæ ad hujus febris exacerbationem ſatisfaciunt; ubi ante omnia reſpectus habendus eſt animi pathematum, deinde perſonalium morum, perſonalis ſenſibilitatis, cauſarum externarum, artificiorum & reliquarum antecedentium cauſarum, quæ, utpote cauſæ continentes, adhuc ſuum jus ſuumque valorem in alterandam & exacerbandam hanc febrem obteſtantur.

§. V. Extendit proinde ſeſe artificis jus atque poteſtas in Therapia Febris Hecticæ ad duplicem operationem, quæ tamen ubique cum maxima circumſpectione exercenda eſt: primo, ut cauſa hujus Febris, quantum adhuc occaſio permittit, in primis ſuis acceſſibus infringatur & ſubjugetur, ne malum præſens e primis ſuis initiis in plenariam confirmationem tranſeat: deinde quo confirmata Hectica ita mitigetur & leniatur, ne tam ſubito ad extremum & illum quidem funeſtum exitum pertingat: ſicut itaque in Hectica natura opus eſt, quo præſentem internam ulceroſam labem ab impuritate adhærente & affluente abſtergat & liberet, aut ſcirrhoſam afflictionem a continuante affluxu humorum & adhæſione heterogeneitatum præmuniat, ita non aliud opus ſuſcipe-

cipere debet Medicus, ſi ſecure in hac intricata & ſenſibili Febre procedere cogitat.

§. VI. Et dum tales afflictiones, quæ ad hecticam diſponunt, non raro a tali cauſa oriuntur, quæ circa ſangvinis commotionem, promotionem & emotionem occupata eſt, propterea tam in Pathologica, quam Therapevtica Hecticæ disquiſitione ad plethoræ concurſum animum dirigere convenit, ſervata illa cautela, ne inopportunæ & præpoſteræ quædam commotiones ſuſcipiantur, quæ huic reſpectui magis contrariantur, neve illa vana & præcipitata concluſio obtrudatur, quaſi per Venæ Sectionem Hectica curari poſſet: tanto magis vero proficit attentionem ad primas Hecticæ acceſſiones & geneſes applicare, quando adhuc in primo limine artifex convocatur, ubi obſervare debet, an illa hectica ex evacuationibus ſangvinis ſuppreſſis & intermiſſis, an ex aliis ſalutaribus excretionibus cohibitis & perturbatis, an ex febribus intermittentibus in ſangvineis & plethoricis hominibus male tractatis, an ex affectu cholerico, an ex interna inflammatione, an alicubi ortum ſuum nacta fuerit; ad qualem cauſam deinde prudens medicus curam ſuam dirigere debet, quo malum hoc tempeſtive e ſuo fundamento tollat.

§. VII. Cum in hac Febre ſub primaria hac interna labe reliquæ functiones vacillent, ita varii morbidi effectus coincidunt, quia reliquum affectum exaſperant; quo minus vero hi prævaleant, aut augeſcant, eo major vigilantia uſurpanda eſt, ut præoccupentur; imprimis virium jacturæ admodum in hac febre familiares ſunt, quibus emendandis ſingularis vigilantia adhibenda eſt; uti ſymptomatum & copioſorum & urgentium ratio habenda eſt, quo minus illa increbeſcant & totum reliquum affectum ad repentinum pernicioſum eventum promoveant: & cum ipſa febris peculiarem ſuum typum habeat, eapropter neque huic injuria inferenda eſt, ſed omni circumſpectione laborandum, quo excretiones neceſſariæ & leniter & ſufficienter ſuccedant.

§. VIII. Ne itaque ſenſibilis & intricata hæc Febris offendatur, aut turbetur, præſtat abſtinere 1) a quacunque forti & immoderata evacuatione: 2) ab inopportuna ſangvinis miſſione: 3) a copioſis & poſitivis diaphoreſibus artificialibus: 4) a remediis calefacientibus & impellentibus: 5) maxime a curatorio volatilium uſu: 6) a remediis travmaticis & adſtringentibus: 7) a refrigerantibus communibus & crudis incraſſantibus: 8) a terreis uſtis adſtringentibus: 9) a metallicis, calcinatis, imprimis ſtanneis & plumbeis ſubjectis; 10) a balſamicorum vulgarium uſu curatorio: 11) a ſulphuris intempeſtiva & liberali oblatione: 12) a nimis multiplicata remediorum oblatione & curæ exacerbatione: 13) ab opiatis vulgaribus: 14) ab ordinariarum evacuationum perturbatione, aut incongrua promotione: 15) ab excretionum ſymptomaticarum

repentina & poſitiva ſuppresſione: 16) a minus convenienti i. e. laxiori & irregulari regimine: 17) a ſpecificorum & ſingularium experimentorum credula & facili oblatione: 18) a roborantibus & nervinis calidis, concentratis & ſpirituoſis: 19) ab acidorum mineralium, aut aliorum liberali & largo uſu: 20) denique etiam a regimine valde æſtuoſo & anxio.

§. IX. Poſitiva præſentis Febris cura ſequentibus abſolvitur indicationibus: 1) ut abſterſio & diſcusſio internæ labis & impuritatis adjuvetur; 2) ut excretio febrilis promoveatur: 3) ut vires conſerventur & ſubleventur: 4) ut ſymptomata mitigentur: 5) ut ordinariæ evacuationes facilitentur: 6) ut interna reparatio & conſolidatio læſionis modeſte & opportune promoveatur: 7) ut regimen congruum præſcribatur: & hæ ſingulæ indicationes cum optimo moderamine, conſtantia & ordine adminiſtrandæ ſunt, ne vel præmaturæ excretiones excitentur, neve reparationes internæ læſionis immature urgeantur, ſed quo typo & decurſui febris artifex ſatisfaciat, neque ſiniſtre, aut confuſe curationem ſuam proſequatur.

§. X. Prima indicatio commendat internæ impuritatis, quæ in abſceſſu hæret, abſterſionem, aut affluxus ſuſpecti ad partem ſcirrhoſam diſcusſionem: prius ſuccedit per congruum abſorbentium uſum: huc vero requiritur, ne terrea remedia craſſiora, aut uſta & adſtringentia ſeligantur, neve magnis doſibus offerantur: conferunt itaque abſorbentia teneriora & ita dicta magiſteria, tam ſub paroxysmo, quam extra illum, imprimis conducunt terrea talia marina, oſtracodermata ſubjecta cum acetoſitate citri ſaturata: proinde efficaciter impuritatem ulceroſam colliquant & abſtergunt ſalia digeſtiva, quæ cum abſorbentibus remediis pauca etiam quantitate commiſceri poſſunt: proficit etiam Nitrum, temperata quantitate conjunctum: cui pulveri aliquid antimonii diaphoretici, vel ceruſſæ antimonii, vel materiæ perlatæ combinari poteſt.

§. XI. Præterea abſtergunt lacticinia & acidiuſcula parca tamen quantitate offerenda, quo præcipue acetoſitatem citri commendo: præſtat tamen ab acidis abſtinere, quando in pectore aliqua labes adeſt: neque etiam ſub paroxysmo lacticinia proſunt; eadem utilitate gaudent emulſiones, ex aquis reſolventibus & diſcutientibus modo non empyrevmaticis & nucleis pingvibus, ſepoſitis ſeminibus frigidis, paratæ, quibus abſorbens quoddam ſubjectum, aut antimon. diaph. ſociari poteſt: ita potiunculæ ex aquis prædictis & abſorbente corpore paratæ proſunt, quibus pro ratione tantillum ſyrupi vel aciduli, vel analeptici, ut acetos. Citr. acetoſæ, ribeſiæ, corallor. quercetan. de canela, de betonic. rubi idæi, papav. rhæad. addi poteſt: ſulphur quidem etiam interdum abſtergentem & colliquantem internam qualitatem habet, ſed in hectica cum maxima prudentia adhiberi debet: convenit vero extra proxysmum, quando

pa-

patientes non nimium debiles ſunt, quando in ipſis conſtitutio paulo humidior eſt &c: ubi parciſſima illius quantitas, cum abſorbente ſubjecto mixta, conducit: ita etiam de reliquo lactis uſus modicus & magis medicus, quam diæteticus concedi poteſt; habent inſuper lenem abſtergentem utilitatem ſaccharata parcius uſurpata: ſicut ſaccharum cantum cum emulſionibus proficit: non minus extra paroxysmum modicus uſus vini boni & adulti cum pane ſaccharato admittatur; quale auxilium & roborantem & abſtergentem utilitatem exhibet.

§. XII. Abſtergunt porro atque reſolvunt Gummata ammoniacum, Sagapenum, Bdellium, Juniperinum, Succinum, Maſtyx, therebinthina, nec non amara, ut abſynth. cent. min. card. bened. ſcord. cochlear. gentian. rubr. quæ extra paroxyſmum & quando affectus paulo mitior eſt, conducunt: ſub paroxysmo conveniunt eodem abſtergente & involvente effectu decocta mucilaginoſa, hordeacea, avenacea, e cichor. ſcorzon. apio, Paſſulis, Liquirit. Tusſilag. hepat. nobil. ſcord. veronica parata: quo adhuc pertinet decoctum radicis Cichorei cum lacte, addito tantillo ſacchari, quod præter abſterſoriam & lenientem ſuam virtutem etiam temperantem & æſtum febrilem mitigantem qualitatem posſidet: imprimis diluentia & mucilaginoſa talia conducunt, quando ſubjecta de ſero acriori participant: gelatinoſa, niſi dilutiora fuerint, hecticis ægrotantibus facile nauſeam movent, quod etiam valet de jusculis gallinaceis: temperari vero poſſunt gelatinæ, quo magis acceptæ fiant, vel cum acetoſitate citri, vel cum paſſulis majoribus & minoribus.

§. XIII. Peculiarem internam abſtergentem & reſolventem qualitatem habent Herbæ ſcordii, Veronicæ, chærefolii, hepaticæ nobil. tusſilag. cent. min. virg. aur. card. ben. Sanic. quæ cum radicibus ari, vincetox. pimp. alb. helen. gentian. rubr. vel in forma eſſentiæ, vel in ſubſtantia in forma Trageæ cum ſacharo canto mixta extra paroxyſmum & acerbiorum hecticæ gradum conferunt; ſicut interdum ex iisdem herbis dilutiora decocta, ut infuſa calida parata conducunt: perinde tam ſub paroxyſmo, quam extra illum corallia rubr. ppta. illorumque magiſterium cum prædictis terreis abſtergentibus mixta conveniunt.

§. XIV. Quando ſcirrhoſa afflictio Hecticæ cauſam conſtituit, tunc prædicta teneriora abſorbentia & ſalina abſtergentia eum ob finem ordinanda, quo impuritas in maſſa ſangvinea ſeroſa temperetur & corrigatur, ne præſentem labem exacerbet; deinde conveniunt decocta diluentia & modeſte reſolventia paranda e radicibus apii, cichor. Scorzon. aſparag. vincetox. herb. ſcord. capill. vener. Veronicæ, chærefol. flor. enul. cent. min. Semin. foenic. carv. bacc. laur. paſſul. major. cort. citr. & hæc extra paroxyſmum conferunt: ſub illo vero proſunt prædicta abſorbentia & ſalina, nec non terrea cum acidis conjuncta, addi-

additis antimoniatis fixis remediis; quales pulveres terreo-calcarei teneriores, ſive ita ſimpliciter, ſive cum aquis reſolventibus mixti, conveniunt: extra paroxyſmum conferunt Eſſentiæ helenii, vincetox. pimp. alb. caryophyll. & ari: aut Trageæ antea commendatæ.

§. XV. Altera indicatio reſpicit evacuationem, quæ huic Febri maxime competit; primaria eſt, diaphoretica, qua impuritates ſeroſæ, in maſſa ſanguinea genitæ & ulceroſæ ex interna labe in eandem recepta eliminantur; quæ in hectica febre facile ſponte ſuccedit, ut nullo bezoardico ſtimulo & impulſu opus ſit: unde tantum regimen quietum & moderatum commendandum eſt: præter hanc etiam moderata Diureſis ſalutaris exiſtit, quæ ſub paroxysmo per remedia nitrata & ſalia digeſtiva, extra illum vero per acidulata adjuvatur: utramque denique excretionem extra paroxysmum promovent prædictæ Eſſentiæ, quæ tamen in parca quantitate exhiberi debent, ne majores ſangvinis commotiones excitent: neque diluentium ſufficiens uſus denegandus eſt, quia partim præcedentem ſalutarem abſterſionem, partim neceſſariam evacuationem facilitant: quando ſub paroxysmo circumſtantiæ ſuadent, quo per remedium quoddam diaphoreſis promoveatur, tunc vel diaphoretica fixa & antimoniata, vel parcus uſus Eſſentiæ pimpinellæ albæ, remittente æſtu exhibita, ſatisfaciunt.

§. XVI. Quoniam ſub hac Febre vires facile, frequenter & graviter imminuuntur, ita quoad tertiam indicationem virium habenda erit ratio, quo reficiantur & conſerventur; ſub paroxysmo conveniunt potiunculæ ex aquis reſolventibus & analepticis paratæ; vel conferunt Julapia, paranda e Decocto Cichorei cum Scorzon. aquis Ceraſor. nigr. Naph. Roſar. Lil. conval. Cinnam. cydoniat. Syr. rub. idæi, Betonicæ & papav. rhæad. extra paroxysmum conducit moderatus uſus vini, jusculum vinoſum, diæta mediocriter aromatiſata, balneum nervinum, nec non Mixtura e Spiritu C. C. Eſſentia Succini & Tinctura antim. tartar. compoſita: proficit etiam Eſſentia e flavedine Citri, florib. aurantiorum aut corticibus recentibus & Cinnam. parata, cui aliquid de Eſſentia Succini miſceri poteſt: conferunt etiam ſpecies & confectio de Hyacinth. ſyrupus de canela, Corall. quercetani: pulpamenta amygdalata cum cinnamomo parata, lacticinia, modicus choccoladæ uſus, juscula gallinacea aromatiſata & varia alia evpepta & liquidiora e penu diætæ ſeligenda & ordinanda.

§. XVII. Sed cum in hac Febre varia ſontica ſymptomata occurrant, ita quarto loco principaliora horum annotabimus: quando nimius & ſimul aridus æſtus affligit, tunc conducunt remedia nitrata, abſorbentia cum acidis maritata & coralliata; nec non diluentia leniter acidulata & decocta mucilaginoſa

liqui-

liquidiora, aut Iulapia, conficienda e decocto radicis Cichorei & paſſularum, aquis ſcorzoner. fl. ſambuc. card. bened. Plantag. ſcord. ſyr. acetos. citr &c: conferunt etiam moderatæ frictiones ſuperficiei: quando Tusſis valde urget & angit, conferunt emulſiones, ſi tusſis pectoralis fuerit, aut decocta cum ſyrupo papaveris mixta, aut emulſiones cum ſemine papav. alb. & card. mar. conjunctæ, aut Eſſentia pimp. alb. ſuccin. & Cort. chaccarill. perinde conferunt lacticinia & interna diſcutientia: maxima vero diſcretione opus eſt, an tusſis fuerit pectoralis, an vero hypochondriaca.

§. XVIII. Quodſi inopinatæ Hæmorrhagiæ erumpant, minime ſecurum eſt, easdem repente ſupprimere velle: ſed conveniunt præmittenda nitrata, cinnabarina, coralliata, emulſiva, lenientia, diluentia, deinde ſpecies de hyacintho, ſervato tranquillo regimine: in nimia diarrhoea conferunt abſorbentia cum acidis combinata, nitrata, coralliata & Eſſentiæ ſubordinandæ pimp. alb. helen. caryophyllat. abſint. cent. min. gent rubr. Cort. aurant: & cort. chaccarill. Largiores ſudores non turbandi ſunt, ſed ſi excedere videntur, alvus leniter aperiatur, deinde ordinentur pulveres nitrati & coralliati, emulſiones, decocta mucilaginoſa lenisſime acidulata, parca quantitas Tincturæ corallorum, aut ſpecies de hyacintho cum aqua aliqua analeptica; in nimia extenuatione & contabeſcentia corporis conferunt decoctum radicis cichorei cum lacte, modeſtus uſus choccoladæ cum lacte, juſcula gallinacea, pulpamenta amygdalata, lacticinia, emulſiones, gelatinæ, balnea ſemivinoſa & nervina, modeſtæ frictiones corporis & interdum modicus hauſtus vini boni: in ſomni defectu abſtinendum eſt ab opiatis; conferunt potius diluentia, lenientia, emulſiva & verſus veſperam nitrata remedia, conjunctis modeſtis frictionibus corporis & pediluviis: in appetitus defectu in genere evitandum eſt, ne ægrotanti cibi obtrudantur, tanto minus carnoſi: conferunt vero decocta hordeacea leniter acidulata: interponendæ ſunt eſſentiæ ari, pimp. alb. helen. abſinth. gent. rubr. alvi obſtructio moderatis clyſteribus lenientibus & nervinis emendanda eſt: phlogoſes curatorie nitratis & coralliatis remediis, præſervatorie cum mixtura tonica uſitata & ſæpius nominata præſcindi & corrigi debent.

§. XIX. Quinta indicatio commendat promotionem ordinariarum evacuationum: hæc illo maxime tempore conducit artificioſa methodo perpetranda, quando patiens tolerabiliori ſtatu gaudet & aliquali orthoſtadia fruitur: imprimis tali occaſione alvus abſtergenda & laxanda eſt, quo conveniunt remedia Rhabarbarina & aloetica correcta, parca quantitate offerenda: conferunt infuſa vinoſa temperatiora reſolventia, abſtergentia, roborantia & laxantia: conducunt laxantia & abſtergentia e paſſulis & prunis paranda, non minus etiam mannata & tamarindinata conveniunt: aliquando parcus uſus

 mer-

mercurii dulcis, rite parati, in forma pilularum ex extractis amaris & Gummi ammoniaco, ſuccino, bdellio, maſtiche, therebinthina, myrrha & aloë paratarum proficit: proinde in tranquilliori hecticæ ſtatu pro continuanda moderata diureſi & diaphoreſi conferunt prædictæ Eſſentiæ, imprimis Pimp. alb. vincetox. ari, helenii, caryophyllatæ, ſuccini, fumariæ, ſcord. card. bened. non minus pro hisce excretionibus adjuvandis moderata balnea conferunt: quodſi etiam labes in pectore cauſa hecticæ fuerit, tunc ſub eodem orthoſtadiæ tempore leniora expectorantia per intervalla ordinanda ſunt.

§. XX. Peculiari animadverſione digna eſt illa quæſtio, an Venæ Sectio in Hectica commodum quoddam conciliare poſſit? pro hac decidenda notandum, quod in acerbiori hecticæ gradu artificialis ſangvinis ſubtractio non modo nihil utilitatis afferat, ſed & poſitive noceat, unde rectius Venæ Sectio præſervatoriis uſibus relinquenda eſt & quidem ſub hisce circumſtantiis, quando ortus Hecticæ cum negotio hæmorrhagico conjunctus, quando antehac ægrotantes plethorici & vel ſpontaneis, vel artificialibus ſangvinis evacuationibus adſveti, aut intenſioribus plethoræ commotionibus obnoxii fuerunt, quando adhuc ſub hectica aliqualis plethoræ gradus concurſat, quando ſub hectica frequentioribus phlogoſibus expoſiti fuerunt &c. tunc dico Venæ Sectio modica & ad tres vel quatuor uncias ſangvinis emittendi directa, præſervatorio tempore inſtituta, tantum proficit, ne hectica acerbior fiat, aut graviora ſymptomata, maxime vero vehementiores febriles commotiones patiatur.

§. XXI. Quando prædictæ indicationes & convenienter & ſufficienter exercitæ fuerunt, ipſe patiens ſubinde in temperatiori & mitiori affectus ſui ſtatu degit, tunc cum aliquo moderamine adminicula quædam ordinanda ſunt, quæ internæ læſiones, maxime ulceroſæ, reparationem & conſolidationem adjuvant: commendo propterea electuaria, e radicibus pimp. alb ari, enul. ariſtoloch. rotund. ſymphit. biſtort. herb. abſinth. card. bened. cent. min. fumar. ſuccis ſcordii, chærefol. ſanicul. millefol. urtic. pyrolæ, G. ammoniac. Sagapen. Bdell. Succin. Maſtiche, Thure, Myrrh. Therebinth. conficienda: perinde conducunt pilulæ ex extractis amaris, recenſitis Gummatibus, tantillo aloes & exigua quantitate balſami copaivæ aut Peruviani compoſitæ: denique etiam Eſſentia pimp. alb. & ſanguiſorb. Succin. Scord. gentian. rubr. confert: providendum tamen eſt, quo talia remedia admodum modeſte adhibeantur, non nimis frequenter, neque nimis prodige: interea etiam & motus corporis & ſufficiens potus conferri, alvus itidem in juſta libertate conſervari debent.

§. XXII. Ultimum ſupereſt, quo videlicet juſtum regimen in Hectica ordinetur: animus ante omnia continens & a patheticis commotionibus liber

ſit:

ſit: aer ſeligatur temperatus, imprimis a ſenſibili refrigerio vacuus: cibus ne contra appetitum obtrudatur & ingeratur: confert victus tenuis, lubricus, diluens, mucilaginoſus: proſunt lacticinia, liquidiora pultacea, poma, pruna, pyra, cocta & modeſte ſaccharata, ut & paſſulæ majores atque minores, juscula hordeacea, avenacea, gelatinoſa, citrata: potus ſit tenuis, interdum modeſte vinoſus, non valde ſpirituoſus: interdum conferunt infuſa calida aquoſa: proſunt interdum balnea & ſi circumſtantiæ promittunt, concedenda eſt peregrinatio; motus moderatus corporis non infimæ efficaciæ medicina eſt hecticis utilis, unde Sydenhamius equitationem deprædicat: quies corporis & placidus ſomnus interpoſitis vicibus uſurpata admodum conveniunt: cane pejus & angve fugiendus eſt ſomnus per ſoporifera provocatus.

CAPUT XIII.

DE FEBRE LENTA.

§. I.

AD lentam nunc progredior Febrem, quæ ipſa hac ſua denominatione chronicam ſuam indolem prodit, ſed quæ ſubinde ab Hectica Febre discrepat, quoniam in illa nulla actualis interna labes, aut corruptio adeſt, interim tamen hæc Lenta Febris in Hecticam degenerare poteſt, quando videlicet ſiniſtre tractatur, id quod tanto facilius contingere poteſt, quo magis neceſſariæ excretiones perturbantur, aut ſupprimuntur, aut quando per communia antihectica, travmatica, exſiccantia & adſtringentia, aut vicisſim etiam per volatilia, impellentia, acria & caleſacientia offenduntur, vel regimen perverſum admittitur.

§. II. Alias quidem Lenta Febris ſatis immorigera eſt, quia ex alia febre, aut alia afflictione morbida, non bene percurata, ortum trahit, quemadmodum in Hiſtoria practica fundatum eſt, quod hæc lenta ex acutis ſive continuis, ſive ita dictis biliosis, ut & ex intermittentibus, per diaphoreſin non bene ventilatis, aut e catarrhalibus inſufficienti excretione determinatis, aut ex ſudore annuo avtocratico ſalutari ſuppreſſo, aut ex Hæmorrhoidum anomaliis, aut ex intermiſſa neceſſaria ventilatione ſangvinis, aut ex retropulſis ulceribus tum ſimplicioribus, tum ſcabioſis ortum capeſſat; ubi interdum ad eandem

dem Febrem mitior nobilioris viſceris infarctus disponit, ad quem repentinæ ſalutarium excretionum oppresſiones contribuunt.

§. III. Exinde facile inclareſcit, quanta dexteritate & prudentia hæc Febris, cum ſonticas tales origines habeat, tractanda ſit, ubi cardo rei in eo vertitur, quo vel moderata interna diſcuſſio, vel temperata abſterſio, vel conveniens materiæ præparatio & involutio, vel ſufficiens evacuatio adjuvetur & debite dirigatur: & ſi contingat, ut in hac Febre ſpontaneæ ſalutares & neceſſariæ excretiones occurrant, tunc maxima circumſpectione opus eſt, ne eædem pro ſymptomaticis, morbidis & nocivis declarentur atque tractentur, ſed cum maxima lenitate ad juſtum ſuum terminum promoveantur, licet cœteroquin privativa Therapia omni ſtudio inculcanda ſit, quo videlicet talia artificia & conamina evitentur, quæ hanc Febrem, in quantum adhuc mitior eſt, in graviorem ſtatum conjicere poſſunt.

§. IV. Ob id in Cura hujus Febris abſtinendum eſt 1) a crudis & impetuoſis evacuationibus & quidem 2) a poſitivis diaphoreticis impulſibus & excretionibus 3) a curatoriis miſſionibus ſangvinis 4) a remediis calefacientibus acribus, ſpirituoſis & concentratis 5) a volatilium curatorio uſu 6) a refrigerantibus, nimium incraſſantibus, ut & 7) a nimio abſorbentium uſu, tanto magis vero 8) a terreis uſtis crudis & craſſis 9) ab adſtringentibus 10) a narcoticis 11) a vulgatis antihecticis compoſitis 12) a perturbatione ordinariarum ſalutarium evacuationum 13) a præmatura ſpontanei ſudoris cohibitione 14) a nervinis & roborantibus acrioribus 15) a præſentis plethoræ immoderata qualicunque commotione 16) ab acidorum liberaliori uſu 17) a ſtomachicorum incongruorum aut præmatura oblatione & denique 18 a perverſo regimine.

§. V. In hujus Febris poſitiva cura ſequentes indicationes Practicæ obſervandæ & adminiſtrandæ ſunt: 1) ut primæ regiones a craſſis impuritatibus repurgentur 2) ut materia peccans, ſive in viis, ſive in humoribus hæreat, convenienter & ſufficienter præparetur 3) ut interna quædam ſtagnatio rite reſolvatur 4) ut febris & febrilis excretio congrue dirigatur 5) ut ſymptomata principaliora mitigentur & 6) ut quælibet ſiniſtra & ſuſpecta conſectaria legitime præoccupentur.

§. VI. Quod primam indicationem attinet, tunc non modo in initio, ſed & ſub toto reliquo hujus febris decurſu alvi legitimus ſucceſſus neceſſarius eſt: hæc excretio alvina interdum promoveatur per remedia Rhabarbarina, ſive in ſubſtantia, ſive in ſimpliciori infuſo offerenda, cum quibus rhabarbarinis auxiliis etiam paſſulata conjungenda ſunt: nonnunquam exigua grana extracti panchymagogi Crollii conferunt: huc quadrant pilulæ Stahlianæ; confert pro eodem ſcopo Magneſia alba, aut ſal quoddam abſterſivum, ſive digeſtivum, ſive

tar-

tartariſatum: & ejusmodi alvum repurgantia remedia exhibenda ſunt extra acerbiorum febris ſtatum atque terminum.

§. VII. Pro materiæ peccantis præparatione ſive lenta Febris e bilioſa, ſive alia continua, ſive intermittente febre orta fuerit, conveniunt partim teneriora abſorbentia, imprimis cum acidis conjuncta, parca ſed repetita quantitate offerenda, partim ſalina, tum digeſtiva mixta amara, tum nitroſa, cum abſorbente ſubjecto maritata, cui pulvillo antimonium diaphoreticum addi poteſt: exhibeantur vero talia præparantia auxilia tam proxime ante exacerbationem hujus febris, quam ſub illa: pro eodem etiam ſcopo conferunt decocta mucilaginoſa teneriora & liquidiora, nec non potiunculæ aquoſæ cum abſorbentibus prædictis remediis combinatæ: ſpectant huc decocta e Cichorio, Scorzonera, Veronica, chæreſol. ſcordio & paſſulis parata.

§. VIII. Pro interna partis cujusdam nobilioris oppletione reſolvenda conveniunt humectantia & extra febris paroxyſmum interna diſcutientia, ut Eſſentiæ ari, helenii, vincetox. caryophyllat. pimp. alb. aut infuſa vinoſa e radicibus hiſce & herbis ſcord. fumar. cochlear. cent. min. chæreſol. hepat. nobil. veronic. foenic. card. ben. &c. parata; quo ſpectant decocta ex apio, bardan. Cichor. Scorzon. taraxac. aſparag. herb. ſcord. veronic. foenic. chæreſol. bell. min. hepat. nobil. tuſſilag. &c. compoſita: proſunt etiam pro eodem ſcopo pilulæ Stahlianæ, quæ efficaciter interne reſolvunt & abſtergunt: huc etiam conducunt quælibet amara, ſive extracta ſive ſalia: quemadmodum ſucci ex herbis amaris expreſſi cum radicibus & gummatibus reſolventibus mixti & in electuarii formam converſi, pro hoc ſcopo conducunt.

§. IX. Pro Febre & febrili excretione rite tractanda & dirigenda, præcipue regimen temperatum & quietum commendandum eſt; deinde diaphoreſis, quæ primaria eſt excretio, ſi non ſponte ſuccedit, promoveatur per uſum Eſſentiæ alexipharmacæ, aut Tincturæ Bezoardicæ, circa æſtus remiſſionem exhibendæ; & hæc evacuatio tanto majori dexteritate facilitanda eſt, quo convenienter decurrat: neque fruſtra tale remedium alio tempore repetitur, quo partim tranſpiratio inſenſibilis legitime continuet, partim diureſis interea materiæ peccantis imminutionem & evacuationem adjuvet: & ne motus febrilis immoderatius decurrat, conveniunt abſorbentia cum acido ſociata, coralliata & nitrata remedia, aut ubi ſubjecta de floridiori ſangvine participant, prodeſt modeſtus uſus acidorum, imprimis vegetabilium medicamentorum: proinde potus ſufficiens non parum ad febris mitigationem & febrilium evacuationum promotionem conducit, modo ſit dilutior & fluidior, qui eo magis confert, quo magis in hac febre ſudores liberalius procedunt.

§. X. Symptomata potiora, in hac Febre occurſantia, quod attinet, tunc eximiæ virium jacturæ ſubveniendum eſt, per julapia, e Decocto Cichorei & Scorzoneræ paſſulato, aquis roſar. Ceraſ. nigr. lil. conv. Cinnam. cydon. &c. parata: nec non per potiunculas analepticas, per moderatum uſum vini extra paroxyſmum, ut & per emulſiva extra febris fervorem offerenda: huc ſpectant etiam juſcula vinoſa mediocriter aromatiſata, gelatinoſa, lacticinia & congrua adminicula diætetica: quando tabida quædam extenuatio corporis concurrit; tunc eadem auxilia proſunt, videlicet lacticinia, pultacea amygdalata, pineata emulſiva, gelatinoſa, juſcula gallinacea, vinum bonum cum ſaccharato pane: quando alvus valde fluxilis eſt, tunc minime illam turbare convenit, ſed proſunt vel abſorbentia cum acidis maritata, vel abſorbentia ſimplicia cum nitro mixta, vel Eſſentiæ ari, helenii, caryophyllatæ, pimp. alb. gent. rubr. Cort. aurant: ſi vero alvi fluxus excedere videtur, tunc conveniunt corallia rubr. ppt. CC. uſt. cort. chaccarill. aut eſſentia ſtomachica cum Eſſ. cort. chaccarillæ mixta.

§. XI. Quodſi in hac febre alvus ſegnior fuerit, tunc conveniunt lenientia, abſtergentia, digeſtiva, gelatinoſa, præcipue gelatina CC. rhabarbarina, aut pilulæ Stahlianæ: ſi ſudores ſpontanei liberaliores in hac febre occurrunt, tunc a præmatura illorum turbatione, tanto magis ſuppreſſione, abſtinendum eſt; quodſi ſufficienter ſucceſſerint & nunc in exceſſum degenerare videantur, tunc conducunt corallia rubr. ppta. Nitrum, Tinctura corallorum parca quantitate, remedia acidulata modica copia, decocta mucilaginoſa, aut denique ſpecies de hyacintho: anodyna vero opiata, quantum fieri poteſt, evitentur: & ſicut non rarum eſt, quo in hac febre appetitus proſtratus ſit, ita poſt ſufficientem ſucceſſum excretionis febrilis licet modeſte ſtomachica conjungere, velut Eſſentias ari, helenii, pimp. alb. abſinth. Card. ben. cent. min. gent. rubr. Cort. Aurant. aut licet Tincturam vitrioli martis tartariſatam aut martis tartariſatam ſimpliorem commiſcere cum Eſſentia tali roborante & bis per diem exhibere: proſpiciendum tamen eſt, quo alvus libera maneat, unde ſufficiens potus combinandus erit.

§. XII. Quoad ultimam indicationem peculiares quædam obſervationes practicæ inculcandæ & exponendæ ſunt & quidem quando contigit, ut lenta febris e prægreſſa biliosa ortum traxerit, tunc providendum eſt, quo primæ viæ ſufficienter abſtergantur & eluantur per rhabarbarina, abſorbentia, humectantia & nitrata: quando ex intermittente, ſiniſtre tractata, nata eſt, tunc quidem raro illud opportunum tempus occurrit, quo febris illa revocari poſſit, hinc eo magis cura dirigenda eſt, quo alvus aperta conſervetur, digeſtiva abſtergentia & amara continuentur, ſed proinde etiam moderata diaphoreſis promoveatur; ſiquidem uſitatius tunc lentæ ex intermittentibus oriuntur febribus, quan-

quando in ſubjectis plethoricis diaphoreſis turbata fuit: quodſi lenta febris adſtringentium uſum in intermittentibus conſequatur, tunc ordinanda ſunt interna humectantia, reſolventia, digeſtiva, amara, abſtergentia & laxantia.

§. XIII. Quando Lenta Febris ex ſuppreſſis Hæmorrhagiis ſalutaribus originem duxit, tunc curatorie temperantia, diluentia & leniora diaphoretica proſunt, præſervatorie vero V. Sio conducit, quemadmodum eo etiam intentio & operatio dirigenda eſt, quo ſalutares Hæmorrhagiæ ſpontaneæ iterum debite promoveantur: quodſi vero contra prægreſſas nimias Hæmorrhagias hæc Febris ſequatur, tunc conferunt remedia nitrata, diluentia, decocta mucilaginoſa, gelatinæ, dilutiores emulſiones, eſſentiæ temperatiores alexipharmacæ & interpoſitæ potiunculæ analepticæ, nec non ſi febris ceſſavit, ſubordinanda tonica, quo Mixturam roborantem Stahlianam refero: proinde etiam poſt febris hujus ceſſationem conducunt balnea temperatiora & ſemi nervina: Multum denique in Lenta Febre lene regimen & temperata diæta convenit, ſicut ſub diæta moderatus vini uſus non diſſuadendus eſt.

CAPUT XIV.
DE
FEBRE MALIGNA.

§. I.

CUm hactenus benignas quasdam Febres explicaverim, licet non ſingulas illarum ſpecies allegaverim, ſed quasdam adhuc reſervaverim, ita hoc ordine ad malignas exponendas me accingo, de quibus primo loco in genere agere conſtitui: ſunt vero hæ Febres peracutæ i. e. valde periculoſæ, ita ut non modo hac Febre correpti graviter ægrotent, ſed & major hominum numerus ſub hac Febre ſuccumbat, quemadmodum ipſa malignitas ſeſe illo notabili indicio prodit, quod Febris talis cum contagio quoddam ſeſe propaget, adeoque per numeroſiora individua graſſatur & hac contagioſa ſua qualitate materiæ peccantis ſubtiliorem & intimiorem diſperſionem, uti per univerſum corpus, ita maxime per humores prodit.

§. II. Eo periculoſior in hac febre ſtatus eſt, dum ob ſummam materiæ peccantis pravitatem ipſa natura ita trepidat atque titubat, ut de eventu ſalutari merito dubitandum ſit, cum præſens febris, in malignæ materiæ evacuationem ſuſpecta, tantis tergiverſationibus & difficultatibus obnoxia exiſtat & in

pri-

primario ſuo tenore delinquat, hinc tam eximiæ virium dejectiones, tanta puſillanimitas, tantæ anguſtiæ, tanta functionum animalium & naturalium proſtratio & tam debilis motuum febrilium proſecutio, communiter in malignis febribus obſervantur, ut ob ſummam pravitatem cauſæ morbificæ & immenſam naturæ conſternationem & abjectionem juſtus metus de minus proſpero eventu adſit.

§. III. Quanquam genuina Eſſentia & ſpecifica differentia malignæ materiæ ita exacte indicari & denominari haud poſſit, tamen tantum de eadem indubium eſt, quod tenuisſima materia ſit, quæ non modo ſubtiliter ſeſe intra corpus humanum inſinuat, ſed & ſubtili & veloci efficacia illud perreptat atque fermenti inſtar inficit, proinde etiam ob ſummam ſuam agilitatem & ſubtilitatem repentinam putrefactionem primario ſangvini, deinde partibus ſangviferis minatur, ut propterea periculum in mora ſit adeoque hæc materia expedita, tempeſtiva, temperata & ſufficienti excretione indigeat: & licet hæc maligna materia ex ſe ipſa prava ſit, tamen hæc malignitas in diverſis individuis augeri poteſt, quando vel in primis regionibus multæ impuritates latent, vel quando ſubjecta particulari dyſcraſia ſangvinis laborant: fruſtra vero nitimur, ſi diu in materiæ correctionem intenti & operoſi ſumus, cum conſultius ſit tempeſtive hanc materiam evacuare.

§. IV. Aſt quoniam hæc materia ſubtilis eſt & ſubtili modo intra corpus animale dimittitur, imo quoniam repentinæ efficaciæ eſt, propterea illius excretio non modo cito adjuvanda eſt, ſed & illa dexteritas ab artifice requiritur, ne evacuationem talem cum damno urgeat: hinc a ratione abluderet, hanc materiam malignam vomitibus, catharſibus, crasſis ſudoribus, aut ſangvinis eductionibus evacuare velle: neque etiam indoli malignitatis reſponderet, dum materia peccans ſubtilisſime in corpus ſe inſinuat & ob ſummam mobilitatem nocivam ſuam efficaciam diſſolutoriam exſerit, eandem impetuoſis commotionibus aggredi & impellere velle, quibus impulſibus illius vis lethifera acceleraretur; unde & rationi & experientiæ conſonum eſt, quod tales malignæ febres non niſi lenisſima methodo & ſubtilisſima peripherica evaporatione percurari poſſent.

§. V. Tanto minus convenit talem materiam ad craſſa colatoria & excretoria organa ducere, aut quando illam natura in peripheriam corporis transfert, eandem aliorſum, aut plane in interiores regiones revehere, vel quando ob ipſius naturæ anguſtationem, trepidationem & tergiverſationem, ob connexam cacochymiam &c; peripheria corporis occluditur, hanc noxiam occluſionem obfirmare & negligentius tractare: neque etiam conſultum eſt naturam in abjectione & conſternatione ſua deſerere, vel minus conſultis tenta-

minibus

minibus urgere & cogere, aut ſub naturæ qualicunque roboratione materiam peccantem exagitare: tanto minus etiam ſalutare indicium eſt, ſi ſua ſponte natura in intimiora loca cum materia peccante immoderate decumbit & diarrhoeis, vomitibus, diureſibus lividis, internis inflammationibus, aut ſepoſitionibus materiæ intra fauces ultimam excretionem proſequitur: neque ſalubre eſt, ſi ipſas excretiones multiplicat, implicat & confundit; unde petechiæ peſtilentiales, purpuræ in petechiis & variolis, petechiæ in catarrhalibus febribus admodum ſuſpectæ indolis ſunt, id quod non modo de talibus exanthematibus valet, ſed & ſi crasſiores & immoderatiores quædam evacuationes humoroſæ cum exanthematicis complicantur.

§. VI Et quamvis tanta malignitas tantumque periculum in hisce Febribus occurſet, tamen fida & attenta experientia teſtatur, quomodo multa artificia plus obſint, quam proſint & quomodo longe melius patientes periculum evadant, ſi citra medicamentorum ſpecioſorum uſum, tantum tranquillitate animi & corporis, continentia & patientia utuntur: contra vero jam abunde experientia ſolide docuit, quantæ dignitatis ſint illæ famoſæ compoſitiones antidotales aliaque ſplendida pharmaca, ne bezoardico illo lapide excluſo: neque peritos & attentos artifices latere poteſt, quantæ ſpei quantæque frugis ſint theriacalia illa opera miſcellanea, ſi præcipue iisdem regimina diaphoretica ſubordinantur; ubi graſſantibus febribus malignis experientia edocet, quomodo nihilominus ſub qualicunque aſſiduo theriacalium uſu, homines per cohortes pereant.

§. VII. Quanquam quidem primario in Malignis Febribus animus dirigendus ſit ad tempeſtivam congruæ evacuationis promotionem, tamen ratio habenda eſt illorum particularium incommodorum, quæ excretionem talem ullo modo turbare poſſunt: ſiquidem multum valet animi perturbatio, quo minus legitima evacuatio procedat: interdum etiam accidit, ut in ſubjectis robuſtioribus & quibus impura & irregularis diæta uſitata fuit tempeſtiva ventriculi & primarum regionum abſterſio reliqvum febris decurſum non parum ſublevet: ſed quo aliquo modo etiam mobilitatis & activitatis materiæ in partes tam fluidas, quam ſolidas ratio habeatur, non penitus aliena erit operatio, qua ſub illo etiam actu excretorio, qui principalior eſt, peccans & prava hæc materia ad faciliorem eliminationem præparatur, corpus vero reliqvum ita arcetur, quo minus repente illud maligna talis materia invadat atque diſſolvat.

§. VIII. Præterea in malignis febribus bene dijudicandus eſt concurſus plethoræ, quæ non modo ſubjecta diſponit, quo eo facilius contagium illa corripiat, ſed & periculoſioribus ſymptomatibus anſam præbet, cui propterea rite tractandæ opera adhibenda eſt: inter alia vero periculoſa ſymptomata, quæ

 tur-

turbatas ſalutares excretiones in febrium malignarum decurſu excipiunt referenda eſt illa congeſtio & ſepoſitio materiæ peccantis ad pectus & intra fauces, quæ ſeſe quandoque anginodeis, nonnunquam aphthodeis ſpeciminibus ſiſtit, ut ad præoccupanda talia ſymptomata eo majori circumſpectione opus ſit; eo minus proptereaaditus patet ad impulſum evacuationum tentandum,quam parum etiam multis experimenis in hisce febribus locus patet: imo cum ſub reliqua naturæ anxia & trepida confuſione ſingularis ſenſibilitas conjuncta ſit, ita tam cum medicaminibus, quam cum regiminibus magis exquiſita dexteritas atque vigilantia adhibenda eſt.

§. IX. Quo itaque maligna Febris rite & perite tractetur, cavendum eſt 1) a curatoria ſangvinis evacuatione: 2) ab indiſcreto, aut inopportuno emeticorum uſu; 3) a poſitiva alvi ſtimulatione & purgatione: 4) a remediis acribus calefacientibus & humores commoventibus: 5) a volatilibus & concentratis aliis artificiis: 6) a miſcellaneis theriacalibus compoſitionibus: 7) a regiminibus æſtuoſis: 8) ab aquoſis & prodigis ſudationibus: 9) ab opiatis aliisque motus & ſenſus ſupprimentibus medicaminibus: 10) ab adſtringentibus, refrigerantibus & valde incraſſantibus remediis: 11) a communi camphoratorum uſu: 12) a vulgari ſulphuris ordinatione: 13) ab exoticis balſamicis & Myrrhatis ſubjectis: 14) ab abſorbentium & acidorum largiori uſu: 15) a ſubſtantiis terreis uſtis, ſigillatis, bolaribus & ſimilibus aliis adſtringentibus: 16) a potu primas regiones irritante & perturbante: 17) a nimis multiplicato remediorum uſu: 18) a cardiacis analepticis, roborantibus & antidotalibus acrioribus: 19) a nuda ſymptomatum curatione & denique 20) a præmatura totius curæ ſublatione.

§. X Specialis methodus in genere Febribus Malignis medendi hisce indicationibus abſolvitur 1) ut materiæ malignitas quantiſper coerceatur & effectus putrefactionis intercipiatur: 2) ut excretio neceſſaria tam per congrua medicamina, quam per idonea regimina promoveatur: 3) ut principaliora ſymptomata leniantur & emendentur: 4) ut poſt ſuperatum primum periculum exitus curæ ita dirigatur, ne funeſta palindromes conſequatur; omnes vero indicationes cum maxima lenitate exercendæ ſunt, quoniam hæ febres nullam immoderatam & impetuoſam commotionem tolerant: quidquod præter hanc modeſtiam etiam conſtantia medica requiritur, ne artifex præmature ab uno ad alterum delabatur experimentum: haud tamen propterea in materiæ correctione diu perſiſtendum eſt, quoniam primarius labor in excretione conſiſtit, quæ ob materiæ malignitatem non diu differri poteſt: dum vero in hac primaria indicatione fundamentum curæ conſiſtit, propterea neque reliqua accidentia negligenda, ſed potius conjunctim debite tractanda ſunt.

§. XI.

§. XI. Antequam ad ſpecialiorem commendatarum indicationum explicationem progrediar, brevibus indicabo, quid ſentiendum ſit de Venæ Sectionibus & emeticis in Febribus malignis: quod Venæ Sectionem attinet, tunc illa neque curatorie, neque indiſcretim præſervatorie in maligno tali affectu conducit: cum enim cauſa morbifica in maligna qualitate & inquinata craſi ſanvinis conſiſtat, ita ſangvinis miſſio nullum directum uſum habet, quin potius celebrata Venæ Sectio in Febribus malignis tantum efficit, ut vires magis dejiciantur, ut deliria, anxiæ & frigidæ ſudationes, affectus anginodei, aphthodei &c: conſequantur: neque etiam ad præſervatoriam curam Venæ Sectio extendenda eſt, niſi ſubjecta fuerint plethorica & ſangvinis commotionibus, aut emotionibus actualibus obnoxia ſint: emeticorum uſum vero quod attinet, tunc eadem fruſtra od fomitem materiæ malignæ e ventriculo expellendum commendantur, quoniam hæc materia ob ſubtilitatem ſuam per ſingulos peripheriæ poros corpus humanum ingredi poteſt, ut adeo non æque abſolute cum ſaliva per ventriculum communicari debeat: tunc vero emetica concedi poſſunt, quando ſubjecta ſunt robuſtiora & ad diætam craſſam & impuram adſveta, ubi mox in primis initiis lenisſimus ſtimulus emeticus admitti debet; quæ regula imprimis in medicina caſtrenſi obſervanda: idem etiam valet de alvina excretione, quæ tunc locum invenit, quando impuritas in primis regionibus juſte præſumitur, ubi æque in primis malignarum febrium terminis lenis alvi abſterſio & evacuatio conceditur.

§. XII. Quoad primam indicationem in malignis Febribus commendatur materiæ præparatio, hæc ex parte ſeſe extendit ad materiæ ſubtilitatem, quæ quantiſper involvenda, ex parte ad materiæ activitatem in maſſam ſangvineam: involutio præſtatur partim per ſimplicia abſorbentia, aut terrea cum acidis conjuncta, partim per dilutiora mucilaginoſa, quo conducunt decocta e rad. Cichorii, ſcorzoneræ, hord. excort. parata, quibus aquæ ſcordii, galegæ, fl. ſambuc. C. B. roſar. Ceraſ. nigr. paſſulæ, cort. Citr. aut cinnam. commode combinari poſſunt: non contemnendæ etiam utilitatis pro hoc ſcopo eſt Nitrum in ſubſtantia, parca, ſed repetita doſi cum abſorbentibus, aut cum decoctis mixtum, exhibendum: activitas vero malignæ materiæ in humores infringitur per remedia quæ maſſæ ſangvineæ floridiori & fluidiori temperanter ſpiſſiuſculam conſiſtentiam conciliant & hæc non meliora ſunt, quam acida, tam vegetabilia, quam mineralia, ubi e priorum numero acetoſitas citri, e poſteriorum claſſe acidum ſulphuris commendatione digna ſunt: circa uſum acidorum horum temperantia adhibenda eſt, ne exceſſus committatur, deinde ſufficiens potus conjungi debet.

§. XIII. Seorſim conducunt Iulapia, quibus acidulata talia remedia commode præter analeptica & diapnoica conjungi poſſunt: multam inſuper efficaciam tam præparantem, quam evacuantem habet Mixtura ſimplex parcius camphorata, paulo largius tamen acidulata: conducit etiam aciditas paſſularum ita etiam ſyrupi aut ſpiritus & ſucci acidi prædictis decoctis ſociari poſſunt: neque æque in vitrioli phlegmate magna aut diſtincta virtus antidotalis inquirenda eſt: in quibus ſubjectis vero acidulata non conferunt, in illis partim nitrata, partim abſorbentia cum acidis attenuata, ſive ita dicta magiſteria, conveniunt: haud conducunt in malignis febribus præparante ſcopo gelatinoſa, iuſcula carnea, gallinacea, neque C. C. gelatina confert, quin potius ipſi patientes e carnibus parata valde adverſantur; neque etiam emulſiva & lacticinia in hisce febribus approbo, quæ ſingula rectius & facilius motui putrefactorio ſubjecta ſunt.

§. XIV. Quod illam præparationem corporis in Febribus Malignis attinet, quæ vulgo circumfertur per balſamica & putredinem cohibentia, tunc illa ex mala applicatione fluit, adeoque in uſu practico non ſecura & probata eſt: etenim varii concludunt, ſicut balſama, maxime vero Myrrha, cadavera a putredine defendunt & præſervant, ita eadem etiam corpora viva a putrefactione præoccupare debent: ſed quam male illa applicatio uſus balſamicorum in corporibus exanimatis, ad corpora viva valeat, facile & abunde experientia medica edocet: etenim omnia balſamica, proprie ſic dicta & ipſa etiam Myrrha, communi more uſurpata in omni maligna Febre potius contrarios, quam ſperatos & promiſſos effectus edunt, dum præter indolem febrium periculoſas commotiones ſangvinis excitant & potius ſub orgaſtica illa commotione materiam malignam ad putrefacientem, ſuum effectum promovent & accelerant.

§. XV. Altera indicatio excretionis promotionem commendat: eſt vero evacuatio in malignis Febribus partim generalis, quæ omnibus malignis febrium ſpeciebus competit, partim ſpecialis: ad priorem ſpectat placida diapnoes ſive evaporatio; impetuoſus enim atque largus ſudor in omni maligna febre nocet, unde rectius leniſſima methodo mador ille promovendus eſt; pro hac excretione non commendo calefacientes Tincturas Bezoardicas: quid quod ſingulæ extractiones cum ſpiritu vini paratæ cum maxima modeſtia adhibendæ ſunt: rectius conveniunt bezoardica fixiora, aut decoctum ſcorzoneræ, ſcordii, fl. galegæ, ſambuci, cum paſſulis & citro paratum; proinde etiam parciſſima quantitas Eſſentiæ alexipharmacæ ex Eſſ. pimp. alb. caryophyllatæ, vincetoxic. & ſcordii compoſitæ conducit: ſpiritus C. C. aut alius volatilis magis nocet, quam proficit; licet vulgo magnæ virtutes de iisdem declamentur.

§. XVI.

§. XVI. Specialior porro evacuatio eſt, quæ vel Peſti ſub forma ſuperficialium tumorum, vel Petechiis in forma macularum, vel Variolis & Morbillis, nec non Purpuræ miliari in forma puſtularum familiaris & propria exiſtit; quælibet vero harum excretionum particularium perinde cum maxima lenitate & dexteritate tractanda eſt, ut non modo juſte erumpat, ſed & ut in ſuperficie legitime conſervetur, quoniam talis peripherica ſepoſitio etiam cum qualicunque impatientia, inquietudine, incontinentia & refrigerio turbari & repelli poteſt: quare pro excretionibus quibusvis in maligna febre rite adjuvandis regimen quietum, temperatum & exquiſitum convenit, ne videlicet ægrotantes vel valde calefactis conclavibus, vel ſpisſis ſtragulis, vel anxiis coactionibus exæſtuentur: ſatisfacit, ut ſub leni calore & poſitivi refrigerii excluſione patiens in quiete conſervetur, ubi interdum loco ſtragulorum, alia tegumenta leniora linea & lanea conveniunt.

§. XVII. Symptomata, quæ in malignis febribus occurrere ſolent, varia ſunt & quidem Diarrhoeæ, quæ nunquam cum adſtringentibus ſupprimendæ ſunt, ſed ſi necesſitas poſtulaverit, quo iisdem moderamen inducatur, tunc optime convenit Nitrum, parca quidem, ſed repetita doſi exhibendum, cum abſorbente remedio mixtum: in hac necesſitate licet etiam interponere temperatam Tincturam roborantem ex Eſſentia helenii, pimp. alb. caryophyllat: gent. rubr. paratam: Narium, aut aliæ Hæmorrhagiæ perinde ſubito ſupprimendæ non ſunt, interim conveniunt temperantia, abſorbentia, nitrata & coralliata, necnon in ſubjectis floridioris ſangvinis acidulata: nimiæ vigiliæ nunquam anodynis corrigendæ ſunt, ſed præſtat præter regimen quietum & animi continentiam verſus veſperam nitratum pulvillum exhibere; extrinſecus vero ſimpliciſſimum epithema leniter camphoratum pro capite confert: quando Lipothymiæ imminent, tunc præter temperatiora analeptica, in potionibus, decoctis & Iulapiis offerenda, adhuc ſelecta alexipharmaca conducunt.

§. XVIII. Nimiæ præcordiales anguſtiæ non niſi regimine quieto & cum conſtanti atque placida diapnoe conjuncto, ut & remediis periphericam excretionem adjuvantibus, non minus diluentibus & lenientibus decoctis mitigantur: alvi retentio nunquam poſitivo ſtimulo, interdum etiam plane non attingenda eſt, interim pro illa ſecure emendanda conveniunt diluentia & nitrata remedia, nec non Mixturæ ſimplicis uſus: Deliria, quæ in his febribus minime infrequentia ſunt, mitigantur juſto & quieto regimine, remediis nitratis, diluentibus, lenientibus modeſte acidulatis, conſtanti temperataque diapnoe, epithematibus camphoratis & rubefacientibus remediis, plantis pedum applicandis, nec non frictionibus pedum cum linteis calidis perpetrandis: quando exanthemata retroceſſerunt, tunc poſthabitis veſicatoriis, regimen &

remedium leniter diaphoreticum ordino, nec non remedia analeptica, lenientia, humectantia, acidulata & frictiones ſuperficiei corporis cum linteis calidis ſine refrigerio committendas: proſunt etiam interdum veſicæ cum aqua calida repletæ dorſo & pectori applicandæ.

§. XIX. Quando in faucibus vel anginodea vel aphthodea afflictio concurrit, tunc præter regimina leniter diaphoretica & temperata remedia alexipharmaca conducunt gargariſmata reſolventia, diſcutientia & repurgantia, imprimis vero uſus Eſſentiæ pimp. albæ; in nimia virium dejectione præter regimen quietum & remedia diluentia, lenientia, analeptica & acidulata, etiam ſelecta & temperata alexipharmaca conferunt: in ſudoribus anxiis & frigidis proſunt decocta ſuperius commendata, cum aquis diapnoicis & leniter analepticis mixta, nec non frictiones ſuperficiei corporis cum linteis tepidis & temperata alexipharmaca medicamina: quando ructus, borborygmi & ſingultus corripiunt, tunc res quaſi deſperata eſt & in extremitate conſtituta, licet mihi in praxi tales caſus obtigerint, ubi ſub ſingultus præſentia in petechiis & purpura, patientes nihilominus per Dei gratiam convaluerunt: continuanda vero ſunt remedia analeptica & alexipharmaca, nec non regimina hactenus commendata; ſi denique convulſiones corripiunt non alia auxilia ordinanda ſunt quam quæ primario malignam materiam ad evacuationem promovent, deinde quæ lenitione, humectatione & moderata analepſi immoderatas haſce commotiones mitigant.

§. XX. Ultimum eſt quo exitus Febrium Malignarum ita tractetur atque dirigatur, ne relapſus in priſtinum periculum metuendus; id ipſum vero ſuccedit, quando hactenus commendatum regimen aliquamdiu continuatur, ut & quando mitiora alexipharmaca remedia repetuntur, ut diapnoes rite ſuccedat; deinde remittente affectu tali maligno non confert appetitui avide indulgere & cibum ad plenam ſaturitatem ingerere, quoniam magna nunc viſcerum debilitas adeſt; circa finem curæ prodeſt interdum lenis laxatio una cum auxiliis roborantibus e penu diætæ colligendis: neque confert ſtatim animum, aut corpus valde exercere, ſed potius tranquillitati & quieti indulgere; ante omnia cavendum eſt, ne libera tranſpiratio inſenſibilis impediatur, unde frigus evitandum & purus atque temperatus aër ſeligendus erit; & ita etiam exitus harum febrium Deo benedicente bene cedet.

Conf. Stahlii Diſp. de Methodo malignas Febres ſecundum rationem & experientiam recte tractandi.

CAPUT

CAPUT XV.

DE

FEBRE PESTILENTIALI.

§. I.

QUod jam in genere dictum fuit, illud eo facilius eoque brevius ad ſpeciem applicari poteſt, quare inter malignos affectus periculoſiſſimus eſt Peſtis, morbus ex ſingulari divino permiſſu atque judicio immiſſus, adeoque cum ſingulari moderamine æſtimandus & tractandus, cujus cauſa etiam, licet in genere extreme pernicioſa ſit, quatenus in ſubtilisſimo miaſmate ſumme fermentativo & putrefactorio conſiſtit, tamen quoad ſpecialisſimas conditiones adhuc diſcrepat, ſiquidem tot ferme particularia phænomena in Hiſtoria peſtis occurſant, quoties unquam dirus & divinus hic morbus mortales corripuit, quare eo magis in medico ſive Loimiatro requiritur pietas & prudentia, præter peritiam & dexteritatem medicam; non enim ſufficit communes laudationes medicas de remediis, ut ajunt, divinis fugitive arripere & promisſionibus vulgatis ſatis vanis & profanis coecam fidem tribuere, illud conſultius erit adminiculum, quando ſub reconciliato Deo ſimplicia auxilia adhibentur, quæ indoli morbi magis ſatisfaciunt, quam uſitatæ ſpecioſæ æſtimationi & commendationi.

§. II. Quemadmodum materia peſtilentialis e putrefactione oritur, ita viciſſim illius effectus eſt putrefactorius; ſicut porro putrefactio indeſinenter & repente progreditur, ita in Peſte extremum et repentinum periculum imminet, quod ſi ſemel occupavit, inverti & averti non poteſt; loquor de interna actuali putredine: hinc gratis non pauci ſupponunt, quaſi in Peſte etiam illorum, qui convaluerunt, perfecta & vera corruptio putrida præſto fuerit: etenim ſi vel prima initia perfecta putredo in maſſa humorum capesſiverit, tunc mors per poteſtatem humanam evitari non poteſt, quare eo major vigilantia & induſtria adhibenda eſt, quo materia peſtilentialis mature ejiciatur, antequam lethiferam ſuam qualitatem in actum & effectum ducere incipiat; & cum hanc noxam ſubito inferat, ita ſine vlla mora hæc excretio perficienda eſt; ob id Peſtis inter morbos peracutos celerrimum exitum nanciſcitur.

§. III. Hæc materia peſtilentialis ſubtilitate & mobilitate ſua omnes reliquas peccantes materias ſuperat, propterea cum maxima circumſpectione

tra-

tractari debet, ita quidem ne fortius commoveatur & in humores impellatur, neve etiam ſegnius & negligentius tractetur; unde interdum febrili quidem motu, ſed exquiſita lenitate & conſtantia ad ultimam evacuationem dirigitur: ita enim operatio lenis, frequens, celera & conſtans diverſos graduum & directionum reſpectus involvit, ſed ſubinde in uno eodemque actu concurrere poteſt: quod vero in Peſte tam extrema abjectio, titubatio, trepidatio & confuſio animi, nec non ſumma virium dejectio adſit, non materiæ illo ſenſu imputandum eſt, quaſi phyſica ſua qualitate id efficiat, ſed quod natura ob extremum illud imminens periculum in tantum angorem, calamitatem & conſternationem delabatur, ſub qua ambigit, an & in quantum huic neceſſitati ſuccurrendum & reſiſtendum ſit.

§. IV. Quanquam vero in Peſte varia excretionum ſpecimina obſerventur & legantur, tamen nulla evacuatio magis ingenua & indoli morbi conformis cenſeri poteſt, quam ſi materia ſubtiliter, attamen efficaciter cum lenitate & continentia, ſine eximiis commotionibus eliminatur: quando tamen contingit, ut materia peſtilentialis impetuoſe commoveatur, adeoque in ſuperficiem corporis quidem illabatur, ſed ob ſubtilitatem & mobilitatem ſuam adeo impulſa iterum relabatur, tunc nonnunquam natura alia refugia quærit & vel in partes glanduloſas vel crnoſas peripheriæ corporis decumbit, eo materiam peſtilentialem congerit & per modum abſceſſus peſtiferi illam excutere contendit, unde Bubones & Anthraces oriuntur: nonnunquam ſub tali titubatione & ancipiti operatione natura in varia loca excretoria ruit & modo per Hæmorrhagias, modo per vomitus, modo per alvi fluxus, modo per exanthemata & maculas petechiales, ſed ubique cum infauſto tentamine, materiæ peſtilentialis excretionem proſequitur.

§. V. Interim non æque perverſe hujus materiæ evacuatio cum febrili commotione urgetur, quippe qui modus naturæ uſitatus eſt, quando materiæ magis & cito pernicioſæ excretionem ſolenniori actu, qualis Febris eſt, aggreditur: multum tamen ad totum hoc negotium turbandum contribuit intenſior moralis anxietas, timor, terror, confuſio, ubi quaſi victas manus dat, neque ſatis continenter, temperanter & conſtanter periculo repugnat natura; ob id longe melius decurrit hic periculoſus morbus, quo magis homines animo quieti, patientes, tranquilli, modeſti & continentes ſunt: inſuper etiam ſub rationabili directorio hæc prava materia ab internis mollioribus & nobilioribus partibus in externas ignobiles & craſſas transfertur & ex iisdem eliminatur, per quas utplurimum primum ſuum ingreſſum nacta fuit: neque æque metuendum eſt, ſecundum quorundam ſpeculationem magis, quam demonſtrationem, quaſi primario materia peſtifera cum ſaliva communicetur, quoniam ſimile ſimili

mili

mili gaudere traditur, i. e. quoniam ſaliva humor eſt, qui perinde fermentativum motum excitat; in qua opinione vero ſimile productum claudicat, cum ſaliva in maſſam ſangvineam hanc declamatam fermentativam commotionem non ita transferat, ac in ventriculum & ſubinde materia illa ſtygia longe promptius & citius in ſangvinem, quam in craſſas primarum regionum impuritates operari deprehendatur, ut adeo eadem longe breviores vias atque acceſſus imo longe numeroſiores aditus per poros ſuperficiei corporis inveniat, e quibus iterum ſubtiliter & quidem ſalutariter expellitur, cum altera illa excretio, quæ cum prædicta ſpeculatione cohæret, nimirum per ptyaliſmum, vomitum & alvi fluxum longe minime indoli Febris competat, adeoque utplurimum funeſte decurrat.

§. VI. Illud adhuc de Peſte notare convenit, quod materia peſtilentialis ſpecialisſimam humanæ mixtionis putrefactionem comminetur, quapropter febris peſtilentialis, quæ inter homines graſſatur, non facile bruta animalia præcipue quadrupedia corripit; imo ipſe effectus atteſtatur quam extreme contagioſa hæc ſit materia, ſicuti alias effluvia communis ſphaceli haud pari, nedum facile æquali ratione corpora ſana invadere ſolent: unde etiam putrefactio peſtilentialis extreme deteſtanda, foeda & abominabilis eſt: quæ ipſa animadverſio illam practicam conſideratu dignam annotationem ſubminiſtrat, quod ſpecialiora alexipharmaca & ſic dicta ſpecifica antidotalia, qualia interdum in aliis particularibus morborum ſpeciebus occurrunt, etiam in hac afflictione proficua & ſingulari efficacia utilia eſſe posſint.

§. VII. Quo itaque meliori ſecuritate & dexteritate hic arduus morbus tractetur, cavendum eſt in cura Peſtis 1) a vomitionibus, purgationibus, V. Snibus & diureſibus artificialibus, quæ excretiones indoli morbi plane non competunt, ſed craſſiores & immoderatiores exiſtunt 2) a poſitivis diaphoreticis remediis & regiminibus 3) adeoque a ſudationibus aquoſis, copioſis & impetuoſis 4) a remediis acribus concentratis & caleſacientibus 5) a vulgatis balſamicis, oleoſis & reſinoſis 6) a medicaminibus volatilibus 7) a Bezoardicis illis vulgatis, quæ ſimul adſtrictoria qualitate pollent, 8) a refrigerantibus, adſtringentibus & nimium incraſſantibus 9) a narcoticis aliisque vires opprimentibus & deſtruentibus 10) a nervinis, roborantibus & cardiacis nimis acribus 11) ab externis repellentibus, adſtringentibus & relaxantibus 12) a nimis prodigo medicamentorum uſu 13) a nimis ſegni & cunctata metaſtaſium peſtilentialium cura 14) ab experimentis nondum expertis, aut plane dubiis, nam periculum eſt in mora 15) a compoſitionibus miſcellaneis, quarum effectus confuſus & multiplicatus eſt 16) a ſulphuris ſimplicioris interno & externo uſu 17) a nuda ſymptomatum cura aut palliatione & 18) a perverſa præſervatione & regimine incongruo.

§. VIII. In poſitiva Peſtis cura ſequentes tam in ratione fundatas, quam in experientia probatas indicationes commendo 1) quo ſecundum diverſitatem individuorum Peſtis debite præſervetur 2) quo materia peſtilentialis tempeſtive & congrue evacuetur 3) quo animus & vires roborentur 4) quo urgentia ſymptomata leniantur 5) quo ſuperficiales apoſtaſes peſtilentiales rite tractentur 6) quo regimen conveniens ordinetur 7) quo ſalutaris hujus morbi exitus juſta ratio habeatur, ne pernicioſæ, aut ſuſpectæ quædam reliquiæ remaneant: & hæ ſingulæ indicationes cum maxima lenitate, dexteritate & aſſiduitate exercendæ ſunt, ne pernicies prævaleat & patientem, quod alias ſubito contingere ſolet, jugulet.

§. IX. Primo loco de præſervatione ſermo inſtituendus erit, hæc vel generalis eſt, vel ad individua ſe extendit; generice & medica quidem arte præſervatur peſtis, quando ſollicito ſtudio commercia cum infectis locis intercipiuntur, quando aër ſerenus & purus admittitur, quando ſubjecta putida & putrida removentur: in loco vero ubi peſtis graſſatur, quidam ſulphur accenſum commendant, quod quia pectori inimicum eſt, ita pro ſubjectis vilioris ſortis pulvis pyrius ſatisfacit: ſecundum Hippocratem nonnulli picem accenſam laudant, quæ vero perinde & capiti & pectori adverſatur: aliqui ungulas, cornua & coria accenſa præferunt, quæ vero æque parum conferunt: Suffimigia ſimpliciora & temperatiora plus proſunt, quam acria & ex copioſis gummatibus parata: proſunt baccæ lauri aut juniperi accenſæ, quæ plus conferunt, quam pretioſa gummata atque balſama.

§. X. Seoſirm ad præſervandam Peſtem confert in plethoricis tempeſtiva V. Sio; in cholericis bilis abſterſio & evacuatio, in omnibus ſufficiens & moderata primarum regionum repurgatio, in ſubjectis robuſtis & adſvetis, nec non craſſæ & irregulari diætæ addictis, temperata emeſis, in omnibus etiam ſubjectis conducit, quo tranſpiratio inſenſibilis in juſto ordine & ſucceſſu conſervetur, imo præſtat illam interdum leniter augere & cum temperata Tinctura Bezoardica, aut Eſſentia Alexipharmaca, tam modeſtam diaphoreſin, quam tranquillam diureſin adjuvare: ab omni interna & externa corporis exæſtuatione abſtinendum eſt: proinde confert moderata & parca maſticatio myrrhæ, radicis pimp. alb. gentian. rubr. angelic. caryophyllat. Zedoariæ, corticum recentium Citri: floridioribus ſubjectis conducunt acidulata, mucilaginoſa & gelatinoſa: haud vero ad præſervandam Peſtem unquam ſingulari efficacia ſeſe commendarunt compoſitiones theriacales: neque ſpecioſus ille Lapis Bezoar ſive interne ſive externe adhibitus promiſſis ſatisfacit, neque remedia ex ſerpentibus & Bufonibus præparata a peſte præſervant: neque inunctio cum oleis deſtillatis peſtem avertit: neque Magnes arſenicalis Angeli Salæ, aut Hyacin-

thus

thus, aut Sapphirus, aut ſuccinum de collo geſtata peſtis invaſionem retardant vel averruncant: neque acetorum Bezoardicorum internus & externus uſus ſingularem præſervatoriam virtutem antipeſtilentialem habet; maxime matutinis horis in locis infectis aliorum peſte laborantium hominum converſationes excludendæ & moderatæ diaphoreſes promovendæ ſunt: Diæta ſit tenuis, diluens neque valde aromatica: carnium eſus ſit temperatus: omnia facile fermentantia excludantur: vini boni moderatus uſus proficit: quibusdam fumus tabaci prodeſt: inebriationes & nimia venus nocent: ceparum & allii uſus diæteticus non inutilis eſt: quæ ſingula conſilia & auxilia ad præſervationem peſtis diverſo modo in diverſis ſubjectis præſtandam conveniunt.

§. XI. Altera indicatio verſatur circa tempeſtivam materiæ peſtilentialis excretionem: haud vero melior & ſecurior evacuatio in hoc ſummo periculoſo morbo competit, quam lenis tranſpiratio, ſive halituoſa conſtans diaphoreſis, quæ per temperata & ſelecta alexipharmaca promovenda eſt; huc conveniunt vel Eſſentiæ alexipharmacæ, vel Tincturæ Bezoardicæ, parca doſi offerendæ; copioſa enim alexipharmacorum ingeſtio nocet & non modo vires neceſſarias magis deſtruit, ſed & ad periculoſas apoſtaſes & metaſtaſes ſuperficiales diſponit: proſunt etiam diaphoretica fixa & abſorbentia, ſive ſimpliciora, ſive cum acidis ſaturata, nec non antimoniata fixa, quæ cum aquis diapnoicis mixta conducunt: imprimis pro ſubjectis floridioris habitus confert Mixtura ſimplex, parcius camphorata: non minus ad placidam diapnoem promovendam quadrat Decoctum Scorzoneræ cum Citro & paſſulis paratum, additis aquis diapnoicis & analepticis.

§. XII. Quæ laudes vulgo de ſelectis antidotis & alexipharmacis, ut de angelicæ, contrayervæ, anthoræ, petaſitidis, carlinæ, imperatoriæ, Zedoariæ &c. radicibus, nec non de croco circumferuntur, illæ experientiæ ingenuæ non quadrant, ſiquidem hæ radices in malignis Febribus nimis acres & calefacientes ſunt, quas propterea juſte Riverius e Therapia Febrium malignarum eliminat: neque famoſa Theriaca, ſpecioſum Mithridatium, Diaſcordium Fracaſtorii ſimilesque compoſitiones in Peſte notatu dignam utilitatem promittunt; qualia miſcellanea remedia in talibus malignis morbis ex mera credulitate commendantur, quia tam immenſus remediorum numerus in unam maſſam commixtus eſt, unde quidam autumant, ſi unum non juvat, alterum proficuum erit & uti Paracelſus per jocum aſſerit, quod e tanto numero ſine dubio unum fuerit remedium, quod ſperatum effectum exſerat: accedit & illud, quod ſuperſtitionem vulgi ſuſtentat, quia in talibus compoſitionibus ejusmodi ſpecies reperiuntur, quibus ex mera phantaſia eximia virtus cordialis & antidotalis affingitur, ut ſunt Serpentes, Gemmæ &c. nonnulli admodum extollunt aceta

bezoardica & theriacalia, quæ vero nec ipſa ſpei ſatisfaciunt, ſed præſtantiora ſunt in æſtimatione, quam in operatione & effectu, id quod etiam de famoſis pulveribus Bezoardicis & ipſo pretioſo Lapide Bezoardico valet.

§. XIII. Quoniam vero in Peſte extrema animi viriumque dejectio adeſt, ita ſub tota cura laborandnm eſt, quo neceſſaria roboratio concilietur, hæc partim animo, partim reliquis viribus applicanda eſt: animus partim neceſſaria quiete, partim quacunque poſſibili conſolatione erigendus eſt, minime tamen turbari debet per incongruas compellationes, quia alias patientes extreme abjecti ſunt: vires reficiuntur partim cum temperatioribus analepticis imprimis aqueis, partim moderatis acidulatis, quo imprimis totum Citrum commendo: quadrat huc etiam modeſtus vini uſus, nec non mitiorum alexipharmacorum continuatio: multum ad vires conſervandas requies corporis conducit, quare omnis inquietudo & jectigatio cum bono regimine præoccupari debet: conferunt itidem analeptico ſcopo Julapia e Decocto Scorzoneræ paſſulato & citrato, ut & aquis diapnoicis & analepticis, nec non ſyrupo acidulato parata: Confectio alkermes, aqua cordialis, carbunculi &c. nullam prærogativam habent in hoc affectu.

§. XIV. Non raro etiam Peſtem ſontica ſymptomata comitantur, quorum propterea in quarta indicatione ratio habenda eſt: inter illa vero principaliora ſunt, evacuationes immutatæ & ſymptomaticæ, velut Hæmorrhagiæ, emeſes, catharſes & diureſes, quibus leniendis optime Nitri uſus quadrat; præſtat itaque Nitrum in ſubſtantia modica, ſed repetita quantitate cum abſorbente mixtum exhibere: ſicut experientia teſtatur, quod cum multo fructu graſſantibus febribus peſtilentialibus aliisque contagioſis morbis in Medicina pauperum Caſtrenſi pulvis pyrius & Lapis prunellæ adhibitus fuerit: neque tantum Nitrum ſymptomaticis, talibus evacuationibus medelam affert, ſed & ad repentinam corruptionem avertendam contribuit; ſicut alias in experimentis œconomicis conſtat, quomodo per nitri aſperſionem carnes recentes a ſubtili & præcoci putrefactione præſerventur.

§. XV. Præterea etiam alia ſymptomata in Peſte occurrere ſolent, velut deliria, quæ non niſi cum regimine moderato, remediis nitratis, alexipharmacis & analepticis lenienda & temperanda: quando capitis dolor affligit, tunc conducunt epithemata camphorata & regimen quietum: nimiæ vigiliæ nullis narcoticis emendari debent, omnia enim opiata in peſte ſunt ſuſpecta: conducunt potius nitrata & Decocta lenientia atque diapnoica una cum remediis analepticis: quando ſoporoſi affectus occupant, tunc alexipharmaca remedia ſub regimine modeſte diaphoretico, nec non acidulata temperata, camphorata & analeptica; externe vero frictiones & rubefactiones modeſtæ proſunt, al-

vi

vi adſtrictio nulla poſitiva ſtimulatione offendenda eſt; conveniunt potius lenientia, humectantia, nitrata & uſus mixturæ ſimplicis.

§. XVI. Inter alias ſonticas neceſſitates, quæ in morbo Peſtilentiali obtingunt, ſunt metaſtaſes periphericæ, quæ in quinta indicatione particulari commendatione allegantur: & hæ apoſtaſes vicario quodam modo principaliori excretioni ſubſtituuntur, quando hæc vel deficit, vel immoderate urgetur, vel alibi etiam turbatur & inordinate adminiſtratur: mitior modus ſecundariorum horum moliminum excretoriorum conſiſtit in Bubonibus, qui quamprimum emicant, minime repellendi, aut repente diſcutiendi, neque per refrigerantia medicamina & regimina offendendi ſunt: ſed præſtat præſentibus bubonibus conſtanter regimen modeſte diaphoreticum continuare & remedia alexipharmaca ordinare; quo vero Bubones ſufficienter peripheriam corporis ingrediantur, confert moderata attrahentia emplaſtra cum Camphora mixta adhibere: deinde præſtat applicare maturantia, imprimis cataplasmata; & quo maturatio promptius ſuccedat cepæ aſſatæ & allium conveniunt: abſceſſus tempeſtive, ſed non præmature aperiendus eſt, dehinc minime ſubito exſiccari & conſolidari, ſed ſufficienter repurgari debet; pro hoc ſcopo conferunt ſuccus ſcordii, digeſtiva balſamica, maxime Myrrha: Bubonem e nobilioribus in ignobiliores partes derivare, periculoſus conatus eſt, neque facile ſuccedit: & ſi talis Bubo profundius delitescit, tunc temperata attrahentia remedia, aut cucurbitularum cæcarum applicatio proſunt: quidam Bubones ſuperficiales exſcindere jubent, quæ operatio non ſemper bene cedit, tanto minus ſi Bubo non ſufficienter prominet, ſi major eſt, ſi partibus nobilioribus vicinus eſt, ſi adjacent nervi & vaſa ſangviſera &c; malum denique indicium eſt, ſi Bubones retrocedunt, ubi mox extremæ internæ anguſtiæ excipiunt.

§. XVII. Periculoſioris indolis ſunt Anthraces ſive Carbunculi, qui non modo indolentiores exiſtunt, ſed & repente ad putrefactionem properant, unde expeditam opem requirunt: interea veritati hiſtoricæ non congruit obſervatio, quod carbunculi in locis, ubi patientes illos conſpicere poſſunt, abſolute lethales exiſtant; antequam anthrax peſtilentialis perfecte erupit, adhuc modeſtam diſcuſſionem patitur: alias vero minus: quamdiu cœteroquin carbunculus præſens eſt, tam diu remedia illa interna conveniunt, quæ in præcedentibus commendata fuerunt, præcipue temperata alexipharmaca, ſubjuncto regimine modeſte diaphoretico: ſi carbunculus nunc ſponte emicat, iterumque evaneſcit & retrocedit, tunc Sculteti experimentum in uſum trahi poteſt, dum inſtrumentum ferreum ignitum paulo propius ad partis illius ſuperficiem admovetur, ubi antea carbunculus fuit, haud vero pars illa cum tali cauterio immediate contingenda eſt: quando in Anthrace tali ſphacelus inſtat & ma-

lum eſt repentinum, tunc præſens carbunculus cum actuali cauterio tractandus eſt, quod etiam paulo profundius intra partem dimittendum eſt, quo radix mali attingatur, cui cauteriſationi ſubordinanda ſunt remedia ad ambuſta proficua: recentioribus artificibus familiare eſt ad carbunculum potentialia cauteria, butyrum antimonii, cryſtallos Lunæ, Salia concentrata alcalia adhibere, quæ vero non niſi in exiguo carbunculo admitti poſſunt: alias æque ad anthracem mitiora attrahentia efficaciora ſuppurantia & idonea mundificantia conducunt & inter hæc poſteriora præ omnibus aliis Myrrha eminet.

§. XVIII. Quando Petechiæ in Peſte effloreſcunt, tunc facies morbi extreme periculoſa eſt; interim hisce præſentibus non alia methodus, quam hactenus commendata, adhiberi debet, nimirum quo conſtans & placida diaphoreſis continuetur & quo analeptica & acidulata remedia interponantur: de reliquo varia ſpecialia & ſic dicta ſpecifica & ſympathetica in Peſte paſſim allegantur: a quibusdam enim ſtercus humanum & oſſa microcosmi laudantur; a nonnullis pro externo uſu Sapphirus & Hyacinthus ad carbunculos, a quibusdam Buſones topico uſu ad bubones corrigendos recenſentur & laudantur, ſed de ſingulis adhuc ſufficiens & ſolida experientia deficit: non infimæ tamen dignitatis conſideratio & penſitatio eſt, cum in aliis ſpecificis contagiis & malignitatibus, ſpecifica dentur auxilia & talia quidem, quæ cum ſubjectis illis, contagium communicantibus, cohærent, ut oleum ſcorpionum, ad ictum ſcorpionum, hepar canis & lupi rabidi ad morſum canis & lupi rabidi, muſica ad Tarantularum morſum, ita juſte & rationabiliter ſuſpicatur Stahlius, an non pars de homine peſte interempto, adverſus peſtem ſpecificum remedium conſtituat, quod ſive de oſſibus putrefactis, ſive de hepate dici poteſt & quæ animadverſio experientiæ medicæ commendanda eſt.

§. XIX. Nunc Sexto mentio etiam facienda eſt regiminis, quod in Peſte ordinari debet; hoc vero, ut in aliis malignis Febribus, non aliud ſit, quam lene & modeſtum a nimia exæſtuatione & ſenſibili refrigeratione interna & externa liberum, ſiquidem utrumque extremum convenientem evacuationem turbat, ut ſecundariæ & ſymptomaticæ evacuationes ſuperveniant: & quoniam peſte decumbentes ægrotantes & animo & corpore extreme imbecilles ſunt, ita tanto magis alii, qui patientibus talibus adſunt & adſiſtunt operam dare debent, quo in regimine tali ægrotantes conſerventur: etenim illa ſatis frequens eſt obſervatio, ubi peſtis graſſatur, ut multi vel ob perverſum regimen, vel ob nimis artificioſam, ſpecioſam & multiplicatam medicationem pereant.

§. XX. Ultimum ſupereſt, ut videlicet paucis indicemus, quomodo illi tractandi ſint, qui peſtem ſuperarunt: præſtat vero adhuc aliquandiu auctiorem tranſpirationem continuare & ab inimica aura ſe ſubducere; pro

hoc

hoc ſcopo alexipharmaca remedia continuata oblatione conveniunt: præſtat porro animi & corporis requiem conciliare & commendare: conducunt analeptica, imprimis diætetica: cibi per initia pauci & evpepti aſſumantur; repentina enim obſaturatio poſt malignos morbos nocet: confert modicus vini boni uſus: proſunt balnea temperata & nervina: animus quocunque modo excitetur: alvus leniter abſtergatur: veſtimenta ſollicite mutentur: cæterum etiam reliquæ ordinariæ evacuationes promoveantur & quando vires ſufficientes redeunt, tunc moderata corporis commotio ſvadenda eſt: & hæ ſingulæ animadverſiones practicæ totam Peſtis indolem & faciem concernunt, ita quidem prout & ratio & experientia easdem confirmant.

CAPUT XVI.

DE

FEBRE PETECHIALI.

§. I.

INter Febres contagioſas & malignitate & gravitate conſpicuas Peſtem ſequitur Petechialis Febris, quæ pro diverſitate temporum & tempeſtatum nunc magis, nunc minus frequens eſſe deprehenditur, ſed quæ ob contagioſum ſuum progreſſum etiam indolem ſuam & periculoſum ſtatum abunde comprobat: eſt vero inſuper hæc ſpecialis hujus Febris conſtitutio, ut cum certa exanthematica excretione ſeſe ventilet, ſiquidem in ſimpliciori ſuo ſtatu & quando cum affectu catarrhali non complicata eſt, maculas ſuperficiales numeroſiores, pulicum morſus referentes rubicundas prodit, quæ propterea huic febri eſſentiales ſunt; licet nonnunquam certis anni temporibus eadem Febris paulo benignior occurrat, neque ita abſolute in talem exanthematicam efflorescentiam deſinat.

§. II. Eo ipſo vero dum hæc Febris maligna eſt, non modo valde ſenſibilis exiſtit, ſed & temperatisſima methodo tractari debet, ſiquidem omnes immoderatæ ſangvinis commotiones ſive ſpontaneæ fuerint, ſive per artem provocentur, inimicæ & pernicioſæ eſſe debent; cum viciſſim per communem methodum Febribus cum vulgatis diaphoreticis & bezoardicis medendi, gravia & periculoſa ſymptomata excitantur & tota indolis præſentis Febris pervertitur: imo cum excretio hæc exanthematica ſub juſto & legitimo hujus Febris

bris decurſu certo die & tempore, neque ita confuſe & præmature contingat, ea-propter etiam prudens artifex ſummo ſtudio cavere & præoccupare debet, ne præmaturam talem evacuationem urgeat, neque vel medicamine, vel regimine incongruo illam impellat.

§. III. Quod in genere de febribus malignis valet, id etiam ſeorſim de Petechiali valet, videlicet, quod per liberalem uſum alexipharmacorum, tanto magis acriorum, quoad indolem ſuam & materiæ peccantis pravitatem malignior evadat atque deterioretur, unde omnis æſtuoſa interna & externa commotio evitanda eſt: præprimis etiam notare convenit, quomodo in Petechiali febre maligna materia propiorem ſuam pernicioſam efficaciam in ſangvinem proprie ſic dictum illius ſulphuream partem transferat, unde facile ad inteſtinas, impetuoſas & æſtuoſas commotiones diſponere ſolet, quæ quavis cura & dexteritate evitanda eſt: quicquod experientia docet, quomodo interdum plures malignæ humorum depravationes concurſent, ut cum Petechiali affectu Purpura miliaris complicetur, qualis morbus eapropter longe periculoſior exiſtit.

§. IV. Singulari proinde attentione certa quædam ſymptomata in tali Febre dijudicanda ſunt, ut ſunt Diarrhœa, Hæmorrhagia & aphthæ: quod enim alvi fluxum attinet, tunc ipſe in hac febre plane diſtinctæ qualitatis eſt, ita ut minus noceat, ſi moderatior eſt, ac in aliis malignis febribus contingere ſolet, interim haud ita poſitive juvat; nocet vero ſi vel excedit, vel ſi ſupprimitur, etiamſi mitior fuerit: Hæmorrhagia rarior quidem eſt, ubi tamen occurrit in ſubjectis plethoricis, eximiis ſangvinis commotionibus obnoxiis, ſucceſſibus & fluxibus ſangvinis adſvetis, valde calidis remediis tractatis, aut quando ſenſibilia & frequentia pedum refrigeria ſub hac febre contigerunt, ibi periculo non vacant: aphthas denique quod concernit, tunc eædem vel ob nimis contumacem alvi obſtructionem; vel ob corporis inferioris refrigerationem, vel ob laxius regimen oriuntur &c: ad quas circumſtantias provide animum & curam dirigere debet artifex, ne talia ſymptomata, in quarum tractatione vel facile impingere poteſt medicus, vel qualia ex parte valde ominoſa ſunt & ſalutarem eventum deſtituunt, inviiet & expectet.

§. V. Quo periculoſior hæc eſt Febris eo major circumſpectio in illius cura habenda eſt: propterea cavere & abſtinere convenit 1) a liberali & promiſcuo vomitoriorum uſu, ſiquidem tota ſua indole hæc Febris ad hanc evacuationis ſpeciem non inclinat: 2) a Venæ Sectione quandocunque etiam illa adminiſtretur, quippe quæ ad eſſentiam Febris non pertinet: 3) ab alvi qualicunque poſitiva aut ſenſibili proritatione: 4) a remediis acribus, concentratis, calefacientibus & ſpirituoſis: 5) maxime a camphoræ facili, liberali & copioſa oblatio-

latione: 6) a præmatura petechiarum expulſione: 7) a remediis & regiminibus refrigerantibus: 8) ab opiatis aliisque ſuſpectis ſedativis: 9) a famoſis talibus alexipharmacis, quæ ſimul adſtringentem qualitatem habent: 10) a nervinis & cardiacis calidioribus & acrioribus: 11) a fluxuum ſymptomaticorum repentina cohibitione & perturbatione & denique 12) a præmatura neceſſariæ evacuationis ſuffilaminatione.

§. VI. Poſitiva Cura Febris Petechialis hiſce indicationibus nititur, 1) ut motus febrilis rite dirigatur & ſubinde materia maligna quadantenus præparetur: 2) ut excretio febrilis recte promoveatur & ſufficienter perficiatur, 3) ut ſymptomata prægnantia & urgentia ſecure mitigentur, quæ ſingulæ operationes ſi recte adminiſtrantur ſalutarem omnino effectum & eventum promittunt; modo inſuper illa dexteritas adhibeatur, quo has indicationes artifex cum continentia, conſtantia & moderamine exequatur, neque ſubito ab uno auxilio, ſubjecto & experimento ad alterum confugiat.

§. VII. Antequam ſpecialius præſentes indicationes exponam, placet adhuc obſervationes quasdam practicas circa emeticorum & Venæ Sectionis uſum in febre Petechiali præmittere: non pauci inter Practicos occurrunt, qui emetica ſingulari ſtudio atque titulo commendant, cum illa perſvaſione, quaſi per vomitum ſeminium materiæ malignæ & ſeminarium in ventriculo deliteſcens, evacuetur; hinc tempeſtivum emeticum remedium extollunt: ſed quoniam hæc nuda ſuppoſitio eſt, quaſi ſentina materiæ malignæ in febre petechiali in ventriculo ſit, neque ſub legitimo decurſu ſpontanea emeſi natura huic febri eſſentialiter ſatisfacit, ita artificialis vomitus directe huc non quadrat, quin potius indiſcretim excitatus in primo limine mox febrem turbat & vires opprimit atque deſtruit: ſi vero ſubjecta occurrunt, quæ antehac in voraci & irregulari diæta vixerunt & in quibus ſaburra copioſa in ventriculo præſumitur, cœterumque ſubjecta robuſta & evemeta ſunt, tunc aliquando tempeſtivum emeticum concedi poteſt: ſervata illa cautela, ne talis excretio fortis & impetuoſa ſit.

§. VIII. Quoad Venæ Sectionis uſum, illud perinde inculcandum eſt, quod forma & eſſentia hujus Febris non circa ſangvinis quantitatem & abundantiam verſetur; quando vero ſubjecta ſunt plethorica & plethora hæc frequentioribus, ſenſibilioribus & gravioribus commotionibus, aut actualibus ſpontaneis emotionibus obnoxia eſt, tunc & non aliter tempeſtiva ſangvinis evacuatio admitti poteſt, alias indiscretim commiſſa V. Sio exanthematicam evacuationem valde offendit & irregularem reddit: interim etiam nimia, urgens & moleſta plethora impedit, quo minus facile neceſſariæ ſpontaneæ excretiones ſuccedant; cui accidenti, (quod propterea a genuina hujus Febris ratione bene diſcernendum eſt) proinde cum Venæ Sone prudens & peritus artifex ſuccurrere poteſt: quando quisquam in indiſcretum uſum Venæ Sectionis & expellens remedium

 atque

atque regimen fidem ſuam collocaverit, tunc habebit quo ſiniſtros ſucceſſus & eventus obſervet.

§. IX. Quæ vero auxilia proximius huic Febri quadrant ſecundum primam indicationem motus febrilis juſtam directionem concernunt: propterea convenit, ne hi motus unquam excedant, ſed in conſtanti & temperato gradu procedant; commode itaque ſub calore febrili ſemel, aut prout circumſtantiæ ſvadent, bis exhibeantur pulveres præparantes & temperantes ex abſorbente ſubjecto, antimonio diaph. & nitro parati; imprimis conducunt abſorbentia cum ſucco Citri reſoluta, uti in ſubjectis floridioris ſangvinis & in quibus æſtus intenſior eſt, modicus coralliorum ppt. uſus proficit; abſtinendum eſt interea a terreis uſtis & ſimilibus adſtringentibus ſubſtantiis: porro ad legitimam motus febrilis directionem conveniunt Decocta e Scorzon. Cichor. Herb. Scord. fl. ſamb. paſſul. maj. parata: præterea ſufficiens potus conjungi debet, quo humores in neceſſaria fluiditate conſerventur & ſe - atque excretoriæ functiones ad liberum & juſtum ſucceſſum præparentur.

§. X. Maxime pro motus febrilis congruo directorio exactum regimen conducit, quod a nimio calore & ſenſibili atque poſitiva interna & externa refrigeratione liberum ſit: proinde etiam conferunt acidulata auxilia, præcipue in ſubjectis floridioris ſangvinis; quare vel decocta cum ſyrupis acidis mixta, vel Iulapia, vel Mixtura ſimplex parcius Camphorata commendantur: & ſicut hæc acida & abſorbentia remedia ſubinde materiæ peccantis malignæ præparationem adjuvant, ita etiam pro utroque ſcopo conveniunt ſalina, ut Lapis prunellæ, Nitrum antimoniatum cum prædictis pulveribus miſcenda: emulſiva in hac indicatione haud ſingularem utilitatem habent: aciditates vero e Citro, paſſulis, pomis, ceraſis & prunis non contemnendæ utilitatis ſunt, ſiquidem condita ceraſa, ribeſiæ &c: in hac Febre concedi poſſunt.

§. XI. Secunda indicatio verſatur circa excretionis, huic Febri competentis, debitam & ſufficientem promotionem: minime itaque convenit vel regiminibus immoderatis, vel medicaminibus calidioribus præmature, aut impetuoſe, vel petechiarum efflorefcentiam, vel generalem excretionem febrilem diaphoreticam urgere; quare prior ante ſeptimum diem urgenda, aut expectanda non eſt: quæ ſi ſua ſponte maturius occurrerit, haud congruum eſt, ſiquidem facilius præmatura talis efflorefcentia cum ſuſpectis retroceſſionibus petechiarum alternat, unde ſub tali ſtatu exacto admodum regimine opus erit: alias convenit remittente æſtu ſub quieto regimine placidam diaphoreſin expectare, quam leniter promovebit decoctum ſimplicius, ſive infuſum calidum herbæ Thee aut Coffee: huc etiam quadrat uſus Mixt. ſimpl. aut Eſſentiæ temperatæ alexipharmacæ, ſub imminente æſtus remisſione ordinandæ: in ſubje-

ctis

ctis ſenſibilioribus & tenerioribus conveniunt potiones ex aquis diapnoicis, analepticis & antimonio diaphoretico, aut abſorbente ſubjecto paratæ; quemadmodum Decoctum Scorzoneræ cum Scordio & floribus ſambuci, Galega & ſcabioſa paratum, hanc diaphoreſin leniter facilitat.

§. XII. Petechiarum efflorescentia promovetur partim per temperata alexipharmaca, partim per regimen moderate diaphoreticum, nec non per modeſtas frictiones; a communi camphoratorum uſu diſvadeo, quia internos ardores, anguſtationes & inquietudines cauſantur; rectius concedi poteſt Mixtura ſimplex, parcius camphorata; & quo ſub congruo vigore petechiæ non modo efflorescant, ſed & in ſuperficie ſubſiſtant conjungenda & interponenda ſunt analeptica: nullibi confert impetuoſe harum macularum efflorescentiam urgere, ſed omni lenitate facilitare, quare veſicatoriorum & cucurbitularum cœcarum uſus admodum anceps eſt; ſubinde etiam Petechiarum faciliorem eruptionem promovet alvi liberior ſucceſſus; turbat vicisſim illam alvi adſtrictio: præterea etiam confert proſpicere, quo conſtanter Petechiæ in ſuperficie perſiſtant, neque retrocedant & licet eædem congruo tempore evanuerint, haud tamen propterea præmature peripherica evacuatio intercipienda eſt, alias affectus funeſtam patitur palindromen: hinc aliquandiu & regimen congruum & alexipharmacorum uſus continuandus eſt, quamvis patientes ſummum periculum evaſiſſe videantur.

§. XIII. Seqvuntur denique ſymptomata, quorum varia in hac Febre obſervantur, ex hisce vero non pauca, neque etiam levia oriuntur quando indiſcreta Venæ Sectio præmiſſa fuit; quo itaque talia præoccupentur, præſtat alvum in libero & facili ſucceſſu conſervare, excretionem diaphoreticam modeſte promovere & conſtanter continuare, præcipue quando febriles æſtus remittere videntur, a regiminibus & medicaminibus refrigerantibus inſuper abſtinendum eſt, calidora tamen remedia propterea non adhibeantur: capiti interdum camphorata applicanda ſunt: ita præoccupabuntur deliria, faucium vitia præcipue aphthodea & graves anguſtiæ præcordiales: imprimis etiam confert inferiores corporis regiones a refrigeratione arcere.

§. XIV. Quando Petechiæ retroceſſerunt, abſtinendum eſt ab immoderatis impulſibus & acrioribus remediis interim ordinari debent remedia temperata alexipharmaca, nec non Mixtura ſimplex: huc etiam quadrant decocta e Scorzonera, Citro, C. C. fl. ſambuc. Galeg. paſſulis parata, additis aquis diapnoicis & analepticis: regimen inſuper commendetur exactiſſimum; multum adhuc frictiones conveniunt, nec non veſicæ cum aqua modeſte calida repletæ, pectori, dorſo & ingvinibus applicatæ: camphoram ad aliquot grana interne adhibere, haud conſultum eſt, neque veſicatoria ſuo officio ſuæque

 pro-

promiſsioni ſatisfaciunt, longe melius cedit negotium, ſi leniſſima methodo petechiarum efflorescentia iterata promovetur.

§. XV. Alvi adſtrictio in hac Febre multis incommodis & damnis, maxime capitis & faucium afflictionibus anſam præbet, quare illa occluſio ſuſpecta tempeſtive reſeranda eſt: liberant vero alvum pulveres nitrati, conjuncta ſalia digeſtiva, Mixtura ſimplex & clyſteres lenientes, ſive ſimpliciter emollientes; omnia ſtimulantia ſollicite evitentur: quando contra alvus laxior eſt, tunc a præmatura ſuppresſione moderatioris fluxus alvini omni ſtudio abſtinendum eſt: ad nimiam tamen diarrhœam leniendam, confert ipſum etiam Nitrum quod excretorios hosce conatus temperat; conducunt etiam alexipharmaca cum moderato regimine diaphoretico ſublevata, maxime vero proficit Cort. Chaccarillæ, ſive in ſubſtantia ſive in Tinctura exhibitus.

§. XVI. Aphthæ præſentes ita ſunt tractandæ, ut interne nitrata & alexipharmaca remedia continuentur, ut diaphoreſis continuet, ut alvus libera maneat, deinde cum leni penicillo aphthæ abſtergi debent, cavendo, ne ulla violentia adhibeatur, proſunt etiam gargariſmata e reſolventibus, mundificantibus & leniter adſtringentibus parata, quibus etiam tantillum nitri adjici poteſt: nec contemnendæ efficaciæ eſt Eſſentia Pimp. alb. Succini & Myrrhæ, cum penicillo ad aphthas abſterſas applicanda, quæ ultima harum eſſentiarum parca quantitate reliquis commiſcenda eſt; a fortioribus adſtringentibus, ſic dictis repellentibus, refrigerantibus, incraſſantibus & pingvibus ſedulo cavendum eſt.

§. XVII. Æſtus ſi intenſior fuerit, temperandus erit nitratis, modeſte acidulatis & decoctis mucilaginoſis: vulgaria vero ſic dicta refrigerantia removenda ſunt: Deliria præſentia, neque melius neque ſecurius leniuntur, niſi petechiæ ad juſtam efflorescentiam promoveantur & in peripheria conſerventur: quadrat huc uſus temperatorum alexipharmacorum & regiminis lenioris diaphoretici; pro ſangvinis orgasmo temperando conferunt nitrata, mixtura ſimpl. julapia & decocta remisſius acidulata: veſicatoria & phœnigmi non niſi pro robuſtioribus ſubjectis aſſervari debent: Vigiliæ nimiæ leniuntur remediis nitratis, regimine tranquillo & epithemate camphorato & leniter papaveraceo: cavendo, ne nimis diu capiti inhæreant: capitis denique dolores intenſiores tam epithematibus vulgaribus domeſticis, quam camphoratis remediis quantisper mitigari poſſunt: in ſingulorum horum ſymptomatum cura opium omni ſtudio evitandum eſt.

CAPUT

CAPUT XVII.
DE
FEBRE PETECHIZANTE.

§. I.

OCcaſione ſimplicioris Petechialis Febris, nunc agendum erit de Febre quadam Epidemica, quæ quoad indolem ſuam complicata eſt & de Petechiali atque Catarrhali participat, unde catarrhalis maligna vocari poteſt, ſiquidem in eadem utplurimum catarrhus quidam vel præcedit, vel adhuc concurrit & cum hac Febre etiam excurrit; de reliquo petechialem ſuam indolem hæc febris partim generica ſua malignitate & contagioſa progreſſione, partim efflorеſcentia petechiali prodit, quæ tamen non in omni ægrotante emicat, dum materia maligna Petechialis ſubtili etiam diaphoreſi eliminari poteſt, quæ viciſſim fortius impulſa in maculas tales ſuperficiales coit & ſubinde totus illius Febris ſtatus periculoſius decurrit, dum in malignitate ſua eo magis confirmatur.

§. II. Habet itaque hæc Febris cum reliquis malignis Febribus hoc commune, quod ſenſibilis ſit & facile in deteriorem indolem conjici poſſit, tanto citius vero atque certius, quo intenſius & immodeſtius illam artifex aggreditur: eo magis ſubinde hujus Febris curam habere convenit, quo facilius illa pro diverſitate tempeſtatum & anni temporum cum aliis affectibus, ut cholericis, inflammatoriis, alvi fluxibus &c. complicatur, aut quo facilius ſub illius Febris decurſu molimina hæmorrhagica & particulares commotiones humorum coincidunt, ut propterea anginodea & aphthodea incommoda ſupervenіant; imprimis etiam in hac febre ratio habenda eſt Diarrhœæ, quæ ſeſe non infrequenter in hac Febre conſpiciendam præbet, eoque ipſo illius Febris catarrhalem indolem prodit; qualis alvi fluxus eapropter cum exacto moderamine tractandus, neque ita ſubito opprimendus eſt.

§. III. Duplex itaque hujus Febris finis principalis eſt, primo ut catarrhus præſens diſſolvatur, deinde ut maligna materia eliminetur & cum utrumque negotium peculiarem applicationem & directionem requirat, ita eo majore modeſtia febris hæc tractanda eſt, ſicut viciſſim ſub fervidiori humorum impulſu non modo catarrhus exacerbatur, augetur & cum majori infarctu affectarum partium confirmatur, ſed & inſuper materia maligna in maſſam ſangvinis in-

timius impellitur,eoque ipſo ad malignum ſuum effectum promovetur & petechiarum efflorescentia immoderate urgetur, quando contra hæc Febris leniter progreditur, tunc citra actualem Petechiarum eruptionem maligna materia æque ſecure & efficaciter evacuatur, modo de reliquo non plures ſonticæ afflictiones complicatæ ſint.

§. IV. Quoad Curam hujus Febris eædem cautelæ practicæ inculcandæ ſunt, quæ in Petechialis Febris explicatione propoſitæ ſunt, ſiquidem poſitiva Therapia cum eadem medendi methodo convenit, brevibus vero indicabo, quomodo huic Febri ſubveniendum ſit: Venæ Sectio ad curam illius nihil facit, unde rectius omittitur, niſi ſpecialiſſimæ & individuales circumſtantiæ concurrant: alvus ab initio ad finem usque libera eſſe debet, propterea vero minime provocanda & exſtimulanda eſt: adjuvatur tamen illius ſucceſſus ſufficienti potu, uſu nitri & ſalium digeſtivorum, nec non mixtura ſimplici, aut ſi actualis obſtructio præſto fuerit, clyſtere leniente.

§. V. Ad reliquam hujus Febris curam pertinet, quo materia maligna quantisper corrigatur & motus febrilis rite dirigatur, ne in aliquem exceſſum delabatur: utrumque fit per pulveres temperantes nitratos, vel per abſorbentia cum acidis ſaturata, vel per decocta e Scorzonera, Cichor. Scabioſ. Galeg. fl. Sambuc. Scordio, Citr. paſſulis parata, vel per remedia acidulata, mixturam ſimplicem, julapia &c: quæ ſingula ſub acerbiori æſtu exhiberi & pro ratione & conſtitutione ægrotantis ordinari poſſunt: imprimis vero ſingularem utilitatem habent nitrata remedia, modo temperata quantitate & repetitis vicibus offerantur, ita nullus metus ſubeſſe poteſt, quaſi alvum ſtimulent.

§. VI. Major reſpectus habendus eſt, tum catarrhalis infarctus diſcutiendi, tum materiæ malignæ cum optima lenitate & continentia evacuandæ: utrumque contingit per apta & temperata alexipharmaca, utpote per miſcelam Eſſentiarum angelicæ, ari, helenii, vincetox. caryophyllat. pimp. alb. & per largiorem admixtionem Eſſentiæ Scordii: ab interno uſu ſimplicius camphoratorum dehortor, quoniam motus febriles valde augent & exacerbant; in ſubjectis ſenſibilioribus & tenerioribus pro eodem ſcopo conveniunt aquæ diapnoicæ, a craſſo empyrevmate liberæ, in potionibus & Julapiis exhibitæ; ab acrioribus anticatarrhalibus & volatilibus remediis abſtinendum eſt; proſunt denique diaphoretica fixa; & ſub horum remediorum uſu ordinandum eſt regimen congruum & moderate diaphoreticum.

§. VII. Ratio denique habenda eſt ſymptomatum, quæ in hac febre obtingere conſpiciuntur, quorum latius in præcedente Petechiali Febre mentio facta fuit: plurima enim ſuſpectorum ſymptomatum bono & tranquillo regimine præſervantur: ante omnia providendum eſt, ne alvus occludatur,

neve

neve etiam cum ſtimulo offendatur, neque porro fluida & lubrica alvus exſiccanda, aut lenis diarrhœa ſupprimenda eſt: prudenter etiam cum faucium incommodis procedendum eſt, præcipue cum aphthis, uti ſuperius monui: vires conſervandæ ſunt cum temperatis analepticis, cum ſufficienti potu & cum regimine quieto: Petechiarum efflorefcentia non eſt urgenda & impellenda & ſi non comparuerint, non multum contremiſcere convenit, modo reliqua moderata diaphoreſis in legitimo & conſtanti ſucceſſu conſervetur: ſi catarrhus pectus detineat, præter abſorbentia cum acidis conjuncta, ut prædicta alexipharmaca, conducunt temperata expectorantia, velut ſyrupi tales ſub decoctis & Julapiis exhibiti, nec non emulſiva dilutiora & ſimpliciora a refrigerantibus communibus remediis libera: ſi vero in capite catarrhus hæret, tunc externe camphorata & volatilium modicus odor plus conveniunt, quam internæ talium remediorum oblationes.

Conſ. Stahlii Diſp. de Febre Catarrhali maligna, Opuſcula Phyſico-chymico-medica p. 608 - 688.

CAPUT XVIII.

DE

VARIOLIS ET MORBILLIS.

§. I.

Sicut præcedentes Febres malignæ non æque ita valde frequentes ſunt, ita nunc tales malignos epidemicos affectus explicabo, qui reliquos frequentia ſua ſuperant, quorum propterea eo ſolidior notitia acquirenda eſt, quo partim in indole ſua recte agnoſcantur, partim etiam ſecundum hanc indolem convenienter tractentur: alias hi affectus, qui quoad indolem ſuam inter ſe conveniunt, ita leniter & delicate tractari debent, quia facile exaſperari poſſunt: & ſi aliquando paulo benigniores exiſtunt, tunc per acriorem & calidiorem commotionem in majorem malignitatem convertuntur; quæ propterea omni cura præoccupanda eſt, ſiquidem maligni tales affectus non modo de præſenti funeſti ſunt, ſed & ſi periculum mortis ſuperatum fuit, tunc non raro malignæ ulcerationes remanent, aut brevi poſt funeſti hectici & phthiſici affectus conſequuntur.

Conſ. Stahlii Diſp. de Variolis & Morbillis.

§. II.

§. II. Præcipuæ obſervationis ſunt illæ circumſtantiæ, quod hi affectus teneriori & ſenſibiliori ætati familiares ſint, quod non raro in adultioribus ſubjectis, ut incongruus morbus, immorigeram indolem aſſumant, quod cum exanthematica excretione excurrant, quod exactis terminis & periodis ſint circumſcripti, quod de contagioſo incitamento participent, quod communiter in tam tenera ætate ex irregulari diæta variæ ſuſpectæ dyſcraſiæ & impuritates concurrant, quæ affectus illos augent, quod ita leniter tamen tractari velint, quemadmodum conſpicitur quomodo interdum ſine comitatu Febris decurrant, quod cum maligna illa materia etiam maxime ſenſibiles partes offendantur: quod tot pravis conſecutionibus illi affectus obnoxii ſint, ut propterea ſufficienter percurandi & non palliative tractandi ſint: quod evidentes & eminentes avtocraticæ horum affectuum curæ ſpeciminis loco proſtent & conſtent, quas omni asſiduitate & dexteritate imitari debet prudens artifex.

§. III. Eſt itaque materia maligna in hiſce affectibus ſatis ſubtilis, licet ſub excretione ſua tam viſibilia & craſſa producta exhibeat: exinde vero minime ſequitur, quod cum craſſis commotionibus & impulſibus materia illa eliminanda ſit: quin rectius colligere & demonſtrare licet, quod tota penus & quantitas pinguioris, tenuioris & mobilioris lymphæ cum tali maligna materia infecta ſit, quæ rectius leniter & ſubtiliter repurganda, quam immoderate impellenda eſt: imo quo intimius atque firmius materia peccans pinguiori huic humori adhæreſcit, eo magis convenienter & ſufficienter hæc abſterſio, repurgatio & evacuatio perpetrari debet: omnium maxime intimiora & nobiliora inſuperque teneriora viſcera a tali maligna materia liberanda ſunt; quemadmodum talem liberationem natura ſua ſponte vel actuali alvi occluſione perficit, quo eo magis in peripheriam corporis materia illa transferatur, unde ſub tali facie horum affectuum, exanthemata copioſius effloreſcunt, vel ſuccedit etiam eadem liberatio, quando cum leni diarrhoea interiora viſcera abſterguntur.

§. IV. Ante omnia in hiſce affectibus inculcanda eſt illa circumſtantia, quod in legitimo illorum decurſu nihil præmature & nihil præpoſtere, imo nihil imperfecte & inordinate fieri debeat; etenim quando puſtulæ tales ante juſtum ſuum terminum emicant aut expelluntur, tunc citius & facilius recedunt, admodumque fugaces & inconſtantes evadunt; neque bonum ſignum eſt, ſi ſerius effloreſcunt, aut ſi tunc novæ puſtulæ erumpunt, quando præcedentes ſecedunt: ſicut nimis pallidæ, lividæ, plumbeæ & nigricantes anomalicum ſtatum denotant, qui ſicut ſponte interdum evenit, ita etiam per incongruam medendi methodum provocari poteſt.

§. V.

§. V. Tanto minus in hiſce affectibus immoderatæ & ſimultaneæ evacuationes proſunt, quæ vel totum ſtatum confundunt, vel ſimul peccantem materiam maligniorem reddunt, quemadmodum largæ & fortes diaphoreſes utplurimum de perturbato horum affectuum genio teſtimonium perhibent: & quamvis eſſentialis, licet minime critica, evacuatio in hiſce affectibus ſit exanthematica, tamen præter hanc abſolute adhuc neceſſaria eſt placida diaphoreſis, quo reliqua miaſmata, extra lymphæ pinguioris nexum conſtituta, ſubtiliter & ſufficienter eliminentur: quando vero natura alias evacuationes minus eſſentiales ſponte adminiſtrat, tunc in imitatione medico-practica admodum prudens eſſe debet artifex; nam duo cum faciunt idem non eſt idem.

§. VI. Quo ſenſibiliores atque mobiliores hi ſunt affectus, eo major circumſpectio in illorum cura adhibenda eſt; cavendum præcipue eſt 1) ab inopportunis emeſibus & catharſibus 2) ab alvi provocatione, quando antea occluſa eſt 3) nec non ab alvi repentina occluſione, quando laxior eſt: 4) a prææmatura exanthematum expulſione 5) a remediis calefacientibus, acribus, ſpirituoſis, concentratis 6) a poſitivis diaphoreticis 7) a ſudoribus aquoſis, copioſis & impetuoſis 8) a regiminibus vel nimis æſtuoſis vel poſitive refrigerantibus, 9) a remediis refrigerantibus, adſtringentibus & incraſſantibus 10) a communi balſamicorum, præcipue vero myrrhatorum uſu 11) a narcoticis remediis 12) ab uſitatis & vulgatis compoſitionibus pulverum diaphoreticorum, bezoardicorum, ſpecificorum, cephalicorum, panonici, marchionis &c. 13) ab uſu acidorum, præcipue in ætatibus junioribus 14) a prodigo terreorum uſu, tanto magis 15) a ſubjectis terreis vel craſſis, vel uſtis, vel ſigillatis 16) a nimis frequenti medicamentorum ingeſtione & variatione: 17) a communi ſpecificorum uſu, qualia paſſim tum in plebeja, tum artificiali medicina ad affectus præſentes recenſentur 18) a præmatura neceſſariarum excretionum interceptione 19) a nuda ſymptomatum cura & palliatione: & denique 20) ab inſufficienti & inopportuna interna corporis repurgatione.

§. VII. Poſitiva horum affectuum cura ſequentibus indicationibus abſolvi poteſt, 1) ut corpus ſub diverſa conditione & ætate ad benigniorem horum affectuum invaſionem præparetur 2) ut materiæ malignitas quantum fieri poteſt temperetur, febris bene dirigatur & excretio neceſſaria adjuvetur atque in ordinato ſucceſſu conſervetur 3) ut varia ſymptomata, quæ hiſce affectibus obtingere deprehenduntur, legitime tractentur 4) ut affectus hi ad ſalutarem exitum promoveantur & futura prava conſectaria prudenter atque ſollicite evitentur & præoccupentur: ſingulæ vero hæ indicationes cum optimo moderamine & juſto ordine exercendæ ſunt: quo lenior & tranquillior enim methodus in his affectibus ordinatur, eo melius illi decurrunt.

§. VIII. Quod corporis præparationem attinet, tunc diverſitas ætatis & vitæ generis bene inquirenda eſt, quo futura pericula rationabiliter & ſecure præoccupentur: ſicut vero miſſiones ſanguinis artificiales directe & eſſentialiter, ut ad malignarum febrium curam in genere, ita ad variolas & morbillos, non conducunt, tamen interdum occaſio ſuppetit, ubi cum fructu tempeſtiva V. Sio ordinatur & quidem in ſubjectis adultioribus ac ſimul plethoricis, quibus intenſiores plethoræ commotiones familiares, aut quæ antehac actualibus moliminibus, vel eruptionibus hæmorrhagicis obnoxia fuerunt, in quibus conſvetudo ad dimittendum ſangvinem ſuperfluum & moleſtum adeſt, aut in quibus gravis commotio animi & corporis proximius præceſſit & ſimul ſuſpectæ orgaſticæ commotiones & immoderatæ eluctationes ſangvinis metuendæ ſunt, in talibus inquam ſubjectis mox in primo initio adminiſtrata V. Sio moderata in brachio utilis eſſe obſervatur; alias vero nunquam ſecuri uſus eſt.

§. XI. Deinde explorare convenit, an ægrotantes vel vermibus laborent, vel ob prægreſſam incongruam diætam multas impuritates bilioſas, aceſcentes, ſalinas, mucidas in ventriculo & primis regionibus collegerint, ubi contingit, ut ſub decurſu horum affectuum materia ſpecialis maligna ex hac ſaburra communi eximium pabulum & incitamentum nanciſcatur: propterea cura adhibenda eſt, quo incongrua hæc ſubjecta tempeſtive eliminentur; cavendo ne tam crudæ evacuationes talibus temporibus ſuſcipiantur, ubi nunc magis in peripheriam corporis maligna materia transferenda eſt, alias contingit, ut hic tranſitus materiæ illius in ſuperficiem corporis, ad interiora & nobiliora viſcera revocetur: quare mox in primo limine lenis laxatio commendanda eſt, quo convenit uſus Rhabarbari, Mannæ, mercurii dulcis: & talis evacuatio congrue ſuſcipitur ad præſervanda ſubjecta, ne affectus hi imminentes majus periculum inferant: unde etiam frequentius obſervare licet, quomodo poſt præmiſſum laxationis uſum, antequam talis affectus ſubjectum quoddam corripuit, non modo exanthemata talia moderatius, ſed & parcius effloruerint: de reliquo etiam obſervavi, quomodo evacuationes alvinæ paulo fortiores ad præſervandos hos affectus ordinatæ, illorum citiorem invaſionem invitaverint.

§. X. Altera indicatio circa triplicem operationem occupata eſt; prior concernit materiæ malignæ temperationem & aliqualem correctionem, hæc in junioribus ætatibus non melius neque ſecurius niſi cum tenerioribus abſorbentibus, aut terreis cum acidis ſaturatis perpetratur: in adultioribus tam hæc mixta terrea, quam nitrata, temperata acidulata & mucilaginoſa remedia conferunt, imprimis in ſubjectis floridioris ſangvinis: huc itaque conferunt decocta, quæ paſſim hactenus in febribus malignis ordinata ſunt: in infantili & puerili ætate vero abſorbentia ſubtiliora ſatisfaciunt, quæ rectius repetitis vicibus,

cibus, quam ſimultaneis largis quantitatibus offeruntur: ſimilem utilitatem temperantem & corrigentem habet potus conveniens & ſufficiens; modo non ſit nimius, neque frigidus neque nimis calidus.

§. XI. Secunda medica operatio in hac indicatione verſatur circa motus febrilis congruam directionem, ubi utrumque extremum ſollicite evitandum eſt, videlicet ne motus illi per remedia & regimina calefacientia augeantur & impellantur: quare Sydenhamio arcana & probata illa fuit methodus hiſce affectibus medendi, quo ſub optimo moderamine & poſſibili lenitate motus febriles tractentur, quando itaque prædicta abſorbentia ordinantur & quietum ac temperatum regimen conjungitur, tunc exceſſus horum motuum præſervari, imo etiam mitigari poteſt, quemadmodum ad illius ulteriorem & efficaciorem temperationem in junioribus ætatibus parcus uſus coralliorum rubrorum ppt. & Nitri, in adultioribus vero tum nitri, tum acidorum modicus uſus convenit: ſi vero motus febriles per ſe leniores fuerint, tunc eosdem per calidiora remedia fortius provocare non licet, ni toti affectui grave præjudicium inferatur: neque etiam pro excedente motu febrili refrigerantia remedia & regimina conferunt.

§. XII. Tertia operatio concernit excretionum, hiſce affectibus competentium, debitam promotionem: ſunt vero tales excretiones vel leniter diaphoreticæ, vel exanthematicæ; utræque non præmature neque impetuoſe urgeri debent; ante omnia convenit regimen tranquillum: deinde prædicta abſorbentia privativum diaphoreticum uſum habent: quadrat huc etiam modicus uſus antimonii diaphoretici, aut proſunt aquæ diapnoicæ ab empyrevmate liberæ, cum abſorbentibus mixtæ: excludo vero aquas refrigerantes, nec non diureticas, ut petroſelini &c. ut & denique aquam fumariæ, quæ ultima commotiones febriles valde auget, priores vero excretiones exanthematicas valde turbant: juniores ætates non cum Tincturis bezoardicis & Eſſentiis alexipharmacis tractandæ ſunt; adultioribus tamen exigua quantitas vel ſolius Eſſentiæ Pimpin. alb. confert.

§. XIII. Maxime confert a quarto die, nec non quando variolæ ſuppurantur tam regimine prædicto, quam cum remediis commendatis excretiones neceſſarias in conſtanti & temperato ſucceſſu conſervare, ne ulla ſuſpecta ſtrictura ſuperficiem corporis invadat & ſuppurationem turbet, ſed eo ipſo ſubinde materiæ malignæ efficaciam lethiferam augeat & invitet: ſpeciali titulo atque nota vulgo ad promotionem exanthematum commendantur Semina Aquilegiæ, Napi, Raparum in emulſione temperata exhibita, quæ poſteriora non nimis recentia, ſed ſufficienter exſiccata aut leniter toſta ordinanda ſunt, alias primis viis turbas inferunt & ad ſuſpectas diarrhœas diſponunt; & tales

emulſiones cum Sem. Card. mar. conjungi poſſunt, quæ lenem expellentem efficaciam habent: evitenter vero aquæ refrigerantes & ſemina talia: cavendum etiam eſt, ne emulſiones ſint nimis ſpiſſæ neve nimis dulces, imo ne nimis diu exhibeantur: quando enim exanthemata effloruerunt, tunc ab illorum uſu abſtinendum eſt & pulveres bezoardici fixi, abſorbentes continuentur, in morbillis vinum rubrum & beta rubra, in variolis & morbillis ſimul Lentes & ciceres nihil juvant ad exanthematum horum excretionem: maxima prudentia adhibenda eſt, quo excretio talis modeſte procedat: ſiquidem veſicæ cum aqua leniter calida oppletæ et collo atque pectori moderate applicatæ non modo facilitant horum exanthematum effloreſcentiam in hiſce locis, ſed et quo facies non nimium inficiatur & afficiatur, aut in futurum deturpetur.

§. XIV. Proximum eſt ut ſecundum tertiæ indicationis valorem diverſorum ſymptomatum rationem habeam, horum vero & varia & ſontica occurrunt; quando itaque convulſivæ commotiones inſultant, tunc minime convenit confeſtim ad ſpecifica antepileptica confugere, ſed præcedentibus indicationibus inhærere, quo videlicet excretiones neceſſariæ in juſtum ordinem dirigantur; huc conferunt potiones ex aquis diapnoicis, addita aqua florum tiliæ & abſorbentibus paratæ, nec non pulveres diaphoretici fixi, conjuncto regimine congruo: ſi vero epileptici tales inſultus diutius inſiſtunt, tunc potiunculis commendatis corallia rubr. ppt. Lumbr. terreſtr &c. commiſceri poſſunt: in adultioribus temperata alexipharmaca, cum convenienti regimine in tali neceſſitate proſunt; alioquin etiam talibus adminiculis prædicta emulſiva interponere & ſubordinare licet.

§. XV. Quando deliria & affectus phrenitici interdum concurrunt, tunc in junioribus emulſiva ex aquis diapnoicis & analepticis nec non ex ſeminibus Card. Mar. aquileg. Napi. papav. alb. addito antimon diaph. parata, conveniunt: huc etiam ſpectant modeſtæ frictiones, nec non potiones hactenus commendatæ: ſuſpectæ diarrhoeæ non ſunt ſimul & ſemel opprimendæ; pro mitigatione illarum conducit modeſtus uſus nitri, nec non corticis chaccarillæ, qui eximiam utilitatem habet: interponenda ſunt congrua bezoardica, cum regimine modeſte diaphoretico: ab opiatis & adſtringentibus ſollicite abſtinendum eſt: pro diarrhoea tali præſervanda conducit regimen exactum & potus conveniens, non frigidus, neque refrigerans, neque nimius.

§. XVI Quando nimia Tuſſis affligit, tunc conveniunt abſorbentia ſaturata, mixta cum aquis veronicæ, chærefolii, ſcordii, fl. ſambuc. &c: imo conferunt emulſiones dilutiores & ſi circumſtantiæ permittunt Eſſentiæ Pimp. alb. ſuccini, Helenii, ſcordii & cort. chaccarill. aut ſub decoctis e ſcorzon. cichor. hord. excort. herb. ſcord. veronic. tuſſilag. chæreſol. fœnic. fl. ſambuc.

para-

paratis, pauca & lenia reſolventia & expectorantia exhiberi poſſunt, uti ſub emulſionibus ſem. papav. alb. confert: ad Hæmorrhagias ſymptomaticas quascunque conducunt abſorbentia, coralliata, nitrata, emulſiva, cum regimine tranquillo & moderato: ad faucium incommoda conferunt gargarismata ex hordeo, avena, ſalvia, veronica, hyſſopo, fœnic. rad. liquir. fl. ſamb. chamom. papav. rhæad, roſar. paſſul. maj. & nitro; ſecurius omittuntur adſtringentia: quidquod ad pectoris & faucium vitia convenit aliquoties exiguas guttulas Eſſentiæ pimp. alb. ſine vehiculo deglutire: extrinſecus vero camphora de collo appenſa & veſicæ cum lacte, aut aqua, moderate tepidis repletæ, cum moderamine collo applicatæ præſervant, ne intrinſecus in faucibus exanthemata talia obhæreſcant.

§. XVII. Si contingit ut exanthemata talia pallidiora fuerint, tunc confert ordinare temperatiora alexipharmaca cum regimine exquiſito & modeſte diaphoretico: ſi exanthemata talia retroceſſerunt, tunc præter hæc auxilia adhuc frictiones moderatæ conducunt; plurimum tamen regimen exactum ſatisfacit: ſub ſuppuratione præſens nimius ardor, qui inquietudinem aliquam cauſatur, demulceri poteſt cum quieto & temperato regimine, pulveribus abſorbentibus, modico nitri uſu & emulſionibus dilutioribus, quibus etiam tantillum ſeminis papaveris albi admisceri poteſt: huc etiam quadrant potiones ex aquis diapnoicis, abſorbente cum acido ſaturato, coralliis rub. ppt. & Nitro paratæ.

§. XVIII. Si in tali affectu incommoda quædam vel inflammatoria, vel ſuppuratoria in aure concurrunt, quale quid præcipue in morbillis evenire ſolet, tunc in initio hujus afflictionis inflammatoriæ confert cum goſſypio Spiritum vini Camphoratum intra aurem dimittere, qui præſentaneam reſolutoriam opem affert: quando vero jam ſuppuratio imminet, ut diſcuſſio obtineri non poſſit, ibi præſtat intrinſecus temperatam Eſſentiam alexipharmacam, aut ſolam Eſſentiam Pimp. alb. ordinare: in aurem affectam cum goſſypio immittenda eſt miſcela Eſſentiæ ſuccini & Myrrhæ ad aliquot guttulas, aut balſamus de copaiva temperatus: ad oculos præſervandos confert bonum regimen & abſtinentia ab admiſſione ſplendidioris luminis, nec non camphora circa oculos in ſpiritu vini ſoluta applicanda: halitus maſticati allii aut fœniculi etiam aliqualem utilitatem affert: experimentum cum ſapphiro & hyacintho non ſatisfacit & quid in tali caſu radix ſcabioſæ & morſus diaboli efficiat, adhuc demum ex experientiæ ſolidæ ſuffragio deſideratur: rectius convenit linteolum cum ſpir. vin. camphor. imprægnatum, exſiccatum & palpebris applicatum: nec contemnendæ efficaciæ eſt Lac pingve recens (ubi non æque neceſſe eſt lac huma-

humanum ſeligere) cum tantillo croci & camphoræ intra & circa oculum modeſte dimittendum.

§. XIX. Singularis eſt afflictio & ſollicitudo, quomodo foveæ in facie præſerventur & evitentur; quanquam vero in hac neceſſitate varia experimenta proſtent, tamen plurima illorum ſunt vana: ſecuriſſimum eſt, ſi puſtulæ variolarum ſub ſuppuratione non turbantur; abſtineant ægrotantes ab immoderata frictione; hæc enim utplurimum deformat faciem: vidi aliquoties experimentum cum ſucceſſu, quando puſtulæ poſt ſufficientem ſuppurationem moderate aperiuntur, quo genitum pus effluat, ne in profunditatem cutis ſerpat & fœdas eſcharas cauſetur; ne vero denuo qualiſcunque genita cruſta immoderate divellatur, præſtat non quidem cum aqueis emollientibus ſubjectis, ſed cum oleo ovorum cum tantillo camphoræ & croci mixto, ſuccurrere: experimentum Dygbæi cum foliis auri, faciei imponendis, poſt rupturam variolarum incertum eſt; narium internæ exulcerationi ſuccurritur cum vitello ovi therebinthina & liquamine myrrhæ, aut cum oleo ovorum & ſubordinato uſu Eſſentiæ ſuccini, myrrhæ & oleo thereb.; quando puſtulæ in oculis ruptæ ſunt, tunc modeſtus uſus aquarum opthalmicarum cum lenioribus exſiccantibus ſubjectis conceditur.

§. XX. Ultima ſupereſt indicatio, quomodo videlicet hi affectus ad ſalutarem exitum promovendi ſint; hoc vario modo contingit nimirum quando cruſtæ aut ſquamulæ horum exanthematum ſecedunt, tunc continuandus adhuc eſt uſus temperatorum alexipharmacorum remediorum & regiminis modeſte diaphoretici; quando oppletio quædam pectoris remanet, tunc conveniunt Eſſentiæ helenii, ari, pimp. alb. vincetox. una cum aliis modeſte expectorantibus remediis: ſi ulcerationes ſuperficiales remanent, conducunt moderatæ abſterſiones primarum regionum & laxationes per ſuperius commendata adminicula; deinde proſunt remedia & regimina remisſius diaphoretica, nec non internus & externus uſus Eſſentiæ ſuccini & myrrhæ; in fine curæ multum proficit lenis laxatio, ne reliquiæ ſuſpectæ remaneant, quæ futuris lentis febrilibus pathematibus, aut plane hecticis anſam præbent: quando hos affectus paralyticæ afflictiones conſeqvuntur, tunc tempeſtiva medela adhibenda eſt: conferunt tempeſtiva balnea vinoſa & nervina: de reliquo & ſecurius & conſultius eſt, ſi ſubjecta in primis ætatibus hos affectus experiuntur, quoniam adultiora ſubjecta periculoſius hisce morbis laborant; neque tamen negotium bene cedit, quando quidam hos affectus necesſitare & ſub multa ſæpe ſuperſtitione invitare volunt; quo ipſo conamine divina directio omnino violatur, quod tamen a Chriſtianis abeſſe debet.

CAPUT

CAPUT XIX.

DE

FEBRIBUS EPIDEMICIS.

§. I.

REminiſcor nunc peculiari tractatione & annotatione Febrium Epidemicarum, quæ perinde ad malignarum Febrium claſſem ſpectant, eo quod contagioſam ſuam indolem communi graſſatione produnt & numericis funeſtis eventibus obteſtantur, ſicut etiam talibus cauſis atque occaſionibus nituntur, quæ alibi ad contagioſos morbos diſponunt, adeoque certis anni temporibus & ſub diverſis, perverſis atque confuſis tempeſtatibus invadunt ac graſſantur, ut propterea omnino prudentia & peritia opus ſit, quo pro hisce febribus conveniens medela ordinetur, ſiquidem & Epidemicæ febres illam qualitatem cum malignis febribus in genere communem habent, quod nimium quantum mobiles & ſenſibiles exiſtant, adeoque facile corruptionibus & offenſionibus obnoxiæ ſint.

§. II. Et quamvis Epidemicæ Febres etiam quoad ſpecies differant, tamen generica illarum communio cum malignitatis indole non variat; unde ad eſſentialem illarum ventilationem non craſſæ excretiones ſpectant, quæ potius easdem graviter affligunt; hinc eo rectius animus dirigendus eſt, quo temperatiores & leniores evacuationes ſuccedant; quodſi vero crasſiores quædam evacuationes ſub Febrium harum decurſu obſerventur, tunc probe dijudicare & diſcernere convenit, quid affectui proprium, quidve adventitium fuerit, ne hæ circumſtantiæ inter ſe confundantur, neve ſub applicatione therapevtica deinde ſiniſtri ſucceſſus oriantur: ad minimum illam regulam bene attendere debet artifex, ne in extraordinariis & minus eſſentialibus operationibus naturam facile & ludicre imitetur, ſed ſemper ad eſſentialia requiſita animum applicet.

§. III. Interim contingit, ut Epidemicæ tales Febres interdum ſine ſingulari exanthematica, aut alia ſpecifica excretione decurrant, in quo paſſu propterea ratio habenda eſt juſti & temperati ſucceſſus febrilium motuum, nec non legitimi decurſus illius evacuationis, quæ omnibus tum malignis, tum benignis febribus communis eſt, videlicet congruæ diaphoreſeos: & ſi evenerit, ut cum epidemicis talibus Febribus interdum complicentur febres intermittentes, aut cholericæ, nec non affectus inflammatorii, vel alvi fluxus modo pitui-

toſi,

toſi, modo ſangvinolenti, tunc particularium horum concurſuum exacte etiam ratio habenda eſt, ne dum febrili ſchemati ſatisfacere laboramus, has complicationes negligamus, ut patiens deinde, ſi non propter febrem, tamen propter hos ſecundarios affectus vitam amittat.

§. IV. In Cura Epidemicarum Febrium eædem cautelæ obſervandæ ſunt, quæ paſſim hactenus in Febrium malignarum explicatione traditæ fuerunt: imprimis vero ad eſſentiam Febris non ſpectant craſſæ evacuationes velut emeſes, catharſes, neque ſangvinis miſſiones proprie hiſce Febribus competunt: interim accidentales circumſtantiæ interdum quaſdam harum evacuationum ſpecies indicant: neque proſunt impetuoſæ & aquoſæ diaphoreſes, unde remedia acria, ſubtilia, concentrata & valde calefacientia nocent: obſunt etiam viciſſim regimina & medicamina refrigerantia: officiunt narcotica & roborantia ſpirituoſa: nocent volatilia & quæcunque alia motus valde augent & impellunt, denique etiam talia experimenta excludenda ſunt, quæ internis viſceribus ſuſpectam quandam occluſionem inferunt.

§. V. Specialis Therapia Febrium Epidemicarum ita dirigenda eſt, ut primo motus & ſucceſſus febrilis recte tractetur & præſervetur: hoc fit, quando tam in initio quam in continuatione exacerbati æſtus ordinantur & exhibentur remedia temperantia & materiam peccantem modeſte præparantia: hoc nomine commendo pulveres ex abſorbente teneriori ſubjecto, antimonio diaphoretico & nitro parati: huc etiam quadrant abſorbentia cum acidis maritata: non minus in hac indicatione conferunt decocta mucilaginoſa dilutiora, aut Julapia leviter acidulata: quemadmodum in ſexu virili, quando æſtus in Febribus talibus intenſior eſt, acida mineralia, modice uſurpata, conducunt: denique etiam ſufficiens & conveniens potus non eſt denegandus, ſervata tantum illa cautela, ne ex potus incongrua conditione ſuſpecti alvi fluxus excitentur.

§. VI. Altera indicatio concernit excretionis febrilis debitam promotionem & moderationem; quo itaque conveniens diaphoreſis rite ſuccedat, præſtat temperatis alexipharmacis remediis uti, ſed nunquam ſub vigore & acerbiori ſtatu æſtus, rectius quando æſtus quadantenus remittere videtur & ſi non ſua ſponte diaphoreſis ſuccedit: conducit huc temperata Eſſentia alexipharmaca, aut Tinctura Bezoardica, quæ etiam in moderata doſi congruis horis extra urgentem æſtum repeti poteſt: in ſubjectis activioribus & floridioribus convenit uſus Mixturæ ſimplicis, nec non interpoſita oblatio Julapiorum acidulatorum, cum aquis diapnoicis remixtorum: in ſenſibilioribus ſubjectis conferunt potiunculæ ex aquis diaphoreticis & analepticis, nec non ocul. cancror. cum acet. citri ſaturatis paratæ; de reliquo moderatum regimen diaphoreticum

reticum etiam in hiſce Febribus multum adjuvat ſalutarem, qui ſperatur & optatur, eventum.

§. VII. Quando cum hiſce Febribus alii affectus complicantur, tunc ſub prædictis indicationibus talia auxilia invenienda, ordinanda & conjungenda ſunt, quæ affectibus illis quadrant: maxima tamen cautela adhiberi debet, ne illi affectus ſuperficiarie, aut palliative curentur, neve repente obruantur aut opprimantur; quod denique ſymptomata attinet, quæ in epidemicis febribus concurſare ſolent, tunc eadem non aliter tractanda ſunt, ac in præcedentibus de ſimilibus malignarum febrium ſymptomatibus dictum fuit: interea juſta diaphoreſeos directio & promotio, nec non congruum regimen varia ſontica & ſuſpecta ſymptomata præoccupat: maximum periculum tamen in eo verſatur, ſi talia ſymptomata ſubito ſupprimuntur, aut per adſtringentia & opiata tractantur: deinde cavendum eſt, ne occaſio præbeatur, quo incongruæ diarrhœæ excitentur: quando vero tales inconſveti alvi fluxus intercurrunt, tunc eosdem poſitive coërcere & repente ſupprimere ſecurum non eſt; de reliquo epidemicæ Febres in militibus, aut ſubjectis durioris vitæ generis paulo facilius præſervatorias quasdam fortiores evacuationes tolerant.

CAPUT XX.

DE

FEBRE HUNGARICA.

§. I.

Singularis ſpecies Epidemicæ cujusdam Febris, præſens Hungarica, ſive Caſtrenſis eſt, quæ in ſchola medica valde cognita exiſtit, adeoque ſpeciali titulo tractatur & commendatur: haud vero ſimplex hæc febris eſſe deprehenditur, cum præter typicum curſum febrilem, varii alii affectus coincidunt, velut phrenitis, paraphrenitis, pleuritis, peripnevmonia, angina, diarrhœa, dyſenteria, petechiæ &c: prout videlicet diverſæ externæ cauſæ et aëris mutatione, tempeſtatum variatione, regiminis ratione, victus & potus conditione &c: provenientes, coincidunt & complicatum talem epidemicum morbum cauſantur: & ob hunc concurſum talium affectuum præſens Febris adeo periculoſa exiſtit, ut imprimis in medicina caſtrenſi ob defectum congrui regiminis & non ſatis methodicam therapiam eximiæ clades & perniciosi

nicioſi eventus conſpiciantur, quos prudens artifex omni ſtudio evitare debet.

Conf. Stahlii Diſp. De Curationibus Caſtrenſibus.

§. II. Eſt inſuper talis Febris omnino maligna, dum non modo ex ejusmodi cauſis oritur, quæ malignitatem generant, ſed & dum malignam ſuam indolem latius & citius per plura ſubjecta dispergit, adeoque contagioſo modo graſſatur, unde tam mira & dira ſymptomata conjunguntur, quæ connexum periculoſum ſtatum facile produnt: illud vero ſubinde notatu dignum eſt, quod in ſubjectis ægrotantibus tam crudæ & craſſæ cauſæ & circumſtantiæ concurrant, quæ non modo hanc febrem, ſed & illius Therapiam eo magis premunt & angunt; huc ſpectat dyscraſia ſangvinis, impuritas primarum regionum, ſaburra heterogeneitatum in ventriculo, diu ſuppreſſa transſpiratio inſenſibilis, prægreſſa frequens enervatio, prægreſſa fames, aut inordinata oppletio corporis; quæ ſingulæ circumſtantiæ non exiguis futuris perturbationibus anſam præbent.

§. III. Principalis itaque reſpectus in hac Febre concernit malignitatem, quæ omnes reliquas complicationes deteriorat; deinde ratio habenda eſt, quod in eadem Febre non modo intenſiores commotiones ſangvinis concurſent, ſed & quod particulares congeſtiones ad caput contingant, cum quibus nonnunquam catarrhales afflictiones conjunctæ ſunt; interdum hæmorrhagicæ contentiones complicatæ exiſtunt; quare utplurimum discretæ afflictiones capitis concurſant, quæ non parum reliquum Febris decurſum invertunt; quale documentum atque ſpecimen in ſuperioribus de ſynocha putrida Febre traditum fuit.

§. IV. In methodica & prudenti curatione cavendum eſt 1) ab indiscreto & præpoſtero uſu vomitoriorum & ſangvinis misſionum: 2) ab impetuoſis & largis diaphoreſibus: 3) a remediis calefacientibus, humores impellentibus & vias ſtimulantibus: 4) a ſimplici aut liberali camphoræ uſu interno: 5) a remediis volatilibus & qualibuscunque aliis concentratis: 6) a medicamentis & regiminibus refrigerantibus: 7) a narcoticis et vulgatis opiatis: 8) a communi theriacalium uſu: 9) ab adſtringentibus et valde incraſſantibus: 10) ab alvi firmiori occluſione et perturbatione: 11) a ſymptomatum ſubitanea ſuppresſione et palliatione: 12) et denique a confuſa & multiplicata remediorum oblatione.

§. V. Specialis cura tam ad accidentalia, quam eſſentialia phænomena dirigenda eſt: in quo ſubjecto itaque præſumitur multa & ſuſpecta impuritas in ventriculo, inſuperque aliæ circumſtantiæ non obſtant, in illo tempeſtiva emeſis, moderata tamen, non nocet; poſt cujus uſum vero minime convenit

aquo-

aquoſas & impetuoſas ſudationes provocare, aut calida remedia exhibere, ſed potius reliquum febris decurſum cum lenitate tractare: quando inſuper ex accidenti contingit, ut mox in initiis graves commotiones orgaſticæ oriantur, aut periculoſæ inflammationes complicentur, vel apparatus hæmorrhagici concurſent, aut plethora urgeat, tunc licet tempeſtivam Venæ Sectionem inſtituere, quæ tamen ita directe et proprie huic Febri non competit: unde bono judicio opus eſt, ne tales operationes, quæ magis accidentalibus reſpectibus ſatisfaciunt, indiscretim inſtituantur; quod etiam valet de catharſi artificiali.

§. VI. Rectius in cura hujus Febris pro motu febrili temperando conveniunt pulveres abſorbentes et nitroſi, repetito exhibendi & quidem ſub graviori æſtu; huc etiam pertinet potus ſufficiens, aſt non frigidus: alvus ſervetur aperta: quo contribuit potus et prudens nitri uſus: maximum juvat bonum regimen, quod ab inquietudine & nimio æſtu vacuum eſt; ſicut etiam viciſſim internæ et externæ refrigerationes ſollicite evitandæ ſunt: præterea modeſtus uſus acidorum remediorum non nocet, modo primæ regiones ab impuritatibus liberæ ſint: deinde etiam confert modeſtas diaphoreſes promovere & quidem quando æſtus remiſſior exiſtit: huc faciunt Eſſentiæ alexipharmacæ et Tincturæ Bezoardicæ, aut in quibusdam ſubjectis Mixtura ſimplex: proficiunt itidem in hac Febre decocta talia, qualia alibi in malignarum Febrium cura commendata proſtant, quibus tantillum nitri commiſceri poteſt.

§. VII. Symptomatum etiam ratio habenda eſt in hac Febre, quæ ſingula vero ſparſim in præcedenti Febrium malignarum tractatione occurrunt: quod enim deliria attinet, tunc pro iisdem mitigandis interne nitrata & acidulata, externe camphorata & rubefacientia, ſub-& con-juncto exacto regimine conveniunt: in ſubjectis robuſtis electuarium de ovo cum nuce vomica quicquam valet: venæ raninæ non ita confeſtim incidendæ ſunt, niſi opportuno tempore Venæ Sectio in brachio præmiſſa fuerit: conſultius fuerit in certis ſubjectis modeſta ſcarificatione narium Hæmorrhagiam provocare: deinde circa alvi fluxus circumſpectio adhibenda eſt, ne ſubito opprimantur: pro hisce moderandis eximiam utilitatem habet Cortex Chaccarillæ, qui ſubinde in complicatis pectoris morbis conducit: ad nimias vigilias nitrata, emulſiva, decocta mucilaginoſa & acidulata, nec non epithemata camphorata & papaveracea proſunt; conjuncto quieto regimine: denique complicationes petechiarum, inflammationum, dyſenteriæ, affectus cholerici, ita tractari debent, quo iisdem convenienter artifex ſatisfaciat: uti præcedentes tractationes huc viam monſtrant; plurimum vero in hac Febre valet bonum regimen, quod communiter ſub concurſu deliriorum graviter turbari ſolet.

CAPUT XXI.

DE

PURPURA MILIARI.

§. I.

SI quisquam eſt affectus febrilis, qui multam attentionem meretur, ſane hæc Purpura eſt, cujus hoc ordine mentio injicitur, quæ non modo valde ſenſibilis & delicata eſt, dum leniſſima methodo & maxime ſimplici modo tractari debet, ſed quæ ſubinde admodum contumax exiſtit, ut in illo ſubjecto, quod unquam invaſit, certum & radicale ſuum ſeminium relinquat, adeoque frequentiori exacerbatione perniciem comminetur: proinde repetita ſua recurſione non raro denique ſuum hoſpitem jugulat, licet aliquando chronicam, nonnunquam etiam acutam indolem aſſumat: præterea interdum ſingularem malignitatis gradum aſſumit, aliquando vero aliis malignis febribus, ut petechiis, variolis, morbillis ſupervenit.

§. II. Inter alias ſpeciales & ſonticas circumſtantias, quæ in hoc affectu notatu dignæ ſunt, ſequentes præcipue recenſeri merentur, primo quod materia peccans tam firmas, tamque intimas radices agat, ut poſt quamlibet afflictionem, quam intulit, certum & perpetuum ſeminium remaneat, e quo denuo poſt aliquod temporis intervallum, ejusdem affectus complementum enaſcitur: ſecundo quod hic affectus modo ſub Febris comitatu decurrat, alibi a febrili commotione liber ſit; tertio quod inter benignos & malignos affectus intermedius exiſtat & nunc larvam benignitatis, alibi malignitatis ſpeciem asſumat; quarto quod in quibusdam locis hæreditarius fiat: quinto quod non raro in habitum degeneret: ſexto quod valde mobilis atque ſenſilis exiſtat, ſeptimo quod ſpecificum ſuum contagium non raro obteſtetur; octavo quod cum ſtatu hominum plethorico multam, frequentem & eximiam communionem habeat; ad quas ſingulas circumſtantias artifex probe attendere, eoque therapevticas ſuas operationes dirigere debet.

§. III. Præterea animadverſione etiam digna eſt illa huic affectui familiaris excretio, quæ ſeſe cum aſperitate cutis, puſtulis miliaribus exiliſſimis & diaphoreſi olida & adverſi odoris ſiſtit, uti non raro aquoſæ & multum defatigantes ſudationes coincidunt: proinde altera obſervatio probe attendenda eſt, quod cum hoc affectu, paulo uſitatius & frequentius animi deliquia

com-

complicentur, quæ totius hujus ſchematis morboſi ſenſibilitatem produnt: quo adhuc ſpectat, quod efflorefcentia talis cutanea valde fugax & inconſtans exiſtat adeoque modo in peripheriam excurrat, modo in interiora recurrat: nullibi vero facile patitur, quo cum impetu expellatur, alias violenta tali methodo non modo ita fugax redditur, ſed & impetuoſa talis expulſio nihil levat, unde ſub tali affectu varia ſubjecta demortua ſunt, in quibus poſt mortem adhuc purpura hæc conſpicua fuit.

§. IV. Non infimæ dignitatis illa eſt obſervatio, quod ad hunc affectum invitandum, exacerbandum, conſervandum & confirmandum non parum ſangvinis ubertas contribuat, quæ propterea tam in præſervatione, quam curatione purpuræ attendenda erit; tanto magis ſi eadem in puerperis cum Lochiorum vitiis concurrit: quo adhuc accedit, quomodo præter hanc plenitudinem ſangvinis ſubinde frequentior orgaſtica commotio eundem affectum invitet, proptereaque etiam eundem admodum exacerbet; ut proinde lenisſima methodus ſeligenda ſit, qua genuinæ indoli purpuræ artifex ſatisfacere debet.

§. V. Quo itaque Cura Purpuræ ſcite & perite exerceatur, cavendum eſt 1) ab indiſcreto uſu Venæ Sectionum 2) a quibusvis fortioribus evacuationibus. 3) præcipue ab artificialibus communibus diaphoreſibus: 4) a remediis & regiminibus calidis & immoderatum æſtum provocantibus: 5) ſeorſim vero a volatilibus & communi interno camphoræ uſu: 6) a refrigerantibus & incraſſantibus: 7) a famoſis cardiacis & nervinis, quæ juxta vulgarem traditionem cordis præſervationi dicantur: 8) ab indifferenti & copioſo acidorum uſu: 9) a copioſo abſorbentium, imprimis craſſiorum ordinatione; 10) ab alvinæ excretionis perturbatione & fluxuum alvinorum repentina oppresſione: 11) a narcoticis medicamentis & 12) denique a nimis repentina purpuræ expulſione, cum qua communiter ille ſuſpectus ſucceſſus conjunctus eſt, quod purpura cito retrocedat & effugiat.

§. VI. Cura Purpuræ paucisſimis remediis abſolvi poteſt; non injuſta vero quæſtio movetur, an ad Purpuræ poſitivam curationem Venæ Sectio conferat; ubi mox regero, quod directe & proprie curatorio ſcopo Venæ Sectio locum haud inveniat: quando vero in ægrotantibus eminens plethora adeſt, quando mox orgaſtica ſangvinis commotio coincidit, quando adhuc opportunum tempus adeſt, quando proxime præceſſerunt conſvetarum evacuationum ſangvinearum ſuppresſiones, quando Lochiorum turbæ præceſſerunt, tunc omnino tempeſtiva moderata Venæ Sectio utilis eſt, quæ non modo Febris concurſum mitigat, ſed & Purpuræ eruptionem facilitat, modo regimen temperatum ſubjungatur: a promiſcuo vero Venæ Sectionis uſu abſtinendum eſt: quid viciſſim ſangvinis ventilatio præſervatorio ſcopo conferat, infra ſignificabo.

§. VII. Sed dum purpura interdum cum Febre conjuncta, aliquando vero ſimplex eſt, ita utriusque rationem habebo & primo quidem Purpuræ cum Febre complicatæ curationem explicabo: Leniſſima methodus ſeligenda & præferenda eſt, qua hic affectus tractari debet; unde pro materiæ peccantis modeſta correctione & temperata evacuatione vel ſola tenuiora abſorbentia conducunt, ſive illa ſimpliciora fuerint, ſive cum acidis ſaturata: & huic pulvillo abſorbenti commode aliquid Nitri commiſcetur; in ſubjectis floridioris ſangvinis & quæ orgaſticis commotionibus facilius expoſita ſunt, corallia rubr. ppt. conjungere licet: neque æque neceſſe eſt antimonium diaph. combinare, niſi ubi poſitiva quadam diaphoretica commotione opus fuerit.

§. VIII. Proinde ad utrumque ſcopum obtinendum conferunt decocta e Cichor. Scorzon. Hord. Paſſ. Maj. fl. Samb. Cinnam. parata, additis aquis diapnoicis & tantillo Nitri: acida remedia parum in hoc affectu proſunt, niſi ſubjecta floridiori ſangvine prædita fuerint; quæ ipſa inſuper magis in virili quam ſequiori ſexu conferunt: neque uſitata alexipharmaca medicamenta conveniunt, niſi ſubjecta admodum temperata & febriles commotiones lenes fuerint; quando præterea purpura ægrius efflorescit, tunc lenisſima diaphoretica commotio ſatisfacit, pro qua excitanda vel ſola Eſſentia pimp. alb. quadrat, quæ nonnunquam cum Eſſentia ſcordii conjungi poteſt; uti pro eodem ſcopo potio ex aquis diapnoicis & abſorbente remedio parata conducit: adjuvant etiam purpuræ eruptionem moderatæ frictiones, ſub illa cautela adminiſtratæ, ne refrigeratio ſuſpecta committatur; omnis enim, etiamſi levior fuerit, refrigeratio ad retroceſſionem purpuræ contribuit: Camphorata remedia licet ad copioſam purpuræ efflorescentiam contribuant, tamen impetuoſius operantur, adeoque purpuram hanc fugacem reddunt & ad internos ardores atque anguſtias diſponunt, quod de vulgari Camphoræ uſu valet.

§. IX. Multum ſubinde refert, quo alvus ſub toto Purpuræ decurſu libera & non occluſa ſit & quando occluditur præſtat illam lenientibus clysmatibus aperire: cavendum vero eſt, ne ex inquieto, aut refrigerante regimine, neve per potum frigidum, aut nimium, aut male defæcatum actualis diarrhoea excitetur, pro qua moderanda ſepoſitis opiatis & adſtringentibus, tam moderatus nitri uſus, quam Cort. chaccarillæ aut Eſſ. caryophyll. pimp. alb. Cort. aurant. gent. rubr. & cort. chaccarillæ conducit: Non male in Purpura dilutius & temperatius decoctum Coffee conceditur, quod placidam diaphoreſin adjuvat: ſed hoc loco monere etiam debeo, quod frequentior hujus decocti uſus ad Purpuram diſponat, quando imprimis ſubjecta utriusque ſexus ſenſibiliora hoc decocto indies cum regimine ſudorifero utuntur.

§. X.

§. X. Ante omnia in hoc affectu accuratum regimen commendandum eſt: nocet enim regimen æſtuoſum: neque ullo modo purpura impellenda eſt: unde neque croci uſus ſecurus eſt: nocet etiam vel levis refrigeratio, quare regimen ſit temperatum, ſed conſtans, nihilque mutatum, alias non modo cum periculo purpura retrocedit, ſed & diarrhoea, vomitus, animi deliquium ſupervenit, quæ periculoſa ſymptomata cum bona continentia et accurato regimine evitari poſſunt: optimum ſignum eſt, ſi purpura non modo moderate effloreſcit, ſed et ſi in ſuperficie perſiſtit: quare eo cura dirigenda eſt, ut ſub regimine bono tam principalis hæc purpurata excretio, quam reliqua moderata diapnoes ſufficienter excurrat: quando itaque purpura in peripheria corporis evanuit, tunc per aliquot dies uſum Eſſentiæ pimp. alb. continuare convenit.

§. XI. Quando in Purpura intenſior æſtus affligit, tunc non modo Nitrum in pulveribus, ſed & in potu exhibere convenit, modo illud parca quantitate ſucceſſive ordinetur; quod ipſum Nitrum etiam ſuſpectas alvi occluſiones reſerare adjuvat: ſi purpura nunc effloreſcit, conducunt etiam ſalia digeſtiva modica quantitate cum abſorbente remedio & nitro mixta: & ſi paulo pallidiores puſtulæ erumpunt, commode ejusmodi pulvillo aliquid de antimonio diaphoretico additur: ſi faucium incommoda concurrunt, præſtat Eſſentiam Pimp. albæ ſine vehiculo ad exiguas guttulas aliquoties aſſumere.

§. XII. In Purpura chronica & ſine Febris connubio affligente non niſi bonum regimen confert, ita ut ſubjecta a nimia refrigeratione & ab immodica exæſtuatione corporis abſtineant; proinde ſervent bonam diætam omnemque exceſſum in victu & potu evitent: cibo utantur eupepto, neque impuro: potus ſit tenuis neque copioſe vinoſus aut ſpirituoſus: conferunt interdum pulvilli abſorbentes & nitrati, nec non uſus Eſſentiæ pimp. alb. proficit modeſta frictio: maxime vero conducit tranſpirationem in æquali ſucceſſu conſervare: conferunt etiam infuſa calida dilutiora ſive herbæ Thee ſive Coffee.

§. XIII. Brevibus adhuc præſervatoriam Curam ſignificabo, quæ eo directa eſt, ne ſubjecta purpurata hic affectus nimis frequenter, nimisque vehementer corripiat: multum vero pro præſervatorio ſcopo convenit tempeſtiva ſanguinis ventilatio, ſive per V. Snem ſive in adſvetis per ſubordinatam ſcarificationem: alvus ſemper ſit libera, quin interdum per Rhabarbarina & Tamarindinata remedia admoneatur: verno tempore conferunt vina medicata laxantia per epicraſin efficacia: tranſpiratio inſenſibilis conſervetur in æquali ſucceſſu: animus ſit continens & quietus: interdum conveniunt pulveres abſor-

ſorbentes nitrati & pilulæ Stahlianæ ; neque temperatarum thermarum uſus penitus rejiciendus eſt, neque leniores acidulæ nocent.

CAPUT XXII.
DE
PURPURA URTICATA.

§. I.

ALterius indolis Purpura eſt, quam Urticatam voco, ab illa papulari efflorеſcentia, quæ cæſionibus atque puncturis, ab urticis inflictis ſimilis eſſe conſpicitur; affectus hic magis moleſtus, quam periculoſus eſſe deprehenditur, quando vero inique tractatur, tunc in deteriorem ſtatum ruit: & quamvis illius ſpecialisſima indoles quoad morbificam materiam non pateat, attamen ex omnibus circumſtantiis tantum conſtat, quod hæc excretio non ſit ſuperflua, ſed omnino utilis, dum impuritas quædam e corpore vivo ſeparatur, quæ diutius aſſervata, imo proinde plane augmentata, graviorem noxam inferret & prout obſervationes medicæ teſtantur, in periculoſiorem miliarem purpuram tranſiret; viciſſim vero hæc efflorеſcentia denuo retropulſa non modo pectori, (prout exanthematicorum affectuum indoles infert) ſed & reliquo corpori varia incommoda minatur: ſicut denique moderatus & legitimus hujus excretionis ſucceſſus evidentem euphoriam poſt ſe trahit: ut ita variis modis hujus excretionis ſalubritas emineat.

§. II. Duplex itaque in hac Purpura excretio occurrit, quæ directione & promotione modeſta indiget; una eſt illa, quæ cum papulari & exanthematica efflorеſcentia ſeſe prodit, adeoque Purpuræ appellationem ſuſcipit, altera perinde ſumme neceſſaria eſt & quæ in omni Febre adeſſe debet, nempe moderata & congrua diaphoreſis; quæ utræque excretiones quibuscum affectus hic & convenienter & utiliter abſolvitur, teſtantur, quod materia peccans non craſſa exiſtat, adeoque ſatis ſubtiliter humoribus interagitata ſit & cum more aliorum exanthematum in cutem transferatur, hinc non temere aut vehementer impellenda, ſed modeſte ad ultimam remotionem transferenda eſt; quoniam vero alias benignioris indolis eſt, hinc minime ut malignum contagium tractari meretur, quia facile febris concurſans exacerbatur & exinde affectus intricatior redditur: etenim utplurimum contingit, ut hic affectus citra

Febris

Febris conſortium decurrat & cum aliis cutaneis efflorescentiis aliqualem communionem habeat: interea ad uſum practicum ſufficit, quod hæc materia excrementitia ſit, licet illius ſpecialisſima indoles non ſatis conſtet.

§. III. Neque oblivioni tradenda eſt illa notatu admodum digna circumſtantia, quod hujus affectus peccans materia facile cum plethora congrediatur, ex eadem generetur, in eandem vicisſim operetur, per eandem excitetur & cum illius imminutione etiam quadantenus evacuetur: imprimis etiam ſciendum eſt, quod hæc materia per plethoræ commotionem, imo intenſiorem aliam qualemcunque ſangvinis agitationem & impulſum, quoad nocivam ſuam qualitatem acuatur & attenuetur, ut illius excretio tanto magis neceſſaria & utilis exiſtat; deinde tenendum adhuc eſt, quod eadem peccans materia proximius & facilius cum ſubtili & pingui lympha congrediatur, adeoque magis cum lymphatica, quam ſanguinea efflorescentia eliminetur; quæ animadverſio in applicatione practica illum uſum habet, quo adminicula, lymphæ depurationem promoventia, adhibeantur, qualia minime per ſimultaneos impulſus, ſed ſucceſſivas & modeſtas abſterſiones ad ſalutarem & convenientem effectum perveniunt.

§. IV. Converto me ad Practicam hujus affectus tractationem, in qua iterum ordine primo aliquot cautelas commendabo, quo reliqua cura melius ſuccedat: itaque 1) præſens affectus ægre perfert fortiores commotiones ſangvinis, undecunque eædem excitentur 2) nocent omnes impetuoſæ & craſſæ evacuationes, cum ſenſibili ſtimulo operantes, vias & humores valde commoventes 3) imprimis obſunt ſimultaneæ & diffuſæ ſudationes 4) abſtinendum eſt ab ordinariarum, imprimis alvinarum excretionum perturbatione & ſuppresſione, 5) cavendum eſt a remediis concentratis, acribus, reſinoſis, oleoſis, ſpirituoſis calefacientibus 6) omittantur remedia valde incraſſantia, multum acida, copioſa terrea. 7) tanto magis vero adſtringentia & ſic dicta refrigerantia 8) ſeponantur vulgatæ formulæ crocatæ, myrrhatæ 9) abſtineatur a volatilium curatorio uſu 10) nocent confuſæ & inopportunæ ſanguinis misſiones 11) valde inimica ſunt regimina cum impetu efflorescentiam talem urgentia & impellentia 12) obſunt etiam interna & externa mercurialia & ſulphurata, quæ neque materiæ peccantis indoli, neque libero excretionis ſucceſſui accommodata ſunt.

§. V. Specialis Cura Purpuræ urticatæ ſequentibus indicationibus, indoli affectus reſpondentibus, abſolvitur 1) ut in genere corpus ab impuritatibus materiam peccantem vel augentibus, vel deteriorantibus, repurgetur 2) ut hæc materia peccans, prout neceſſitas urget & circumſtantiæ variant, tam in craſſi, quam in conſiſtentia ſua ad congruam evacuationem præparetur 3) ut ipſa talis excretio legitime dirigatur & ſi neceſſe fuerit

modeſte promoveatur, ſubinde etiam a variis perturbationibus præſervetur 4) ut concurſus febrilis rite tractetur, ne exacerbetur, neve ſimul & ſemel ſupprimatur 5) ut denique congrua præſervatio ordinetur, ne hic affectus vel frequentius revertatur, vel in deteriorem ſtatum & morbum progrediatur.

§. VI. Quoad primam indicationem, præmonendum eſſe judico, quod primæ regiones ſentinam quandam conſtituant, e qua cum in univerſum reliqvum corpus, tum præcipue in maſſam ſanguineam multæ impuritates deveniunt; eapropter in hoc affectu etiam modeſtæ abſterſiones & laxationes conferunt: in adultioribus conducit Magneſia alba, extract. Panchym. Crollii, agaricus trochiſcatus, pilulæ de ammoniaco; in junioribus proſunt Rhabarbarina, Mannata, Tamarindinata: a poſitivis vero valde ſtimulantibus purgantibus abſtinendum eſt: hiſce evacuantibus remediis talia in ſubjectis adultioribus commiſcenda ſunt, quæ ſimul in primas regiones abſtergentem & colliquantem effectum exſerunt.

§. VII. Secundum alteram indicationem proſunt remedia præparantia, quæ qualemcunque materiæ peccantis ſalſam acredinem temperant; huc conveniunt teneriora abſorbentia, non prodigis, aſt repetitis doſibus & vicibus offerenda: non minus nitrata remedia hujus materiæ acredinem leniunt & nimium pruritum ſuperficialem demulcent: porro ad temperandam materiæ acrimoniam & præoccupandam noxiam efficaciam proſunt diluentia & decocta liquidiora mucilaginoſa & gelatinoſa, quibus commode Paſſulæ commiſcendæ ſunt, quæ cum temperata ſua vinoſa aciditate & conjuncta tenui mucilagine abſterſoriam & involutoriam qualitatem habent; iisdem decoctis non inutiliter tantillum nitri additur; neque penitus in ſubjectis adultioribus & ubi primæ viæ repurgatæ ſunt, lacticinia dilutiora, rejicienda ſunt.

§. VIII. Tertia indicatio verſatur circa evacuationis neceſſariæ directionem & promotionem; proſunt itaque & regimina & medicamina congrua; regimen ſit temperatum, a nimio æſtu & actuali frigore vacuum, præſtat tamen quo patientes moderato calori indulgeant: adjuvant vero excretionem congruam partim modeſtæ frictiones cum linteis calidis & molliori excutia, partim temperatæ Eſſentiæ alexipharmacæ, e quibus præcipue Eſſentia Pimp. alb. eminet, ſicut in ſubjectis humidioribus Eſſentia ſuccini & in temperatioribus atque adultioribus Eſſ. Fumariæ cum aliis Eſſentiis mixta confert: in junioribus etiam potiones ex aquis diaphoreticis & Matre Perl. ppt. paratæ conducunt.

§. IX. Interdum accidit, ut huic affectui febrilis commotio ſuperveniat, quæ juxta quartæ indicationis valorem recte tractanda eſt: abſtinendum itaque eſt ab æſtuoſo regimine & medicamentis calidis; ſervandum & ſeligen-

dum

dum eſt quietum regimen: temperant motum febrilem tam abſorbentia, ſimplicia æque ac cum acidis ſaturata, nec non corallia rubra præparata, quam nitrata cum abſorbentibus mixta; huc etiam adultioribus conferunt decocta dilute mucilaginoſa cum paſſulis parata; potus inſuper ſufficiens concedatur: proinde etiam proſpiciatur, quo corpus cum temperata diaphoreſi ventiletur, ſub quo moderamine & directorio facilius febrilis commotio atque concurſus mitigabitur, ut nullo adſtringente aut febrifugo remedio, quale in hoc affectu minime prodeſt, opus ſit.

§. X. Denique etiam Præſervationis mentio injicienda erit, hæc ita dirigi debet, quo primæ viæ mundæ conſerventur & per intervalla repurgentur & abſtergantur: in ſubjectis natu majoribus, præcipue quidem plethoricis, in diæta plena verſantibus, ad ſanguinis commotiones eluctatorias & orgaſticas pronis, confert artificialis ſubtractio ſanguinis, ſive per V. Snem ſive in carnoſis, per Scarificationem: tranſpiratio conſervetur in modeſto, libero & conſtanti ſucceſſu; & quo interdum illa promoveatur, conducit Eſſentia Pimp. alb. aliquando aſſumenda: præterea evitandæ ſunt nimiæ exæſtuationes corporis & præcipue ſenſibiles refrigerationes ſubjunctæ: diæta ſit temperata, motus & potus ſufficiens & animus ab iracundia præcipue abſtinens, vini uſus ſit modicus, omniaque reliqua ad quotidianum uſum ſpectantia, in bona temperie conſiſtant: ſymptomata denique quæ huic affectui ſe ſociant, ita tractanda ſunt, ut de ſymptomatibus in Purpura miliari dictum fuit.

Conſ. Diſp. mea de Purpura Urticata.

CAPUT XXIII.

DE

FEBRE SCARLATINA.

§. I.

BRevibus adhuc inter exanthematicas Febres, Scarlatinæ mentionem injiciemus, cujus indoles perinde lenis eſt, modo modeſte tractetur; alias quidem facile etiam exacerbari & deteriorari poteſt, præprimis cum illa in talem ætatem incidat & talia ſubjecta invadat, ubi facile ſiniſtræ commotiones provocari poſſunt: & licet hic morbus a contagio alienus ſit, tamen minime conſultum eſt cum impetuoſis methodis & remediis illum invehere & ag-

gredi; illud rectius conſiderare convenit, quod in hac Febre ſanguis, cum ſpeciali impuritate inquinatus, repurgetur, qualis impuritas e tota maſſa ſeparatur, hinc ſcarlatinæ illæ ſuperficiales congeſtiones ſangvineæ prodeunt, quo ſub hac detentione ſanguinis in peripheria corporis interea innexa & inhærens portio ſubtilis orgaſtica mediante motu caloris ſeparetur & per poros cutis eliminetur; quare hæc ſpecies Febris primario cum tali peripherica evacuatione & temperata diaphoreſi ventilatur & determinatur.

§. II. Proinde ſciendum eſt, quod hæc Febris uſitatius ſubjecta plethorica corripiat & quibus ſangvis eſt floridus æque ac fluidus; nec non tales homines citius invadit, qui in alimentoſa, plena, lauta & ſpirituoſa diæta verſantur, ut & qui frequentioribus & intenſioribus animi & corporis commotionibus obnoxii ſunt: inde facile colligere licet, quod ſub hisce circumſtantiis interdum talis ſubtilis orgaſtica impuritas generetur, quæ ſanguinis mixtioni noxam minatur, quare ſalutari omnino conſilio & inventione ſeſe natura a perniciosa tali materia liberare ſuſcipit & quia ſanguis præcipue inquinatus eſt, propterea eundem ſingulari tali methodo in ſuperficiem corporis reſtringit, quo proxime a tali noxia materia ſeparetur: hinc in præſenti Febre vitium magis in qualitate, quam quantitate ſangvinis hæret.

§. III. Negandum interea minime eſt, quod in hac Febre aliquando, ſed ſecundaria cauſandi ratione, vitium quantitatis tanquam acceſſorium & ſupernumerarium coincidat, ut propterea natura contra duos hoſtes pugnare debeat, hinc Febris talis complicata acerbior & periculoſior exiſtit; quare in hoc ſtatu nonnunquam molimina hæmorrhagica, aut diffuſiores ſudationes concurrunt, quæ ad plethoræ urgentis ventilationem reſpiciunt: propterea etiam urgens & incommoda ſanguinis abundantia ad majores exæſtuationes invitat, quæ intenſiores commotiones vero viciſſim ad diverſas excretionum convenientium perturbationes anſam præbent.

§. IV. Quo itaque hæc Febris juſte tractetur, cavendum eſt 1) ab indiscreto Venæ Sectionis uſu: 2) a quibusvis craſſis evacuationibus: 3) a remediis valde calefacientibus & acribus alexipharmacis: 4) a coactis & impetuoſis ſudationibus: 5) a medicamentis volatilibus: 6) a remediis antiſcorbuticis, quæ interdum in ejusmodi exanthematicis febribus allegantur, ſed quæ ob acrimoniam ſuam facilius nocent: 7) ab abuſu acidorum remediorum: 8) a narcoticis medicamentis: 9) ab abſorbentibus nimium incraſſantibus, aut plane adſtringentibus: 10) a remediis vulgatis refrigerantibus: 11) a confuſis, aut perverſis regiminibus: 12) a præcipiti ſcarlatinæ efflorescentiæ proſecutione & impulſu: 13) a nimis multis & frequenter mutatis methodis & medicamentis: 14)

a qui-

a quibusvis reliquis experimentis orgaſticam ſangvinis commotionem augentibus & conſervantibus.

§. V. Methodus huic Febri medendi quo ſimplicior eſt, eo convenientior exiſtit, adeoque hisce ſimplicisſimis indicationibus eſt circumſcripta: 1) ut urgentia impedimenta tempeſtive removeantur: 2) ut Febris ſucceſſus rite tractetur: 3) ut excretiones convenientes legitime promoveantur: 4) ut ſymptomata hujus Febris congrue mitigentur; ſingulæ hæ indicationes cum lenitate & continentia exercendæ ſunt, quoniam hæc Febris benignioris indolis eſt.

§. VI. Quod itaque impedimenta urgentia attinet, tunc in hac Febre alvi adſtrictio, aut ſegnities non parum futuro ſalutari ſucceſſui & effectui præjudicat, quin potius ad varia ſuſpecta ſymptomata occaſionem præbet; quapropter talis occluſio alvinæ excretionis tempeſtive reſeranda erit; & pro hoc ſcopo magis lenientia & diluentia conveniunt quam ſtimulantia: conſerunt etiam correcta aloëtica remedia; crudiora enim & magis communia aloëtica, intenſiores commotiones febriles cauſantur: proſunt etiam rhabarbarina, nec non mannata, prunata, paſſulata, tamarindinata; evitanda vero ſunt fortiora alvum moventia: ſi in ſubjectis adultioribus ſuſpecta plethora adeſt, de qua ex concurrentibus variis circumſtantiis artifex juſte præſumere poteſt, quod futuro præſentis Febris ſucceſſui damnum & impedimentum inferat, tunc tempeſtiva & ſufficiens Venæ Sectio non nocet: alias vero non promiſcue ſangvis mittendus eſt.

§. VII. Deinde Febris ita dirigenda eſt, ne confuſe & incongrue progrediatur: præſervant itaque Febrem ab omni exceſſu, eandemque in legitimo ſucceſſu conſervant, ſufficiens potulentorum oblatio, pulveres abſorbentes & ſimul nitrati, Julapia non valde dulcia, e Decocto hordei, cichor. ſcorzon. & paſſularum Maj. parata, addendo aquas diaphoreticas & ſyrupum acidulum, aut commiscendo tantillum nitri, vel Lapidis Prunellæ: cum hisce remediis conjungendum eſt regimen temperatum, placide calidum & ab omni exceſſu liberum, cavendo, ne præcipue inferiores regiones corporis admodum refrigerentur, alias non modo in genere decurſus febrilis turbatur, ſed & congeſtiones immoderatæ ſangvineæ caput obruunt.

§. VIII. Quod febrilium excretionum promotionem concernit, tunc ſecurisſime diaphoreſis cum moderato regimine facilitatur; præterea ſufficiens interna humectatio omnes neceſſarias evacuationes adjuvat; unde temperata decocta proſunt: rectius vero in hoc ſtatu mitiora adhibentur; conferunt diaphoretica fixa & in ſubjectis adultis floridioris ſangvinis Mixtura ſimpl. in junioribus proficiunt potiunculæ ex aquis diapnoicis & abſorbentibus remediis

 para-

paratæ; neque æque neceſſe eſt Eſſentias alexipharmacas & Tincturas Bezoardicas in uſum trahere: ſatisfaciunt aliquando decocta ſimplicia, non nimis calide haurienda.

§. IX. Denique etiam ſymptomatum ratio habenda eſt: in æſtu nimio conveniunt in junioribus corall. rub. ppt. & nitrata, in adultioribus tam hæc, quam temperata acidulata proſunt: in nimio capitis dolore & mentis perturbationibus interne conveniunt modo commendata æſtum temperantia remedia, una cum regimine congruo; externe vero epithemata camphorata, pediluvia & frictiones pedum: Hæmorrhagiæ narium turbandæ & cohibendæ non ſunt, niſi excedant, ubi potius temperantia & mitiora cohibentia præferri debent: anguſtiæ præcordiales leniuntur cum bono regimine, Mixtura ſimplici & potiunculis diapnoico-analepticis: ubi una proſpiciendum eſt, quo alvus libera ſit: faucium incommodis tempeſtive cum gargariſmatibus lenientibus, diſcutientibus, reprimentibus & nitratis ſuccurrendum eſt.

CAPUT XXIV.

DE

FEBRE LIPYRICA, TYPHODE, ASODE, LYNGODE ET PHRICODE.

§. I.

ORdo Syſtematis noſtri Pathologici ducit me ad præſentes ſpeciales certæ Febris, nempe Inflammatoriæ, qualitates, quæ valde periculoſum morbi ſtatum produnt, adeoque indicant, quod Febris a genuino ſuo ſtatu declinet & corruptam ſymptomaticam faciem induat: eſt vero talis Febris vel ſimplicior Inflammatoria, vel ſimul cholerica & quando in tali Febre motus ab ordine juſto degenerant & in inconvenientes congeſtiones, aut toni perverſiones & titubationes delabuntur, tunc vel inconſvetæ & ſuſpectæ horripilationes, vel periculoſi ardores, vel ominoſi angores & ſudores, vel lethales convulſiones conſequuntur, cum quibus ſymptomatibus utplurimum ita afflicti ægrotantes vitam amittunt, ut propterea vel optima oblata auxilia rarius ad ſperatum & ſalutarem effectum pertingant, quoniam vero medicus in nulla calamitate patientem deſerere debet, ita brevibus notabo, quid in tali neceſſitate prudens artifex committere & omittere debeat.

§. II.

§. II. Quo magis periculoſi hi ſunt affectus, eo major circumſpectio & dexteritas ab artifice adhibenda eſt, ne ſua culpa aliquid committat, quod funeſtum eventum promoveat & acceleret: cavendum itaque eſt 1) ab omnibus potentibus, craſſis & crudis evacuationibus: 2) a Venæ Sectionis ordinatione, quæ in ejusmodi Febrium ſtatu utplurimum præpoſtera eſt: 3) a remediis acribus calefacientibus, ſpirituoſis & concentratis: 4) a volatilium medicamentorum uſu: 5) a poſitivis diaphoreticis impulſibus: 6) a remediis roborantibus & nervinis ſubtilioribus & acrioribus: 7) a medicamentis vulgatis refrigerantibus: 8) ab adſtringentium remediorum uſu: 9) a narcoticis medicamentis: 10) a dubiorum experimentorum ordinatione, quæ communiter in periculoſis talibus caſibus ſiniſtre operantur: 11) a nimia & ſæpe mutata remediorum oblatione: 12) a perverſo regimine.

§. III. In Lipyria itaque, ubi interna urunt, externa frigent, intrinſecus vero præſens Inflammatio valde affligit, providendum eſt, quo alvus libera ſit, ad quam reſerandam Clyſteres lenientes conducunt: deinde proſunt Decocta e Cichor. Scorzon. Bardan. Veronic. Chærefol. Scord. fl. chamom. ſimpl. Sambuc. Sem. fœnic. carv. Paſſul. Maj. C. C. raspato, hordeo excorticato & Nitro parata: conferunt etiam Julapia e Decoct. Scorzon. aut C. C. aquis diapnoicis & analepticis compoſita: porro proficiunt pulveres temperantes, aut oc. cancr. cum ſucco Citri, nec non potiones ex aquis diapnoicis & oc. cancr. citratis paratæ: proſunt etiam emulſiva dilutiora cum Sem. C. M. mixta: ab extra vero frictiones & moderati ſynapiſmi conducunt: cum hisce adminiculis adhuc quietum & temperatum regimen conjungendum & hinc eventus expectandus eſt.

§. IV. Febris Typhodes etiam de proſapia Inflammationis eſt, ſed quæ cum inſolito & magis angente atque enervante, quam levante ſudore ſeſe prodit: in hac Febre perinde confert, quo alvina excretio libera ſit: deinde conveniunt decocta mucilaginoſa & gelatinoſa e C. C. raſpato parata, addida Scorz. quibus utiliter Paſſ. Maj. & min. ut & modica quantitas acetoſitatis Citri conjungitur: præterea proficiunt oculi cancr. citrati, pulveres nitrati & corallia rubr. ppt: conducit etiam Mixtura Simplex, nec non mixtura ex aquis diapnoicis & analepticis, oc. cancr. citratis, corall. rubr. ppt. & Spec. de Hyacinth. parata, cui tantillum de ſyrupo acetoſ. Citri addi poteſt: denique etiam Emulſiva e prædictis aquis & Semine C. M. compoſita, cum parca quantitate Specierum de Hyacintho remixta, quadrant: regimen etiam ſit quietum & temperatum.

§. V. Quod Febrem Aſoden concernit, tunc præter internam inflammationem, aut materiæ cujusdam malignæ circa præcordia detentionem & con-

congeſtionem, eximia præcordialis anxietas eandem comitatur, quæ cum prædictis afflictionibus conjuncta eſt: conveniunt itaque decocta in præcedentibus commendata mucilaginoſa, gelatinoſa & mitius acidulata: nec non proſunt oculi cancr. citrati, mixtura ſimplex, Eſſentia Scordii, Julapia e Decocto ſcorzoneræ paſſulato, aquis diapnoicis & analepticis, emulſiones, quibus camphora cum oleo amygd. dulc. ſoluta, refracta admodum doſi addenda, ita ut guttula una aut altera ad unicam doſin hujus emulſivæ formulæ aſſumendæ, referenda & numeranda ſit: denique etiam frictiones in uſum trahi debent.

§. VI. Alia Febris inflammatoriæ facies a veteribus Lyngodes Febris vocatur, ubi interna quædam inflammatio cum multo & anxio ſingultu conjuncta eſt, qualis concurſus ſemi convulſivi motus indicat, quod putrida quædam corruptio huic inflammationi propius nunc immineat: in hac itaque neceſſitate non alia remedia adhibenda ſunt, quam quæ internis talibus inflammationibus & conjunctis Febribus conveniunt: ſeorſim ad ſingultuoſam commotionem conveniunt Emulſiones ex aquis diſcutientibus & analepticis, nec non Sem. C. M. & papav. alb. paratæ: proficit etiam extractum Chaccarillæ cum oc. cancr. Citratis & Corall. r. ppt. mixtum: conferunt pulveres nitroſi, mixtura ſimplex, oleum prædictum Camphoræ cum emulſionibus allegatis mixtum, decocta gelatinoſa leviſſime crocata, modeſte acidulata & cum Syrupo Papav. rhæad. conjuncta: habet aliquam utilitatem Spiritus nitri dulcis, modica quantitate oblatus: denique ligaturæ hypochondriorum & modeſta rubefacientia aliquid ſalubritatis promittunt.

§. VII. Denique Phricodes Febris ſequitur, quæ cum multo horrore conjuncta eſt, ſed quæ ſecundum obſervationem antiquiorum medicorum inflammationem internam, ad ſuppurationis effectum tendentem involvit: ob id in hac febre continuanda ſunt illa, quæ internum diſcuſſorium effectum adjuvant, quo præcipue decocta, aliæque liquidæ formulæ ſpectant; proinde conveniunt Eſſentia caryophyllatæ, pimp. alb. vincetox. & ſcordii; conferunt infuſa calida e Veronica, chærefol. ſcord. parata: proſunt etiam emulſiva hactenus commendata, nec non abſorbentia teneriora & potiones ex aquis reſolventibus & analepticis, cum abſorbentibus conjunctis, paratæ: alvus ſit aperta, regimen temperatum: diaphoreſis legitime continuet; quicquid denique ad ſecuram & moderatam virium roborationem contribuit, illud in hac afflictione etiam ordinandum & conjungendum eſt.

CAPUT

CAPUT XXV.

DE FEBRIBUS SYMPTOMATICIS.

§. I.

SYmptomaticæ Febres non quidem exacte typicæ ſunt, attamen febrilem ſuum genium facile produnt; unde quoad formalem ſuam rationem adverſi, noxii, aut moleſti objecti excusſionem proſequuntur: ſuperveniunt itaque hæ Febres præcedentibus ſonticis quibusdam afflictionibus, quæ modo corpus, modo animum concernunt, hinc ejusmodi Febres eximios interdum dolores ſequuntur, teſtimonio læſionum, partibus ſenſibilibus nervoſo-tendinoſis inflictarum, quales dolores, ſecundum confuſam quorundam aſſertionem Febrem non efficiunt, licet communiter immoderatæ ſpasmodicæ commotiones illos dolores ſequantur, attamen ſpasmi non ſunt effectus dolorum, neque propterea Febres & Spasmi inter ſe confundi debent: rectius & Spasmi & Febres doloribus opponuntur, illa enim ſunt communia naturæ humanæ arma & methodi, quibuscum moleſtum objectum a corpore ſuo removere ſolet.

§. II. Quare Symptomaticæ tales Febres non pro turbulento, confuſo & ſimpliciter noxio actu declarandæ & tractandæ ſunt, quin potius e generica Febrium indole & forma naturæ actum conſtituunt, mediante quo ſalutari omnino ſcopo & reſpectu & animi & corporis ſalubritas & integritas urgetur; hinc attente obſervandum eſt, quomodo gravior, intricatior & difficilior præcedentis afflictionis conditio ad Febrem talem ſymptomaticam invitandam contribuat; inde liquet, quomodo utplurimum hæc Febris prævio morbo accommodata ſit, dum ad hujus expugnationem collimat: exinde vicisſim patet, quam male ſubjecto ægrotanti conſulatur, ſi neglecto principaliori morbo, febris mox obruitur, turbatur & ſupprimitur; inde enim contingit, ut in genere graves anomaliæ in œconomiam motuum vitalium incidant & primarius ille morbus deteriorem indolem aſſumat.

§. III. Quo loco adhuc circa Febrium Symptomaticarum Pathologico-Practicam indagationem indicandum eſt, quod duplex cauſa magnæ efficaciæ ad Febrem talem invitandam annotanda & deinde in curatione rite tractanda ſit: primo major Senſibilitas in ſubjectis, ob quam non modo motus

ſebrilis præcedentes illos morbos citius ſequitur, ſed & fortius & immoderatius progreditur: deinde plethora moleſta multum valet, quo talis febris accidat, teſtimonio ſtagnationum, congeſtionum, catarrhorum, rhevmatismorum, vulnerum &c: ubi contingit, ut ſemel commota talis Febris, tam plethoræ moleſtæ, quam præcedenti morbo opponatur; quid quod evenit, ut, quo magis plethora illa commoveatur, eo magis Febris hæc increbeſcat.

§. IV. Ob id perinde in Febrium Symptomaticarum Cura prudentia & temperantia opus eſt: nocent enim 1) quælibet impetuoſæ evacuationes, 2) ut & ordinariarum evacuationum perturbationes, aut negligentiores promotiones: 3) nec non præmaturi & fortes impulſus diaphoretici 4) cum regimine æſtuoſo, aut turbulento: 5) obſunt etiam remedia admodum calefacientia, acria, ſpirituoſa & vias atque humores irritantia & impellentia: 6) officiunt viciſſim communia refrigerantia: 7) aut valde incraſſantia: 8) tanto magis vero adſtringentia: 9) nocent omnia illa experimenta, quæ motum febrilem confundunt, vel plane ſupprimunt; 10) unde etiam palliativa & narcotica inimica ſunt, quia ad motus febrilis confuſionem inducendam contribuunt: 11) nocent volatilia remedia & denique 12) in cura harum Febrium præcedentium morborum exacerbationes valde præjudicant & ad corruptionem tum ipſius morbi, tum conjuncti motus febrilis multum contribuunt.

§. V. In ſpeciali Febrium ſymptomaticarum cura haud quidem hoc loco præcedentium morborum, qui hiſce Febribus primarium objectum ſubminiſtrant, medendi methodum fuſius percurram, ſed potius ad ipſam Febrium indolem animum dirigam: præſtat itaque 1) ſucceſſum motus febrilis rite dirigere, ne excedat, neve confuſe procedat; 2) confert excretiones febriles adjuvare: de reliquo vero principalis cura eſſe debet, quo præcedentes morbi debite tractentur, quo magis decreſcant, quam increbeſcant, ita eveniet, ut ſub decremento morbi cardinalis, etiam Febris ſponte minuatur.

§. VI. Febris ſymptomatica optime dirigitur, ſi bonum, moderatum & quietum regimen ordinatur & injungitur, quo motus febriles placide decurrant, neve ullo modo vel impediantur, vel perturbentur, vel exacerbentur: deinde conducit ſufficiens humorum & reliqui corporis dilutio & emollitio, quæ ſecretiones & abſterſiones rite procedant: adjuvant præterea tum ſeri ſubtilioris abſterſionem, tum acrioris involutionem & temperationem, tum nimii æſtus & motus febrilis mitigationem remedia abſorbentia, ſive ſimplicia, ſive acidulata, nec non medicamenta nitrata & decocta dilutiora, mucilaginoſa abſtergentia, quorum paſſim hactenus mentio facta fuit: proſunt in ſenſibilioribus Julapia, remisſius acidulata & quibus floridior eſt ſangvis, illis modicus uſus acidulorum remediorum æque proficit.

§. VII.

§. VII. Sed ſubinde etiam convenit excretiones Febribus in genere competentes promovere & hæ non aliæ ſunt, quam diaphoreticæ & diureticæ: propterea convenit, quando motus febriles remisſiores ſunt, offerre temperatum alexipharmacum remedium, conjuncto temperato regimine: proſunt etiam decocta mitius calida aſſumta, ſicut etiam pro diverſitate ſubjectorum diaphoretica fixiora conveniunt; ad diureſin adjuvandam conducunt diluentia & nitrata remedia, nec non interdum conjuncta ſalina deterſiva: præterea etiam confert, quo alvus aperta ſit: minime omnium conſultum eſt, ſub intenſiori æſtu ſudorem urgere, quin potius conducit, quo ſucceſſive moderata diaphoreſis procedat.

CAPUT XXVI.

DE

FEBRIBUS PUERPERARUM.

§. I.

PUerperarum morbi, in genere ſpectati ſane non ſunt leves: & quo magis dignitate alios morbos Febris antecedit, eo majorem attentionem & circumſpectiorem tractationem Puerperarum Febres merentur: quanquam vero Puerperæ variis Febrium Speciebus tum acutis, tum chronicis corripi deprehendantur, attamen de illis Febribus hoc loco ſermo mihi eſt, quæ tali cauſæ reſpondent, qualis præcipue Puerperis propria & genuina & ad quam in ſubordinanda Therapia animus advertendus eſt, ſi cura cauſæ ſuæ exacte reſpondere debet. Tales Febres itaque quæ Puerperis familiares exiſtunt, ita conſtitutæ ſunt, ut, ſi mitiores adhuc fuerint, ob ſingularem ſuam ſenſibilitatem, facile in periculoſum ſtatum converti queant; propterea circa illarum tractationem omni continentia & lenitate opus eſt.

§. II. Proinde Puerperæ ad Febres valde proclives ſunt, quo magis in iisdem ſonticæ & inuſitatæ tales cauſæ obtingunt, cum quibus Febres congrediuntur & quo magis motus in Puerperis excitati ſunt: illæ vero Febres, quæ Puerperis propriæ eſſe deprehenduntur, ſunt magis de proſapia continuarum & acutarum, ut puerperæ tam propter puerperium, hujusque connexa communia pathemata, quam propter talem Febrilem invaſionem ægrius degant; ſiquidem in tali ſtatu multiplex ægrotatio concurrit, dum ipſum Puerperium

morbus eſt; accedit ille morbus, qui deinde Febris objectum conſtituit, cui denique ipſa Febris conjungitur; ut adeo medicus in tanta morborum complicatione omnino habeat, quo caute atque dextre procedat, quoniam circa quemlibet horum morborum facile impingere poteſt.

§. III. Febricitant itaque Puerperæ uſitatius ob Lochiorum vitia, maxime ob iminutionem & ſuppreſſionem, nec non ob ſecundinarum retentionem, aut imperfectam excluſionem, ob difficilem & violentum partum, nec non ob difficilem lactis ſecretionem; ubi adhuc monendum, quod interdum internæ uteri inflammationes concurrant, quæ ſtatum ægrotationis eo periculoſiorem reddunt: tanto intricatior vero talis Febris eſſe comparet, quo magis fœminæ plethoricæ, activæ & ſenſibiles exiſtunt, aut quo magis eædem largioribus purgationibus uterinis adſvetæ ſunt, imo quo magis immoderatiores commotiones ſub partu præceſſerunt, aut ante partum & ſub illo calidiora remedia oblata fuere, nec non quando immoderatiores patheticæ commotiones concurrerunt, ſub quibus ſingulis circumſtantiis Febris quædam Puerperas gravius & periculoſius detinere ſolet: de purpura Puerperarum non habeo quo hoc loco ſpecialem mentionem faciam, quoniam illa puerperis propria eſſe non ſolet, & non niſi ſpecialiſſimis circumſtantiis nititur; quemadmodum modo in ſuperioribus ſeorſim de purpura miliari actum fuit: quando vero Puerperis hæc Purpura accidit, tunc eædem jam ſeminium illud purpuratum continent, quod per partum adeo commovetur & excitatur, quo affectus ille Purpuratus ſuperveniat.

§. IV. Quo magis intricata & delicata eſt Febris Puerperarum, eo major continentia & prudentia in illius cura adhibenda eſt: cavendum propterea eſt 1) ab omni forti commotione & evacuatione. 2) ab ordinariarum evacuationum perturbatione & ſuppresſione: 3) a remediis calefacientibus & concentratis: 4) a regiminibus anxiis & æſtuoſis: 5) a refrigerantibus & valde incraſſantibus medicaminibus; 6) ab uterinis vulgatis, quæ utplurimum calidæ qualitatis ſunt: 7) a febrifugis & qualibuscunque adſtringentibus: 8) a ſedativis & narcoticis, imprimis etiam 9) ab interno caſtorinorum uſu; 10) a volatilibus medicamentis: 11) ab impetuoſis diaphoreſibus & denique 12) a roborantibus concentratis & acribus remediis.

§. V. Quando talis Febris propter Lochiorum defectivum ſucceſſum orta eſt, tunc non conſultum eſt, per communia impellentia Myrrhata, Crocata & ſimilia remedia reſtitutionem Lochiorum urgere; quin rectius in hac neceſſitate maxima lenitate opus erit, ne poſitive in Lochiorum reditum quisquam irruat: illud quidem interea certum & verum eſt, quod Febris talis facilius remiſerit, quando Lochia legitime revertuntur, ſed hoc conſilium dictu

faci-

ſacilius, exercitu difficilius eſt: præſtat propterea in afflictione tempeſtive libero alvinæ excretionis ſuceſſui proſpicere, quo nomine & ſcopo Pilulæ Stahlianæ, aut aliæ temperatæ & correctæ aloeticæ; nec non clyſteres emollientes & leniter roborantes conducunt, quibus tantillum nitri addi poteſt: proinde licet extra nimium ſangvinis orgaſmum modeſtum pediluviorum uſum in conſilium & uſum trahere; quo etiam pedum moderatæ frictiones referri poſſunt.

§. VI. Mox etiam animadverſioni noſtræ ſeſe ſubjicit illa quæſtio Practica, an in tali febre Venæ Sectio neceſſaria ſit, multi eandem approbant, neque ego illam improbo, præcipue, quando fœminæ ſunt admodum plethoricæ, quando gravis commotio humorum ſub partu ſucceſſit, quando fœminæ commotionibus plethoræ & largis menſtruis purgationibus adſvetæ ſunt, ſub hiſce circumſtantiis venam in pede aperire licet, modo tempeſtive fiat: expedit vero poſt præſtitam talem Venæ Sectionem ſervare modeſtum regimen, temperatæ diaphoreſi accommodatum & offerre remedia moderata alexipharmaca, quo ſangvis æqualiter per univerſum corpus diſtribuatur & cum conſtanti modeſta diaphoreſi ventiletur.

§. VII. Quando ejusmodi Venæ Sectio omiſſa fuit, tunc ad temperandam nimiam commotionem & expanſionem ſangvinis, tam in Febre Lochiali, quam in Febre Lactea conveniunt pulveres uſitati temperantes, abſorbentes & nitrati, addito tantillo antimonii diaphor. proinde conferendum eſt regimen modeſtum & quietum, ne æſtus augeatur: concedi debet potus ſufficiens, ſed minime admodum frigidus; conferunt decocta liquidiora & domeſtica, juſcula dilutiora, cereviſia bene defæcata cum ſemine carvi decocta: & quando æſtus interdum tepidior evadit, tunc convenit temperata Eſſentia alexipharmaca, quæ nonnunquam cum eſſentia quadam carminativa, non nimis acri & calefaciente, commiſceri poteſt; maxime vero turbæ in inteſtinis evitari debent.

§. VIII. Minime confert in tali Febre excretiones urgere, ſed ſub placido regimine & tepeſcente æſtu modeſtam diaphoreſin expectare & adjuvare: caſtorina remedia præſente æſtu febrili, non ſunt utilia, quia orgaſmum ſangvinis augent: quando ſpumefactoria talis commotio ſangvinis concurrit, tunc præter regimen quietum, etiam abſorbentia cum acidis ſaturata conducunt: de reliquo præſente interna inflammatione talia auxilia conferenda ſunt, quæ ſub inflammatoriarum Febrium explicatione commendata ſunt.

CAPUT XXVII.

DE

FEBRIBUS INFANTUM.

§. I.

QUanquam in præcedentibus quarundam Febrium mentio facta fuit, quæ infantilem etiam ætatem corripere ſolent, tamen hoc ordine illarum febrium reminiſcor, quæ ſine exquiſita ſpecie, aut ſingulari typo infantilem & puerilem ætatem invadunt, quæ propter teneritudinem & ſenſibilitatem ægrotorum peculiari moderamine indigent; quandoquidem eædem ita facile exacerbari poſſunt, ut non modo fortius increbeſcant & contumacius inſiſtant, ſed & ominoſiorem eventum involvant: etenim cum partim ſubjecta ægrotantia, partim Febris cum eximia ſenſibilitate prædita ſint, hinc eo major circumſpectione opus eſt, ne aliquid audacter committatur.

§. II. Diverſæ ſunt cauſæ, propter quas infantes experiuntur febriles commotiones, ut adeo in harum Febrium rationali & ſecura tractatione therapeutica artifex prudens & peritus illis cauſis conſulere, mederi & ſatisfacere debeat, quia propter illas præſens Febris invadit & continuat; ſubinde etiam expedit, easdem cauſas opportuno tempore & congruo modo aggredi, ne Febris turbetur, ſiquidem hæc Febris potius lenienda & mitiganda, quam exacerbanda, quo deinde cum majori continentia & moderatione reliquæ morbificæ cauſæ ſubjugari & extirpari queant: tanto magis etiam infantes ſucculentiores & magis proceri ſub ejusmodi febrilibus commotionibus modeſte tractari debent, quoniam hujus conſtitutionis infantes, quos vollleibichte Kinder vocant, periculoſioribus accidentibus ſubjecti ſunt.

§. III. Præterea in infantibus Febricitantibus ordinariarum evacuationum ratio habenda eſt, ne illæ opprimantur: quidquod obſervare convenit, an ſub ejusmodi febrilibus commotionibus ſpaſticæ vel plane convulſivæ commotiones, ad quas hujus ætatis ſubjecta, valde propendent, concurrant, quibus etiam prudenti conſilio obviam ire debet artifex: non minus differentia inter infantes adhuc lactantes & ablactatos bene annotanda eſt, quoniam in prioribus adhuc ſpeciales impuritates aceſcentes, caſeoſæ & corrupte bilioſæ adſunt, quarum emendationi & evacuationi medicus operam dare debet; non minus indagatione & obſervatione digna eſt illa circumſtantia, an in infantibus

bus præceſſerint retroceſſiones inquinationum ſuperficialium ulceroſarum, quarum tempeſtivæ & modeſtæ repoſitioni intra ſuperficiem corporis artifex conſulere debet: denique notandum eſt, quod utplurimum in febrilibus infantum commotionibus dentitionem comitantibus & ſpasmodicæ acerbiores commotiones & bilioſæ affuſiones & profuſiones concurrant, quibus concurſibus itaque medicus perinde cum congrua medela proſpicere debet.

§. IV. In cura harum Febrium, quæ infantes corripere ſolent, omni continentia & lenitate opus eſt; ob id cavendum eſt 1) a quacunque cruda, craſſa & immodeſta evacuatione; 2) ab omnibus remediis calefacientibus acribus ſpirituoſis: 3) maxime vero a volatilibus, ut & 4) a Myrrhatis, crocatis & balſamicis: 5) a ſulphuris ſimplicioris uſu, tam interno, qui ſangvinis orgaſmos provocat, quam externo, qui tranſpirationem cohibet: 6) ab indiſcreto alcalinorum uſu: 7) ab excretionum ordinariarum perturbatione, aut inconvenienti promotione: 8) ab aliorum ſalinorum remediorum indifferenti oblatione. 9) a regimine anxio, æſtuoſo & immoderato: 10) a famoſis illis pulveribus compoſitis, in pharmacia pro infantibus aſſervari ſolitis, ut pulvere Marchionis, Pannonico, ſpecifico cephalico &c: 11) a remediorum Eſſentificatorum liberali & promiſcuo uſu: 12) a genuina Bezoardicorum oblatione; 13) a remediis & regiminibus poſitive refrigerantibus: 14) a Cinnabarinorum indiſcreto & largo uſu: 15) ab omnibus adſtringentibus & febrifugis: 16) a narcoticis medicamentis; & denique 17) a nimis prodigo, copioſo & variato remediorum uſu.

§. V. Specialis cura febrilium commotionum, in infantibus occurrentium, ita eſt adornanda, ut ante omnia artifex de juſta alvinæ excretionis libertate ſollicitus ſit (niſi ſpeciales circumſtantiæ ſvadeant, quo medicus alvum intactam relinquat) præſtat itaque alvum cum clyſteribus lenientibus aperire; ſicut in ſegnitie alvi ſuppoſitoria lenientia & modeſte ſtimulantia conferunt; non minus prunata, paſſulata, mannata aut rhabarbarina interdum ad alvum abſtergendam & evacuandam conveniunt: ab aliis alvum commoventibus & quidem ſtimulantibus omni ſtudio abſtinendum eſt.

§. VI. Porro ad motum febrilem temperandum optime conveniunt ſimpliciora & teneriora abſorbentia, nulla ſcrupuloſa arte alterata: etenim uſta terrea & calcarea, ut C. C. uſtum in ſimpliciori febris ſtatu nocent, quæ in ſenſibilibus infantibus adſtringentem effectum edunt, qui libero & legitimo motuum febrilium decurſui non parum præjudicat: quando vero ob particulares quosdam reſpectus in tali febrili caſu & affectu moderata adſtrictio neceſſaria eſt, tunc C. C. uſtum & corall. rubr. ppt. cum reliquis abſorbentibus miſceri poſſunt: quodſi etiam æſtus & orgaſmus ſangvinis in tali febre infantili in-

tenſior

tenſior fuerit, tunc exigua grana Corall. rubr. ppt. cum aliis terreis remediis mixta proſunt.

§. VII. Neque inutiliter cum ejusmodi pulvillo, non prodiga quantitate offerendo, moderata quantitas antimonii diaphoretici conjungitur, ſicut in infantibus non valde puſillis nitrum ad gr. i. cum tali pulvere mixtum & ſpasmodicas & febriles commotiones demulcere & mitigare adjuvat: proinde etiam infantibus potus ſufficiens concedendus eſt, modo non ſit nimius neque craſſus, neque valde frigidus: quodſi vero adhuc infantes lactentur, tunc nutrices parcius edere, largius vero bibere debent, ut cum lacte dilutiori & temperatiori infantes ſufficientem humiditatem obtineant.

§. VIII. Quod attinet pulveres illos Bezoardicos pro infantibus & deſiderari & aſſervari ſolitos, tunc ſciendum, quod verus Lapis Bezoar in febribus infantum non modo nullam ſingularem utilitatem habeat, ſed potius ad fortiores & inconvenientiores commotiones ſangvinis contribuat: proinde etiam ſub quibusvis febrilibus infantum commotionibus Cinnabaris parcius adhibenda & ſi æſtus major fuerit, potius omittenda eſt: alias ſi ſpasmodicæ commotiones concurrant, hæc cinnabaris ad unicum granum abſorbentibus pulvillis commixta conducit: Terra ſigillata & unicornu foſſile, (quæ remedia B. Ludovici in morbis infantum & puerorum commendat) haud tantam promerentur laudem, quia ad ſuſpectas adſtrictiones occaſionem præbent: quando vero bilioſa recrementa in infantum febribus concurrunt, tunc cryſtallus montana prædictis pulveribus ſociari poteſt.

§. IX. Ad promovendam modeſtam diaphoreſin in febribus infantum, præter antimonii diaph. uſum conveniunt aquæ deſtillatæ diapnoicæ, modo ab empyrevmate liberæ ſint; alias augent motum febrilem atque æſtum: inter has aquas vero Fumariæ aqua eximenda & omittenda eſt; quæ in omnibus infantum morbis cum febrili calore affligentibus ſeponenda eſt, quia turgefactorias ſangvinis commotiones concitat: alias temperatiores tales aquas vel cum cereviſia miſcere, vel ita ſimpliciter cum abſorbente remedio conjunctas exhibere convenit: eſſentiæ bezoardicæ puſillis infantibus febricitantibus non ſunt offerendæ, niſi nutricibus moderata doſis alexipharmacæ eſſentiæ oblata, in infantibus aliquam utilitatem promittat; neque etiam Succinata remedia ita ſimpliciter Febribus Infantum opem afferunt, quod etiam valet de Tincturis alcalinis: quando vero ſymptomatici calores febriles affectibus catarrhalibus, ulceroſis, ſcabioſis & ſimilibus difficulter & ſiniſtre decurrentibus, in infantibus accidunt, tunc Tinctura antimon. tartariſata cum eſſentia Succini mixta extra caloris vigorem offerri poteſt.

§. X.

§. X. De reliquo in omnibus Infantum febrilibus afflictionibus temperatiſſimum regimen ſeligendum eſt; omnis enim coacta exæſtuatio valde nocet: alvus ſub hisce Febribus nunquam ſupprimi debet; infantes ad cibum aſſumendum ne urgeantur, alias cardialgiæ, inquietudines, turbæ primarum regionum, conatus vomendi &c. invitantur: potus concedatur tenuis & ſufficiens, haud vero frigidus & avidis hauſtibus ingeſtus, alias eadem pathemata ſuperveniunt: quin denique proſpiciendum, quo infantes ægrotantes in quiete commoda conſerventur: peſſimum eſt experimentum & artificium, quando infantibus inquietis per opiata remedia ſomnus paratur.

CAPUT XXVIII.

DE

FEBRILIBUS COMMOTIONIBUS.

§. I.

Antequam totam tractationem de Febribus mittam, ultimo loco adhuc febrilium commotionum mentionem facere lubet, quas peculiari loco propterea allego, quia admodum frequenter in experientia medica obtingunt: quemadmodum vero infantes inſultibus & concurſibus ejusmodi febrilibus valde & facile obnoxii ſunt, ita non raro adultiora ſubjecta ſub variis caſibus cum febrilibus talibus commotionibus affliguntur, ut propter has ſingulari quadam ope indigeant, ne affectus ſubjecta ægrius detineat, neve ægri interdum in acerbiorem gradum delabantur: etenim quamvis motus ejusmodi febriles ſymptomatici ſint & aliam quandam cauſam concernant, cujus ſubjugationem & remotionem proſequuntur, tamen præmatura illarum invaſio, quæ aliquando nimia ſenſibilitate aut activitate ægrotantium nititur, variis exceſſivis & ſuperfluis commotionibus anſam præbet.

§. II. Multum itaque refert in hisce concurſibus febrilibus magis motuum, quam materiarum reſpectum habere, licet illæ cauſæ materiales & ad corporis œconomiam ſpectantes propterea minime negligenter tractandæ ſint, ſicut ſuperius de Febribus ſymptomaticis monui; quoniam vero ejusmodi febriles invaſiones non materialibus illis neceſſitatibus, ſed perſonali activitate nituntur, ita fruſtra, aut non niſi per ambages artifex operam impendet, quando principaliori ſtudio contra materiarum vexas pugnare ſuſcipit; neque

tamen a rationali medendi methodo alienum erit, ſi congruo tempore illæ primæ cauſæ, quæ febrilem hunc concurſum invitant, convenienter tractantur & amoventur.

§. III. Interea neque conſultum neque liberum eſt has febriles commotiones, quia non exquiſite typicæ ſunt, temere aggredi, aut immoderate profligare, quin rectius convenit illas propterea, quia de proſapia Febrium ſunt, modeſte tractare & potius lenire, quam ſupprimere; & ſicut alias legitima Febris non aliter, niſi cum congrua evacuatione utiliter determinatur, ita commotiones tales febriles vix ſecurius excurrunt, niſi moderata diaphoreſis easdem excipiat, quæ tamen minime præmature, aut impatienter urgenda eſt, ni commotiones illæ exacerbari, aut cum reliquo connexo affectu perturbari debeant.

§. IV. Ne itaque mitiores tales motus febriles in acerbiorem gradum & ſtatum convertantur cavendum eſt 1) a præmaturo uſu Bezoardicorum remediorum: tanto magis vero 2) a remediis acribus & valde calefacientibus, concentratis, oleoſis & ſpirituoſis; 3) a nimis anxio, immoderato & præmaturo ſudoris copioſi & diffuſi impulſu: 4) ab aliis confuſis, craſſis & immodeſtis excretionibus: 5) ab ordinariarum evacuationum perverſione aut incongrua promotione: 6) a medicaminibus & regiminibus refrigerantibus: 7) ab adſtringentibus & 8) communibus febrifugis remediis: 9) præcipue vero ab opiatis compoſitionibus: 10) a conjunctorum morborum exacerbatione, aut negligenti tractatione: 11) ab inſufficienti corporis interna humectatione: & 12) a perverſo regimine.

§. V. Quod ſpecialem curam febrilium commotionum attinet, tunc neque ſecuriora neque utiliora remedia conveniunt, niſi lenientia, diluentia & temperantia; ſeorſim vero conferunt tepida dilute mucilaginoſa hordeacea cum ſcorzonera aut e C. C. & paſſulis parata, addito cremore Tartari, aut Nitro, uti in ſubjectis floridioris ſangvinis acidulata modica quantitate commixta conveniunt: proinde concedendus eſt potus ſufficiens & temperatus, modice & ſucceſſive, quam copioſis hauſtibus aſſumtus; maxime conferunt pulveres abſorbentes & nitrati ſub æſtu aliquoties offerendi & ſi intenſior commotio orgaſtica concurrit, cum coralliis rubr. ppt. miſcendi: proſunt etiam abſorbentia cum acidis maritata, quæ temperante et abſtergente qualitate prædita ſunt.

§. VI. Ante omnia præſtat, quo alvina excretio libere procedat, pro qua adjuvanda rhabarbarina, prunata, paſſulata, poma & pyra dulcia cocta, nec non ſalina digeſtiva & nitrata remedia, ut & ſufficienter diluentia conferunt: præterea ſub æſtu moderatum & quietum regimen convenit, quoni-

ama

am omnis inquietudo & anxia ſudoris provocatio motus præſentes febriles magis exacerbat: neque tamen propterea moderata diaphoreſis negligenda, quin rectius promovenda erit: præſtat ſub remiſſiori calore, aut remisſione æſtus modeſte hanc diaphoreſin adjuvare, quo vel regimen quietum, vel decoctum conſvetum temperanter calidum, vel pulvis ex ocul. cancr. & antimon. diaph. paratus, vel temperata Tinctura Bezoardica, aut Eſſentia alexipharmaca, vel in ſubjectis activioribus & floridioribus & ubi præcedentis affectus conditiones permittunt, Mixtura ſimplex conveniunt; de reliquo in tali afflictione remedia lenisſima optimam efficaciam habent: ſomnum per artem in tali necesſitate provocare, conſultum minime eſt: defectum ſomni & æſtum moleſtum, animi & corporis quies atque temperantia, nec non abſtinentia a ſpecioſis & valde commoventibus remediis optime leniunt: & ita hæ ſingulæ admonitiones & cautelæ, quarum hactenus mentio facta fuit, in toto Febrium negotio bene annotandæ ſunt, quæ propterea curam Febrium ſecuram & e fundamento promittunt.

SECTIO X.

DE MORBIS ANIMI.

CAPUT I.

DE MANIA.

§. I.

Converto me nunc ad morbos, qui non in ſolo corpore ſubſiſtunt, ſed ipſum animum afficiunt, ſive hic ordine prius ægrotet & morbum corporis poſt ſe trahat, ſive corporis præcedentes afflictiones denique animum in conſenſum trahant; prior ſtatus eſt omnino ominoſior & contumacior, ſiquidem morbi, ex ideali & morali cauſa originem capeſſentes longe pertinaciores exiſtunt, dum cauſa hæc non modo intimius radicata, ſed & ita

 compa-

comparata eſt, quo minus facile illa alterari & emendari queat: quodſi vero cauſa in corpore hæreat, tunc evenit, ut hac tempeſtive & ſufficienter ſublata, etiam animus tranquilletur; quamvis negandum non ſit, quod ſi diutius animus in confuſione continuaverit, ipſe denique in talem aberrationis & perturbationis habitum degeneret, quo minus deinde complacari queat, licet præcedens illa cauſa, quæ ad corporis œconomiam ſpectavit, emendata & ſeparata fuerit.

§. II. Experientia itaque docet, quomodo vehemens tale delirium frequentius a cauſis idealibus, quam materialibus pendeat & quoniam talis rationis perturbatio firmas prius radices ſumit & ex diuturnis, operoſis & immoderatis ſpeculationibus atque deſideriis oritur, donec denique perfecte erumpat, ita facile patet, quid de tali caſu ſperandum & promittendum ſit: interea ſi indicia quædam futuri hujus delirii apparent, tunc ex officio prudentis artificis eſt, quo principiis obſtet & convenientem Therapiam moralem ordinet, quæ præcipue ad illud objectum directa eſſe debet, circa cujus tractationem & penſitationem de præſenti patiens verſatur; ita aliquando gravius malum præoccupari poteſt.

§. III. Tanto magis vero artifex ſimul probe annotare debet conſvetam ægrotantis indolem & activitatem, maxime quidem an in illo ſtatus plethoricus adſit, an frequentibus commotionibus aut actualibus emotionibus ſangvinis unquam adſvetus fuerit, an in eodem difficulter procedentia molimina hæmorrhagica occurrant, an præceſſerint repentinæ Menſium, Hæmorrhoidum, narium Hæmorrhagiarum, Fluoris albi, aut aliarum conſuetarum evacuationum ſuppresſiones: in qua diæta patiens antea verſatus fuerit & quæ harum circumſtantiarum aliæ pervolvendæ ſunt: ſiquidem oblata venena & philtra, utplurimum in ſubjectis plethoricis talem furibundam rationis perturbationem poſt ſe relinquunt: ubi præcipue ratio habenda eſt motuum & fluxuum hæmorrhoidalium immutatorum & perverſorum, nec non concurſantis ſuſpectæ ſpisſitudinis ſangvinis præter plethoræ præſentiam urgentis, aut conjuncti immutati vitæ generis, quod variis arduis alterationibus anſam præbet.

§. IV. Præſtat itaque non modo has, ſed & plures alias cauſas, quotquot ſub diverſis occaſionibus ad Maniam contribuere ſolent, probe & exacte pervolvere, quo deinde acceſſus ad illarum tractationem inſtitui queat: proinde etiam confert exploratam talem cauſam tempeſtive avertere, ne & animi & corporis morbus confirmetur, ubi tamen artifex ita congrue illam cauſam aggredi debet, ne vel nimis leniter, vel nimis audacter illam tractet, multo minus ita ſuperficiarie, otioſe & inique ipſam commoveat, ut animus ad majores &

con-

contumaciores perturbationes occaſionem ſuſcipiat: omnium minime vero medicus talem animi morbum nuda palliatione demulcere ſuſcipiat, unde longe graviores confuſiones & animo & corpori inducet: neque tamen hanc curam urgeat, ſi juſtæ præſumtiones ſuperſunt, quod talis morbus difficulter eradicari poſſit, ibi enim artifex conſervabit famam, tempus & impenſas & tamen denique poſthabita omni ſollicita therapia pharmaceutica, vincula & cuſtodia erunt applicanda: maxime proinde annotare convenit, an Mania ex repentina, an ex diuturna, contumaci tamen quadam confuſione ortum traxerit, quippe qui utrique caſus ſatis ſuſpecti & a medico probe dijudicandi ſunt.

§. V. Ne itaque Maniæ cura difficilis reddatur, aut plane perverſe exerceatur & exacerbetur, cavendum eſt 1) a confuſa ſanguinis evacuatione aut 2) omisſione neceſſariæ ſangvinis ventilationis 3) a confuſo, prodigo, inopportuno & indiſcreto emeticorum & catharcticorum uſu 4) a remediis maſſam ſangvineam valde commoventibus & turgefacientibus, acribus, concentratis, ſpirituoſis: 5) a ſalium volatilium communi uſu 6) a poſitivis medicaminibus & regiminibus ſudoriferis, quæ ſangvinem valde impellunt & orgaſmum illius augent 7) a ſalivatione 8) ab interno Camphoræ uſu 9) a remediis roborantibus & nervinis, quæ ſuppoſitis ſpirituum vitiis vulgo dicantur 10) a martialium communi, aut liberali & indiſcreto uſu 11) ab antimoniato regulino crudiori & largiori medicamento 12) ab antiſcorbuticorum larga oblatione 13) a nimis prodiga, perverſa, inconſtanti & variata medicamentorum aſſumptione 14) ab experimentorum vel minus probatorum, vel fortius operantium multiplici & confuſo uſu 15) ab adſtringentium remediorum incauta & multa ingeſtione 16) ab abſorbentium, terreorum, calcareorum abuſu 17) a poſitivis & repente refrigerantibus remediis 18) a frequenti, tanto magis vero promiſcuo ſedativorum & opiatorum remediorum uſu 19) a regiminibus nimis præmature ſeveris, coactis & duris, denique 20) a confuſo & præpoſtero aquarum ſubterranearum uſu.

§. VI. Specialis Maniæ Therapia ſequentibus practicis indicationibus eſt exercenda 1) ut generice corpus ad reliquam curationem præparetur 2) ut cauſa morbifica tempeſtive & convenienter ſubtrahatur 3) ut motus excedentes mitigentur & a capite avertantur 4) ut conveniens regimen ordinetur: Præparatio corporis ſuccedit, quando in ſubjectis robuſtis, quæ in voraci & irregulari diæta vixerunt, vomitorium mediocris efficaciæ ordinatur: ubi non æque priſcorum helleborus albus requiritur, qui inter veteres majoris forte efficaciæ fuit, quam quidem in aliis nationibus & inter poſteros ſe comprobavit: neque indiſcretim antimoniata crudiora regulina remedia concedenda ſunt, niſi ſubjecta fuerint robuſtiora: ſatisfacit vel Tartarus emeticus, vel radix aſari: præſtat etiam tempeſtive vomitum cum aliqua modeſtia provocare, quando ex

philtro oblato mania imminet, quo mature ingeſtum philtrum revomatur: Deinde convenit craſſas ſordes ex primis viis evacuare, quo conducunt purgantia remedia cum reſolventibus conjuncta, velut extracta amara, G. Sagapenum, Galban. Bdellium, reſin. Jalapp. extract. trochiſc. alhand. extract. helleb. nigr. multam utilitatem habent infuſa vinoſa paranda e radicibus vincetox. caryophyllat. tarax. petaſit. gentian. rubr. rub. tinct. Herb. Fumar. C.B. Cent. min. Capill. ven. &c. additis fol. ſenn. polypod. helleb. nigr. agaric. prodeſt etiam oxymel. helleborinum cum tantillo ſquillæ remixtum.

§. VII. Primarium opus in Mania præſtandum eſt, quo cauſæ ad hunc affectum diſponentes tempeſtive & congrue removeantur: quando itaque Mania a multitudine ſangvinis, a ſuppreſſis & perturbatis Hæmorrhoidibus, Menſibus & Lochiis pendet, tunc convenit V. Sio in pede ſufficiens & larga, poſt aliquam moram conducunt hirudines ad loca hæmorrhoidalia applicatæ; proficit aliquando venam frontis aperire, aut hirudines ad confinia aurium apponere, ubi ſubjecta cholerici temperamenti ſunt, ibi arteriotomia non penitus contemnenda eſt, modo artifices periti eandem exerceant: ſed confert cum ejusmodi ſangvinis miſſionibus juſtum ordinem ſervare, ne videlicet nimis frequenter eædem celebrentur, neve nimis parcæ & nimis exceſſivæ ſint, ſed quo proinde remedia temperantia & derivantia ſubordinentur: ſubinde præſtat ad Hæmorrhoidum & Menſium promotionem manum applicare; cavendo ne hæc promotio immoderata & inopportuna ſit.

§. VIII. Quod ſi Mania a nimia ſanguinis ſpiſſitudine ortum traxerit, quod tamen rarius contingere ſolet, tunc talia adhibenda ſunt auxilia, quæ in præcedentibus circa ſpiſſitudinis ſanguinis & mali hypochondriaci curam explicata et commendata ſunt: Si a vermibus dependet, ordinanda ſunt medicamenta vermes enecantia et evacuantia: Si a venereo oeſtro originem duxit, tunc confert diæta parca et parcius nutriens, potus aquæ, medicamenta nitroſa, abſorbentia, modeſte acidulata, mitius incraſſantia et ſubtractiones objectorum, quæ talem affectum commovere poſſunt: convenit etiam Tinctura Corallorum, Coralliorum rubr. ppt. uſus, Tinctura Martis Tartariſata, Tinctura Martis c. ſucco pomorum: propterea etiam in tali caſu quidam medici Caſtrationem commendant: ab extra genitalibus moderata diſcutientia & reprimentia applicari debent.

§. IX. Si a philtro oblato Mania orta eſt, tunc poſt præmiſſam generalem primarum regionum repurgationem, nux vomica ad pauca grana oblata cum regimine modeſte diaphoretico conjuncta, proficua deprehenſa eſt; quo etiam electuarium de ovo cum nuce vomica pertinet, ſubjungendo mitio-

tiora analeptica remedia: quando inflammatio in capite cauſa maniæ eſt, tunc cura e phrenitidis & inflammationum tractatione haurienda eſt: quodſi vero cauſa moralis fuerit, tunc cura per pharmaceutica auxilia votis & promisſionibus non reſpondet: aliquando maniacis acidularum & thermarum uſus temperatus admodum conducit: balneorum frigidorum ordinatio vicisſim audaculis empiricis relinquenda eſt, quæ utplurimum ſiniſtrum ſuum effectum ſive ſucceſſivum, ſive repentinum, obteſtatur: quantum enim damni & periculi afferat repentina talis alteratio in ſubjectis, ubi non modo motus in genere valde excedunt, ſed & ubi impetuoſa turgefactio ſangvinis adeſt, ſciunt illi, quibus rationalis medicina cognita, inſuperque curæ cordique eſt; interea æthiops æthiopem lavat, qui maniacis frigida balnea adhibet: minime enim illa cura Maniæ eſt, quando Melancholia contumax e Mania oritur; Quodſi denique aliæ cauſæ occurrerint, quæ ad Maniam diſponunt, tunc ad illas primario artifex curam ſuam dirigere debet; difficilis vero eſt cura Maniæ, quæ e læſione gravi capitis ortum traxit.

§. X. Quoniam Mania in exceſſu motuum conſiſtit, tunc hiſce mitigandis artifex ſedulam operam adhibere debet, minime tamen convenit hos motus per extrema conſilia & remedia coercere, unde neque adſtringentia, neque narcotica ſecure adhiberi poſſunt: conveniunt potius nitroſa & cinnabarina; ſicut ſpiritus nitri dulcis a quibusdam pro hoc ſcopo ordinatur: proſunt porro remedia acidulata, Mixtura ſimplex, decocta avenacea, hordeacea acidulata: excludo remedia ſaturnina, quæ maniacis vulgo commendantur, ſed quæ ſuſpecte operantur: pro eodem ſcopo in quibusdam ſubjectis conveniunt acidulæ: proſunt abſorbentia, corallia rubr. ppt. & modica quantitate Tinctura corallorum: huc quadrant prunata & paſſulata adminicula, poma & pyra cocta, quæ cum aciditate ſua temperata orgaſmum ſangvinis temperant.

§. XI. Præterea conveniunt auxilia, quæ impetuoſum decubitum & congeſtionem ſanguinis a capite avocant; talia ſunt partim continuata purgantia, maxime vero aloëtica correcta & helleborina; partim continuatæ & repetitæ applicationes hirudinum ad loca hæmorrhoidalia, partim pediluvia; nec non cucurbitularum cæcarum applicationes ad coxas: nonnunquam proſunt rubefacientia remedia, plantis pedum applicanda, aut veſicatoria, vel plane fonticuli in ſubjectis humidis: in capite vero camphorata ab extra impoſita, parcius crocata proſunt: huc etiam quadrant epithemata diſcutientia, modeſte reprimentia & leniter ſedantia: ſunt qui ad hoſce motus furibundos compeſcendos anagalliden purpuream commendant, quæ vel in extracto, rectius tamen in decocto ad ulteriores uſus adhibenda eſt.

§. XII.

§. XII. Quod ſpecifica attinet, quæ ad hoſce motus compeſcendos vulgo commendantur, tunc illorum varia quidem allegantur, e quibus plurima vel inexperta, vel ſuperſtitioſa, vel æquivoce probata ſunt: quid enim quæſo ſangvis aſini efficiat? niſi torpidi aſinorum genii & ſpiritus furorem maniacorum compeſcere fingantur: nonnulli ex eodem fundamento laudant ſanguinem humanum: quidam remedia ex ſtanno & ſaturno commendant, quæ vero minime fida & ſecura ſunt: alii hypericum, Smaragdum, Camphoram, Anagallidem extollunt: ſunt qui herbam Paridem & remedia ex argento parata laudant, quæ plurima tamen nondum in experientia ſatis probata ſunt: & quando aliqui herbas capillares, præcipue adianthum album murarium, nec non rubrum, aut Fumariam, capillum veneris, cuſcutam, verbenam, ſalviam, plantaginem acutam commendant, tunc hæc remedia in decocto adhibenda non niſi in tali ſtatu maniaco conveniunt, quando hypochondriaca quædam afflictio concurrit, ubi cum prædictis ſpeciebus adianthum & anagallis conjungi poſſunt.

§. XIII. De reliquo Maniaci provido directorio & attenta inſpectione indigent, ne violentas ſibi aliisque inferant manus: & quamvis aliquando videantur mente ſaniores eſſe, tamen in eo nullus ſecurus eſſe poteſt, ni confeſtim & inopinato tales patientes in furorem priſtinum delabantur & perniciem aliquam cauſentur: etenim plurimi mente capti habent ſua intervalla: proinde cum hactenus commendatis medico - pharmaceuticis conſiliis & auxiliis conferenda etiam ſunt moralia ſubſidia: non præſtat maniacis ſubido auſtere, audacter & rigoroſe reſiſtere, alias in majorem furorem delabuntur: præſtat gradatim ad illorum moderationem progredi: vincula tamen non nimis laxa illis applicanda ſunt: diæta adhibeatur ſimpliciſſima, minime valde nutriens, larga & ſpirituoſa, ſed dilutior & aquoſior: vini, ſpirituoſorum & ſaturate alimentoſorum potuum uſus ipſis haud confert: neque tamen potus ſufficiens ſubtrahendus eſt: motus corporis ipſis commendari non debet, quoniam alias in perpetua inquietudine verſantur: unde rectius quies & modeſtia ipſis concilianda: providendum inſuper eſt, ne maniaci nimium vigilent, alias delirium augeſcit; attamen per opiata & alia narcotica ſomnus provocari haud debet.

CAPUT

CAPUT II.

DE

MELANCHOLIA.

§. I.

Mitius, aut ad minimum tranquillius delirium eſt melancholicum, quod tamen interdum etiam ſatis contumax, refractarium & immorigerum eſt, quamvis de reliquo in affectis ſubjectis certi & diverſi illius gradus reperiantur: interea quoad uſum practicum multum refert ejusdem origines noſſe, quæ notitia non modo prognoſin certiorat, ſed & practicam melancholiæ tractationem valde adjuvat: ita enim evenit, ut ex mere moralibus cauſis hæc melancholia invitetur, quæ ſub continuatione ſua deinde varias corporis afflictiones inducit: propterea hoc malum eo contumacius eſt, quoniam origo in immateriali cauſa hæret, quæ vix facile emendari poteſt, tanto magis ſi cum diuturno, immoderato, ſubitaneo & pertinaci gradu & affectu illa cauſa ſtipata fuit: ut diuturnum anxium deſiderium, diuturna ſollicitudo & ærumna, immoderatæ curæ, profundi metus, tacitæ & anxiæ cupiditates, vehemens terror &c.

§. II. Præterea medicus provide circumſpicere debet, an adhuc tales cauſæ actu adſint & affligant, quæ ad præcedentem rationis perturbationem occaſionem præbuerunt: quidquod refert advertere, an profunda, diuturna, contumax & adſveſacta imaginatio concurrat, quæ non modo mentem magis inquietam & confuſam reddit, ſed quæ corpus etiam valde ægrotare facit: unde ſæpius ejusmodi ſubjecta occurrerunt, quæ morbidam corporis afflictionem ſibi imaginabantur, qua imaginatione vero emendata, ipſe ille morbus iterum evanuit: neque negandum eſt, quod vis confuſæ imaginationis ſtupendos interdum effectus cauſetur, quales nonnunquam ſupranaturalibus poteſtatibus adſcribi ſolent: in quo negotio tanto magis prudentia opus eſt, ne artifex vel nimis ſuperſtitioſus, vel nimis curioſus, profanus & ſecurus ſit.

§. III. Eo magis convenit, quo medicus obſervet illa pathemata, quæ patiens in corpore ſuo ſubit, an videlicet conſvetæ evacuationes, præcipue ſanguinis, ſuppreſſæ ſint, an vitæ genus mutatum ſit, an multi moerores præceſſerint, an patiens in diæta plena verſetur, an alii morbi prægreſſi ſint, an perverſæ medendi methodi adhibitæ fuerint, maxime vero adſtringentia

remedia; an melancholia ex oblato philtro, an a læſione capitis ortum traxerit, an patiens nimia ſedentaria vita utatur, an hæreditaria diſpoſitio concurrat; imprimis etiam annotare convenit, an hypochondriaca afflictio concurſet, quæ non raro cum melancholia conjungitur: quid quod inquirendum eſt an melancholia maniacum delirium anteceſſerit & an hic affectus certa intervalla ſervet, an cum morbo non ſimplici, ſed complicato concurrat, an labes quædam in interno viſcere adſit.

§. IV. Imprimis obſervare decet ſtatum ſangvinis, quantus & qualis ſit, an moleſte ſuperfluus, an ſimul valde ſpiſſus ſit: nec non an motus & fluxus hæmorrhoidales unquam in patiente præſto fuerint, quomodo Menſes procedant, quomodo puerperia & Lochia ſucceſſerint, an fluor albus ſuppreſſus fuerit, an contumax & diuturna alvi obſtructio concurrat, an multæ anguſtiæ adſint, quæ interdum metum polypi cordis incutiunt, an ſpecialiſſimum illud malum ſpleneticum complicatum ſit, quæ principales diverſæ ſunt conſiderationes ad ſecuriorem Melancholiæ curam pertinentes: inſuper notandum eſt, quomodo talis melancholica mentis perturbatio ægerrime emendari poſſit, ſi in habitum quendam degeneravit, etiamſi ad cauſam illam corpoream expugnandam artifex omnem induſtriam adhibeat, unde in hoc affectu perinde tempeſtiva medela opus eſt.

§. V. In cura Melancholiæ ſuſcipienda plurimæ illæ cautelæ obſervari debent, quæ in præcedenti affectu commendatæ ſunt: abſtinendum itaque eſt 1) a confuſo & indiſcreto vomitoriorum uſu 2) a nimis potentibus purgantibus & frequenti uſu aliorum alvum moventium remediorum 3) ab intermiſſione, aut confuſa adminiſtratione V. Snis 4) præcipue ab evacuatione ſangvinis e ſuperiori corporis regione 5) a negligentiori moliminum hæmorrhoidalium obſervatione & tractatione 6) ab ordinariarum evacuationum perturbatione, aut ſiniſtra & inſufficienti promotione 7) a remediis acribus, volatilibus, concentratis, ſpirituoſis & ſanguinem valde commoventibus 8) a præmaturo, frequenti & copioſo martialium uſu: 9) ab experimentis heroicis & potentioris alterationis 10) a copioſo abſorbentium uſu 11) a remediis multum acidis & aliis incraſſantibus 12) tanto magis ab adſtringentibus medicamentis 13) a narcoticis remediis 14) a nimis frequenti methodorum medendi & medicamentorum mutatione.

§. VI. Cura Melancholiæ talibus cauſis, quæ corporis œconomiam concernunt, inhærentis, hiſce indicationibus circumſcripta eſt: 1) ut corpus a generalibus impedimentis & impuritatibus repurgetur: 2) ut diverſæ morbi cauſæ tempeſtive, modeſte, attamen efficaciter removeantur 3) ut concurrentes afflictiones & ſymptomata urgentia complacentur: 4) ut juſtum regimen

pro

pro animo & corpore præſcribatur: quod enim melancholiam illam attinet, quæ ex ſolo animo ortum traxit, illa ægerrime percurari poteſt, ni interdum alia adminicula levem mali imminutionem promittant: in qua melancholia eo majori & ardentiori affectu divinum auxilium exorandum eſt.

§. VII. Progredior potius ad illam Melancholiam, quæ magis medicis directionibus ſubjacet; quo cura hujus afflictionis eo melius ſuccedat, neceſſe erit, quo antea corpus a craſſis impuritatibus liberetur: quod itaque vomitoriorum uſum attinet, tunc eundem neque abſolute approbo, neque indiſcretim improbo: in illo tamen caſu provocare licet vomitum, quando ſubjectum eſt cum neceſſariis viribus inſtructum, neque ad vomendum valde indiſpoſitum, quando præceſſit diæta irregularis, intemperata & immodica, adeoque ſaburra quædam in ventriculo ſuſpecta juſte præſumitur & quæ concurrentes ſimiles adhuc circumſtantiæ annotationem merentur: præſtat tamen illam cautelam tenere, ne vomitus excitetur, quamdiu materia in ventriculo eſt cruda & immobilis: præmittenda in hoc caſu ſunt diluentia, emollientia & incidentia ſalina aut abſtergentia amara: e vomitoriis remediis ſatisfacit Tartarus emeticus, radix aſari & ſquilla; deinde inteſtina ſunt repurganda ab inhærentibus craſſis ſordibus, quo imprimis infuſa vinoſa conducunt: in genere in melancholia ad evacuandam alvum conveniunt Fol. Sennæ, Polypodium, aloes, agaricus, helleborus niger, nec non pilulæ de ammoniaco, de agarico, extr. panchym. Croll &c.

§. VIII. Porro Melancholia ſecundum cauſarum diverſitatem, diverſimode tractanda eſt; quando enim plenitudo & ſpiſſitudo ſangvinis in culpa eſt, tunc talia auxilia in uſum trahenda ſunt, quæ in præcedentibus variis occaſionibus commendata proſtant, imprimis quæ de affectu hypochondriaco, ſplenetico, ſcorbutico, de ſpiſſitudine ſangvinis & paſſim alibi propoſita ſunt; præcipue conducunt reſolventia & abſtergentia amara antiſcorbutica ut Fumaria, Cochlear. cent min. C. B. abſinth. Lappathum acutum, ſcolopendr. Capill. vener. Cuſcut. Marrub. alb. Beccabung. Trifol. fibrin. ſcord. Veronic. hepat. nob. adianth. alb. & rubr. verben. betonic. ſalvia, imprimis in formula liquida offerenda: proſunt etiam ſalina deterſiva, facile ſolubilia, ſal anglic. ſal mirabile, Tartarus tartariſatus, terra foliat. Tartar. quin congruo etiam tempore ipſæ acidulæ: proinde apprime melancholicis confert repetita Venæ Sectio in pede adminiſtranda, aut hirudinum iterata applicatio ad loca hæmorrhoidalia.

§. IX. Multum melancholicis confert ſufficiens & conveniens potus, videlicet non valde alimentoſus, neque valde ſpiſſus aut ſpirituoſus: motus corporis & labores ſunt eximium melancholicorum adminiculum, mo-

do ſub juſto moderamine & ſine orgaſtica ſangvinis commotione procedant; omnis enim exæſtuatio corporis eximie melancholicis eſt infenſa: præterea conveniunt in hoc affectu arum, ſquilla, vincetoxicum, armoracia, naſturtium, raphanus, ſynapi, zingiber, cepæ, allium, porrum, quæ omnia reſolvente ſua efficacia utilia ſunt: haud vero conveniunt remedia, quæ feroſas excretiones nimium urgent; unde Tincturæ antimoniatæ, quia admodum diureſin excitant, cum ſingulari modeſtia adhibendæ ſunt, ne ſangvini melancholicorum, qui alias valde in ſpisſitudinem proclivis eſt, fluidum ſerum nimium ſubtrahatur: porro in melancholicis abſorbentia quidem, ſed parcius uſurpata & præcipue cum acidis ſaturata conducunt.

§. X. Proſpiciendum inſuper eſt, ne in aliquo viſce e nobiliori infarctus ſuſpectus occupet, in quo caſu illa adhibenda erunt, quæ in mali ſplenetici & ſcirrhi Lienis explicatione proſtant: omnium maxime confert in hoc affectu primas regiones ab omni ſuſpecta conſtrictione præſervare: conveniunt etiam pro ſufficienti humectatione corporis decocta & infuſa calida, juſcula gelatinoſa liquidiora: ſubinde experientiæ commendandum eſt illud decoctum anagallidis puniceæ, cujus a plurimis practicis mentio injicitur: neque vini potus moderatus melancholicis penitus ſubtrahendus eſt; neque uſum balneorum, modeſte calidorum, improbo, modo illa cum continentia adhibeantur: cavere vero omni modo convenit a balneis frigidis; inſuper omni ſtudio allaborandum eſt, quo animus quovis modo tranquilletur, ne illius continuans confuſio corporis ægritudinem augeat: præſtant hoc nomine varia moralia adminicula: abſtinendum tamen eſt ab opiatis artificiis.

§. XI. Seqvuntur principaliora ſymptomata, quæ melancholiam utplurimum comitari ſolunt, quorum mitigatio in hoc affectu utilis & neceſſaria exiſtit: affligunt itaque capitis gravitates, temulentiæ, vertigines & interdum obtuſi dolores, quibus mitigandis conducunt, pediluvia, laxantia ſelecta & correcta helleborina & aloetica, ut & nitrata atque cinnabarina remedia: extrinſecus convenit modeſtus camphoratorum uſus, nec non applicatio epithematum mitius reſolventium & reprimentium: alvi adſtrictio nunquam toleranda, ſed lenientibus & laxantibus emendanda eſt: flatulentia urgens cum clyſteribus emollientibus & roborantibus, nec non cum ſubjunctis modeſte carminativis remediis tractari debet: phlogoſes frequentes mitigandæ ſunt cum remediis nitratis, abſorbentibus cum acidis ſaturatis & coralliatis remediis, nec non cum ſero lactis; anguſtiæ præcordiales leniri poſſunt cum clyſteribus, ſuppoſitoriis, pediluviis, remediis nitratis & cortice chaccarillæ: interdum etiam pro partibus roborandis conferunt tonica & ſelecta martialia remedia, nec non mixtura roborans nobis uſitata: ad nimiam inquietudinem

con-

convenit partim moralis temperatio, partim uſus pediluviorum, balneorum & frictionum modeſtarum, additis pulveribus nitroſo-cinnabarinis & conjuncto interdum modico lactis dilutioris potu.

§. XII. Denique pro melancholicis juſtum regimen ordinandum eſt: non parum vero in cura melancholicorum valent interdum licitæ deceptiones & ſtratagemata ad nimis contumacem imaginationem fallendam & leniendam utilia: proinde diæta modica, temperata & diluta prodeſt: juvat motus corporis & peregrinatio; confert potus ſufficiens: animus quovis modo conſervetur in requie: minime tamen cum audacia, rigore & auſteritate coerceatur; concedatur quælibet modeſta, temperata & licita animi delectatio: juvant jucundæ converſationes: maxime nocent multæ vexæ melancholicis inductæ; evitanda eſt frequens ſolitudo: præoccupandi ſunt animi moleſti affectus & quicunque alii exceſſus: modicus & opportunus vini uſus non nocet: ordinariæ excretiones in juſto atque libero ſucceſſu conſerventur: moderatus calor præferatur: frigus vitetur: omnia denique experimenta, in extremos gradus degenerantia, ſollicite arceantur: quæcunque denique conſilia in mali hypochondriaci explicatione ſuppeditata ſunt, illa ad hunc affectum ſecure conferri poſſunt.

CAPUT III.

DE

HYDROPHOBIA ET LYCANTHROPIA.

§. I.

SPecialisſimæ hæ ſunt & animi & corporis turbæ atque afflictiones, a ſpecifico illo tam canis, quam lupi rabidi ſic dicto contagio provenientes & cum inſolita, anxia vero & contumaci rabie, ſive mentis perturbatione ſeſe prodentes: neque quidem tantum animus ægrotat, ſed communicatum contagium partim illum locum in quem immediate inſinuatum eſt, detinet, partim per totum maſſæ ſangvineæ latifundium, ut ſubtile & potens fermentum ſeſe diſpergit & propagat, partim per univerſum reliquum ſolidum corpus diſſeminatur, ut præceps putrefactoria corruptio, non modo inflicto vulneri, ſed & maſſæ ſangvineæ & reliquo corpori immineat; ſub quo inſolito &

 extre-

extreme periculoſo ſtatu, aliter fieri non poteſt, quin non modo ratio graviter turbetur, ſed & reliqvus vitalium functionum proceſſus perquam corrupte, confuſe, anxie & tergiverſanter continuet; ut propter multiplicem talem afflictionem omni ſtudio artifex diverſis reſpectibus & damnis conſulere & ſubvenire debeat.

§. II. Multum proinde refert, quo in talibus caſibus medicus conſideret, quanta ſenſibilitate præditus ſit patiens, ſiquidem major animi activitas & ſenſibilitas majores turbas animi æque ac corporis involvit: deinde diſpiciendum etiam eſt, an patiens plethoricus ſit, an ad actuales Hæmorrhagias adſvetus, an intenſioribus & frequentioribus ſuæ Plethoræ commotionibus obnoxius ſit: an dyſcraſia quadam ſangvinis laboret, an inſufficienti & perturbato antehac ordinariarum excretionum ſucceſſu laboraverit, qua diæta uſus fuerit, quam diu communicatum contagium in ipſius corpore delituerit: ubi ſane non infima afflictio artificis eſt, quod patientibus imprimis hydrophobicis ægerrime medicamenta offerri queant, dum ſicciora cum maxima impatientia & incontinentia exſpuunt: liquidiorum uſu vero facile ſpaſtico-convulſivis commotionibus affligantur: utplurimum contingit, ut ſi vel paululum hi affectus increbuerunt, ſpes impetrandæ reſtitutionis penitus vacillet, quare tempeſtiva medela ordinanda erit, priusquam perfectum delirium conſequatur.

§. III. Quo magis periculoſi hi ſunt affectus, eo major induſtria, circumſpectio & dexteritas in illorum cura adhibenda eſt, ne quicquam committatur, quod pernicioſum effectum & eventum adjuvare & accelerare poteſt: cavendum itaque eſt in cura horum affectuum 1) ab indiſcreto & inopportuno vomitoriorum uſu: 2) a nimis potentibus & frequentibus purgantibus: 3) ab impetuoſis & copioſis ſudationibus: 4) ab ordinariarum excretionum perturbatione aut ſuppresſione: 5) a negligentiori ſtatus plethorici æſtimatione & tractatione: 6) a remediis acribus, ſulphuratis, concentratis & ſangvinem impetuoſe turgefacientibus: 7) a volatilium remediorum curatorio uſu: 8) a remediis narcoticis, 9) ab adſtringentibus internis & humores nimium incraſſantibus: 10) a præpoſtera ſpecificorum ordinatione: 11) a vulgato uſu theriacalium medicamentorum: 12) a communi uſu vulgatorum refrigerantium: 13) a nimis confuſa & multiplicata remediorum ordinatione: 14) a virium nunc eximie langventium majori oppresſione, aut confuſa reſuſcitatione.

§. IV. Seorſim in horum affectuum cura ſequentia conſilia & auxilia conveniunt: ut mox poſt inflictum vulnus contagium communicatum educatur e loco affecto, aut in illo extingvatur: ſcarificandus itaque eſt locus vulneratus in ambitu ſuo & applicandæ ſunt cucurbitulæ, quæ potentius ſangvinem

nem extrahere debent: interdum conducit, quo inflictum vulnus amplificetur, ut ex eodem contagium inſinuatum melius educi queat: proinde ad infringendum illud confert actuale cauterium vulneri inflicto applicandum; providendo, quod illud ſufficienter profundum ſit: præterea ad extingvendam malignitatem contagii confert, quo vulnus abſtergatur cum decocto gentian. rubr. ariſtoloch. rot. pimp. alb. vincetox. herb. abſinth. fumar. rut. ſcord. ſalv. cum vino parato: uti nonnulli pro eodem ſcopo laudant decoctum pulveris Palmarii: eximiam etiam utilitatem pro uſu externo habet myrrha: circa ambitum vulneris applicentur cataplasmata e ſpeciebus reſolventibus, discutientibus, nervinis & adſtringentibus compoſita: ſed præſtat, quo talia adminicula mox in primis initiis adhibeantur: neque inutilis eſt tempeſtiva membri affecti demerſio in aquam ſalitam, quæ ſubmerſio etiam repeti poteſt: ſpecifice convenit, quo mox poſt perpeſſum morſum ad vulnus inflictum pili de rabido illo animali applicentur.

§. V. Præterea corpus ad reliquam efficacem curam præparandum eſt: ſi præſumitur e diæta inordinata prægreſſa multa impuritas in ventriculo, tunc in ſubjectis aptis & robuſtis tempeſtivus vomitus non nocet; neque etiam permittendum eſt, quo alvus occludatur, unde vel clyſteres emollientes, roborantes & modeſte ſtimulantes, vel extr. panchym. Croll. cum extr. helleb. nigr. vel pilulæ de agarico conveniunt: in ſubjectis plethoricis tempeſtiva Venæ Sectio in pede inſtituta admodum proficit & varia gravia ſymptomata præoccupat: deinde conducunt conſveta remedia alexipharmaca, inter quæ pimpinella alba & ſcordium eminet, ſicuti non æque fruſtra ab aliis radix vincetoxici & gentian. rubr. commendatur: proſunt etiam emulſiva ex aquis diapnoicis & analepticis parata, quibus utiliter Sem. Card. Mar. conjungitur, quod propterea a variis authoribus in talibus caſibus cum ſemine C. B. & Cardui fullonum eximie laudatur: conferunt etiam abſorbentia cum acidis impraegnata; nec non mixtura ſimplex: neque inutiliter nitrata remedia adhibentur.

§. VI. Proinde diverſa alia adminicula in hiſce caſibus proficua & probata proſtant, ex quibus aliqua allegaſſe ſuffecerit: ſpecifice laudantur ad morſum canis aut lupi rabidi, Hepar, cor, vel cerebrum, rectius Hepar de tali animali aſſervatum, licet æque non de illo ſit, quod vulnus inflixit: quidam ad Galeni & Dioſcoridis commendationem laudant cancros fluviatiles ſive combuſtos & cum radice gent. rubr. miſcendos, ſive in ſpiritum converſos: Bartholinus extollit ſuum evporiſton, ad imitationem pulveris Palmarii paratum: in variis caſibus profuit limatura orichalci: Celſi experimentum eſt, quo hydrophobus repente & inopinato in piſcinam projiciatur, quod an adeo ſecu-

rum ſit, cum repentinus *talis* terror extremarum alterationum cauſa eſſe poſſit, alii judicent: Weikardus commendat Scarabæos vulgares Majales abſciſſis eorum capitibus in melle deſpumato ſuffocatos, iterumque no. iv. expreſſos & cum aqua anagallidis & verbenæ aſſumendos: neque amygdalarum amararum uſus internus omnem ſpem deſtituit: ſicut in ſubjectis robuſtis uſus Electuarii de ovo cum nuce vomica proficit: quid ſecundum eundem authorem uſu externo cepæ, allium & ruta ad contagium infringendum valeant, experientia conſulenda erit.

CAPUT IV.

DE

EROTOMANIA ET FURORE UTERINO.

§. I.

Singularem Maniæ Speciem præſentia deliria conſtituunt, quæ cum affectu libidinis & laſciviæ decurrunt, adeoque utplurimum e tali immoderato deſiderio & incontinenti impetuoſo & inquieto œſtro ortum trahunt, ſicut in tale delirium illi homines facilius delabuntur, qui diu noctuque circa ejusmodi ideas occupantur & ob difficultates in hoc deſiderio occurrentes, non modo valde anguntur, ſed eo immoderatius ad objectum ſuum præfixum rapiuntur, inſuper vero non modo in animo magis magisque confunduntur, ſed & ſubinde varias corporis afflictiones ſubeunt: eo citius hæc deliria provocantur, eoque acerbius illa progrediuntur, quo magis alias ſubjecta talia in animo præcipitia, immoderata, ſenſibilia & contumacia ſunt & quo magis occaſio præſcinditur, qua ad ſcopum ſuum illa pertingere queunt: hinc taciti & profundi amores hæc deliria generant, quæ notitia multum contribuit ad curam, præcipue moralem, in talibus caſibus inveniendam & dextre etiam adminiſtrandam.

§. II. Neque tantum ſatisfacit hos affectus quoad Speciem ſuam noſſe, ſed præſtat etiam ſubinde obſervare, an in ſubjectis afflictis adſit eximius gradus plethoræ & quidem variis moleſtis commotionibus expoſitæ, an diæta ægrotorum ſit plena, delicata & lauta: an in fœminis menſium turbæ & ataxiæ concurrant, an aliæ Hæmorrhagiarum Species præceſſerint: ubi non ſufficit, quan-

quando menſes continuant, cum aliquando ſatis copioſi & impetuoſi ſint, ſed convenit quo juſtum ordinem ſervent; proinde circumſpiciendum eſt, an in ejusmodi ſubjectis ſperma aut liquor genitalis abunde ſecernatur & nonnunquam nocturnæ pollutiones concurrant; an dyscraſia humorum coincidat & humor ſpermaticus propterea valde ſeroſus & acris ſit, an fluor albus concurrat, vel præcurrerit & nunc ſuppreſſus ſit, an tale delirium ex oblato philtro ortum traxerit: an infœcundum matrimonium in culpa ſit & quæ harum ſpecialisſimarum cauſarum forte plures aliæ contingunt, quæ probe annotari debent, quia ad diverſas utiles indicationes ſpeciales practicas in diverſis ſubjectis rite exercendas occaſionem ſubminiſtrant.

§. III. Cura præſentis affectus, qui gradu tantum differt, omnino cum ſingulari moderamine eſt inſtituenda, ne ſenſibile hoc delirium facile offendatur: cavendum vero præcipue eſt: 1) ab indifferenti & inopportuno uſu potentius evacuantium remediorum 2) a confuſa aut negligenter tractata ſanguinis ventilatione: 3) ab ordinariarum evacuationum perturbatione & ſuppresſione 4) a remediis ſangvinem turgefacientibus & impellentibus 5) præcipue a volatilium uſu curatorio 6) a confuſis experimentis & tentaminibus practicis: 7) ab adſtringentibus medicamentis 8) ab incraſſantium remediorum liberaliori uſu 9) a vulgari refrigerantium uſu 10) a narcoticorum communi ordinatione 11) a communi Camphoræ interno uſu 12) a vulgato martialium uſu 13) a regimine nimis rigoroſo, ſtricto, auſtero, quod tanto magis deſiderium furioſorum exacerbat 14) a ſaturninorum remediorum interno uſu 15) a topicis refrigerantibus, maxime vero Balneis.

§. IV. Methodus hiſce affectibus medendi ita inſtituenda & exercenda eſt, ut generice corpus ab urgentibus impuritatibus repurgetur: quod uſum vomitoriorum attinet, tunc ille hiſce circumſtantiis nititur, quas paſſim hactenus recenſui: maxime vero menſium ratio habenda eſt, ne illi imminuti ſint, neve molimina ad vomitum cruentum pertinentia concurrant: paulo magis conveniunt remedia, quæ deorſum alvum ducunt & corpus repurgant, unde vel tempeſtivum acidularum uſum, vel infuſa vinoſa helleborina, polypodiata, ſennata, cum agarico &c. commendo, quibus apta remedia reſolventia & abſtergentia jungenda ſunt: huc etiam faciunt pilul. de ammoniaco, de agarico, de Succin. Craton. Extract. panchym. Croll. cum mercur. dulc. pil. aloeticæ & helleborinæ, Sal anglicanum, Magneſia alba, qualia remedia pro diverſitate concurrentis dyſcraſiæ humorum vario modo ordinari poſſunt: tanto magis vero talia mitiora evacuantia proſunt, quo magis opportuno tempore repetuntur.

§. V. Præterea ſangvinis habenda eſt ratio, qui, quando abundat, omnino congrua ventilatione indiget, ob id præſtat ſufficientem V. Snem in pede adminiſtrare: quando vero menſium fluxus excedere & immodice ſuccedere videtur, tunc moderata V. Sio in brachio inſtituenda eſt: in ſubjectis luxurioſis & libidinoſis repetita V. Sio ordinari poteſt: minime tamen proficit exceſſivas ſangvinis ſubtractiones admittere, quæ nimium alterant & ſperatum effectum ſupprimunt; porro conducunt auxilia nimium ſangvinis orgaſmum temperantia: decocta hordeacea, avenacea, paſſulata, infuſum herbæ Thee, Serum Lactis, pulveres nitrati, abſorbentes, coralliati & cinnabarini: decoctum Cichor. c. Paſſul. maj. & min. & acetoſ. Citr. Mixtur. Simpl. oc. cancr. c. Succ. Citr. Tinctura Corallorum (quæ interdum & per intervalla in modica quantitate exhibenda eſt:) non minus pro ulteriori motuum mitigatione conducunt, Papaveracea, velut Sem. Papav. errat & ſyrup. Papav. diacod. montan. MPil. deCynogl. extract. Chaccarill.

§. VI. Ita porro ad motuum impetuoſorum mitigationem quadrant Species de Hyacinth. neque male aliquando Eſſ. Millefol. cum Eſſ. Cort. Chaccarill. exhiberi poteſt: ſubinde artifex advertere debet, an aliqualis humorum dyſcraſia adſit, quæ ſucceſſive emendanda eſt, quo præprimis infuſa vinoſa laxantia & reſolventia, nec non decocta conveniunt, quibus decoctis utiliter adduntur rad. cichor. ſcorzon. chin. apii, bardan. tarax. lign. Saſſafr. fl. papav. rhæad. &c. conferunt moderatæ diaphoreſes: nec non aliquam utilitatem affert uſus balneorum tam domeſticorum modeſte calidorum, quam naturalium ſive temperatarum: ad regionem lumborum ungventum comitiſſæ & Empl. Saponat. Barbet. cum moderamine applicatum. proficit: interne etiam ſpiritus nitri dulcis parcius adhibitus paululum convenit: de reliquo ad regionem pectinis applicata cataplaſmata e ſpeciebus reſolventibus, diſcutientibus, modeſte reprimentibus cum camphora parata conducunt.

§. VII. Cum hiſce remediis conferenda eſt, diæta ſimplex, parum alimentoſa, neque aromatica, neque vinoſa: evitanda ſunt lacticinia; confert vero motus corporis: initia hujus delirii matrimonium infringit atque curat; præoccupanda ſunt quælibet libidinoſa conſortia & colloquia: honeſta converſatio & collocutio amica, modeſta & accepta omnino proficit: omnes luxurioſæ occaſiones evitentur, præſtat animum ad alias honeſtas delectationes ducere; præterea etiam artifex proſpiciat, quo menſes rite procedant: interdum conducunt pediluvia & rubefacientia remedia: Camphora neque interne neque externe ſpecificam virtutem adverſus hoc dilirium habet, licet vulgo pro tali remedio declaretur: neque reliqua refrigerantia remedia, aut vitex, ſalix, Sem. cannabis & agni caſti &c. encomiis ſuis in hiſce affectibus reſpondent.

CAPUT

CAPUT V.

DE

MOROSI.

§. I.

LEnis quidem, ſed valde contumax animæ imbecillitas præſens affectus eſt, qui in ſtupida & obliviosa conſtitutione intellectus conſiſtit & ut plurimum incurabilis eſt, ni mox in primis initiis eidem ſubveniatur: tanto magis vero hic affectus omnem emendationem reſpuit, ſi ex hæreditario vitio ortum trahit; quidquod tunc etiam raro, aut difficulter correctionem aſſumit, quando e repentina animæ confuſione, aut e prægreſſo periculoſo morbo maligno originem traxit: uti exempla conſtant, quomodo hic affectus poſt ſuperatam peſtem, poſt perpeſſas variolas, ortus ſit; alias interdum deprehenſus fuit, quomodo gravem contuſionem capitis, repentinum & extremum terrorem, ſuperatum philtrum & venenum, prægreſſas frequentes & exceſſivas inebriationes &c. ſecutus ſit.

§. II. Quamvis quidem in genere cauſæ, quæ ad hunc affectum diſponunt, ſatis graves ſint, tamen reſpectu ordinandi idonei conſilii & auxilii bene dijudicare convenit, quamdiu talis affectus duraverit, an ſubjectum afflictum antea mollioris & ſenſibilioris, aut durioris & ſtupidioris animi fuerit: an ſolennes & ſalutares evacuationes præceſſerint, an penitus a ſuppreſſa Hæmorrhagia natus ſit: an ſtatus plethoricus concurrat, an ex juſtis rationibus vitium & labes cerebri præſumi queat, an alia corporis pathemata concurrant, an in affecto patiente multæ & diverſæ medicationes adhibitæ fuerint, an ſub tali affectu plures continuantes animi turbæ acceſſerint; nam quo magis ejusmodi homines diverſis ludibriis atque vexis ſubjiciuntur, eo magis hoc malum augetur & confirmatur.

§. III. Dum itaque hic affectus adeo refractarius eſt, propterea in illius cura abſtinendum eſt 1) a nimia cunctatione & retardatione neceſſarii auxilii 2) ab impetuoſa totius oeconomiæ vitalis aggresſione & tractatione 3) ab immoderatis & crasſis evacuationibus 4) a negligentiori ſtatus plethorici & negotii hæmorrhagici conciliatione, dijudicatione & tractatione 5) ab ordinariarum evacuationum perturbatione & confuſa promotione 6) a remediis maſſam ſangvineam valde impellentibus 7) ab indiſcreto & inopportuno cephalicorum

 & ner-

& nervinorum uſu : 8) a quibusvis medicamentis narcoticis & qualitercunque ſenſus & motus ſupprimentibus 9) ab adſtringentium remediorum uſu 10) a ſtupida illa & magis empirica ordinatione remediorum ſpiritus reparantium & excitantium 12) ab omnibus medicamentis, quæ multam averſionem cauſantur : 13) a medicamentis heroicis & nimium commoventibus & alterantibus : & denique 14) ab inconſtanti & confuſa medendi methodo.

§. IV. Singularis & ſpecialis hujus affectus cura ita adminiſtranda eſt, quo primum generales offenſiones removeantur ; id contingit quando primæ regiones repurgantur per aloetica & helleborina correcta, nec non per agaricum, polypodium &c. huc convehiunt vina medicata e ſpeciebus abſtergentibus, reſolventibus, modeſte diureticis laxantibus & convenienter roborantibus parata; deinde ratio habenda eſt abundantiæ ſangvinis moleſtæ, quæ imminui debet per opportunam V. Snem in pede adminiſtrandam ; in hæmorrhoidariis ſubjectis conducunt ſubjungendæ applicationes hirudinum ad loca hæmorrhoidalia : nonnunquam pediluvia quadrant & ad æqualem ſangvinis diſtributionem & commotionem balnea modeſte calida & nervina ordinari poſſunt.

§. V. Præterea conducunt interna reſolventia & roborantia, ut Esſentia caryophyll. angel. leviſtic. pimp. alb. L. Saſſafr.. vincetox. imperat., ut & mixturæ ex aquis diſcutientibus & analepticis conjunctis ſpec. de hyac. huc confert Liqv. C. C. Succin. Spir. C. C. Spir. Sal. Ammon. Succin. Eſſ. Succin. Spirit. Lil. convall. roriſmar. roſar. ſambuc. aliaque interna diſcutientia & nervina ; quo congruum aromaticorum & vinoſorum uſum refero: ita trageæ roborantes proſunt ; hujus indolis eſt pulvis ille famoſus Trithemianus ; licet de ejusmodi remediis non adeo certus, indubius, perpetuus, aut plane ſpecificus uſus expectari aut promitti queat : perlæ, in quocunque etiam pretio alias fuerint, in hoc caſu notatu dignum nihil efficiunt.

§. VI. Porro ita affectos homines cum maxima lenitate & patientia tractare convenit, providendo, quo ipſorum animus ad rerum jucundarum animadverſionem ducatur & qualicunque honeſto modo excitetur : ubi vero ejusmodi cauſæ præceſſerunt, quæ labem in cerebro præſumere faciunt, ibi tantum proſpiciendum eſt, ne in œconomia vitali aliqua confuſio ſuboriatur, propterea medicus ordinariarum evacuationum legitimo ſuccesſui invigilare debet : neque etiam alienum fuerit, ſi ejusmodi patientes ſuccesſive, velut tenelluli infantes, in rationis uſu exerceantur : cavendo ne auſtere & rigoroſe tractentur, neve res difficiles ipſis proponantur : quidquod peregrinationes in hoc caſu conducunt.

§. VII. Frequens odor ſalium volatilium nocet, moderatus vero proficit : caſtorinorum odor nihil utilitatis affert ; proſunt cucuphæ e ſpeciebus

bus nervinis paratæ: ubi frequens decubitus catarrhalis caput affligit, ibi laxantia & ſonticulorum uſus prodeſt; neque penitus veſicatoriorum uſus rejiciendus eſt: minime porro convenit ita affectos in aliqua re cogere & cum violentia urgere: proinde animi pathemata ſedulo evitanda & præſcindenda ſunt: denique diæta congrua & roborans ordinanda eſt, uti vini internus & externus uſus utilitate ſua haud deſtitutus eſt.

CAPUT VI.
DE
NOCTAMBULATIONE.

§. I.

RArior hic affectus utplurimum ad medicos defertur, quo illius cauſæ magis inclareſcant & congrua therapia, cauſis reſpondens eidem adhiberi queat: quanquam vero hic affectus præcipue ſeſe cum inquieta, confuſa & operoſa phantaſia prodat, quæ per modum inſomnii ſpeciales & miras commotiones corporis involvit, attamen ſucceſſive eminentiores corporis afflictiones in eodem affectu illuceſcunt, quæ licet per initia mitiores & leniores eſſe videantur, tamen ſatis tenaces, radicatæ & intricatæ ſunt, donec in graviores & evidentiores gradus increbeſcant; ubi apprime notandum eſt, quod morboſæ illæ corporis diſpoſitiones, in noctambulis occurrentes, admodum intricatæ ſint, quæ propterea ſubtili & tacita tali ratione ad rationis perturbationem contribuunt.

§. II. Primario vero ſtudio in hoc affectu obſervandum eſt, quomodo ſuſpecti viſcerum infarctus & vulgo ſic dictæ obſtructiones, nec non ominoſa craſſities ſangvinis & concurrens illius abundantia, eundem invitare ſoleant, ſicut vulgo practici atteſtantur, quod ſomnambuli hypochondriaci exiſtant & in melancholica pathemata proni ſint; licet præter has cauſas multum ad hunc affectum contribuat animus ordinarie turbulentus, inquietus, confuſus, ſollicitus, ſpeculabundus & diffuſus: & ſicut ſpiſſitudo ſangvinis cum conjuncto impedito ſangvinis progreſſu ad invitandum hunc animi morbum multum confert, ita viciſſim hic affectus ad confirmandum augendum & conſervandum morbum corporis non parum contribuit: & quod denique implicatos illos viſcerum infarctus attinet, tunc e communi experientia con-

ſtat, quomodo oppletiones in ſplene ad rationis & imprimis etiam phantaſiæ turbas eximium conferant: neque male hic affectus melancholia dormientium appellari poteſt.

§. III. Quo magis inſolitus, implicatus & delicatus eſt hic morbus, eo majori cautela in illius cura opus eſt; præcipue abſtinendum eſt 1) a violentis evacuationibus: 2) a medicamentis vulgo dictis calefacientibus: 3) a remediis ſpirituum commotioni dicatis: 4) a volatilibus remediis uſu curatorio offerri vulgo ſolitis: 5) a medicamentis narcoticis: 6) ab ordinariarum evacuationum negligentiori promotione: 7) a ſtatus plethorici negligenti conciliatione, dijudicatione & tractatione: 8) ab adſtringentium remediorum uſu: 9) a copioſo terreorum & incraſſantium uſu: 10) a martialium communium medicamentorum vulgato uſu: 11) a nimis confuſo & copioſo diverſorum remediorum & experimentorum uſu: & 12) a regimine incongruo.

§. IV. Quod ſpecialem ſomnambulorum curam attinet, tunc in iisdem generales quædam moleſtiæ removendæ ſunt, quo primarum regionum abſterſiones & evacuationes pertinent; in hoc opere talia evacuantia conveniunt, quæ ſub mali hypochondriaci explicatione proſtant: deinde ſangvinis depletio per Venæ Sectionem in pede adminiſtrandam conducit; cum hisce adminiculis conferenda ſunt pediluvia, balnea temperata, decocta ſangvinem diluentia & ſufficientes corporis labores & exercitationes: quo magis enim cum feſſo & defatigato corpore ita affecti homines ſomnum petunt, eo magis ſub ſomno quieta eſt anima: quodſi etiam in quibusdam ſubjectis vermes præſto fuerint, tunc ad illorum expulſionem tempeſtiva & temperata opera adhibenda eſt.

§. V. Præterea confert animum ad res ſerias applicare & ab otioſis ſpeculationibus avertere: evitandum eſt vitæ genus luxurioſum: proſunt remedia ſangvinis fluiditatem & juſtum progreſſum adjuvantia: conferunt etiam antiſpasmodica nitroſo-cinnabarina & quæcunque alibi ad ſpisſitudinem & plenitudinem ſangvinis corrigendam commendata ſunt: proinde etiam circumſpiciendum eſt, an aliquales infarctus hypochondriorum adſint, quorum reſerationi opera adhibenda eſt: proſunt itidem repetitæ modeſte laxationes per correcta aloetica remedia inſtituendæ: juvant peregrinationes, equitationes, aliæque modeſtæ & honeſtæ corporis exercitationes, quid quod in ſubjectis aptis acidularum & thermarum uſus aliquam utilitatem affert.

§. VI. Hiſce auxiliis interdum ſubjungere licet mixturam e Spir. C. C. Tinctur. antim. tartariſ. & Eſſ. Succini paratam, nec non in ſubjectis temperatioribus & humidioribus conducit Liquor C. C. ſuccinatus: conferunt etiam cucuphæ, e ſpeciebus reſolventibus & nervinis paratæ, quibus tantillum croci, camphoræ & caſtorei admisceri debet; interdum confert mixtura

tura ex Eſſ. ſuccin. pimp. alb. & chaccarill. parata, quæ proxime antequam ſubjectum ad ſomnum ſe componit, aſſumenda: ante omnia præſtat ejusmodi ſubjectis etiam noctu invigilare, ne ſub ſomno ſurgant, ſed quo in quiete permaneant: ſub ipſa ſomnambulatione non confert repente & immodeſte ſubjecta excitare, ſed ſub modeſta manuductione iterum ad lectum ducere, aut ſub temperata cæſione cum virgulis eadem denuo intra lectum comitari: ſunt qui ante lectum capacius vas cum aqua frigida repletum, ponunt, intra quod ſi ſomnambuli ſurgentes deſcendunt, excitantur & in aliquem terrorem conjiciuntur, ut impoſterum nocturnis temporibus ſurgere deſinant: de reliquo concilianda eſt talis diæta & rerum non naturalium uſus, qualis ſuperius de hypochondriacis, ſpleneticis & melancholicis commendatus fuit.

CAPUT VII.

DE

NOSTALGIA.

§. I.

QUemadmodum diverſi animi morbi cum variis patheticis commotionibus ſeſe produnt, ut cum ira, timore, gaudio, mœrore, averſione, deſiderio, libidine &c: ita ſubinde variæ afflictiones œconomiæ corporis accidunt, quibus conveniens medela invenienda & adhibenda eſt: ſingulare ſpecimen hujusmodi morbi eſt præſens Noſtalgia, ſive anxium & immoderatum deſiderium petendi aut viſendi patriam, patriosque amicos & agnatos: aſt quamvis in hoc deſiderio non æque perfectum delirium adſit, animus tamen omnino laborat, dum valde afflictus & inquietus eſt, unde diu noctuq; cum aliquali impatientia in aliud objectum ruit, proinde præſentes circumſtantias & conditiones, aut præſens vitæ genus valde averſatur & de prægreſſa vivendi ratione denuo impetranda admodum ſollicitus exiſtit: quo diutius & incontinentius itaque hoc deſiderium durat, imo quo minus ſpes affulget, quo deſiderium illud impleatur, eo facilius in futurum actualia deliria, vel melancholica, vel pro aptitudine ſubjectorum, perfecte maniaca ſuperveniunt.

§. II. Inter illas afflictiones, quæ ſub hoc animi morbo corpus corripiunt, ſunt eminentes perturbationes ordinariarum & neceſſariarum evacuationum, cum quibus coincidunt motuum vitalium irregulares ſucceſſus; hinc pul-

ſus

ſus & connexus progreſſus ſangvinis a priſtino ordine admodum abludit, quid quod ſimul animales functiones eximie turbantur, ut propterea totus homo ægrotet: eo majora, certiora & citiora vero damna metuenda ſunt, ſi ſubjecta valde ſenſibilia & reliquis ſuis actionibus immoderata & præcipitia ſunt: ſi porro perquam plethorica exiſtunt & hæmorrhagicis commotionibus adſveta ſunt, ſi largioribus billioſis profuſionibus obnoxia ſunt & ſi febriles commotiones concurrunt; quibus ſingulis circumſtantiis tempeſtive artifex ſubvenire debet, ne afflictio increbeſcat; eo magis animi habenda eſt ratio, quamvis ille in tali deſiderio valde immoderatus ſit & an deliræ quædam perturbationes concurrant, in quo paſſu ſine ulla mora artifex in tantum afflicto patienti ſuccurrere debet, quo tempeſtive & ſecundum beneplacitum ægrotantis deſiderio urgenti ſatisfaciat.

§. III. Quam ſingularis hic eſt affectus, eo majori ſollicitudine & dexteritate eidem medicus conſulere debet, ita ut caveat 1) a crasſis, crudis & violentis evacuationibus: 2) ab ulteriori perturbatione aut negligentiori promotione ordinariarum evacuationum: 3) a concurrentis ſtatus plethorici oblivioſa dijudicatione & incurioſa tractatione: 4) ab immodeſta morali animi afflicti tractatione & violenta atque auſtera offenſione: 5) a remediis vulgatis ſpirituum roborationi & erectioni dicatis, calefacientibus, acribus, concentratis & vias atque humores valde commoventibus: 6) a volatilium remediorum curatorio uſu: 7) ab adſtringentibus aliisque motus vitales immoderate ſupprimentibus remediis: 8) a communi opiatorum uſu: 9) a nuda urgentium ſymptomatum palliatione: 10) a nimis frequenti mutatione methodi medendi: 11) a medicamentis heroicis & repentinas alterationes inducentibus: 12) a famoſorum ſpirituoſorum & concentratorum cephalicorum uſu: 13) a vulgatis refrigerantibus remediis: 14) a perverſo regimine.

§. IV. Cura hujus affectus in duplicem claſſem & indicationem ſe diſpeſcit: primo ut animi habeatur ratio: ſecundo ut concurrentibus corporis afflictionibus proſpiciatur: quod Therapiam animi concernit, tunc non melius huic deſiderio conſulitur, niſi ut patiens in patriam mittatur: quodſi vero hoc conſilium incommoda & difficultates quædam premant, tunc interea providendum eſt, ne patiens in ſolitudine relinquatur, ſed ut illius animus ſemper erigatur & ad res gratas ducatur: huc conſerunt licitæ & honeſtæ converſationes, compellationes, collocutiones, peregrinationes, exercitationes corporis, ita ut ſub applicatione aliorum acceptorum ſubjectorum animus ab anxia recordatione patriæ & agnatorum deducatur & detineatur: omnium maxime vero præoccupetur, ne patiens ſolitudini indulgeat: neque vero etiam impetuoſæ & ſeveræ correctiones & obtrectationes admittendæ ſunt, ſed præſtat cum quocunque

cunque modeſto & amico ſolatio animum depreſſum & ſollicitum erigere, aut ad minimum ſpem facere, quod quantocyus patiens in patriam dimittendus ſit: ad minimum juvat, ſi afflictus ad agnatos deferatur, cum quibus confidenter verſari poſſit.)

§. V. Quod corporis calamitates attinet, tunc ante omnia providendum eſt, quo alvina excretio rite ſuccedat; huc conducunt Rhabarbarina, Sennata, polypodiata, correcta & refracta aloëtica & helleborina, ſalia deterſiva, tartariſata, ſal anglicanum, adminicula prunata, paſſulata, paſſulæ laxativæ; deinde conveniunt remedia immoderatas commotiones mitigantia, præcipue abſorbentia teneriora & citrata, nitrata, coralliata, cinnabarina; nec non auxilia æqualem ſangvinis motum inducentia & excretionem diureticam ac diaphoreticam promoventia: huc pertinent Eſſentiæ temperatæ reſolventes & alexipharmacæ; in ſubjectis humidis proſunt interpoſita Succinata & Liq. C. C. Succinat: interdum interponenda ſunt temperata analeptica: quid quod modeſtus vini boni uſus extra febrilem afflictionem admodum proficit: proſunt etiam vina medicata e reſolventibus, roborantibus & laxantibus remediis parata: non minus conducunt decocta dilutiora, præcipue Herb. Thee: ad febriles concurſus nitrata, aut temperata acidulata conferunt: multum etiam in hoc caſu conferunt antiſpasmodica: denique aliquando ſubjungatur Mixtura noſtra roborans, quando validior morbi gradus mitigatus eſt.

CAPUT VIII.

DE

TARANTISMO.

§. I.

Inter alia ſpecialisſima contagia & discretas mentis turbas eſt præſens affectus, qui Tarantismus audit, qui conſiſtit in illa animi & corporis ægrotatione, quæ a morſu tarantularum provenit, a quibus tam ſubtile, potens & mobile virus intra corpus hominis transfertur, ut non modo repentinæ alterationes conſequantur, ſed & poſt ſuperatum periculum & peractam curam aliquod ſubtile ſeminium in maſſa humorum remaneat, quod alio tempore perniciofum ſuum effectum denuo comminatur, quale ſimile exemplar occurrit, in inquinamento purpuræ, quod per modum reſidui ſeminii in corpore quie-

tum deliteſcit, ſed alio tempore & alia tempeſtate iterum eo usque augetur, exaltatur, commovetur & exacerbatur, ut novam tragœdiam ludat: notandum vero eſt de hoc contagio Tarantularum, quod ad ſpeciales motuum ataxias invitet; & uti objecta ſenſus movent, ita ſubtili modo fiendi hoc contagium animam ad peculiares evagationes & confuſiones allicit, de quibus æque minus ratio reddi poteſt, cur ita procedant, ac in moralibus ratio deficit, cur unus homo ad alicujus objecti præſentiam tales, alius alias actiones inſtituat.

§. II. Maxime proinde obſervare convenit, quomodo in ſubjectis plethoricis, de ſangvine floridiori participantibus, ſpongioſis & carnoſis & animi & corporis morbi in Tarantismo longe graviores exiſtant, dum deliria furibunda & immoderatæ ac febriles commotiones facilius ſuperveniunt, nec non ſpasmi longe acerbiores evadunt, ut in iisdem pernicioſus eventus longe citius immineat: hinc prudens artifex cum maxima dexteritate proſpicere debet, quo ejusmodi circumſtantiis, quantum in artis poteſtate eſt, curam & medelam adhibeat, ne vigor mali tanto citius increbeſcat & deinde omnem opem eludat; ſiquidem in genere tales virulenti affectus repente incedunt & facile opportunum tempus transgrediuntur: imprimis animi habenda erit ratio: ſicut enim in genere Tarantularum morſus acceleratum animi angorem invitant, ita tanto ominoſior & gravior conſequitur animi afflictio, ubi ſubjecta alias animi timidi, ſolliciti & abjecti ſunt: quo magis enim in hoc affectu animus laborat & ægrotat, eo majores difficultates ſeſe in reliquam corporis curam immiſcent.

§. III. Quo itaque Therapia præſentis affectus cum ſalutari ſucceſſu exerceatur, cavendum eſt 1) a nimis cunctata, præpoſtera & negligenti medicatione, ſub qua mora communicatum virus ſeſe intimius intra corpus & præcipue in maſſam ſangvineam inſinuat: 2) a qualicunque retropulſione communicati contagii e morſu in intimiora corporis, aut a negligentiori eductione ejusdem contagii e loco affecto: 3) a confuſis, crasſis, crudis & impetuoſis evacuationibus, tam ſangvineis, quam aliis: 4) a perturbationibus, aut negligentibus revocationibus & promotionibus ordinariarum & neceſſariarum excretionum: 5) a remediis nimis calefacientibus & vias atque humores valde impellentibus: 6) a ſalium volatilium curatorio uſu: 7) a remediis concentratis, deſtillatis, oleoſis, balſamicis: 8) ab adſtringentibus medicamentis: 9) a nimia humorum incraſſatione: 10) a narcoticis medicamentis: 11) a poſitivis refrigerantibus medicaminibus & regiminibus: 12) ab auxilii illius videlicet Muſicæ, ſpecifice huic affectui ſubvenientis, nimis retardata ordinatione.

§. IV.

§. IV. In ſpeciali Tarantismi cura, ante omnia alia auxilia authores muſicam tanquam ſpecificum remedium concelebrant, cum qua ſtrenua & conſtans ſaltatio conjuncta, quæ utplurimum per quatuor dies continuatur, interea patientes copioſe ſudant, a quo ſudore abſtergendi & repurgandi ſunt, quo hæc diaphoreſis ad prædictum terminum continuet: offeruntur etiam ita afflictis per intervalla juſcula & potulenta, cum quibus temperata roborantia, ſive analeptica remedia remiſcentur: minime vero confert ſub hac cura alia antidotalia & diaphoretica exhibere: ſudor enim, qui per talem ſaltationem provocatur, eſt ſimplicisſimum & certisſimum adminiculum, pro hoc affectu idoneum: alii enim ſudores per remedia alexipharmaca concitati, ſimilem utilitatem & certam ſalubritatem, ſecundum authorum confeſsiones, haud exſerere ſolent: quodſi etiam poſt annuum ſpatium idem malum ex ſuo latente ſeminio recrudeſcere videatur, tunc medici eundem tempeſtivum uſum muſicæ & ſaltationis ordinant & approbant.

§. V. Alias authores illam in hoc caſu applicandam Therapiam allegant, ut mox in primitiis virus in inflicto morſu extinguatur, aut inde extrahatur, quo cauteria actualia, ſcarificationes & cucurbitularum applicationes, nec non theriacalia intra morſum inflictum immittenda commendant, quo etiam minime inutilis erit Myrrha: deinde ordinanda erunt alexipharmaca, cordialia & analeptica; quo laudantur mixturæ ex aquis diapnoicis, ſpiritibus temperatis cordialibus & Syrupis analepticis: neque in plethoricis ſubjectis inutilis erit tempeſtiva & ſufficiens Venæ Sectio; ſubjungendo talia roborantia & alexipharmaca remedia: prodeſſe etiam dicuntur frictiones ſuperficiei corporis cum linteis calidis; neque temperatus acidulorum medicamentorum uſus rejiciendus eſt: motus vero medicina in hoc affectu eſt: ſiquidem præſervatorie, ne idem malum recrudescat, tempeſtivæ ventilationes ſangvinis & modeſta diaphoreſes, una cum ſufficienti corporis motu conveniunt: pluribus conferantur illi authores, qui de hoc affectu propriam experientiam habent, quo nomine Baglivum hoc loco commendo.

CAPUT IX.

DE PHILTRIS.

§. I.

CUm hujus Caſus in alia parte Praxeos medicæ diffuſior mentio occurrat, ita hoc loco brevibus eundem tangere lubet; notandum vero antea eſt, quod philtra gravem alterationem in totum hominis, tum moralem, tum vitalem ſtatum inferant, ita ut non modo repente calamitates tales ingruant, ſed & interdum cum maxima contumacia inſiſtant, quin plane nonnunquam omnem medelam reſpuant, aut quandoque ad lethalem ſimultaneum eventum properent, ut propterea in hoc tragico caſu eo majori induſtria & vigilantia artificis opus ſit, ne vis mali ad vigorem pertingat: imprimis etiam artifex benc explorare debet, quousque ipſius medica poteſtas pertingat, ſiquidem philtra quædam nullo pharmaco attingi poſſunt; neque etiam conſultum eſt, ſi medicus in tali arduo caſu tantum per cœca experimenta vagatur, & ſub ignorantia cauſæ, ubi videlicet hæreat, modo hanc, modo aliam ſuſpectam commotionem provocat, adeoque conſecutiones deteriorat, animum magis confundit & œconomiam vitalem potius perturbat.

§. II. Multum porro intereſt, ſi medicus in diſquiſitione hujus caſus probe attendit in ſubjecto affecto ætatem, ſexum, temperamentum, ſenſibilitatem, vitæ genus, conſvetudines, adſvetas evacuationes, propenſiones in diverſos morbos, prægreſſas ægrotationes, terminum a quo philtrum oblatum & quamdiu geſtatum fuit, necnon an diverſæ medicationes ad hanc afflictionem adhibitæ fuerint, an animus multum laboret, an ante philtrum dilatum animus confuſus fuerit: præcipue attendendus eſt ſtatus plethoricus, prægreſſus ſpontaneus fluxus ſangvinis, aut apparatus hæmorrhagicus; omnium maxime vero expedit tempeſtive huic caſui medicam manum admovere aut poſthac conſequentes ægrotationes corporis probe explorare, quousque aliquam medelam perferant; minime proficit curioſis inventionibus in hoc caſu operam dare, cum periculum in mora ſit, ſed ſepoſita omni ſpeculatione proxima via ad oblati philtri eliminationem tendere, aut ad minimum tantum præcavere convenit, quantum artis poteſtas permittit, ne conſequentes morbidæ corporis afflictiones increbeſcant & periculoſum eventum accelerent.

§. III.

§. III. Ne itaque in tam difficili, arduo & intricato caſu artifex contra regulas prudentiæ & artis impingat, cavere debet 1) a nimis retardata & negligenti medicatione 2) ab applicatione remediorum minus probatorum & ſub nuda empiria comprehenſorum 3) a præpoſtero, immodico, violento & frequenti vomitu artificioſo 4) a poſitiva purgatione per ſenſibilem ſtimulum concitata 5) a negligentiori neceſſariarum evacuationum promotione 6) a conjuncti ſtatus plethorici incurioſa obſervatione & tractatione 7) ab impetuoſis & diffuſis ſudationibus 8) a præmaturo uſu poſitive diaphoreticorum remediorum 9) a ſingulis medicamentis & experimentis vires valde offendentibus & conſumentibus 10) a communi narcoticorum remediorum uſu 11) a medicamentis vias & humores valde commoventibus, ſtimulantibus & impellentibus 12) a communi ſalium volatilium ordinatione 13) a cordialibus, vires magis deſtruentibus, quam ſublevantibus aut erigentibus, qualia ſunt nimis calefacientia, aut vulgata opiata 14) a nimia adſtrictione & incraſſatione 15) a confuſa, prodiga & inconſtanti medicamentorum oblatione 16) a præmaturo carminativorum uſu 17) a violenta & immoderata animi correctione 18) a multiplici ſpecificorum ſic dictorum & diverſorum ordinatione, quæ magis œconomiam vitalem turbant 19) a coeca theriacalium compoſitionum oblatione & denique 20) a provocatione majoris humorum affluxus ad ſuperiores regiones, ſive per regimina ſive per medicamina perverſa.

§. IV. In Therapia Philtrorum invenienda & adminiſtranda ſequentes indicationes attendendæ ſunt: 1) ut ingeſtum philtrum tempeſtive evomatur 2) ut imminentes noxæ convenienter præoccupentur & avertantur 3) ut urgentia ſymptomata congrue leniantur & mitigentur 4) ut poſt malum ſuperatum regimen idoneum præſcribatur. Quando itaque medicus mox aut brevi poſt oblatum philtrum in conſilium ducitur, tunc prima illius cura eſſe debet, quo per provocatum modeſtum vomitum illud ingeſtum philtrum e ventriculo rejiciatur & quoniam in tali afflictione aliàs apparatus vomibundi adſunt, ita levis ſtimulus pro vomitus actualis excitatione ſatisfacit; convenit eum ob finem ingeſtio potulenti calidi pingvefacti; quid quod valde exigua quantitas Tartari emetici ſatisfacit, uti in ſubjectis paulo robuſtioribus ſal vitrioli & radix aſari locum invenit: haud vero potentioribus antimoniatis remediis opus eſt: proinde commode ſubjiciuntur adminicula alvinam excretionem provocantia, ut philtrum in inteſtina forte delatum deorſum educatur: quo conferunt clyſteres emollientes & modeſte ſtimulantes; laxantia interna rhabarbarina, Sennata, polypodiata, helleborina, prunata, paſſulata & ſalia deterſiva ſolubiliora: quibus infuſa calida ſubſtituenda ſunt, quo inteſtina ſufficienter eluantur & repurgentur.

§. V. Ad præoccupanda imminentia damna conveniunt in ſubjectis plethoricis tempeſtivæ misſiones ſangvinis & ad mitigandas commotiones irregulares proſunt abſorbentia, nitrata, cinnabarina, ſimpliciora papaveracea, nec non decocta gelatinoſa, dilute mucilaginoſa, gelatina C. C. Decoctum Cichorei & Scorzoneræ, additis quibusdam ſpeciebus modeſte diaphoreticis & analepticis, conjunctis ſpecieb. de hyacinth. corall. rub. ppt. antimon. diaph. non minus convenit Mixtura Simpl. Julepus modice acidulatus, Bezoardicus tamen & analepticus: ut & Liqv. C. C. Succinat. Eſſ. Pimp. alb. vincetox. Scord. caryophyllat. aut alia Tinctura Bezoardica temperata: præcipue conveniunt formulæ dilutiores, neque valde acres: nullam tamen ſingularem utilitatem afferunt aceta, aut communia compoſita Theriacalia: præſtat interea cum prædictis remediis conjungere modeſtum regimen diaphoreticum, quo e maſſa humorum eliminetur, quicquid de philtro eidem ſeſe inſinuavit.

§. VI. Intercurrunt proinde interdum gravia ſymptomata, e quibus principaliora nominare lubet: affligunt nonnunquam contumaces alvi occluſiones & tormina colica, quibus leniendis conducunt clyſteres emollientes & oleoſi cum tantillo theriacæ mixti, nec non linimenta ex oleo chamomill. lil. alb. aneth. additis oleis abſinth. menth. rorismar. Cort. aurant. &c. ut & conjuncto tantillo croci, camphoræ & caſtorii: quando nimiæ congeſtiones ſangvinis ad caput tendunt, tunc conferunt clyſmata & ſuppoſitoria mediocriter ſtimulantia, pediluvia, rubefacientia plantis pedum applicata, interne vero nitrata, cinnabarina, acidulata, mixtura ſimpl. coralliat. ſpec. de hyacinth. M. P. de Cynogl. diluentia, lacticinia, emulſiva parcius papaveracea: ad anguſtias præcordiales conveniunt poſt præmiſſas neceſſarias evacuationes remedia temperantia, abſorbentia, lenientia gelatinoſa, emulſiva & ſelecta ſedativa, ſubjunctis temperatis analepticis remediis; ad virium jacturam conducunt emulſiva, gelatinoſa, paſſulata, citrata adminicula, nec non analeptica, mixturæ & Julepi roborantes & pro circumſtantiarum conditione mitius acidulata: ad febriles commotiones concurrentes proſunt nitrata, abſorbentia, corallia rubr. decocta hordeacea, C. C. Cichor. Scorzon. paſſulata.

§. VII. Quod denique Regimen attinet, quale in tali caſu proficuum & conveniens eſt, tunc quoad animum omnis rigoroſa & auſtera correctio, coactio & moderatio evitanda eſt, quin rectius ſubjecta, quibus antehac philtrum oblatum fuit, cum modeſtia & lenitate tractanda ſunt, abſtinendum inſuper eſt, a nimis operoſa rerum arduarum & ſerioſarum tractatione, aliaque animi inquietudine, imprimis a nimia ſolitudine & libidinoſa cogitatione: præterea confert præſervatorio ſcopo ſangvinis ventilationem repetere & ordinarias evacuationes in juſto ſucceſſu conſervare; non parum proficit peregri-

grinatio & ſufficiens corporis commotio: prodeſt etiam modeſtus uſus balneorum: diæta ſit mollis & temperata; potus ſufficiens & diluens: nimia corporis exæſtuatio & commotio evitanda eſt: quod denique illos effectus pernicioſos attinet, qui philtro magico adſcribuntur, tunc ſciendum, quod vere magicorum philtrorum tractatio ad forum medicum non pertineat; quando vero magia naturalis fuit, tunc aliquando ad ſalutarium & convenientium auxiliorum inventionem, notitia illius ſubjecti, quod philtrum conſtituit, multum contribuit.

CAPUT X.

De

EBRIETATE.

§. I.

Ultima hæc eſt ſpecies animi morbidi, cujus hoc loco brevibus etiam mentionem facere lubet, licet tractationem de Ebrietate alibi latius explicaverim: interim vix quisquam negabit, quod cum Ebrietate inſania quædem & rationis perturbatio, aut animi morbus conjungatur, qui quia a perturbata oeconomia vitali cauſatur, ita etiam contingit, ut hac emendata, ille etiam corrigatur: quoniam vero vicisſim frequens crapula incommoda quædam ac turbas in oeconomia vitali relinquit, ita etiam a frequenti inebriatione ſucceſſive animus in conſtantem morboſam afflictionem conjicitur, ut denique ſtupor, imbecillitas ingenii, memoriæ, judicii occupet: ſicut intemperantia talis totum hominem corrumpit: quando vero ſemel eo usque animus corruptus eſt, tunc difficulter emendari poteſt: unde innotuit dicterium: es ſey einem ſolchen Menſchen nicht zu helffen, er hätte ſich einmahl zum Narren geſoffen: quoniam tamen hæc animi afflictio adeo arcte conjuncta eſt cum œconomia vitæ, ita non melior, certior & ſecurior patet methodus huic morbo animi medendi, quam ut artifex motibus vitalibus alteratis & turbatis congrue ſuccurrat.

§. II. Minime quidem admodum uſitatum eſt in hoc Ebritatis vitio Medici conſilium & auxilium efflagitare, niſi interdum alii, quibus intereſt, a medico ſollicitent, quo ſecretum aliquod artificium commendet, per quod effici poſſit, ne alius huic vitio indulgeat, qualia artificia etiam paſſim commendantur:

dantur: interim tamen quandoque contingit, ut in nimis profunda & magna ebrietate, in ebriis valde obeſis & plethoricis & ubi ebrietas larvam alterius periculoſi morbi induit, medici auxilium imploretur, ubi omnino refert ſingulas prægnantes circumſtantias perpendere & dijudicare, an videlicet inebriatio cum potu ſpirituoſo excitata ſit, an ſupra omnem modum potulenta ingurgitata ſint, an vehemens commotio animi & corporis concurrerit, an ſubjectum valde plethoricum exiſtat, an immoderatis commotionibus plethoræ & ſuſpectis moliminibus hæmorrhagicis obnoxium ſit, an alias morbo quodam laboret, an ad repentinas & ſonticas morbidas invaſiones adſvetum ſit, an ſenſibiles alterationes quoad externi caloris & frigoris uſum concurrerint; an repentinæ & ſuſpectæ ſuppresſiones conſvetarum & ſalutarium evacuationum præceſſerint, an brevi antea ſimiles profundæ inebriationes prægreſſæ ſint, an in ſubjecto ebrio adſuerit propenſio in apoplecticos, hemiplecticos & paralyticos affectus: an præcesſerint aliæ motuum vitalium perturbationes, an virium & animi langvor præcurrerit &c. e quibus & ſimilibus aliis obſervationibus varias ſalutares inventiones & operationes artificioſas medicas ducere & ſeligere licet.

§. III. Ne itaque in tali caſu aliquid ſuſcipiatur, quod improviſum damnum afferre poteſt, propterea cavendum eſt, 1) ab uſu artificioſi, vulgati ſtimulantis Emetici remedii 2) a poſitiva & acri purgatione 3) a præmaturo uſu ſtomachicorum remediorum 4) a ſalium volatilium interno & externo curatorio uſu: 5) a remediis aliis calefacientibus, ſpirituoſis, concentratis, acribus 6) a medicamentis narcoticis 7) ab indiſcreto & copioſo acidorum uſu 8) ab adſtringentium remediorum ingeſtione 9) a nimis copioſa & confuſa medicamentorum oblatione 10) ab interno & externo refrigerantium uſu 11) a regimine nimis anxio & æſtuoſo, nec non a coacta impetuoſa & prodiga diaphoreſi 12) negligenti obſervatione & tractatione ſtatus plethorici 13) ab externa applicatione ad caput remediorum ſubtilium & acrium, vulgo cephalicorum dictorum 14) ab abſorbentium medicamentorum nimis larga ingeſtione, quæ ventriculum & primas vias magis impaſtant, adeoque neceſſarias evacuationes turbant: & denique 15) a negligentiori præoccupatione imminentium & conſequentium morbidarum afflictionum.

§. IV. Dum itaque rationis perturbatio non maturius corrigitur, niſi motuum vitalium turbæ in ordinem priſtinum revertantur, propterea cura Ebrietatis tali modo inſtituenda eſt, quo nimium ingeſta, aliqva quantitate tempeſtive egerantur, ne nimium corpus aggravent: ob id levi & ſimplici enchiriſi vomitus provocandus eſt; quo etiam nonnunquam ſuperbibita decocta uſitata calida, præcipue herbæ Thee conveniunt; huc etiam quadrat irritatio faucium cum pluma: deinde ſi in ſubjectis valde plethoricis necesſitas urget, & pe-

& periculoſæ conſecutiones imminent, interdum convenit V. S. ſed largior, nec non alvi provocatio cum clyſtere mediocriter ſtimulante: non minus conferunt ad nimium ſangvinis orgaſmum mitigandum nitrata & abſorbentia remedia: proſunt etiam in tantum decocta remisſius calida, quo moderatam diaphoreſin promoveant, quæ ſub requie corporis adjuvanda; quare proxima cura habenda eſt, quo ebrius ad neceſſariam talem quietem componatur: habent etiam ſub ebritatis ſtatu aliquam utilitatem decocta mucilaginoſa & gelatinoſa, non æque lacticinia, quæ in illo caſu, ubi ebrietas a vino orta eſt, magis incommoda ſunt: neque etiam acida ſub ebrietate conveniunt, quoniam ut plurimum ebrietas multam aceſcentem ſaburram in ventriculo generare adjuvat: capiti apponenda ſunt epithemata domeſtica, parcius camphorata & cum aceto vini humectata: de reliquo ſufficiens quies & ſomnus conducunt; cavendum tamen ne perfecte aut ſemi ebrii frigidam aquam bibant, cum qua ventriculum valde enervant & variis conſequentibus turbis anſam præbent.

§. V. Poſt ebrietatem jam ſuperatam, minime confert ventriculum denuo, aut mox, aut multum cum cibis & potu frigido offendere: conveniunt potius juſcula gelatinoſa & ſi ſubjecta non plethorica fuerint aut vehementibus & repentinis orgaſmis ſangvinis obnoxia, juſcula vinoſa modeſte aromatiſata: quodſi ebullitiones ſangvinis continuaverint, tunc continuanda ſunt nitrata, abſorbentia & coralliata: conveniunt etiam decocta calida citrata: maxime prodeſt abſtinentia & jejunium; deinde ſubordinare convenit ſtomachica, quæ ventriculi imbecillitatem iterum corrigunt: continuanda erit requies animi & corporis: proſunt pediluvia & prædicta epithemata capiti applicanda: magna cum cura etiam abſtinendum eſt a talibus remediis, quæ orgaſmum ſangvins denuo provocant; invigilare vero convenit, quo alvina excretio juſte & ſufficienter continuet, quidquod modeſtæ continuationi diaphoreſeos ſtudendum eſt: & ſi a prægreſſo vitio & rationis & corporis oeconomia in ordinem juſtum redire debet, in futurum omnis inebriatio evitari debet: hæc enim & animum & corpus corrumpit atque perdit.

SECTIO XI.

DE

MORBIS EX FASCINO.

§. I.

QUanquam imaginationis magna ſit vis, tamen omnes miros & ſtupendos effectus imaginationi adſcribere velle præjudicioſum eſſet; neque etiam rationi conſentaneum eſt, ita concludere velle, quia diverſa phænomena naturalia ita comparata ſunt, ut de iisdem ratio reddi nequeat, ergo alii effectus ſtupendi, de quibus ratio dari non poteſt, naturales ſunt; ita etiam divina maledictio & benedictio ex ludicro & petulanti tali fundamento negari & mera vis naturalis accuſari poſſet: neque etiam illa ratio alicujus valoris vel momenti eſt, quod diabolus ſupra naturam nihil operari poſſet, cum nondum demonſtratum ſit, quod ille ad ordinem naturæ abſolute adſtrictus, quod ſupra naturam nihil efficere poſſit, quod ipſi uſus rerum naturalium abſolute denegatus ſit, quod rebus naturalibus uti nequeat, quod ſit ſpiritus adeo otioſus, fatuus & impotens: inde colligo, quod hujus & alterius ſortis argumenta, exiſtentiæ Faſcini oppoſita, nullius tenoris & momenti exiſtant.

§. II. Dantur itaque Morbi ex Faſcino, qui tamen probe dijudicandi & diſcernendi ſunt: interea non nego, quod in multis morbis, qui incantationi imputantur, vel dolus, vel ſuperſtitio, vel fatua ſimplicitas occurrat; eapropter vero exiſtentiam morborum ex Faſcino negare velle, temeritatis & præcipitantiæ ſignum eſſet: multo minus audienda eſt illa oblocutio, quaſi propterea exiſtentia Faſcini admitti haud poſſet, quia intellectum humanum fugit, quomodo per poteſtatem diabolicam ejusmodi effectus & producta formari & offerri queant; cum tamen obſervationes in contrarium propoſitæ, neque negari posſint, neque per ullam analogiam & ſpeciem ſimilitudinis alicui reſpectui & experimento naturali imputari queant, ni vanæ quædam & ridiculæ perſvaſiones fingantur.

§. III. Operari itaque diabolum in animum & corpus humanum, minime nego: etenim animæ hominum ſubtili ratione in ſe invicem operantur, quamvis modus fiendi nos lateat; unde diabolus vel mediante animo varios morbos cauſari poteſt, vel immediate in corpus agere valet & quidem per nudam permisſionem divinam; cum juſta Dei judicia explorare haud

quea-

queamus, ut propterea deteſtanda temeritas eſſet, eapropter perfecte Bonum Deum, injuſtum appellare velle, quia concederet, quod diabolus homines innocentes ita miſere affligat! Teſtantur itaque varia exempla, quod in uno alterove morbo Faſcinum occurrat, neque propter paucisſimorum ſpeculationem, præjudicium, incredulitatem & novaturientem animum, aliorum æque providorum obſervationes indiſcretim ſatuitati, credulitati, ſuperſtitioni & levitati animi adſcribendæ erunt.

§. IV. Imo cum diabolus non ſolus operari neceſſe habeat, quid ni in majus diſpendium animarum aliis inſtrumentis & hominibus intermediis uti poterit, per quæ in alios homines tela ſua transfert: etenim ſi ſubtili ratione cum animabus hominum per pravas cogitationes commercium habet, quidni craſſiori modo idem commercium habere poterit: quis vero prudens homo facile aſſentiat huic concluſo & judicio: quia intellectus non cum ratione aſſequitur, quomodo hoc ſuccedat, ergo totum hoc negotium eſt falſum: interea lubens etiam conſentio, quod cum naturalibus inſtrumentis multa damna induci posſint: minime tamen ſequitur, quod per ſupra naturales vires nullum damnum cauſari poſſit: poſito enim uno, alterum non eſt excludendum: imo concedo, quod in diverſis naturalibus ſubjectis miræ lateant virtutes! ſed quis quæſo illas detexit & aperuit ſimplici, imperito, ſatuo & abjecto homini, ſive ſit mas, ſive vetula? quis negare poterit, an non inſenſisſimus ille hominum hoſtis diabolus tales vires ſuis inſtrumentis indicare poſſet? quis negabit, an non ipſe in ludibrium malitioſorum ſuorum inſtrumentorum, ſive pravorum hominum, abjectam herbulam & radiculam indicet, ſed tacita & occulta ſua virtute doloſe cooperetur? Mitto plura & in hac tractatione abunde convictus asſero, quod dentur morbi ex Faſcino.

§. V. Sed quid hæc ad medicum! fortior debiliorem expellere debet! placet itaque hoc ordine indicare quid in triſti & miſero tali caſu agere queat: cavere vero ante omnia debet 1) a quibusvis impetuoſis & crudis evacuationibus, ne eo magis œconomiam vitæ confundat & vires proſternat; 2) a confuſo, inconſtanti, multiplicato & perpetuo medicamentorum uſu: 3) tanto magis a remediis inexpertis, vanis, ſuperſtitioſis, aut 4) vicisſim heroicis ſic dictis & vehementer corpus commoventibus: 5) a medicamentis humores valde commoventibus, acribus, concentratis, ſpirituoſis: 6) ab adſtringentibus & valde incraſſantibus: 7) ab ordinariarum evacuationum perturbationibus: 8) a remediis multas turbas primis regionibus inducentibus: 9) a virium proſtratione, vel per violenta medicamenta, vel per incongrua regimina: 10) a medicamentis narcoticis: 11) ab impiis & contra bonam ſcientiam & conſcientiam

pugnantibus experimentis; 12) a nimis credulo & prodigo ſpecificorum ſic dictorum uſu.

§. VI. Ad Therapiam morborum ex Faſcino ortorum me converto & ordine primo præparationem ad reliquam ſubordinandam curam ſubminiſtro: ſic enim medicus removere debet illa incommoda, quæ e corporis conſtitutione ad exacerbandam præcedentem principaliorem afflictionem concurrunt: quare repurgandæ ſunt primæ regiones ab impuritatibus, quæ per rationem temperamenti & diætæ diſtinctæ aliquod prædominium habent; neque male correcta aloëtica & helleborina conjunguntur, quæ ſpisſiores heterogeneitates evacuant: ubi ſangvis abundat, conducit Venæ Sectio imprimis in pede; neque in congruis ſubjectis hirudines ad hæmorrhoïdalia loca apponendæ, rejici poſſunt: conferunt etiam pediluvia, tam ad præſervandum caput, quam ad invitandam moderatam diaphoreſin, ad quam poſteriorem etiam modeſtus uſus balneorum convenit.

§. VII. Non immerito etiam Medici quæſtionem movent, an per medicamenta naturalia in hoc caſu auxilium quoddam conciliari queat; de quo non pauci dubitant, quoniam cauſa mali eſt occulta: equidem cenſeo, quod uſitata noſtra remedia directe ad curam hujus miſeriæ nihil conferant: ſi enim e permisſione Dei diabolus potentiam ſuam exercet in miſerum hominem, quidni ipſe cacodæmon ex permisſione eadem divina, potentior fuerit oblato medicamento: quodſi vero divina miſericordia cum remediis concurrat & altior atque potentior benedictio remediorum uſum comitetur, tunc occulta hæc ſynergia divina nos latet, ut propterea abſolutum judicium de certitudine ſalutaris & directæ efficaciæ remediorum adverſus faſcinum ferre haud queam: de reliquo medicamenta ſecura reliquis concurrentibus circumſtantiis, corpus concernentibus, ſubvenire poterunt, ni etiam illorum ſalutarem effectum ex permisſione divina illa altera & quidem mala diaboli poteſtas impediat: dum vero de hisce occultis circumſtantiis medicus nullam infallibilem notitiam habet, interim omnia bona a Deo ſperare poteſt, propterea minime habet, quod dubius & anxius ab omni medicamentorum naturalium uſu abſtineat.

§. VIII. Optima medicina in tali afflictione eſt ſpiritualis, videlicet piæ, ſerioſæ, conſtantes preces, quæ in veritate & Spiritu affunduntur; interim mirum non eſt, cur in ejusmodi caſibus preces non ſemper ſcopum ſuum aſſequantur, juxta illud *Jacob. 4. v. 3.* petitis & non accipitis, eo quod male petatis: *conf. Eſ. 1. v. 15.* etenim ſecundum *Joh. 4. v. 23.* adoratores veri adorabunt Patrem in Spiritu & veritate; nam Pater, qui ſunt ejusmodi adoratores, requirit: unde etiam ad hoc remedium, videlicet ad precationem juſtus ordo

do pertinet; nimirum quo oratio in fide contingat, ſecundum *Jac. 1. v. 6.* ſic conſtant ejusmodi exempla, quod ne quidem Salvatoris noſtri discipuli ejusmodi afflictioni mederi potuerint, quoniam amethodice curationem inſtituerunt: *conf. Matth. 7. v. 19. ſeq.* neque etiam in hoc paſſu Pontificiorum Exorcismos, Miſſas, applicationes reliquiarum attendo: merito enim cum Propheta eloquor *Eſ. 1. v. 12.* quis quæſivit hoc a manu veſtra? quoniam vero hic cultus magis ſuperſtitioſus eſt & gloriam Altisſimi minuit, ita illius uſus nullus eſt.

§. IX. Inter alia adminicula, quæ ad ejusmodi caſus adhibentur, perquam cognita & uſitata ſunt Suffimigia, quibus multi dæmonem fugare ſperant; aſt fabuloſa eſt traditio, quaſi diabolus certos vapores & fœtores perferre nequeat: quid vero ſuffitus ille valeat cum fruſtulo veſtimenti de perſona, ob veneficium inductum ſuſpecta, comparati, paratus, experientia conſulenda erit: dantur interim teſtimonia, quæ utilem illius applicationem approbant; a quibusdam adianthum aureum in ſuffimigio adverſus veneficia commendatur; vulgo vero aſa fœtid. caſtor. thus, maſtix, ſtorax, calam. ſulphur. camph. myrrh. mercur. etiam in ſuffimigiis laudantur; qualia vero utplurimum in talibus caſibus fruſtra adhibita conſtant: quin potius indicandum eſt, quod hujus cenſus communia ſuffimigia non modo nihil proſint, ſed ſi prodige adhibentur, potius obſint & noceant, tanto magis grave damnum metuendum eſt ab incauto uſu ſuffituum ſulphuratorum, mercurialium & cinnabarinorum: uſus vero talium ſuffimigiorum in ejusmodi caſibus utplurimum credulis & ſuperſtitioſis papiculis adſcribi debet, qui diabolum cum fumo expellere audent.

§. X. Vulgo adverſus morbos a Faſcino pendentes commendantur Hypericum, (quod eapropter Fuga dæmonum dicitur,) Verbena, Antirrhini ſpecies, imprimis nobilis, Adianthi ſpecies, Quercus, Taxus, abrotanus, artemiſia, callitrichum, rorida, Marrub. alb. ruta, Ptarmica, folia alni, plantago, allium rubr. fl. Cichor. ſylv. alb. Origan. Capill. ven. Viſc. corylin. tiliaceus, Lignum frangulæ e Tilia creſcens, Filix, Lign. Tiliæ, Fungus ruber ſub betula creſcens, Sem. pœoniæ & nonnulla alia, e quibus varia medicamenta, pro interno & externo uſu commendata paſſim proſtant: in quantum vero rerum ſuarum certus artifex hisce ſpeciebus in talibus caſibus fidere queat, nondum ſufficienter experientia probavit: minime tamen negare volo, quod, ſi veneficium per naturale medium commiſſum fuit, etiam in quibusdam aliis naturalibus ſpeciebus virtus oppoſita hærere posſit, qua cum præmiſſa magia ſolvi poſſet; ſed in hoc negotio virgula magica eine Wünſchel-Ruthe, opus eſſet, mediante qua ſecreta talia detegi posſint: quando vero vicisſim quisquam cœcis experi-

mentis niti vult, noſſe etiam ipſe debet, quod non raro cum periculo & eximio irreparabili damno talia experimenta inſtituantur.

§. X. Multum vero conſcientiam lædit, a fiducia in Deum ſeducit & gloriam altisſimi violat, ſi homines ad ſuperſtitioſa experimenta confugiunt, vanis imprecationibus, aut Paracelſiſticis temeritatibus utuntur, characteriſmos & amuleta ſuſpecta in conſilium trahunt, vel plane ab hominibus, de magia ſuſpectis, auxilium petunt & ut ajunt diabolum cum diabolo expellere contendunt, inde innotuerunt fuſtigationes ſcoparum, induſii, ſacci &c: & conſtant mihi exempla, ubi infantes bimuli, ad quorum vim imaginationis vix provocare licet, per ejusmodi impia experimenta a confuſis & periculoſis morbis in integrum reſtituti ſunt: ego potius cum apoſtolo *2. Tim. 2. v. 19.* eloquor: diſcedat ab iniquitate omnis, qui nomen Domini invocat: melius enim eſt Deo ſic permittente, corpore ægrotare, aut potius vitam amittere, quam peccatum committere & conſcientiam tali crimine violare, quo acheronta moveantur: rectius verus chriſtianus expectet tempus, quo Deus hanc afflictionem auferat, quin potius ſub ardentibus precibus & uſu licitorum adminiculorum hunc ſtimulum carni infixum & Satanæ colaphos patienter ferat & ſibi dictum ſinat; ſufficit tibi gratia mea.

§. XI. Interea ex officio medici fluit, quo conſtanter removeat, quicquid alibi corpus affligere poteſt: unde præter illa auxilia, quæ excretiones neceſſarias in juſto ordine conſervant, (quo aliquando anthelmintica referenda ſunt) etiam analeptica & roborantia conducunt; animus, quantum fieri poteſt in quietem & continentiam componatur & ab omni irritatione arceatur: præcipue conducunt peregrinationes, moderata balnea, pediluvia & thermæ: Cibus ordinetur modicus & temperatus: imprimis evitentur craſſa alimenta & potulenta: liquida vero & diluentia concedantur; neque vini boni modicus uſus prohiberi debet; admittenda eſt amica & modeſta converſatio: admodum etiam cavendum eſt, ne ullo modo afflicti ægrotantis mores corrumpantur: neque quidem ſecundum Paracelſiſticas perſvaſiones muſicæ ſingularem aut directam efficaciam in tali caſu adſcribo, niſi animi tranquillitatem quantisper promoveat: nam illud remedium, quod Saulum a malo ſpiritu liberavit & quocum Tobias juſſu Raphaelis Sathanam fugavit, non ad alios caſus eſt extendendum: Pia precatio vero eſt vera & indubia Panacea: hæc arma, qui maſcule adhibet, certo de omni Sathanica malitia victoriam reportabit.

SECTIO

SECTIO XII.

DE DEFECTIVIS MOTUUM VITALIUM VITIIS.

CAPUT I.

DE APOPLEXIA ILLIUSQUE SPECIEBUS.

§. I.

SUpereſt ut ad finem Practicæ hujus tractationis illas arduas ægrotationes pervolvam, quæ in poſitivo defectu motuum ſalutarium & neceſſariorum vitalium conſiſtunt, inter quas præcipuas magisque periculoſas produco & præmitto; noſſe itaque debet artifex, quod in tali Apoplectico & Hemiplectico affectu motus vitales amittantur, licet natura adhuc in corpore præſens, neque eo usque viribus depauperata ſit, quin eosdem motus denuo repetere queat: cum hac motuum abolitione conjunctum eſt faſtidium quoddam ejusdem naturæ, quod de periculoſo accidenti, in corpore oborto, formatum eſt, licet nonnunquam etiam ſingularis langvor & enervatio concurrat, tum ob urgens ſenium & virium decrementum eo facilius ordinarii & neceſſarii motus deſeruntur, licet tamen tantum capacitatis in natura reſiduum ſit, quo hæc iterum ad motuum continuandam adminiſtrationem reverti queat.

§. II. Præſtat ſubinde in ejusmodi arduis & periculoſis affectibus probe attendere illam cauſam, quæ naturam ad præſentem motuum abolitionem permovit, qualis illa ſit & ubi hæreat, quo illius remotioni & ſubjugationi manus tempeſtive admoveri queant: quid quod confert horum affectuum gradus provide indagare; ſiquidem in magna Apoplexia longe parum ſpei impetrandæ reſtitutionis adeſt; neque etiam facile natura ad motuum revocationes

mes excitari poteſt, ni ſimul hæc cauſa & hoc objectum præſentium affectuum congruis adminiculis attingatur, ut natura eo facilius cum motibus ſuis repetitis plurimam noxii illius accidentis ſubjugationem perpetrare poſſit: ob id periculum in mora eſt & quicquid in primis ingruentium horum affectuum initiis non obtinetur, illud ægre in cunctata medicatione ſperari poteſt: proinde etiam convenit in illas cauſas antecedentes & impulſivas inquirere, quæ talem affectum invitarunt, cujus videlicet energiæ & valoris exiſtant, quo illarum complicatæ efficaciæ attentus artifex legitime ſubvenire queat; ſicut ratio habenda eſt animi pathematum, quæ ad talem morbum contribuerunt.

§. III. Ratio etiam habenda eſt præſentis plethorici ſtatus & conjunctorum moliminium hæmorrhagicorum, aut prægreſſarum, attamen ſuppreſſarum, actualium Hæmorrhagiarum, quæ tales affectus invitant, eo magis porro circumſpectio adhibenda eſt, ne, dum affectus talis ex immoderata ſangvinis congeſtione ad caput ortum traxit, ſub hujus morbi cura priſtinæ impetuoſæ congeſtiones revocentur, eoque ipſo cauſa morbifica potius augeatur, quam imminuatur: id contingit, ſi in tali caſu & interne & externe ejusmodi remedia offeruntur, quæ ſangvinis orgasmum excitant & ſuffulciunt: præterea etiam inquirendum eſt, an aliæ conſvetæ excretiones turbatæ & ſuppreſſæ ſint: ſicuti ſeroſarum evacuationum repentinæ & impetuoſæ oppreſſiones nonnunquam ſub certis circumſtantiis talem periculoſum morbum cauſentur, neque violentiarum inductarum conſideratio & conciliatio negligenda, quo eidem, ſi quid ſpei ſupereſt, tempeſtive ſubveniat artifex: omnium maxime vero curatius attendat, an affectus talis e cauſa vel ſimpliciter ſangvinea, vel ſeroſa, vel mixta, ortus ſit & quomodo ceteroquin vires ægrotantis comparatæ ſint, an videlicet ob rationem ſenii, vel prægreſſarum variarum animi & corporis enervationum major vel minor impetrandæ reſtitutionis ſpes affulgeat.

§. IV. Quo magis hi affectus periculoſi ſunt, imo quo magis periculum in mora eſt, eo major dexteritas & promptitudo in illorum cura adhiberi debet; ne vero quicquam in præjudicium horum morborum committatur, cavendum eſt in Apoplexia ſangvinea 1) a præmatura ſectione venarum capitis, antequam univerſalis ſangvinis ſubtractio commiſſa fuit: 2) ab artificiali vomitu, qui ſangvinem magis intra caput immoderate congerit; 3) a remediis nimis acribus & concentratis, ſuſpectas orgaſticas ſangvinis commotiones invitantibus: 4) a negligentiori tractatione ordinariarum evacuationum, imprimis vero ab alvinæ excretionis perturbatione: 5) ab inſufficienti & parca ſtatus plethorici urgentis imminutione: 6) a remediis incraſſantibus & valde acidis: 7) tanto magis ab opiatis & motus qualitercunque turbantibus & opprimentibus: 8) ab experimentis & tentaminibus minus probatis, cum in hoc

affectu

affectu minime experimentandi locus & occaſio ſit: 9) a ſalium volatilium & oleorum deſtillatorum acriorum uſu externo, quæ eo majorem temulentiam & oppletionem capitis invitant: 10) a regiminibus anxiis & æſtuoſis: 11) a medicamentis adſtringentibus: 12) & denique a nimis prodiga & confuſa remediorum ingeſtione, ubi contingit, ut unum remedium alterius efficaciam impediat, aut pervertat.

§. V. Quod Seroſam Apoplexiam attinet, tunc in illius cura rite inſtruenda, cavendum eſt 1) a Venæ Sectione, ubi nulla ſangvinis abundantia urget: 2) a negligenti & præpoſtera evacuationum seroſarum provocatione & promotione 3) a medicamentis qualitercunque humores inſpiſſantibus 4) a nudo ſalium volatilium interno uſu 5) a formulis confuſis e medicamentis motus excitantibus & ſedantibus conſtantibus, quales formulæ ſunt vulgares theriacales compoſitiones 6) a vulgari caſtorinorum remediorum uſu 7) ab exceſſivo uſu ſternutatoriorum medicamentorum, quæ nimium debile caput afficiunt, offendunt & concutiunt 8) a medicamentis interne & externe partes nervoſas ægre affligentibus 9) ab uſu talium ſvaveolentium & æthereorum oleorum, quorum odor alias hisce ſubjectis adverſus fuit 10) ab incauto & immoderato uſu urticationum & fortius rubefacientium 11) a confuſa neceſſariarum evacuationum promotione & præmatura alterantium oblatione; & denique 12) ab inconſtanti & multoties variato diverſorum & perverſorum remediorum & experimentorum uſu.

§. VI. Quod Apoplexiam Sangvineam attinet, tunc illius cura ſequentibus nititur indicationibus practicis 1) ut tempeſtive ſangvini commoto & ſuperfluo ſufficiens ventilatio concilietur, quo reliqvus effuſus ſangvis reſorberi & in juſtum fluxum converti queat 2) ut tempeſtiva motuum revulſio a capite inſtituatur 3) ut motus deficientes tempeſtive iterum revocentur & excitentur 4) ut diſcuſſio ſtagnantium humorum promoveatur, 5) ut motus & vires poſt qualemcunque revocationem juſte dirigantur & 6) ut conveniens Præſervatio ordinetur, ne hic affectus cum majori damno recrudeſcat: quamvis vero hic affectus ſemper ſit periculoſus & magis in lethalem, quam ſalutarem eventum deſinat, tamen ſub harum indicationum tempeſtivo uſu, ſperandum eſt, quicquid ad ægrotantis emolumentum pertinet.

§. VII. Ante omnia præſtat in tali ſangvineo affectu confeſtim capacem & amplam inciſionem venæ in brachio committere & ſecundum gradum plethoræ præſentis ſufficientem, aſt non excedentem, quantitatem ſangvinis emittere: antiquiores medici in tali caſu arteriotomiam laudarunt, quæ minime infructuoſa eſt, modo rite celebretur: præmiſſa Venæ Sectione, non inutiliter ſubjungitur ſectio vel venarum jugularium, vel venæ frontis; licet

Zzz zz ha-

harum ſubordinatarum ſangvinis ſubtractionum loco, nares intrinſecus modeſte ſcarificari & ad ſtillicidium ſangvinis provocari poſſint: hinc ſpontanea tempeſtiva narium Hæmorrhagia in hiſce affectibus multam opem affert; laborandum inſuper eſt, quo ſangvis ex aperto loco prompte & ſufficienter effluat, quoniam tardior emanatio inſufficientem alterationem cauſatur, ut interdum ſub manibus ſuccumbant patientes: hirudines, quoniam tardius ſangvinem extrahunt, hinc in repentino hoc caſu curatoriam utilitatem non promittunt.

§. VIII. Quoniam porro hi affectus e contumaci & immoderata congeſtione ſangvinis ad caput ortum traxerunt, ita proxime quicquid horum motuum reſiduum eſt tempeſtive & efficaciter revelli debet: pro hac intentione & indicatione conveniunt clyſteres acriores & cum tantillo aloes correctæ mixtæ, quibuscum non modo motus evacuatorii revocantur, ſed & motus in ſuperiores regiones decumbentes, avocantur: pro eodem ſcopo conferunt phœnigmi ſive rubefactiones plantis pedum adhibendæ, nec non fortiores pedum frictiones & cucurbitularum cœcarum applicationes ad ſuras: habent etiam aliquid utilitatis ſuppoſitoria acria, præcipue in ſubjectis hæmorrhoidariis; ſubordinando hirudines ad loca hæmorrhoidalia.

§. IX. Porro convenit reliqvum motuum defectum reparare, quo conducunt aſperiores & efficaciores frictiones totius reliqui corporis, internæ & externæ oblationes congrue reficientium remediorum, quo pertinent aquæ analepticæ, mixturæ ex ejusmodi aquis, confect. alkerm. compl. ſyrupis ſic dictis cordialibus, ſpiritibus lil. conv. ceraſ. nigr. roſar. & Liqu. C. C. ſuccin. parandæ: profunt etiam alexipharmaca, quæ motum ſangvinis denuo adjuvant & provocant; & ſicut in hiſce affectibus magna difficultas quoad internam medicamentorum oblationem occurrit, ita etiam externa combinanda ſunt nervina & temperata roborantia, quo modeſtus uſus odoris Spiritus Sal. ammoniaci mediocriter oleoſi pertinet: neque penitus modeſta ſternutatio contemnenda eſt, etiamſi cum ſimplici internarum narium irritatione provocata fuerit.

§. X. Proxime etiam proficit ſtagnationi ſangvinis in capite externo obviæ ſubvenire & licet ad internam extravaſationem diſcutiendam topica remedia parum, ſi non plane nihilum, conferant, tamen illa remotior diſcuſſio tantum ſublevat naturam, quo ad reſorbendam internam extravaſatam ſangvinis quantitatem promptius vires ſuas applicet: hinc conferunt Camphorata, Crocata, ut mixtura e ſpir. vin. camph. ſpir. ſerpill. lil. convall. roſar. Eſſ. croc. & tantillo ambræ: profunt etiam ſacculi e ſpeciebus nervinis & diſcutientibus parati, addita Camphora & croco: ſubinde vinum calefactum capiti

piti applicatum multam virtutem habet: proficit etiam modicus uſus externus ſalium volatilium; cavendo ne cum hisce aliqualis committatur exceſſus: non parum ad reſorbendum extravaſatum ſangvinem confert modeſta capitis commotio: a ſuffimigiis & vaporoſis abſtinendum eſt, quia reſpirationem turbant.

§. XI. Quando motus nunc quantiſper revocati ſunt, tunc convenit illorum directorio ulteriorem operam adhibere, præſtant itaque emulſiva & Iulapia roborantia; ſubjungantur antiſpasmodica nitroſo-cinnabarina: proſunt decocta e C. C. Cich. Scorzon. hord. excort. paſſul. maj. Cort. Citr. Cinnam. nec non temperatæ Eſſentiæ alexipharmacæ: non minus confert mixtura e Tinctur. antim. tartariſ. Spir. C. C. & Eſſentia ſuccini ut & decoctum herb. Thee citratum, aut cinnamomiſatum: evitentur acriora, aut impellentia remedia: conjungantur e diæta talia quæ viribus reficiendis idonea ſunt: quemadmodum exeunte cura pediluvia & correcta aloetica remedia, aut pilulæ Stahlianæ, aut in hæmorrhoidariis ſubjectis repetitæ hirudinum applicationes ad hæmorrhoidalia loca conducunt.

§. XII. Præſervanda eſt Apoplexia Sangvinea repetita & ſufficienti ventilatione ſangvinis per Venæ Sectionem in pede celebrandam: multum juvant in ſubjectis Hæmorrhoidariis Hirudines aliquoties hæmorrhoidalibus locis apponendæ: interponantur modeſtæ & repetitæ laxationes cum remediis temperatis & correctis aloeticis: proſunt pediluvia: animus ſit tranquillus, a profundis meditationibus ac operoſis curis liber; omnis immodica corporis commotio & exæſtuatio evitanda eſt: nocet ſubitanea immutatio frigoris cum calore; pedes ſenſibilibus, multis et diuturnis refrigerationibus ne ſubjiciantur: potus ſpirituoſi nocent: diæta ne ſit larga, craſſa, aut valde alimentoſa: potus & motus ſit conveniens et ſufficiens: nocent tamen potulenta ſpiſſa et valde ſaturata; caput arceatur ab omni offenſione, quæcunque temulentiam & vertiginoſam perturbationem inducere poteſt: alia vero ſpecioſa & valde commoventia medicamina ſedulo evitentur: denique frequens Venus omittenda eſt. Et hac eadem ratione tam curatorie, quam præſervatorie Hemiplexia tractanda eſt.

§. XIII. Ad Seroſam Apoplexiam me converto, cujus cura perinde ſequentibus indicationibus abſolvitur 1) ut tempeſtiva ſeri colliquatio, abſterſio & evacuatio ſuſcipiatur & talis quidem quæ ſimul ad motuum deficientium revocationem contribuit 2) natura propius excitetur & ad motus in genere, ſeorſim vero ad diverſas ordinarias evacuationes invitetur 3) ut ſuſpecta humorum ſtagnatio in capite diſcutiatur & partes legitime roborentur 4) ut con-

ſvetæ functiones, vitalitati inſervientes, in juſtum ordinem transferantur 5) ut congrua Præſervatio præſcribatur.

§. XIV. Primum quod concernit, tunc mox in initiis providendum eſt, quo emeſis provocetur; non multum tamen hanc intentionem impedit impotentia ægrotantium, quantum itaque fieri poteſt, tempeſtive emeticum remedium offeratur; quo nomine commendo ad inſtitutum Langii Sal vitrioli; hoc diluatur cum aqua quadam deſtillata & exhibeatur: hoc partim ſerum mucidum potenter alterat & colliquat, partim emetico effectu ad novos motus naturam excitat, partim per connexam capitis ſuccuſſationem, ad reſolutionem ſeroſo-pituitoſæ colluviei in cerebro contribuit: in hujus ſalis defectu Tartarus emeticus convenit; ſicut alii ſyrupum emeticum cum aqua cinnamomi dilutum ordinant: alia antimonialia potentiora non æque neceſſaria ſunt.

§. XV. Circa motuum revocationem ab extra proſunt clyſteres ſtimulantes, frictiones fortiores, rubefacientia & veſicantia remedia, quamvis poſteriora non æque ſemper congruum ſuum effectum exſerant: proinde conducunt illa experimenta, ut Sartago cum prunis ardentibus repleta, eine Wärm-Pfanne aut inſtrumentum mulierum ein Blatt-oder Bügel-Eiſen circumſpecte capiti, vertici & fronti admoveatur; de quibus experimentis, licet quidem non penitus rejicienda ſint, optandum tamen eſt, quo ſemper promiſſum & exoptatum ſuum effectum exſerant: porro conveniunt moderatæ ſternutationes, frictiones cum excutia adminiſtrandæ & odoratus ſalium volatilium oleoſorum, ac balſamorum oleoſorum.

§. XVI. Interne ad motuum revocationem conveniunt aquæ ſpirituoſæ nervinæ, aquæ apoplecticæ & cordiales ad aliquot guttulas intra os dimittendæ, mixturæ ſpirituoſæ cum oleis deſtillatis imprimis cinnamomi & ſuccini parcius mixtæ: ſpiritus ſerpilli & eſſentia croci cum ejusmodi mixturis parca quantitate mixta: balſama liquida oleoſa ad exiguas guttulas faucibus inſtillanda: ſal volatile oleoſum, ſpiritus ſalis ammoniaci ſuccinatus, pari methodo adhibita proſunt; huc confert Liquor C. C. ſucinatus, Eſſ. Cinnam. Succin. & Ambr. Confectio alkermes completa, nec non Eſſentiæ angelic. Imperat. caryophyllat. Pimp. alb. valerian. Succin. Croci, Cinnam. inter ſe mixtæ: præter hæc interna nervina, conferunt adhuc externa alia, quæ nervinam efficaciam habent, ut Sacculi nervini, balſama nervina, Spir. lil. convall. Serpilli, Formic. Lumbr. Terreſtr. Balſam. de Peru & quæ multiplicia alia roborantia paſſim uſualia ſunt.

§. XVII. Non minus in hac Apoplexia cum prædictis roborantibus & internis discutientibus, externa reſolventia conjungenda ſunt, e quibus præter camphorata, etiam cataplasmata vinoſa capiti applicanda & e discutientibus atque roborantibus paranda conducunt: neque ſpiritus volatiles, cum moderamine extrinſecus adhibiti, contemnendum uſum habent: huc etiam pertinent ſacculi cum ſpiritu vini camph. & ſerpilli humectandi, ut & cucuphæ: ungvinoſa vero & emplaſtica non conveniunt: præterea ordinentur interna alexipharmaca, cum regimine diaphoretico interdum conjuncta, quo neceſſaria & efficax discusſio humorum pituitoſorum impetretur.

§. XVIII. Quodſi ſub divina benedictione periculoſus hic affectus emendari videatur, tunc alia auxilia in uſum ducenda ſunt, ex quibus conferunt infuſa vinoſa e reſolventibus & nervinis ſpeciebus parata, additis modeſtius laxantibus remediis, præcipue talibus, quæ humores pituitoſos evacuant: præterea conveniunt alia remedia ſpisſius ſerum colliquantia, ut zingiber, arum, cochlearia, fumaria, quo Eſſentiæ reſolventes & alexipharmacæ ſpectant: ſalia deterſiva non admodum congrua ſunt huic ætati, in qua talis Apoplexia obtingere ſolet; præterea conducit Eſſentia Succini, Liqu. C. C. Succin. Spirit. C. C. & Sal. Ammon. Succin. Mixtura roborans Tartariſata; Eſſent. angel. Pimp. alb. Valerian. galang. zingib. ari, helen. gent. rubr.

§. XIX. Præſervatio hujus Apoplexiæ nititur congrua diæta, in qua cibi molles & puri conveniunt; proficit uſus moderatus aromatum, ut & vini adulti ac ſpirituoſi: alvus ſit conſtanter libera & transſpiratio ſuperficialis expedita: regimen magis ſit modeſte calidum, quam frigidum: interdum proſunt moderatæ laxationes: conducunt juscula vinoſa aromatiſata, juscula gallinacea, decocta diluta herbæ Thee cum citro & cinnamomo: pro ventriculo confert Zingib. calamus aromaticus, cichor. aniſ. &c: condita & cum Saccharo obducta: nonnunquam temperata balnea nervina proficiunt: quæcunque denique alia ad ſerum abſtergendum & minuendum quadrant, illa in hac præſervatione locum inveniunt. Ultimo loco indicare lubuit, quod in apoplexiæ ſeroſæ ſtatu medicus etiam attente obſervare debeat, an aliqua ratio urgentis Plethoræ habenda ſit, in quo caſu tam curatorie, quam præſervatorie tempeſtiva plethoræ depletio convenit.

CAPUT II.

DE PARALYSI ET PARESI.

§. I.

ALiud Schema defectus aut deficientium motuum vitalium præſentes affectus conſtituunt, qui licet in comparatione ad præcedentes paulo leniores ſint, tamen in ſe ſpectati, ſatis ominoſi exiſtunt, dum nituntur deſertione ſufficientium & convenientium motuum vitalium cum aliqua averſione & faſtidio quodam conjuncta, in quali caſu eo difficilior eſt naturæ reſolutio ad reſtitutionem ſufficientis illius atque convenientis motuum vitalium gradus; deinde ratio habenda eſt illarum afflictionum, offenſionum atque læſionum, quæ præcurrerunt, cum quibus multi dolores, eximia impedimenta & graves perturbationes concurrerunt, ut propterea tam in animo, quam in corpore ſonticæ circumſtantiæ obtingant, quæ præſentium affectuum gravitatem teſtantur; & licet Pareſis mitior Paralyſis ſit, tamen non modo illius emendatio difficilis, ſed & deterioratio facilis eſt; ut nihil dicam, quomodo *hæc* Pareſis valde contumaces præcedentes morbos ſpaſticos & ſimul corruptos & exacerbatos conſequatur.

§. II. Præcipue convenit in ejusmodi caſibus attendere & conciliare illas antecedentes cauſas & circumſtantias, quæ ad eosdem affectus primaria quadam efficacia contribuerunt: ubi iterum inter alias tales cauſas conſiderandæ ſunt craſſæ & repentinæ perturbationes ſalutarium, aut plane ſtatariarum evacuationum, maxime quidem ſangvinearum, aut commotionum hæmorrhagicarum; nec non curatius obſervandus & dijudicandus eſt concurſus ſtatus plethorici; licet propterea aliæ excretionum ſpecies minime negligendæ ſint, ſive eædem ordinariæ, ſive extraordinariæ fuerint, ſive ſub alio prægreſſo morbo contigerint, ſive ſub tolerabiliori ſanitatis ſtatu præceſſerint: neque infimæ dignitatis obſervatio eſt, an hic affectus ex prægresſis incongruis medicationibus, præcipue ab incauto opiatorum remediorum uſu ortum traxerit, an graves ſenſibilium partium offenſiones præceſſerint, an actuales violentæ læſiones præcurrerint; an generalis propenſio in activitatis decrementa & declinationes adſit, an animus ſubjectorum alias abjectus & timidus ſit, an ætas nimis tenera, an nimis adulta exiſtat, an eximia ſenſibilitas in ægrotantibus adſit, an patiens per

multos

multos prægreſſos morbos defatigatus ſit, an mentis imbecillitas & perturbatio concurrat, an hæreditaria diſpoſitio ad ſimiles affectus coincidat, an immodica & excesſiva animi pathemata præcurrerint & quæ ſunt plures aliæ ſimiles ſingulares circumſtantiæ.

§. III. Dum itaque Paralyſis ob motuum vitalium abolitionem ad corruptionem atque mortem diſponit, ita maxima cura adhibenda eſt, quo tempeſtive motus revocentur, priusquam actualis corruptio occupavit; etenim quo magis natura corruptionem averſatur, eo magis propterea Paralyſis confirmatur, quo propius talis corruptio imminet: neque etiam alias conſultum eſt, quo diutius natura in tali languore & averſione relinquatur, alias non modo huic activitatis ſuæ decremento adſveſcit, ſed & eo citius atque facilius in majus & periculoſius decrementum delabitur: præterea in hoc affectu, ubi intimior naturæ averſio a motibus vitalibus adeſt, non ſatis appoſita & adæquata eſt illa motuum revocatio, ubi novi dolores, cruciatus & adverſi ſenſus excitantur, quæ coactio non ſatis firmos, durabiles & ingenuos ſalutares ſucceſſus promittit, ſed palindromes, ſive recrudeſcentias periculoſiorum talium activitatis vitalis decrementorum involvit: unde tantum ejusmodi coactæ curationes ad affectus magis refractarios, contumaces & immoderatos aſſervari debent: de reliquo etiam illa diverſitas Paralyſeos notanda, quando verus motuum vitalium defectus & quando in aliqua parte impotentia ad motum ſuſcipiendum adeſt, præſente tamen ſenſu, qualis poſterior ſpaſticus fixus eſt affectus & a medicis Paralyſis notha, Scorbutica, arthritodea vocatur & propterea a vera Paralyſi diſtinctus eſt: denique peculiaris ratio habenda eſt ſingularum & particularium Paralyſeos ſpecierum, quando nonnunquam lingua, ſphincter ani & veſicæ &c. motu ſuo neceſſario deſtituuntur.

§. IV. Et quoniam hi affectus a vitalitate declinant, hinc tanto major circumſpectio adhibenda eſt, ne perverſa medicatio ſiniſtrum illorum eventum promoveat aut acceleret: cavendum itaque eſt 1) a nimis immoderatis & violentis evacuationibus, tum emeticis, tum catharcticis 2) a negligentiori ſtatus plethorici dijudicatione & tractatione 3) a confuſa, inopportuna, aut inſufficienti ſanguinis ventilatione 4) a præmaturo ſalium volatilium uſu 5) ab ordinariarum excretionum perturbatione, aut ſuppresſione 6) a remediis valde commoventibus & humores turgefacientibus 7) a communi narcoticorum uſu: 8) a nimis coacto & æſtuoſo regimine 9) a confuſo, multiplicato & vagabundo remediorum uſu: 10) ab externis tenacibus emplaſticis, ungvinoſis, pinguibus, ranceſcentibus & poros obſtruentibus 11) ab interno & externo mercurialium uſu 12) ab internis adſtringentibus 13) a promiſcuo & prodigo externo uſu oleoſorum deſtillatorum acrium 14) ab interno & externo uſu caſtorinorum, quæ

in

in vera paralyſi nihil conferunt 15) a refrigerantium remediorum interno & externo uſu 16) a poſitive incraſſantium ordinatione 17) a præmaturo nervinorum uſu, antequam neceſſariæ excretiones præmiſſæ fuere: 17) ab impetuoſis, coactis & diffuſis ſudationibus 18) a præmaturo & liberali ſalium volatilium uſu externo 19) ab emollientium topico uſu 20) a præmaturo adſtringentium, repellentium, exſiccantium, ſulphuratorum uſu externo, quæ facile ariduram ſuſpectam cauſantur.

§. V. Specialis Paralyſeos cura ita dirigenda eſt, ut in illis caſibus, ubi præcurrit & concurrit alvi ſegnities, ſiccitas aut obſtructio, tempeſtive alvus liberetur; quo conveniunt clyſteres emollientes, nervini & leniter ſtimulantes: ſucceſſive ſubordinentur interne remedia rhabarbarina, correcta aloetica, helleborina, polypodiata, extr. panchym. Croll. pilulæ de agarico, MP. de ſuccino Crat. nec non infuſa vinoſa, ad quæ varia ex ejusmodi evacuantibus ſeligi & recipi poſſunt: præterea in illo caſu ubi urgens plethora concurrit, ubi Hæmorrhagiæ ſalutares præceſſerunt, ubi molimina hæmorrhagica corrupta fuerunt &c. tempeſtiva & ſufficiens V. S. celebranda eſt, quæ pro ſcopo curatorio ad citiorem alterationem inducendam etiam in brachio & ſano quidem latere adminiſtrari debet: V. S. in pede magis præſervatoriis uſibus aſſervari poteſt.

§. VI. Proinde interne conveniunt remedia ſangvinis motum æqualiter invitantia & diſtribuentia, ut ſunt temperata alexipharmaca, imprimis Eſſ. Pimp. alb. Caryophyll. Scord. Leviſtic. addita Eſſ. Succini, Saſſafr. Cinnam. huc pertinet Liqv. C. C. ſuccinat. & interpoſitus uſus Mixturæ noſtræ uſitatæ roborantis, aut ſpiritus C. C. cum Eſſ. Succin. & Ambræ: non minus conferunt decocta e C. C. Scorzoner. Citr. Cinnam. Paſſul. herb. ſcord. veronic. foenic. beton. &c. paranda: hiſce remediis conjungenda ſunt analeptica, ſive interna cordialia, Emulſiones, ex aqv. Scabioſ. fl. Samb. Scord. Roſar. lil. conv. ceraſ. nigr. naph. cinnam. &c. Julapia, Mixturæ cum ſpirit. roſar. lil. conv. &c. Conf. alkerm. compl. de hyacintho; Eſſ. Cinnam. Ambr. Succin. cum Spir. Sal. ammon. mixtæ.

§. VII. Porro interne in initiis conveniunt nitroſa, cinnabarina, coralliata, abſorbentia citrata, ſpec. de hyac. ubi immoderatæ commotiones congeſtoriæ aut ſpaſmodicæ præcurrerunt: proficiunt etiam decocta gelatinoſa citrata, nec non infuſum herb. Thee citratum aut cum cinnamomo mixtum: interponantur infuſa vinoſa e reſolventibus & nervinis parata; neque laus Eſſentiæ dulci in ejusmodi caſu aliquoties probatæ, defraudari debet, cujus roborans effectus in motus tonici reſtitutione aliquoties comprobatus adeoque ulterior illius uſus commendandus eſt: optandum modo eſt, quo hoc

lau-

laudabile remedium e primo orphanotrophei ſonte hauriatur; cum huic remedio etiam contingat, quod aliis utilibus medicamentis evenit, quod paſſim iniquum lucrum varii ſpurii artifices in invidiam primæ inventionis & officinæ, inquirere & affectare ſoleant.

§. VIII. Plurimum vero in ejusmodi Paralyſi externa remedia valent & inter illa conveniunt leniores frictiones ſecundum venarum tractum, e minoribus ad majores ramos abeuntem, continuandæ; deinde conveniunt ungventa ex axungia urſi, taxi, vulp. caſtoris, oleis deſtill. rorismar. ſerpill. roſar. Saſſafr. cinnam. rhod. caryophyl. lavend. therebinth. Junip. Succin. modica quantitate commixtis, parata: præterea convenit Mixtura Spirituoſa e ſpir. vin. camph. formic. lumbr. terr. ſerpill. roſar. lil. convall. Eſſ. croci & tantill. ſpir. ſal. ammon. ſuccin. conferunt etiam cataplaſmata e ſpeciebus diſcutientibus & nervinis, nec non oleis prædictis deſtillatis parca quantitate additis, Camph. & Croco compoſita: quod vero acriora olea attinet velut Thereb. pini, Succin. Juniper. quin ipſum etiam Petroleum, tunc hæc in ſubjectis laxioribus & magis phlegmaticis conveniunt: præſtat etiam ſingula talia nervina remedia modeſte calefacta applicare: ſiquidem calor externus & fomenta multam utilitatem in hiſce affectibus habent: hinc balnea vaporoſa, vinoſa nervina aliaque talia fomenta in iisdem morbis conducunt: eximiam utilitatem, habent conjunctæ & ſubjunctæ frictiones membrorum affectorum, poſt præmiſſam nervinorum applicationem.

§. IX. Inter alia ſelectiora remedia ad Paralyſin a Borello commendatur Fomentatio cum herba Tetrahit ſive Sideritidis ſpecie adhibita; alii laudant oleum Lumbr. Terr. aut ſuccum illorum expreſſum cum vino decoctum: nonnulli embrocationes cum decoctis nervinis extollunt: quidam fructum anacardii ſub variis formulis ordinant, quæ ſingula non penitus contemnenda ſunt: quæ vero laudes de floribus Paralyſeos circumferuntur, illæ non reſpondent experientiæ; multum inſuper in hiſce affectibus conferunt decocta vinoſa; ſicut cataplaſmata vinoſa cum ſegmentis florum & ſeminum foeni parata non inutilia ſunt; qualia in paralytodea illa imbecillitate membrorum conveniunt, quæ e prægreſſis arthriticis & rheumaticis afflictionibus ortum traxerunt: ita etiam pingvedo Limacum, cum aliis oleis nervinis, ut oleo lumbr. terreſtr. ſerpill. roſar. mixta aliquam ultilitatem affert: habent itidem aliquam ſalubritatem frictiones cum ſacculis nervinis & cum excutia inſtitutæ, cavendo ne per talem frictionem ſuperficies corporis immodeſte excorietur: neque Thermarum tempeſtivo & ſufficienti uſui ſuas laudes promeritas derogo, modo eo corpus ſufficienter præparetur: multum etiam commodi affert, quando pars affecta iteratis

 vici-

vicibus ab adflantibus modeſte movetur; qua ipſa agitatione progreſſus ſangvinis adjuvatur & neceſſarii motus influxus invitatur.

§. X. Præter hæc externa auxilia alia adhuc & quidem crudiora experimenta commendantur, e quibus eminent urticationes, ſynapiſmi, rubefactiones, cæſiones cum virgis, inunctiones cum oleo Cantharidum, quæ ſingula experimenta non admodum probata & ingenua, ſed immoderata ſunt: in illo vero caſu utplurimum plane nihil juvant, ubi ſenſus deeſt, ſiquidem illorum experimentorum efficacia per ſenſum communicari debet; ubi viciſſim aliqualis ſenſus adhuc adeſt, ibi magis grata, ſelecta, temperata & probata remedia proſunt: eximiæ inſuper eſt efficaciæ oleum Cinnamomi uſu externo, quando in ejusmodi caſibus ſphacelatio imminere videtur, in quo caſu alii oleum caryophyllorum ordinant; non minus in hiſce morbis balnea formicarum vaporoſa conducunt, ut & ungventa magis nervina, quam relaxantia & valde lenientia.

§. XI. A quibusdam commendantur decocta gelatinoſa e capitibus & pedibus vitulinis atque ſuillis parata, quibus afflicta membra immergunt, quæ vero nullius utilitatis ſunt: ad debilitationes paralytodeas a contuſione, caſu, diſtorſione pendentes conveniunt partim nervina, partim reſtauratio per vaporem modeſtum, quo applicatio alicujus caloris naturalis conducit, quo videlicet pars affecta foveatur cum animalibus recenter mactatis & diſſectis adhuc calidis, aut cum pellibus adhuc calidis, modo detractis: ad illam Paralyſin ſpuriam arthritodeam tempeſtivus uſus emplaſtri de galbano proficit: alioquin tamen cavendum eſt, ne partes cum paralyſi afflictæ, nimium cum emplaſtris involvantur: quando paralyſis ariduram partis poſt ſe relinquit, tunc ſimul lenientia & ungvinoſa cum nervinis conjuncta, nec non balnea & fomenta nervina quadrant.

§. XII. In Paralyſi Linguæ præter alia ſuperius commendata & appropriata interna, conveniunt ab extra applicanda oleum cinnamom. ad gutt. unam vel alteram, bis vel ter per diem ſub lingvam dimittendum; nec non decocta vinoſa nervina; aut balſamus oleoſus ad gt. 2. ſub linguam applicandus: aut mixturæ ſpirituoſæ, quin ipſe ſpiritus ſerpilli in refracta quantitate intra os ſumendus: aut elæoſaccharum ex oleo cinnam. caryoph. & ſacch. parandum: conducunt etiam emulſiva analeptica: nuchæ etiam & occipiti applicentur iidem ſpiritus nervini, ut ſpir. vin. Camph. ſpir. Serpill. roſar. lil. conv. formic. roriſmar. addita Eſſ. ambræ & Croci: pari ratione proſunt ungventa nervina nuchæ adhibenda, aut ad verticem applicanda; conferunt porro emplaſtra e G. Elemi, Caran. Galban. Benzoe, Storace calam. oleo ſuccin. cinnam. caryoph. L. rhod. parata, nuchæ imponenda; Quando vero

Pa-

Paralyſis ſphinctorem veſicæ occupavit, tunc primarium ſubſidium in externa nervinorum applicatione hæret; quo linimenta, ungventa, balſama, cataplasmata nervina conferunt; interne proficiunt Eſſentiæ Succini, Pimp. alb. L. Saſſafr. C. aurant. Citr. gent. rubr. caryoph. arom. galang. &c. nec non Spir. C. C. cum Eſſ. ſuccini mixtus. Ad Paralyſin orificii ani non conducunt balſamica aliaque compoſita acria, ſed potius fomenta, ſacculi, cataplaſmata, inſeſſus diſcutientes & nervini: ejusmodi formulis herbæ temperatæ coronariæ, nec non ſerpillum & tantillum caſtorii admiſceri poſſunt, quod poſterius in hoc caſu plus & ſecurius, quam in alio Paralytico affectu convenit. Si denique ſimilitudo Paralyſeos in aphonia ex inebriatione occurrit, tunc conducit tempeſtiva alvi liberatio, pulvis nitroſus, abſorbens, coralliatus, uſus oc. cancr. citr. Tinct. antim. acr. cum Spir. C. C. & Eſſ. Succ. mixta, maſticatio maſtichis, aniſi, foeniculi: aqua apoplect. ad exiguas guttulas ſub linguam aſſumenda; aut ſpiritus ſerpill. ad aliquot gutt. intra fauces fundendus.

§. XIII. Eodem modo tractari debet Pareſis, in qua præcipue attendere convenit, e quo præcedente morbo ortum traxit: ſicut vero in ſchola medica vulgo traditur, quod hic affectus e prægreſſis colicis cruciatibus originem ſumere videatur, (licet talis Pareſis coeteroquin rarior exiſtat,) ita in illius cura interne conducunt infuſa vinoſa reſolventia, roborantia & mitius laxantia, præcipue rhabarbarina: deinde ſubordinanda ſunt temperata ſtomachica & carminativa, ut & tonica, velut Tinct. Martis tartariſ. ſubjungendo ſpirit. C. C. aut Sal. ammon aniſ. cum Tinct antim. tartariſ. externe vero eadem nervina conducunt, quæ in præcedentibus allegata ſunt, quo modeſtus uſus balneorum nervinorum pertinet; plurimum etiam congrua diæta, modeſte aromatica, cum modico uſu vini generoſi huc quadrat: cavendum præcipue eſt, ne turbæ quædam intra primas vias transferantur, neve opiata remedia adhibeantur.

§. XIV. Ultimum ſupereſt, quo pauca adhuc de præſervatione Paralyticorum affectuum annectam: ne itaque unquam tam gravis affectus ſubjecta corripiat, tunc illæ cauſæ avertendæ ſunt, quæ alias ad talem morbum contribuere obſervantur: omnium maxime præſtat evacuationes ſalutares in ordine juſto conſervare & præoccupare, ne adultæ quædam naturæ conſvetudines ſimul & ſemel opprimantur: multum etiam ad avertendum tam ſuſpectum & gravem morbum valet animi tranquillitas & abſtinentia ab incongruis præcedentium morborum medicationibus: proinde etiam evacuationes ſangvinis ab omni anomalia præmuniantur.

§. XV. Ne vero Paralyticus affectus, qui ſemel ſuperatus fuit, denuo recrudeſcat, confert ordinarias evacuationes in accurato ordine & ſucceſſu conſervare; imprimis tunc tales excretiones admonere & modeſte incitare præſtat,

 quan-

quando inſufficienter procedere videntur: in ſubjectis plethoricis & ſanguineis evacuationibus adſvetis conferunt opportunæ V. Snes in pede celebrandæ: proſunt etiam vina medicata laxantia, reſolventia & roborantia: ſi menſium aut Hæmorrhoidum turbæ coincidunt, tunc illas modeſte emendare convenit: aut alias excretiones revocare proficit, ob quarum perturbationem & retropulſionem Paralyſis orta fuit: animus ante omnia ſit tranquillus, neque profundis & anxiis curis atque meditationibus immerſus: corpus vero viciſſim ne nimium defatigetur; eapropter tamen ſedentarium vitæ genus non eſt ſeligendum: diæta ſit temperata tam quoad quantitatem, quam quoad qualitatem: inebriatio & nimia venus omni cura vitetur: calor moderatus ſemper ſeligatur, frigus externum æque ac internum conſtanter excludatur: aëris puri & temperati uſus præferatur: moderata corporis commotio conducit: proficit etiam abſtinentia a multiplicibus medicationibus, artificiis & experimentis: nocent nimiæ vigiliæ; omnes vero functiones cum juſto moderamine exerceantur.

CAPUT III.

DE

CATARRHO SUFFOCATIVO.

§. I.

SUffocativum hunc Catarrhum paralytodeum affectum eſſe, ipſa curatior obſervatio ſignorum, hunc morbum prodentium, teſtatur, dum non modo pulmones, ſed & reliquum pectus motu & vigore neceſſario deſtituuntur, unde vel humoroſus pectoris infarctus invitatur, vel ſi talis catarrhalis oppletio pulmonum præceſſit, nunc confirmatur & exacerbatur, hinc Suffocationis metus imminet, eoque ipſo hic affectus ſubito decurrit, valdeque periculoſus eſt; tanto magis illius gravitas inclareſcit, quo magis obſervatur homines torpidioris activitatis, aut ætates motuum decrementis obnoxias, invadere, aut etiam prægreſſos alios intricatos & difficiles morbos conſequi; quemadmodum ipſa ſimplicior illius indoles abunde obteſtatur, quo magis pronus ille ſit in funeſtum eventum, quam in promptam & facilem emendationem, dum in poſitivo motuum defectu conſiſtit, qui cum eximio naturæ torpore, faſtidio & averſionis affectu conjunctus eſt, quando prægreſſæ circumſtantiæ & antecedentes atque impulſivæ cauſæ ejus conditionis exiſtunt, quo

de

de illarum inſigni moleſtia natura omnino tædium quoddam concipiat & repetitionem functionis, antea cum faſtidio amiſſæ, averſetur.

§. II. Pro convenientiori ardui hujus affectus tractatione indagare expedit, an cum eodem morbo molimina & ſpecimina hæmorrhagica cohæreant, aut an aliæ extra ordinem ſalutares quædam evacuationes turbatæ & ſuppreſſæ eundem invitaverint, an affectus pectoris catarrhales vel cum regimine, vel medicamine perverſo impediti aut perturbati præceſſerint: an alii morbi corrupti prægreſſi ſint: an repentinæ & extremæ virium jacturæ coincidant, an magna oppletio mucida pectoris affligat; an præſentes adhuc vires efficaciorem & magis rigoroſam medicationem admittant, an ſtatus plethoricus, qui antehac diverſis commotionibus expoſitus fuit, nunc conjunctus ſit & in quantum ille de præſenti hunc affectum premat, augeat & offendat; ubi vero viciſſim magno judicio diſcretivo opus eſt, ne hic affectus, cum alio pectoris ſpaſtico aſthmatico morbo confundatur, quorum utrorumque affectuum medendi methodus eapropter etiam diſcrepat: proinde etiam admodum refert obſervare, quo ordine conſvetæ excretiones hactenus ſucceſſerint, aut adhuc continuent, quoniam illarum contumax ſuppreſſio multum contribuit, quo non modo præſens morbus acerbius invadat & inſiſtat, ſed & eo facilius in lethalem eventum deſinat.

§. III. Poſtulat itaque præſens affectus eandem dexteritatem, quæ in aliorum morborum, defectu motuum vitalium nitentium, tractatione medica requiritur, præcipue cavendum eſt 1) a nimis cunctata & viciſſim etiam præcipitata & immoderata opitulatione: 2) ab inſufficienti neceſſariarum evacuationum provocatione: 3) ab impetuoſis excretionum excitationibus, dum vires nimium langvent: 4) ab incurioſa ſtatus plethorici & negotii hæmorrhagici conjuncti æſtimatione & tractatione: 5) a præpoſtera & inſufficienti Venæ Sectione, quando circumſtantiæ convenientes artificialem ſangvinis ſubtractionem indicant: 6) a remediis valde calefacientibus & ſangvinis maſſam repente turgefacientibus: 7) a regimine nimis æſtuoſo & anxio: 8) a diffuſa, coacta & prodiga ſudatione: 9) a remediis internis poſitive & potenter adſtringentibus: 10) a promiſcuo & inopportuno pectoralium emollientium & relaxantium uſu: 11) a remediis vulgatis opiatis: 12) ab interno caſtorinorum uſu: 13) ab incraſſantibus & 14) abſorbentium copioſo uſu: 15) a perturbatione aut negligenti promotione alvinæ excretionis: 16) a promiſcuo ſulphuratorum & oleoſorum acrium uſu interno: 17) a virium majori oppreſſione: 18) a concurſus febrilis perturbatione: 19) ab inordinato, ſolo & præmaturo uſu anticatarrhalium, præcipue acriorum uſu: 20) a nimia & ſæpe variata medicamen-

torum ingeſtione, quæ & vires magis obruunt & affectum magis confundunt.

§. IV. Adſpecialem jam progredior præſentis Caſus curam, in qua præcipuæ hæ indicationes medicæ, diverſo ſtatui affectus conformes obſervandæ ſunt 1) ut per generales, attamen convenientes evacuationes via & acceſſus ad reliquam ſpecialem curationem præparetur: ut 2) motus deficiens per apta interna & externa auxilia revocetur 3) ut qualiscunque catarrhalis pectoris oppletio reſolvatur & ulterior affluxus avocetur 4) ut ſymptomata urgentia mitigentur 5) ut partes antehac affectæ debite roborentur 6) ut conveniens præſervatio præſcribatur.

§. V. Secundum ordinem indicationum præmiſſarum primum in hoc affectu negotium erit, quo artifex mox in primis initiis proſpiciat, an propter concurrentem & urgentem ſtatum plethoricum Venæ Sectio neceſſaria ſit, quæ tempeſtive & pro citiori alteratione in brachio ſufficienter adminiſtranda eſt; cavendo ne ſerius, aut in illo caſu inſtuatur, quando vires nimium langvent: quodſi vero plethora præſens talem evacuationem non requiſiverit, tunc reliquæ evacuationes cum aliquo ſtimulo provocandæ ſunt; ob id alvus tempeſtive excitanda eſt per clyſteres parcius lenientes, efficacius tamen roborantes & ſtimulantes: quodſi nimia oppletio pectoris præſens, materia etiam catarrhalis volubilis fuerit, ſufficientes etiam vires ad excretionem ſpectantes defecerint, aut ſimul ſaburra quædam in ventriculo adfuerit, tunc tempeſtivus vomitus non inutilis erit: qui commode vel cum Sale vitrioli, vel Tart. emet. vel rad. aſari, vel rad. ipecacuanhæ, vel in ſubjectis durioris conſtitutionis, cum ſucco, aut decocto tabaci aromatiſato, quando videlicet alia emetica deficiunt, excitari poteſt; neque in hoc paſſu excludo rad. ſquillæ paulo largiori quantitate exhibendam.

§. VI. Proximior operatio medica auxiliatrix eſt, quo deficientes motus tempeſtive revocentur; pro hoc ſcopo partim interna, partim externa adminicula conveniunt: quod interna remedia attinet, tunc prodeſt, plethora non urgente, alvo aperta & febre abſente, Spirit. Sal. ammon. anis. aut ſuccinatus cum Tinct. antim. tartaris. mixtus, aut Spir. C. C. cum Eſſ. ſuccini, nec non Liqu. C. C. ſuccinat. aut mixtura ex aquis veronicæ, chæref. ſcord. hepat. nob fl. ſambuc. hyſſop. fœnic. lil. convall roſ. cinnam. naph. Spir. Sal. ammon. aniſat. Syr de beton. hyſſop. heder. terr violar. oxymel. ſquillit. G. ammoniac ſolut. alias conducunt eſſentiæ ari, helenii, petaſit. pimp. alb. angelic imperat. zingib. zedoar. gentian. rubr. ſuccin. L. ſaſſafr. conferunt etiam emulſiones ex aquis prædictis & nucleis dulcibus paratæ, nec non decocta e ſcorzon. apio, tarax. Cichor. herb. veronic. ſcord. hyſſop. chærefol. hepat. nob.

nob, capill. ven. flor. helen. ſambuc. ſem. aniſi, fœnic. bacc. laur. Cort. Cinnam. Citr. parata.

§. VII. Extrinſecus ad deficientes motus revocandos conducunt frictiones pectoris & dorſi tam ſimplices, quam cum ſacculis nervinis inſtituendæ, modeſtæ rubefactiones pectori applicandæ & in ſubjectis admodum pituitoſis, veſicatoria; porro conveniunt ſpiritus nervini in præcedentibus caſibus ordinati, ungventa nervina, cataplasmata & ſacculi e diſcutientibus & nervinis remediis paranda; quo pertinet mixtura ſpirituoſa paranda e Spir. vin. camph. ſerpill. formic. roſar. ror. mar. ſal. ammon. ſuccin. Eſſ. croci & ambræ; huc porro proſunt balſama liquida oleoſa, modeſte pectori & dorſo applicanda, nec non vinum calidum aromatiſatum cum linteaminibus appoſitum: ungvinoſa vero & crasſius pingvia parcius adhibenda ſunt, quia ad majorem pectoris oppletionem contribuunt.

§. VIII. Cum ejusmodi remediis, motum tonicum in pectore revocantibus, conjungenda, aut alternanda ſunt remedia diſcutientia, reſolventia & pectus a nimia oppletione liberantia; e quibus primario ſcopo interna remedia conveniunt; hoc nomine conveniunt mixturæ ex aqu. ſcab. veron. ſcord. hyſſop. ſamb. fœnic. chæref. oxym. ſquillit. G. ammon. ſolut. Spir. Sal. ammon. aniſ. parata: quo pertinet Tinct. antim. tartar. Spir. Sal. ammon. ſuccin. Tinctur. ſulphur. inter ſe mixta, nec non mixtura ex Eſſ. ari, angelic. pimp. alb. helen. Succin. &c: ut & decoct. Scorzon. C. C. petaſit. Apii, ruſci, addita aqu. pector. Stahliana & Syr. hed. terr. de Eryſim. Hyſſop. Oxymel. ſquillit: inter alia pectus reſolutoria & diſcutiente quadam efficacia liberantia commendari debet ſquilla, arum, zingib. & providus ac modicus ſulphuris uſus: ab extra conveniunt illa, quæ in præcedenti theſi commendata ſunt.

§. IX. Ne vero ulterior affluxus pectus obruat & moleſtet, omnino expedit, quo ipſe avocetur & detineatur, hinc conveniunt remedia alvi apertionem ulteriorem conſervantia & invitantia; quare ſub continuatione curæ laxantia remedia interponenda ſunt, ſub illa tamen cautela, ne vires nimium debilitentur: proinde conjungenda ſunt remedia nitrata & abſorbentia citrata, quæ reliquas concurrentes commotiones congeſtorias mitigant: hisce remediis annumerari debent potiones ex aquis prædictis & oc. cancr. citrat. paratæ, Mixt. e Tinct. ant. tart. Spir. C. C. & Eſſ. Succin. parata; Spir. Sal. ammon. aniſ. cum Eſſ. Succin. mixtus: huc denique ſpectant frictiones pedum, pediluvia, inſeſſus nervini tempore opportuno adhibendi: quodſi denique aliunde congeſtio accidentalis pectus afficiat, tunc uſus corticis chacca-

rillæ

rillæ non contemnendus eſt; qualia ſedativa remedia non indiſcretim in hoc affectu ordinanda ſunt.

§. X. Quoniam porro in hoc affectu prægnantia quædam ſymptomata occurrunt, ita pro illorum moderatione tempeſtiva & congrua medicatio ordinanda eſt: quando itaque gravis virium dejectio adeſt, tunc aliis remediis conjungenda ſunt analeptica & nervina, tanto magis efficaciora analeptica conducunt, quando primus hujus affectus impetus remiſit: proſunt vero aquæ analepticæ, ſpiritus nervini, ſyrupi & confectiones, decoctis aliisque formulis combinanda: proſunt etiam emulſiva & modicus vini generoſioris uſus: quando pectus cum mucoſitate nimis tenaci oppletum eſt, tunc interna temperata expectorantia aliis reſolventibus, diſcutientibus & roborantibus remediis conjungenda ſunt: externe cum ungventis & linimentis nervinis olea lenientia conjungi poſſunt: ſi febriles commotiones concurſant, proſunt oc. cancr. citrati, pulveres nitrati, potiones ex aquis ſcord. ſcabioſ. plantag. veronic. fl. ſambuc. roſar. ceraſ. nigr. antimon. diaph. & oc. cancr. citratis paratæ: interponantur opportuno tempore eſſentiæ reſolventes alexipharmacæ, præcipue helen. ari, vincet. pimp. alb. caryophyllatæ, angelicæ: alvina excretio in ordine juſto conſervanda eſt, quo eo citius pectus a moleſta & ſuſpecta oppletione liberari queat: ad concurrentes irregulares commotiones congeſtorias & ſpasmodicas conveniunt, remedia nitroſa, frictiones modeſtæ, regimen moderatum diaphoreticum & interpoſitæ eſſentiæ diſcutientes alexipharmacæ.

§. XI. Quando primarius præſentis affectus impetus mitigatus eſt, tunc talia remedia continuanda ſunt, quæ partes hactenus afflictas ulterius roborant; interne itaque convenit Mixtura noſtra roborans, aut Spir. Sal. ammon. aniſ. cum Eſſ. Succin. & L. Saſſafr. mixtus: nec non potio pectoralis Stahliana, decoctum Scorz. C.C. veronic. ſcabioſ. heder. terr. fœnic. Cort. Citr. Cinnam. huc pertinet moderatus uſus vini generoſi aut juſculorum vinoſorum, Decocti choccoladæ, ſive cum vino, ſive cum aqua parati: infuſum calidum veronicæ cum tantillo aniſi ſtellati: externe convenit interdum lateribus pectoris & ſuperiori dorſo applicare Mixturam e Spir. vin. camph. Spir. Serpill. formic. & Eſſ. Croci factam: proſunt etiam ſacculi nervini in nucha & dorſo geſtandi; emplaſtica vero omittantur.

§. XII. Præſervatio ab ulteriori ardui hujus affectus invaſione, in ſubjectis adultioribus ita inſtituenda eſt; ut quælibet conſvetæ & ſalutares excretiones in ordine juſto conſerventur: interdum conveniunt modeſtæ & repepetendæ laxationes, maxime in infuſis vinoſis ordinandæ; in plethoricis & ubi negotium hæmorrhagicum conſentit, proficit tempeſtiva Venæ Sectio: revocandæ inſuper ſunt illæ evacuationes, ob quarum perturbationem, aut ple-

nariam

nariam ſuppreſſionem hic affectus ortum traxit; animus ſit tranquillus: frigus nocet, moderatus calor prodeſt, aër ſeligatur ſerenus & temperatus, vitetur vero nebuloſus, frigidus, torpidus & humidus: diæta ſit temperata, modeſte aromatiſata & vinoſa: ſub diæta conducit uſus zingiberis: nimia deſidia evitetur, moderatus motus exerceatur: conferunt pediluvia, inſeſſus nervini & in aptis ætatibus externus thermarum uſus: proſunt infuſa calida Veronicæ, hepat. nob. tuſſil. ſcord. fl. ſambuc & helen. quicquid de reliquo pectus & pulmones offendere ſolet, id arceatur: acida ſunt fugienda: nimiæ pectoris commotiones nocent: in ſubjectis perquam phlegmaticis & frequentibus catarrhis obnoxiis conducunt repetendæ laxationes, nec non ſonticuli.

§. XIII. Paucis adhuc utilem quandam animadverſionem de ſuffocativo infantum affectu catarrhali addere lubet, quoniam hic morbus ſatis difficilis, periculoſus & in infantibus carnoſioribus & ſucculentioribus haud infrequens eſt: quando itaque infantibus pectus nimium oppletum, materia etiam volubilis eſt, vires vero ſufficientes ad educendam illam deſunt, ibi tempeſtiva & moderata emeſis convenit, pro qua excitanda quadrat ſyrup. emet. oxyſachar. emet Ludov. ſyrup. fl. perſic. oxymel. ſquillit. cum ejusmodi emeticis fructuoſe conjunguntur mitiora carthartica, ut ſyr. de mann. de cich. c. rhabarb. addi etiam poteſt mercurius dulcis, aut reſin. Ialapp. præparata: ubi vero tenax eſt oppletio, ibi loco emetici remedii convenit catharſis, conjuncto oxymelite ſquillitico, quod in infantibus egregie pectus repurgat & abſtergit: præterea conveniunt potiones ex aquis ſcabios. ſcord. ſambuc. plantag. galeg. addito tantillo croci, antimon. diaph. aut ſyrupo roſarum, violarum &c: convenit porro Tinct. antim. tartaris. cum Eſſ. ſuccin. mixta, alia vero eſſentificata in infantibus evitentur: commisceantur aliis remediis roborantia temperata: oleorum deſtillatorum uſus, quantum fieri poteſt, vitetur: proſunt potius diaphoretica fixa calcarea, ut antim. diaph. quam ſpirituoſa: ſperma ceti non niſi cum oleo alio leniente ut olivar. aut amygd. dulc. & tantillo ſacchari temperatum prodeſt; ubi vero catarrhalis infarctus eſt mobilis, ibi potius omittatur: ad catarrhales decubitus avertendos convenit rad. ireos florentinæ in ſubſtantia, quæ alvum movet & ſeroſam evacuationem promovet: regimen ſit temperatum, neque nimis æſtuoſum: confert camphora de collo ſuſpenſa: interponantur clyſteres: frequens vero abſorbentium uſus evitetur, quia humores magis impaſtant.

CAPUT IV.

DE
LIPOTHYMIA ET SYNCOPE.

§. I.

AD motuum defectiva vitia, in communi vita ſatis frequentia, non indiſcretim vero periculoſa, aut funeſta, ſpectant animi deliquia, quæ tamen illis ætatibus, quibus alia motuum vitalium decrementa familiaria eſſe obſervantur, haud ordinarie obtingunt, ſiquidem neque infantili neque ſenili ætati facile eveniunt: interim in tantum cum præcedentibus affectibus conveniunt, quod motuum vitalium defectus complectantur, in tantum vero ab iisdem diſcrepant, dum partim facilius tranſeunt, partim non tam periculoſa eſſe deprehenduntur: interea ſatis multum laboris faceſſunt, dum non modo in variis ſubjectis frequenter recurrunt, ſed & aliquando occulta cauſa nituntur, adeo ut ſæpe ideales cauſæ ad illa invitanda ſatisfaciant; hisce intimioribus & ſubtilioribus reſpectibus cauſalibus annumeranda eſt perſonalis hominum ſenſibilitas & mollities in negotio objectorum, tam apprehendendorum & percipiendorum, quam tractandorum; quæ cum ſubtilis & individualis moralis cauſa exiſtat, ita eidem neque per communia remedia materialia, neque per uſitata univerſalia ſuccurere licet, quoniam in tali paſſu cujusvis individuali teneritudini ſatisfacere convenit.

§. II. Pro meliori Therapia deliquiorum animi invenienda, multum confert notitia cauſarum multiplici inæqualitate diſcretarum: quædam enim ſunt ideales, quæ vel nimia ſenſibilitate & mollitie animi, nimio dolore, aut patheticis commotionibus præcipue terrore, nimio metu, angore, cura & ſollicitudine, minime tamen ira, nituntur: aliæ viciſſim cauſæ corporis conditiones ſimul concernunt, inter has nonnullæ repentinam quandam noxam involvunt, aliæ contra mitioris efficaciæ exiſtunt: e priorum numero ſunt affectus acuti & maligni, ſubitaneæ ſtaſes ſangvinis, inſignes polypi cordis; ad poſteriorum claſſem referri meretur abundantia & ſpiſſitudo ſangvinis, infarctus viſcerum in hypochondriis, affectus hypochondriaci & hyſterici, flatulentiæ occluſæ, flatulentia ventriculi, profuſiones bilioſæ: neque parvipendenda ſunt deliquia animi, quæ cum prodiga ſangvinis profuſione, aut nimia alia excretione, aut nimis diuturna alvi obſtructione, aut ingravidatione,

datione, aut prægreſſa capitis & pectoris contuſione, aut repentina & ſuſpecta ſalutarium Hæmorrhagiarum aliarumque excretionum ſuppresſione &c. conjuncta ſunt, quas ſingulas & adhuc ſimiles alias cauſas provide artifex indagare debet, ne ita indiſcretim quodvis animi deliquium tractet, obruat, adeoque potius confundat & ad ſuſpectas & incongruas conſecutiones diſponat, quam e genuino ſuo fundamento curet atque ſublevet.

§. III. Præcipue etiam advertere convenit ad diſcretam ſenſibilitatem perſonarum, quæ in emendando tali affectu multum laboris & difficultatis affert: & licet non omnis Lipothymia de præſenti noxam eximiam afferat, tamen contingit, ut, ſi illa frequentius recurrat, ſucceſſive præjudicium ſuum tanto manifeſtius prodat: eo magis vero ominoſa conſtitutio eſt, quando tale accidens inſvetis, aut cœteroquin robuſtis ſubjectis evenit, aut ſi cum morbis arduis & obſcuris ſe conjungit: ubi præcipue artifex magnam prudentiam in illis caſibus adhibere debet, in quibus cauſæ morboſæ adhuc occultæ, implicatæ & obſcuræ ſunt; neque indignæ conſiderationis hæc circumſtantia eſt, quando in ſubjectis teneris ſangvinis plenitudo & anomaliæ hæmorrhagicæ animi deliquium vel invitant, vel promovent & confirmant: tanto minus prudens medicus in illam cœcam theoriam immerſus eſſe debet, quaſi in ejusmodi affectu ſpiritus curandi, reficiendi, augendi, exhilarandi & excitandi ſint, quæ hiſtoriolæ extra omnem realem & verum conceptum & reſpectum medicum fruſtra circumvagantur: unde rectius ſimplices, veræ, ingenuæ & demonſtrativæ cauſæ inquirendæ & ſine tropo perite tractandæ ſunt; ob id etiam contingit, ut nunquam talis affectus ſecure cedat, ſi non illius cauſa legitime auffertur; præſtat vero hisce affectibus magis modeſte, quam audacter proſpicere, ne & cauſa morbifica & animus magis turbentur.

§. IV. Ob id in Cura deliquiorum animi adminiſtranda cavendum eſt 1) a fortioribus, immoderatioribus & copioſioribus evacuationibus 2) a ſtatus plethorici & motuum hæmorrhagicorum vel excedentium, vel repreſſorum, vel anomalorum perverſa tractatione 3) a negligentiori neceſſariarum & præteritarum evacuationum ſalutarium promotione & revocatione 4) a remediis ſangvinem valde commoventibus & turgefacientibus 5) a liberali, præmaturo & interdum curatorio ſalium volatilium uſu interno 6) a medicamentis narcoticis communibus & triviali illorum uſu 7) a remediis adſtringentibus 8) valde incraſſantibus 9) ab indiſcreto mercurialium uſu 10) a Caſtorinorum communi ordinatione 11) a remediorum balſamicorum concentratorum, oleoſorum vel accelerato, vel prodigo uſu 12) ab odore opiatorum, caſtorinorum & volatilium in ſubjectis valde plethoricis 13) ab incauto ſternutatoriorum uſu 14) ab ingeſtione medicamentorum, dum animi deliquium

 præ-

præſto eſt 15) ab incauta interna & externa corporis refrigeratione, ni modeſta refrigeratio interdum ad excitandum patientem admitti queat 16) a multiplici variatione methodi medendi, quæ cauſam morbificam magis confundit, aut exacerbat 17) a confuſo, præmaturo & propoſtero nervinorum & analepticorum uſu 18) a quibuscunque remediis & evacuationibus nimium vires offendentibus 19) a medicamentis ſenſationi & æſtimationi ſubjecti adverſis & denique 20) a nimis rigoroſa & immoderata hujus affectus profligatione, quando febris, aut obſcurus quidam morbus conjungitur.

§. V. In Cura deliquiorum animi duplex principalis reſpectus obſervandus eſt 1) ut ſubjecta durante tali affectu excitentur & ad ſe revocentur 2) ut cauſæ, talem affectum invitantes, rite tractentur. Quod primum opus artificis attinet, tunc præſente hoc deliquio animi modeſte & circumſpecte laborandum eſt, quo patiens mox ad ſe revocetur; & id per externa potius præſtandum eſt, ni vel in tantum ſui compos fuerit patiens, quo aliquod analepticum remedium deglutire poſſit: alias confert odor ſvaveolentium & ægrotantibus acceptorum, cavendo ne fœminis præcipue hyſtericis talia ſvaveolentia, ut Ambra, Moschus, Zibethum, olea quædam deſtillata offerantur: alias tum hæc, tum alia gratum odorem conciliantia, ut ſpiritus & aquæ ſpirituoſæ herbarum nervinarum proſunt, in aliquibus ſimplicior odor & aſperſio vini generoſi convenit: conceditur etiam odor ſpiritus volatilis oleoſi moderatus; cavendo ne valde plethoricis offeratur: hyſtericæ fœminæ paulo magis ferunt plumas accenſas & odorem caſtorii: cavendo ne cum ejusmodi odoribus exceſſus quidam committatur, quia alias nimium reſpirationem aggravat & temulentas capitis perturbationes poſt ſe relinquit: in quibusdam ſubjectis proficit odor ſalis volatilis oleoſi, aut ſpiritus Sal. ammon. cum balſamo liquido oleoſo mixtus: proinde confert ejusmodi ſubjecta mox in lectum deponere, ſiquidem erectus ſtatus talem affectum vel accelerat, vel auget, uti ſubjecta debilia, quando caput erigunt, non raro animi deliquium ſibi contrahunt: porro proficit, quo pectus et hypochondria liberentur & relaxentur: ſimpliciſſimum eſt experimentum, quo quædam ſubjecta cum nuda aquæ frigidæ adſperſione iterum excitentur: obduratio narium, quam quidam ſuscipiunt & præcipiunt, minus fidum eſt experimentum; tanto minus vero in valde plethoricis ſubjectis; in nonnullis vero etiam ſatisfacit ſpei, modo cum aliquo moderamine inſtituatur: conducit etiam modeſta frictio corporis cum linteis calidis & mediocriter aſperis: ſternutationes modeſtæ in quibusdam ſubjectectis admitti poſſunt, modo non ſint plethorica & hyſterica: quandoque odor aceti roſacei, lavendulati &c. convenit: ſulphur accenſum valde evitandum eſt: neque ſuffimigia oleoſa facile indiſcretim admitti debent, ad minimum neque plethoricis, neque hyſtericis: ſub lingvam denique exigvæ guttulæ aquæ ſpirituoſæ Cinnam. lil.

con-

convall. &c. dimittendæ, modo ſpecialisſimæ circumſtantiæ nihil contraindicant.

§. VI. Ad cauſas nunc progredior, e quibus hoc ordine non ſingulas, tamen principales quasdam attingere lubet: quando itaque hic affectus a terrore ortum traxit, tunc mox modeſta animi recreatio conducit; conjungatur uſus vini generoſi: præcipue juvat vinum cum tantillo croci mixtum: adhibeantur corall. rub. pp. oc. cancr. citr. ſpec. de hyacinth. confect. de hyac. & de gemmis cum hauſtulo vini: julepus gemmatus: pulvis nitroſo-cinnabarinus: ſi nimia ſenſibilitas & anxia imaginatio cauſa Lipothymiæ fuerit, conducunt vinoſa, cinnam. citrum, caryophyll. arom. pimp. alb. juscula vinoſa & conjuncta moralis animi abjecti correctio: ſi temperamentum nimis timidum in culpa fuerit, tunc rectius moralia, quam materialia remedia quadrant, conjuncto uſu vinoſorum, aromaticorum & crocatorum: iram proxime lipothymia conſequi non ſolet, ni cum affectibus ſupervenientibus cholericis ſeſe interdum conjungat.

§. VII. Quando itaque animi deliquium cum cholerico tali affectu concurrit, tunc conducunt oc. cancr. citr. pulveres nitroſi, decocta gelatinoſa, decoctum C. C. Cichor. hord. aven. remixtum cum aquis ceraſ. nigr. lil. conv. cinnam. cydoniat: proſpiciendum eſt, quo moderata evomitio ſubſequatur; deinde etiam præoccupare convenit, ne alvus adſtringatur, in quo paſſu clyſteres lenientes proſunt: ſubjungantur etiam prædicta decocta cum Tamarindis mixta, nec non pulveres antiſpasmodici cinnabarini & corall. rubr. ppt. Quando a nimia ſangvinis jactura affectus talis ortum traxit, tunc conferunt gelatinæ, juscula gallinacea, emulſiones, medullæ animalium, pulpamenta ex amygdalis, aquis roſ. cinnamom. vitello ovi parata, nec non lacticinia, additis analepticis, tam diæteticis, quam pharmacevticis: poſt aliquam moram modicus vini uſus admitti poteſt: ſubordinentur antiſpasmodica, coralliata, ſpecies de hyacinth. quo neceſſarius tonus partibus reſtituatur: Quando a nimia alvi obſtructione & flatulentia retenta hic affectus dependet, tunc clyſteres emollientes & leniter ſtimulantes conferunt, ſubjunctis internis lenientibus pilulis Stahlianis, remediis ſtomachicis & potu generoſi vini.

§. VIII. Quando a ſuppresſis Hæmorrhagiis deliquium animi ortum eſt, tunc conveniunt antiſpasmodica, opportunæ misſiones ſangvinis, pediluvia, moderatæ laxationes & amiſſarum Hæmorrhagiarum modeſtæ reſtitutiones: quodſi in alio Lipothymiæ ſtatu moleſta plethora urgeat, tunc tempeſtiva & congrua ſangvinis depletio, nec non uſus remediorum, orgaſticas ſangvinis commotiones mitigantium, libera excretio alvi, animi tranquillitas & modeſtum mobile vitæ genus conducunt: quando cum affectu hypochondriaco & hyſterico animi deliquia concurrunt, tunc ante omnia ſangvis erit ventilandus,

landus, deinde alvus libera conſervetur, diæta ſit mollis, temperata & parca, conjungantur pediluvia, ſeligatur mobile vitæ genus & uſus antiſpasmodicorum, corticis chaccarillæ & mitioris laxationis: quando ſub affectu hypochondriaco, ſplenetica pathemata acerbiora ad Lipothymiam contribuunt, tunc modeſtæ laxationes cum infuſis vinoſis reſolventibus, roborantibus, helleborinis & polypodiatis, ut & remedia antiſpasmodica & commotiones moderatæ corporis conducunt.

§. IX. Si talis affectus a nimia oppletione ventriculi provenit, tunc modeſta evomitio excitanda eſt; ſubjungantur vero abſtergentia amara & temperata ſtomachica: alias etiam modicus uſus ſpiritus ardentis, ſalia deterſiva, Zingib. Synap. & ſubordinata mitior laxatio proficit: qualia etiam conveniunt, ſi vermium præſentia ad talem affectum contribuit: quando nimiæ excretiones prægreſſæ in culpa ſunt, conferunt decocta gelatinoſa citrata, paſſulata cum cinnamomo & aquis analepticis mixta, nec non nitrata, cinnabarina & coralliata; ſi cum febribus acutis ſeſe Lipothymia conjungit, tunc præter pulveres temperantes conveniunt regimina & medicamina ad modeſtam diaphoreſin disponentia, quo decocta apta e Cichor. Scorzon. apio, Scord. chærefol. paſſul. citro, aquis diapnoicis & analepticis parata, pertinent: huc etiam quadrant Julapia apta, diluentia, diaphoretica & analeptica: neque congrua alexipharmaca excludi poſſunt: omnia vero opiata & adſtringentia fugienda ſunt: quodſi vero nimii dolores ad talem affectum disponant, tunc lenientia, humectantia, antiſpasmodica, gelatinoſa, mucilaginoſa, emulſiva & temperata ſedativa proſunt. Ad Lipothymiam denique, quæ ſæpe cum Venæ Sectione concurrit, nulla poſitiva remedia requiruntur, niſi tantum imminente & durante tali deliquio ſubjecta protinus in lectum deponantur & cum temperatis nervinis, aut modo cum aqua frigida excitentur: Plures cauſas hoc loco addere non placet, cum præſentes ſpeciminis loco pertractatæ fuerint, ad quem ductum reliquæ cauſæ æſtimandæ & dirigendæ ſunt: id quod etiam de Lipothymiis gravidarum valet, de quibus breviter adhuc notandum, quod extra affectum tempeſtivæ miſſiones ſangvinis, alvi lubricitas, mobile vitæ genus, abſtinentia a nimio & craſſo cibo, evitatio arctioris hypochondriorum conſtrictionis cum veſtimentis committi ſolitæ &c. conducant: ſub affectu mitiora revocantia, quæ non nimium caput occupant, conveniunt.

§. X. Quando ſubjecta ex ejusmodi affectu excitata ſunt, tunc præſtat illis requiem animi & corporis concedere & conciliare, propterea etiam abſtinendum eſt, ne cito animus ad res ſerias adſtringatur & applicetur: in multis confert, quo hauſtulum vini boni ſuperbibant: minime vero ſomnus ſtatim ſubjungendus: unde etiam in puerperis cautela opus eſt, ne mox poſt

puer-

puerperium ſomnus ipſis concedatur, quæ,quia facile in Lipothymias incidunt, ſub ſomno præſenti plane evigilare obliviſcuntur & vitam perdunt: conferunt etiam mox poſt animi deliquia modeſtæ frictiones corporis: ubique vero animi tranquillitas proficit.

CAPUT V.

De

MARASMO SENILI.

§. I.

CUm in præcedentibus de Atrophia ſive Pædatrophia, nimirum de Tabe infantum & puerorum dictum ſit, nunc placet de atrophia Senum ſive Geratrophia, aut ita dicto Marasmo ſenili brevibus practicam tractationem addere: quanquam vero atrophia in ſe ſpectata, tanto magis autem ſenum Tabes morbum admodum intricatum & difficilem conſtituat, tamen medicus tantum vi officii ſui operari debet, quantum artis poteſtas concedit, ita ut ægrotantes in nullo ſtatu deſerantur: ante omnia in Maraſmi ſenilis tractatione medica duplex principalis circumſtantia annotanda eſt, primo quod communiter alias chronicus, contumax, aut corruptus affectus præceſſerit, deinde quod ſenile decrementum, tædium, langvor & virium animi atque corporis defectus concurrat, unde effoeta natura a corporis ſui ſuſtentatione ſeſe abſtrahit & faſtidium ſuum a vitalium functionum continuatione atteſtatur: ad quem utrumque reſpectum in applicatione practica prudens artifex ſollicite advertere & curam ſuam dirigere debet.

§. II. Præterea haud parum refert prægreſſorum morborum ſchemata & medicationes noſſe; quæ notitia licet non æque tantum adjumenti afferat, quo artifex hunc Maraſmum aut præcedentes affectus perfecte curare poſſit, tamen id emolumenti conciliat, ne medicus talia remedia adhibeat, quæ prægreſſos morbos eo magis offendere poſſunt; ita enim experientia teſtatur, quomodo corrupti motus & ſucceſſus hæmorrhoidales, depravati affectus pectoris catarrhales, conjuncti affectus capitis catarrhales, conſummata vitia ſenſuum, retropulſæ excretiones ſuperficiales, fonticulorum & ulcerum inconvenientes conſolidationes hunc affectum invitent, ubi interdum hæc notitia tantum proficit, ut in vitiis ingruentis hujus affectus illis antecedentibus cauſis medicus aliquam

liquam opem afferre poſſit, ne periculoſus hic maraſmus eo magis confirmetur: quidquod interdum alia auxilia qualitercunque roborantia, vel nihil vel parum efficiunt, niſi prædictis illis cauſis qualiscunque congrua medicatio adhibeatur: in qua animadverſione, etiam illa manuductio hæret, quomodo ejusmodi ſonticus affectus præoccupari queat, quando videlicet talibus præcurrentibus affectibus, nec non animi atque corporis viribus tempeſtive conſulitur.

§. III. Quo magis debilia ſunt ſubjecta, quæ hoc affectu laborant, imo quo magis arduus eſt ipſe affectus, eo major circumſpectio in illius cura adhibenda eſt, ante omnia vero cavere convenit 1) ab omni vehementi evacuatione & qualicunque commotione evacuatoria 2) ab omni perturbatione & incongrua promotione ordinariarum evacuationum: 3) a nudo & incongruo nervinorum remediorum uſu 4) a remediis valde calidis & immoderate vias ac humores commoventibus 5) ab omnibus adſtringentibus & 6) opiatis 7) a remediis ad primarum regionum impaſtationem & humorum incraſſationem contribuentibus 8) a prodigo ſalium volatilium uſu 9) a remediis mercurialibus 10) a medicamentis heroicis & experimentis univerſalibus 11) a nimis copioſa medicamentorum ingurgitatione 12) a negligentiori cauſarum antecedentium æſtimatione, conciliatione & tractatione 13) a perverſo regimine, maxime vero nimis æſtuoſo nimisque laxo 14) ab omnibus cauſis & occaſionibus primas regiones turbantibus 15) a negligentiori conſveti & prægreſſi ſtatus plethorici obſervatione & denique 16) a perverſa diæta.

§. IV. Cura Maraſmi Senilis quatruplici officio artificis & indicatione practica nititur 1) ut prægreſſorum morborum juſta ratio habeatur 2) ut ordinariæ evacuationes modeſte promoveantur 3) ut vires convenienter reficiantur 4) ut congrua ratio regiminis atque diætæ præſcribatur. Quoad primam indicationem advertere convenit, an affectus hæmorrhoidales præceſſerint: in quo caſu modica V. Sio & hirudinum applicatio conducit, ſi tabes ſenilis adhuc eſt in primis initiis, ſi vires non nimium depauperatæ ſunt & non exacerbata interni viſceris labes contraindicet; alias conjungantur lenientia, humectantia & temperata interna reſolventia: ſi pectoris affectus concurrit, confert maxime temperata pectoralia in forma decoctorum modeſte lenientia, abſtergentia & diſcutientia adhibere, conjunctis talibus remediis, quæ alvinam excretionem in juſto ſucceſſu conſervant: ſi alterius viſceris ſcirrhoſa, aut ulceroſa afflictio adeſt, tunc illa adminicula uſurpanda ſunt, quæ in Hecticæ tractatione propoſita fuere: Si vehementes & frequentes ſpaſmodicæ commotiones præcurrerunt, tunc præter continuatum uſum antiſpasmodicorum etiam conferunt balnea modeſtius nervina; cavendo ne ſub acerbiori maraſmi ſtatu, neve præſente nimia virium dejectione adhibeantur, neque etiam nimis diu ſenes in balneis detineantur.

§. V. Alteram indicationem quod attinet, tunc ordinariæ excretiones placida methodo conſervari debent & inter illas alvina, per lenientia, lubricantia, humectantia, juſcula pingvia, gelatinas, huc pertinent rhabarbarina, prunata, paſſulata, mannata, tamarindinata, nec non per circumſpectum & parcum correctorum aloeticorum uſum: conducunt etiam nonnunquam clyſteres lenientes & moderate nervini, ſive ſimpliciter aquoſi, ſive cum lacte & jure gallinaceo parandi: ad diureſeos promotionem conferunt juſcula pingvia, decocta liquidiora, vinum generoſius, parcus uſus nitri, aliquot guttulæ ſpiritus nitri dulcis cum vino bono aſſumptæ, lacticinia & alia humectantia: periphericam excretionem facilitant ante commendata balnea, frictiones modeſtæ cum linteaminibus mollibus calidis, decocta calida dilutiora, juſcula vinoſa modeſte crocata & cum cinnamomo mixta, nec non eſſentiæ ari, helen. caryophyllat. vincetox. pimp. alb.

§. VI. Quoad tertiam indicationem ſub tota cura adhibeantur roborantia & nervina, tam diætetica, quam pharmaceutica: quare conferunt juſcula vinoſa, vinum cum pane Saccharato, emulſiones ex aquis analepticis & nucleis dulcibus paratæ, pulpamenta amygdalata, gelatinæ, medullæ carnium, juſcula gallinacea aromatiſata Krafft-Suppen, Krafft-Muß, juſcula ex choccolada cum lacte decocta: inter alia etiam nervina Crocus & Cinnamom. nec non caryoph. aromat. flaved. citr. proſunt: neque rejiciendus eſt modicus ambræ uſus, ut & Confectio alkermes completa cum cinnam. Denique etiam conjungi debet modeſtum & placidum regimen: moderatus calor proficit, nimius æſtus & frigus nocet: requies animi & corporis concilietur & concedatur: aër humidus, vappidus, nebuloſus, torpidus, ſqualidus & frigidus evitetur: ſomnus quocunque ſecuro & modeſto modo procuretur, ſepoſitis tamen narcoticis & ſedativis: diæta ſit diluta, mollis, nutriens, modice aromatiſata & ab omni incongrua plenitudine aliena: conſultius eſt, ſi aliquoties cibum aſſumunt afflicti ſenes & ſemper parcius, quam ſimul et ſemel largius: denique talia alimenta ſeligantur, quæ alvinam excretionem conſervant & facilitant.

CAPUT VI.

DE

MORTE.

§. I.

Mortem abſolute præoccupare in nullius artificis poteſtate exiſtit, moriendum enim eſt ſemel, unde in omni morbo conſilia quædam & auxilia superſunt, quæ tamen non ſemper ſalutarem effectum aſſequuntur, ut adeo mors tandem immineat & conſequatur, neque enim natura neque medicus ſemper vincit, ſed tandem aliquando lex divina implenda eſt, qua homini conſtitutum eſt mori; temerarium propterea conamen eſſet, omni vi & audacia mortem fugare vellet; ob id mirum eſſe videri poſſet, ſi quisquam Therapiam Mortis conſcribere vellet; illud tantum hoc loco brevibus agere placet, quid medicus cum moribundis ſuſcipere poſſit & an adhuc arti aliquis locus pateat, quo unum alterumve experimentum in uſum trahat & juxta Celſi monitum in ancipiti caſu, potius anceps, quam nullum remedium adhibeat: quam quæſtionem ob illos præcipue reſpectus movere lubet, quia interdum adeo prodige remedia afferuntur, ut aliquando homo cum medicamento in gula adhuc hærente, moriatur & quia quandoque talia arcana circumvolant, quibus fruſtra ſtupenda illa virtus adſcribitur, quod hominem e faucibus mortis eripere debeant, cujus indolis ſunt pilulæ Sanctorii, quæ in agone oblatæ ad viginti quatuor horas vitam prolongare & mortem avertere dicuntur.

§. II. Præſtat itaque bene obſervare & diſcernere ſigna ad inſtantem mortem pertinentia, quo ſecundum hanc notitiam medicus officium ſuum rite accommodare & adminiſtrare queat: etenim ſi patiens in profunda ſyncope hæret & medicus mortuum judicat hominem, proptereaque omnem opem omittit, tunc ille homo, cui adhuc idoneum axilium offerri potuerat, ob negligentiam perit: proinde etiam arduas criſes, quæ interdum agonis ſimulacrum ſunt, provide advertere decet, ne vel eædem cum ancipitibus medicamentis, qualia vulgo agonizantibus exhibentur, turbentur, neve penitus negligantur & ut res deſperata tractentur: imo magno judicio opus eſt, quando interdum quidam homines ſub confuſa morbi facie & agone imminente tandem vel ſponte iterum convaleſcunt, vel poſt uſum alicujus ancipitis remedii ad ſe redeunt, ne exinde mox regula quædam abſoluta formetur, quod tale quicquam in omni caſu ſuccedere debe-

debeat; ubi ſane interdum admiranda illa morbi oppugnatio non tam remedio ancipiti, quam aliis intercurrentibus cauſis adſcribi debet.

§. III. Quando itaque peritus artifex de eo certus eſt, quod mors alicui ægotanti immineat, tunc 1) in genere cavendum eſt, ne medicus nimia & inutili ſua officioſitate ægrotanti majorem calamitatem & anguſtiam accerſat 2) tanto minus vero convenit, poſt prægreſſum aliquem morbum nunc denuo naturam ad excretiones quasdam urgere 3) abſtinendum eſt a remediis valde ſpirituoſis, concentratis & largo illorum uſu 4) non modo nihil juvat, ſed majora incommoda involvit diffuſa, copioſa & variabilis medicamentorum oblatio: 5) ſterilis eſt ille conatus, quo quidam jubent depreſſos & langvidos ſpiritus in agone reficere & exhilarare: 6) nocet in tantum immoderata commotio morientis, quæ mortem magis confundit 7) obeſt regimen anxium & valde calidum: 8) abſint remedia narcotica, quæ vel mortem poſitive accelerant, vel viciſſim confuſam reddunt 9) abſint etiam omnia remedia valde ſtimulantia & immodeſte excitantia, quæ perinde animam in illo puncto valde turbant, quando eadem nunc corpus ſuum deſerere incipit 10) nihil juvant communia nervina, roborantia & confortantia 11) abſit hoc tempore aliquid poſitivum promittere, aut 12) denique alia celebria & utilia remedia offerre, quæ dum nihil operantur, quod deſideratur & expectatur, eapropter interdum vel a malevolis, vel imprudentibus culpantur.

§. IV. Quod ipſam morientium tractationem attinet, tunc in hoc caſu atque puncto prudens artifex vix aliud operari poteſt, niſi prægreſſorum medicamentorum continuationi inſiſtat, ſi circumſtantiæ permittunt: nam rationi repugnat, hoc tempore nova remedia experiri, quæ ſerius naturam offendunt: neque enim vir prudens & alias rerum ſuarum certus, tam facile plebejæ credulitati & dicterio inhæreat, quando in tantis anguſtiis eloquuntur, Forte juvat! neque tam facile quisquam perſvaſionibus illis annuat, quaſi famoſa arcana in hoc caſu aliquid ſingulare promittant: ſane cæca eſt medicina & craſſa empiria, quando hoc tempore Tincturæ, Elixiria, balſama, pulveres, mercurii &c VITÆ exhibentur: de qua empiria vulgo dicitur, ſi nihil juvat, tamen nihil neglectum fuit! in quem dubium eventum certe nunquam remedia exhibenda ſunt, alias idem eſſet, ac ſi in agone patiens cum nullo remedio moleſtatus fuerit.

§. V. Neque etiam peritus & conſcientioſus artifex id efficiat, quo vel aliquamdiu mortem retardare vel accelerare velit: utrumque ad medici officium nunc non ſpectat: ſed ſi mors jam certo imminet afflicto non danda eſt afflictio, neque ſub qualicunque conatu retardationis placida alioquin mors confundenda, aut difficilior reddenda eſt: ita enim per intempeſtivas corroborationes, aut per immoderatas compellationes & revocationes, quas vocant die ſter-

benden aufſchreyen, vel per immodeſtas exſtimulationes placidus mortis ſucceſſus turbatur: ubi tamen interea patiens & rationis & ſenſuum utplurimum impos eſt: neque etiam ullus peritus, prudens & conſcientioſus medicus ſuſcipiat, quo alicujus morientis mortem acceleret, einen ſeiner Noth, Quaal und Angſt vollends abhelffen: quæ eſt præmatura miſericordia; ſed potius omnem eventum nunc Deo committat, qui ſuper punctum mortis diſponat.

Conf. Stahlii Diſp. De Mortis Theoria.

§. VI. Circumfertur etiam quæſtio, an liceat morientibus pulvinar ſubtrahere? quod experimentum utplurimum ſuperſtitione nititur, adeoque ut ſuperſtitioſum a homine chriſtiano exerceri non debet: neque etiam adeo humanum eſt, quando morientes e lecto ſuo protrahuntur & ſuper ſtramentum ponuntur: multo minus decet morientibus pharmaca intra os infundere, unde contingit, ut illa in aſperam arteriam delabantur & pectoris incongruas commotiones & turbulentas agitationes provocent: nihil proſunt pulvilli pulſibus & cordis regioni appoſiti; abſint ſuffimigia; quæ interdum in papatu ad abigendos malos ſpiritus adhibentur, ne morientem affligant: quaſi vero diabolus aſam foetidam perferre nequeat! quæ foetida ſuperſtitio merito exprobranda: neque accenſio Ligni rhodii quicquam valet, qua creduli autumant explorare, an mortuus vere mortuus ſit, an adhuc aliquali vita fruatur: quod experimentum iterum nititur ſuperſtitione, dum traditur quod arbor vitæ in Paradiſo hæc ſpecies fuerit, de qua L. Rhodium circumfertur, unde in hoc L. facultatem hærere quidam credunt, quod vitam prodat; ejusdem conditionis eſt frutex ille Peruvianus cujus *Monardus Simpl. med. hiſt. c. 74. & Nierembergius Hiſt. nat. lib. 14. c. 32.* mentionem faciunt: *vid. Bohnius de offic. med. dupl. P. I. c. 8. p. 180.* Conſultius fuerit, quo pius medicus preces ſuas uniat cum adſtantibus & animam morientis Deo committat: ab hoc enim pendet, uti omnium actionum probarum humanarum, ita etiam vitæ & totius Praxeos medicæ beatus & exoptatus curſus, ſucceſſus, exitus atque

FINIS.

PRA-

PRAXIS EXTEMPORANEA AFFECTUUM RESERVATORUM INOPINATORUM ET TRAGICORUM.

CONSPECTUS CASUUM RESERVATORUM.

CASUS I. *De Longævitate Hominum.*
II. *De Corpulentia Nimia.*
III. *De Philtris.*
IV. *De Fulmine tactis.*
V. *De Impotentia Virili.*
VI. *De Sterilitate Fœminarum.*
VII. *De Aqua Submerſis.*
VIII. *De Laqueo Strangulatis.*
IX. *De Periculis ex ſimultanea & exceſſiva Spirituum ardentium ingurgitatione.*
X. *De Damnis ex abuſiva & ſucceſſiva ardentis Spiritus ingeſtione.*
XI. *De Vermibus inopinato aures ingreſſis.*
XII. *De Noxa e Vaporibus Inimicis.*
XIII. *De Ebrietate.*
XIV. *De Acicularum & Nummorum Deglutitione.*
XV. *De Aſſumpto Veneno.*
XVI. *De Infelici effectu ſuſpectorum mercurialium remediorum.*
XVII. *De Noxa ex Araneo.*
XVIII. *De Ictu Scorpionum.*
XIX. *De Bufonum Damnis.*
XX. *De Morſu Serpentum & Viperarum.*
XXI. *De Morſu Canino.*
XXII. *De Lycanthropia.*
XXIII. *De Ictu Veſparum, Apum ſimiliumque animalium.*
XXIV. *De Cantharidum noxa interna.*
XXV. *De Potu Aquæ Fortis.*
XXVI. *De Vegetabilium pernicioſorum incauta comeſtione.*
XXVII. *De Abuſu Fumi Tabaci.*
XXVIII. *De Pollutione Nocturna.*
XXIX. *De Sudoribus moleſtis pedum manuumque.*
XXX. *De Calendario vivo.*
XXXI. *De Vulneratis.*
XXXII. *De Noctambulis.*
XXXIII. *De Vinis Fucatis.*

PRO-

PROLEGOMENA.

§. I.

INter diverſas utiles & neceſſarias virtutes, quibus Medicus artifex exornatus eſſe debet, non infimæ dignitatis eſt animi præſentia & prompta reſolutio ad dijudicandum & curandum morbum: quemadmodum omnis negligens cunctatio & incurioſa obſervatio in morbis multa damna ſecum trahit: hinc officioſus Medicus a timiditate & negligentia alienus eſſe debet, contra vero in negotiis ſuis non quidem præceps atque minus circumſpectus, ſed rectius alacris & ad conſilia ſuppeditanda expeditus ſit: id ipſum etiam eo artificem invitat, quo in cognitione morborum certitudinem & in inventione auxiliorum promtitudinem proſequatur & obteſtetur: maxima vero in hoc negotio cautela opus eſt, ne in talem practicam officioſitatem temeritas & præcipitantia immiſceatur.

§. II. Tanto magis hæc integritas & præſentia animi requiritur in caſibus arduis, repentinis, inopinatis, aut etiam intricatis & quandoque talibus, quorum alii interdum nullam plane rationem habent: hinc *Hippocrates in Libro de veteri Medicina* Medicos cum gubernatoribus nauticis comparat, qui in gravibus morbis, neceſſitatibus & tempeſtatibus ſuam imperitiam aut peritiam prodere ſolent: quo itaque artifex magis opere, quam nomine Medicus ſit, præſtat, quo talium caſuum inopinatorum, repentinorum, minus frequenter obviorum ſolidam & ſufficientem notitiam habeat, ne tantum perſonatum Medicum, qualem *Hippocrates in Lege* reprehendit, præſentet, ſed deinde tempeſtivo, efficaci, promto & ſalutari auxilio ſuccurrat, quo magis periculum in aliquo caſu urget atque angit.

§. III.

§. III. Quo magis ſingulares, ſelecti, imo repentini quidam ſunt caſus medici, qui in praxi & vita humana contingunt, eo magis animus in illis agnoſcendis, decidendis & tractandis a communi & inutili curioſitate liber eſſe, eoque magis ad veritatem & certitudinem contendere debet, ſiquidem vulgares opiniones, quæ vulgo in medicina circumferuntur in ejusmodi caſibus magis damnum pariunt, quam commodum afferunt: hinc longe conſultius erit in talibus accidentalibus affectibus prægnantia phænomena bene obſervare, illorum indolem ingenue dijudicare & deinde ſine mora ad illorum emendationem vires applicare, quoniam in pluribus talibus caſibus promtitudine opus eſt, cunctatio vero noxam parit.

§. IV. Differunt vero pericula atque damna, quæ corpori humano imminent, ſecundum diverſas occaſiones & conditiones, inter quas homo in vita civili verſatur: etenim in hac accidunt diverſa objecta, quæ corpori humano diverſimode admiſſa perinde diverſum gradum perniciei inferunt; utplurimum vero externæ cauſæ, cum quibus homines concurrunt, ita comparatæ ſunt, ut variis modis corpus lædant: & quoniam tales læſiones interdum ex improviſo accidunt, ſubinde etiam repente nocumentum ſuum exſerunt, ita talibus violentiis, aut inopinatis accidentibus cum qualibet dexteritate obviam ire debet artifex; ſunt itaque tales affectus, licet non quotidiani, tamen reſervati, inopinati, fortuiti, ex ſingularibus cauſarum concurſibus & poteſtatibus provenientes, qui ob id cum ſingulari prudentia & ingenuitate agnoſcendi & tractandi ſunt.

§. V. Quo magis repente, ſubtiliter, aut inopinato tales affectus irruunt, eo magis artifex laborare debet, quo ubique præparatus reperiatur, ne in cognitione & auxiliorum ordinatione ambigat, aut plane inſcius, aut imperitus deprehendatur: etenim hi affectus ita graves & urgentes ſunt, ut extemporaneam opem deſiderent, hinc tanto magis praxis in plurimis hisce caſibus occupata extemporanea vocari meretur, ſiquidem occaſiones, quæ in hiſce affectibus occurrunt præcipites & ſummopere fugaces ſunt: unde contingit, ut ſi artifices iuſtum temporis punctum atque terminum negligant, minusque accurate obſervent, eo ipſo etiam occaſionem illam perdant, qua adhuc in tali extrema afflictione efficacem & ſalutarem opem offerre poſſent.

§. VI. Vulgo quidem tales caſus reſervati & fortuiti in ſchola medica non ex propoſito colliguntur & pertractantur, ſed tantum per fragmenta deſcribuntur & per modum obſervationum rariorum enarrantur: uti inter alios *Fabricius Paduanus tr. de Morbis, in quibus præſentaneis uti convenit remediis, Henricus Montuus, in Practica medica; Ranchinus, Timæus a Guldenklee, Sennertus, Bonetus, Schenkius* & particulares obſervationum collectores talium affe-

ctuum

ctuum mentionem faciunt, qui propterea peculiari ſtudio conferendi ſunt, quo ex iisdem ſingulares animadverſiones et experientiæ in talibus caſibus inſtitutæ, ad ulteriores utilitates applicari queant.

§. VII. Dum itaque quidam horum affectuum tam ratione invaſionis, quam ratione decurſus præcoces ſunt, ita Medicus ex arena conſilium capere debet, quod vero periculo accommodatum ſit; haud enim in tali paſſu audaces fortuna adiuvat: quo magis enim hi affectus ſunt extremi atque urgentes, eo magis temeritas medica periculum imminens accelerat: unde rectius in therapia harum necesſitatum lenitate quidem, ſed inſuper efficaci dexteritate opus eſt; neque etiam in tali afflictione remedia violenta, draſtica & heroica locum inveniunt; quæ quo magis vires offendunt, eo certius in talibus caſibus, ubi vires multum patiuntur, notabile nocumentum exſerunt.

§. VIII. Sunt itaque tales caſus in meo animo nihil aliud, quam caſus conſcientiæ, in quibus Medicus neque theoria ſua petulans & curioſus, neque therapia ſua circumvagans & luxurioſus eſſe debet; multo minus convenit in circumſtantiis quibusdam ancipitibus a ratione & experientia diſcedere, aut ad ancipitia auxilia confugere; neque occaſio ſuppetit remedia dubia in talibus caſibus experiri & experimenta demum facere; neque ſufficit in decidendis ejusmodi ſonticis affectibus tantum putare, cum ſecundum Hippocratis monitum rectius ſit facere, quam putare; nihil vero in talibus extremitatibus ſuscipiat & committat artifex, quo non ex fundamentis ingenuæ rationis & concurrentis experientiæ ducatur: ubi ad minimum una aut altera in quolibet affectu aderit circumſtantia, quæ ad rationalem & experimentalem deciſionem præſentis caſus aliqualem occaſionem ſubminiſtret.

§. IX. Ante omnia alia requiſita in artifice maximopere neceſſe eſt, quo in ejusmodi extremis caſibus Medicus ſuperiorem & divinum quidem concurſum atque auxilium exoret; alias ipſi durum erit contra ſtimulos calcitrare: ſiquidem in eo firmus ſit, quod tales caſus ex ſingulari divino permiſſu, aut etiam iuſto Dei iudicio contingant: ſi itaque ipſe Medicus Deum contra ſe habet, quid boni quæſo efficiet in tam ſontica afflictione: unde etiam benedictio divina cooperans pii, prudentis & capacis Medici officium ſecundare poteſt & ſolet, quo ad ſalutarem ſcopum pertingat; ob id ingenuus artifex in ejusmodi arduis calamitatibus non capacitati, eruditioni, experientiæ & vigilantiæ ſuæ confidere debet.

§. X. Præſtat denique quo in talibus arduis caſibus artifex etiam corpore præſens ſit, quo alias temperantiæ, ſobrietati & vigilantiæ deditus ſit & quo in potiores circumſtantias illorum affectuum poſſibili cura atque ſtudio inquirat: etenim quidam horum affectuum præter corpus etiam animum valde

 affli-

affligunt & quo magis anima laborat, atque ægrotat eo deterioris indolis eſt tota afflictio; neque tantum illis damnis proſpiciendum eſt, quæ præſentanea ſunt, ſed & providere debet ingenuus artifex, ne morbidæ quædam reliquiæ remaneant, quare illis etiam præſcindendis operam adhibere debet: ubicunque vero ſimul & ſemel graviter animus affligitur, ibi morbidæ conſecutiones ſuperato etiam primario periculo admodum refractariæ ſunt, in quarum continuante medica tractatione magna circumſpectio & integritas adhibenda eſt.

CASUS I.

DE

LONGAEVITATE HOMINUM.

§. I.

QUis eſt, qui non vitam bonam & longam deſideraverit? unde non paucis longævitas quaſi ſummum bonum eſt, imprimis illis, qui tantum ſuæ vitæ ſerviunt; & quanquam etiam vita longa donum Dei ſit, ita omnino cura habenda eſt, ne homo hoc opus Creatoris corrumpat & offendat, adeoque variis perverſis actionibus, tum moralibus, tum vitalibus, tum civilibus & in regimine atque diæta occurrentibus gravia & eximia impedimenta offerat: eapropter conſultum & neceſſarium eſt, quo congruæ regulæ ſubminiſtrentur, quæ ad diuturnam vitam conciliandam quadrant.

§. II. Hæc Longævitas communiter cum integra ſanitate conjuncta eſt, cum viciſſim brevitas vitæ eximiam debilitatem & imbecillitatem, aut ſanitatis vacillationem involvat: unde quidem contingit, ut quidam homines per plures annos ægrotum corpus poſſideant, quale quid in chronicis morbis, præcipue in Hectica obſervare licet, tamen iidem non ad longævitatem pertingunt: ob id longævitas dicitur, quando homines ultra conſvetum & certis familiis atque nationibus uſitatum terminum vitam cum ſanitate conjunctam, propterea que ſatis tranquillam, deguntatque poſſident, licet deinde reſpectiva quidem & particularis longævitas contingat, quando unus homo præ altero paulo diutius, aut in certa familia unum ſubjectum præ altero paulo longius Deo benedicente vitam ſuam protrahit.

§. III.

§. III. Extendit itaque ſeſe in hodiernis temporibus, quantum ex obſervationibus & hiſtoriis reperire licet, ad certam periodum, quæ communiter centum annis circumſcripta eſſe deprehenditur, cum vicisſim ex ſingulari Dei benedictione & providentia in primis periodis, ſeculis & mundi viſibilis incrementis homines ad aliquot annorum centena vitam perduxerint, teſtimonio Patriarcharum; ſed cum nunc totus mundus, aut naturalis rerum univerſitas ad ſuum finem vergat, ita in genere omnes vires naturales longe debiliores & imperfectiores occurrunt, quod etiam valet de vita humana & id quidem non aliter, niſi ex ſingulari Dei omnipotentis providentia, judicio & directione.

§. IV. Quamquam vero longævitas ſimplicisſimis indiciis, circumſtantiis & cauſis nitatur, tamen illius indoles admodum obſcuratur cum antiquis hiſtoriolis, aut rectius fabulis, partim ethnicis, partim etiam Theologis Paganis & Philoſophis cabaliſticis uſitatis, uti inter recentiores imprimis Alchymici aliique otioſi & curioſi homines ſingulares opiniones de Longævitate circumferunt: quemadmodum inter alias tales traditiones illa Aegyptiis familiaris perquam fabuloſa eſt, quaſi homines ultra periodum centum annorum vivere haud posſint, ad quam ſententiam agnoſcendam inducuntur per ſimilem fabuloſam traditionem, quaſi cor per quinquaginta annos accreſcat & quidem ſingulis binis annis ad pondus unius Drachmæ, per L. vero annos iterum decreſcat.

§. V. In Hiſtoria Longævitatis varia pasſim proſtant teſtimonia de certis gentibus & nationibus, ubi homines uſitatius diuturna & vegeta vita ſana fruuntur: imprimis vulgo conſtat quomodo homines in altis montibus viventes familiarius ad Longævitatem pertingant, quod quidam puritati aëris adſcribere volunt: & licet hæc non penitus excludenda ſit, tamen reliqua ſimplicitas vitæ merito prævalet: hinc etiam homines in locis ſeparatis vitam ſuam degentes, licet non in altioribus montibus conſtituti ſint, ad ſeram ſenectutem pertingunt: ſic Plinius teſtatur de hominibus in cacumine montis Tmoly viventibus, quod vita ſua CL. annos attingant, conſentiente *Mutiano*: *ſic Dapperus in Itinerario ſuo Lib. 2. Cap. 5.* floridæ Americanæ incolas ad diuturnam vitam pervenire refert: & *Scotus in Phyſica curioſa Lib. 3. c. 15.* in Felice Arabia homines longævos fieri commemorat: non minus *Bartholinus Actorum Haffnienſium Vol. 1. Obſervat. 49.* de Feroenſibus recenſet, quod ad longam vitam perveniant: porro *Bilbergius in Tractatu de refractione ſolis inoccidui* differit, quod homines in zona frigida longævi fiant: perinde tranſæquinoctiales gentes ad CL. annos interdum pervenire nonnulli enarrant; conferatur pluribus *Rhodiginus Hiſtoriarum ludicrarum Lib. 18. c. 6. Meibomii Epiſtola ad Ducem Brunſvicenſem de Longævis. Holterhoff de Vita longa & brevi. Scotus in Phyſica curioſa*

 loco

loco citato de longævis, *Plinius Hiſtoriarum naturalium Lib. 7. c. 1. Zacutus Luſitanus Medicorum Principum hiſtoriis Lib. 6. hiſt. 17*, variique alii: quemadmodum inter recentiſſimas nationes frequentiores hiſtoriæ de Gallis teſtantur, quod plures illorum ad vitam longam pertingant, quamvis aliæ nationes varia talia exempla proferant.

§. VI. Quantum quidem obſervationes, circa vitam humanam inſtitutæ, quæ unquam occurrere, communiter Longævitatis peculiaria phænomena inculcant: ita horum in hiſtorico longævitatis conſpectu mentio nunc injicienda eſt; homines enim longævi deprehenduntur eſſe firmioris & durioris indolis, non æque diſtincti ſemper & proceri aut robuſti corporis: animo ſunt ſimpliciores, neque tamen molles, incontinentes & immorigeri, ſubinde laborioſi & asſidui, qui non multis & contrariis mutationibus ſeſe ſubmitunt, qui animi pathematibus frequentioribus non ſunt addicti, qui animo ſunt quieti, qui diæta ſimplici fruuntur, qui non molliter & teneriter educati ſunt, qui non præmaturo matrimonio indulgent, qui non immoderate veneri litant, unde *Tacitus de moribus Germanorum Cap. 20. §. 4.* ſerum juvenum exercitium Veneris inter cauſas roboris Germanici numerat. *conf. Conringius de Habitus Germanorum cauſis*: proinde longævi homines obſervantur circa caloris & frigoris efficaciam & mutationem non valde ſenſibiles, quemadmodum illa exquiſita circumſtantia adhuc in ejusmodi ſubjectis occurrit, quod morbis non oppresſi fuerint & quod a frequenti & differenti remediorum uſu abſtinuerint.

§. VII. Quod nunc in ordine hiſtoriam cauſarum concernit, quæ ad Longævitatem inducendam unquam ab eruditis allegatæ fuerant, tunc quidam accuſant illa ſubjecta, quæ ad communem hominis vitam ſpectant & quæ vulgo in numero rerum non naturalium comprehenſa ſunt, illorumque vires digniores & celebriores; at hæc animadverſio non primariam cauſam longævitatis inculcat, dum homines adhuc in hodierna vita occurrunt, qui quoad diætam maxime ſelectis ſubjectis fruuntur & quibus vulgo major efficacia & vis adſcribitur, qui tamen homines, ita delicate viventes, longe maturius vitam amittunt, quam qui in ſimplicisſima diæta verſantur: alii cum *Cardano* aquæ uſui longævitatem adſcribunt, uti *Proſper Alpinus de Medicina Indorum Lib. 1. c. 11.* Ægyptiorum vitam longam & durabilem ſalubritati aquæ Nili accenſet; ita *Neuhoffius* Sinenſium longævitatem aquæ potui annumerat & *Rhodiginus* de Indis refert, quod ob puritatem aquæ, qua utuntur, ad ſeram ſenectutem perveniant: neque quidem negandum eſt, quod aquæ purioris ſufficiens uſus vitam & ſanitatem eximie ſublevet; interim, qui præter conſvetudinem ſimpliciori aquæ potui ſeſe dicant, illi hunc præviſum & exoptatum ſcopum non aſſeqvuntur.

§. VIII.

§. VIII. Præterea occurrunt quidam inter medicos, qui Longævitatem hominum adſcribere malunt abſtinentiæ ab uſu ſalis diætetico, uti *Bergerus in Novis Hamburgenſibus* de hominibus, qui ante diluvium vixerunt aſſerit, quod nullum Sal comederint: *Confer. Berends Selecta diætetica Sect. 2. c. 20. §. 8.* Sed hæc animadverſio duplici modo dubia eſt, primo, dum hæctraditio non ſatis firma exiſtit, quod videlicet homines ante diluvium ab uſu Salis abſtinuerint: ſecundo, quod non ſinguli homines, qui ante diluvium vixerunt una eademque longævitate fruiti ſint: hinc alii contraria ſententia ad vitam longam uſum Salis commendant; ut *Horſtius in Operibus Tomo 3.* licet ex falſo principio aſſerat, quaſi Sal ſit tertium elementum materiale corporis humani mixti; ita ex alia cauſa, paulo magis probata *Hoeferus in Hercule Medico Lib. 2. c. 1.* uſui ſalis communis efficaciam ad vitam longam conciliandam adſcribit, quoniam ſal illud putredinem coercet: denique inter noſtrates ipſa experientia abunde teſtatur, quomodo Salis coctores ſub reliquo copioſo, imo ſuperfluo Salis uſu & duriori vivendi genere ad vitam longam pertingant.

§. IX. Iterum alii aſſerunt, quod abſtinentia a carnibus ad vitam longam diſponat, ſicut *Alpinus de Medicina Indorum Lib. I. c. 11.* de Aegyptiis tradit, quod propter hanc abſtinentiam a carnium eſu ad longam vitam pertingant: uti alii etiam de monachis Cartuſianis dicunt, quod eapropter multi illorum ad longævitatem perveniant, quia a carnibus abſtineant: neque negandum eſt, quod comeſtio carnium ad faciliorem corruptionem diſponat; unde in morbis, ubi præceps corruptio putrida imminet, natura præcipue carnium eſum valde averſatur, ſiquidem ſubjecta, quæ a carnibus proveniunt, motui inteſtino putrefactorio facile obtemperant: interim alii Lactis & Caſeorum uſum cum *Sponio* ad Longævitatem laudant, conf. *Behrens loc. cit. c. 14.*; quid quod *Joſephus Lib. 2. c. 7. de bellis Judæorum* recenſet, quod Eſſeni inter Judæos ob ſimplicem victus rationem vitam longam nacti fuerint: hinc *Salmaſius in Diatribe de annis climactericis* victum ſimplicem ad longævitatem commendat, *conf. Rogerus Baconius de Secretis artis & naturæ cap. 7. Martinus Panſa de propaganda vita. Gremſius in arbore integra & ruinoſa hominis c. I. Rulandus in problematibus phyſico-medicis lib. 2.*

§. X. Inter alias cauſas, quæ ad vitam longam conferre dicuntur a quibusdam allegatur modeſtus uſus Vini, de quo vulgo aſſeritur, quod vires reficiat, corroboret & lac ſenum ſit; interim alii crebriorem uſum vini damnant, ſiquidem abuſus alicujus ſalutaris ſubjecti dehinc veram & ingenuam utilitatem tollit atque deſtituit: *Riolanus* ad longævitatem acquirendam commendat VenæSectiones; interim neque hoc auxilium adeo indiſcretim in ſingulis ſubjectis ad vitam longam commendari poteſt, niſi ſpecialiores circumſtantiæ in certis

tis individuis concurrant, ubi viciſſim experientia teſtatur, quomodo varia ſubjecta ad ſenectutem pervenerint, ſub continuato uſu Venæ Sectionum: proinde vero dantur alia multa exempla, ubi homines ad ſenectutem canam pervenerunt, licet per totam vitam nunquam ſanguinem miſerint.

§. XI. Neque deſunt plura ejusmodi adminicula, quæ ad Longævitatem commendantur, ex quibus aliqua per nudam traditionem & ſuppoſitionem laudantur, nonnulla vero uſu & experientia nituntur: ſunt itaque, qui de Patriarchis antediluvianis tradunt, quod Arcanum Medicum habuerint, quo mediante ad vitam longam pervenerint; ſic *Paracelſus in Libro de vita longa & Archidoxorum Libro 9.* aſſerit, quod propterea Adamus ad longævitatem pervenerit, quoniam cum exquiſita notitia talium adminiculorum inſtructus fuerit, quibus cum vita longa conciliari poſſet qui ipſe Adamus aliis hæc arcana reliquiſſe fertur: *conf. Pereira in Geneſin, Tympius in Menſa Theolophiloſophica, Rejes in quæſt. juc. qv. 25.* ſic plures tales imperfectæ traditiones proſtant: proinde *Democritus* ad vitam longam internum uſum mellis & externum uſum olei laudat: ſicuti *Verulamius in hiſtoria vitæ & mortis* inunctionem cum oleo ad longævitatem ordinat. *Simon Pauli Claſſe 3. Quatripartiti Botanici* Centaurium minus ad Longævitatem laudat: & *Sanctorius* gloriatur, quod ejusmodi pilulas invenerit, quibuscum alicui homini, in agone conſtituto, per nyctimeronem vitam prolongare poſſet: conferantur pluribus de talibus & ſimilibus cauſis longævitatis, *Bartholinus in hiſtoriis anatomicis Cent. 5. hiſt. 26. Acta Philoſophica Anglicana nro 44. Thonerus in Epiſtolis Medicinalibus lib. 6. c. 4. Zacutus Luſitanus in Medicorum Principum Hiſtoriis lib. 6. hiſt. 17. p. 962. Geſnerus in Epiſtolis medicis. Acta Hafnienſia Bartholini Volumine 1. obſ. 49. Felix Platerus obſervationum medicarum lib. 1. Fogoroles de Affectibus Senum. Zwingerus in Theatro Vitæ humanæ Volum. 17. lib. 2. Behrens Diſſertatione de Vita longa* aliique.

§. XII. Et quot non inter alios Phyſicos & Chymicos occurrunt arcana & ſpecifica ad vitam longam conciliandam commendata: ita Alchymici eximie extollunt Lapidem ſuum Philoſophorum, nec non *Confutius* Miraculum illud Sinenſium de Indis refert, quod arcanum ad vitam longam in poſſeſſione habuerint; ſic *Zaccaguinus in Notabilibus Medicinæ*, ubi de vitæ humanæ longitudine & brevitate tractat, quæſtionem proponit, an cum arcanis remediis vita prolongari poſſit & de quibusdam refert, quod caro viperina ad vitam longam contribuat: ita *Galenus de medicamentis facile parabilibus libro 3.* tradit, quod Pythagoras per uſum aceti Squillitici ad ætatem CXVII. annorum pervenerit: conferantur *Hadrianus Mynſicht in Teſtamento Hadriani p. 20. Joſephus Michel in Apologia Chymica adverſus Libavii Calumnias. Libavius de Medici-*

dicina Hippocratica & Hermetica: ita paſſim variæ Panaceæ & univerſales medicinæ myſticæ circumferuntur, quæ ad vitam longam commendantur.

§. XIII. Ex illis ſubjectis, quæ ad vitam longam comparandam paſſim laudantur, proſtat etiam Radix Hellebori nigri, quam *Paracelſus* admodum commendavit; ſicut alii Extractum, alii Folia Hellebori nigri pro eodem ſcopo extollunt: & commemoratur a *Tackio in Chryſogonia*, quod cum Helleboro nigro experimentum inſtituerit, an per uſum illius homo vitam ad CXX. annos prolongare poſſit. Conferatur *Zornii Botanologia Medica p. 278.* ſub titulo *Hellebori: Fabricius ab Aquapendente* ſuam longævitatem pilulis ex AloeRoſata paratis adſcribere contendit, uti vulgo de Aloe prædicatur, quod ad longævitatem conferat, unde innotuit Verſiculus: qui vult vivere annos Noæ, utatur pilulis de Aloe. *Conferatur Andreas Tenzelius in ExegeſiChymiatrica Part. 2. Sect. 4. p. 585. & Chriſtianus Langius de Elixirio Proprietatis p. 41.* Et licet a variis varia adhuc pro Longævitate acquirenda laudentur, tamen multum ejusmodi laudationes adulationibus & opinionibus nituntur, ſiquidem longe minimum per ſpecioſa ſubjecta vita longa acquiritur.

§. XIV. Poſteaquam hactenus variarum cauſarum, quæ ad longævitatem contribuere dicuntur, mentionem feci, nunc in ordine indicabo & recenſebo illa adminicula, quæ verius & ſincerius ad vitam longam acquirendam conducunt: optima illa eſt methodus, quando homines a Benigniſſimo Creatore vitæ etiam vitam longam, ſi ipſius ſanctiſſimæ voluntati conforme fuerit, piis precibus exoptant: de illo enim valet, quod *Pſalmiſta CXXXIX. Pſ. verſ. 16.* dixit: Maſſam meam vident oculi tui & in libro tuo hæc omnia ſcripta ſunt, ex quibus diebus formabuntur &c. ipſe etiam & poteſt & ſolet vitam longam dare & benedicere illis adminiculis, quæ ad Longævitatem concurrunt: deinde hæc auxilia juſto ordine & congrua methodo ſunt adhibenda, quoniam ipſa vita hominis exacte ordinata & juſtis proportionibus circumſcripta eſt.

§. XV. Inter omnia adminicula vero, quotquot ad vitam longam contribuere poſſunt, præſtantiſſimum eſt, Animi quies, continentia, tranquillitas, moderamen & ſimplicitas: & hæc ſeſe partim ad ordinarias actiones morales extendit, partim etiam ad extraordinarias & inter has poſteriores ſingulari nota alleganda ſunt animi pathemata: multum propterea refert, ſi ab ejusmodi impetuoſis commotionibus patheticis homines ſollicite abſtinent & de reliquo etiam in operationibus mentis juſtum ordinem ſervant, ne videlicet ultra vires animum ad ardua negotia adſtringant, adeoque infirment, neve reliqua officia animi confuſe tractentur, ſed ſub interpoſitione quietis neceſſariæ & ſufficientis, omnia in ἐυταξίᾳ tractentur.

§. XVI.

§. XVI. Apprime ad Vitam longam conciliandam confert educatio apta non mollis & delicata, ſed potius ſimplex, ſub qua tam quoad ſenſibilitatem individualem, quam quoad reliquam diſpoſitionem vitalem quadantenus robuſtiora reddantur ſubjecta; ubi tamen talis educatio non nimis coacta, cruda & perquam negligens, aut violenta eſſe debet: ſiquidem in infantibus ab ipſa nativitate & per hæreditariam diſpoſitionem teneris illud robur neceſſarium, eademque minor & temperatior ſenſibilitas cogi haud poteſt: quapropter in tali ſimpliciori educatione ordinanda, etiam prudentia & modeſtia opus eſt: extendit ſeſe hæc educatio ad rerum non naturalium communem & quotidianum uſum, cum quibus propterea ſub nimis laxa & immoderata vivendi ratione nullus abuſus committi debet.

§. XVII. Subinde etiam in reliqua vita ſimplicitas quoad uſum rerum non naturalium multum confert ad vitam durabilem: præcipue in diæta talis ſimplicitas nimium quantum proficit, ubi victus non valde artificioſus, neque nimium nutriens, neque etiam nimis mollis, aut cum variis condimentis refertus, optimus eſt: propterea tamen non valde craſſus victus pro conſtanti uſu ſeligendus eſt; præſtat etiam cibo in quantitate moderata uti, neque voracitati inhærere; plus vero confert potum, quam cibum aſſumere & illum quidem magis ſimplicem, fluidum, diluentem, non valde nutrientem: quemadmodum Vini Potus itidem temperatus commendandus eſt: & in tali diæta ordo juſtus multum proficit, quoniam omnis irregularitas nocet; unde contra appetitum alimenta & potulenta ingerere, aut appetitum ad pravam conſvetudinem ducere malum eſt.

§. XVIII. Eximium porro adminiculum pro acquirenda Longævitate eſt Labor & ſufficiens Motus corporis & hic eſt optima medicina ſani corporis, qua mediante motus & effectus vitales, nec non reliquæ connexæ operationes in legitimo ſtatu conſervantur; ſiquidem talis activitas non modo animum in congrua & neceſſaria promtitudine, ſed & corpus in debita mobilitate conſervat; cum viciſſim ſedentaria vita, nimia deſidia innumeris exemplis et animo & corpori inimica eſſe deprehendatur: quare etiam obſervantur ſimul longævi adhuc in juſta animi & corporis alacritate conſtituti, a qua mobilitate & activitate ſi deflectunt, tunc demum in morbos incidunt.

§. XIX. Multum præterea ad Longævitatem acquirendam confert Temperantia, unde evitari debet nimia compotatio & frequens inebriatio, quæ Germanorum ſepulchretum eſt: deinde evitanda eſt immodica Venus, quæ ad multas animi & corporis irregularitates contribuit, maxime vero præmaturam imbecillitatem affert; ſubinde abſtinendum eſt ab inſveto aut largo uſu potuum deſtillatorum & ſpirituoſorum: quamvis in ſenibus, robuſtiori diæ-

tæ

tæ addictis, modicus ardentium Spirituum uſus ſimplicem medicinam conſtituat: quid quod ordo ſervandus eſt in motus & quietis congruo exercitio, quo videlicet ſub ordinata & ſufficiente quiete vires integræ maneant & ad functiones vitales rite obeundas ſufficiant.

§. XX. Ante omnia etiam ad durabilem vitam contribuit juſtus & ſufficiens ſucceſſus ordinariarum excretionum, ſicuti alias per excretiones vita abſolvitur & ſanitas impetratur: præſtat tales evacuationes ſimplicisſima methodo & quidem ſub uſu boni regiminis & congruæ diætæ adjuvare, præcipue etiam eo contribuit ſufficiens corporis humectatio; non tamen propterea tales excretiones immoderate commovendæ & exſtimulandæ ſunt, minime omnium cum frequenti remediorum uſu urgendæ, ſed potius in ſpontaneo ſuo decurſu facilitandæ & inter illas, maxime alvi liber, conſtans & ſufficiens ſucceſſus neceſſarius erit, quoniam e primarum regionum offenſione varia incommoda ſanitati & vitæ inimica proveniunt, ad quas ipſas evacuationes promovendas prædicta ſingula auxilia longævitati ſubſervientia conveniunt.

§. XXI. Inter alias excretiones in diverſis ſubjectis magnum emolumentum ad vitam longam impetrandam affert ſangvinis ſuperflui & moleſti ordinata, opportuna & moderata exoneratio e congruis locis, ſive ſponte ſuccedens ſive artificioſe præſtita: quemadmodum in fœminis nimium quantum Menſium legitimus ſucceſſus vitæ & ſanitati ſubvenit; ita etiam in variis caſibus & individuis deprehenſum fuit, quod juſtus Hæmorrhoidum fluxus longævitatis cauſa fuerit, quam obſervationem peculiari ſchediasmate commendavi: ita in nonnullis Venæ Sectio continuata ſimilis cauſa longævitatis exſtitit; ubi tamen lepidum eſſet, ex eo argumento contradicere velle, quaſi alia ſubjecta aliæque nationes citra Venæ Sectionis uſum & Hæmorrhoidum fluxum ad longævitatem pervenerint: ubi merito diſtingvi debent hominum mores, conſvetudines, ſenſibilitates, diæta, vitæ genus, ut & clima &c.

§. XXII. Non parum, ſed ſane multum ad longævitatem obtinendam confert abſtinentia a Medicis & medicamentis: quo magis enim artifices diverſarum opinionum & remedia diverſorum effectuum adhibentur, eo magis natura in ſua œconomia vitali corrumpitur, confunditur & negligens redditur, ut ſuis viribus & ordinibus non utatur, ſed conſtantem concurſum artificioſæ methodi expectet, adeoque in variis neceſſariis functionibus delinquat: hinc hiſtoriæ longævorum teſtantur, quam parum talia ſubjecta medicamentorum uſui ſeſe concrediderint, unde rectius ſimplicior vivendi ratio vitæ proſpicit, quam omnis curioſa & operoſa medicatio, quippe quibus ſingulis hactenus commemoratis auxiliis Deo benedicente vita durabilis conciliari poteſt.

CASUS II.
DE
CORPULENTIA NIMIA.

§. I.

QUamquam inter veteres gladiatores & Gymnaſtas & Gymnaſticos athletarum habitus pro optime vivido & ſano declaratus & reputatus deprehendatur; attamen e veteribus ab Hippocrate athleticum corpus haud ita ſanum & ſecurum eſſe pronunciatur: ubi enim res ad ſummum pervenit & propter varias alterationes in hoc gradu ſubſiſtere non poteſt, ibi iterum retrogredi debet, ut ita in deteriorem ſtatum delabatur: cum tali habitu athletico congruit illa familiaris obeſitas et corpulentia hominum, quæ æque minus ac ille longævitatem et firmam ſanitatem promittit, ſed potius ad varia ſontica pathemata, præter communes moleſtias disponit: quare multum refert hujus obeſitatis nimiæ indolem recte noſſe, quo deinde pro eadem apta conſilia & auxilia inveniri & ordinari queant.

§. II. Corpulentia nimia non dicitur de ſimplici robore & proceritate corporis, qua unus ab altero diſtingvitur & ubi firmiora membra in unius corpore deprehenduntur, ſed rectius ſumitur de inſolita, extraordinaria, admiranda, expanſiva nutritione & quidem pingvefactione diverſorum hominum, dum quidam quibus cœteroquin oſſa non adeo robuſta ſunt, neque etiam corpus in longum eximie extenſum eſt, tamen hac moleſta pingvedine præditi eſſe conſpiciuntur, ubi per accrementum ætatis inſuper hæc mutatio corporis accidit: & quamvis in præcedentibus junioribus annis talis obeſitas in ejusmodi ſubjectis non præſto fuerit, tamen eadem ſucceſive ingruit: unde quidam homines promiscui ſexus nonnunquam intra certum terminum ætatis quoad hunc habitum corporis præter omnem expectationem ita pingveſcunt, ut quaſi incognitum novum habitum offerant.

§. III. Quamquam vero inter Medicos nonnulli hanc nimiam corpulentiam ad morbos & præternaturales circumſtantias referant, ad imitationem *Galeni Lib. de Differentia morborum Cap. 9.* imo quamvis quidam diſtingvant inter obeſitatem naturalem & adventitiam, tamen communis ejusmodi corpulentia minime morbidis cauſis adſcribenda eſt, ſiquidem nihil aliud quam luxurioſa & exceſiva nutritio exiſtit: dum itaque actus nutritorius etiam lenis ſub

ſub morbidis afflictionibus vel imminentibus, vel præſentibus imminuitur, aut penitus omittitur; deinde ſuperato morbo denuo repetitur & ſub reliqua illibata ſanitate legitime continuatur, imo dum ſub morbida diſpoſitione, quando appetitus cadit, præſens qualiscunque pingveſcentia denuo conſumitur, adeoque totus actus nutritionis ad legitimam vitalitatem & ſanitatem ſpectat, ita ex hisce variisque aliis momentis inducor aſſerere, quod conſveta corpulentia non ſit morbida, licet in futurum ad inferendos morbos ſatisfaciat, ſed quod e ſingulari naturæ activitate, applicatione & aſſiduitate, quam in negotio nutritionis exercet, profluat.

§. IV. Neque præterea hæc corpulentia confundenda eſt, cum perfecte morbidis quibusdam corporis intumeſcentiis, quales interdum cachecticæ, interdum hydropicæ ſunt & quas vel ipſo externo conſpectu diſtingvere licet, dum non modo talem inflationem comitatur inſolita laxitas & flacciditas partium, ſed etiam morbidus pallor ejusmodi corpora obducit, concurrentibus aliis morbidis phænomenis: vicisſim in obeſitate nimia functiones vitales non valde alteratæ ſunt, niſi ſucceſſive morbidam alterationem patiantur, ut propter illam corpulentiam demum tales afflictiones ingruant, quæ ſanitati præjudicant: eapropter etiam vulgus ſcit, quid & qualis ſit illa corpulentia, quam vocant eine ungeſunde Fettigkeit; & contra eine lebhafte und natürliche Fettigkeit: licet interdum rariores obſervationes teſtentur, quomodo ſub tali cachectica calamitate natura inverſo ordine aliqualem pingvefactionem conjungat.

§. V. Quod itaque attinet Hiſtoriam naturalis corpulentiæ, tunc hæc non in ætates valde adultas & ſenectuti propiores incidit, ſed potius in juniores, ubi vires adhuc integræ & vegetæ ſunt: deinde ad talem corpulentiam magis diſpoſiti videntur homines, qui de temperamento ſpongioſo, ſive ſangvineo, ſive phlegmatico participant; porro obeſi homines animo ſunt quieti, tranquilli, utplurimum etiam in quiete corporis verſantur, appetitus illorum eſt bonus, bene digerunt & egerunt, ſicut etiam bene ingerunt, bene dormiunt, ſed cito defatigantur & ad motum corporis, ob corpus ponderoſum, ſunt ineptiores, facile æſtuant & ſudant, difficilius reſpirant & anheloſi ſunt, calorem ægrius perferunt, attamen etiam non ita facile frigus ſentiunt; membra externa ſunt torpidiora, neque motu ſufficienti prædita, ad functiones ſerioſas & profundas meditationes minus ſunt diſpoſiti.

§. VI. Et ſecundum hos characteres de hominibus obeſis breviter deſcriptos, varia paſſim inter obſervatores allegantur exempla ſingularia talium ſubjectorum, ex quibus tantum aliqua allegaſſe ſuffecerit: conferri itaque poſſunt in hac obſervatione *Hildanus Cent. 4. obſerv. 97. Schizii Diſputatio de craſſitie & corpulentia ſanorum naturali, Sennertus Praxeos medicæ Lib. 5. Part. 1.*

Cap. 4. Martinus Panſa de proroganda vita hominis. Platerus Operum practicorum Tractatu 3. Cap. 1. Euſtachius Rudius Artis medicæ Lib. 3. Cap. 36. Tulpius Lib. 3. Obſ. 55. Garmannus de Miraculis mortuorum Tit. 8. S. 1. & 2. Victor Trinquavellus Conſiliorum medicorum Lib. 3. Conſil. 101. Jeſſenii Inſtitutiones chirurgicæ Sect. 3. Cap. 22. Guldenklee Lib. 6. Caſu 1. 2. & 3. Schackeri Diſſertatio de obeſitate nimia. Etmulleri Diſputatio de corpulentia nimia. A. N. C. Decur. 2. anno 6. obſerv. 190. & anno 7. obſerv. 11: quales plures obſervationes in iisdem Ephemeridibus occurrunt: ita pasſim in aliis Autoribus numeroſiora talia teſtimonia proſtant.

§. VII. In explorandis & commendandis cauſis nimiæ corpulentiæ ſecundum diverſitatem hypotheſium diverſæ occurrunt traditiones, e quibus longe minime ſcopum feriunt phyſicæ & chymicæ theoriæ, quæ in eo conſiſtunt, quod a certo ſale aut fermento, diverſis ſubjectis proprio, lympha pingvis & laudabilis coaguletur & deinde colligatur, proptereaque ſubjectum obeſum evadat: neque illi veritatem aſſequuntur, qui Spiritibus hanc corpulentiam nimiam attribuunt, ex illo phænomeno, quia ligato nervo partes emarceſcunt: rectius itaque hæc corpulentia adſcribitur huic cauſæ principaliori agenti, quæ alias actui nutritionis præſidet & quæ in certis individuis hoc negotium confirmationis & augmentationis corporis citius & efficacius, in alio vero ſubjecto tardius & ſegnius adminiſtrat; hinc talem obeſitatem non fortuitis, aut mere materialibus cauſis adſigno, ſed potius naturæ humanæ, uti parallelum luculentum teſtimonium occurſat, quod in multis individuis confirmatio corporis & corpulentia ſit hæreditaria.

§. VIII. Proinde ad talem corpulentiam inſolitam variæ aliæ cauſæ contribuunt, maxime vero animi tranquillitas & continentia, nec non bona alimentoſa diæta, ut & bona digeſtio, atque corporis reliqui quies, cum viciſſim ſub ſingularum harum circumſtantiarum penuria homines emarceſcant & contabeſcant: ante omnia quidem obſervatione digna eſt efficacia animi ad proceritatem corporis adjuvandam, ſiquidem notisſima res eſt, quam facile, quam cito & quam eximie ſub animo anxio, inquieto, ſollicito, perturbato, afflicto &c. corpus extenuetur: unde viciſſim animi continentia ad promovendam bonam nutritionem contribuit: & quamquam bona concoctio & plena diæta etiam ad obeſitatem inducendam quicquam conferant, attamen nimia voracitas & hominum inſatiabilitas, ut & turbata digeſtio reliquam nutritionem valde offendere ſolet: in quocunque denique ſubjecto natura non propius ad nutritionis actum ſe accingit, in illis prædictæ cauſæ reliquæ haud prærogativam tenent in corpulentiæ acquiſitione.

§. IX.

§. IX. Quamquam vero homines obeſi corpore ſuo alia ſubjecta ſuperare videantur, attamen iidem variis ſanitatis detrimentis & periculis expoſiti ſunt, ſicut paſſim illa pathemata morbidæque afflictiones viris & fœminis obeſis impendentes & obtingentes a practicis deſcribuntur: ſubjiciuntur itaque tales obeſi homines affectui aſthmatico, catarrho ſuffocativo, palpitationi cordis, anguſtiis præcordialibus, apoplexiæ, immoderatis ſudationibus, capitis doloribus, orgasmis, iuxta Waidſchmidium polypis cordis; deinde etiam vitiis urinæ, commotionibus febrilibus, oppletionibus pectoris catarrhalibus, excoriationibus ſuperficialibus, affectibus ſoporoſis & ſyncopticis, nec non diarrhœæ, unde *Hippocrates Sect. 1. Aphor. 44.* dicit, quod *obeſi homines magis repente moriantur quam graciles*; & ita pericula nimiæ obeſitatis deſcribuntur a *Marcello Donato Hiſtoriarum medicarum mirabilium Lib. 5. Cap. 2. Vido Vidio Libro 9 de Curatione Membranatim, Schenkio de ſuffocatione, Trincavello* loco cit., *Malpighio Operum ſuorum Tom. 2. A. N. C. Dec. 1. anno 2. Obſ. 87, Guldenklee Lib. 6. Caſ. 2., Avicenna & Galeno de differentiis morborum Lib. 3. Cap. 9.* Fœminæ vero valde pingves juxta *Hippocratem Sect. 5. Aph. 46.* non concipiunt. *Confer. Welſchius Conſiliorum & curationum Dec. 8. p. 469, Roncheus de Morbis Mulierum Cap. 17.*; aut ſi concipiunt iterum vel facile abortiunt, vel periculoſum partum ſubeunt. Ita corpulentia talis nimia valde hebetat intellectum ut *Hipp. Lib. 1. de Diæta* dicit: *conducit ad ſapientiam hominibus, minime ut ſint carnoſi*: aſſentit *Galenus ad Thras. c. 37. craſſus venter non parit ſubtilem intellectum D. Hieronymus in Ep. venter pingvis non generat ſenſum tenuem*: *Tullius, valentiſſimus quisquis eſt corpore, longe abeſt a ſapientia*: *Rhodiginus Lib. 13. cap. 25.*

§. X. Cum itaque obeſi homines tantis periculis atque damnis ſubjecti ſint, ita ex officio Medici fluit, quo neceſſarium quoddam auxilium adhibeatur; non deſunt vero teſtimonia, quibus difficultas hujus therapiæ confirmatur, quo præcipue pertinet *Lindenii* effatum in *Selectorum Medicorum Lib. 1. § 86.* Quamvis *Galenus* exemplum de juvene obeſo curato *Libro de Sanitate tuenda Sect. 2. Lib. 6. Cap. 8* & de *Differentia morborum Sect. 3. Cap. 9* proferat; miſſis aliis ſimilibus teſtimoniis, caute tamen in hac cura procedendum eſt, neque ſecurum exiſtit obeſos homines cum impetu & temeritate aggredi: abſtinendum itaque erit in hac therapia 1) a prodigis miſſionibus ſangvinis 2) a poſitivis purgationibus 3) ab emeticis actualibus 4) ab evacuationibus chirurgicis, ut ſunt fonticuli, veſicatoria & ſetacea 5) a poſitivis ſudationibus per diaphoretica concitatis 6) a poſitivis diureticis 7) a remediis calefacientibus & impellentibus 8) ab adſtringentibus & incraſſantibus 9) a narcoticis & nimium relaxantibus 10) ab inſufficienti interna humorum & partium humectatione 11)

 a per-

a perturbationibus ſalutarium & ordinariarum evacuationum, & 12) a diverſa, aut varie mutata methodo medendi & remediorum ordinatione.

§. XI. In poſitiva therapia obeſorum hominum ante omnia convenit ordinarias evacuationes in ſucceſſu juſto conſervare; providendum itaque eſt, ne alvus obſtruatur, unde pro hac excretione conſervanda, lenientia, diluentia, humectantia diætetica, motus corporis, abſtinentia ab externa & interna refrigeratione, deinde remedia nitrata, Salia abſtergentia, tartariſata, ut & Salia ex aquis ſoteriis collecta, rhabarbarina, mannata, prunata, paſſulata, polypodiata, correcta parca aloetica & Magneſia alba conferunt: deinde interdum ſangvis ventilandus eſt vel generali, vel ſpeciali evacuatione, ſive modica Venæ Sectione bis, aut ter, imo quater per annum inſtituenda; ſive in ſubjectis ad hæmorrhoidales commotiones diſpoſitis per hirudinum applicationem ad loca hæmorrhoidalia: & licet *Lentilius in Miſcellaneis Medico-Practicis* diſſerat, quod obeſi ſangvinem potius intra corpus ſuum coemere debeant & *Hieronymus Mercurialis* in *tractatu de decoratione*, ſangvinis miſſionem periculoſam eſſe judicet in obeſis, tamen hæ animadverſiones neque rationi neque experientiæ reſpondent: interim a ſimultaneis & prodigis ſubtractionibus ſangvinis ſollicite abſtinendum eſt.

§. XII. Veteres Medici in cura nimiæ obeſitatis reſpectus ſuos ad hepar dirigunt, hujusque nimium præſumtum calorem temperare laborant, qualis cura vero, quæ hac ſententia nititur, non ſatis votis & promiſſionibus reſpondet; neque etiam ſecundum aliorum mentem purgationes ſecuræ & utiles ſunt in ſubjectis obeſis, licet eædem alias ad corporis extenuationem quicquam contuliſſe deprehendantur, qui modus tamen extenuandi corpus non ſatis probatus aut ingenuus eſt: interim repetitæ & modeſtæ abſterſiones primarum regionum omnino in obeſis conducunt, quo conveniunt tam remedia temperata amara, vegetabilia ſcilicet, quam præcipue Salia abſtergentia, uti quidam practicorum Nitri uſum in obeſis laudant, quod multiplicem ſuam utilitatem comprobat: an vero juxta *Codronchium* Sal Abſinthii ſpeciales virtutes habeat, ad imminuendam nimiam Corpulentiam, nondum experientia confirmavit.

§. XIII. Præſtantiſſima, maximeque ſecura obeſorum cura eſt diætetica, unde confert, quo tales homines temperato utantur aere, ne tranſpiratio inſenſibilis opprimatur: deinde in victu moderamen ſervandum eſt & quadrat huc *Hippocratis* regula: *non ſatiari cibis, ſanitatis ſtudium eſt:* interim non expedit vel ſimul & ſemel, vel nimium victum extenuare & imminuere: aromaticorum uſus ſit moderatus, imprimis confert zingiber, Synapi, Naſturtium, Raphanus, Beta, Petroſelinum & juxta *Platerum* vegetabilia magis conducunt,

ducunt, quam animalia: quidam ſpeciali encomio Piper ad inducendam maciem extollunt, quod vero etiam in obeſis modeſte uſurpandum eſt: acidorum uſus ſit temperatus; licet aliqui cum acetis, imprimis cum Aceto Squillitico nimiam corpulentiam curare cogitent: potus ſit ſufficiens, neque juxta *Panarolum* Abſtinentia a potu confert, ſit vero etiam tenuis, neque admodum nutriens: convenit infuſum herbæ Thee & modicus uſus Vini, non valde generoſi, ſicut varii obeſi cum Vino corpulentiæ ſuæ accrementum arcent.

§. XIV. Admodum etiam obeſis confert motus corporis, quantum quidem hic pro ratione nimiæ corpulentiæ exerceri poteſt: deinde proſunt peregrinationes, quare obeſorum excurſiones ad thermas ſatis ſæpe utilitates ſuas comprobarunt, ſiquidem modeſtus uſus temperatarum thermarum & acidularum omnino in hoc caſu confert: præterea obeſi non nimium ſomno indulgeant, hinc quidam vigilias, ut medicinam nimæ corpulentiæ commendarunt: uti præter hoc adminiculum *Zwingerus* frequentiores lucubrationes, curas & ſollicitudines pro cura nimiæ obeſitatis laudat; in qua animi inquietudine tamen etiam moderamen uſurpandum eſt, ne repentini periculoſi affectus oriantur. Fonticuli non habent directam utilitatem, ſed potius ſecundum diverſitatem ſubjectorum æſtimandi & commendandi ſunt, quales in ſubjectis de phlegmatico temperamento participantibus concedi poſſunt: proinde etiam obeſi homines caſtitati inhæreant, ne variis ſiniſtris ſangvinis commotionibus ſe exponant; imprimis convenit magis ſucceſſive quam ſimultanee obeſitatem curare, alias periculoſi & repentini affectus conſeqvuntur.

§. XV. Quod Chirurgica auxilia attinet, tunc illorum diverſa paſſim circumferuntur, quæ vero non ſatis tuta aut probata ſunt; nihil conferunt Veſicatoria, neque etiam Fonticuli directam utilitatem afferunt; imo temeraria tentatio eſt, qualem *Ælianus Hiſtoriarum Lib. 9. Cap. 13.* proponit, quod obeſis ſubjectis corporis ſuperficies cum acubus pungi & pertundi debeat, quo pingvedo effluat; temerarium conamen eſt, pingvedinem crasſiori diſſectione removere, uti *Plinius* Hiſtor. Nat. *Lib. 11. c. 37.* refert: unde hujus tentaminis infelices & funeſti effectus in hiſtoria paſſim conſtant, quæ ſingula experimenta valde offendunt tales homines, ut citius in periculoſos caſus & actuales putridas corruptiones incidant; infelix corpulentiæ nimiæ Cura allegatur *A. N. C. dec. 2. an. 9. obſ. 219.*

§. XVI. Deinde in Hiſtoria practica varia adhuc circumferuntur adminicula, quæ ad obeſitatis nimiæ curam proficua deprehenſa ſunt, ex quibus aliqua allegaſſe ſuffecerit: ita *Platerus* commendat Decoctum Polypodii, Caryophyllatæ, Roriſmarini & uſum Zingiberis: *Guldenklee* extollit Decoctum Ligni Sancti & Saſſafras, nec non frictiones aſperiores, ſubinde etiam obeſita-

tem

tem ſimplici aqua curatam *Libro 6. caſ.* 3. deſcribit. *Borellus Centur. 2. Obſerv. 11.* obeſitatem maſticatione foliorum Tabaci curatam commemorat: in *A. N. C. Decur. 3. anno 1. obſerv. 27.* enarratur cura nimiæ corpulentiæ cum Aceto: & *Dolæus in Encyclopædia Chirurgica* obeſitatem cum Succo Citri curatam exponit: uti *Bartholinus in Actis Haffnienſibus Volum. 1. anno* 71 & 72 *pag.* 144 & *Obſerv.* 74 obeſitatem per ſalivationem curatam indicat: quæ ſingulæ curæ cum ſingulares ſint & particulares, ita haud commode ad univerſales uſus applicari poſſunt, ſed tantum ad reſervatam notitiam medicam ſpectant, ſiquidem etiam effectus ille curatæ obeſitatis ex accidenti evenire potuit.

§. XVII. Denique hominibus obeſis non inutilia ſunt moderata Balnea, modo non ſint adſtringentia & valde repellentia: unde exempla mihi conſtant, non modo virorum obeſorum per modeſtum temperatarum thermarum uſum curatorum, ſed & fœminarum e tali obeſitate ſterilium, quæ poſt temperatum thermarum uſum non modo nimiam corpulentiam amiſerunt, ſed & fœcundæ redditæ fuerunt: ita interdum ſubjectis obeſis conducit modicus uſus Salium volatilium, modo reliquæ ordinariæ evacuationes rite ſuccedant; interim talia Salia non nimis copioſe, neque nimis frequenter exhibenda ſunt. Diureſis conſtans & illibata in hominibus obeſis æque utilis eſt, ſiquidem ad ordinarias evacuationes ſpectat: ante omnia vero tenuis diæta plurimum contribuit: & ita cura eſt adhibenda, quo magis ſucceſſive hæc nimia corpulentia imminuitur, quoniam omnis ſimultanea & repentina operatio ſuſpecta exiſtit.

CASUS III.

DE

PHILTRIS.

§. I.

EX illis repentinis & periculoſis calamitatibus, quæ Medico interdum offeruntur, merito præferri debent illæ ſimultaneæ animi atque corporis corruptiones & confuſiones, quales ex Philtris oblatis vulgo oriri conſpiciuntur: quare præſentem hunc caſum merito reſervatis affectibus acceſeo, ſiquidem illius conſtitutio plane particularis eſt, unde extemporanea medela a Medico deſideratur, quo præceps periculum ex philtro oblato imminens

nens

nens tempeſtive avertatur: & in hujus caſus exacta cognitione eo majorem ſolertiam & prudentiam, imo dexteritatem & ſinceritatem adhibere debet artifex, quo magis varia ſingularia malitioſa & corrupta tentamina in philtrorum præparatione & exhibitione occurrunt.

§. II. Dicuntur itaque Philtra talia Subjecta, quibuscum in hominibus furibundus quidam & a libera ratione multum diſcedens amor conciliatur, qui citra arbitrium & beneplacitum, aut ſpontaneam intentionem & inclinationem alicujus ſubjecti neceſſitatur; unde hic amor coactus etiam in inimicos abit, ſed ſine licito, probo, honeſto & convenienti modo: quapropter pro tali amore provocando varia artificia fraudulenta impia, malitioſa & diabolica uſurpantur, quæ interdum ex divino judicio conceduntur & in illud ſubjectum, in quo directa ſunt, efficaciam ſuam transferunt, ſed dum hic amor coactus eſt & utplurimum voluntati & præcedenti beneplacito contrariatur, dum citra prægnantem quandam rationem ſuccedit, propterea communiter cum aliquo delirio & mentis imbecillitate aut confuſione nunc majori, nunc minori conjunctus eſt, quoniam ſub tali amore tamen intimius in animo firmus diſſenſus hæret.

§. III. Neque quidem adeo recens eſt inventum & experimentum illicito, malitioſo & pravo tali modo affectum amoris extorquendi, ſed potius in antiquisſimis temporibus idem malitioſum artificium innotuit, unde tum Poetæ, tum Philoſophi antiquiorum ævorum, ut *Ovidius*, *Virgilius*, *Martialis*, *Seneca* &c. illius reminiſcuntur: proinde philtra denominationem ſuam habent ab ipſo amore, quemadmodum alias poculum amatorium einen Liebes-Tranck eandem rem idemque pravum artificium denotat: quoniam inter antiquiores uſitatum fuit in forma potus, aut grati hauſtus, hanc perniciem communicare & propagare: interim in poſteritate eo usque accrevit hæc malitia, ut in variis aliis formulis hæc Philtra communicentur: communis tamen modus eſt, quo talia ſubjecta intra corpus aſſumantur, ubi alterationem ſuam eo intimius, ſenſibilius et certius exſerere ſolent.

§. IV. Hic amor factitius, artificialis & coactus inter varia ſubjecta occurrere obſervatur; & quidem vel inter homines, vel inter hos & bruta: quod amorem hunc ſpurium inter homines excitatum atttinet, tunc hiſtoriæ conſtant, quomodo inter inimicos vel inter maſculos, vel inter utrumque ſexum talis amor excitatus fuerit: utplurimum vero hic amor, qui per philtra provocatur, cum inſolita petulantia & laſcivia conjunctus eſſe deprehenditur: licet illi, qui ultra juſtos terminos Sympathiæ ſtudium extollunt, etiam innocentem amorem inter homines per artem provocatum ſtatuant, dum præcipue cum ſangvine humano ejusmodi coactam aut intimius conjunctam amicitiam eri-

gere contendunt, ut ſubjecta longisſimis tractibus a ſe invicem diſſoluta, tamen ex hoc vinculo amoris per ſubtilisſimam ſympathiam prædita dicantur, quæ vero traditio ex ſchola *Paracelſi* & *Helmontii* collecta non ſatis ingenua eſt: ſecurius vero experimentum eſt quod *Seneca in Epiſtola IX.* commendat, hic autem ait: *Ego tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficæ carmine: ſi vis amari, ama!*

§. V. Utplurimum communia philtra pesſimum effectum habent, dum non modo corruptum & iniquum amorem excitant, ſed & dum communiter ne hunc quidem finem aſſequuntur & potius animum turbant, offendunt & in actualem inſaniam conjiciunt: quotquot etiam philtrorum uſum citra actualis delirii conſecutionem ſuperant: in illis tamen eximia imbecillitas mentis, aut mutatio priſtinæ indolis occupat, qui effectus propterea deteſtandus eſt, quoniam principalisſimæ partis hominis, nimirum animæ corruptionem involvit, licet ſubinde philtra communia in oeconomiam etiam vitalem graviſſima damna inferant: conſtant vero talia philtra vel e ſubjectis naturalibus, vel ſuperſtitioſis, vel pro veneficio adminiſtrando habilibus: cujus ultimæ claſſis ſunt verba, characteres, imprecationes, conjurationes, amuleta, clavi, acus, annulli, corollæ, ungves reſecti; e naturalibus ſubjectis ſeliguntur os ranæ viridis in formicarum acervo exeſum, cor veſpertilionum & hirudinum, deciduus infantum umbilicus, ſecundinæ, virga & glans lupi, priapus cervi, tauri & hædi, teſtes cervi & leporis, cerebrum aſini, ſtincus marinus, cantharides, e quibus quædam ita ſunt comparata, ut inſigni diuretica efficacia ſimul partes genitales ſtimulent & ad libidinoſas concupiſcentias diſponant: uti alibi *Aetius* latiorem talium ſubjectorum ſeriem exponit; *conf. Rejes. in Camp. Elyſ. Qv. 29.* ubi latius de Philtris agit.

§. VI. Utplurimum vero ad malitioſum hoc philtrorum artificium uſurpatur ſangvis humanus ſive ſimplicior, ſive menſtruus, qui etiam pesſimos effectus exſerit ſecundum teſtimonium experientiæ & ex eadem ſecundum ſuffragium *Danielis Becheri in Spagyrico microcoſmico chymico lib. 1. cap. 14. & Beguini in tyrocinio chymico lib. 3. Cap. 1.* Præterea pro eodem artificio adhibetur Sudor, Saliva, Sperma, Liquor genitalis, urina & ſecundum quosdam colluvies excrementorum alvinorum: teſtantur etiam quidam, quomodo per transplantationem amor conciliari posſit, notante *Tenzelio in Medicina Diaſtatica*, dum varia Semina, vel cum ſangvine, vel cum ſudore hominum, quorum mutuus amor acquirendus eſt, imprægnantur, deinde terræ mandantur & clam exhibentur, hoc artificium perficitur, qualem hiſtoriam de mirabili roſæ effectu *Sachſius in Gammarologia* allegat, uti alio modo herbæ diverſæ cum urina frequentius aſperſæ, ad hoc artificium uſurpantur.

§. VII.

§. VII. Dum hæc Philtra rarius ſcopum ſuum aſſequuntur, ut videlicet amorem temperatum artefactum concilient, ita rectius multiplices ſiniſtros, ſuſpectos ac periculoſos effectus producunt, qui vel oeconomiam vitæ repente & graviter turbant, vel una animum vehementer offendunt & confundunt; licet interdum hi affectus ſucceſſive philtrorum uſum conſequantur, ita ut certitudo harum alterationum in hiſtoria medica ſatis manifeſta ſit: quemadmodum parallelus uſus philtrorum, qui inter homines & bruta inſtituitur, velut inter canes, equos & homines quotidianis experimentis comprobatus eſt, cujusmodi hiſtoriam inter alios *Henricus ab Heer* in *obſervationibus* ſuis allegat; alias pluribus tractatio de philtris proſtat in *Clauderi Diſſertatione de philtris; Bokelii Tractatu: utrum animi hominum philtris commoveantur nec ne? Horſtii Libro de Natura Amoris; Cratonis Epiſtolis Medicis lib. 2. De Philtrorum Natura, Combachii Libro de Philtris; Hoeferi Hercule Medico; Schonwalderi Reſolutione quæſtionis: quid philtra poſſint: Roeſeri Diſputatione de Philtris, Caſparis Schotti de Maleficio Amatorio, ejusque vi & remediis; Zollikofferi Diſputatione de Philtris; Grulingii Curationum Medicarum Cent. 10. de Philtro*; ut & in *Sennerto, Boneto* multisque aliis.

§. VIII. Ordo nunc poſtulat, quo in hiſtoria commemorem, quales effectus Philtrorum uſus poſt ſe relinquat; & licet in aliquibus ſubjectis intentus ille amor excitatus conſpiciatur, tamen ipſe minime ingenuus, modeſtus & honeſtus, ſed cum multa impatientia, incontinentia & delira vehementia conjunctus eſt: ut plurimum Philtrorum oblationem excipiunt graves cardialgiæ, extreme angentes, conatus vomendi, aut actuales vehementes vomitus, cordis palpitationes aut tremores, aſthmata ſuffocativa, lipothymiæ, frigidi ſudores, vigiliæ, corporis tremores, convulſiones, vertigines, deliria, immodicæ Hæmorrhagiæ, affectus anginodei & phrenitici, aut paralytici, ſucceſſive excipit tabes & hectica, inprimis occurrit delirum deſiderium, quod in aliud ſubjectum ſive hominem directum eſt, anxia efflagitatio alterius præſentiæ & converſationis, imo aliquando ſub arduis talibus afflictionibus homines plane pereunt, interdum vero mortis periculum ſuperant & ſucceſſive, licet tardius, ad ſe redeunt.

§ XI. Interdum accidit, ut poſt ſuperatum primum periculum in afflictis ſubjectis præcedens ordinarium temperamentum penitus immutetur, quod præcipue ſangvinei temperamenti hominibus accidit, qui in melancholicum convertuntur: interdum delirium, quod & repente & vehementer poſt philtri uſum ortum eſt impoſterum continuat, ut nonnunquam perfecta Mania, aliquando lenius delirium perſeveret; quando vero animus antea turbatus iterum in aliqualem ordinem redit, tamen nihilominus aliqualis imbecil-

 litas

litas in eodem remanet, ut ad minimum una ſpecies operationum mentis debilis & fatua obſervetur, aut priſtinus vigor, activitas & promtitudo animi penitus immutetur: communiter etiam remanet perturbatio oeconomiæ vitalis, ita ut tales homines non antiqua vivacitate & ſanitate gaudeant, ſed poſt philtrum ſuperatum quotidianis ferme ægrotationibus ſubjiciantur, unde etiam ſenectutem quietam haud attingunt, ſed maturius ſuccumbunt; in nonnullis excipit ſucceſsiva corporis emarceſcentia & actualis Hectica, ex quibus circumſtantiis facile pravitas & malitia philtrorum agnoſci poteſt, dum hæc nocumentum ſuum non modo de præſenti exſerunt ſed & in futurum extendunt.

§. X. Huic Hiſtoricæ Philtrorum explicationi ad latus pono Prognoſticam tractationem: quo repente itaque & impetuoſe Philtra noxios ſuos effectus inferunt, eo periculoſior & funeſtior eſt ſtatus; quo citius & vehementius animus ſimul turbatus, eo magis malus eſt totus ſtatus; quo contumacius hæc animi turba continuat, eo deterioris indolis eſt præſens ſtatus; affectus ſoporoſi, qui Philtrorum uſum ſequuntur, communiter ſunt funeſti; quando Philtra jam in Maſſam humorum translata ſunt, non modo periculoſior eſt ſtatus, ſed ſalutaris & tempeſtiva cura evileſcit; quando poſt Philtri uſum temperamentum hominis mutatur, malum omnino eſt indicium; quando poſt Philtri oblationem Hæmorrhagiæ oriuntur, tunc ſtatus acerbior redditur, vires citius concidunt & in futurum eo certius tabidi & hectici affectus ſuperveniunt; nimiæ vigiliæ poſt Philtrorum exhibitionem malæ ſunt; actuales convulſiones peſſimum conſtituunt indicium; Tabes & Hectica, quæ proxime invadit, utplurimum eſt incurabilis & lethifera; animi imbecillitas, quæ poſt Philtrorum uſum remanet, ægerrime emendari poteſt, niſi rariſsima obſervatio inter Medicos occurrat, quomodo matrimonium, quod cum illis ſubjectis ſucceſsit, in quæ amor hic inſanus tranſit, futuras animi confuſiones & infirmitates paululum emendaverit.

§. XI. Progredior nunc ad Cauſalem Philtrorum explicationem, in qua ſuppeditanda magis ad effectus obvios & manifeſtas alterationes, quam ad ſpecialisſimum modum operandi animum applicare debemus: vix enim facile & ſatis diſtincte conſtat, quomodo Philtra naturalia ſpecifice operentur, niſi conſpicuum evadat, quod ex illorum oblatione animus æque ac reliqua oeconomia vitalis graviter perturbentur, ſiquidem ſubjecta, quæ Philtra conſtituunt, ſenſui interno admodum adverſa deprehenduntur, unde illorum tempeſtivæ remotioni atque excusſioni natura omnes vires adhibet: quo tendunt illæ anguſtiæ, Cardialgiæ, commotiones torminoſæ, conatus vomendi & quicquid cum hiſce pathematibus ultro cohæret: illud præterea facile colligere licet, quod talia Philtra non modo ſenſationi aliena & adverſa exiſtant,

ſed

ſed & in ipſum corpus aliqua damna & pericula inferant & quidem inſolito modo, ob quem natura in tales tergiverſationes, confuſiones, anguſtias & perturbationes incidit, ut propterea totus ordo vitalis compatiatur; & quia ſubjectum nocens ſpecialisſimæ eſt efficaciæ, ita talis morbus, qui cum tali ſubjecto cohæret, ſpecialisſimæ indolis, conſtitutionis & tenacitatis eſſe deprehenditur.

§. XII. Tanto minus vero ſcientia hominis ſe ſe eo usque extendit, ut ſupranaturales vires & effectus perluſtrare, percontari & agnoſcere queat; & licet easdem minime abnegem, tamen in illarum evolutione & enodatione haud aliquam operam adhibere audeo, quoniam hoc ſtudium nimis obſcurum atque occultum eſt, quin rectius illas circumſtantias perpendo, quæ ad medicum uſum quadrant; mirum itaque minime eſſe poteſt, cur ob philtrorum præſentiam anima in moralibus æque ac vitalibus negotiis ita offendatur, ut motus ſuos vel excesſive, vel defective, vel confuſe & inordinate adminiſtret: prout in moralibus idem accidit, ut ſecundum diverſorum ſubjectorum relationem, qualitatem, comparationem & æſtimationem anima functiones ſuas mentales vel immodice, vel ſegniter, vel confuſe adminiſtret: & quo magis repente tales functiones alterantur, imo quo magis impetuoſe hoc contingit, eo ægrius anima in priſtinum ordinem revertitur, quoniam hæc alteratio nimis prægnans & ſontica eſt: inde etiam evenit, ut vel priſtinæ activitates amittantur & ob ideam talem tam tenaciter animæ cohærentem languor & torpor mentis occupet, aut ut conſveta oeconomia vitalis immutetur, aliusque ordo ſervetur, ſicqve temperamentum alicujus hominis pervertatur: licet etiam ex aliis accidentalibus effectibus repentinæ obſtructionis, ſtaſeos & corruptionis, Philtrorum uſum funeſtus exitus confeſtim excipiat.

§. XIII. Ordo præſentis tractationis ducit nos ad practicamPhiltrorum explicationem; aſt cum philtra alia naturalia ſint, alia vero extra naturæ ſorum conſtituta, ita priorum antea mentio hoc loco erit injicienda: & quo illorum medicatio magis rationalis atque ſecura exiſtat, propterea omni ſtudio cavendum eſt 1) a præmaturo uſu Bezoardicorum & Sudoriferorum; 2) ab excesſiva emeſi, aut catharſi 3) a præpoſtera primarum regionum evacuatione 4) a præmaturo uſu cordialium & nervinorum remediorum; 5) a theriacalium medicamentorum vel præmaturo vel nimio uſu 6) ab ordinatione vel communium, vel fortiorum narcoticorum remediorum 7) ab inopportuno & præmaturo carminativorum uſu 8) ab experimentis heroicis, corpus & vires valde debilitantibus 9) ab incraſſantibus & adſtringentibus remediis; 10) a medicamentis valde calefacientibus & concentratis, 11) a volatilium remediorum curatorio uſu 12) a nimia ingeſtione terreorum remediorum 13) a Salivatione 14) a confuſa & nimis multiplicata remediorum oblatione 15) ab ordinariarum evacua-

tionum ſuppresſione, aut negligentiori promotione 16) a motuum ſpaſmodicorum vel majori exacerbatione, vel ſimultanea oppresſione & denique 17) a negligentiori & confuſa therapia, quæ alias animo turbando apta eſt.

§. XIV. Excipit itaque iam directa & poſitiva therapia Philtrorum, quæ ſecundum diverſas circumſtantias obvias diverſimode quidem, attamen methodice adminiſtranda eſt: quando itaque artifex juſto præſumere poteſt, quod oblatum Philtrum adhuc in Ventriculo ſubjecti hæreat, tunc ſine ulla mora illius remotio eſt promovenda, ubi antea ſecundum ſenſibilitatem & individualem conditionem ſubjecti leniorem modum præferre debet; ſi vero ob certas circumſtantias hic inſufficiens eſſe æſtimetur, tunc alia auxilia ſeligenda & applicanda ſunt: an vero Oleum ex Arillis Sambuci paratum virtutem ſpecificam emeticam habeat in Philtris, nondum ſatis probavit experientia; neque æque in hac evacuatione præſtanda ſpecifica virtus neceſſaria eſt: hinc varii practici emetica ex antimonio parata commendant, licet cum Vitro Antimonii magna æque circumſpectio habenda ſit; unde quidem Infuſum ex hoc Vitro paratum ſed bene correctum & cum carminativo remedio conjunctum in certis caſibus admitti poteſt: rectius huc convenit Sal Vitrioli, Radix Aſari, vel Tartarus emeticus, ſervata tantum illa cautela, ne remedia talia in majori quantitate offerantur, neve cum iisdem modo præſentes ſpaſticæ hypochondriorum commotiones magis exacerbentur, quare etiam moderata quantitas talium evacuantium auxiliorum ſatisfacit.

§. XV. In ſubjectis plethoricis, quæ præcipue ſangvinis commotionibus & frequentioribus & majoribus obnoxia ſunt & quæ antehac actualibus ſanguinis depletionibus adſveta fuere, tempeſtiva Venæ Sectio admodum conducit, tanto magis vero, ſi ſimul in hac tragœdia animus perturbatur; ubi antea proſpiciendum eſt, ne alvus occluſa & ſtricta ſit, quæ propterea tempeſtive liberanda eſt: deinde & imminutorio & derivatorio ſcopo confert Venæ Sectio in brachio, non æque parca, neque tamen excesſiva, ſed pro ſubjecti conditione moderanda: & quando nunc congeſtio intra caput contumacior fuerit, tunc pro efficaciori diverſione inducenda licet hirudines ad aurium confinia apponere, vel internarum narium ſcarificationem conjungere; qualis ventilatio non differenda eſt, ne perturbatio animi augeſcat & inſoleſcat, ſed quo mox in primis ſuis accesſibus atque incrementis extingvatur & emendetur.

§. XVI. Præſtat ſubinde totum inteſtinorum tractum abſtergere & evacuare, tanto magis, ſi præſumitur, quod philtrum oblatum in eundem delatum ſit, quemadmodum hæc alvi excitatio inſuper revulſoria ſua efficacia in hac afflictione ſatis comprobata deprehenditur: conferunt itaque remedia ex

Rha-

Rhabarbaro, Polypodio, Agarico, Aloe, Helleboro, in aptis formulis offerenda; abſtinendo a draſticis purgantibus, ne commotiones ſpasmodicæ magis exacerbentur, neque æque Mercurialia remedia in hac neceſſitate ſingularem utilitatem habent: præterea etiam licet ſub reliquo curæ decurſu interdum lenem laxationem per Rhabarbarina & Tamarindinata remedia repetere, quo impuritas bilioſa ſucceſſive intra inteſtina delata evacuetur: unde rectius & ſecurius in hoc affectu, in quo motus utplurimum in exceſſu peccant, cum lenitate hæc excretio provocatur: nonnunquam etiam licet cum clyſtere leniente & roborante ſuccurrere, præcipue quando atrocia inteſtinorum tormina adſunt & quando alvus rigide obſtructa eſt.

§. XVII. Et quoniam in hac tragoedia pathemata ex oblato Philtro orta, præcipue vehementes commotiones ſpasmodicæ tam in Ventriculo & inteſtinis, quam in aliis hypochondriorum partibus membranaceo-tunicaceis concurſant, ita pro iisdem tranquillandis cura adhibenda eſt: huc conveniunt partim temperantia, partim roborantia & partim etiam ſedantia: e temperantium numero ſunt abſorbentia Nitrata; e roborantium claſſe ſunt temperatiora carminativa, quæ præcipue torminoſis inteſtinorum afflictionibus opponuntur; e ſedantibus huc quadrant Cinnabarina, ſimpliciora Papaveracea, Caſtorina modica quantitate & Chaccarillæ Cortex; a vulgatis Opiatis, aut potentibus aliis Narcoticis omni ſtudio abſtinendum eſt, quoniam in extremo tali affectu iterum extremam alterationem inducunt; qualia oppoſita in extremitates tranſeuntia nullibi bene cedunt: præſtat vero adhuc ſingulorum horum remediorum uſu proſpicere, quo excretio, præcipue alvi rite continuet.

§. XVIII. Sed cum in toto hoc affectu & animus admodum anxius & vires valde langvidæ & deperditæ conſpiciantur, ita ſub reliqua cura illa ſollicitudo habenda eſt, quo aliqua moderata & ſufficiens analepſis concilietur; conferunt hoc nomine & temperatiora & liquidiora, cum non æque neceſſe ſit, illas confuſas & pretioſas ſpecies pharmacevticas cordiales ordinare: ipſum Vinum bonum pro interno & externo uſu ſatis laudabile eſt analepticum auxilium, neque Cinnamomum & temperatus Croci uſus utilitate ſua deſtituuntur: ſic porro Aquæ analepticæ Florum Naphæ, Ceraſorum nigrorum, Lil. convall, Meliſſæ & ſimiles hoc nomine laudem merentur: ſpectat huc Flavedo Citri, Confectio de Hyacintho & Alkermes completa cum Cinnamomo parata, qualia analeptica pharmacevtica juſtis intervallis ordinanda ſunt; cavendo tamen, ne per priores Species ſebriles commotiones convocentur: proinde conducunt Decocta analeptica, tali qualitate prædita ex Radicibus Cichorei, Scorzoneræ, Cinnamomo, Citro, Paſſulis &c. parata, additis Aquis prædictis: neque talia auxilia negligenda ſunt, quæ e fonte diætetico hanc analepſin concilian.

§. XIX.

§. XIX. Præterea ſingularem utilitatem in præſenti calamitate habent ſic dicta Bezoardica, aut moderata ſudorifera, quæ maſſam ſangvineam ab accidentali impuritate & ſimul interdum eo delato philtro repurgant; haud vero hoc loco intelligo acriora remedia valde commoventia, ſed temperatiora Alexipharmaca, quo ſpectant Tincturæ temperatæ correctæ Bezoardicæ, aut Eſſentia Alexipharmaca Stahlii, paulo largius cum Eſſentia Pimpinellæ albæ, Vincetoxici & Scordii remixta: in ſubjectis temperatioribus convenit etiam Liquor C. C. Succinatus, a curatorio Salium volatilium, ut & vulgari Camphoræ uſu interno ſedulo abſtinendum eſt, quoniam ſuſpectum ſangvinis orgaſmum facile provocant: in ſubjectis floridioris corporis & agilioris animi non parum in hac neceſſitate conducit Mixtura ſimplex parciſſime Camphorata: & licet vulgo etiam in hac calamitate Aceta Bezoardica magnis promiſſionibus commendentur, tamen experientia medica de iisdem haud ſufficienter probatum teſtimonium profert.

§. XX. Quanquam vulgo compoſitiones Theriacales ad ejusmodi affectus, quales etiam a philtrorum oblatione oriuntur, commendari ſoleant, tamen eædem nondum utilitatem hactenus probarunt, ſiquidem & talia & alia Opiata remedia in ejusmodi afflictione non admodum fida ſunt: confert rectius pro ulteriore abſterſione & repurgatione maſſæ ſangvineæ temperata & ſelecta diuretica ſubjungere: quo nomine ipſum Nitrum deinde Salia amara, Sal Ononidis, Tincturam Antimonii Tartariſatam, ut & Spiritum Tartari laudo, qualia remedia poſitive urinam excitantia moderata quidem quantitate, attamen interpoſita vice offerri poſſunt: præſtat itidem in hujus affectus continuata cura ordinare ſufficientem potum, quo & humores debite diluantur & viæ convenienter humectentur, ne ulla ſtrictura, occluſio & incarceratio oriatur, neve ordinariæ excretiones retineantur: denique etiam in hac afflictione tam curatorio ſcopo, quam etiam poſt curam conducunt balnea, minime vero frigida, quippe quæ graves alterationes cauſantur, ſed modeſte calida: quo perinde temperatarum thermarum internum & externum uſum præſervatorium refero & commendo.

§. XXI. Paſſim etiam ab autoribus varia Specifica allegantur & commendantur, ex quibus plurima nondum in experientia certa & ingenua obſervata ſunt: ſic Spiritus ſecundinarum humanarum, aut ipſæ ſecundinæ humanæ pulveriſatæ adverſus Philtra ex ſangvine menſtruo parata laudantur: uti ad eundem caſum *Borellus* Margaritas commendat: ſic alii Tincturam Lapidis Lazuli, Eſſentiam Mumiæ & remedia ex ſerpentibus & Viperis parata extollunt: *Crato* admodum celebrat Naſturtium aquaticum & *Henricus ab Heer* calculum humanum cum Aqua naſturtii propinare iubet & quæ alia adhuc Specifica

fica recenſentur: & licet quædam illorum, quorum efficacia non ſuperſtitione quadam nititur, utilitatem aliquam afferre posſint, tamen experientia adhuc erit conſulenda; haud tamen præſtat in tali afflictione ſtatim ad Specifica confugere, ſed confert antea generalia præmittere, neceſſarias excretiones promovere & urgentia obſtacula removere: neque etiam deinde expedit talia Specifica cum aliis quisquiliis confundere, adeoque illorum virtutem obſcurare, ſed eadem in ſimpliciori ſua conſiſtentia offerre decet.

§. XXII. Quo magis in illa afflictione, quæ ex Philtrorum oblatione orta fuit ſuperiores regiones congeſtoriis commotionibus detinentur & vexantur, eo magis revellentia remedia in uſum trahenda ſunt, ne mentis confuſio vel oriatur, vel confirmetur: tanto magis vero talia adminicula conducunt, quando in hac necesſitate animus jam actu turbatus eſt: unde commendo pediluvia, nec non rubefacientia, pedum frictiones & cucurbitularum cœcarum applicationes in inferiores corporis regiones: quando etiam præſens calamitas quoad potiores ſuas circumſtantias ſuperata fuit, tunc circa exitum curæ conducunt roborantia remedia: quo nomine ordino Mixturam ex Tinctura Antimonii Tartariſata & ſpiritu C. C. paratam, neque Tinctura Corallorum, Eſſentia Succini, Liquor C. C. Succinatus inutilis eſt; ſpectat huc moderatus uſus Vini boni; conferunt juſcula vinoſa modeſte cinnamomiſata & leviter crocata; proſunt roborantia diætetica, victus tenuis & evpeptus, gratus tamen & parca quantitate offerendus: denique etiam proficiunt balnea nervina ex herbis talibus paranda, cum moderamine tamen uſurpanda.

§. XXIII. Eximiam inſuper utilitatem in tali afflictione tam curatorio, quam præſervatorio ſcopo habet Therapia Moralis, quam vulgo quidem Practici non attendunt, niſi *Sennertus* illius mentionem injiciat: hæc in eo præcipue conſiſtit, ut animo ſuppreſſo qualecunque licitum ſolatium concilietur, ut ipſe ab anxiis & meticuloſis repræſentationibus & meditationibus modeſte abſtrahatur; imprimis confert animo alia grata & modeſta objecta offerre; evitanda inſuper erit omnis occaſio, qua patiens ad laſcivas & libidinoſas imaginationes ſeduci poteſt: conveniunt modeſta & accepta colloquia, proſunt peregrinationes & converſationes cum amicis, ſervata illa cautela, ne compellatio & converſatio luxurioſa exiſtat, animumque afflicti patientis irritet: ſollicitudo nocet, taciturnitas confirmat afflictionem animi, multæ vigiliæ exacerbant affectum, frequens acceſſus fœminarum irritat animum jam corruptum & turbatum: abſoluta vero ſubtractio ſequioris ſexus animum patientis reddit impatientem & cum multis deſideriis immoderatis operoſum, unde ſemper patiens in tali moderamine conſervandus erit.

§. XXIV. De Naturalibus Philtris hactenus dictum fuit, pauca adhuc dicenda reſtant de Magicis Philtris: dari enim Philtra Magica citra ullum præjudicium minime dubito, quemadmodum lepida et petulans illa eſt aſſertio, quaſi propterea ſupranaturales vires agnoſcendæ haud ſint, quoniam illarum modus eſſendi & fiendi nos latet: etenim cum poſt deplorandum lapſum humanum Satanas in nobiliorem hominis partem poteſtatem & acceſſum habeat, quid ni in ignobiliorem illius partem habebit: licet evidentia teſtimonia S. Scripturæ, quæ noſtrum aſſertum confirmant, frivolo et ridiculo modo invertantur et contorqueantur; ſed cum hæc Philtra Magica ſpirituali magis ratione efficacia ſint, ita ſpirituali modo curari debent; haud vero posſibile eſt, quod Diabolus, illiusque vires per Diabolum et ſimiles vires expelli queant, quin rectius eveniat, ut, ſi potentior in auxilium trahitur, debilior Spiritus omnino cedere debeat: hinc neque rationi neque experientiæ conſona & comprobata eſt illa traditio, quaſi per certas herbulas, aut verba, aut characteres talis magica corruptio abigi & emendari posſit; quid quod ab omni probo ac ingenuo homine longisſime abeſſe debent ſuperſtitioſæ curationes: de reliquo nulla auxilia in hac necesſitate utilitatem afferent, ſi ſinceræ aſſiduæ & calidæ preces nihil efficiunt.

§. XXV. Quando denique periculum Philtrorum ſuperatum eſt, tunc idonea præſervatoria cura præſcribi debet: præſtat itaque in futurum ordinarias excretiones in conſtanti ſucceſſu conſervare, præcipue vero ſangvinem juſtis temporibus ventilare & interdum alvum admonere: in quibusdam ſubjectis conducunt temperatæ Acidulæ & thermæ, imprimis etiam proficit tranquillitas animi & ſollicita abſtinentia a patheticis commotionibus: proinde commendari debet mobile vitæ genus, ut & ſufficiens humectatio corporis interna; non vero diu multumque remedia exhibenda ſunt, ne præſentes vires nimium offendantur; optima auxilia vero colliguntur e bona diæta & congruo regimine: ſi posſibile eſt, conducit matrimonium & quicquid ad animi moderamen & compoſitionem aliunde contribuit; omnes prodigæ excretiones nocent; quid quod ſedulo cavendum eſt, ne in tali ſubjecto plethora accumuletur: in virili ſexu interdum conducit præſervatoria applicatio hirudinum ad hæmorrhoidalia loca, nec non aliquando correcta aloetica remedia ad præſervatorios uſus reſervanda ſunt.

CASUS IV.
DE
FULMINE TACTIS.

§. I.

EX ſingulari plane divino judicio nonnunquam corpora mortalium cœlitus affliguntur & ſuccutiuntur, atque triſti & miſerando tali effectu offenduntur, ita, ut nonnunquam adeo percusſi homines ſimul & ſemel corruant & ſub tali judicio Dei naturalem vitam amittant: nonnunquam vero eousque alterantur, ut morti proximiores videantur, niſi adhuc levia veſtigia præſentis vitæ ſuperſint: in quo ſtatu propterea & in qua necesſitate repentina & efficax opitulatio efflagitatur, ſicut vicisſim etiam experientia docet, quomodo nonnunquam tales homines, Deo permittente iterumque benedicente e mortis faucibus extrahantur, modo tempeſtiva medela adhibita fuerit: interim tonitru percusſi homines utplurimum repente pereunt, fulmine vero tacti, aut fulgure offenſi, licet æque interdum repentina morte extingvantur, tamen aliquando iterum ſalvari poſſunt.

§. II. Quæ ad medicam obſervationem in hac afflictione præcipue ſpectant, quatuor palmariis indiciis & reſpectibus comprehenſa ſunt: unde in fulmine tactis & adhuc vita præditis advertendus eſt primo gravis ille et extremus terror, qui repente homines opprimit, qui ejus eſt efficaciæ, ut non modo repentinam mortem cauſari posſit, ſed et, ut animum & totam œconomiam vitalem repente perturbare queat, unde tam ſonticus & ſimultaneus terror communiter in mente confuſionem aliquam relinquit: & teſtantur propterea exempla, quomodo in talibus ſubjectis ex ejusmodi afflictione reſtitutis aliqua dementia aut fatuitas remanſerit, cujus circumſtantiæ etiam teſtimonium perhibet *Scaliger in Exercitatione 13. ad Subtilitates Cardani & Alexander Lib. 2. Probl. 88*: quid quod hic terror ejus eſt energiæ, quo impoſterum eximia quædam debilitas animi remaneat, ſiquidem ejusmodi terrificæ ideæ, quæ repente animum occuparunt tenacisſime in eodem reſident & ad futuras tales perturbationes contribuunt: hinc alia exempla proſtant, quomodo poſt talem calamitatem obliviosa mentis imbecillitas ſecuta, aut quomodo conſvetus animi ſtatus in priſtina ſua activitate perſonali valde immutatus ſit.

§. III. Deinde etiam & *ſecundo* in hiſtoria fulmine tactorum artifex ſtatim annotare debet repentinam & extremam inſpirationis interceptionem & ſuffocationis comminationem, ſiquidem fulgur ſubtile, volatile & valde penetrans ſulphur ſecum affert & inducit, quod pulmones ita inficit & obruit, quo repentina amisſio in reſpirationis negotio ſuperveniat: hinc fulmine tacti homines talem fœtorem ſulphureum de ſe emittunt; uti quidam ulterius aſſerunt, quod fulmine interemtos homines, horumque cadavera ob hunc fœtorem aves & canes non arrodant: & cum ob ejusmodi reſpirationis impedimentum etiam repentina mors inſultare queat, ita vicisſim cum tempeſtiva medela ſuccurrere debet artifex quo reſpiratio in priſtinam integritatem reſtituatur & halitus ille volatilis ſulphureus emendetur: eo magis diſcernere convenit, an jam reſpiratio penitus ſuppreſſa ſit, an vero tantum valde impedita occurrat.

§. IV. Porro & *tertio* in Hiſtoria hujus caſus Medicus animum dirigere debet ad concurrentem gravem læſionem, ſive combuſtionem corporis, quæ interdum non modo gradu diſcrepat, ut vel major vel minor exiſtat, ſed & quoad partium nobilitatem differt, quæ combuſtione tali affliguntur: eſt vero talis aduſtio valde ſenſibilis atque efficax, quoniam Ignis fulminis penetrabilitate ſua & potentia alium communem ignem valde ſuperat: inde etiam evenit, cur homines fulmine interemti ab hoc igne per intima corporis perfundantur, ut communicatum empyrevma ex omnibus partibus corporis transſpiret: exſerit vero ſeſe hæc combuſtio, vel cum magna partis læſione, vel cum eximia ſenſus offenſione: unde vicisſim contingit, ut vel ſenſus ſubito imminuantur, vel repente augeantur: hinc priorem ſtatum excipiunt affectus paralytici, poſteriorem vero ſequuntur ſpaſtici, convulſivi, inflammatorii &c: imo accidit præcipue in ſubjectis ſenſibilioribus ſangvineis & plethoricis, ut talem ambuſtionem mox Gangræna, quin denique Sphacelus conſequatur: unde conſtat, quam diſcreta ſpecies combuſtionis hæc ſit, quæ a fulminis contactu provenit, ut propterea in illius tractatione major vigilantia & dexteritas neceſſaria ſit.

§. V. Denique *quarto* ad illas circumſtantias, quæ in præſenti caſu Medicis obſervationibus annumerandæ ſunt, pertinet frequens & profundum animi deliquium, quod concurrit & cum terrore ſuccedente ſeſe conjungit: talis Lipothymia illius efficaciæ eſt, quo non modo inductæ læſiones citiorem noxam exſerant, ſed &, quo neceſſaria ſpontanea naturæ opitulatio deficiat & reliqua perturbatio, quæ animo & œconomiæ vitali illata fuit, magis confirmetur & ex concurſu ſingularum talium anomaliarum lethalis eventus eo citius excipiat; etenim cum in hac afflictione primario animus valde laboret,

ita Lipothymiæ concurſantes & contumaciores animi morbi, ſub quorum duratione in reliquo corpore non facile aliqualis emendatio & reſtitutio promitti & expectari poteſt, occurrunt: talis Lipothymia ſignificat extremam animi abjectionem & averſionem a præſenti calamitate corpori inducta: quare inſignes virium jacturæ una coincidunt, ita ut propterea eximium decrementum & magnus defectus ſenſus & motus neceſſarii adſit: cum vero ad utrumque reſtituendum animus & cura applicari debeat, ita hæc circumſtantia probe penſitanda eſt.

§. VI. In præſenti tractatione jam in genere quadantenus expoſita nunc aliæ adhuc conſiderationes inſtituendæ ſunt, ubi mox in mentem incidit, quomodo unquam rerum naturalium indagatores de variis ſubjectis & adminiculis differuerint, quæ a contactu fulminis præſervare debeant: uti jam inter Ethnicos illud dicterium innotuit: procul a Jove, procul a fulmine; cum rectius veritati reſpondeat contrarium aſſertum, quod Benignus Deus illos, qui in proximiori communione cum eodem conſiſtunt, non tanto horrendo modo perdat: alias vero traditur, quod laurus, Vitulus marinus, Aquila, Hyacinthus, Corallia, Ceraunius Lapis, a fulminis ictu præſervent: imo inde fluit, cur vulgo Sedum minus tectis imponatur, quia de eodem traditur, quod a fulmine præſervare debeat: & ſicuti talia experimenta veritati non reſpondent, ita illorum fallaciam jam demonſtrarunt *Scaliger Exercitatione 113 ad Subtilitates Cardani*, *Voſſius de idololatria*, *Gruterus in Theſauro critico*, *Dolæus in Encyclopædia chirurgica Lib. 6. cap. 4.* quemadmodum viciſſim experientiæ non ſatis conſonæ ſunt illæ traditiones, quod fulmen unum ſubjectum præ altero facilius attingat, ut *Camerarius in Memorabilibus medicis Centur. 13.* & *Keckermannus in Diſſertatione de Fulmine*, de felibus & canibus referunt.

§. VII. Quod itaque Hiſtoricum præſentis caſus conſpectum concernit, tunc circumſtantiæ interdum variant: quemadmodum quidam homines ex repentino & extremo tantum terrore ægrotant, nonnulli vero una cum fulgure læſi & violati conſpiciuntur: obſervatur itaque de præſenti in ejusmodi ſubjectis ſimultanea atque extrema virium dejectio, animi gravis imbecillitas & anguſtia, pulſus eſt debilis & interdum inordinatus, reſpiratio immobilis & irregularis, ſangvinis diſtributio per corpus externum eſt inordinata, ita ut membra magis frigeant quam caleant, niſi in aliquibus irregularis febrilis commotio accidat; interdum ſuperveniunt vomitus, nonnunquam præ ſumma conſternatione & alteratione excrementa involuntario emittuntur, præter illos dolores, qui ex inducta læſione ortum trahunt: interdum concurrit ſuſpecta inſenſibilitas, torpor, ſtupor & ſopor, ita ut patientes quaſi ſemi mortui decumbant: conſpectus externus, imprimis faciei, valde alteratus eſt, maxime

vero anxius, torvus & auſterus; quandoque mox mens turbatur & ſi non ſoporoſæ afflictiones ſuperveniunt, tamen amentia quædam gradu diſcreta occurrit.

§. VIII. Proinde etiam talia phænomena inculcanda & annotanda ſunt, quæ in futuro hujus caſus conſpectu occurrunt, unde in quibusdam ſubjectis remanet aliqualis animi infirmitas & ſi non perfecta fatuitas, tamen ſpecialiorum quarundam mentis operationum hebetatio; neque tantum talis infirmitas internos ſenſus detinet, ſed etiam externos ſenſus affligit: quare in quibusdam remanet obſcuratio viſus, aut perfecta coecitas; in nonnullis gravitas auditus, aut completa ſurditas; in aliquibus balbuties: ſicuti ejusmodi obſervationes commemoravit *Adalbertus Tylkowsky in ſua Meteorologia*: quandoque remanent in læſis corporis partibus vel ſtupores, vel tremores, vel ſpaſmodici dolores, quales ſpaſmi illis præcipue temporibus denuo exacerbantur, quando ejusmodi tempeſtates ingruunt; in nonnullis excipit ſuſpecta quædam paralyſis, quæ in futurum in periculoſam Apoplexiam inclinat; aliquando excipiunt affectarum partium ariduræ & contracturæ, quidquod varii langvores variæque anomaliæ in œconomia vitali; quandoque etiam in talibus ſubjectis non modo animus turbatur & mutatur, ſed & ipſius reliqui temperamenti inverſio accidit.

§. IX. Ad hanc hiſtoricam præſentis caſus explicationem nunc adhuc Prognoſticam illius deductionem refero: eſt vero talis caſus, in toto ſuo ſtatu conſideratus, admodum periculoſus & quotquot repentinæ virium & motuum amisſiones inſultant, illæ non facile aliquam, ad minimum non perfectam, reſtitutionem admittunt, quid quod ita afflicti homines, etiamſi mortis periculum evaſerint, tamen vix diu in futurum vitam protrahunt, ſed quotidianis infirmitatibus & calamitatibus oppresſi, miſere vitam degunt, unde magis in decrementa motuum inclinant: quemadmodum in futurum affectus paralytici, hemiplectici, apoplectici, ſyncoptici & ſuffocativi ſuperveniunt: nonnunquam tabes quædam & Hectica accidit, animus interim atque vires magis magisque concidunt & rigor vitalis & naturalis imminuitur; tanto pejus vero ſignum eſt, quando & animus & corpus ſimul penitus mutantur; neque etiam illa animi vitia, ſive ſtupor & ſopor, ſive fatuitas & furor, qui ex hoc caſu ortum traxit, facile emendationem ſuſcipit, unde liquet, quam ſonticus & ſuſpectus quolibet tempore hic ſit caſus; neque oblivioni tradenda eſt *Senecæ* & *Plutarchi* aſſertio, quod corpora fulmine tactorum putredinem non experiantur.

§. X. In cauſali hujus caſus deductione primario ratio habenda eſt gravis illius animi alterationis, dum non modo terribilis talis idea in animo reſidet

ſidet, ob quam omnis neceſſarius vigor delinquit & potius anxietas, tergiverſatio & averſio corripit, unde etiam vires neceſſariæ deficiunt, neque ob illam animi conſternationem facile redeunt: inde etiam eſt, cur tam repente & extreme alterata anima, vel in moralibus ſuis negotiis tam extreme confundatur, ut operationes ſuas in futurum confuſe & turbulenter exerceat, ſed etiam accidit, ut propterea vel ſimul & ſemel neceſſarii motus, ad vitale negotium applicandi, ceſſent & delinquant, vel ſucceſſive omittantur & conſequenter reliquum corpus ſucceſſive a viſibili ſua firmitate diſcedat: tanto magis vero talis motuum vitalium ataxia & confuſio ſupervenit, quo magis ipſum coprus ſub tali terrore una læſum fuit, unde eo major averſio a tali calamitate in animo remanet, ut propterea ægerrime vires atque motus in talem violatam partem redeant, ſed ob inſignem animæ afflictionem non modo oeconomia morum, ſed & œconomia vitæ penitus convertatur atque perturbetur.

§. XI. Progredior nunc ad Practicam præſentis caſus tractationem, quæ, quo ſecurior & utilior ſit, ordine primo in privativo ſuo ſtatu explicanda erit: quo itaque in tali afflictione conſilia & auxilia melius cedant & ſuccedant, cavendum eſt: 1) a retardata medela, quæ permittit, quo repentinæ afflictiones ad funeſtum eventum properent: 2) ab evacuationibus impetuoſis & craſſis, quæ labefactatas vires eo magis deſtruunt; 3) a remediis potentioris efficaciæ calefacientibus & humores valde impellentibus; 4) viciſſim etiam a medicamentis motus potius deſtruentibus & perturbantibus, qualia ſunt narcotica; 5) a præſentis plethorici ſtatus negligentiori tractatione; 6) ab ordinariarum evacuationum incurioſa promotione; 7) a virium languentium negligentiori erectione; 8) a dolorum concurrentium majori exacerbatione, aut negligentiori lenitione; 9) a remediis externis acribus & moleſte ſtimulantibus; 10) a curatorio volatilium uſu; 11) a medicamentis adſtringentibus, humores incraſſantibus & vias obſtruentibus & denique 12) a negligentiori præoccupatione futurarum ſuſpectarum conſecutionum.

§. XII. In poſitiva præſentis caſus curatione ſequentes proceſſus cum afflicto homine inſtitui debent: convenit itaque, quo patiens ſine ulla mora ad congruam quietem transferatur & deinde tempeſtive in extremo tali languore reficiatur, aut ad aliqualem ſenſum & motum revocetur; imprimis, quando hi motus penitus deficere videntur: ante omnia vero confeſtim liberandus eſt patiens a veſtimentis ſuis valde olidis & Sulphureo ſuo foetore adverſis, aut ſenſus magis opprimentibus: deinde offerri debent naribus cum moderamine talia ſubjecta, quæ ſenſationem excitant, velut Spiritus quidam temperatus volatilis oleoſus, circa cujus uſum illa cautela eſt ſervanda, ne exceſſus committatur, alias ſuſpecta perturbatio vertiginoſa inſequitur: convenit etiam temperatus

tus uſus Balſamorum ſuaveolentium oleoſorum; abſtinendum tamen eſt a Caſtorinis: concedi inſuper poſſunt Sternutatoria, modeſte operantia & proinde externus Vini boni uſus non parum reficit: quo adhuc ſpectant Aquæ ſvaveolentes & pro uſu interno analepticæ, una cum aliis auxiliis vires reficientibus, quo ipſe uſus Vini, Confectionis Alkermes cum Cinnamomo & de Hyacintho, nec non Emulſionum ſvaveolentium & ſapidarum pertinet.

§. XIII. Pro ulteriori excitatione & reſocillatione afflictorum talium ſubjectorum conducit, quo ejusmodi homines mox abluantur, ſive cum Aqua, ſive cum Vino, ſive cum Lacte, remisſius calidis, ſiquidem Lac, præcipue in locis combuſtis & cum multo dolore & ardore afflictis, convenit: proinde proficiunt modeſtæ frictiones cum linteaminibus calidis in partibus integris inſtituendæ, quo ſangvis ad juſtum ſuum progreſſum & æqualem diſtributionem promoveatur: ſubinde etiam conducunt Suffimigia temperata cum moderamine adhibita; ſub illa cautela, ne pulmones admodum offendantur & pro ejusmodi Suffimigiis conſerunt ſpecies ſvaveolentes, ut Maſtix, Benzoes, Storax Calamita, Succinum, Lignum Rhodium, flores & herba Lavendulæ & Roriſmarini, ut & herba Mari veri & Serpilli, qualia Suffimigia tamen non nimis frequenter repetenda ſunt: quando etiam talia ſubjecta evidenter plethorica ſunt & tanto magis antehac plethoræ commotionibus & imminutionibus adſveta fuerunt, tunc confert tempeſtiva, ſed etiam modeſta Venæ Sectio in brachio inſtituenda, quæ tamen neque excesſive ob præſentem nimium virium langvorem, neque defective ob alterationem expectandam adminiſtrari debet.

§. XIV. Proinde per interna auxilia eo allaborandum eſt, quo necesſariæ commotiones vitales iterum modeſte excitentur & in ordinem juſtum provocentur: quare aliquando occaſio & necesſitas requirit, quo cum clyſmate leniente & moderate roborante artifex ſubveniat: deinde ad motum ſangvinis & æqualem hujus diſtributionem excitandam, conveniunt temperata alexipharmaca, cum regimine modeſto & quieto ſublevanda, quales Eſſentiæ, cum una ad Diureſin adjuvandam conducant, propterea in hac necesſitate perquam proſunt: tales ſunt Eſſentia Vincetoxici, Helenii, Caryophyllatæ, Pimp. alb. & Succini: inſuper vero præoccupare debet Medicus, ne contrariæ quædam commotiones ſe ſe intermiſceant, quo loco conducunt pulveres temperantes ex abſorbentibus remediis, Coralliis rubris præparatis & Nitro parati; neque utili efficacia deſtituuntur congruo tempore adhibitæ Species de Hyacintho: & quando ſuperveniunt febriles quædam commotiones, tunc prælaudati pulveres Nitroſi & Potiones ex Aquis reſolventibus, diapnoicis & analepticis cum abſorbente remedio commixtis paratæ, aut Julapia parcius acidulata, vel emul-

emulſiva in præcedentibus laudata conveniunt, ſervato illo modeſto regimine, quo tranſpiratio legitime ſuccedat.

§. XV. Neque quidem interea prudens & ſollicitus artifex ominoſiora ſymptomata alia negligere, ſed tempeſtive mitigare debet: ex hisce præcipue eminet Surditas, quæ repente occupavit, pro qua emendanda adhibenda ſunt extrinſecus diſcutientia & nervina, velut Sacculi e ſpeciebus nervinis parati, Fomenta nervina, Spiritus Vini Camphoratus, cum Spiritu Rorismar. Serpilli & Eſſentia Croci mixtus, aut Oleum Chamomel. deſtillat. Oleum Succini, quæ in parcisſima quantitate auri applicanda ſunt: ſicut etiam modeſtæ frictiones nuchæ & ſcapularum ad reducendum auditum inſerviunt: ſimile periculoſum accidens eſt momentanea obmuteſcentia, pro qua emendanda tempeſtiva Venæ Sectio, alvi liberatio, nec non uſus revellentium convenit: proſunt etiam Aquæ ſpirituoſæ ad aliquot guttas intra os dimittendæ; ſicut in paralytico linguæ ſtatu parcus uſus Olei Cinnamomi ſub linguam applicandi convenit: quando repentina cœcitas ingruit, tunc extrinſecus frictiones, moderatæ rubefactiones & applicationes nervinorum remediorum ad oculos conferunt: quo etiam ſpectant illa collyria humida, aut emulſiva cum Camphora & Croco, ut & Tutia præparata facta, intra oculum transferenda.

§. XVI. Ratio etiam habenda eſt actualis illius læſionis, quæ per combuſtionem accidit, cui tempeſtive ſuccurrendum eſt, ne corruptio quædam funeſta ſuperveniat: vulgo quidem ad demulcendum ardorem Lac pingve & a nonnullis muliebre commendatur, cum quo pars offenſa ablui debet; rectius vero conveniunt talia, quæ empyreuma extrahunt aut extinguunt: quo nomine nonnulli Cremorem Lactis cum cepis aſſatis & tantillo Nitri mixtum commendant: quo adhuc ſpectat oleum Liliorum alborum, oleum raparum & mucilagines, inprimis Seminis Cydoniorum ut & Albumen Ovorum, qualia extrinſecus parti offenſæ modice applicanda ſunt: & hæc eadem etiam urgentem ardorem leniunt, ſicut Aqua Roſarum, Oleum Spermatis Ranarum, Ceruſſa alba præparata eandem utilitatem exhibent: ſi majores veſicæ comparuerint, tunc eædem tempeſtive aperiendæ ſunt, quibus poſthac applicari poteſt Linimentum ex Oleo Liliorum alborum, melle, mucilagine Seminum Cydoniorum, Oleo Spermatis Ranarum, Ceruſſa alba, Maſtiche & tantillo Myrrhæ atque Croci: in ambitu ordinanda ſunt diſcutientia & modeſte lenientia, ut & remisſius reprimentia, ſive fuerint Cataplaſmata ſive Emplaſtra, quo etiam modeſtus uſus Camphoræ & Croci ſpectat: excoriationes reſiduæ denique per eſcharotica & modeſtum uſum Emplaſtrorum Saturninorum curandæ ſunt.

§. XVII. Quando hæc afflictio penitus curata fuit, tunc in futurum proſpiciendum eſt, ne aliqua incommoda remaneant, qualia periculoſis conſecutionibus anſam præbent: unde impoſterum in ejusmodi ſubjectis animus in bona tranquillitate conſervandus eſt: deinde conducit diæta reficiens, modica tamen & ab omni exceſſu aliena, quid quod conferunt Balnea nervina, modeſtæ commotiones corporis, peregrinationes non defatigantes, ſed animum potius reficientes & qualiscunque animi licita honeſta & pia excitatio: omnis exceſſus in quacunque actione noxius eſt, quæcunque vero adminicula interne & externe mitiorem nervinam efficaciam habent, illa in talibus ſubjectis admitti poſſunt: pluribus de tali caſu conferatur *Hildanus in Tractatu de Combuſtionibus, Capite 16. obſ. chir. cent. 3. obſ. 26. Joan Daniel Major Diſſ. de Fulmine Tactis, Reſer Diſputatio de Fulminatis, Paracelſus in chirurg. magn. lib. 1. tr. 3. c. 9. de ambuſtione ex fulmine. Paulus Zachias in Quæſt. med. leg. lib. 2. tit. 1. qu. 15. lib. 5. tit. 2. qv. 15. Grulingius med. cur. cent. 3. obſ. 37. A. N. C. Decur. 1. anno 2. Obſerv. 37. in Scholio & anni 3. Obſerv. 182. Decur. 2. Anno* 8. *Obſerv. 213. Anno 4. Obſerv. 89, Decur. 3. Anno 9. 10. Obſerv. 80. Centur.* I. & 2. *Obſerv. 28. Schenkius obſ. med. fulmine attoniti & reſtituti, Sennertus, Zwingerus Theatr. vit. hum. Vol. 2. lib. 3. de fulmine læſis*; & varii alii, ubi diverſi caſus pro illuſtratione præſentis tractationis proponuntur.

CASUS V.

DE

IMPOTENTIA VIRILI.

§. I.

Negotium generationis & propagationis humanæ eſt omnino, ſi intra certos limites permanet & neceſſarium & ad futuram ſocialitatem humanam utile, ſicut ipſa illa indoles hominum ſatis aperta eſt, qua conſortium quoddam & ſocialitatem deſiderant & in hac non modo proprios ſuos, ſed etiam aliorum uſus & fructus quærunt & promovent; cum vero hoc negotium præcipue procreationem & multiplicationem totius hominis concernat, quo ad hanc animalem & mundanam communionem atque ſocietatem præcipue corporum propagatio pertinet, ita hoc reſpectu omnino functionibus naturalibus generatio & multiplicatio hominis tanquam individualis formatio erit

erit accenſenda, quare ad oeconomiam vitæ animalis hæc propagatio omnino referri meretur: interim ἀδυναμία generandi in genere humano non infrequens eſt, proptereaque ſingularem defectum indicat, per quem aliquid homini decedit, quod tamen ad eundem maxime pertinet: unde multam afflictionem dat illis, qui augendæ & propagandæ familiæ ex privato quodam commodo intenti ſunt, licet in eo etiam generale commodum hæreat.

§. II. Hæc impotentia propagandi genus humanum non eſt uniformis, ſed ſicut ad negotium generationis diſtinctus ſexus pertinet, ita ex unius cujusvis culpa, cauſa, concurſu & afflictione defectus ille ortum trahere poteſt: quoniam vero maſculinum dignius eſt foeminino, ita hoc ordine de impotentia virili tractare lubet & proxime conſiderationem Sterilitatis foeminarum ſubjungam: etenim in hoc negotio generationis vir principaliorem perſonam atque cauſam exhibet & conſtituit, a quo principium generans & corpus ſtruens provenit, ſine quo principio reliquus actus congruæ generationis non procedit, ita ut in foeminarum poteſtate non ſit citra concurſum maris concipere & perfectum fœtum geſtare, licet foeminarum natura deformem & irregularem molem documento monſtroſæ molæ congerere & producere queat: quando itaque caſus ille in vita humana ſatis frequens infoecundi matrimonii, aut difficilis & tardæ conceptionis & generationis occurrit, tunc ob dignitatem principii formantis Medicus, qui in conſilium trahitur, primario circumſtantias in mare occurrentes perluſtrare & an aliqua culpa in iisdem hæreat, obſervare & indicare debet, ſicut interdum etiam inter homines occurrit illa circumſtantia, quomodo certa individua ad hoc negotium generationis per hæreditariam diſpoſitionem ineptiora ſint.

§. III. Quando præſentem virilis impotentiæ conſiderationem ſecundum veterum mentem perluſtro, tunc variæ obſcuræ, effictæ & ſuppoſitæ cauſæ paſſim circumvolant, quæ ætiologicum hujus negotii reſpectum haud illuſtrant: etenim a multis accuſatur famoſa corporis intemperies, ſive nimis frigida, ob quam nulla conveniens humorum præparatio & coctio fieri traditur, ſive nimis calida, cui imputatur, quod ſubtiles & ſpirituoſas ſangvinis partes conſumat, ſive nimis humida, de qua prædicatur, quod alios humores nimium diluat & inertiores reddat, ſive nimis ſicca, quæ & humores & vias arefacit, adeoque ad hanc operationem hebetat: proinde alii culpam in Spirituum defectum conjicere ſciunt, ſicuti in intemperiei accuſatione alii cordis, alii cerebri, nonnulli hepatis & quidam teſtium intemperiem & facultatem præparantem læſam inculpare volunt, quæ ſingula traditio vero obſoletis illis opinionibus, vera demonſtratione deſtitutis, nititur; neque quidem illa antiqua differentia inter impotentiam coeundi & generandi adeo multum in receſſu habet,

 licet

licet prior denotet illum affectum, quando maſculi plane non cum fœminis cohabitare poſſunt poſterior vero non quidem priorem impotentiam involvit, attamen reliquum defectum, ob quem fœcundatio violatur, infert.

§. IV. Placet nunc paulo propius ad explicandum præſens negotium accedere & brevibus primo hiſtoriam impotentiæ virilis recenſere, quæ licet ex ipſo effectu ſatis manifeſta ſit, dum infœcundum & ſterile matrimonium involvit, attamen in eo ſæpius hæſitatio occurrit, quæ ſubjecta maritata ſollicita reddit, quo videlicet culpa præcipue conjicienda ſit, dum interdum nullum externum vitium, vel in generali conſpectu, vel in partibus ad generationem neceſſariis occurrit: unde quidem ſatis intricata eſt diagnoſis in tali paſſu & difficile quandoque eſt, culpam in ſubjectum quoddam vertere, niſi interdum alterum matrimonium hoc dubium ſolvat, alias vero in detegenda vera cauſa Medicus animum eo dirigere debet, quo in ſubjecto, de quo ſuſpicio adeſt, cauſas quasdam evidentes ſignificet: exſerit ſe ſe propterea talis impotentia virilis, dum maritus cum conjuge legitimo modo concumbere non poteſt; vel, dum ſub ipſa cohabitatione mox eximium quendam defectum neceſſariarum virium & repente ingruentem languorem tum animi, tum partium experitur; vel quando hæc cohabitatio legitime quidem perficitur, attamen ſoecundatio exoptata deficit; omnium maxime vero aliqua certitudo & evidentia ex obſervatione alterationis in corpore eluceſcit, inprimis quando in partibus ad generationem neceſſariis manifeſtum quoddam vitium deprehenditur.

§. V. Quando hujus Impotentiæ cauſas diverſas perluſtrare animus eſt, tunc illarum multiplices ex hiſtoria medica inclareſcunt, ex quibus quædam in animo, nonnullæ vero in corpore hærent: quod animum concernit, tunc merito accuſandus eſt ille profundus atque tenax diſſenſus, qui in marito occurrit, quo a genio ac indole conjugis ſuæ penitus differt, ſiquidem viciſſim ad ſoecundum matrimonium animarum æqualitas atque conſenſus multum contribuit & ita in moralibus ſatis patet, quoties & in quantum hæc diverſitas & averſio animorum actiones, in aliqua ſocietate adminiſtrandas, turbet, diſtrahat aut penitus ſufflaminet: & talis diſſenſus non æque in tranſitoria quadam ac domeſtica altercatione conſiſtit, adeoque accidentalis audit, ſed potius ſubjectis maritatis per rationem temperamenti ſui eſſentialis eſt, ut ita in ejusmodi connubio & conjugio omnes operationes valde offendantur & perturbentur, adeoque in hoc ſubtili actu generationis nihil ad verum & deſideratum effectum & eventum pervenit, ubi culpa partim in marito, partim in conjuge hæret; licet interdum accidat, ut unius ſubjecti tantum ſingularis averſio & diſſenſio magis innoteſcat: deinde animus propter impotentiam virilem inculpari poteſt, quando multis frequentibus & quotidianis patheticis commotio-

tionibus immerſus eſt & illis quidem contumacibus & immodicis, maxime vero talibus, quæ aliqualem averſionem & anguſtiam involvunt, ut ſunt terror, metus, triſtitia & ſollicitudo.

§. VI. In corpore proinde multiplices ſane occurſant cauſæ, quæ ad impotentiam conciliandam contribuere obſervantur, ex quibus aliquæ complectuntur vitia humorum, nonnullæ vero partium ſolidarum depravationes comprehendunt: quemadmodum ad generationis negotium ſubjecta ſana & animo & corpore integra requiruntur, ita vicisſim morboſa conſtitutio non parum ad impotentiam inferendam confert: quando itaque mariti intricatis chronicis affectibus laborant, aut cum ſcorbuticis, venereis, cacochymicis, ictericis, hecticis, hypochondriacis acerbioribus & pluribus aliis morbis afflicti ſunt, tunc exinde ſuccesſive impotentes redduntur: ſiquidem non modo ipſe animus in tali afflictione compatitur, ſed & ob humorum dyscraſiam ſpecialis depravatio ſpermatis ad hanc ineptitudinem generandi diſponit: præterea non male quidam Doctores obſervarunt & inculcarunt, quod & nimia humorum abundantia, nimiusve illorum defectus hanc ſterilitatem provocet: inprimis vero animus dirigendus eſt ad ſangvinis ſuperfluam copiam, qua corpus mariti ita oneratur & moleſte afficitur, ut ad generationem futuram ſubtile quoddam tædium & faſtidium concurrat; haud tamen facile aliorum humorum abundantia, niſi ad morbos inferendos properet, impotentiam talem cauſatur; ita perinde magnus defectus ſangvinis & prægreſſæ graves & frequentes Hæmorrhagiæ animum & corpus hebetant & ita ad negotium generationis iners reddunt.

§. VII. Deinde in ipſis partibus ad generationis negotium ſpectantibus variæ qualitates occurrunt, quæ impotentiam virilem cauſantur: ſiquidem ab ipſa ſtatim nativitate interdum talis deformatio occurſat, quo minus virilis poteſtas exinde ſperari queat: nonnunquam obtingunt vitia conſpicua magnitudinis & reliqui roboris in partibus genitalibus; interdum teſtes ſunt varicoſi; aliquando vaſa deferentia ſunt disrupta; nonnunquam teſticuli intrinſecus latent; quandoque paraſtatæ ſunt induratæ; adeſt etiam inſuper Hernia, aut diſtorſio partium, vel ob inductam unquam violentiam in partes genitales excipit morbida laxitas & debilitas illarum; interdum Sperma eſt nimis dilutum, adeoque minus ſufficienter coctum & præparatum: nonnunquam ad talem impotentiam virilem diſponit præmatura, aut etiam prægreſſa immodica Venus, vel gravis & contumax Gonorrhœa virulenta, ſicut præcipue perverſa hujus curatio ad hanc impotentiam conciliandam ſatisfacit: adeſt interdum paralytica afflictio membri, per quod vir eſt; quandoque nimium frigus & nimia contuſio partibus genitalibus inducta, hanc impotentiam cauſantur: ali-

quando incautius adhibita remedia diuretica & aphrodiſiaca eundem defectum virilem producunt: ſicut vicisſim exempla proſtant, quomodo improvidus uſus & applicatio remediorum mercurialium ad loca genitalia eandem impotentiam concitaverit; miſſis pluribus ſpecialiſſimis cauſis, quarum pasſim obſervatores reminiſcuntur.

§. VIII. Inter illas cauſas, quæ ad impotentiam virilem contribuunt, allegantur etiam pasſim inductæ faſcinationes & mala artificia, quorum memoriam vulgo injiciunt *Torreblanca*, *Delrius*, *Codronchius*, *Gvaccius*, *Arnoldus Villanovanus* aliique: neque deſunt, qui veneficia naturalia recenſent, quibus impotentia virilis inducta dicitur: ſicut *Zachias Quæſtionum Medico-Legalium Lib. 3. Tit. 1. Quæſt. 5. Nro 17. & ſequentibus* teſtimonia ex aliis autoribus de Mentha, Ruta, Coriandro, Pulegio, Lactuca, Cicuta, Vitice et Camphora profert: inde etiam innotuit Salernitanæ Scholæ verſiculus de Camphora, quaſi mares caſtret; licet caſtratio illa non ad actum generationis, quam ad actum olfactus referenda ſit: & quamquam per naturalia quædam media actus generationis in maſculis turbari posſit: tamen non omnes illæ hiſtoriolæ, quæ de ejusmodi mediis circumferuntur veritati reſpondent: neque propterea penitus negari poteſt, quod per alia prava & ſuſpecta artificia illa impotentia posſit conciliari, licet *Würdigius* fabuloſo modo etiam in talibus caſibus in Spiritus illos fictos & lepidos culpam conjicere contendat, aliique ridicule aſſerant, quod quidem Diabolus, ut Spiritus non potentiam habeat in corpus, ſed in Spiritus, quos confundere & ligare debeat: ſicut vero olim Diaboli poteſtas in corpus animale variis exemplis ſeſe probavit, ita nunquam bonus, ſed ſemper malus præſumendus eſt hic magnus generis humani hoſtis.

§. IX. Quam multiplex vero & quoad efficaciam diſcrepans eſt cauſarum ſeries, quæ ad præſentem affectum contribuere ſolet, tanto majori circumſpectione etiam opus eſt, quo diverſitati cauſarum medicus ſatisfaciat & ne a vero ſcopo aberret in privativa therapia impotentiæ virilis, cavendum eſt 1) a fortioribus & immoderatioribus evacuationibus, quæ vires motus & corpus graviter turbant 2) a remediis internis & externis, vias atque humores valde commoventibus, præcipue 3) a ſubjectis extrinſecus partes ſenſibiles genitales immoderate ſtimulantibus & inter hæc maxime 4) a poſitive cauſticis & quidem 5) a communi & liberali cantharidum uſu, nec non 6) ab opiatis remediis 7) a neceſſariarum excretionum perturbatione & ſuppresſione 8) a volatilium remediorum uſu interno promiſcuo & copioſo 9) nec non a communi diureticorum oblatione, ut & 10) a negligentiori conciliatione & tractatione præſentis & urgentis plethoræ 11) ab experimentis nimium nutrientibus, aut ſimul valde incraſſantibus, adeoque ſimultaneam alterationem inducentibus; deni-

que

que 12) a variabili & inconſtanti methodo medendi, ut & a curis ſuperſtitioſis omni ſtudio abſtinendum eſt.

§. X. In ſpecialiori & magis poſitiva therapia impotentiæ virilis ante omnia genuinæ cauſæ inquirendæ & agnoſcendæ ſunt, ad quas reliqua medicatio rite applicanda eſt: quando itaque morbida quædam afflictio ſive generica ſive ſpecifica in culpa eſt, tunc pro eadem expugnanda artifex primario ſtudium adhibere debet, cum non conſultum ſit immediate hunc actum potentiæ virilis exſtimulare velle: & quando ad præſentem defectum generationis vitia conformationis, actualis læſio, disruptio, varicoſa oppletio, hernioſa afflictio contribuerunt, tunc pro illis cauſis, quantum fieri poteſt, abigendis e fonte chirurgico magis labor applicandus eſt: quodſi vero a prægreſſa venerea inquinatione, aut confirmata atonia hæc impotentia ortum traxerit, tunc ferme impoſſibilis erit reſtitutio; neque etiam Medicus diſſenſum illum animorum curare poterit, unde neque abhinc pendentem impotentiam virilem corriget, quare non niſi pauciores cauſæ ſupererunt, in quibus manus artificis aliquid valebit, quibus ipſis vero vicisſim tempeſtiva opitulatio ferenda eſt: nam quando jam in aliquem habitum degenerarunt, tunc ægerrime eædem auferri poterunt: tanto minus conveniet ad expugnandas tales cauſas immoderatis methodis uti.

§. XI. Neque tamen penitus Ars Medica ita deſtituta eſt, quo in impotentia virili abſolute nihil emolumenti afferre queat: unde in ſubjectis valde plethoricis tempeſtiva ſufficiens & repetita Venæ Sectio neceſſaria erit, cum qua in futurum diæta tenuis, humida, diluens, neque valde alimentoſa conferenda eſt: quando etiam contingit, ut ob alteratam conſiſtentiam ſpermatis hæc impotentia virilis ortum traxerit, tunc nimia illius aquoſitas atque fluiditas emendanda eſt per remedia mucilaginoſa, gelatinoſa, hordeacea, gelatinas C. C. crurum vitulinorum, ut & per nucleos pingves, amygdalas, nuces, pineas, caſtaneas, nec non per pultacea farinacea & cibos paululum incraſſantes duriores, maxime piſces, quo ſpectant acidulata remedia, moderato uſu adhibita: & ſi ſperma nimis ſpiſſum fuerit, conducit ſufficiens humectatio humorum & corporis per ſufficientem potum, quo interdum in ſubjectis ſpongioſioribus internus acidularum & thermarum uſus confert: nec non huc contribuunt ſub diæta aromata & vinum, conjuncto ſufficienti motu corporis: quo interdum temperatus uſus balneorum, ſive artificialium, ſive naturalium conducit; cavendum tamen eſt, ne ſpermatis attenuatio nimio impetu urgeatur, interim pro eadem adjuvanda per intervalla Mixtura e Tinct. ant. tart. & Spir. C. C. parata adhiberi poteſt.

§. XII.

§. XII. Quando defectus naturalis ſtimuli ad compreſſionem matrimonialem adeſt & potius langvor, aut ſegnior affectus venereus potentiam generandi infringit, tunc vulgo commendantur & proſunt communia illa auxilia hanc naturalem libidinem quaſi excitantia: quo nomine conducuut ipſum vinum generoſius, nec non aromata, vinum aromatiſatum, diæta lauta & bene nutriens, lacticinia, pulpamenta, amygdalata & cinnamomiſata, emulſiones, piper, Zingiber, Synapi, Zingiber conditum, potus ille exoticus Choccoladæ nomine veniens & in ſubjectis tranquillioribus balſama oleoſa, trageæ aromaticæ, Confectio Alkermes completa, ut & ſvaveolentia, Ambra & Moſchus, quo etiam Eſſentia Ambræ pertinet: huc ſpectat modicus uſus ſalium volatilium in liquida forma cum Eſſentia ſuccini & Ambræ remixtorum: haud ſecure vero pro uſu interno Cantharides conferunt; & licet vulgo Eſſentia Satyrionis, imprimis ex ore Hartmanni & Crollii in tali paſſu laudetur, tamen circa illius certum & conſtantem uſum experientia adhuc conſulenda erit: multum proinde in hac neceſſitate conferunt diætetica; opium licet ad eandem circumſtantiam commendetur, nihil tamen proficit: diuretica mitiora in hoc paſſu non penitus contemnenda ſunt, quippe quæ ſingula adminicula in partes genitales aliqualem ſtimulum immitunt.

§. XIII. In ſubjectis ſpongioſioris habitus non inutiles deprehenſæ ſunt thermæ & acidulæ cum temperamento adhibitæ, interpoſita diæta vinoſa & aromatica: non minus conducunt balnea nervina; ab externis vero acribus & ſtimulantibus, ut Pyrrethro, Helleboro & Euphorbio maximo ſtudio abſtinendum eſt: & quo reliqvus langvor, laxitas & debilitas in partibus genitalibus emendetur, tunc conveniunt topica roborantia & modeſte irritantia, cataplasmata, fomenta & ungventa nervina; cavendo ne concentratiora incaute vel nimis frequenter adhibeantur, e quorum uſu ſuſpecta partium excoriatio provenit: conveniunt etiam extrinſecus Spirtus Serpill. Rorismar. Formicar. cum Eſſentia Ambræ mixti: proſunt itidem Balſama oleoſa nervina, nec non modeſtæ frictiones; urticationes vero aliæque fortiores irritationes partium genitalium, de quarum uſu ad venerem provocandam *Paulinus*, *Cælius*, Meibomius & Bartholinus ſcripſerunt, non admodum ſecuræ ſunt, cum rectius cum maxima lenitate præſentis laxitatis virilis emendatio ſuſcipienda ſit: & licet de Radice Pyrrethri autores magnas promiſſiones proferant, tamen circa illius uſum, quando cum nervinis remediis miſcetur, maxima temperies commendanda eſt.

§. XIV. Denique etiam mentio facienda eſt impotentiæ virilis per faſcinum provocatæ, ad cujus curam varia experimenta dubia, partim ſuperſtitioſa, partim plane impia paſſim commendantur, ubi quidam Diabolum

cum

cum Diabolo expellere haud verentur: nihil conferunt vomitoria & quid Betula, Hypericum, Valeriana, Abrotanum, Antirrhinum, Adiantum album & nigrum, Origanum, Plantago aquatica, aquilegia, Momordica, Ricinus Americanus, Herba Paris, Artemiſia rubra, Contrayervæ, Ariſtoloch. rot. Burrhii Emplaſtr. Anti-Diabolicum, Suffimigium cum dente capitis viri mortui, Mictio per annulum ſponſalitium ante & poſt copulationem, coctio urinæ cum foliis Ricini, ſuffimigium ex maxilla cadaveris maſculini, Mictio per nodum aſſeris extruſum, Raſura annuli ſponſalitii cum potu vini, Mictio per annulum epitaphii & multa alia experimenta, quorum reminiſcuntur *Etmullerus*, ubi de hac materia tractat, *Bonetus in Polyalthe*, *Carrichterus* in *Herbario* von Zauberiſchen Kranckheiten / *Agricola in Chirurgia parva*, *Codronchius de Morbis veneficis & veneficiis*, utilitatis afferant, circumſpiciendum eſt, optima medicina præ ejusmodi artificiis conſiſtit in serioſis, conſtantibus & devotis precibus, quo interdum accidit, ut illa ſubjecta, quæ talia artificia commiſerunt, eadem denuo ſolvant.

CASUS VI.

DE

STERILITATE FOEMINARUM.

§. I.

ACtum fuit de virili impotentia, cui conſiderationi nunc ad latus pono tractationem de fœminarum ſterililate, quæ quidem pasſim a Doctoribus, quotquot fœminarum morbos commendarunt, propoſita & expoſita obſervatur: neque quidem infrequens eſt hæc ſterilitas, ſed ſua frequentia virilem impotentiam præcellit, propterea que in Medicina practica curatius introſpicienda & enucleanda eſt, quo illæ cauſæ, quæ ad hanc frequentiam ſterilitatis contribuunt, magis inclareſcant, uti etiam ſolers obſervatio omnino teſtatur, quomodo in ſequiori ſexu non modo numeroſiores quædam cauſæ, ſed ſubinde etiam efficaciores ad fœcunditatem humanam infringendam concurſent, quæ cauſæ vero, quomodo ex parte huic ſexui magis propriæ eſſe ſoleant, imo quomodo ad hanc ſterilitatem inducendam conferant & quomodo denique ſcite & perite tractandæ ſint, majori ſtudio indagandum eſt, ne animus per cauſas vel nimis genericas & communes vel ſuppoſitas &

ſup-

ſuppoſititias circumvagetur, ſed in tam arduo negotio, etiam certo, indubio, & ſolido fundamento potiatur, quo deinde tam in diagnoſi & prognoſi, quam in ſubordinata therapia omne vanum & cæcum conamen & tentamen evitetur & ſi qua artificialis opitulatio procurari poteſt, illa etiam legitime adminiſtretur.

Conf. Stahlii Diſſ. de ſterilitate Fœminarum.

§. II. Ab omni quidem medicinæ practicæ ævo ſterilitatis fœminarum negotium ſecundum diverſas cauſas fuit perluſtratum, in quo cauſarum numero merito ſuperior quædam vis atque directio annotanda erit, ſicuti infantes ſunt donum Dei, ita impium eſſet a negotio generationis divinam hanc benedictionem penitus ſeparare velle, ſiquidem exempla & ſpecimina proſtant & conſtant, quomodo ob ſingulares reſpectus hæc alma & omnipotens manus Dei uterum maternum occludere & fæcunditatem humanam cohibere poſſit ſoleatque: imo quomodo viciſſim eadem ſingularis benedictio familiam humanam aut ſemen augeat & conſervet, viciſſim etiam juſtum Dei judicium extingvat atque perdat, ita hæc ſupranaturalis cauſa ſpiritualis eximia quidem annotatione & veneratione digna eſt, ſed perinde reliquæ naturales cauſæ, quotquot intercurrunt, pro eo ſcopo annotari debent, quo ſub concurſu auxiliatrice humano varia vitia, damna & detrimenta ſub eadem divina benedictione communi modo atque methodo emendari & tolli poſſint: & ita de antiquisſimis Medicis maxime vero Hippocrate conſtat, quomodo in diverſis locis illam nimis generalem uteri intemperiem vel frigidam, vel calidam, vel humidam, vel ſiccam, aut uteri nimiam denſitatem vel raritatem accuſaverint, quæ tamen cauſa utplurimum adhuc obſcurior exiſtit.

§. III. Quando hoc loco de ſterilitate fœminarum ſermo eſt, tunc illam differentiam ſterilitatis abſolutæ & temporariæ ſtatim inculcare debeo, ſiquidem exempla conſtant, quod quædam fœminæ fœcundæ fuerint, ſed poſtea ſteriles redditæ ſint, aut quomodo aliquamdiu ſteriles fuerint & poſt aliquam periodum in fœcunditatem translatæ ſint: abſoluta vero illa dicitur ſterilitas, ubi omnis ſpes impetrandæ fæcunditatis concidit & vitium quoddam incorrigibile occurrit; licet ſubinde in ſterilitate accuſanda & dijudicanda provide circumſtantiæ perluſtrandæ ſint, an in fœmina, an in viro culpa hæreat, ſicut exempla mutati matrimonii veram cauſam expoſuerunt; alias inter Medicos pasſim circumferuntur ejusmodi experimenta, quibus quidam explorare contendunt, an fœminæ abſolute ſteriles ſint, an vero minus; qualia jam pridem apud Hippocratem, Galenum horumq; ſequaces & deinde pasſim inter recentiores Scriptores reperiuntur, ut ſunt varia ungventa, ſuffimigia aliaque tentamina, attamen ipſa experientia affatim teſtatur, quomodo ejusmodi conatus atque

pro-

proceſſus raro veritati reſpondeat: unde potius ex aliis magis demonſtrativis cauſis hæc ſterilitas fæminarum agnoſcenda & indicanda erit, licet in ſerie cauſarum, mox nominandarum, obſcuriores occurrant, quæ ex conciliatione circumſtantiarum, in marito obviarum, illuſtrari & colligi debent.

§. IV. Non alienum a ſcopo noſtro eſſe judico, quando ſub ſterilitatis fœminarum explicatione non modo defectum concipiendi, ſed etiam defectum geſtandi, conſervandi & ad maturitatem retinendi fœtum expono; qualis poſterior defectus interdum ad priorem occaſionem ſubminiſtrat, ut totalis exinde ſterilitas oriatur. Dantur vero ſterilitatis fœminarum multiplices cauſæ, quæ bene notari debent & propius ad diſquiſitionem atque animadverſionem medicam ſpectant, ex illis itaque uſitatiores ſunt animus torpidus, abjectus & ab omni affectu venereo liber, quin potius a tali voluptate alienus & abſtemius: huc etiam pertinet animus inquietus, turbulentus, variis aliis curis immerſus, aut multis patheticis commotionibus obnoxius, unde *Primeroſius* ex *Aëtio* ſignificat, quod inviti coitus ſint irriti, aut ſteriles; licet quidem hæc cauſa non ſit abſoluta & univerſalis, tamen in quibusdam ſubjectis efficax eſſe obſervatur: interdum ad hanc ſterilitatem contribuit diſcordia & diſparitas animorum, temperamentorum & annorum in ſubjectis maritatis, quæ cauſæ perinde individuales ſunt, neque ad omnem caſum duci poſſunt; inde in illis recte inculcandis & accuſandis judicio medici opus eſt: non minus ad talem ſterilitatem vel primæ, vel alteræ claſſis, contribuit præmaturum, aut nimis retardatum matrimonium, ubi in priori caſu natura nimis debilis eſt ad hoc negotium, in poſteriori vero magis ab eodem aliena & abſtemia obſervatur.

§. V. Præterea multiplices aliæ cauſæ ad ſterilitatem inducendam contribuunt, velut morboſa fœminarum conſtitutio, præcipue chronica, quo ſpectat gravis pasſio hyſterica, afflictio tabida, leucoplegmatica, œdematoſa ſcorbutica, ut & inquinatio venerea, ulcera interna, nec non ulcerationes diuturnæ externæ, frequens profluvium uteri ſangvineum, Menſes excedentes & inordinati, uteri procidentia, maxime vero menſium defectus ſive imminutio ſive ſuppresſio, concrementa uterina, fluor albus diuturnus immodicus, ſive benignus, tanto magis vero malignus: eo certius ad futuram plenariam ſterilitatem diſponit prægreſſus frequens abortus: uti neſando modo fœminæ laſcivæ ſterilitatem ſibi induxerunt, quando poſt illicitum coitum per fortiora emmenagoga frequentiores ſibi abortus provocarunt; ita etiam cum tempore ſterilitatem inducit prægreſſa nimia venus, uti infamia illa ſcorta eo certius ſteriliſcunt: proinde prægreſſæ violationes partium genitalium & mala conformatio harum partium, ut & Atriſia ſive imperforatio, internus particularis ſtatus hydropicus, hydrops uteri & ovariorum ad hanc ſterilitatem contribuunt:

ſicuti

ſicuti inter Obſervatores numeroſiores tales cauſæ, ex interno quodam vitio demum detecto, recenſentur, quæ particularibus talibus perluſtrationibus reſervandæ ſunt, quia ſpecialioribus uſibus & applicationibus medicis non ſubjacent.

§. VI. Inter illas cauſas, quæ paulo magis medico directorio ſubjacent, maxime notanda eſt nimia ſangvinis abundantia, quæ non modo aliquando ad ſterilitatem proxime & immediate diſponit, ſed & quæ ad frequentes abortus & per hos denique ad futuram ſterilitatem contribuit: & licet in quibusdam fœminis Menſes ſufficienter procedere videantur, attamen hæc nimia ſangvinis plenitudo inſufficientem ipſum Menſium fluxum eſſe declarat: præterea ſingularis obſervationis eſt, quando diu geſtatæ molæ ad ſimilem ſterilitatem concurrunt, ſicuti exempla teſtantur, quomodo ex ultimo quodam puerperio & inde prognata tali mola ſterilitas ad plures annos obtinuerit & inſecuta ſit, qua mola demum evacuata, etiam hæc ſterilitas curata fuit: non minus ad ſterilitatem contribuiſſe obſervatur nimia obeſitas, qua emendata & ſublevata iterum ſterilitas ceſſavit: ita etiam aliæ concretiones, vel in vagina uteri, vel circa uterum ortæ, ſterilitatem intulerunt, uti obſervationes anatomicæ id fuſius teſtantur: perinde ſterilitatem cauſantur remedia violentiora aliquoties uſurpata, imprimis vero purgantia; ſicut prægreſſæ graves Hæmorrhagiæ uterinæ eo quadrant, quo fœminæ ſterileſcant: non minus exempla conſtant, quomodo ex aliqua, etiam externa labe & diuturno ulcere ſterilitas ortum traxerit, quo vero rite ſanato, etiam ſterilitas illa ſublata fuit.

§. VII. Præter has, magis manifeſtas, cauſas circumferuntur etiam paſſim aliquot traditiones & hiſtoriæ de aliis cauſis & naturali & plus quam naturali ratione ſterilitatem inducentibus, ſiquidem eo contribuere leguntur remedia Saturnina, quid quod a nonnullis dicitur, quod ſterilitatem cauſentur, Rad. Filicis, Succus Salicis, Apes, Decoctum Menthæ, Crocus, Camphora, Apium, Lapis Specularis, Borrax, Creta, quando nimirum hæc ſubjecta copioſius ingeruntur: ab aliis allegantur acetum, Fabæ, Lapis Gagates, Vulva Capræ & Mulæ, Sapphirus, Smaragdus, Vinum, in quo mullus piſcis ſuffocatus eſt, pulvis Hederæ, Lapis Aetites, Cicindelæ, Peſſarium ex Nitro, alumine & Pice paratum, Teſticuli Muſtelæ maris ad genitalia ligati; quid quod *Primeroſius* dicit: ſi mulier timeat nimiam ſobolem, liget in Secundina infantis tot grana Cataputiæ, quod annis vult ſterilis permanere; ſed de talibus & ſimilibus experimentis, qualia etiam ab *Aetio* & *Roderico a Caſtro* allegantur, adhuc experientia deeſt: neque etiam talis experientia licita eſſet, qua ſterilitas inducitur: quod vero non penitus talia adminicula ſterilitatem concilian-

tia

tia deſint, teſtantur exempla perſonarum illuſtrium, ubi ad extingvendam familiam prava ejusmodi experimenta interdum uſurpantur: denique etiam autores mentionem faciunt incantamentorum, quæ ad ſterilitatem fœminarum contribuere ſolent & licet via naturali talis ſterilitas excitari poſſit, eapropter tamen non ſequitur, quod in ſimili caſu faſcinationes nullius poteſtatis eſſent.

§. VIII. Poſt cauſarum, ad fœminarum Sterilitatem inducendam, efficacium disquiſitionem, brevibus jam rationem de iisdem reddere laborabo: ſi itaque in illis partibus, ad geſtationem fœtus neceſſariis, aliquod vitium, aut deformatio quædam adeſt, tunc eo ipſo actus omnino ceſſare debet, quia inſtrumenta ad illum præſtandum minus diſpoſita & apta exiſtunt: neque etiam natura ad hunc actum promta eſt, ſi hisce organis aliqualis violatio & offenſio ſenſibilis inducta fuit: tanto minus etiam aptitudo ad concipiendum & geſtandum fœtum adeſſe poteſt, ſi de reliquo in corpore individui ſingularis morbida afflictio urget, quæ ab extraordinario & ſontico hoc generationis actu naturam graviter detinet: imprimis etiam turbulentus animi ſtatus, aut tenax, aut intima averſio, vel deſvetudo a negotio generationis ad eandem ſterilitatem cauſandam ſatisfacit, quo magis viciſſim ipſa animi alacritas hoc negotium facilitat: neque mirum eſſe poteſt, cur præmatura applicatio ad talem actum irrita & vana interdum ſit, quoniam ante ordinem naturalem & priusquam congruæ vires adſunt, contingit, ita etiam ſimiliter evenit, ut fœminæ ſerius demum in matrimonium ductæ ob libidinis naturalis amiſſionem & moleſti hujus actus averſionem in talem ſterilitatem incidant; ſicut de reliquo uterus maternus, ſi non læſus, tamen ab aliis ſubjectis, utpote nimia pingvedine aggravatus, ineptus eſt ad talem generationis actum.

§. IX. Neque aliter contingit, niſi ut fœminæ ſterileſcant, quando illi intermedii actus, qui ad fœcunditatem fœminarum ſpectant, valde perturbati ſunt, nimirum quando in Menſium negotio aliqua ægrotatio ſive morbida conſtitutio adeſt: & quemadmodum Menſes cum geſtatione fœtus ſingularem affinitatem habent, eapropter illi turbati, turbatam conceptionem & reliquam fœcunditatem alteratam exhibent: quale quid contingit, ſi ordinariæ functiones in partibus genitalibus fœminarum invertuntur & extraordinariæ morboſæ excretiones in iisdem adminiſtrantur, teſtimonio frequentis illius albi fœminarum fluoris: eo certius vero talis ſterilitas occupat, quando antehac frequentius natura commota fuit, quo impatientes & immoderatas evacuationes extra uterum committat, teſtimonio abortuum per nefanda artificia provocatorum: & ſi etiam contigerit, ut ſponte aliquoties tales abortus evenerint, tunc demum ita pertæſa hujus negotii redditur natura, ut impoſterum omnem con-

ceptionem reſpuat, ſicut molarum diuturna geſtatio adeo naturam detinet, quo minus legitimum fructum, præſenti tali præternaturali concremento, gerat.

§. X. Circa Prognoſin præſentis tractationis variæ circumſtantiæ ſeſe commendant: ſi itaque actuale vitium & perfecta labes in locis genitalibus adeſt, tunc fœcundatio maturius promitti haud poteſt, niſi hæc calamitas fuerit ſeparata: deinde reliquæ morboſæ afflictiones tamdiu hanc ſterilitatem ſuſtentant, quamdiu durant; unde ante omnia illis medicina paranda erit: quando ſterilitas ſive hæreditaria eſt, ſive mox a primis matrimonii terminis in longiora tempora continuavit, tunc illius cura, ſi non impoſſibilis, tamen difficillima eſt: ſi cauſa ſterilitatis ſubtilior, intimior & magis moralis, quam phyſica, magis idealis, quam materialis eſt, tunc therapia ſterilitatis eſt anceps: ſi ex multiplici & numeroſo prægreſſo abortu ortum traxit, aut etiam ex mola uterina pendet, tunc illius cura eſt difficulter impetranda: ſi a prægreſſis prodigis fluxibus uterinis, ſive ſangvineis ſive aliis, aut ſpontaneis, aut per artem pravam provocatis, orta eſt ſterilitas, tunc illius therapia facilis haud eſt: ſi a prægreſſis præmaturis & immodicis actibus venereis prodiit, ſub quibus multiplices Menſtrui fluxus turbationes præceſſerunt, tunc illius emendatio non facile expectanda eſt: quamdiu Menſtruus fluxus admodum eſt perturbatus & anomalus, tamdiu ſterilitatis correctio non ſuccedit, ubi rariores hiſtoriæ, quæ in contrarium adduci poſſent, vim frequentioris hiſtoriæ practicæ non enervant.

§. XI. Ordo nunc me ad tradendam & exponendam Therapiam Sterilitatis Fœminarum ducit, in qua primo loco privative, deinde vero poſitive negotium explicabo; quo itaque intricatus talis affectus magis congrue tractetur cavendum eſt 1) ab omnibus temerariis & immoderatis evacuationibus 2) ab incurioſa ſtatus plethorici conſideratione & conciliatione 3) a Menſium perturbatione, aut minus congrua promotione 4) ab ordinariarum evacuationum perverſione 5) ab uſu remediorum poſitive adſtringentium 6) ab ordinatione indiſcreta remediorum ſubtilium ſpirituoſorum, acrium, quæ vulgo ſub nomine roborantium venire ſolent 7) ab uterinorum ſic dictorum nimis credulo & luxurioſo uſu 8) ab experimentorum paſſim obviorum diverſa & perverſa oblatione 9) a methodo medendi inconſtanti & frequenter variata 10) a liberali & frequenti uſu remediorum caſtorinorum 11) ab opiatorum ſubjectorum ordinatione 12) a medicamentis & experimentis interne & externe facile ſtimulantibus 13) a remediis & tentaminibus ad abortum alias diſponentibus 14) a medicaminibus primas regiones valde & facile offendentibus & denique 15) a minus congrua ordinatione regiminis, tum in animo, tum reliquo vitæ genere ſervandi.

§. XII.

§. XII. Poſitiva Therapia iterum ſecundum diverſitatem cauſarum erit adornanda: ſeligam itaque illas principaliores cauſas, quæ magis manibus artificis ſubjacent & ad reſpectus vere medicos pertinent: quodſi itaque ſterilitas ortum traxerit a præſenti concremento uterino, undecunque etiam orto, tunc aliter hæc ſterilitas emendari non poteſt, niſi hoc perverſum concrementum auferatur; licet vero ejusmodi contenti concrementi præſentiam præſumere ex Menſium fluxu vel imminuto, vel plane ſuppreſſo, ex protuberantia abdominis, ex inſolita inquietudine & commotione ſpaſmodica uterina, per intervalla increbeſcente & cum Menſtruis periodis recurrente: & quamvis vulgo ad talium molarum excluſionem remedia vulgaria emmenagoga commendentur, tamen cum illorum uſu caute procedendum eſt, quoniam facile ſuſpectas turgefactorias humorum commotiones provocant, neque etiam potentes evacuationes, maxime vero catharſes ſtimulantes ordinandæ ſunt; neque peſſaria acria & loca uterina admodum irritantia conveniunt, quoniam alias talis ſtimulus immodicas commotiones congeſtorio-inflammatorias aut hyſtericas ſpasmodico-convulſivas, colicas, hypochondriacas, vel exceſſivas hæmorrhagias inducit; unde in tali ſtatu lenis & cum ſucceſſu efficax methodus eſt præferenda.

§. XIII. Ad remotionem ejusmodi concrementi uterini ſecuriori methodo conducit, quo ante omnia ſanguis per V. Snem præmittendam ventiletur: deinde conveniunt mitiores laxationes, quæ ſimul primas regiones abſtergunt atque afficiunt, præcipue vero conducunt Infuſa laxantia paranda ex radicibus Pimpin. alb. Ariſtoloch. rot, Diptam alb. Galang. Gent. rubr. Coſt. dulc. Cyperi rot. Bryoniæ, Herbis Rorismar. Menth. Meliſſ. Abrotan. Artemiſ. Matricar. Pulegii, Flor. Calend. Lavend. anthos. Sem. aniſi, fœnic. Bacc. Lauri, Corticibus aurant. Cinamom. Foliis Sennæ, Rhabarbaro, Fibris Helleb. nigr.; præterea conferunt pediluvia & modeſto uſu inſeſſus; neque thermarum internus & externus uſus, inquibusdam ſubjectis rejiculus eſt: præ omnibus aliis probatis remediis in tali caſu ſecuram utilitatem obtulerunt pilulæ balſamicæ Stahlianæ, frequentius uſurpatæ & maxime illis temporibus exhibendæ, ubi vel menſtruæ periodi occurrunt, vel interni quidam apparatus ſpaſmodici coincidunt, qua occaſione natura ad plenariam excretionem hujus concrementi invitanda eſt: & ita rectius per moderatam admonitionem, quam moleſtam irritationem talis exoneratio promovenda erit: quod ſi in ejusmodi caſu non nimia ſangvinis quantitas urgeat, tunc interdum licet modicam quantitatem commoventis cujusdam remedii, ut Eſſentiæ Myrrhæ, Croci aut Artemiſiæ exhibere, uti Mixt. e Spir. C. C. & Tinct. antim. interpoſita vice oblata aliqualem opem afferre obſervatur.

§. XIV.

§. XIV. Quando ſterilitas, alia quadam morbida afflictione nititur, cujuscunque etiam indolis illa fuerit, tunc ante omnia artifex ad illius remotionem curam applicare debet; maxime quidem præſtat Menſium fluxum in legitimum ordinem ducere, aut alium decolorem fluorem uterinum cum temperantia emendare: & ſi prægreſſæ quædam immodicæ Hæmorrhagiæ uterinæ huic ſterilitati cauſam dederint, tunc ſangvis non ſimultanee reſtitui debet, neque adſtringentia remedia continuanda ſunt, ſed potius temperantia, roborantia & analeptica interponi debent: præſervatoriis temporibus moderata V. Sectio commendari debet; neque etiam confert actui venereo immodice inhærere, ne partes uterinæ valde offendantur & ad novas Hæmorrhagias irritentur: ſi præmaturum matrimonium cauſa ſterilitatis fuit, tunc vix melius conſilium ſuppeditari poteſt, niſi carnalis cohabitatio aliquandiu omittatur, donec vires neceſſariæ collectæ fuerint, quæ ad hoc negotium requiruntur: ſi aliqualis occluſio partium genitalium in culpa fuerit, tunc qualicunque ſtudio & moderamine, quantum poſſibile eſt, apertio & reſeratio eſt ſuſcipienda: ſi uteri ulceratio ad ſterilitatem occaſionem dederit, tunc eo cura ita eſt applicanda, ut magis per externa, quam interna, præcipue per injectiones abſtergentes & mundificantes qualiscunque reſtitutio promoveatur: de reliquo vero neceſſe eſt, quo foeminæ tam in animo, quam reliquo vitæ genere optima temperantia ſibi conſulant atque proſpiciant.

§. XV. Interdum deprehenditur, quomodo ſterilitas ex illa cauſa ortum trahat, quando natura foeminarum virile ſperma exceptum admodum averſatur; unde contingit, ut poſt cohabitationem foeminæ experiantur internas anguſtias, dolores, tormina, inquietudines &c. ubi non tam in fœmina vitium & culpa hæret, quam in marito, qui propterea pro emendando ſpermate magis juſto regimini & congruæ diætæ indulgere debet, quoniam ex utriusque mala applicatione ſperma & conſiſtentia & craſi ſua alterari ſolet: quando nimia laxitas, aut hiatus genitalium partium muliebrium in culpa eſt, quo ſterilitas excipiatur, tunc conveniunt fomenta, ſuffimigia & peſſaria partim nervina partim etiam lenius adſtringentia; cavendo, ne in tota cura ſterilitatis potentiora adſtringentia remedia ordinentur: ita etiam in tali caſu conducunt balnea nervina, modeſti uſus thermarum & emplaſtra nervina atque mitius adſtringentia, regioni pectinis applicanda: quando vero vulgo ad ſterilitatem hanc roborantia ſubjecta commendantur, præcipue vero Roſmarinus, Saſſafras, Pulegium, Salvia, Meliſſa, Majorana, Lavendula, Zedoaria, Galanga, Ariſtolochia, Aromata, Myrrha, Anthophylli, Synapi, Eruca, Ambra, remedia ex Formicis parata, Balnea Formicarum, inunctiones externæ cum oleis deſtillatis nervinis, tunc eadem non niſi in illo caſu conveniunt, ubi aliqua roboratio par-

tium

tium internarum neceſſaria eſt; alias ſi promiſcue adhibentur, magis noxam excitant.

§. XVI. Quando nimia obeſitas & pingvis proceritas in fœminis cauſa ſterilitatis eſt, tunc mutari debet diæta plena & lauta: rectius vero inſtituendæ ſunt peregrinationes & applicationes internæ æque ac externæ thermarum: inde enim experientia teſte evenit, ut ob imminutionem illius obeſitatis denique ſterilitas immutata fuerit: quemadmodum hæ aquæ in quibusdam ſubjectis Menſium irregularitates in ordinem reduxerunt: aliquando nimia teneritudo tum animi, tum corporis obſervata fuit, quod ad ſterilitatem contribuerit, qua præſente fœminæ etiam delicatius ſunt tractandæ, imprimis vero a frequentiori & immoderatiori coitu abſtinendum eſt: hinc rectius in hoc negotio talibus foeminis quies quædam procuranda erit: de reliquo in ſterilitatis cura non conveniunt remedia adverſo vapore operantia; unde circa ſuffituum uſum prudentia opus eſt, ne commiſceantur talia, quæ pinguem & oleoſum vaporem exſerunt, qualis partibus membranaceis, tunicaceis genitalibus adverſus eſt; multum ceteroquin ad fœcunditatem conciliandam conducit bona & accurata vivendi ratio, imprimis diæta regularis; neque quidem in ſubjectis plethoricis nervina remedia tam liberaliter, aut promiſcue ordinanda ſunt, quoniam ſuſpectas commotiones, foecunditati contrarias, provocant: denique in reliqua oeconomia vitali omnes ordinariæ evacuationes ita diſponendæ ſunt, ne ulla anomalia easdem affligat, quoniam interdum levis talis alteratio ſterilitatem conſervat & confirmat.

§. XVII. Vulgo etiam ad ſterilitatis curam in fœminis varia ſpecifica allegantur remedia, ut herba Mercurialis, Salviæ, Rorismarini in decocto, teſticuli cervi, apri & porci, matrix ſuilla, leporina & cervina, Sal volatile viperarum & formicarum, priapus cervi & tauri, ſecundinæ humanæ, moſchus, coagulum leporis, Sal leporis, Sal Satyrionis & herba veronicæ in ſubſtantia, quam ultimam Simon Pauli in Flora Danica & Quatripartito Botanico in foeminis ob nimiam obeſitatem ſterilibus commendat, quæ ipſa etiam ulteriori experientiæ eſt commendanda; cum priora utplurimum ipſa in hoc caſu ſterilitate laborent & ex ſterili fundamento aut nuda ſuperſtitione ordinentur: quod denique ſterilitatem foeminarum per faſcinum provocatam attinet, tunc illius cura ad medicum ſcopum non ſpectat, ſed alterius fori eſt: unica adhuc occurrit obſervatio inter Medicos maxime vero Chirurgos de Sterilitate foeminarum per caſtrationem, harum conciliata, qualis caſtratio vel per exciſionem uteri, vel ovarii præſtita legitur, conſerantur in hanc rem *Bartholinus Cent. 3. Ep. 64. Cent. 2. Hiſt. 91. Riolanus Hiſtoriæ Anatomicæ Partium mulierum Cap. 5. Joh. Brodius Miſcellaneorum libr. 5. cap. 3. Rittershuſius ad* §. 5. *Inſtitutionum de publi-*

blico judicio, A. N. C. Decur. 1, anno 2, obſ. 208. Bonetus in Polyalthe de Sterilitate, Schenckius, Sennertus aliique.

CASUS VII.

DE

AQUA SUBMERSIS.

§. I.

UTi ſubmerſio in Aquas extemporaneum & inopinatum eſt periculum, quod ſub variis occaſionibus contingere poteſt, ita aliquando etiam illa ſpes affulget, quo in repentina tali calamitate adhuc aliquale officium & auxilium ſuppeditari poſſit, in qua neceſſitate itaque omnino a Medico deſideratur, quo in inveniendo & ſubminiſtrando tali idoneo conſilio & auxilio promtus & peritus ſit, ne hæc occaſio negligatur & ex Medici imperitia afflictus homo penitus vita ſua privetur: etenim inter pios & integra ratione præditos mors in aquis minime ſummum bonum eſſe poteſt, licet de Ethnicis conſtet, quomodo in ſubſidium reliquæ humanæ afflictionis & ad abbreviandam omnem miſeriam mortem in aquis ſelegerint, uti *Cicero Libro I. Tuſculanarum quæſtionum refert*; & *Ovidius* loquitur: *Demite naufragium, mors mihi munus erit:* interea vero accidit, ut nonnunquam gravi Melancholia oppreſſi vitam ſuam fluctuantibus & crudelibus undis conſecrent; aſt quoniam exempla conſtant, quomodo interdum ejusmodi ſubjecta, quæ aquis ſubmerſa & pro mortuis habita fuerant, iterum ad vitam redacta ſint, ea propter neceſſe erit hoc ordine aliquam præparationem ad ejusmodi caſum ſuppeditare, quia in eodem perinde occaſio eſt præceps, conſilium vero eſſe debet efficax.

§. II. Hæc ſubmerſio in aquis communiter quidem poſt ſe trahit ſuffocationem, quæ magis inducitur ob interceptionem aëris & reſpirationis ſufflaminationem, quam ob nudam aquæ deglutitionem, quæ in diverſis caſibus vel parca & vix notatu digna, vel plane nulla adeſt: interim evenit, ut ſub undis in extrema anguſtia aërem inſpirantes homines ſimul aquam per nares & fauces tum intra ventriculum tum intra pulmones ingerant, adeoque per poſteriorem effectum æque ſuffocentur: ita etiam teſtimonium deglutitæ aquæ eſt, quando mox poſt ſubmerſionem in aquam factam bullulæ quædam aſcendunt, ex quibus indicium colligitur, qvod illud punctum mortis & ſuffocationis in

in ſubjectis ſubmerſis adſit, quoniam nunc ob defectum rationis & reliquarum virium magis paſſive aqua in corpus hujus ſubjecti ingurgitat & quadantenus delabitur: hinc poſt inſpectionem anatomicam tam in ventriculo & inteſtinis, quam in pulmonibus colluvies talis aquoſa reperitur: interea non æque ad hanc ſuffocationem talis aquarum ingeſtio neceſſaria eſt, quam circumſtantiam latius expoſuit *Beckerus in Paradoxo Medico Legali de Submerſorum morte ſine pota aqua*, quæ animadverſio *Valentini Novellis Medico-Legalibus* aſſociata eſt; e qua conſideratione tamen major reſpectus erit habendus illius ſuffocationis lethiferæ.

§. III. Cum itaque eveniat, ut interdum homines in aquas prolapſi tempeſtive extrahantur, iterumque ad ſe revocentur, hinc de illis præcipue circumſtantiis ſollicitus eſſe debet artifex, quibus teſtimonium aliquod de vita adhuc reſidua in ſubjecto perhibetur: interim paſſim conſtant ejusmodi ſuffragia & exempla, ſubjectorum ad vitam revocatorum, qualia recenſentur ab *Alexandro Benedicto de Curatione Morborum lib. 10. c. 9. Schenkio lib. 2. obſerv. 1. Bartholino Cent. 6. obſ. 68. Borello Cent. 2. obſ. 2. Camerario in Sylloge Memorabilium Cent. 13. Sachſio in Ampelographia lib. 2. ſect. 6. Roderico a Caſtro de Reſuſcitatione in aquam delapſorum, Sebaſtiano Albino* im Handgriff wie mit den aus dem Waſſer gezogenen zu verfahren/ *Bohnio de Officio Medici duplici, Diemerbrockio Anatomiæ lib. 2. Cap. 13. Foreſto* aliisque pluribus; deinde ingens inter eruditos obtinuit diſquiſitio & litigatio, quomodo ſubjecta, quæ diu in aquis demerſa fuerunt, tamen iterum ad vitam revocata fuerint, unde aliqui ex obſervatione *Langellotti*, quæ continetur in *A. N. C. Decur. 1. anno 6. & 7. obſerv. 20.* multa cum cura ſpeculantur, quomodo quidam, qui per ſedecim horas corpore erecto in profundis aquarum ſtetit, iterum reſtitutus fuerit, de quali animadverſione conferatur ejusdem Decuriæ & anni *Obſervatio 75. 76, 89, 125, 130, 192. Bartholinus in Actis Haffnienſibus vol. 4. obſerv. 42.* & de conſideratione ejusdem Thematis *Zachias in Quæſtionibus Medico-Legalibus lib. 4. cap. 79.* ubi variæ circumferuntur ſententiæ, quæ ad intricati hujus caſus deciſionem & illuſtrationem ſpectant.

§. IV. Nunc in ordine diſpiciendum eſt primo, an quædam ſigna conſtent de ſubjectis in aquam demerſis, aſt non penitus ſuffocatis, ut exinde Medicus colligere poſſit, an ſperanda adhuc ſit aliqualis reſtitutio: vulgo quidem Medici provocant ad teſtimonium *Hippocratis*, quando in *Sectione 2. Aphoriſmo 43.* colligunt, quod ſpuma circa os reperta in talibus ſubjectis indicium præbeat abſolutæ ſtrangulationis & impoſſibilis reſtitutionis: quamquam vero hæc obſervatio ſenis non æque rejicienda ſit, tamen dantur, qui exempla in contrarium proferre volunt: de reliquo paulo certiora ſigna mortis ſunt, ſi ejus-

juſmodi ſubjecta diutius in aqua latitarunt, ſi lingua eſt vel livida, vel contorta, vel tumida, vel valde retracta: proinde Albinus ex ejuſmodi ſignis vere ſuffocatorum recenſet, ſi ſubjecta ſangvinem e naribus, vel faucibus profundant, quod indicium tanquam indubium characterem producit extremæ illius commotionis & convulſivæ agitationis, cujus conſectarium ipſa actualis ſtrangulatio eſſe fertur: huc etiam referunt quidam, ſi ſubjecta ore valde hiante decumbunt & ſi in iisdem neque calor neque tepor amplius deprehenditur: ſicut vero hæc ſigna quædam ſunt, tamen & illa cum judicio diſcerni debent: pluribus conferantur *Codronchius in Libro de Aqua ſubmerſis, Hildanus in Obſervationibus Chirurgicis, Aetius Lib. 8. Cap. 49 de Naufragis revocandis. Iacobus Horſtius de Aqua ſuffocatis, Oribaſius de ſuffocatis, Franciſcus Ranchinus de ſubmerſis*, variique alii, qui paſſim hunc tragicum caſum explicarunt.

§. V. Præterea etiam varia alia ſigna in ſubjectis ex aquis extractis occurrunt, quæ ad deliberationem medicam ſpectant; e quibus aliqua in ſemi mortuis, nonnulla in perfecte mortuis obtingere ſolent: in aliquibus itaque hominibus conſpiciuntur oculi vel perfecte clauſi, vel ſemi clauſi, in quibusdam pallidi, in aliis confracti & in nonnullis contorti, ſicuti confractio oculorum ad ſigna certioris mortis vulgo referri ſolent: proinde interdum adeſt totius corporis pallor, rigor, frigus, aut in abdomine interdum tepor, ungvium livor, nares ſunt acumitatæ, labia pallida, aut livida, deeſt reſpiratio, pulſus deficit, ita ut quoad externum conſpectum mortis imago in talibus ſubjectis obſervetur, quæ quando paululum ad ſe redeunt, quod quidem tam ſubito non contingit, tunc reſpiratio eſt exigua & interdum cum vulgatis experimentis exploranda, pulſus eſt debilis, tardus & mollis, nec non inæqualis, ratio leviter revertitur & aliqualis tepor reliqvum corpus perfundit: aliquando ſupervenit vomitus aquoſus, aut diarrhœa aquoſa, vires ſunt extreme exhauſtæ, quandoque convulſivæ commotiones imminent, interdum irruit vertigo, nonnunquam febrilis rigor, animus vero eſt valde debilis, oppreſſus & anguſtus, donec ſucceſſive hæc extrema calamitas emendetur & ſubjecta priſtinæ vivacitati Deo benedicente denuo reſtituantur.

§. VI. Quemadmodum hæ animadverſiones ad hiſtoricum præſentis caſus conſpectum pertinent, ita adhuc quædam obſervationes ad Prognoſticam illius conſiderationem referendæ erunt: quando itaque contingit, ut ſubjecta paulo diutius & ultra horæ ſpatium in aquarum profunditate delituerint, tunc vix facile ſpes concipienda eſt de revocatione futura, tanto minus vero quando ſubjecta in aquis cum capite deorſum decubuere, ubi ſuffocatio eo certior prædicenda eſt, quando in ſubjectis ex aquis extractis obſervantur ſigna prægreſſæ convulſionis, velut contractiones pollicum, aut lingva intra dentes

poſita

poſita, vel contorta, vel plane cum morſu violata, tunc utplurimum decollat ſpes impetrandæ reſtitutionis: abſolutum frigus per univerſum corpus extenſum non concedit ſpem obtinendæ revocationis in vitam; quando talia ſubjecta ſuccesſive ad ſe redeunt, tunc tam in animo, quam in reliquis functionibus humanis diuturnus langvor & angor remanet, quidquod in ſubjectis ſenſibilibus evenit, ut & priſtina animi alacritas penitus invertatur: ſi ſubjecta fuerint juniora, tunc ex hoc periculo diſponuntur ad plures convulſivas afflictiones; ſi vero paulo adultiora fuerint, tunc perinde variæ ſanitatis & prægreſſæ integritatis anomaliæ conſeqvuntur.

§. VII. Poſt hanc hiſtoricam præſentis caſus explicationem brevibus circumſpiciemus cauſales quosdam reſpectus, ubi mox animadverſioni noſtræ ſeſe commendat illa circumſtantia, quod aqua ſubmerſi homines unice ſuffocationis morte pereant, ob aëris, pro reſpiratione neceſſarii, interceptionem & hanc mortem eo magis facilitant concurrentes illi extremi angores mentis & virium caſus, quemadmodum in tanto periculo & mortis certisſimo metu repentino valde turbatur animus, qui propterea, quando homines etiam ad ſe revertuntur, non ita compos eſt, quo tam prompte & perfecte in priſtinum ordinem & alacritatem redeat, cum hæc idea terroris & mortis conſtantius & intimius in animo reſideat: neque mirum eſt, cur ob ejusmodi caſum ſimul natura in vitalibus ſuis negotiis eo usque confundatur, quo minus rite reliquis ſuis officiis ordinate continuandis defungatur, ut eapropter variæ irregularitates & morbidæ connexiones conjungantur, maxime vero in ſubjectis tenerioris indolis, in quibus ex intimiori illo fonte perturbati animi inſuper aliæ commotiones præcipue convulſivæ ortum trahunt, quæ cum cohærente illa terroris & angoris idea colludunt, unde præcipue artifex ad illam repente inductam confuſionem omnium functionum moralium & animalium animum applicare debet.

§. VIII. Excipit jam practica præſentis caſus conſideratio, in qua iterum priori loco neceſſariæ quædam cautelæ huc ſpectantes inculcandæ erunt 1) cavendum eſt, ne artifex famam ſuam ignominiæ & contumeliæ exponat, quando in ſubjectis diu aquis ſubmerſis adhuc temerariam ſpem facit revocandæ vitæ 2) abſtinendum eſt ab experimentis nimis violentis & confuſis, vires magis opprimentibus, quam reparantibus 3) a tentaminibus ad cauſam ſecundariam magis directis, videlicet a nuda aquæ deglutitæ evacuatione 4) ab ulteriori oppresſione & offenſione negotii reſpirationis 5) a violenta provocatione evacuationum 6) a negligentiori vicisſim promotione neceſſariarum excretionum 7) a remediis vires plus enervantibus, quam erigentibus 8) imprimis vero a narcoticorum ordinatione, ut & 9) a ſtatus præſentis plethorici incurioſa æſtimatio-

 ne

ne & tractatione 10) nec non a quibuscunque remediis adſtringentibus & humorum motum atq; tranſitum impedientibus 11) a volatilium remediorum præmaturo uſu 12) a medicamentis repente & vehementer ſangvinem turgefacientibus 13) a nimis præcipitata & multiplicata diverſorum remediorum oblatione 14) a perverſo & inconſulto regimine, utpote quæ ſingula tentamina magis in præſenti caſu damnum pariunt, quam quo in extrema hac afflictione aliquod commodum afferant.

§. IX. Poſitiva therapia in ſequentibus conſiſtit operationibus, ut videlicet cito efficax & conveniens auxilium offeratur: cum vero ita ſubmerſi homines ex ſuffocatione laborent, ita ante omnia providendum eſt, quo reſpiratio revocetur, licet deinde eo animus dirigi poſſit, quo ingurgitata aqua iterum effluat, ſiquidem nimia ventriculi extenſio reſpirationem graviter impedit: & ita quidem recte *Waldſchmidius in A. N. C. Dec. 2. anno 6. obſ. 153.* asſerit, quod tales ſubmerſi homines magis ex defectu aeris pereant; ex eo itaque non ſine ſingulari ratione indico, quod reſpiratio ante omnia revocari debeat: hinc *Borellus Cent. 3. obſ. 58.* commendat, quo ita affectis ſubjectis pulmones congrua methodo in motum redigendi & inſufflandi ſint: ad quam operationem Galli præcipue artifices congruis inſtrumentis præditi ſunt: nam licet aqua quantiſper effluat, ſi tamen pulmonum motus deficit, nihilominus ſuffocatio permanet aut confirmatur: & hinc tale experimentum ſine ulla mora inſtituendum eſt, uti commode ad motum pectoris & faucium a quibusdam practicis, imprimis vero a *Foreſto* laudatur ſenſibilior externa faucium irritatio, quæ tamen cum ſubjectis cauſticis & nimium ſtimulantibus minime ſuſcipienda eſt, ne ſtrangulatorii quidam effectus cum reliquo ſuffocationis metu coincidant.

§. X. Superſunt etiam alia quædam experimenta, quæ ſtatim in principiis in uſum trahenda ſunt, imprimis ut ſubjectum, ex aquis protractum, ſuper abdomen projiciatur, adeo, ut paulo declivius cum capite decumbat & ut ſuper ventriculum ſolidius pulvinar collocetur, quo tali modo ipſe comprimatur & aqua deglutita ad excretionem denuo promoveatur; ad eundem modum *Benedictus Veronenſis Lib. 7. cap. 3.* jubet aqua ſubmerſos protinus cruribus ſuſpendere, quod experimentum vero, ſi adſtantes & conjuncti non abhorreſcant æque admitti poteſt: ſicut concuſſiones moderatæ ventris pro eodem ſcopo aliquid conferunt: ſic *Foreſtus Obſervationum Medicarum Lib. 15. obſ. 26. & Obſervationum Chirurgicarum Lib. 6. obſ. 31.* allegat hoc experimentum, quo a quibusdam aqua ſubmerſi ſuper cupam rotundam ponendi & circumvolvendi ſint, ut aqua hauſta per os revomatur; quod experimentum tamen Foreſtus non ſemper probat, cum teſtetur quosdam tali modo repente extinctos

tinctos fuiſſe: deinde *Bartholinus Cent. 6. Hiſt. 68.* dicit, quod ad effugiendam ex aquis ſuffocationem, ſi ſors eluctari conceſſerit, magno conatu hinc inde demiſſo capite, elatisque pedibus æger concutiendus ſit, ut ex corpore hauſta aqua tanquam ex dolio effluat, ſeduloque cavendum eſſe præcipit, ne talis homo lecto ſtatim committatur.

§. XI. Varia porro inter Medicos occurrunt experimenta, quæ ad reſuſcitationem ſubjectorum aquis ſubmerſorum commendantur: ita *Haly Abbas Sermone VI. part.* 2. commendat, ut ejusmodi homines pedibus ſuſpendantur demiſſo capite, quod experimentum vero non ſatis ingenuum eſt, tanto minus in ſubjectis plethoricis, quoniam ſuffocationem confirmat. *Borellus Cent. 3. obſ.* 58. commendat experimentum, quo tales homines proni in terram extendantur & plantis pedum baculo percutiantur, cujus experimenti etiam *Sachſius in Ampelographia* mentionem injicit, ſed hoc ipſum experimentum irritum eſt: præterea *Borellus Cent. 2. Obſ. 2.* hoc allegat experimentum, quod Nobilis ſub aquis ſubmerſus pro mortuo habitus ad vitam revocatus fuerit, diuqve imposterum vixerit, admotis cordi panis aſſimicis, aqua vitæ calida imbutis, idque ſæpe renovando, reliquis vero partibus frictionibus rubefactis, idque in lecto calido: *Sennertus Lib. 2. Part. 3. Cap.* 3. hoc profert experimentum: ſi ex ſubmerſione in aquam quis ſuffocationis periculum incurrat, is aqua ereptus moveri debet & capite deorſum inclinato ac pedibus elevatis, ac penna oleo intincta, vel digito ori immiſſo vomitus provocandus; vel exhibeatur decoctum hordei, ficuum, glycirrhizæ, adjecto butyro & ſaccharo, vel decoctum florum Chamomillæ cum cereviſia (quæ poſteriora remedia in illo caſu locum inveniunt, quando ſubjectum in mare incidit & aquam marinam hauſit, ne Sal illud viſceribus noxam inferat:) poſtea vinum meracius vel mulſa exhibenda & aliqua aqua vitæ &c.

§. XII. Vulgo Medici in ejusmodi ſubjectis, ſemi ſuffocatis, vomitoria commendant; alii etiam purgantia, cum quibus tantum ad evacuationem aquæ ingurgitatæ reſpiciunt; ſed minus conſultum eſt in tali extremitate afflictos tanta vehementia aggredi: interim non alienum eſt, ſi cum lenitate & magis per externa auxilia levis vomitus concitatur: non minus clyſteres lenientes & nervini, aut ad ſummum ſuppoſitoria, mediocriter ſtimulantia, in uſum trahi poſſunt, quo mox natura ad priſtinas ſuas functiones vitales provocetur: quod ſi ſubjecta valde plethorica fuerint, tunc iisdem tempeſtiva V. Sio in brachio inſtitui debet, de quo conſilii genere conferatur *Dioſcorides Lib. 6. Cap. 3. & 4.* & *Paulus Lib. 5. Cap. 66.* ut & *Avicenna*, conferatur *Zacutus Luſitanus Medicorum Principum Hiſtoria Lib. 2. Hiſt. 8. pag. mihi 182. Foreſtus Obſerv. Medicarum Libr. 15. Obſerv. 26.* commendat vomitum & quo deinde flores Chamomillæ

millæ in cereviſia decocti, quo ſudor in lecto provocetur, exhibeantur; quod vero experimentum perinde dubium eſt: *Albinus* laudat Spiritum volatilem naribus offerendum, neque quidem male talia ſvaveolentia & excitantia cum moderamine offeruntur, quibuscum afflicti ſucceſive ad ſe revocari poſſunt: unde primus labor eſſe debet, quo ejusmodi homines convenienter revocentur, ſicuti tum hujus caſus, tum ſimilium experimentorum mentionem injiciunt *Haly Abbas Praxeos Medicæ Lib. 6. Cap. 4. Paulus Aegineta de Re Medica lib. 3. Cap. 27. Foreſtus lib. 6. Obſerv. Chirurgicarum 33. Jacobus Horſtius de Aqua ſuffocatis curandis, Bartholinus Hiſtoriarum Anatomicarum Cent. 6. Hiſt. 68. Grulingius Obſerv. Medicarum Cent. 2. Obſ. 10. Helmontius in Tractatu de dementi Idea, Gregorius Horſtius Obſ. 9. de Suffocatis adhuc viventibus, Oribaſius lib. 8. Synopſeos Cap. 57. A. N. C. Decur. 2. an. 8. Obſerv. 186.* aliique.

§. XIII. Præter hactenus allegata & ex parte commendata auxilia conveniunt inſuper tempeſtivæ frictiones ſuperficiei corporis, quibuscum neceſſarius motus ſangvinis in externum corpus iterum invitatur: nec non mox offerenda ſunt remedia viribus reparandis idonea, ut ſunt mixturæ analepticæ: cavendo ne impetuoſiori methodo commotiones ſangvinis immoderate provocentur: hiſce ſubordinanda ſunt temperatiora alexipharmaca, quo æqualis ſangvinis progreſſus excitetur; nec non uſus Salium volatilium illo tempore ſubjungi poteſt, quando Medicus aliquo modo de inſultibus orgaſticarum commotionum nihil metuere debet: ubi optime convenit mixtura e Tinctura Antimonii Tartariſata, Spiritu Cornu Cervi, Eſſentia Succini & Eſſentiæ Ambræ: quod ſi ejusmodi homo aquam ſalſam aut marinam in prægreſſa ſubmerſione ingurgitaverit, tunc conveniunt ordinanda Decocta mucilaginoſa, gelatinoſa, lenientia & abſtergentia, ne primis regionibus aliqualis noxa accidat: ſicut etiam in hoc caſu diætetica illa adminicula multi uſus ſunt, quæ vires reficiunt; quemadmodum in eodem caſu magis leniora & temperatiora, quam potentiora auxilia præferri merentur.

§. XIV. Denique ejusmodi ſubjectis animi tranquillitas concilianda eſt, propterea que omnis turba, maxime vero terror evitari debet: præſtat etiam ſucceſive motui corporis adſveſcere; circa exitum curæ remedium lenius laxans adhibere, aut balneum nervinum uſurpare decet: & ſi ſuſpecta quædam tusſis remanere videtur, conducit moderata expectoratio & ſubjuncta pectoris roboratio: in diæta & regimine moderamen uſurpandum eſt: quando in certis ſubjectis præſervatoria ſangvinis ventilatio repeti debet & quicquid porro artifex ad totius oeconomiæ vitalis juſtum ordinem promovendum contribuere poteſt, id minime negligere debet: præcipue talia offendicula evitanda ſunt, quæ motum ſangvinis per pulmones & liberam reſpirationem alterare poſſunt;

quin rectius hæc reſpiratio quocunque modo allevanda eſt; ob id etiam artifex præcavere debet, ne aliquod damnum in pulmonibus remaneat, quod futuris deterioribus conſecutionibus anſam præbere poſſet: maxime etiam abſtineant tales homines a quocunque exceſſu diætetico & potius invigilent, quo poſt talem revocationem vitæ ſemi amiſſæ ipſe ordo oeconomiæ animalis a qualicunque irregularitate liber maneat: quod ſi denique in animo aliqua inſignis alteratio remanere videatur, tunc eidem magis per moralia auxilia ſuccurrere convenit.

CASUS VIII.

De

LAQVEO STRANGULATIS.

§. I.

EAdem quidem ſuffocatio eſt, quæ cum fune inducitur, ac præcedens fuit licet modus inducendi hanc ſuffocationem diſcrepet; & dum hic caſus etiam in hiſtoria medica occurrit, ubi homines de laqueo ſuſpenſi non penitus extincti & ſuffocati, adeoque iterum in vitam revocati ſunt, ita perinde ad officium Medici pertinet, quo ſe ſe ad tales tragicos caſus præparet, ut in hoc extremo periculo data occaſione efficax atque promtum conſilium & auxilium ſuppeditare queat: minime enim dubitandum eſt, quod homines ſuſpenſi iterum poſſint reviſicari, ſi præcipue non diu de laqveo dependerunt & deinde iisdem tempeſtivum & conveniens auxilium offertur: non quidem neceſſe eſt, in hiſtorico hujus caſus conſpectu occaſiones illas recenſere & colligere, ex quibus hic caſus tragicus ſuccedere ſolet, dum quidam homines ex amentia, alii ex deſperatione, nonnulli ex infelici accidente & quidam per juſtum quoddam ſupplicium de fune ſuſpenduntur; ſicuti hujus caſus mentionem faciunt *Haly Abbas Praxeos Medicæ lib. 6. Cap. 4. De Fune ſuffocatorum medela, Wepferus in Methodo reſuſcitandi ſuſpenſum in Tractatu de Apoplexia obvia, Foreſtus Obſervationum Medicarum lib. 15. cap. 25. Gregorius Horſtius de ſuffocatis adhuc viventibus, Paulus Aegineta de Re Medica lib. 3. Cap. 27. De iis qui ſtrangulantur: Janus Cornarius in Hiſtoriis admirandis, Petrus Bayry de Medicina humani corporis malorum lib. 8. cap. 3. De ſtrangulatione, Sennertus lib. 1. part. 1. cap. 7. Schenckius lib. 2. obſerv. 17. De Suffocatione* aliique.

§. II. Quamquam vero ad reſuſcitationem ſtrangulatorum tempeſtiva medela requiratur, tamen referente *Conringio in Diſſertatione ad Duncanum Liddelium*, Anglus quidam Medicus unquam pollicitus erat, ſe omnes ſuſpenſos poſt unam alteramve horam reſtituturum, modo nulla vertebrarum cervicis dislocatio contigerit: ita etiam *Pechlinus in Libello de aeris & alimenti defectu* exiſtimat, quod plurimi ſuſpenſi ad vitam revocari poſſint: quamquam vero id ipſum nonnunquam ſuccedat, tamen etiam unus homo præ altero citius ſuffocatur, maxime vero homines plethorici facilius plenariam ſuffocationem ſubeunt, ut eapropter non indiſcretim in omnibus hæc reſuſcitatio acquiri posſit, quamvis etiam tempeſtiva medela adhibeatur: interim etiam a Medicis allegantur ejusmodi ſigna, ex quibus judicare liceat, an ſuſpenſus homo abſolute ſuffocatus ſit, uti *Hippocrates Sect.2. Aphor. 43* aſſerit, quod illi animam efflaverint, neque revocari posſint, quibus ſtrangulatis ſpuma circa os apparet, cui aſſerto vero *Galenus* aliique obloqvuntur, qui exempla proferunt talium ſubjectorum, quæ tamen reſtituta ſunt, uti etiam *Galenus* in *Commentario* in prædictum Aphoriſmum Hippocratis hujus ſpumæ geneſin explicat: De cetero hoc loco hanc ſpeciem ſtrangulationis perquiram, licet modi aliarum ſtrangulationum varii ſint: ubi hoc loco adhuc illa circumſtantia annotanda eſt, quomodo quidam plenariam extinctionem & ſuffocationem prædixerint, quando lingua intra dentes compreſſa conſpicitur, quod ſignum perinde quidem extremum vitæ punctum prodere deprehenditur.

§. III. Quod in genere attinet homines de laqueo pendentes, quamvis adhuc aliqualis gradus vitalitatis in iisdem ſuperſit, ſive etiam ex parte penitus interemti ſint, tunc utplurimum in quolibet caſu nulla indicia vitæ occurrunt, ſubjecta frigent, ex parte rigent, pulſus deficit, oculi ſunt ſemi clauſi, nonnunquam concavi, quandoque confracti aut plane contorti: nares ſunt acuminatæ, facies aliquando livet, interdum pallet, nonnunquam tumet, quandoque labia ſunt turgida, lingua intra dentes eſt contracta, ungues liveſcunt, digiti ſunt contorti, pollices comprimuntur, ſcibala ſunt emiſſa & quæ adhuc alia phænomena ſpecialiora occurſant, quæ ad hiſtoriam laqueo ſuſpenſorum hominum ſpectant, ſicut in præcedentibus unius & alterius circumſtantiæ mentionem feci: & ex hac ſerie phænomenorum in talibus ſubjectis præſentium artifex prudenter colligere debet, an adhuc aliqua ſpes revocandæ vitæ ſuperſit, ne artem ſuam cum contumacia in ſubjectis abſolute demortuis exerceat, ſed eo ipſo certitudinem peritiæ medicæ & veritatis illius obtreſtetur: quemadmodum vicisſim ſubjecta, in quibus adhuc aliqualis vita præſto eſt, non omni conſilio & auxilio deſtituenda ſunt, ni conſcientiam ſuam artifex violare velit.

§. IV.

§. IV. Quando itaque prudens artifex in hac neceſſitate ſecundum ſcientiam & experientiam rite procedere vult, tunc e tota hiſtoria ſubjectorum ſuſpenſorum ſequentia ſingularia momenta ſeligere, obſervare & dijudicare debet: 1) an ſubjecta, de laqueo ſuſpenſa, valde plethorica ſint aut fuerint, inde enim facilius concludere poteſt, an ſuffocatio citius, vel tardius ſucceſſerit: 2) inquirere debet, an ſubjecta talia diutius de laqueo pependerint, in quo ſtatu vix facile revocatio ad vitam ſperanda eſt 3) an de toto corpore frigeant, quod indicium eſt longinquioris ſuſpenſionis & quod ſignum ipſum eo minus ſpem facit impetrandæ reſtitutionis, 4) an ſubjecta etiam in corpore externo valde rigeant, qui rigor tanto magis ominoſus eſt, quoniam emortualem exterioris corporis occluſionem denotat 5) an ſubjecta fæces alvinas emiſerint, quod quidem ſignum non perfecte lethalitatem prodit, interim indicat, quod ſtatus præſentis periculi in extremo hæſerit, 6) an in talibus ſubjectis oculi contorti, aut penitus confracti fuerint, quod omnino periculoſum eſt indicium 7) an ſpuma ante os hæreat, quod ſi non abſolute mortiferum indicium eſt, tamen extreme ſuſpectum exiſtit 8) an digiti contorti ſint, maxime vero pollices, quod ſignum eſt convulſivæ prægreſſæ commotionis & qualis convulſio utplurimum terminatur in lethalem eventum.

§. V. Præter has circumſtantiis porro & 9) obſervare debet, an in maſculis genitalia eximie contorta & retracta fuerint, quod indicium eſt prægreſſæ convulſionis 10) an dentes fortiter conſtricti ſint, quod ſignum perinde prægreſſam convulſionem prodit, 11) an ungves valde liveant, 12) an ſangvis in faucibus hæreat, aut inde plane effluat, quod indicium eſt prægreſſæ eximiæ violentiæ 13) an eximium frigus in pectore ſentiatur, quod eo citius mortem prodit 14) an caput horum ſubiectorum ſit dislocatum & diſtortum, quod facile teſtimonium perhibet de dislocatione vertebrarum colli atque plenaria morte, ut ſubjecta apoplectodeo affectu perierint 15) an ſubjecta quoad ætatem adultiora ſint, in quibus eo difficilior ſpes recuperandæ vitæ adeſt, quam in aliis, 16) an ſubjecta antea diuturnis morbis oppreſſa fuerint, videlicet pasſionibus hypochondriacis, melancholicis & ſimilibus, in quibus iterum ægrius ſpes impetrandæ reſtitutionis concipi poteſt, 17) an ſubjecta de laqueo crasſiori vel tenuiori ſuſpenſa fuerint, ſiquidem filamenta tenuiora citius & facilus ſtrangulant, 18) an alia indicia prægreſſarum convulſionum adſint, aut 19) an etiam alia quædam violatio actualis concurrat, ubi filamenta, aut laqueus cutem colli penetravit; ex quibus ſingulis ſignis artifices fundamentum Prognoſeos inſtituendæ formare poſſunt.

§. VI. Circa cauſalem hujus caſus indagationem notantum eſt, quod ejusmodi ſuſpenſio ſatis manifeſtis ſignis aliqualem ſuffocationem aut ſuffla-

minationem prodat, cum proxime progreſſus ſangvinis per pulmones, deinde per reliqvum corpus ſufflaminetur: etenim mediante tali ſtrangulatione non modo ob aſperæ arteriæ occluſionem reſpiratio momentanea intercipitur, ut ob deficientem neceſſariam pulmonum expanſionem ſangvis a dextro in ſiniſtrum cordis ventriculum profluere non poſſit, ſed & ob arctam compresſionem vaſorum ſangviferorum colli ſangvis e cerebro ad cor refluere non poſſit, ſed in vaſis tenerrimis cerebri momentaneam ſtagnationem induat, propterea que repente progreſſus ſangvinis per caput intercipiatur: quoniam vero hic motus ſangvinis progresſivus principalisſimum requiſitum ad vitam exiſtit; ita illo intercepto etiam hæc evaneſcit, tanto magis, ſi hic motus ſangvinis revocari non poteſt, quod contingit, ſi jam diu hujus motus intermisſio, aut rectius omisſio continuavit, aut ſi ſangvis in ſuis vaſis jam in cruorem & coagulum tranſiit, aut ſi plane quædam perruptiones & extravaſationes ſangvinis in nobilioribus partibus, maxime vero in hepate contigit: quando enim talis ſuffocatio imminet, tunc extremus angor occupat & propter eundem vel repente motus amittuntur, vel covulſivæ commotiones opponuntur, vel in momentaneo tali periculo & extrema afflictione ordinariæ functiones, quæ hactenus vitalitati inſervierunt, ceſſant, quare in tali puncto mortis involuntariæ excretiones procedunt, ut ita uno momento tota œconomia animalis immutetur & invertatur.

§. VII. Quando itaque ſtrangalati & ſuffocati aperiuntur, tunc utplurimum reperitur dexter cordis ventriculus cum magna ſangvinis quantitate oppletus, ſiniſter vero evacuatus, pulmones conſpiciuntur cum ſangvine grumoſo impleti: quo pertinet obſervatio *Bartholini Cent. 1. hiſt. 32.* de pulmonibus in ſtrangulato ſangvine ſpumoſo plenis repertis: proinde vaſa cerebri tum majora tum exiliora valde turgida obſervantur, aut nonnunquam in ſubjectis plethoricis plane actualis extravaſatio ſangvinis intra cerebrum deprehenditur, *Bartholinus Cent. 4. Hiſt. 6.* in ſtrangulato reperit fiſtulam pulmonum ſpuma repletam, utpote quales hactenus recenſitæ obſervationes communiter in talibus ſubjectis occurrunt: ſicut in nonnullis etiam extravaſatio ſangvinis intra pulmones facta obtingit: rarior vero eſt obſervatio, quam *Bonetus in Sepulchreto Anatomico Tom. 3. Lib. 4. Sect. 14. Obſ. 11.* ex *Cardano Lib. 2. Tractat. 2. Contradictione 7 & Lib. 14. de Rerum varietate Cap. 76.* proponit de ſuffocatione in ſuſpenſo impedita ob aſperam arteriam oſſeam, quæ propterea cum laqueo comprimi non potuit: de reliquo vero prognoſis ad præſentem caſum ſpectans e præcedentibus circumſtantiis haurienda eſt, ſicut eo adhuc pertinet, quomodo ejusmodi homines e tali periculo ad vitam revocati in futurum variis animi mutationibus & priſtinæ vivacitatis ac ſanitatis alterationibus ſubjici-

jiciantur: nec non, quomodo in ſubjectis vel paululum ſangvine abundantibus in futurum nonnulla incommoda pectus affligant & detineant, quibus eapropter providus artifex omni dexteritate proſpicere debet, ne tale malum magis increbeſcat.

§. VIII. Ordo me ducit ad practicam hujus caſus diſquiſitionem, in qua ſubminiſtranda primo loco talia tentamina annotabo, quæ præſentis afflictionis curam impedire ſolent, cavendum itaque eſt: 1) ab omni impetuoſa & immoderata evacuatione 2) a præmatura cujuscunque evacuationis provocatione, antequam ſcilicet ſangvinis motus iterum provocatus fuit 3) ab intermiſſa ſangvinis ventilatione, aut 4) a nimis parca ſangvinis imminutione, quæ in tali caſu parum juvat 5) a remediis valde commoventibus & in ſuſpectum motum corpus ducentibus 6) a negligentiori virium reparatione & conſervatione 7) a præmaturo ſalium volatilium uſu 8) ab experimentis dubiis & æquivocis 9) a nimis confuſa & inconſtanti auxiliorum oblatione, vel inconvenienti accumulatione & multiplicatione 10) a ſenſuum deficientium ulteriori hebetatione & oppresſione 11) a remediorum adſtringentium, incraſſantium, ſe- & Excretiones turbantium tam curatoria quam præſervatoria oblatione 12) a remediis & experimentis reſpirationem magis offendentibus & angentibus, quæ ſingula principaliora conamina ſedulo arcenda ſunt, ſi de reliqua reſtitutione in integrum ſpes quædam concipienda erit.

§. IX. In poſitiva curatione hujus caſus ſequentia auxilia in uſum trahenda ſunt: per initia ſubjectum a conſtrictione colli & laqueo penitus liberandum eſt, ne ſuffocatio acceleretur: deinde mox conſtrictum & in aliquem rigorem perductum collum ab extra leniri & relaxari debet: quo conducunt olea emollientia, fomentationes & calidæ frictiones colli; porro confeſtim reſpirationi ſubveniendum eſt, quo illa revocetur, ubi ſecundum quorundam commendationem illud inſtrumentum, ſi ad manus fuerit, applicari poteſt, mediante quo pulmones inflari poſſunt; vel etiam pectus cum linteis calidis fricari debet; nec non fauces cum aliquo penicillo, aut cum pluma irritare convenit: quemadmodum etiam naribus moderata irritatio inducenda eſt: unde nonnulli moderatum ſternutatorium approbarunt, ſicut veteres piper aut pulegium cum aceto mixtum intra fauces dimiſerunt: non minus per initia oleum quoddam leniens faucibus infundere licet, ut qualitercunque eædem ad aliqualem commotionem excitentur; etenim priusquam hæc reſpiratio denuo revocata fuerit, alia conſilia haud facile ſperatum ſuum effectum exſerunt, ita etiam frictiones externi corporis cum linteis calidis, imprimis ſecundum curſum venarum, a minoribus in majores ramos tranſeuntium, inſtitutæ

tum in genere ad motum progreſſivum ſangvinis, tum ſeorſim ad revocandum motum pectoris conferunt.

§. X. Præter hæc auxilia ſine mora & tempeſtive quidem ſangvini aliqua ventilatio inducenda eſt per Venæ Sectionem in brachio paulo largiorem & quo ſangvis facilius ex inciſa vena effluat, prædictæ frictiones corporis ſecundum ductum venarum, imprimis venæ inciſæ, conciliandæ ſunt; imo in aliquibus ſubjectis expedit ejusmodi Venæ Sectioni ſubmittere inciſionem Venæ ſublingvalis aut jugularis: poſtea expedit motus vitales in aliis regionibus excitare, unde conducunt clyſteres lenientes, roborantes & mediocriter ſtimulantes: ad pectus ipſum pro motu excitando rubefaciens remedium applicari poteſt, aut nuchæ veſicatorium adhiberi debet: ſi fieri poteſt, confert aliqualis agitatio corporis pro ſangvinis motu vel excitando, vel promovendo, ut ita totus labor per initia eo directus eſſe debeat, quo ſufflaminatus motus ſangvinis iterum in ordinem ducatur: haud vero præſtat faucibus atque naribus extreme acria, aut plane cauſtica applicare, ſed etiam in hac neceſſitate modeſtiæ ſtudere; unde convenit, quando ſemel reſpiratio redire videtur, in poſterum pectori lenientia magis, quam ſenſibiliter ſtimulantia applicare; neque etiam confert in primis initiis, quando reſpiratio revocari debet, ſuffimigia adhibere, quæ potius reſpirationi inimica ſunt: modeſtus tamen uſus Spiritus Salis Ammoniaci cum Balſamo liquido ſvaveolente remixti pro odoratu in hoc caſu non eſt rejiciendus.

§. XI. Quando ſub uſu talium auxiliorum reſpiratio rediit, tunc intrinſecus uſurpanda ſunt confortantia, analeptica, nervina, imprimis liquida, ut aquæ ſpirituoſæ, Confectiones aromaticæ, præcipue cum Cinnamomo mixtæ, quin ipſe uſus boni & generoſi vini in hoc ſtatu utilis exiſtit: deinde conducunt remedia bezoardica, velut Tincturæ hujus tituli, quæ ad motum ſangvinis adjuvandum contribuunt: ita ſubjunctus uſus modicus Spiritus Cornu Cervi perinde conducit; nec non in ſubjectis temperatioribus aliquot guttulæ Balſami liquidi oleoſi cum vehiculo quodam exceptæ conveniunt: præterea ſupra commendatæ frictiones corporis per intervalla continuandæ ſunt; nec non ſucceſſive, quando vires reverti videntur, modeſtus uſus Balneorum nervinorum proficit: ſicuti pro collo antea afflicto roborando conducunt Linimenta ex Oleo Liliorum alborum, Oleo Ligni Rhodii, aut alio roborante oleo, nec non ex Croco & Camphora parata: quemadmodum etiam pro illa neceſſitate auxilium ferre convenit, quando actualis læſio collo per ſtrangulationem inducta fuit, ubi ungventa balſamica digeſtiva & roborantia in uſum trahi debent; & quando tale ſubjectum adeo reſtitutum fuit, tunc impoſterum ordinanda eſt diæta temperata, diluens tamen & modeſte roborans:

aer

aër ſeligatur ſerenus; motus & potus ſufficiens conſeratur & quicquid reſpirationem offendere poteſt, illud ſedulo evitetur: in futurum etiam præſervatoriis uſibus ſangvinis ventilationes repeti debent.

CASUS IX.

DE

PERICULIS EX SIMULTANEA ET EXCESSIVA ARDENTIUM SPIRITUUM INGURGITATIONE.

§. I.

SPecialisſimus hic eſt caſus, cujus paſſim etiam reminiſcuntur Doctores & Obſervatores, qui propter ſingulares ſuas circumſtantias notatu perquam dignus eſt: exponit videlicet hic caſus illa damna, quæ ex ſubitanea & nimia aquarum ſpirituoſarum ingeſtione oriuntur, ubi minime ſermo eſt de illis ſucceſſivis nocumentis, quæ ex ſucceſſive exceſſivo uſu ſpiritus ardentis proveniunt, ſed quæ ex ſimultanea & nimia illius ingurgitatione prodeunt; ubi exempla proſtant & conſtant, quomodo ex ejuſmodi abuſu repentina mors ortum traxit, uti viciſſim per cognitum quam eſt, quomodo communis ille abuſus talium ſpirituum multis mortem conciliaverit: & quamvis quædam nationes largum & quotidianum illius uſum commode perferre queant, tamen hæc euphoria non ad alias nationes extendenda eſt: quid quod ipſæ hiſtoriæ medicæ teſtantur, quomodo etiam nimia & ſubitanea ingeſtio talium ſpirituum in ſubjectis ceteroquin adſvetis perinde eminentem noxam intulerit: quando itaque talis inopinatus caſus Medico offertur, tunc eidem promte & efficaciter ſubveniendum eſt, ne interdum repentina, quæ imminet mors, expectetur, incauta cunctatione & negligenti oppitulatione adjuvetur, aut acceleretur.

§. II. Teſtimonia ſubitaneæ mortis ex ejuſmodi ſimultanea & exceſſiva Spiritus ardentis aſſumtione in Hiſtoria Medica minime deſunt, ſicuti quædam ſubjecta comatoſo, nonnulla ſyncoptico, aliqua apoplectico ſuffocativo effectu periere, quales hiſtorias autores paſſim deſcribunt, inter quos hoc loco tantum allegare lubet *Hildanum Cent. 4. Obſ. 39. Bartholinum Hiſtoriarum Anatomicarum Cent. 3. Obſ. 56.* in genere quidem e diverſis obſervationibus inclaruit,

ruit, quomodo ſpecialior noxa in diverſis ſubjectis discrepaverit, interim quomodo ubique tales noxii effectus ſatis ſontici & periculoſi extiterint, dum non modo ſingulares corporis partes eminens tale damnum experiuntur, ſed & ubi ſimul tota œconomia animalis uno momento extreme alteratur: in quo caſu rite discernendo & proxime etiam perite dijudicando tales circumſtantiæ obſervandæ ſunt, an ſubjecta affecta tenerioris, vel magis confirmatæ ætatis fuerint? an ſenſibilioris, vel robuſtioris naturæ ſint? an jam actualibus morbidis afflictionibus laborent? an plethorica ſint? an ſangvinis commotionibus admodum adſveta ſint? an actualibus Hæmorrhagiis unquam expoſita fuerint? an virilis vel ſequioris ſexus ſint? an alias in œconomia vitali & præcipue in primis regionibus facilioribus alterationibus expoſita ſint? & quæ aliæ perſonales circumſtantiæ concurſant, quæ ad Prognoſin, Diagnoſin & Therapiam recte adornandam multum lucis affundant.

§. III. Quando præſentem caſum quoad hiſtoriam ſuam perluſtrare cogito, tunc varia phænomena ſatis ſontica ſeſe produnt, quæ in illa afflictione, quando exceſſive Spiritus ardentes ingurgitati ſunt, occurrere conſpiciuntur: inter ſigna talia præcipua hæc ſunt, quod ejusmodi homines mox corruant & neceſſariis viribus ſimul & ſemel deſtituantur, ipſe animus confeſtim dejiciatur; ſupervenit interdum Syncopes, aliquando obruit ſopor, pulſus eſt debilis & inæqualis, nonnunquam coincidit palpitatio cordis, interdum affligit tremor membrorum, naturalis faciei conſpectus eximie perturbatur & immutatur, imo periculum repentinæ mortis imminet, reſpiratio eſt anxia, difficilis, anheloſa, ingruit metus ſuffocationis & afflicti homines velut agonizantes comparent: ſub hac tragœdia utplurimum ratio delinquit, quamdiu vero tales homines mentis compotes ſunt, tunc ſentiunt extremum ventriculi ardorem, quin eo usque denique res devenit, ut hauſtus ille Spiritus ardens in ventriculo actualem flammam concipiat, (conf. A. N. C. dec. 1. an. 1. obſ. 77. & an. 4. 5. obſ. 17.) quæ cœrulea flamma tandem e faucibus erumpit: hinc ratio & loquela intercipiuntur, œſophagus vero per hanc flammam valde læditur & comburitur, ut ſuffocatio interdum extemporanea ſit, interdum valde affligat, proximeque immineat, ſicuti ejusmodi exempla accenſi Spiritus ardentis in ventriculo tum in prædictis autoribus, tum alibi occurrunt, *conf. Rolfinckius in ordine & methodo medendi ſpeciali Lib. 2. Sect. 3. Cap. 89. Piſanus in A. N. C. Dec. 1. anno 1. obſ. 77. Bartholinus Hiſtoriarum Medicarum Anatomicarum Cent. 1. Obſ. 70. & in Tractatu de Luce animali Lib. 1. Cap. 18. Garmannus de Miraculis Mortuorum, Wedelius Diſſert. de Spiritu Vini Cap. 3. Lentilius A. N. C. Decur. 2. an. 10. Obſ. 77. in appendice, Behrens in Selectis diæteticis de Aquis vitæ, Ridlinus in Obſ. medicis*; quo ſpectat illa mira obſervatio *Bartholini in*

Act,

Act. Haffn. Vol. 1. Obſ. 118. de Fœmina toto corpore combuſta & in cineres converſa ex nimio & frequenti Spiritu ardentis uſu & abuſu: quæ vero hiſtoria adhuc ſolidiori approbatione inidiget; mihi ad minimum incredibilis videtur.

§. IV. Præter hæc phænomena adhuc plures circumſtantiæ in hoc caſu occurrunt, ſiquidem aliquando poſt nimiam Spiritus ardentis ingurgitationem repentina & caduca vertigo corripere ſvevit, in quibusdam repente lethalis apoplexia ſupervenit; in nonnullis horridæ convulſiones conſequebantur; quidam ſoporoſis affectibus affligebantur, ſub quibus etiam periere; interdum vehementes vomitus & immoderatæ Diarrhœæ acceſſerunt; quandoque Febris periculoſa acuta cum graviſſimis deliriis conjuncta acceſſit, utplurimum in Ventriculo actualis Inflammatio corripit, ita, ut variæ afflictiones extreme periculoſæ in tali caſu occurrant, ſiquidem in ſubjectis ex hoc caſu demortuis perinde varia phænomena obſervata ſunt, velut inflammatio in ventriculo, aut inteſtinis, aut hepate, aliisque primarum regionum partibus, vel plenaria putredo aut extravaſatio ſangvinis aliorumque humorum, præcipue in cerebro, aliquando gravis ſtaſis ſangvinis in pulmonibus, aut inſolita totalis ſangvinis coagulatio & coloris rubicundi immutatio, vel eryſipelacea afflictio œſophagi, vel inſolita inflatio Venæ Portæ, ſicut de hoc caſu pluribus conferri poſſunt *A. N. C. Dec. 1. an. 4. obſ. 17. Foreſtus Lib. 9. obſ. 27. Zacutus Luſitanus Praxeos admirandæ Lib. 5. Sennertus Praxeos Medicæ Lib. 1. Part. 2. Cap. 33. Bierlingius in Theſibus Practicis A. N. C. Dec. 3. anno 5. obſ 83. Pechlinus Obſ. Medicarum Lib. 1. & 3.* & paſſim alibi.

§. V. Quoad Prognoſticam hujus caſus explicationem variæ circumſtantiæ ad hiſtoricum conſpectum pertinentes occurrunt; quo magis repentinæ & extremæ afflictiones in hoc caſu occurrunt, eo periculoſior eſt reliquus ſtatus, eoque citius decurrit: tanto magis vero extreme periculoſa conſtitutio eſt, quando defectus motuum neceſſariorum eminentes & evidentes concurſant; quid quod perinde malum eſt, ſi ſimul ſenſus & ratio vacillant, qui defectus non modo gravitatem affectus, ſed & præcipitem illius decurſum utplurimum funeſtum exprimit: proinde etiam periculoſum ſignum eſt, ſi tremores, aut perfectæ convulſiones ſuperveniunt: ſalutare viciſſim eſt, ſi tempeſtivæ & moderatæ excretiones, ſive emeticæ ſive catharcticæ ſuperveniunt: periculoſum eſt, ſi ingurgitatus Spiritus ardens actualem flammam conceperit: tanto magis vero ſuſpectum eſt ſignum, ſi talis flamma diutius duraverit: inſuper periculoſus eſt ſtatus, ſi ſubjecta una admodum plethorica fuerint: malum eſt indicium, ſi febris acuta accidit: ominoſum eſt phænomenon ſi externa frigent, interna urunt; lethale ſignum eſt, ſi ſub præſentia rationis tamen graviter afflicti ægrotantes nihil ſentiunt: & ad lipothymias proniores ſunt: ſicut etiam in-

 volun-

voluntariæ excretiones peſſimum ſignum exhibent: ſtrangulatoria afflictio,frequentius repetens, malum omen eſt, quemadmodum internæ inflammatoriæ commotiones confirmatæ in hoc affectu perinde periculo plenæ ſunt.

§. VI. Brevibus nunc perluſtrabo cauſas harum afflictionum, quæ in hoc caſu obtingunt: & ita immodica illa ingeſtio Spiritus ardentis omnium ſubſequentium calamitatum cauſa eſt, inde enim evenit, ut talis Spiritus cum eximio ardore ſenſibiliores ventriculi regiones affligat, quam offenſionem mox excipiunt commotiones congeſtoriæ & inflammatoriæ circa Ventriculum procedentes, nec non motus ſpasmodici ad eliminationem ingeſti hujus Spiritus tendentes & continuantes, quo denique in ſubjectis ſenſibilioribus convulſivæ corporis agitationes pertinent: & ſi talis hauſtulus Spiritus in actualem flammam erumpit, tunc partes continentes valde læduntur, unde tam in illis, quam etiam in confiniis harum varii motus congeſtorio-ſpaſtici ſuſcipiuntur, qui talibus læſionibus & dolorificis ſenſationibus opponuntur; quid quod una concurrit vehemens orgaſtica ſangvinis commotio, tanto magis quando ſpirituoſi tales potus copioſius in maſſam ſangvinis translati ſunt, ſub qua turgeſactione immoderata ſangvinis angores, oppletiones, ardores concurrunt: proinde in hac neceſſitate & ſub hac ſpumefactoria commotione ſangvinis coincidunt vehementes & impetuoſæ particulares ſangvinis congeſtiones intra caput, ut propterea vel inflammationes & phrenitides, vel extravaſationes & apoplectici aut hemiplectici affectus ſuperveniant: vel contingit, ut ob extremam hanc corporis afflictionem ſub tali angore & incontinentia, aut defectu conſilii & auxilii natura repente motus ſuos deſerat & in ſoporoſos, aut paralyticos affectus patiens delabatur: nonnunquam ob cauſatum immodicum orgasmum febrili motu natura imminentibus damnis ſeſe opponit, quæ febris vero, quia per tam confuſas cauſas concitata fuit, etiam ordinem juſtum haud ſervat, quin plane eo denique res devenire obſervatur, ut internæ ſtaſes & actuales putrefactiones conſequantur, quæ tandem in miſeram mortem ſub variis horridis & confuſis ſignis ſubſequentem tranſit.

§. VII. Ordo tractationis nunc me ducit ad curam præſentis caſus, in quo primo nominanda erunt talia tentamina, quæ potius in eodem officiunt, quam proficiunt; cavendum itaque eſt 1) a concitatione immoderatiori evacuationum 2) a ſuppresſione ſpontanei vomitus & alvi fluxus 3) a remediis carefrigerantibus, quæ tanto facilius ſphacelationem cauſantur 4) a remediis calidis acribus concentratis ſpirituoſis, quæ ventriculum jam valde ſenſibilem magis vellicant & offendunt 5) a remediis poſitive diaphoreticis & ſangvinis maſſam commoventibus, aut orgaſmum ſangvinis excitantibus 6) a remediis ad-

adſtringentibus & nimium incraſſantibus 7) tanto magis vero a narcoticis & inique partes relaxantibus 8) a ſingulis talibus medicamentis, quæ vias atque humores irritant & motus magis augent 9) a nimis fugitiva & variata perverſorum remediorum ordinatione 10) a præſentis ſtatus plethorici admodum urgentis incongrua & negligentiori tractatione 11) a ſymptomatum concurrentium qualicunque exacerbatione & denique 12) a regimine perverſo & confuſo moderamine exeuntis caſus.

§. VIII. Poſitiva curatio præſentis afflictionis ita eſt exercenda, ut afflictus patiens in ſitu congruo conſervetur, ne flamma ob inconvenientem corporis ſitum ſuffocationem aliquam inducat & acceleret: & talis ſitus ſecundum plurimorum probatorum Doctorum conſenſum magis ſupinus, quam erectus eſſe debet, licet nonnulli jubeant, afflictum in ſitu erectiori intra fimetum ponere, quod experimentum vero eſt inutile, ſiquidem fruſtra cum eodem flammam extingvere cogitant; licet alias craſſo modo cum fimo in aliis incendiis flamma extingvi ſoleat: illa rectius cura principalior artificis eſſe debet, quo flamma tempeſtive & tam efficaciter ſuffocetur: quo conducit hauſtus lactis pingvioris, aut etiam Decocti cujusdam mucilaginoſi; minime vero in hac neceſſitate quadrat oleorum ingeſtio, quod ſane idem eſt ac Germani enunciare ſolent: Oehl ins Feuer gieſſen; neque etiam aqua frigida haurienda eſt, quoniam frigus oppoſitum extremas alterationes cauſatur: & quamvis quidem aqua tepidior in hac calamitate extenuando & debilitando Spiritum ardentem ad hujus flammæ extinctionem aliquid conferat, tamen hic effectus paulo tardioris ſucceſſus eſt, unde potius aquæ mucilaginoſæ præferendæ ſunt: ut Cremor & Decoctum hordei, Decoctum C. C., juſcula avenacea, Decocta e Speciebus mucilaginoſis, additis paſſulis, pulpa Citri; ſed cum in tali repentina afflictione Lac citius ad manus veniat, quam demum pharmacevtica talia auxilia parentur, ita proximum eſt optimum tale auxilium: de reliquo aliqui in hac neceſſitate muriam braſſicæ capitatæ commendant, quæ etiam, ſi confeſtim ad manus fuerit non contemnendos effectus exſerit.

§. IX. Extincta tali flamma proxime conducunt lenientia & temperantia, quæ internum ardorem demulcent: evitanda vero ſunt acria, reſinoſa, quæ affectam partem irritant & ſtimulant: laudantur a quibusdam abſorbentia, neque quidem male, uti *Simon Pauli* experimentum tale producit de homine in ejusmodi afflictione curato per C. C. juxta opinionem, philoſophice præparatum, conf. quæ *Rolfinckius* loco ſuperius citato *Lib. 4. obſ. 13.* diſſerit: alioquin vero conducunt Lacticinia cum abſorbentibus mixta, quibus etiam tantillum nitri commiſceri poteſt: etenim moderatus Nitri uſus in

hoc

hoc caſu eximiam demulcentem & lenientem qualitatem habet: præterea conveniunt Decocta e Liquiritia, Althæa, Veronica, Acetoſa, Chærefolio, Plantagine, Caricis pingvibus, C. C. raſpato, Hordeo excorticato parata, quibus aliquid de Nitro, vel de Syrupis acidulis combinari poteſt; qualia Decocta leniunt, diſcutiunt & abſtergunt; cavendum tamen eſt, ne prodigis hauſtibus ingerantur, ſed ad ſucceſſivos uſus conſerventur: ita etiam conveniunt Pulveres ex abſorbente vel ſimplici vel cum acido ſaturato, Nitro & Coralliis rubris parati cum ſufficienti vehiculo aſſumendi, ſicuti Cinnabarina remedia addita perinde anomalicis commotionibus emendandis conveniunt.

§. X. Non minus in hoc caſu multam utilitatem afferunt Emulſiones ex aquis Veronicæ, Fœniculi, Chærefolii, Plantaginis, Scabioſæ, Ceroſarum nigrorum, Roſarum, Cinnamomi, Nucleis pingvibus, amygdalis dulcibus, Pineis, Semine C. M. & Papav. albi paratæ: quidquod ad ulteriorem lenitionem interni ardoris convenit potus oleoſus ex oleo Liliorum alborum, Oleo Ovorum paratus, pro faucibus afflictis conveniunt Gargariſmata, cum Lacte paranda e Radicibus Liquiritiæ, Althææ, Ir. flor, Sigill. Salom. Herb. Veron. Scord. Salv. Agrimon. Milleſol. Flor. Chamomill. Roſarum &c. addito tantillo Croci Orient: præterea proſpiciendum eſt, quo excretio alvina continuet, pro qua ſublevanda conducunt clyſteres lenientes & moderate roborantes; ad urgentes anguſtias præcordiales conveniunt remedia Nitrata Cinnabarina & Coralliata, nec non Emulſiones e diſcutientibus & analepticis aquis paratæ; ab extra regioni ventriculi applicari posſunt Scuta ſtomachalia & Cataplaſmata ſtomachica, quibus tantilllum Caſtorii, Camphoræ & Croci Orient. conjungi poteſt: de reliquo patienti concedenda eſt requies animi & corporis & ex fonte diætetico ordinanda ſunt analeptica non valde acria, ſicut in hoc caſu opportuno tempore juſcula vinoſa conveniunt, alias lacticinia juſcula gallinacea, quæ dicuntur die Kraft-Brühen pultacea amygdalata & Cinnamomiſata huc quadrant; cavendum vero eſt, ne nimia quantitate cibi ingerantur, ſed quo quovis modo afflictus ventriculus ab omni offenſione arceatur.

CASUS

CASUS X.

DE

DAMNIS EX ABUSIVA ET SUCCESSIVA ARDENTIS SPIRITUS INGESTIONE.

§. I.

IN præcedenti caſu de damnis ſimultaneæ & exceſſivæ ingurgitationis Spiritus ardentis actum fuit; hoc loco ſermo erit de ſucceſſivo abuſu hujus potus ſpirituoſi & qualia inde damna emergant: dum vero alicujus abuſus mentio injicienda erit, ita minime aliorum exempla eo usque extendenda ſunt, ut concluſio illa formetur, quod uni juſtum alteri æqvum, id eſt, quod unus perferre poteſt, id etiam alter perferre poſſit: frivola enim eſſet argumentatio a Turcis, Polonis &c. ad delicatos Germanos, etenim vulgo in hiſtoria & obſervatione phyſico-medica reperitur, quomodo nationes quædam quocunque modo potu ſpirituoſo tanquam communi utantur, ſicut ſeptentrionales gentes, ut & Ruſſi, Polonæ, Turcæ, Tartari &c. hoc potu ſatis largiter fruuntur, quo ſi aliæ nationes eadem ratione atque modulo utuntur, omnino exceſſus inde & abuſus conſpicuus eluceſceret: unde partim ille abuſus nominandus erit, quando quædam gentes præter conſvetudinem ſuam talem potum ingerunt dum a teneris & ſub reliqua ſua educatione ad talem potum adſvetæ non deprehenduntur, ſicut hic abuſus valde frequens eſt inter potatores Germanos: tanto magis vero ille nominandus & accuſandus erit abuſus, quando ejusmodi homines etiam ſucceſſive ſatis largiter talem potum ingerunt & ex prava conſvetudine luxuriantis & confuſi appetitus eundem copioſe aſſumunt: ubi tamen corporis ſenſibilitas repugnat & nulla conſona conſvetudo in œconomia vitali occurrit.

§. II. Quanquam hic potus ſpiritus ardentis non æque tantum alicui certæ nationi dicatus & deſtinatus, ſed inter alias etiam gentes aliquam utilitatem afferre poſſit; tamen modus, hoc potu utendi, non eſt indiſcretus, promiſcuus, aut univerſalis, quoniam ſecundum aliarum nationum robur & duriorem animi corporisque conſtitutionem paulo largior quantitas hujus potu ſperatos & proficuos effectus exſerit, tum in negotio applicandorum certorun auxiliorum majoris & minoris ſenſibilitatis horum ſedula ratio & indagatio ha-

benda & inſtituenda eſt, ita in aliis ſubjectis tenerioris & ſenſibilioris conſtitutionis minor quantitas ejusmodi potus perinde utilis eſſe obſervatur, dum viciſſim confuſa applicatio illius ad illa damna ſucceſſive disponit: ſicut vero hic abuſus ſuccesſive committitur, ita nocumenta exinde provenientia non ſimultanee invadunt, ut ſunt vitia motuum ſive defectiva, ſive excesſiva; tamen eadem utplurimum ſuos patronos habent & ſuccesſive invitantur, ut e minori initio & indicio ad majorem & graviorem effectum & affectum contendant, ex quo tam Medici, quam ejusmodi homines illam opportunitatem temporis colligere poterunt, qua ab ulteriori hujus potus abuſu abſtinere ſumma neceſſitas poſtulat.

§. III. Proximum erit, quo ex hiſtoria medica recenſeam illa damna, quæ abuſum hujus ſpirituoſi potus excipere obſervantur & hæc ipſa quidem partim animum, partim corpus concernunt & afficiunt, quæ in quocunque & utroque tali ſubjecto ſatis numeroſa, ſatisque gravia exiſtunt: quod enim animum attinet, tunc utplurimum hic abuſivus potus conciliat ſtuporem, ſicut inter alios *Clauderus in A. N. C. Dec. 2. an. 8. obſ. 220.* ſtupiditatem a Spiritus Vini potu deſcribit, aut loco perfecti ſtuporis eminens animi imbecillitas, aut oblivioſa debilitas ſequitur, nec non langvor, torpor, faſtidium, ignavia; ingenium communiter redditur tardum & ſtupidum, memoria difficilis & labilis, quid quod occupat averſio rerum ſerioſarum; unde ejusmodi homines ad negotia ardua & utilia adminiſtranda, nec non ad conſilia apta inepti evadunt; circa functiones animales perinde variæ alterationes oriuntur, appetitus eſt confuſus, vagus, torpidus, interdum dejectus, interdum faſtidioſus, unde aliquando nauſea corripit & utplurimum tales potatores ab ordinaria diæta deprehenduntur abſtemii: præterea affligunt frequens & inſolita ſomnolentia, reliquarum virium langvores & citior defatigatio: communiter ejusmodi homines ſunt ignavi; in ſenſibus externis ſuccesſive corripit hebetudo, oculorum perturbatio & caligo, vertigo & ita in - & externorum ſenſuum immutatio & ægrotatio ex ejusmodi abuſu ortum trahit, ſicut hujus hiſtoriæ quotidiana experientia copioſum teſtimonium profert.

§. IV. Proinde etiam abuſivus potus ardentis ſpiritus varia damna corpori, œconomiæ motuum vitalium & variis organis corporis humani inducit, e quibus uſitatiora ſunt generalis depravatio humorum, ſive Cacochymia, aut conjuncta depravatio habitus corporis, ſive Cachexia, actualis Hydrops, funeſta Hectica, ſuſpecta Oedemata, pertinaces, immorigeræ & confuſæ Hæmorrhagiæ, immoderatæ congeſtiones ſangvinis, imprimis intra caput & pectus, dolorifici & tenaces Rhevmatismi, obfirmatus Icterus, lethalis Phthiſis, radicata Scabies, deformantes Vari & Gutta roſacea, ominoſa & pertinax

tinax Tuſſis, ſive pectoralis, ſive hypochondriaca, refractaria Tabes & Atrophia, ſolitarum & ordinariarum excretionum anomaliæ, Scliroſis, Induratio hepatis, interni Scirrhi, rebelles & immodici Spaſmi, acutæ Febres, artuum Tremor, contumaces defluxiones catarrhales, Pallor corporis, alvus inordinata, vitia urinæ, inprimis ardor urinæ, perturbationes Menſium & Hæmorrhoidum, afflictiones vertiginoſæ, cordis palpitationes, oppresſiones pectoris & conjunctæ difficiles reſpirationes, anguſtationes hypochondriorum, flatulentiæ, colicæ, conatus vomendi, atoniæ ventriculi & conjunctæ illæ ægrotationes, quas vulgo vocant: Die Ublig**k**eit ſo aus dem Magen ſteigt &c.

§. V. Quamquam hactenus recenſiti morbi in ſe ſpectati ſatis ſontici exiſtant, tamen non modo hi affectus ut ſimplices ejusmodi abuſum potus ſpirituoſi excipiunt, ſed utplurimum in uno ſubjecto copioſiores tales ægrotationes ſimul coincidunt, ut ob ejusmodi abuſum miſere affligantur ſubjecta & tandem etiam miſere extingvantur: quidquod utplurimum ejusmodi homines invadunt morbi confuſi & obſcuri, qui vel in extremo vitio motuum conſiſtunt, vel interna quadam labe nituntur: hinc contingit, ut ejusmodi potatores deniq; vel cum hectica vel cum Aſthmate chronico, vel cum Catarrho ſuffocativo, vel cum Apoplexia & Paralyſi pereant: & ſi ita defuncti aperiuntur, communiter vel in pulmonibus, vel in Hepate ſingularis quædam labes conſpicitur: hinc Drellincurtius, in ejusmodi ſubjectis obſervavit varia hepatis & pancreatis vitia: conſiſtunt vero hæc mala, ſive pulmones, ſive hepar occupaverint, vel in Scirrhis, vomica, induratione, obſtructione aut ulcere: in nonnullis conſpicitur cor flaccidum & pallidum, ſangvinis craſis eſt valde depravata, non raro adeſt polypus cordis & in aliis organis nobilioribus internis ſimilis calamitas deprehenditur; uti in cerebro aliquando extravaſationes aut varicoſæ inflationes occurrunt.

§. VI. Præter has circumſtantias, quæ ad hiſtoricam præſentis caſus notitiam ſpectant, brevibus adhuc quædam annotationes apponendæ & commendandæ erunt, quæ Prognoſticam tractationem ejusdem caſus concernunt: in genere quidem ſciendum eſt, quod illæ morbidæ afflictiones, quæ excesſivum potum ſpirituoſum ſeqvuntur, communiter intricatæ, confuſæ & contumaces ſint: tanto magis vero malum & periculoſum ſignum eſt, quando vel ordinariæ vel extraordinariæ, ſalutares tamen, excretiones turbantur, aut penitus ſupprimuntur: nec non ſuſpectum indicium eſt, quando actuales hypochondriorum indurationes invadunt, aut quando febriles & hecticodeæ commotiones corripiunt: proinde malum eſt ſignum, ſi interdum inopinato quædam evacuationes & plane inopportuno tempore & incongruo gradu atque modo erumpunt & decurrunt; qua propter etiam nihil ſublevant, ſed magis enervant: ma-

malum etiam eſt ſignum, ſi appetitus & negotium concoctionis graviter turbantur, cum qua confuſione aliæ morbidæ calamitates, per totum ſe & Excretionis negotium tranſeuntes, cohærent: malum eſt ſignum, ſi ſubjecta contabeſcere inchoant aut intumeſcere incipiunt: hinc præcipue tumores oedematoſi ſatis ſuſpectam notam exhibent: periculoſum etiam eſt, ſi ejusmodi homines aſthmatici fiunt & in pectore calamitates experiuntur.

§. VII. Quod vero ex abuſivo potu ſpirituoſo tot ac tantæ morbidæ offenſiones oriantur & quidem in certis ſubjectis & nationibus & cur aliæ durioris animi nationes e tali ſatis largo uſu ſpirituoſi potus ſimiles afflictiones haud experiantur, non tam corporis robori & firmitati, quam conſvetudini adſcribendum eſt, ſiquidem duriores nationes vix ita ſenſibiles ſunt, proptereaque ex largo tali potu non offenduntur: in inſvetis vero ſubjectis primaria & fundamentalis offenſio, quæ e tali abuſu provenit, eſt, quod exinde ſatis ſufficiens & firma adſtrictio viſcerum oriatur, ſicut alias ſpiritus ardens adſtringentem & coagulantem qualitatem habet, quæ coagulatio tam lymphæ, quam reliquo ſangvini imminet: eapropter hic abuſus ad duplex illud catholicum malum diſponit: primo ad occluſiones viarum, ſecundo ad incraſſationes humorum: inde læditur proportio humorum ad motus, juſtus maſſæ ſangvineæ progreſſus, debitus ſecretionum, depurationum, abſterſionum & excretionum ſucceſſus, nec non neceſſarius nutritionis decurſus: inde occupant variæ ſtagnationes, oppletiones & infarctus viſcerum, variæ perverſæ ſecesſiones humorum, inquinationes & depravationes ſangvinis & in genere cacochymici & cachectici affectus, tanquam radices aliorum graviorum pathematum.

§. VIII. Et quando talis abuſivus potus ſpirituoſus ad varias irregulares ſangvinis commotiones diſponit, quid quod ſonticas inebriationes cauſatur, tunc mirum eſſe haud poteſt, ſi ob inſignem & frequentem talem alterationem animus in conſtantem irregularitatem delabatur & cum tempore ſtupor, langvor, torpor atque confuſio oriatur, qualis perturbatio animi impoſterum ad plures & majores perturbationes oeconomiæ vitalis diſponit: præcipue hic abuſus ordini motuum vitalium graves turbas injicit, dum videlicet vias & neceſſarios tranſitus occludit & humores ſimul ad liberum facilemque motum ineptos reddit. Dum etiam tales ſpirituoſi potus ad confuſas orgaſticas commotiones ſangvinis diſponunt, ita non modo juſtum humorum progreſſum graviter turbant, ſed & confuſam craſin humoribus conciliant, imo eo ipſo variis particularibus congeſtoriis commotionibus anſa præbetur, quæ ob irregularitatem ſuam etiam in ſiniſtros effectus deſinunt, ut loco convenientis excretionis vel confuſæ & immoderatæ eructationes oriantur, vel ſuſpectæ oppletiones, ſtagnationes, ſecesſiones & ſtaſes: quin denique ſequitur, ut ob talem impedi-

peditum humorum progreſſum in nobilioribus viſceribus actuales corruptiones oriantur, quarum clauſula eſt miſera & confuſa mors.

§. IX. Et ita hic abuſivus potus plenariam ataxiam in omnes functiones homini proprias inducit, unde ejusmodi effectus pendent, qui corporis deſtructioni accelerandæ ſatisfaciunt: & quoniam Spiritus ardens adſtringentem & exſiccantem qualitatem habet, ita in talibus ſubjectis, quæ ex abuſivo illius potu periere, in diverſis nobilibus organis eminentes adſtrictiones & exſiccationes conſpiciuntur: alias quidem talis ſpiritus ardens corpus non nutrit, ſed potius ad conſumtionem illius diſponit, dum in humoribus inteſtinam commotionem & orgaſmum auget, adeoque ad diſſolutionem ſangvinis & converſionem in ſerum contribuit: dum viciſſim ad lymphæ gelatinoſæ incraſſationem diſponit; ita præcedens copioſior geneſis ſeri acrioris ad futuros morbos chronicos cacochymicos, cachecticos, hecticos, hydropicos, oedematoſos, ſoedos ſcabioſos & ſimiles concurrit: neque quidem præterea hic Spiritus ardens tam abſolutam virtutem, qua concoctionem adjuvare fertur, poſſidet, ſiquidem non tam roborando ventriculum, quam rectius in maſſa ciborum augendo fermentativam commotionem operatur, qualis parallelus effectus proſtat & conſtat, quando Spiritus ardens affunditur humoribus aut liquoribus facile fermentantibus, aut aliis maſſis farinaceis, inde fermentatio adjuvatur & acceleratur, teſtimonio variorum experimentorum oeconomicorum: dum porro hic ſpiritus una adſtrictoria qualitate pollet, eapropter ſimul juſto tempore atque modo uſurpatus tonicam virtutem habet: de reliquo admodum ſuſpectus illius uſus, tanto magis vero abuſus eſt in ſubjectis ſangvineis & cholericis, in plethoricis, in hominibus ad ſalutares excretiones, tam ſangvinis, quam ſeri adſvetis & in quibus alias ſingularis ſenſibilitas animi æque atque corporis adeſt, nec non in quibus ordo vitalis eſt ſimplex atq; liber & ubi excretiones non modo ſufficienter, ſed & exactis temporibus procedunt; aut quando ſubjecta in exceſſivas evacuationes proclivia ſunt: alias ſecurius & conſultius eſt, quando talis ſpirituoſus potus magis pro medico, quam diætetico ſcopo adhibetur: neque oblivioni tradenda eſt illa circumſtantia, quod facile ex liberali hujus ſpiritus uſu parvus abuſus & mala adſvetudo, quæ deinde ægrius emendari poteſt, proveniat: exſiccans denique virtus, quæ huic ſpiritui adſcribitur, ab adſtringente illius efficacia provenit, ut ita ob multiplicem ſiniſtrum effectum ſubjecta tali potu circumſpecte uti debeant.

§. X. Tradita hactenus tam Hiſtoria, quam Pathologia præſentis caſus, nunc in ordine conſveto ad Therapiam illius procedo, in qua exponenda minime animus eſt illos effectus explicare, qui ex abuſivo Spiritus ardentis potu

tu prodiere, ſed potius explicabo, quomodo ipſe hic abuſus in ſe ſpectatus tractandus ſit; in hujus cura vero cavendum eſt: 1) a promiſcuis & immoderatis evacuationibus 2) ab ordinariarum excretionum ulteriori perturbatione, aut negligentiori promotione 3) tanto magis vero a præſentis plethorici ſtatus incurioſa obſervatione & tractatione 4) a remediis potentioris efficaciæ & ſic dictis heroicis, quæ debile corpus nimium, quam præſtat, aggrediuntur, 5) a remediis calefacientibus, impellentibus, concentratis, ſpirituoſis, acribus, ſulphureis, reſinoſis, ſimilibusve, 6) a remediis adſtringentibus & tam juſtum humorum progreſſum, quam neceſſarias Se-& Excretiones turbantibus 7) a medicamentis incraſſantibus & refrigerantibus 8) a copioſo abſorbentium uſu 9) a volatilium medicamentorum curatoria ordinatione 10) ab uſu communium narcoticorum remediorum 11) a nimia multiplicatione, variatione & copioſa ingeſtione quorumlibet medicamentorum & experimentorum 12) ab indifferenti uſu ſtomachicorum & carminativorum 13) a ſingulis remediis caput valde offendentibus & denique 14) a perverſo regimine & vivendi genere.

§. XI. Quo itaque imminentia damna ex abuſivo potu ſpirituoſo provenientia avertantur, tempeſtiva medela opus eſt & quidem antequam actualis quædam labes invaluit: cum vero hæc incommoda metuenda non alia ratione averti queant, niſi hic potus omittatur, ob id primarium conſilium erit, quo ejusmodi ſubjecta ab ulteriori hujus potus uſu ſeſe ſubtrahant; haud tamen præſtat, ſimul & ſemel hunc potum antea conſvetum ſeponere, quæ momentanea alteratio non niſi gravibus periculoſis conſecutionibus anſam præbet, unde potius intereſt ſucceſſive deſveſcere & priſtinam conſvetudinem ſubtrahere, quo indies conſveta quantitas imminuatur; alias maxime ſontici affectus, cum ventriculo & primis viis cohærentes, inſultabunt: neque quidem male in ſubjectis paulo robuſtioribus, ad evacuandam ſaburram e ventriculo convenit tempeſtivum vomitorium, ſiquidem utplurimum in ejusmodi ſubjectis ventriculum detinent materiæ ſpisſiores, mucidæ, aceſcentes & bilioſæ: pro tali vomitorio in ſubjectis durioris naturæ convenit radix Aſari, quæ ſimul potenter reſolvit: alioquin proſunt remedia incidentia, abſtergentia, reſolventia & colliquantia, quæ primas regiones ab impuritatibus liberant & huc quadrant vel Salina Tartariſata digeſtiva, vel amara, reſolventia, antiscorbutica, vel etiam acria diætetica, velut Zingiber, Piper, Cepæ, Sinapi, Naſturtium, Raphanus & ſimilia.

§. XII. Deinde confert primas regiones, in quibus materiæ ad evacuationem præparatæ ſunt, repurgare & a tali ſaburra liberare; quo conveniunt mitiora Cholagoga & Phlegmagoga; inprimis conveniunt mitiora, ut Rhabarbarum, Fol. Sennæ, Polypodium & nonnunquam etiam Bryonia: maxime con-

conducunt vinoſa e radicibus Angelicæ, Ariſtoloch. rot. Caryophyllatæ, Vincetoxici, Pimp. alb. Gent. rubr. Coſto dulci, Zingibere, Zedoaria, Herbis Abſinthii, C.B. Fumariæ, Menthæ, Majoranæ, Floribus Calendulæ, Stoechad. arab. Sambuci, Seminibus Aniſi, Foeniculi, Baccis Lauri, Cortice aurantiorum, Cinnamomi, Rhabarbaro & Fibris Hellebori nigri parata: aut conducunt Pilulæ ex Extractis amaris Gummi Ammoniaco, Galban. Bdell. Sagapen, Myrrha, Terebinth. Extract. Panch. Croll. compoſitæ: formulæ vero, quæ nimis aquoſæ ſunt haud ſatis ventriculo conveniunt: neque etiam copioſa & ſpiſſa abſorbentia remedia offerri debent & licet nonnunquam moderatas laxationes repetere utile ſit, tamen nimis frequenter ejusmodi evacuationes excitare conſultum haud eſt: quibusdam ſubjectis, inprimis mediocriter robuſtis, concedi poteſt modeſtus uſus acidularum, quæ primas regiones efficaciter abſtergunt; cavendum tantum eſt, ne admittantur, quando jam actualis labes in aliquo viſcere adeſt: & dum hæc cura continuatur, ordinandi ſunt cibi molliores, evpepti, non vero copioſi, moderate tamen aromatici, uti præcipue inter alia auxilia uſus Zingiberis & radicis Ari multam utilitatem promittit.

§. XIII. Præterea ad curam præſentis caſus pertinet mobile vitæ genus & modeſta corporis commotio, præcipue moderata abdominis ſuccuſſatio, unde equitationem in hoc caſu admitto: quo magis itaque ſubjecta ab hoc potu ſpirituoſo abſtinent, eo magis per initia ventriculo cum alio roborante auxilio ſubveniendum eſt, unde conducunt moderata ſtomachica, cum quorum uſu tamen perinde continentia ſervanda eſt, ne etiam talibus adminiculis tenaciter natura inhæreat, hinc ſucceſſive eadem ſtomachica remedia erunt ſubtrahenda: hoc nomine conveniunt juſcula vinoſa, quin ipſe potus vini boni modeſtus magis prodeſt quam nocet; cereviſia aquoſa & tenuis in tali neceſſitate non ſatis apta eſt: quod externa remedia attinet, tunc interdum eadem proſunt in ventriculi afflictione, uti ſunt Scuta ſtomachalia & Cataplasmata ſtomachica: circumferuntur etiam curationes quædam ex antipathia fluentes, qualis allegatur in *A. N. C. a Claudero Dec. 2. an. 4. obſ. 146.* de Sedatione abuſivi appetitus Spiritus vini per aquam, qua mortuus lavatus fuit, uti hujus experimenti exempla conſtant; ita ſecundum alios ſalivalis ille humor in tubis muſicis collectus hunc appetitum extingvere traditur: quod denique ſymptomata concernit, quæ in hoc caſu concurrunt, tunc ſecundum affectuum indolem ipſis congrua auxilia offerenda ſunt: ita ad ſoporoſos affectus commendatur modeſtus uſus Salium volatilium, nec non huc laudantur remedia ex Ruta parata, prout interna & externa diſcutientia remedia ordinanda ſunt: neque quidem ratio poſtulat latius in cohærentia ſymptomata excurrere, cum potius principalis & fundamentalis afflictionis ratio habenda ſit.

§. XIV. Sicut ejuſmodi Subjecta per abuſivum potum ſpirituoſum quoad omnes humanas ſuas functiones valde enervata ſunt, ita in reliqua futura præſervatoria cura eo reſpiciendum eſt, quo neceſſaria requies in omni functione ipſis concilietur: hinc in rerum non naturalium uſu quodvis neceſſarium moderamen ſervari debet & potius in omni actione juſto ordini ſtudere convenit, quoniam hactenus ſingulæ functiones in gravem ataxiam delapſæ ſunt: imprimis in diæta bona temperantia & continentia inculcanda erit, quo omnis exceſſus ſollicite evitetur; abſint cibi ſpisſiores, valde fermentantes, in primis regionibus turbas excitantes & neceſſarias excretiones pervertentes: vini potus concedi poteſt, modo ſit modicus: alvi excretio in conſtanti ſucceſſu conſervetur, unde interdum Pilulæ ſelectæ, primas regiones roborantes, abſtergentes & laxantes conveniunt; quid quod temporibus vernalibus vina medicata reſolventia, abſtergentia, evacuantia & roborantia ordinentur: quemadmodum congruo tempore uſum Acidularum non diſſvadeo, quo videlicet primæ regiones continuato actu ſufficienter repurgentur: neque quidem impoſterum uſus Spiritus ardentis repetatur, alias conſequentes perturbationes gravitate ſua ſuperabunt præcedentes.

CASUS XI.

DE

VERMIBUS INOPINATO AURES INGRESSIS.

§. I.

INter alias fortuitas moleſtias, quæ homini accidere ſolent referri meretur illud improviſum incommodum, quando ob diverſas occaſiones vermiculi, variæ ſpeciei, in aures ſe inſinuant, neque ita cito egrediuntur, ſed in hoc ſenſibili organo ſonticas vexas exſerunt; non quidem hoc loco ſermo eſt de vermiculis, quales deprehenſi ſunt in aure ex ulceratione quadam geniti: de eo potius loquor, quando in aurem ſanam & integram vermes quidam ingrediuntur, quale quid omnino de accidenti provenit, cum hæ beſtiolæ omnino ita ſapientes ſint, ut ſua ſponte & tam facile occluſa antra non intrent, alias hoc accidens longe frequentius evenire poſſet in lectis, ubi larga ſupellex cimicum & pulicum & in capitibus, ubi magnus interdum apparatus pediculorum,

rum, adeoque ipſis ejusmodi animalibus inſolitum accidentale & alienum quid eſt, ſi intra aures pervenerint & ob id anxiis commotionibus & progresſibus regreſſum extra aurem urgent, ſed eo ipſo moleſtias augent & ſonticis incommodis majorem anſam præbent.

§. II. Utplurimum eo tempore talis inopinata ingresſio vermium intra aures contingit, quando homines dormiunt & dantur certi vermes diverſæ ſpeciei, qui obſervati ſunt, quod aures interdum ingrediantur, uti hoc nomine præcipue conſtant illi vermes, qui præcipue in hortis & putridis lignis ſuſtentantur & ſpeciali illo nomine der Ohren-Würmer oder Oehrlinge fullonum vulgo conſtant, qui quidem in genere latebras quærunt & ſi ad caput pervenerint una aurium antra intrant: alias varia animalia e genere terredinum, muſcarum, formicarum, pulicum, grillorum interdum intra aures ſeſe dimittunt & has partes mordendo, ſerpendo, rependo, discurrendo, inſultando graviter aſficiunt, ut non modo ſenſibiliſſimæ titillationes, ſed & plane dolores lancinatorii exinde oriantur: & quo magis aures circa tympanum, quin ipſum plane tympanum, maxima ſenſibilitate præditæ ſunt, eo major & intolerabilior eſt moleſtia, quæ ab ejusmodi vermiculis provenit: ob id incommoda inde provenientia repente invadunt & cum maxima ſenſibilitate & tenacitate decurrunt, eaque propter repentinam opem poſtulant, ni ominoſa quædam pathemata exinde emergere debeant.

§. III. Quando itaque Fullo, Scolopendra, formica aut qualiscunque alius vermiculus intra aures perveniunt, tunc curſu & morſu ſuo ſenſibilisſimas moleſtias, imo acutos dolores cauſantur: inde ex diverſis hiſtoriis innotuit, quomodo aliquando inflammatio, interdum plenaria convulſio, nonnunquam mentis perturbatio, auditus confuſio, gravis capitis dolor, vel phrenitica afflictio, tremor capitis & cerebri, affectus comatoſi & ſimiles ſuſpectæ moleſtiæ conſequantur: proinde etiam intenſisſimam ſenſibilisſimamque moleſtiam creat, ſi tales vermiculi in aure ſtrident & clamant: neque deſunt in hiſtoria medica exempla, ubi ex ejusmodi accidente mors conſequuta legitur, qualem mortem ex Grillo in aure recenſuit *Ledelius in A. N. C. Dec. 2. anno 2. obſ. 39:* quo magis vero ſubjecta ſunt ſenſibilia, aut juniora, eo facilius ex ejusmodi ſenſibili moleſtia convulſivæ commotiones metuendæ ſunt, id quod præcipue de infantibus valet: alias quidem inter obſervatores medicos ejusmodi teſtimonia & exempla occurrunt, ubi vermiculi ex ulcere aurium generantur, qui deinde in aure ſubſiſtunt; ſed quoniam hæc pars nunc exulcerata eſt & in conſveta ſua ſenſibilitate debilitata, ea propter tam periculoſas conſecutiones non cauſantur, ita in recenſendis ejusmodi geneſibus vermium in auribus operoſa ſunt *A. N. C.*: conferendus etiam eſt *Schenckius Lib. 1. d*

Auribus : ſicut paſſim de generatione vermium in auribus inter veteres egerunt *Galenus, Aetius, Aegineta, Avicenna, Montanus Conſiliorum 39. & Solenander Conſultatione 15.*

§. IV. Præter illa pathemata, quæ ingreſſum vermium intra aures excipere deprehenduntur, varia alia adhuc a Medicis obſervata ſunt & quidem in ſubjectis junioribus gravis dolor aurium cum ſpasmodicis cruciatibus ſeſe exſerens, aut Otalgia tanquam affectus congeſtorio-inflammatorius, inſolita & ſatis confuſa narium Hæmorrhagia vomitus bilioſus & impetuoſus, ominoſus aurium Tinnitus, commotio febrilis, immodicus alvi fluxus, Vertigo ſuſpecta, Lipothymia aut ſyncope, cordis palpitatio, tremor membrorum, uti pluribus de Vermibus in auribus conferantur *A. N. C. Dec. 1. anno 4 & 5. Obſ. 5 & 50, Dec. 2. anno 2. obſerv. 57. anno 4. obſ. 145, Henricus a Moinchen, obſ. 16. Salmutus Cent. 2. obſ* 39. *Benedictus Sylvaticus Cent. 2. Conſult. 19, Rulandus Cent. 10. Curatione 82. Panarolus Pentecoſte quarta, obſ. 27. Etmullerus, Platerus, Sennertus* & varii alii: quemadmodum in communi vita hic caſus aliquoties contingit, ubi Medici non ſemper in conſilium vocantur; ſiquidem interdum evenit, ut ejusmodi vermiculi ſponte ex aure regrediantur.

§. V. Quod Aetiologicum hujus caſus reſpectum attinet, tunc in hactenus recenſitis arduis pathematibus utplurimum ſenſibilitas organi affecti accuſari poteſt, dum videlicet ejusmodi vermes teneram & nervoſam aurium texturam vel ſubtili ſerpente ſuo curſu, vel morſu lædunt: quare huic extreme moleſto ſenſui variis motibus & actionibus ſeſe opponit natura, qui motus propterea non ſemper exacte reſpondent effectui, qualis non alius eſſe debet aut poteſt, quam hujus vermis valde moleſti excluſio: interim quo magis moleſtia urget, eo diverſas & interdum plane perverſas & confuſas commotiones natura inſtituit: eo pertinent itaque ſpasmi, congeſtiones, inflammationes, febres, excretiones ſangvinis, aut variæ aliæ evacuationes, quæ ſingulæ operationes præſentis vermiculi promtam & tempeſtivam emotionem concernunt; quidquod propter ſummam ſenſibilitatem utræque illæ extremæ mutationes occurrunt, ſive convulſiones, ſive etiam motuum neceſſariorum omisſiones: neque quidem propterea illa veritas neganda eſt, quaſi hi motus mere tumultuarii exiſtant, quia cum excluſione vermis non exacte conveniunt, aut deſinunt: expediet potius alias anxias operationes humanas conciliare, ſic veritatis hujus tenor eo magis inclareſcet.

§ VI. Cura hujus afflictionis eſſe debet tempeſtiva, efficax & ſecura in qua rite exercenda eo magis circumſpectio adhibenda eſt, quo magis pars, quæ laborat, ſummopere ſenſibilis exiſtit; imprimis abſtinendum eſt a temerariis experimentis & violentis vermium extractionibus: unde minus ſecure ſubtilia & acuta inſtrumenta ad affectam aurem applicari poſſunt, quia cum iisdem

facile

facile ſuſpecta quædam læſio committi poteſt; neque etiam alia lenior enchireſis nimis profunde intra aurem urgenda erit, ne aliqua vis tympano ſenſibili inferatur: proinde abſtinendum eſt a remediis valde & ſimpliciter acribus, quæ teneram aurium texturam moleſte afficiunt & ſuſpecte irritant; nocent etiam corroſiva ſeptica valde ſalina concentrata ſpirituoſa & oleoſa; quid quod cavendum eſt, ne remisſius acria nimis profunde intra aurem transferantur; proinde etiam ſuffimigia moleſta & ſtimulantia potius omittenda ſunt & ſingula alia externa remedia cum moderamine adhiberi debent; nihil enim in hoc caſu perficitur cum internis remediis, quoniam ex affecta aure abſolute & ſimpliciter vermis tempeſtive removeri debet: ita ſublata cauſa tollitur effectus & reliqua conſecutio: præterea etiam mercurialia remedia non facile, neque profunde ad aurem adhiberi debent, quoniam ſenſibiles tales partes hujus indolis remedia ægerrime perferunt.

§. VII. Quod itaque poſitivam hujus caſus tractationem concernit, tunc proximum auxilium eſt, ſi vermiculus, qui in aurem intravit, tempeſtive extrahitur, ſimplicisſimum experimentum & plebejum auxilium, in ſe ſatis efficax & probatum eſt, quando formica, pulex aut pediculus intra aurem ſeſe dimiſerunt, ut in eandem immittatur faſciculus goſſypii aut pilorum, cui ſeſe animalcula talia inſinuant & cum quo iterum extrahuntur: quando vero vermes paulo majores fuerint, tunc cum apto inſtrumento & ſubtili volſella educi debent: quodſi difficile fuerit vermem talem conſeſtim extrahere, tunc vulgo commendantur a practicis remedia vermes enecantica, ſicut alii ordinant, ut intra aurem tepida aqua immittatur, quo cum eadem vermis eluatur; ſingulare eſt experimentum *Cnoeffeli* in *A. N. C. Dec. 1. anno 4 & 5. obſ. 50*, ubi ad enecandum Grillum in aure Oleum grilli adhibitum fuerat, cum quo hoc animal enecabatur, proptereaque autores vermes tales interficere laborant, ne mordendo aut ſerpendo ulteriorem moleſtiam concilient: & ita a *Sylvatico* ordinantur Suffimigia e Tabaco, Acoro, Gentiana & Scordio parata: ſicut aliqui Decoctum ex ejusmodi ſpeciebus non valde ſaturatum compoſitum intra aures dimittendum ſvadent; ſic etiam a nonnullis Decoctum Calaminthæ, Centaurii minoris & Abſinthii cum Vino intra aurem applicandum commendatur.

§. VIII. Haud ſecuri uſus eſt Decoctum Colocynthidis & Hellebori albi, quod quidem ab Aetio & Sylvatico allegatur; neque Succus Marrubii albi ſecurus eſt: alias vero commendantur Succi Scordii, Abſinthii, Fumariæ, Centaur. min. & foliorum Perſicorum, qui cum modeſtia applicari debent; huc etiam pertinet Oleum Nucleorum Perſicorum & Amygdal. amararum, quod ad exiguas guttulas cum goſſypio intra aurem applicari poteſt: quidam commendant Lac tepidum auri inſinuandum, quod vero tam ſingulares virtutes

non

non exſerit: nonnulli laudant Mercurium dulcem intra aurem applicandum, cuius uſus etiam non ſatis ſecurus eſt: interim aliquid de Myrrha & Aloe cum ſingulari circumſpectione adhiberi poteſt, qualia ſubjecta vermes efficaciter interficiunt: hinc a quibusdam El. P. P. ad aliquot guttulas cum aqua roſarum extenuatum intra aures dimittendum ordinatur: præterea etiam proſunt ſuffimigia ex Abſinthio, Cent. min. Aloe, Myrrha, Succino & Gummi Ammoniaco parata ad aurem admittenda: quemadmodum vapor Antimonii modeſte admiſſus non inutilis eſt.

§. IX. Ita etiam paſſim varia experimenta in hoc caſu inter autores occurrunt, ſicut *Schenckius* in loco ſuperius citato Infuſum Sem. Nigellæ cum Spiritu Vini factum ordinat, quod cum goſſypio intra aurem applicari debet: ab aliis oleum corylinum allegatur, quidquod ipſa Therebinthina illiusque oleum cum Oleo Amygdal. dulcium ſubactum & cum goſſypio applicandum in hoc caſu utilitatem affert: ſimplicius vero hoc Oleum Therebinthinæ adhibere ſecurum non eſt: aliqui de Balſamo Sulphuris Therebinthinato guttulas quasdam in aqua Fœniculi aut Roſarum dilutas intra aurem dimittunt: quando muſca quædam in aurem pervenit, tunc tantillum Therebinthinæ cum goſſypio intra aurem applicari debet, cui ſeſe illa muſca inviſcat: Ettmullerus commendat candelas ex Sem. Hyosc. & Cera paratas prope aurem affectam accendendas, de quarum vapore promittit, quod vermes enecet: quando ſorte hirudo in aurem pervenit, tunc non cum vi hoc animalculum extrahi aut evelli debet, ſed illius caudæ prominenti aſpergere convenit vel Cineres, vel Sal commune, vel Solutionem Salis communis, aut Salis Alcali, vel Oleum Tartari per deliquium, vel Sal Tartari, unde contingit, ut ſua ſponte ejusmodi animal regrediatur.

CASUS XII.

DE

NOXA E VAPORIBUS INIMICIS.

§. I.

Suspecti tales vapores, qui ſecundum obſervationem medicam diverſis ſubjectis unquam perniciem attulerunt e variis ſubjectis & occaſionibus provenire ſolent, ita ut motus fermentativi, putrefactorii, aut exhalatio-

nes

nes impurorum & œconomiæ animali minus ſecurorum ſubjectorum ad hanc claſſem referri mereantur: neque quidem tales obſervationes valde infrequentes, ſed in communi vita ſecundum discrepantem hominum conditionem ſatis familiares ſunt, unde etiam in talem noxam facile homines minus providi incidunt, quo liberius ſeſe ejusmodi halitibus exponunt; imo ſecundum quorundam hominum vitæ genus interdum ejusmodi ſubjecta tractantur, quæ damnum aliquod minantur, teſtimonio metalli foſſorum & fuſorum, aut talium hominum, qui circa mercuriales & ſulphureos labores verſantur, utpote quæ occaſiones ſatis craſſe ad violandam ſanitatem concurrunt, licet aliæ œconomicæ cauſæ ad ſimilem perniciem ſatis præſentaneam ſatisque arduam contribuant: noxa vero, quæ ab ejusmodi inſpiratis halitibus præjudicioſis provenit, in genere quidem ſatis potens & præceps eſt, ſeorſim tamen interdum repentinam mortem involvit, aliquando contumaces graves affectus chronicos refractarios & complicatos comprehendit.

§. II. Quod ſpeciales tales occaſiones attinet, ex quibus ejusmodi halitus inimici proveniunt, tunc inter alia documenta recenſeri debet, quomodo ipſæ fermentationes muſti & cereviſiæ tales vapores, pulmonibus adverſos, exhibeant, imo quomodo loca ſubterranea effoſſa, in quibus putrefactiones magnæ ſucceſſerunt ad ſimiles luctuoſos caſus conferant, aut quomodo quædam cavitates ſubterraneæ apertæ repente halitum Sulphureum maxime pernicioſum emittant: imo quomodo conclavia recentius cum calce obducta, eandem noxam afferant, aut quomodo carbones præcipue impuriores picei in loco occluſo accenſi & transſpirantes ſatis ſæpe tale funeſtum damnum obtulerint; aut quomodo fuſiones impurarum minerarum, aut vapores mercuriales, arſenicales, ſulphurei, narcotici, lithargyriati, antimoniati impuri, plumbei, nec non deaurationes improvidæ ſimile ſanitatis detrimentum induxerint; imo quomodo fœtor conclavium cum vernice obductorum interdum talem perniciem attulerit; aut quomodo adverſa exhalatio animalium, ſive vivorum, ut erucarum & cantharidum, ſive in putredinem delapſorum ejusmodi nocumentum ſanitati & vitalitati exhibuerit: e quibus exemplis facile liquet, quam multiplex, frequens & familiaris ſit occaſio, qua talis noxa corripere poteſt, ſicut alias inquinationes aëris e putrefactionibus ortæ ad varios periculoſos morbos anſam præbent.

§. III. Ejusmodi pernicioſorum effectuum ex inimicis vaporibus provenientium non modo in communi vita humana & experientia medica varia teſtimonia occurrunt, ſed & ab ipſis autoribus diverſa exempla recenſentur, e quibus aliqua pro notitia litteraria allegare lubet: ſic in *A. N. C. Dec. 1. an. 3. obſ. 131.* noxa a vapore plumbi commemoratur. *conf. Dec. 3. anno 2. obſ. 145. &*

 148.

148. & *anni 5. & 6. obſ. 261. Stockhauſen de fumo lithargyrii, Dioſcorides de re medica Lib. 5. c. 96. Fernelius de Lue venerea Cap. 3. Chriſtophorus a Vega Lib. 3. Sect. 5. Cap. 8. Marcellus Donatus de Hiſtoriis Mirabilibus, Lib. 2. Cap. 6. Timæus a Guldenklee Lib. 7. Caſ. 10. Borellus Cent. 2. obſ. 4. Levinus Lemnius, Camerarius in Diſſertatione de Colica Paretico-Epileptica. Spleiſii Commentarius in Johannis Baptiſtæ Zaballa Mirabilia Medica, Schenckius Lib. 2. de Suffocatione; Solenander Sect. 5. Conſultatione 6. Hoechſtetterus Decade 3. Caſ. 8. Horſtius Part. 2. Obſerv. 25. Tulpius Lib. 3. Cap. 41. Foreſtus Lib. 15. obſ. 26. in Scholio, Hildanus Cent. 4. obſ. 11. Joelius in Operibus Medicis Tom. de Febribus & Venenis, Hoeferus in Hercule Medico Lib. 1. Cap. 5.* & paſſim alii: ubi varii ejusmodi caſus e diverſis cauſis nati recenſentur & tum ipſi affectus morbidi, tum etiam luctuoſi eventus ſpecialius commemorati proſtant.

§. IV. Quod ipſos illos morboſos effectus attinet, qui ejusmodi inſpiratos vapores inimicos ſequuntur, tunc variæ ſpecies ſonticarum ægrotationum ex ejusmodi caſibus ortarum occurrunt & licet primario quidem pectus affligatur, tamen reliquæ corporis regiones perinde gravibus calamitatibus afficiuntur: imprimis reſpiratio valde læditur, ita ut interdum metus ſuffocationis immineat: hinc excipiunt extremæ cardialgiæ, dolores inteſtinorum colici atrociſſimi, tuſſis ſicca, pertinax alvi obſtructio, tremor membrorum, extrema corporis enervatio atque virium dejectio, interdum intumeſcentia corporis, vertigo, exceſſivi capitis dolores, ſtupor capitis, temulentia, cordis palpitatio; vomitus impetuoſi, anxii conatus vomendi, diarrhœæ dolorificæ, teneſmus, fluxus dyſenterici, urinæ ſuppreſſio, dolores lumborum, catarrhus ſuffocativus, aſthma ſiccum & convulſivum, quod cum termino Paracelſi vocatur die Hütten-Katze/ Colica Saturnina, flatulentia dolorifica, dolores umbilicales, affectus paretici, paralytici & hemiplectici, ſucceſſiva macilentia & tabes, contractura, phthiſis, hectica & miſera mors: qualia pathemata in genere nunc recenſita ſunt, ſed quæ etiam diſcrepant ſecundum diverſitatem cauſarum, quales in præcedentibus allegatæ proſtant.

§. V. Sicut vapores noxii diverſæ indolis ſunt, ita etiam a differenti illorum ſpecie differentes morbi proveniunt: ſic vapores arſenicales disponunt ad Syncopes, extremas Cardialgias, vehementes torſiones ventriculi, ſtrangulatorias commotiones œſophagi, convulſivos motus diaphragmatis, tormina atrociſſima, vomitus anxios & impetuoſos, Diarrhœas ſubitaneas & immodicas & convulſivas alias horrendas commotiones: vapores ſulphurei volatiles putrilaginoſi e ſubterraneis locis exſpirantes cauſantur extemporaneas ſuffocationes, extremas reſpirandi difficultates, aſthmata ſpaſtica, mentis perturbationes, anxias cordis palpitationes & tremebundas commotiones, rigores

con-

contumaces & affectus apoplectodeos: vapores impuri ſulphurei, ex metallis transſpirantes cauſantur metum ſuffocationis, aſthma convulſivum, vertiginoſas perturbationes, ſenſuum obnubilationes, ſuſpectas cardialgias, contumacem oppletionem pectoris & cum tempore etiam phthiſin: vapores ſulphurei, olidi, ſubterranei, impuri e putridis & impuris locis afflantes cauſantur congeſtiones acutas anotericas ſangvineas, eryſipelata, febres, quæ præcipue in acutam indolem inclinant, vomitus anxios & ſuſpectas pectoris oppresſiones.

§. VI. Præterea vapores e multa & vehementi fermentatione aſcendentes minantur ſuffocationem, aut gravem reſpirandi difficultatem, temulentiam, vertiginem, capitis dolores & cardialgias lipothymicas: ita etiam vapores e carbonibus accenſis præcipue impuris inſpirati cauſantur repentinam ſuffocationem, aut extremam pectoris oppresſionem, aſthma convulſivum, ſenſuum obnubilationem, vertiginem & apoplectodeos affectus, vapores mercuriales incaute inſpirati poſt ſe trahunt aſthma, utplurimum ſiccum & contumax, catarrhum ſuffocativum, palpitationes cordis, tremores corporis, capitis gravativos dolores & ſucceſſivam mentis imbecillitatem: vapores corroſivi poſt ſe trahunt cardialgias extremas oppresſiones pectoris, hæmoptyſes, vomitus atrocisſimos, palpitationes cordis & orgaſticas ſangvinis commotiones: vapores Saturnini excitant vomitus anxios, cardialgias lipothymicas, tormina crudelia, diarrhœas vehementes, ſingultus, affectus anginodeos & dyſentericos, teneſmos moleſtos & ſic dictam Colicam Saturninam: vapores ex Vernice & Calce transſpirantes graves reſpirationis difficultates & oppresſiones, affectus aſthmaticos, tusſiculoſos, ſemi ſuffocativos, ſpasmos diaphragmatis, conſentientia conamina vomibunda, dolores capitis & vertiginoſas perturbationes cauſantur: neque propterea mirum eſſe poteſt, cur diverſos & ſonticos tales affectus ſucceſſive tabes, hectica, phthiſis, aridura, contractura & miſerabilis denique mors conſequatur.

§. VII. Addenda adhuc erunt nonnulla phænomena atque momenta, quæ ad Prognoſticam hujus caſus disquiſitionem ſpectant: unde ſciendum, quod ad talem afflictionem, quam in genere præſens caſus involvit facilius ſuperandam eo minus diſpoſiti ſint homines plethorici & quotquot actualibus immoderatis Hæmorrhagiis, aut immodicis congeſtionibus obnoxii ſunt: tanto magis ejusmodi pathemata ex inſpiratis inimicis vaporibus prodeuntia periculoſa ſunt, quando ſubjecta aliquam labem in pectore gerunt, aut alias facile arduis pectoris affectibus expoſita ſunt: periculoſus eſt ſtatus, ſi mox inſultant affectus inflammatorii, aut vehementes, aut confuſi febriles, aut immorigeri & vagabundi ſpasmodici, aut plane convulſivi: quo magis repente pectus & reſpiratio obruitur & ſupprimitur, eo magis periculoſus eſt caſus: quo

magis

magis ſenſus obnubilantur, ratio debilitatur, vires infringuntur & enervantur, eo magis periculoſa eſt facies hujus afflictionis: quo citius & vehementius impetuoſæ Hæmorrhagiæ perrumpunt & tenaciter inſiſtunt, eo magis repentina noxa metuenda eſt: quo citius afflictiones in hoc caſu orientes in defectiva motuum vitia degenerant, eo deterioris indolis eſt ſtatus hujus ægrotationis: quo magis denique vehementes commotiones, congeſtoriæ ſpasmodicæ convulſivæ, aut febriles ſine ulla excretione inſiſtunt, eo magis ominoſus eſt talis caſus.

§. VIII. Traditis hactenus illis circumſtantiis, quæ ad hiſtoricum hujus caſus conſpectum pertinent, nunc in ordine Pathologia huic caſui conformis erit adjicienda: fundamentum itaque omnium morbidorum pathematum, in hoc caſu occurrentium, hæret in communicatione vaporum vel noxiorum, vel individuali ſenſui & æſtimationi ſubjecti adverſorum: hi vapores noxam ſuam transferunt vel in partes fluidas, vel in partes ſolidas: quando itaque tales halitus volatiles & ſubtiles ſunt, tunc mox maſſæ ſangvineæ ſeſe inſinuant, eidemque fermentativo - putrefactoriam diſſolutionem ſubitaneo quodam effectu minantur, cui præcipiti damno imminenti ſub multa anguſtatione natura, in tali extremitate conſtituta, cum omnibus illis motibus atque modis reſiſtit, quibus alias corporis ſui ſalivationem atque integritatem proſequi ſolet: unde etiam contingit, ut interdum illi motus effectui & ſpeciali Salvationis ſucceſſui non ſatis appoſite reſpondeant, ubi magis reſpectus habendus eſt extremæ & ſubitaneæ illius afflictionis, nec non trepidationis & anguſtationis in natura, qualis parallelismus ſatis frequenter in moralibus negotiis occurrit; hinc facile liquet, quo congeſtiones, ſpasmi, convulſiones, febres, inflammationes & Hæmorrhagiæ tendant, quippe qui ſinguli motus ad eliminandam communicatam pernicioſam materiam vaporoſam præviſi & directi ſunt.

§. IX. Deinde in Ætiologia præſentis caſus notare convenit, quomodo exhalationes inimicæ diverſæ indolis ſubinde etiam partibus ſolidis communicentur & quidem proxime per afflatum cum capite excipiantur, imo reliquam capitis ſuperficiem contingunt: quo magis adverſa itaque & pernicioſa talis eſt exhalatio, eo citius eandem, dum in ſuperficialibus poris hæret, natura proſequitur & quidem cum motibus inflammatoriis, eryſipelaceis, aut moliminibus narium Hæmorrhagias concernentibus: quod poſterius præcipue in ſubjectis junioribus & plethoricis obtingere ſolet: nonnunquam talis materia halituoſa inimica proxime intra pulmones aſſumitur, ubi varios periculoſos effectus poſt ſe trahit, dum propter ſuam ſubtilitatem volatilitatem & ſummam mobilitatem eo usque pulmones implet, quo minus aër ad reſpirationem neceſſarius eosdem ingredi queat, ut propterea reſpirationis interceptio & ſuffo-

catio-

cationis metus immineat, quale quid contingit ex halitibus ſubterraneis ſulphureis putridis, aut exſpirationibus fermenteſcentibus aut carbonum fumo: proinde propter ſubitaneam & extremam horum vaporum averſionem repente etiam motus ad reſpirationis negotium pertinentes amittuntur, unde ex hac ratione iterum ſuffocatio imminet, ut aliquando ejusmodi homines ſubitanea morte extingvantur.

X. Quando vapores corroſivam indolem habent, tunc ſi incaute inſpirantur omnino teneram pulmonum texturam erodunt & hæmoptyſin cauſantur: quando quidam halitus ex ſubtilioribus acribus materiis conſtant, tunc ſi eædem inſpirantur adeo ægre afficiunt pulmones, ut vel vehemens & repentina congeſtio eosdem offendat, vel ut neceſſarius tonus in pectore quantiſper ceſſet, hinc oppresſiones pectoris & graves anguſtationes ſeqvuntur, quale quid contingit, ſi homines in locis recentius cum calce obductis diu verſantur: quando ſubjecta metallica Mercurialia & Saturnina inſpirantur, tunc eadem partibus nervoſis valde inimica eſſe deprehenduntur: quare propter hanc moleſtiam atque offenſionem motus neceſſarii deſeruntur in pectore, adeoque ſuffocatio quædam affligit: ſi hujus indolis halitus non modo intra pectus, ſed & per oeſophagum deſcendunt, tunc aliquando ſuperveniunt vehementia conamina excretoria, ſpasmi, cardialgiæ, conatus vomendi, hypochondriorum graves intenſiones & anguſtationes, tormina, ructus, inflationes ventriculi, aut plane excipiunt actuales excretiones, velut horrendi vomitus, impetuoſæ dejectiones alvinæ &c. quos ſingulos motus natura ad ſubjugandam & expugnandam talem pernicioſam materiam, quæ corpus intravit, dirigit.

§. XI. Converto me nunc ad practicam hujus caſus explicationem, in qua iterum primo loco cautelæ practicæ ſignificandæ erunt, quo reliqua therapia cum majori ſinceritate & dexteritate exerceri queat; cavendum itaque eſt 1) a facili & indiſcreta vomitoriorum ordinatione, quæ tunc maximum damnum inferunt, quando immoderati ſpasmi pectus & hypochondria detinent 2) nocent fortiora, aut communia purgantia, quæ ſimiliter per ſenſibilem atque moleſtum ſtimulum operantur 3) obſunt remedia impetuoſius diaphoretica, quoniam motus jam confuſos aut exacerbant, aut magis perturbant 4) obſtant remedia volatilia, quando in hoc caſu curatorio ſcopo ordinantur, quoniam perinde ad motuum exacerbationem quadrant 5) officiunt alia remedia ſpirituoſa, concentrata, acria, humores & vias irritantia & moleſte commoventia 6) abſtinendum eſt ab adſtringentibus, quæ in hac calamitate contrarios & ſuſpectos motus provocant 7) evitandus eſt præmaturus uſ9 ſedativorum remediorum aut 8) communium & potentiorum narcoticorum ſubjectorum 9) nocet negligens Plethoræ æſtimatio & tractatio 10) ut & alvinæ excretionis perturbatio 11)

abſint remedia valde acida 12) removeantur ſubjecta ſimplicius Sulphurata 13) nocet vel præmaturus, vel nimius expectorantium uſus; denique 14) cavendum eſt ab anxio & immodeſto regimine.

§. XII. Therapia præſentis caſus diverſitati vaporum inimicorum accommodanda eſt: quando itaque vapores non craſſius terreſtres neque metallici excepti, ſed qui de indole putrilaginoſorum halituum ſunt, tunc partim humores præſervari debent, ni putredo in iisdem oriatur; partim motus eo promoveri debent, quo excretio hujus pravæ materiæ tempeſtive ſubſequatur: præparatio humorum iterum vario modo ſuccedit: vel enim conveniunt abſorbentia, ſive ſimplicia, ſive cum acidis ſaturata, vel conducunt alia terrea adminicula, velut corallia rubra præparata, C. C. raſpatum; ſubinde etiam proſunt gelatinoſa & mucilaginoſa, quæ ſubtile tale miasma in humoribus involvunt atque elubricant; ſicut in ſubjectis floridioris habitus conferunt Decocta, paranda e Radicibus Cichorii, Apii, Bardanæ, Scorzoneræ, Herbis Scordii, Chærefolii, hordeo excorticato, C. C. raſpato, paſſulis majoribus, Cortice Citri, tantillo Cinnamomi, addito Syrupo Acetoſitatis Citri, aut Rubi Idæi & Papaveris Rhœados: & in iisdem ſubjectis conducit modicus uſus acidulatorum remediorum, maxime vero Mixturæ ſimplicis: ad promovendam evacuationem admisſi miaſmatis, conferunt apta diaphoretica remedia cum congruo regimine ſublevanda, ubi tamen modicus uſus alexipharmacorum aut bezoardicorum remediorum ſvadendus eſt; cavendo, ne nimia commotio & ebullitio ſangvinis excitetur: præſtat etiam in ſubſidium horum remediorum ſuperficiem corporis modeſte fricare, quo tempeſtive exſpiratio inſpirati miasmatis provocetur: quod ſi etiam quædam ſuffocatio cum hac afflictione conjuncta fuerit, tunc præſtat ægrotantem mox in liberum & purum locum reponere, ſed uſum Suffimigiorum & volatilium atque olidorum remediorum evitare, quo præcipue ſpectant dulcius olentia, aut ſulphurata, olida vaporoſa, narcotica pingvia, Caſtorina, Moſchata &c. ſed potius præſtant vegetabilia, remisſius ſpirituoſa, naribus offerenda, ut e Liliis convallium, Roremarino, Roſis &c. parata: neque male ad commendationem & imitationem Hœferi pauxillum Spiritus Vini aut aliquot guttulæ Aqvæ Apoplecticæ intra fauces dimittuntur; ſicut etiam naribus Aceta Roſaceum aut Rutaceum offerri posſunt.

§. XIII. In ſubjectis, quæ valde plethorica ſunt & ubi ſuſpectæ commotiones ſangvinis imminent, conducit tempeſtiva apertio Venæ & eductio ſangvinis ſufficiens, præcipue ſi gravis Cardialgia conjuncta eſt, ubi in ſubjectis adſvetis pro citiori alteratione etiam in brachio Venæ Sectio inſtitui poteſt, qualis tanto magis neceſſaria erit, quo magis repente & graviter ejusmodi affli-

ctio

ctio invadit: quando Plethora non valde urget, tunc ad Suffocationis præcautionem modeſta ſternutatio aliquam utilitatem affert; Camphoræ odor non admodum commodus eſt, neque etiam Caſtorium odore exceptum, quod alias in tali caſu commendatur, proficit: ſubinde vero proſpiciendum eſt, ne alvus occludatur, unde rectius illius apertio erit ſuſcipienda, quando ſegnities aut ſtrictura alvi occupavit; ſed cum talis caſus extemporaneam opem poſtulet, ea propter alvum liberantia remedia oretenus exhiberi non debent: hinc rectius Clyſteres emollientes, mediocriter roborantes & remisſius ſtimulantes in tali caſu conducunt; ubi vero jam in inteſtinis alius ſtimulus adeſt, ibi in Clyſteribus ſtimulantia ſubjecta omitti debent.

§. XIV. Quando crasſiores vapores, præcipue metallici inſpirati ſunt, ita ut artifex juſte præſumere posſit, quod quantitas illorum intra ventriculum pervenerit, tunc interdum tempeſtivus, ſed etiam lenis vomitus conducit, tanto magis, ſi ſubjecta fuerint robuſtiora, aut ſi præſumatur alia impuritas in ventriculo & conatus quidam, aut propenſio ad vomendum adeſt, tunc in ſubjectis durioris indolis vel minima quantitas emetici poſitivi remedii talem vomitum excitat: in aliis ſubjectis vero potus calidus aut juſculum pingve ſimilem vomitum allevat: poſthac exhibenda ſunt remedia abſorbentia, lenientia, pingvia, gelatinoſa, mucilaginoſa, lacticinia, juſcula gallinacea, olea lenientia, maxime oleum olivarum, nec non Decocta e Radicibus Liquiritiæ, Scorzoneræ, Malvæ, Cichorii, Apii, Bardanæ, Chinæ, Pimp. albæ, floribus Chamomillæ, Sambuci, Papav. rhœad, Paſſulis majoribus &c. conferunt etiam Elæo Sacchara ex Oleo Liliorum alborum, Spermate Ceti, oleo Fœniculi & Saccharo cando parata: ſi ſuffocatio imminet, tunc conducit frictio ſuperficiei corporis cum linteis calidis, regimen modeſte diaphoreticum; præterea etiam alvus aperta eſſe debet: ſunt qui antimonio diaphoretico in tali caſu peculiarem virtutem adſcribunt, uti *Volcamerus in A. N. C. Dec. 2. anno 2. obſ. 190.* illud contra periculoſum Mercurii uſum commendat: plus vero proficit bona Eſſent. alexipharmaca, præcipue Eſſ. Pimp. alb. & Scordii: & ſi Febris deeſt atque Plethora non urget etiam Eſſ. Fumariæ commixta proficit.

§. XV. Quamquam vulgo in ejusmodi afflictionibus pro uſu interno Caſtorium commendetur, tamen illud promiſſionibus & expectationibus non ſatisfacit, niſi extrinſecus aliqualem utilitatem promittat, quando contumax conſtrictio thoracis concurrit, ubi Spiritus Vini Camphoratus cum Eſſ. Caſtorii mixtus conducit: neque etiam in primo gradu & ſtatu hujus caſus volatilia remedia interne conveniunt, niſi jam affectus talis quadantenus remittere videatur: de reliquo in ejusmodi neceſſitate a *Lentilio* in *Jatromnematibus theoretico-practicis pag. 74.* laudatur Sapo Hiſpanicus cum Lacte tepido

do & Melle Roſaceo mixtus, conferantur *A. N. C. Dec. 1. An. 3. obſ. 171.* alioquin in talibus caſibus Eſſ. Pimp. alb. cum Eſſ. Corticum aurant. & Tinct. Chaccarillæ mixta admodum proficit: ſicut eo imprimis reſpiciendum eſt, quo tempeſtive moderata diaphoreſis excitetur, ut inſpiratum miasma promte denuo eliminetur: pro quo eodem ſcopo itidem Decocta domeſtica & alioquin uſualia ſive Herbæ Thee, ſive Fabarum Coffee conferunt.

§. XVI. Quando hæc afflictio ex inſpiratis halitibus calcareis ortum traxit, tunc conveniunt Decocta lenientia pectoralia, diſcutientia & modeſte roborantia, paranda e Radicibus Scorzoneræ, Liquiritiæ, Apii, Bardanæ, Taraxaci, Herbis Veronicæ, Scordii, Tuſſilaginis, Floribus Chamomillæ, Sambuci, Corticibus Citri, Cinnamomi, Paſſulis majoribus, quibus Decoctis aquæ quædam pectorales & diſcutientes, nec non Syrupi tales commiſceri poſſunt: proinde ſubordinandæ ſunt Eſſ. Alexipharmacæ, aut Mixturæ, parandæ ex Aquis Veronicæ Hyſſopi, Chærefolii, Fœniculi, Scordii Plantaginis, Sambuci, Cinnamomi, Liliorum convallium, Ceraſorum nigrorum, addendo Syrupum Roſarum & Violarum, nec non tantillum Spiritus Salis Ammoniaci aniſati; aut cum ſolis talibus aquis utiliter combinari poſſunt oc. canc. citrati, nec non ſi ſpasmodica ſtrictura pectoris detinet, interponendi ſunt Pulv. Nitrati; aut conferantur emulſiva dilutiora cum Semine Papaveris mixta, ſicut modicus potus Lactis cum exiguo Croci mixti in tali neceſſitate aliquam utilitatem affert.

§. XVII. Quando in ejusmodi caſu dolores colici valde urgentes concurrunt, tunc imprimis conveniunt Clyſteres emollientes oleoſi modeſtius carminativi cum tantillo Theriacæ ſimplicis mixti, nec non ab extra proſunt Linimenta ex oleis lenientibus mitius carminativis & Theriaca ſimplici aut Caſtorio parata: ante omnia in tali caſu providendum eſt, quo alvus aperiatur: deinde ſubordinanda etiam ſunt intrinſecus lenientia oleoſa pingvia mucilaginoſa & lacticinia quibus ſubjungere convenit Eſſentias carminativas cum Tinctura Chaccarillæ mixtas: quando in hoc caſu immodici alvi fluxus occurrunt, tunc conveniunt remedia abſorbentia, gelatinoſa, mucilaginoſa & denique ſecura ſedativa, præcipue Chaccarilla: ſi urina ſupprimitur, tunc proſunt clyſteres lenientes & emollientes, ut & abſorbentia & nitrata remedia, ſubjunctis Eſſ. diſcutientibus & roborantibus, velut Caryophyllat. Vincetox. Pimp. alb. Galangæ, Gent. rubr. &c. præcordialibus denique anxietatibus mitigandis conferunt Eſſ. alexipharmacæ & Emulſiones tam lenientes quam reſolventes & analepticæ: quibus ſingulis ſatis copioſis auxiliis huic caſui artifex obviam ire poteſt: & quando tale ſubjectum ex ejusmodi periculo liberatum eſt, tunc convenit in futurum

præ-

præoccupare, ne ex ulla ratione motus ſangvinis in pectore offendatur & ſucceſſivæ pectorales congeſtiones per opportunas Venæ Sectiones atque Laxationes avertantur.

CASUS XIII.

De

EBRIETATE.

§. I.

PErfrequens hoc vitium quamvis ad aliud forum ſpectare videatur, tamen quia multiplices licet tranſitorias per initia, cum tempore tamen obfirmatas, ægrotationes infert, propterea circa illud etiam medica disquiſitio verſari poteſt, quo eo magis innoteſcat, quomodo illæ morbidæ afflictiones oriantur, quomodo ſint conſtitutæ, quid detrimenti afferant, quomodo ſub hujus vitii commiſſione & animus & ordo vitalis & ipſum corpus corrumpantur & quomodo denique huic ſceleri tam præſervatoria quam curatoria methodo artifex ſuccurrere & mederi debeat: & hæc disquiſitio eo magis ſcitu digna eſt, quo familiarius inter homines hoc crimen eſſe obſervatur & quo uſitatius illud varia damna poſt ſe trahit, adeo, ut magnus numerus hominum vegetam ſuam ſanitatem per hoc vitium deſtruat, vires enervet, animum hebetet & a Deo conceſſam æquitatem & æqualitatem actionum humanarum moralium æque ac vitalium peſſime & efficaciſſime confundat & perturbet.

§. II. Quamquam vero multa in laudem ſobrietatis & vituperium ebrietatis proferri queant, tamen propius illa producere placet, quæ magis medicum ſcopum concernunt: interea ſatis ſuperque conſtat, quomodo præcipue ſacer codex, deinde variæ doctrinæ Philoſophorum, præcipue vero Stoicorum Sectæ addictorum ebrietatem, utpote matrem & radicem aliorum magnorum flagitiorum & ſcelerum accuſent, inde etiam hæc ebrietas peſtis eſt pro integritate morali & vitali humana, hoſtis ſanæ rationis, pernicies bonarum ſcientiarum & artium, furor tranſitorius, inſania voluntaria, delirium tranſiens, dementia extemporanea & quibus vulgo aliis prædicatis inter Medicos & Philoſophos depingitur: proinde hæc ebrietas per diverſa adminicula conciliatur, ſicuti a mero & vini potu vel nimio vel inſveto oritur, qualem ebrieta-

tem nonnulli crapulam & temulentiam appellare maluerunt; vel ortum ducit ab excesſivo & inopportuno cereviſiæ ſaturatæ pinguis & lupulatæ potu: inde exempla conſtant, quomodo poſt prægreſſam gravem exæſtuationem corporis aſſumtus modicus potus inopinatam ebrietatem excitaverit; vel provocatur a nimio & minus conſveto uſu Spirituoſorum deſtillatorum ardentium potuum, qualis ebrietas eximios pernicioſos effectus habet, vel excitatur per inſvetum fumum Tabaci, ut & per remedia narcotica, per ſubjecta ſpirituaſcentia & fermenteſcentia, unde in *A. N. C. Dec. 3. an. 2. obſ. 31.* allegatur ebrietas ex melle; proinde inebriatio a vaporibus fermenteſcentibus in cellis exceptis cauſata conſtat, ſicut quædam ſenſibiliora ſubjecta aut etiam homines hyſterico-hypochondriaco pathemate affecti ab odore ſvaveolentium & volatilium ſubſtantiarum temulentiam inebriativam exceperunt: misſis aliis ſpecialisſimis ſubjectis, quæ in ſingularibus caſibus inebriationem provocarunt, quorum pasſim Obſervatores & Doctores & inter hos *Sennertus* reminiſcuntur.

§. III. Aemulatur interdum ſummus ebrietatis gradus apoplexiam, ſiquidem *Henricus ab Heer obſ. 19.* reminiſcitur ejusmodi ebrietatis caſus, qui in quartum diem uſque duravit, ubi Medici illum hominem pro apoplectico tractarunt & trepanationem adhibuerunt, in quali ebrietate & interni & externi ſenſus ceſſant, videlicet deſinit imaginatio, fatiſcit memoria, nullus acclamantium ſonus percipitur, membra omnia rigent & tales homines inſtar trunci immobiles ſunt, id quod vulgo denegato Spirituum influxui adſcribitur: alioquin citius inebriantur infantes, ſenes & foeminæ, unde teſte *Valerio Maximo lib. 2. cap. 1.* mulieres inter Romanos ſobrietati valde addictæ fuerant, quid quod vini uſus ipſis incognitus fuiſſe refertur, ſiquidem claves cellarias loculis mariti condebant; ſed proxime fœminæ adeo defecerunt, ut tempore *Senecæ* æque tam ſtrenue ac viri compotaverint: unde *Seneca* ſcribit in *Epiſtolis* imprimis 95: *quid ergo mirandum maximum Medicum & naturæ peritisſimum in mendacio deprehendi, cum tot fœminæ podagricæ & calvæ ſint: mulieres enim a podagra immunes prædicavit Hippocrates; ſed beneficium ſexus ſui vitiis perdiderunt & quia foeminam exuerunt damnatæ ſunt morbis virilibus: non minus enim pervigilant, non minus potant, atque invitis ingeſta viſceribus per os reddunt & vinum omne vomitu remetiuntur:* id quod etiam idem *Seneca Capite 3. de Providentia* eloquitur.

§. IV. Proinde in hiſtorico ebrietatis conſpectu notandum eſt, quod unum temperamentum præ altero facilius inebriationi expoſitum ſit: veteres quidem crediderunt, quod temperamentum frigidum & humidum ad inebriationem aptius ſit ob faciliorem generationem humorum crasſiorum; in qua animadverſione vero aberrant, cum facilius homines temperamenti calidi inebriationi ſubjiciantur, quia in iisdem motus ſangvinis citius augeri & impelli

poteſt:

poteſt: præterea etiam conſtat, quomodo hoc vitium per hæreditatem & malam educationem propagetur & huc valet illud:

Sæpe patris mores imitatur filius infans,
Qualis erat mater, filia talis erit.

Inprimis hoc vitium valde familiare eſt Germanis, qui in vituperium nationis ſuæ Bacho magis litant: hinc *Cornelius Tacitus* de *moribus Germanorum* ſcribit: diem noctemque continuare potando nulli probrum apud Germanos, hinc etiam Poeta:

Germani cunctos poſſunt perferre labores,
O utinam poſſent tam bene ferre ſitim.

Subinde hoc vitium alias gentes occupavit, quare *Rondelecius* affirmat, quod Britanni plus juſto potationibus indulgeant & addit, quod inter illos Medici divites evadant ex affectibus curandis, qui ſunt ex ſobole crapulæ: imo præterea etiam Galli bibacitati ſe ſe addixerunt; hinc *Joſephus Scaliger* dixit:

Tres ſunt convivæ, Germanus, Gallus & Anglus,
Dic quis edat melius? quis meliusve bibat?
Non comedis Germane: bibis! tu non bibis Angle
Sed comedis: comedis Flandre bibisque bene.

§. V. Quod ipſam Hiſtoriam ebrietatis & perverſarum actionum ſub illa contingentium attinet, tunc experientia docet, quomodo tales turbulentæ actiones ſecundum diverſitatem temperamentorum diſcrepent: Cholerici enim, quando ebrii ſunt, utplurimum rixas, jurgia & contentiones excitant, usque ad actualem conflictum, adeo ut vix compeſci queant; Sangvinei ſunt garruli & nugaces, ridiculi jocorum & actionum impudicarum autores, cantores & ſtrepituum concitatores: Phlegmatici ſunt ſomnolenti; Melancholici ſe ſe præſenti converſationi ſurripiunt & taciturnitatem magis amant: In genere ebrietas proditur inſolita & ridicula hominum actione, reſpiratio eſt celerior & operoſior, vox eſt Semirauca, adeſt linguæ balbuties, membrorum titubatio, ita ut neceſſe habeant, quo ſe compellent: Sta pes, ſta mi pes, ſta pes, ne labere mi pes! oculorum adeſt ſtupor & obſcuritas aut fixitas, corripit vertigo, color faciei eſt rubellus, in illis vero pallidus, qui conamina vomibunda experiuntur: quando in aerem procedunt liberiorem, magis inebriantur & quando in lectum decumbunt vertiginoſa perturbatione obruuntur, ut communiter vomitus ſuperveniat.

§. VI. Neque tantum de præſenti crapula ejusmodi turbas inducit, ſed multa etiam incommoda poſt ſe relinquit, velut gravitatem, aut dolorem capitis, vertiginoſas perturbationes, torporem corporis, ſitim, anxios & frigigos ſudores, inappetentiam, ventriculi dolores, flatulentiam, diarrhœam, animi

mi faſtidium, ineptitudinem ad res ſerias, virium languorem, manuum tremorem; melancholici præcipue ab ingeſto potu tardius liberantur; quid quod ſuperveniunt variæ primarum viarum turbæ & œconomiæ vitalis læſiones: reliqua temperamenta ſub ebrietate copioſam mictionem experiuntur: *Athenæus* & *Levinus Lemnius de occultis naturæ miraculis lib. 2. c. 19.* aſſerunt, quod, qui vino temulenti ſunt, in faciem proni vergant; qui cerevifiam biberunt in caput reſupinari ſoleant.

§. VII. Poſt hiſtoricum hunc conſpectum jam ſignificandum erit, quænam incommoda & pathemata frequentem inebriationem ſequantur; ita enim ebrietas eſt mater multorum malorum, illa inducit ſtupiditatem animi & ineptitudinem ad ſtudia, cum non in una ſede morentur caſta Minerva & turbulentus Bacchus: & quamvis multi heſternum vinum edormiſcunt, tamen animus ſemper res ſerias faſtidit, quid quod hæc ebrietas ipſum animum denique adeo hebetat, ut a priſtina alacritate penitus degeneret: neque tantum animo variæ ægrotationes inducuntur, ſed etiam corpori multiplices calamitates, nunc lentæ, nunc repentinæ accidunt, ut plurimum variæ capitis afflictiones, quid quod denique funeſta apoplexia: uti periculoſa talia conſectaria deſcribunt *Hippocrates ſect. 5. Aph. 5. & Zacutus Luſitanus in Praxi admiranda lib. 3. Obſ. 126.* non raro conſequuntur affectus cachectici, aſthmatici, œdematoſi, hydropici, hectici, paralytici, artuum tremores, affectus ſpaſtici, convulſivi ſoporoſi: de reliquo crapula fœminis & citius & gravius nocet, quam viris.

§. VIII. Præter has animadverſiones ad Prognoſticum ſcopum ſpectantes, ulterius notandum eſt, quod rigor corporis & delirium ex multo potu malum ſit, quod etiam de tremore membrorum valet: & quando ſubjecta quædam in aliena morbida diſpoſitione conſtituta ſunt, ita evenit, ut inebriatio & alia intemperantia cum magno detrimento illam morboſam afflictionem magis augeat: proinde conſtant teſtimonia inter practicos inprimis apud *Foreſtum lib. 10. obſ. 1.* quod Phrenitis e continuata crapula ortum traxerit: porro ebrietas ad affectus arthriticos diſponit, qualem caſum proponit *Quercetanus Tom. 1. Cap. 4.* præcipue vero frequens inebriatio ad febres diverſæ ſpeciei contribuit, uti talem Caſum allegat *Guldenklee lib. 8. Caſ. 2.* *Sennertus* Podagram ex ebrietate ortam recenſet: Epilepſiam e Crapula natam obſervavit *Alexander Benedictus, confer. Henricus ab Heer lib. 1. Obſ. 24*: inprimis hæc intemperantia ad actuales Hæmorrhagias inducendas concurrit, uti inter alios *Mæbius* obſervavit in *Phyſiologia*: Colicam ex ebrietate deſcribit *Hildanus Centur. 2. Obſ. 65.* Sterilitatem in fœminis ex ebrietate enarrat *Hœferus in Hercule Medico p. 301. Langius in Epiſt. Medicis 9. lib. 2. Mercurialis de Morbis Mulierum lib. 1. cap. 2.* denique ebrietas varia hepatis vitia invitat; ita Gutta roſacea & oculorum rubor

bor potatorum character eſt. Pluribus conferantur in Materia Ebrietatis *Petrus Bayrus de Medicina humani corporis malorum lib. 2. Cap. 12. Theodorus Corbæus in Pathol. lib. 2. ſect. 2. cap. 5. Ficinus de ratione victus ſalubris Cap. 46. Rudolph Goclenius* im *Experimentier*-Buch *cap. 46. Joh. Jonſtonus Taumatographiæ Claſſe 10. Artic. 5. Langius Epiſtol. Medic. 30. lib. 1. Alexander Pedemontanus de Secretis; Franciſcus Ranchinus, Opuſculorum Medicorum cap. 4. Sachſius in Ampelographia lib. 2. ſect. 6. Membr. 2. cap. 2. Ecbanus Differt. de Cauſis, præſervatione & curatione ebrietatis; Rolfinckii & Waldſchmidii Differt. de Ebrietate; Willichii Problemata de ebriorum affectibus & moribus:* pluribus conferantur *Sennertus, Foreſtus, Seidelius* & Collectanea Autorum in *Bibliotheca Lippenii* & *Waltheri Sylva Medica* obviorum.

§. IX. Circa Cauſalem ebrietatis explicationem duplex reſpectus habendus erit, 1) quomodo ebrietas concitetur 2) quomodo conſectaria ebrietatis provocentur: in communi Pathologia mirum in modum accuſantur ſpirituum perturbationes in ebrietatis negotio, illud vero primario ſciendum, quod ad ebrietatem inducendam præcipue conferant ſubſtantiæ ſubtiles, ſulphureæ, pingves, ad orgaſticam ſangvinis commotionem inducendam habiles, hinc potus valde aquoſi non inebriant: quapropter in quacunque inebriatione turgefactoria & impetuoſa commotio ſangvinis adeſt, quæ non modo oeconomiam corporis & partium ad vitam animalem ſpectantium, ſed etiam illa organa, quibus anima ad morales functiones utitur, opplet & propter eundem turbatum ſtatum aut confuſum motum & ſucceſſum ſangvinis, qui cum ejusmodi orgaſticis principiis excitatus fuit, ipſa ratio & mentis capacitas atque integritas confunditur, adeo ut externi & interni ſenſus valde perturbentur, donec tandem ſub aliquali hujus materiæ orgaſticæ remotione & ſpumefactoriæ ſangvinis commotionis complacatione ratio denuo in priſtinum ordinem revertatur: haud vero adæquate & perſpicue in ebrietatis explicatione ſenſuum obnubilationes accuſantur, cum nulla nebula organis ſenſoriis inducatur, ſed animus propter confuſum ſui corporis ſtatum una confundatur: qualis parallelismus ſatis frequenter in moralibus negotiis occurrrit, ubi propter diverſas confuſas circumſtantias ipſe animus una turbulentus, perplexus, ſtupidus & confuſus redditur: & cum hoc motu ſangvinis ſpumefactorio cohærent perturbationes vertiginoſæ & reliquæ alterationes in œconomia vitali, præſente ebrietate ſuccedentes.

§. X. Dum inebriatio & conjuncta intemperantia atque nimia corporis oppletio in genere motus quosvis valde perturbat, ita in futurum & animus & corpus in continuantem morboſum ſtatum conjiciuntur: animus enim adſveſcit confuſioni, vnde priſtinus vigor quoad operationes mentis non mo-

do pervertitur, ſed & evidenter debilitatur, ut impoſterum varia imbecillitas & multiplex torpor, languor & faſtidium mentis occupet: dum vicisſim etiam motus vitales per ebrietatem frequenter & eminenter turbantur, ita contingit, ut variæ partes, etiam cerebro non excluſo diverſis extravaſationibus, ſeceſſionibus, infarctibus, congeſtionibus, ſtagnationibus & obſtructionibus ſubjiciantur, quid quod ſubinde non modo Se - & Excretiones ordinariæ & extraordinariæ perturbantur, ſed & ſuſpecta dyſcraſia humorum & organorum colatoriorum depravatio invitatur, donec tandem plane actuales corruptiones ſuperveniant: proinde motus vitales adeo perturbati in futurum conſvetos & neceſſarios effectus atque fines perverſe proſequantur: hinc confuſi, vagi, irregulares, contumaces ſpaſmi, motus congeſtorii convulſivi &c. excipiunt: & cum adeo extreme perturbata ſit natura in œconomia vitali, ita contingit, ut eadem priſtinas ſuas functiones admodum perverſe adminiſtret, easdemque interdum excesſive, interdum defective exerceat, donec tandem eadem ſub tali confuſo ſtatu & ſchemate ſuæ œconomiæ miſere ſuccumbat & aliquando cum particulari aut totali præcedenti motuum defectu officium ſuum deponat, ſicut hi reſpectus cum ſingulis pathematibus in hiſtoria ebrietatis obviis apprime conveniunt.

§. XI. Altera pars præſentis tractationis therapevticam hujus caſus explicationem continet, quæ intriplicem claſſem erit diſpeſcenda: in prima parte agendum erit de adminiculis ebrietatem præſervantibus, altera pars conſiſtit in poſitiva cura ebrietatis, aut quomodo ebrii in ſua ebrietate tractandi ſint, tertia pars complectitur medicam tractationem reliquiarum ebrietatis: quod præſervationem inebriationis concernit, tunc politicorum & illorum qui in aulis verſantur communis aſſertio eſt, quod inebriatio neque evitari posſit, neque etiam debeat; alii illam vulgatam excuſationem proferunt, quod quidem nullus ex deſtinato propoſito ad inebriationem usque potum ingurgitet, ſed quoniam potus palatui adeo ſatisfacit, ita inopinato ebrietatem irruere: nonnulli pro regula prudentiæ & ſtatus publici æſtimant, quando alteri inebriationem inducere poſſunt, quam regulam in legatos, in aulis degentes, exercere volunt, quo illi commiſſa ſua ſecreta aperiant atque prodant, qui vero ne in talia retia incidant a Medicis præſervationem ebrietatis deſiderant: inde innotuit illud *Horatii de arte poetica:*

Reges dicuntur urgere cullulis & torquere mero, quos perſpexiſſe laborant. Ea propter etiam Bachus Phanes ἀπὸ τȣ̃ φαίνειν vocatur quod aperiat, prodat, ſignificet, ſcilicet occulta atque arcana.

§. XII. Optima præſervatio ab ebrietatis vitio eſt continentia, temperantia & abſtinentia, ubiquisquam vires ſuas explorare debet, quantum ad potum

per-

perferendum valeant,imo quantum ipſe potus ad tuendam ſanitatem neceſſarius ſit: recte enim *Mercurialis lib. 4. cap. 6. Variarum Lectionum* dixit: quod præſtet ebrietatis turpitudinem ſobrietate vitare, quam ſuccis & medicaminibus occultare: omnium maxime ad præſervandam ebrietatem inſerviunt admonitiones *Apoſtoli ad Eph. 5. v. 18. & 1. Cor. 6. v. 10*: inter ipſos ethnicos inebriatio maximum ſane vituperium eſt, unde de Lacedæmoniis conſtat, quod cum mancipia inebriari contigerit, illos protrahi juſſerint & temulentos menſis ſiſti, in quibus parentes cum liberis ſuis decumbebant, ut tenera & incorrupta ætas a vitio ebrietatis deteſtando abſtraheretur, quando horrenda hæc & prodigioſa ſpectra tam pœnitendis modis delirare conſpiciunt. Vid. *Athenæus in Dipnoſophia* & *Plutarchus in Quæſtionibus ſympoſiacis*.

§. XIII. Proinde etiam a Medicis varia adminicula ebrietatem præoccupantia allegantur, uti a *Sachſio in Ampelographia*, ubi commendantur Rana viridis, anguilla vino ſubmerſa, lacrymæ vitis, ova noctuæ, uva marina, ſtercus leonis, lacerta viva, teſtudo lacuſtris & mullus vino ſuffocatus, quem præcipue commendat *Franciſcus Schachius in Tractatu de Salubri Potu*: quamquam vero tales ſubſtantiæ ad præoccupandam inebriationem allegatæ proſtent, tamen deficit adhuc veritas experientiæ: alias paulo magis diuretico quodam effectu ad ebrietatem arcendam conferunt amygdalæ amaræ, quarum *Plutarchus* loco citato *Lib. 6.* mentionem iniicit; ſicuti uſus olei olivarum pro eodem ſcopo proficit, quod vias urinarias lenit, quo eo citius & copioſius ingeſtus potus per easdem iterum eiiciatur: hinc teſte *Macrobio* Aegyptii in conviviis eſum oleorum præmiſerunt: præterea Nuclei Perſicorum aliique amari eodem diuretico effectu ad hunc caſum conducunt, ſicut quidam Succum Foliorum Perſicorum, nonnulli Rutam laudarunt: *Foreſtus* commendat Acinos Hederæ: *Febrius in Tractatu de Abſinthio* laudat Comas Abſinthii mane comedendas: alias vulgare & probatum eſt experimentum, quomodo per uſum Spirituum volatilium, diureſin copioſam provocantium, inebriatio retardetur & præoccupetur.

§. XIV. Præter hæc allegata adminicula ulterius ad ebrietatem præoccupandam varia alia ſubjecta recenſentur: non negligendi itaque uſus eſt ipſum Nitrum, quod temperante & diuretica ſua efficacia præcipitem inebriationem avertit: ſic dicuntur Pilulæ Glasſianæ crapulam arcere, quæ propterea vocantur die Sauf-Pillen, uti Balſamus Aloeticus *Beguini* cujus hic Autor *in Tyrocinio Chymico Lib. 2 Cap. 9.* & *Timæus a Guldenklee Lib. 1. Caſ. 5.* mentionem faciunt, alias appellatur der Sauf-Balſam: *Salmutus Cent. 3. Obſ. 44.* laudat Pilulas Aloephanginas, *Plinius Lib. 21. Cap. 20. Hiſtor. naturalis* & *Dioſcorides Lib. 1.* Crocum commendant: *Levinus Lemnius* contra crapulam Braſſicam

cam laudat: ſicut Veteres crediderunt ex Fabula Poëtarum, quod ex lachrymis Lycurgi, qui Bacchum perſecutus fuerat, Braſſica prognata ſit, quod inter braſſicam & vitem antipathia intercedat: græci in initiis conviviorum Sal commune ad præſervandam inebriationem comederunt: nonnulli Lac pingve & recens laudant: *Platerus Tom. 1. Praxeos Medicæ* Acetum extollit: *Foreſtus Lib. 9. obſ. 18.* reminiſcitur Olei in Syria obvii, quod Scythis adverſus ebrietatem ſub nomine Eleomeli uſitatum fuerat.

§. XV. Singularem curam non tam præoccupandi, quam per ſympathiam aliquam inebriationem tollendi allegat *Stegmannus in A. N. C. Dec. 3. anno 1. obſ. 15.* & ex eodem *Garmannus de Miraculis mortuorum Sect. 1. Io. 175*: conſiſtit vero experimentum illud in eo, quando vas quoddam, ex quo vulgo potus aſſumi ſolet, intra brachium mortui cuiusdam per aliquot horas collocatur & deinde ex eodem liquor in illo contentus ebrioſo propinatur, inde fieri, ut non modo de præſenti ſubjectum illud ab ebrietate citius liberetur, ſed etiam in futurum exceſſivus potus omni ſtudio evitetur, ſicut plura ejusmodi experimenta ſympathetica contra inebriationem paſſim allegantur. *Sebizius Lib. 5. de alimentorum facultatibus* tradit, quod pulmones capri aſſati comeſti ebrietatem arceant: in *A. N. C. Dec. 3. anno 1. obſ. 26.* allegatur Amethyſtus, quæ alias externe geſtata adverſus ebrietatem laudatur, cujus tamen effectus promiſſus fruſtraneus eſt: *Roſinus in Antiquitatibus Romanis Lib. 5. Cap. 28.* de Romanis recenſet, quod ad præcavendam ebrietatem tempora & frontem cum linteolis ligent: *Salmutus Cent. 3. obſ. 44.* & *Platerus Lib. 1. Obſervationum* commendarunt, quo inter bibendum caput frequentius radatur: inter Romanos uſitatæ etiam fuerunt Corollæ convivales ex herbis refrigerantibus paratæ, ut ex Hederea, Roſa, Viola, Meliloto, uti *Heurnius in Methodo ad Praxin* Roſas, *Plinius Lib. 21. cap. 19* Violam, *Athenæus in Dipnoſophia Lib. 15.* Myrtum *Weckerus de Secretis Lib. 5. Cap. 7.* Chamæpityon adverſus ebrietatem laudat: inter alia experimenta adverſus ebrietatem allegatur ſpuma, quæ reperitur circa aſini aut equi fatigati teſticulos, quæ potatori cum vino exhibita per integrum Menſem abhorreſcentiam a potu vini cauſari debet, *conf. Dominicus Leo de Arte Medica Lib. 1. Sect. 1. Cap. 20*: ita *Zacutus Luſitanus in Praxi admiranda Lib. 3. Obſ. 127* ad cauſandam averſionem a vino commendat vinum in quo Anguilla ſuffocata eſt: *Nicolaus Piſo de Morbis agnoſcendis & curandis Cap. 6.* ad præcavendam ebrietatem ordinat uſum olei emollientis: ita alii varia & multa etiam vana minusque probata experimenta contra ebrietatem proferunt: pluribus conferatur *Waltherus in Sylva Medica de Ebrietate.*

§. XVI.

§. XVI. Altera pars præſentis practicæ tractationis comprehendit ipſam illam curam, quæ præſente ebrietate in affecto ſubjecto exercenda eſt & quamvis in plurimis ebriis nulla medicina applicetur, tamen hoc loco indicandum erit, quale auxilium medicum pro ebriis proficiat: etenim interdum ſubjecta quædam ita conſtituta ſunt, ut omnino aliquali medela indigeant, ne morbidus & periculoſus effectus conſequatur: quo itaque artifex ebrietati prudenter, efficaciter & ſecure conſulat, præſtat cavere 1) a temeraria & immoderata pharmacevtica vomitus provocatione: 2) a poſitiva, impetuoſa & cum magno ſtimulo conjuncta purgatione: 3) a neceſſariarum evacuationum ſuppreſſione, aut perturbatione: 4) a negligentiori præſentis ſtatus plethorici & conjuncti ſangvinis orgasmi æſtimatione & tractatione: 5) a remediis masſam ſangvinis magis impellentibus, calefacientibus, concentratis, aromaticis, ſpirituoſis: 6) a Salium volatilium uſu curatorio, aut prodiga oblatione: 7) a remediis adſtringentibus & progreſſum ſangvinis qualitercunque turbantibus: 8) tanto magis vero a medicamentis narcoticis: 9) a regimine vel nimis anxio & æſtuoſo, vel nimis laxo & refrigerante: 10) a multa inquietudine, quæ ad majores & inſolentiores ſangvinis orgasmos contribuit: 11) a poſitivis fortibus aut immodicis diaphoreſibus & denique 12) a nimis multa & frequenti remediorum oblatione.

§. XVII. In ſpeciali ebrietatis cura ſequentia auxilia & conſilia ſuppeditanda ſunt, nimirum ebrius homo mox in locum purum & cum aere mundo & temperato repletum transponendus, ac in lectum deponendus eſt; ſubinde cura habenda, quo provide obtegatur & in quiete conſervetur, quo modeſte incaleſcat & ad placidam diapnoen promoveatur: quo magis enim ebrii refrigeſcunt, eo magis ebrietas augetur: porro præſtat, quo ebrius magis in latus dextrum, quam ſiniſtrum decumbat, quo ſuperfluus potus vel ſurſum, vel deorſum citius promoveatur: minus enim adæquate propterea hic decubitus eſt ſeligendus, quia *Foreſtus Lib. 9. Obſ. 27.* reminiſcitur ebrii aurigæ, qui in curru ſuo ſupino quodam decubitu denique mortuus deprehenſus fuit: hinc nonnulli judicant, quaſi talis decubitus ſemper lethalis ſit: interea quidem adeo ſalutaris non eſt, quoniam pondus ventriculi & impletorum inteſtinorum nobilioribus vaſis ſangviferis moleſtius incumbit & neceſſarium refluxum ſangvinis turgefacti impedit.

§ XVIII. In proxima ebriorum cura optimum auxilium eſt, quo per modeſtum vomitum ſuperflue ingurgitatus potus rejiciatur; minime vero propterea poſitiva emetica remedia conducunt, quamvis nonnulli practicorum Sapam Vomitoriam Sylvii, alii Antimoniata emetica commendent: præſtat potius cum ſimpliciſſima externa enchireſi vomitum provocare, ita non neceſſe

 erit

erit qualiacunque artificia adhibere: adjuvat talem modeſtum vomitum potus infuſorum calidorum: neque æque illo Oleo Nucum opus eſt, cum quo *Henricus ab Heer* fauces delinire præcipit: alioquin de *Claudio Cæſare Svetonius Cap. 33.* refert, quod ſemper crapulam cum vomitu mitigaverit: præterea proſunt adminicula, quæ alvinam excretionem promovent, quoniam ſub longinquiori & firmiori alvi retentione non modo potulenta ſuperflue ingeſta retinentur, ſed & orgaſmi humorum, aliæ irregulares commotiones ſangvinis & præcipue translationes & decubitus ad caput invitantur & augentur: conferunt itaque urgente neceſſitate Suppoſitoria mitius ſtimulantia, aut apti Clyſteres: aliqui commendant Pilulas Francofurtenſes Aloeticas, quamvis temperatarum Pilularum laxantium uſus minime improbandus ſit; a potentioribus purgantibus tamen omni ſtudio abſtinendum eſt.

§. XIX. Multum itidem ebriis Subjectis convenit modeſta diaphoreſis, quæ tamen ſine ullo poſitivo diaphoretico remedio excitari debet: pro tali temperata ſudatione invitanda convenit quies & continentia, nec non uſus Decoctorum conſvetorum ſive Herbæ Thee, ſive Fabarum Coffee; cavendum modo eſt, ne intenſiores commotiones ſangvinis concurrant: proxime proficit, quo ebrii ad ſomnum promoveantur: vulgo inter Practicos ad ebrietatem cum vino factam laudantur remedia acida, cum quibus Sulphur Vini vaporoſum ligare volunt, quamvis hoc conamen fruſtraneum ſit, ſiquidem ipſum Vinum de tali aciditate abundat; neque in eodem paſſu Lacticinia proſunt, quæ potius ſi cum tanta ubertate Vini & aciditatis illius conveniunt ad impuros ſuccos generandos contribuunt: rectius Decoctum Thee proficit: in illo vero caſu acidulata temperata remedia proficiunt, quando temulentia a fumo Tabaci & narcoticis remediis concitata fuit: quo pertinent Decocta hordeacea, avenacea, cichoracea, paſſulata cum Syrupis acidis remiſſius commixta: proinde in eodem caſu conveniunt prælaudata Infuſa calida cum modeſto regimine diaphoretico ſublevata.

§. XX. Inter alia ſingularia experimenta, quæ ad ebrietatem a practicis commendantur, ſunt, quando nonnulli ad diſſipandam ebrietatem locis genitalibus ſic dicta refrigerantia remedia applicant, velut Aquam frigidam, Acetum, ſuccum Sempervivi, ſolutionem Nitri &c. quorum *Levinus Lemnius de occultis Naturæ Miraculis Lib. 2. Cap. 18.* & *Henricus ab Heer Obſ. 19.* reminiſcuntur, quæ tamen minus apte ordinantur, cum quælibet poſitiva refrigeratio ebriis valde infenſa ſit: aliud experimentum ebrietatis in ſobrietatem per Venæ Sectionem converſæ recenſet *Bartholinus in Actis Haffnienſibus Volum. 5. Obſ. 72*: alias Venæ Sectio non æque promiſcue in ebriis ordinanda eſt, niſi iidem valde ſint plethorici atque obeſi, ubi ad præcavendum præceps

damnum

damnum e plethora per ebrietatem vehementer commota metuendum, talis ſangvinis ventilatio neceſſaria eſt: perinde ebrietas cum Scarificatione diſcuſſa allegatur in *A. N. C. Dec. 2, anno 9. obſ. 194*; ſic aurium Scarificationem & frictionem in ebrietate commendavit *Minadous de Cucurbitulis Diſſ. 4.* præterea ebrietas terrore & externo uſu frigidæ Aquæ disſipata recenſetur in *A. N. C. Dec.* 1. *anno 2. obſ. 217.* denique allegatur ille caſus in *Dec. 1. anno 4 & 5 obſ. 33*, ubi Suturæ diſcesſio ebrietatem curavit & ab eadem præſervavit.

§. XXI. Quando in ebriis neceſſarii & ſufficientes vomitus ſucceſſerunt, tunc cum emolumento adhiberi poſſunt Pulveres Abſorbentes & Nitrati, qui partim neceſſariam diureſin facilitant, partim immoderatas orgaſticas commotiones mitigant, reſiduam aciditatem tam in ventriculo, quam in inteſtinis hærentem, quadantenus abſorbent: nonnulli poſt vomitus tales prægreſſos mox ſtomachica remedia ordinant, quæ vero ad proximum diem reſervanda ſunt, quoniam ſub ebrietate corpus cum ſpirituoſis & concentratis remediis afſici haud debet, cum rectius præcipitantia, lenientia & temperantia ſub crapula conducant: multo minus præſente jam ebrietate remedia opiata offerenda ſunt, quæ eo magis animum turbant: neque pro externo uſu Caſtorina conveniunt, quæ perinde in capite majorem temulentiam cauſantur; neque Spiritus Salis Ammoniaci odorem approbo, quoniam magis motus orgaſticos in capite auget: rectius convenit Spiritus Vini Camphoratus vertici applicandus, aut Acetum Roſaceum vel Rutaceum ad tempora & frontem adhibendum.

§. XXII. Supereſt quo in tertia parte practicæ hujus tractationis indicem, quomodo cum reliquiis prægreſſæ & heſternæ crapulæ procedendum ſit, quæ alias quidem in variis ſubjectis multa incommoda atque moleſtias cauſantur; minime de illis conſectariis hoc loco loquor, quæ ſucceſſive frequentem talem inebriationem excipiunt & cum morboſo ſtatu ſeſe produnt: ſed tantum de illis incommodis hoc ordine diſſero, quæ altero die poſt prægresſam crapulam affligunt: & quamvis quidam eo usque intemperantiam ſuam ad habitum perduxerint, ut proximo die non æque craſſum incommodum ſentiant, tamen plurimi has moleſtias, e præcedente inebriatione deſultantes, patiuntur, interea quorundam non ſatis ingenua atque proba eſt opinio & commendatio, quod ex heſterna crapula contracta capitis & reliqui corporis incommoda nova compotatione elui & curari posſint queantque, ſecundum illud Scholæ Salernitanæ:

Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc tu mane bibas iterum & fuerit Medicina: hoc reſpectu quidam continuatum Vini potum laudant, quando heri immoderatius ingeſta non ſuffi-

cienter concocta fuere: ſic *Hippocrates Epidemiorum Lib. 1. Sect. 6.* uſum vini poſt ebrietatem concelebrat; haud tamen adeo conveniens erit medicina cum in præcedente die tantum incommodum & detrimentum intulerit, ut veſtigia in altero die conſpici posſint.

§. XXIII. Rectius convenit altero die juſculum leniens & remisſius aromatiſatum aut dilute mucilaginoſum, interdum cum ovis mixtum exhibere: quo pertinent juſcula vinoſa perinde modeſtius aromatiſata & parcius comeſta: huc quadrat Infuſum calidum Herbæ Thee cum Cinnamomo & Cortice Citri; cavendum vero eſt, ne ejusmodi liquida in nimia quantitate ingerantur, alias ventriculus ad novam revomitionem excitatur: proſunt etiam remedia carminativa, roborando ventriculo dicata, quo pertinent Eſſentiæ amaræ aliæque e. g. Eſſ. Galangæ, Gent. rubr. Zedoariæ, Pimp. alb. Cort. aurant. Citri, quo aliqui Vinum Abſinthiacum ſecundum commendationem Hieronymi Tragi annumerant: proficiunt etiam remisſius Acidulata adminicula & quidem quando prægreſſa inebriatio cum cereviſiæ potu commiſſa fuit: quo pertinent juſcula cum tantillo Aceti mixta, aut juſcula e flore lactis parata: non minus huc quadrant Ova ſorbilia vel remisſius acetificata, vel cum Nuce Moſchata remixta, qualia adminicula denuo Ventriculo debilitato tonum reſtituere debent: de reliquo vero temperantiæ & quantum fieri poteſt jejunio & abſtinentiæ indulgendum eſt.

§. XXIV. Inter illa reſidua incommoda, quæ altero die ebrietatem excipere ſolent, etiam recenſeri debent moleſti illi capitis dolores, quibus ſuccurrendum eſt per remedia temperantia Nitrata abſorbentia, Coralliata & per conjunctum uſum Infuſi Herbæ Thee, quemadmodum extrinſecus modicus Camphoratorum uſus, nec non applicatio prædictorum Acetorum conducit. *Fontanus in Medicina Practica Lib. 1. Cap. 8. de Dolore Capitis ab ebrietate orto* aſſerit, quod illi mitigando folia Braſſicæ in Aquam frigidam intincta capiti applicata conducant, conferatur *Franciſcus Hildesheimius de cerebri & capitis morbis, Specilegio 1. pag. 79*: præterea in hac moleſtia conducunt Epithemata paranda ex Aquis Roſarum, Verbenæ, Sambuci, Plantaginis, Nucleis Perſicorum & tantillo Camphoræ atque Croci. *Bartholinus in Hiſtoriis Anatomicis Cent. 2. Hiſtor. 11.* aſſerit, quod globulus ex oſſibus manuum & coſtarum Sirenum carpo alligatus capitis dolorem, Hemicraniam & Vertiginem, quando ex ebrietate ortum traxerunt, demulceat: inter Antiquos in more poſitum fuerat pedes cum Sale fricare, quo experimento pathemata e crapula reſidua curare ſperabant: inde innotuit proverbium *Ariſtophanis*: Sale perunctus hic juvabitur. *Hartmannus in Praxi Chymiatrica* ad talem capitis dolorem commendat Spiritum Vini cum linteolo vertici applicandum.

§. XXV. Denique poſt crapulam prægreſſam optime convenit abſtinentia & jejunium, ne videlicet Subjecta cum cibis ventriculum debilem multum oppleant aut onerent: confert etiam & animi & corporis requies, nec non ſomni uſus: continuanda etiam eſt modeſta diaphoreſis, quo ſufficienter corpus ab illis heterogeneitatibus liberetur, quæ ſub prægreſſo orgasmo genitæ fuerant; præterea optime conferunt juſcula liquida, gelatinoſa & lacticinia temperatiora, aut Decocta conſveta domeſtica: continuari poſſunt temperata carminativa remedia: vulgo Practici commendant poſt ebrietatem Sal Volatile Sylvii, quod vero haud adeo ſecure proficit, cum denuo incommodos quosdam orgaſmos ſangvinis provocet: ad ſitim urgentem leniendam confert uſus refractus Acidulatorum, modo ebrietas non cum Vino inducta fuerit, in quo poſteriori paſſu potius Decoctum Herbæ Thee convenit: de reliquo temperantiæ ſtudendum eſt, alias ſecundum Propertium: Vino forma perit, Vino corrumpitur ætas; imo qui multum inebriationi ſtudent, non modo varias corporis afflictiones, ſed & miſeram paupertatem ſibi contrahunt, hinc Diogenes olim de homine crapulæ indulgente, cum ædes ſuas venales expoſuerit, dixit: ſciebam te præ Vini crapula tandem domum evomiturum: unde optimum eſt, ſi homines hoc conſilio, cujus hactenus in practica ebrietatis tractatione mentionem feci, plane non indigent.

CASUS XIV.

DE

ACICULARUM ET NUMMORUM DEGLUTITIONE.

§. I.

INopinatus & plane ſingularis hic eſt caſus, qui interdum Medico Artifici proponitur, quo illius conjunctis periculis promte & fructuoſe conſulat & proſpiciat: neque quidem talis caſus adeo infrequens eſt, quid quod in rebus domeſticis frequentius obſervatur, nec non in obſervationibus medicis numeroſius contingeret, ſi ſemper ex eodem tam periculoſæ afflictiones provenirent & ne per divinam benignitatem ſub accurata naturæ activitate hæc deglutita ſubjecta tacite iterum eliminarentur: interea inter infantes puellas virgunculas hic caſus ſatis ſæpe occurrit, ubi communiter huic ætati in more po-

 ſitum

ſitum eſt, ut acceptos nummos intra os deponant, quod etiam puellæ cum aciculis committunt: imo tanta eſt temeritas quarundam foeminarum, ut aciculas in faucibus aſſervent, deſuper dormiant & mane iterum e faucibus easdem recipiant: interea conſtat, quomodo interdum ejusmodi deglutitiones ſontica pericula intulerint, ut propterea illis tempeſtive Medicus ſuccurrere teneatur.

§. II. Damna quæ deglutitionem talium ſubjectorum comitantur, vel contingunt ſub deglutitione, vel illam factam ſequuntur, recenſere & introſpicere iam animus eſt: quod primum attinet aliquando talia ſubjecta faucibus infixa ſunt, neque antrorſum neque retrorſum moveri & promoveri poſſunt, unde imminent ſuffocativa pericula, repentinæ inflammationes, motus faucium ſtrangulatorii aut reliqui corporis convulſivi, quoad poſterius ſequitur interdum gravis appetitus proſtratio, membrorum enervatio, corporis macilentia, lipothymia, ſitis, diarrhoea, ventriculi, dolor torminoſus & lancinatorius, cardialgia, anxius vomendi conatus, vomitus actualis anxius & horridus, convulſio, intumeſcentia abdominis & ventriculi; ut itaque non modo pathemata numeroſa, ſed & periculoſa talem caſum comitentur, quæ propterea accuratam opem requirunt: imprimis valde periculoſus eſt ſtatus, ſi in tali caſu ſpasmodicæ & convulſivæ commotiones coincidunt, quæ deglutiti ſubjecti acuminati firmiorem retentionem & impactionem in partes continentes cauſantur.

§. III. Quamquam quidem talium ſubjectorum deglutitiones variis incommodis & periculoſis offenſionibus obnoxiæ ſint, tamen ipſa experientia medica teſtatur, quomodo ſingulari quadam activitate, dexteritate & circumſpectione natura vel ſponte talia ſubjecta deglutita e diverſis viis expellat, ſicut nummum deglutitum, vomitu iterum rejectum, deſcribit *Muraldus A. N. C. Dec. 2. an. 7. obſ. 102.* qui *in Scholio* aſſerit, quod ſagax natura hæc acuminata ſubjecta ſitu commodo diducat; quemadmodum ſingulari circumſpectione in evacuandis hisce acuminatis corporibus opus eſt, ne ſub minus provida expulſione inſtituta partes graviter violentur, qualis ſelecta providentia naturæ in expellendis ſimilibus ſubjectis occurrit in Hialophagis; præterea inter obſervatores occurrit hiſtoria de nummo vomitu rejecto *Dec. 2. an. 9. obſ. 47.* de acicula deglutita externe infra cartilaginem ſcutiformem extracta *Dec. 2. an. 3. obſ. 59.* de acicula cum urina emiſſa, *Dec. 1. an. 2. obſ. 3. p. 4. Cent. 1. obſ. 43.* in *Alexandri Benedicti Hiſtoria corporis humani* & *Langii lib. 2. Ep. Medicarum 40. confer. Julius Cæſar Claudinus Reſponſionum Medicarum 40*; de acu ex ventriculo perforato *Antonius Benivenius de abditis morborum cauſis*; per cervicis latus circa aurem dextram eliminata *Caſparus Reieſius in Campis Elyſiis Quæſt. 92.* de acicula e crure erumpente *Moinichen obſ. 21.* acus deglutita pone umbilicum a na-

tu-

tura protruſa *Barthol. Act. Haffn. Vol. 3. obſ. 72.* Acus per inſolitas vias excreta, *dec. 1. an. 2. obſ. 74.* Acus deglutita *dec. 1. an. 4. obſ. 86. Bartholinus in Epiſtolis Medicis Cent. 3. Ep. 69.* agit de colica aurea & conjuncta nummi aurei deglutiti excretione alvina ; *conferantur Joh. Arculanus de his quæ intrant guttur Praxeos Cap. 57* ; *Hildanus Cent. 1. Obſ. 34.* horrenda ſymptomata e deglutita acicula deſcribit ; *Platerus lib. 2.* dolorem gulæ ob numiſma in eadem hærente enarrat ; fruſtrulum cultri deglutitum deſcribitur *Dec. 2. an. 8. obſ. 208.* quo denique ſpectant famoſi illi cultrivori Porusſicus æque ac Halenſis, quorum paſſim mentio fit, impr. *in A. N. C.*

§. IV. Utut vero interdum natura cum ſingulari circumſpectione e diverſis locis mediante motu tonico hæc deglutita acuminata ſubjecta ſub ſpecialisſima directione & moderatione exprimit, dum vel interdum immediate e ventriculo, aut per inteſtinorum tractum illa eliminat, vel antea hæc ſubjecta ingeſta per tunicam & texturam oeſophagi, aut ventriculi, aut inteſtinorum transprimit, atque difficiliori actu & tardiori ſucceſſu demum penitus extra corpus extrudit & ſub tali ſontico actu artis concurſum expectat atque poſtulat ; tamen aliquando ejusmodi excretio tam prompte contingere haud poteſt, quando videlicet talia acuminata ſubjecta antea partibus ſenſibilibus & textis infixa ſunt, iisdemque actualem læſionem intulerunt, inde non modo gravisſimi dolores oriuntur, ſed & impatientes & vehementes ſtricturæ, commotiones ſpaſmodicæ & convulſivæ, nec non motus & conatus excretorii opponuntur ; interdum febriles inſultus conjunguntur, quippe quales commotiones ad præſentis adverſi & nocivi ſubjecti efficacem expulſionem collimant : quando vero talia ſubjecta ſenſibilibus partibus infixa hærent, tunc interdum internæ ulcerationes ſuperveniunt, cum quibus ſeſe conjungunt affectus atrophici, tabidi, hectici & ſimiles alii chronici, qui perinde in lethalem eventum deſinunt.

§. V. Præmiſſa hæc conſideratio deducit me ad ſubordinandam practicam præſentis caſus tractationem, in qua placet more ſolito præmittere neceſſarias & approbatas cautelas practicas ; propterea itaque in ejusmodi caſu abſtinendum eſt, 1) a poſitivis emeticis & 2) ſtimulantibus purgantibus remediis, quæ potius immoderatas commotiones ſpaſmodicas augent, confirmant & exacerbant, quæ remedia propterea *Muraltus Dec. 2. an. 7. obſ. 106.* rejicit, 3) cavendum etiam eſt a medicamentis acribus concentratis, quæ ventriculum hoc tempore valde ſenſibilem magis irritant ; 4) ut & a præmaturo uſu ſtomachicorum remediorum, quæ ante remotionem & evacuationem deglutiti ſubjecti parum conferunt 5) nocent remedia adſtringentia & tonicas ventriculi

com-

commotiones turbantia, vel augentia 6) nocent ſuſpectæ immodicæ incraſſationes 7) obſunt præmaturæ oblationes ſedativorum remediorum, 8) obſunt poſitivæ refrigerationes partium affectarum 9) officiunt remedia acida nimis prodige oblata, qualia alias ad corroſionem ſubjectorum deglutitorum ordinantur, 10) evitentur qualescunque perturbationes excretionum alvinarum, 11) cavendum etiam eſt a nimis impatienti & immoderata deglutitorum profligatione, denique, 12) nocet nimis prodiga, variata, inconſtans, confuſa & multiplicata remediorum diverſorum & perverſorum ingeſtio.

§. VI. Specialis methodus huic caſui medendi diverſis circumſtantiis accommodata eſſe debet: quando vero contingit, ut talia deglutita acuminata ſubjecta non æque moleſtiam aliquam afferant, tunc Medicus præter necesſitatem artificium ſuum immiſcere haud debet, neque illud movendum aut offendendum eſt, quod nunc in quiete exiſtit & hujus remotionem natura leniori & accuratiori methodo perficit: quod ſi vicisſim talia deglutita noxam afferre conſpiciantur, tunc triplex hæc indicatio practica erit obſervanda: primo ſi talia ſubjecta ſub deglutitione in faucibus ſubſiſtunt, opera danda eſt, quo eadem vel convenienter eximantur, vel ſecure deprimantur; deinde ſi deglutita talia ſubjecta in ventriculo varia ſontica pathemata cauſantur, neceſſe erit illis mitigandis curam adhibere & quo ingeſta talia ſecure egerantur cooperari: denique intercurrentibus variis ſymptomatibus & conſectariis dextre & provide proſpiciendum eſt, ne talia damna remaneant, quæ ad futuros periculoſos affectus & eventus anſam præbent.

§. VII. Quod primam circumſtantiam attinet, tunc interdum evenit, ut ſubjecta acuminata ſub deglutitione varia incommoda inferant, dum vel transverſim fauces ingrediuntur, vel iisdem ſuſpecte infiguntur, vel initiis aſperæ arteriæ affiguntur, ut ſub periculoſis ſtrangulatoriis ſpasmodicis, vomibundis commotionibus metus ſuffocationis immineat: hinc ante omnia ſollicitus artifex obſervare & invigilare debet, quo talia ſubjecta, quantum quidem posſibile eſt, cum aptis inſtrumentis extrahantur; aut ſi ejusmodi exemptio non amplius ſperanda eſt, præſtat tale ſubjectum, quod in faucibus hæret, deprimere, qualem methodum inter alios *Hildanus Cent.* 1. *Obſ. 36.* commendat & inſtrumentum Chirurgicum pro hoc uſu aptum exhibet: interdum ſimplicisſimum illud experimentum domeſticum pro hoc incommodo removendo ſatisfacit, quando fruſtulum panis recentis, imprimis grosſius, maſticatum deglutitur, quod una deprimit infixum ſubjectum: interdum convenit modeſta ſternutatio, ſi ſubjectum tale deglutitum non intimius, ſed magis ſuperficialiter in faucibus hæret; alias vehemens talis ſuccuſſatio ejus efficaciæ eſt, quo deglutitum acuminatum ſubjectum firmius faucibus imprimatur, ut propterea

cum

cum omni vehementi commotione maxima circumſpectio adhibenda ſit; neque etiam in ejusmodi caſu temere convenit tusſim provocare, quin rectius proficit fauces cum lenientibus demulcere, quamdiu adhuc ſubjecta talia in gutture hærent; huc conveniunt imprimis olea ſimplicia emollientia, ut amygdalarum dulcium, aut etiam Syrupus Violarum: ſpisſiora remedia nullo modo ſunt admittenda, quia fauces magis irritant & ſtrangulatorias commotiones augent.

§. VIII. Quando ejusmodi ſubjecta acuminata deglutita ſunt, tunc alia auxilia in uſum trahi debent, ſicut alias peculiari ſtudio *Joannes Wierus in Obſervationibus Medicis rarioribus p. 22.* curationem aciculæ deglutitæ deſcripſit: proſunt itaque in tali caſu præcipue lenientia, emollientia, pingvia, mucilaginoſa, gelatinoſa, lacticinia, juſcula pingvia, pultacea, pruna cocta & alia, quæ deglutitum ſubjectum involvere & ad leniorem & volubiliorem excretionem præparare poſſunt: non minus conveniunt Decocta ex emollientibus ſpeciebus parata; haud vero confert ventriculum cum multo potu onerare, neque etiam purgantia aut vomitoria, ut ſuperius monui proſunt: conferunt rectius temperatisſima laxantia, prunata, mannata, paſſulata, Rhabarbarina, quam methodum modo commendatam etiam inter alios *Reuſnerus in obſ. medica 56.* proponit & laudat, *conf. Segeri obſ. 86. in A. N. C. Dec. 10. an. 4:* præterea ab extra abdomini illinenda ſunt lenientia adminicula, quæ evacuationem alvinam modeſtius adjuvant, eandemque lubricam reddunt, ut eo minus acuminata ſubjecta parietes inteſtinorum pungere & ſtimulare queant, quo magis iidem cum lenientibus pingvibus emollientibus & diluentibus præmuniti ſunt.

§. IX. Inter alia auxilia, quæ paſſim Practici in hoc caſu commendant, deprehenduntur etiam eſſe acida, quorum illa eſt efficacia, quo deglutita ferrea vel ænea ſubjecta ſucceſſive corrodant, ſicuti hiſtoriæ de ejusmodi ſubjectis iterum rejectis produnt, quomodo eadem a conſveta ſaburra aceſcente ventriculi corroſa fuerint: quapropter hoc nomine ipſe modicus uſus Vini confert: aut proſunt Syrupi acidulati; cavendum tamen eſt, ne vel concentratiora acida, vel alia nimis copioſa quantitate offerantur: interea vero etiam ſubſtituenda ſunt gelatinoſa & mucilaginoſa, cum quibus ramenta illa metallica involvenda & ad faciliorem excretionem præparanda ſunt: neque male interponuntur mitiora laxantia, ne videlicet alvus adſtringatur: ſubinde conjungi debent eluentia, quibus cum illud, quod corroſum eſt, ſemper abſtergi & ſeparari poteſt: ſic evenit, ut crudiora talia ſubjecta metallica deglutita ſucceſſive imminuantur & denique faciliori opera evacuentur.

§. X. Ratio denique habenda eſt ſymptomatum, quæ huic caſui ſe ſe conjungere ſolent; quando itaque præviam difficilem periculoſam & dolori-

lorificam deglutitionem conſequntur incommoda faucium, velut dolores, ardores, aut plane inflammationes, tunc conferunt Gargariſmata, paranda ex Avena, Rad. Sigilli Salomonis, Liquiritiæ, Liliorum alborum, Caryophyllatæ, Herbis Hyſſop. Scord. Salv. Agrimon. Alchimill. Prunell. Fl. Chamomill. Sambuc. Roſarum, addendo Mel Roſaceum & tantillum Nitri: nonnunquam Syrupus Violarum, aut etiam Olea lenientia conveniunt: quando ſuſpectæ Hæmorrhagiæ e faucibus proveniunt, tunc præter modo commendata Gargariſmata conducunt maſticationes radicum adſtringentium: ſi immoderati vomitus affligunt, tunc ad illorum mitigationem conferunt lenientia, emollientia, juſcula pingvia mucilaginoſa, interponendo Aquam Cinnamomi cum tantillo Theriacæ ſimplicis mixtam, quo etiam Extr. Chaccarillæ convenit: externe proſunt Linimenta ex Oleis infuſis lenientibus & deſtillatis Nucis Moſchatæ, Fœniculi, Menthæ, Gentianæ rubræ, Cort. Aurant. Maſtichino præparata, addito tantillo Theriacæ, Croci & Camphoræ, qualia etiam proſunt, ſi vel nimia Tormina vel Diarrhœa affligunt, in quo poſteriori paſſu etiam Clyſteres lenientes & mitius roborantes conveniunt; ad Convulſiones famoſa ſpecifica & Antiſpaſmodica remedia nihil valent, niſi prius vel deglutitum ſubjectum iterum evacuatum vel irritans illius effectus mitigatus fuerit, unde potius talia in ejusmodi neceſſitate conveniunt, quæ hiſce effectibus reſpondent: quod ſi ulterius convulſivæ commotiones continuaverint, tunc commode cum aliis remediis antiſpaſmodica medicamenta conjungi poſſunt: in futurum vero ſi principaliora & graviora pathemata acquieſcunt, tunc convenit ventriculo & inteſtinis hactenus afflictis per diætetica & pharmaceutica roborantia ſuccurrere, ubi conveniunt juſcula vinoſa & modeſte aromatiſata, nec non Eſſentiæ carminativæ; cavendo ne ventriculus cum magno ciborum onere moleſtetur, quin potius molliora alimenta ſeligenda & offerenda erunt, denique prudens artifex eo attendere debet, quo ordinariæ excretiones iterum rite procedant & continuent, ita modus tractandi illos, qui nummos aliaque deglutiverunt, deſcribitur in *A. N. C. dec. 1. an. 3. obſ. 141.*

CASUS XV.

DE

VENENO ASSUMTO.

§. I.

Quando hoc loco de oblato & hauſto Veneno ſermo occurrit, tunc minime placet communi Phyſicorum & Medicorum diſceptationi circa exiſtentiam veneni me immiſcere, in qua interdum ſatis ſteriles quæſtiones & animadverſiones proponuntur: ita enim venenum dicitur ſubjectum quoddam, quod in relatione ad aliud nocivum & perniciosum eſt, unde ſimplici ſenſu illud venenum vocari poteſt, quod repentina & valida efficacia tam mixtionem, quam ſtructuram corporis animalis intime deſtruit & corrodit, qualia ſubjecta in rerum natura diverſa occurrunt, licet etiam quædam veneni nomine vulgo inter Medicos nota citra actualem corroſionem, ſubitaneam putrefactionem tamen in humores præcipue inferunt: quamvis hæc tractatio de venenis ſatis amplifica ſit inter Medicos, ita ut e quolibet regno diverſa talia ſubjecta virulenta recenſeantur eorundemque antidota ſpecifica paſſim ab autoribus commemorentur, tamen hoc loco minime placet univerſam hanc tractationem de Venenis attingere, ſed potius de illis ſubjectis utplurimum uſualibus diſſerere, quæ e regno minerali ad malitioſa veneficia adhibentur, ut ſunt Arſenicum, Auripigmentum, Mercurius Sublimatus, Cadmia foſſilis &c.

§. II. Et dum de talibus venenis mihi impræſentiarum ſermo eſt, ita minime illam alteram Medicorum obſervationem & ſpeculationem attendo, quæ occupatur circa geneſin venenorum in corpore vivo, in qua diſquiſitione iam *Galenus Lib. 8. de ſimplicium Medicamentorum facultatibus* & paſſim alibi prævivit, ubi ſenſus hujus obſervationis eſt, an interdum humores quidam in corpore vivo eo usque acres & corroſivi fieri queant, ut partes textas arrodant: ut ut vero hanc animadverſionem varii ad exemplum Cachexiæ, Cacochymiæ, Scorbuti, Mali Hypochondriaci ducunt, tamen hic caſus rarior eſt, niſi ad Cholericorum affectuum indolem provocare teneamur, in quibus bilis ira cauſtica evadit, ut veneni inſtar arrodat, adeoque talia pathemata poſt ſe trahat, qualia interdum a communi & vulgo ſic dicto veneno provenire ſolet: proinde etiam hoc ordine de ejusmodi venenis tractandum erit, quæ communiter hanc perniciem cauſantur, licet rariſſimæ hiſtoriolæ referantur de hominibus

qui-

quibusdam, qui ſine noxa tale venenum aſſumere potuerunt: ſicut etiam in hiſtoria naturali illud commune experimentum conſtat, quomodo quædam ſubjecta homini ſunt venenoſa, minus vero brutis & quomode vicisſim brutis quædam ſint virulenta, quæ hominibus nullum damnum afferunt.

§. III. Præſens Caſus ob malitiam hominum eſt in communi vita ſatis frequens, propterea tanto magis artifices præparati eſſe debent, quo ejusmodi periculo tempeſtive ſubvenire queant: communis quidem mos eſt venena vel in cibo, vel in potu clanculum alicui præbere, licet etiam varii caſus conſtent & proſtent, ubi cum ſuffimigiis, balneis, aliisque modis venenum communicatum fuit; interim intrinſecus oblatum citius perniciem ſuam exſerit, licet vicisſim autores tales caſus commemorent, quod ſub aliqua ſimulatione repetitis vicibus venenum in valde refracta doſi oblatum non ſimultaneo impetu, ſed ſuccesſive lethalem ſuam noxam exſeruerit, uti *Amatus Luſitanus Cent. 6. Curatione 88* de Turcis & Indis refert, quod tam ſcite venena præparare calleant, quo ad diſtans & determinatum tempus pernicioſum ſuum effectum exerceant cujus indolis eſt famoſus ille Gallorum Pulvis Succesſionis: e talium venenorum ſucceſſivo effectu contingit, ut ſubjecta ſub continuante morboſa afflictione & larva alterius chronici morbi ſuccesſive contabeſcant & denique pereant: de reliquo ſciendum eſt, quod venena ſecundum diverſitatem circumſtantiarum diverſimode operentur, ſicut in ſubjectis floridioris habitus corporis citius & gravius operantur; non minus ex veneno homines, qui antea cum aliis morbis affecti fuerant, citius ſuccumbunt.

§. IV. Et quoniam hic caſus in Medicina forenſi ſpeciali ſtudio tractandus eſt, ita etiam multum refert, quo circa illius ſufficientem notitiam Medici recte inſtructi ſint, ne in aliqua viſitatione, relatione, aut renuntiatione inſtituenda errorem quempiam committant: unde antea refert, quo necesſariæ circumſtantiæ obſerventur & annotentur, imo ſubinde etiam diſcernantur, quoniam nonnunquam ejusmodi ſigna occurrunt, quæ aliis affectibus citra commiſſum veneficium familiaria eſſe deprehenduntur, de qua circumſtantia conferatur *Piſaurenſis de Venenis Lib. 1. Cap. 4.* Vulgaria vero phænomena atque indicia venenum aſſumtum prodentia, ſunt eximiæ & extremæ anguſtiæ ſtrangulatoriæ cum magno angore animi conjunctæ, vehementes torſiones lancinatoriæ & convulſivæ ventriculi & inteſtinorum, anxii conatus vomendi, vomitus horridi, hypercatharſes, convulſiones, miræ corporis contracturæ, intenſiſſimi corporis cruciatus & dolores, deliquia animi, oculorum inflatio, venarum in capite intumescentia, deliria, confuſi motus febriles, livor ungvium, tumor lingvæ, maxima reſpirandi difficultas, urinæ ardor, oſcitationes moleſtæ, ſingultus cum metu ſtrangulationis conjuncti, eximii dolores & ardores

in

in faucibus, odor & ſapor deterrimus in faucibus, ardor vehemens internus, extremitatum refrigeratio, ſenſuum hebetudo, vertigo, pulſus debilis, inæqualis, intermittens, interdum celer, Lipothymia, palpitatio & tremor cordis, Hæmorrhagiæ confuſæ, urinæ Suppresſio, Sopores, membrorum tremores, aſpectus faciei torvus, terribilis & lividus, faucium eroſio & inflammatio, acutisſimus dolor in ventriculo, nauſea vehemens, lancinantia inteſtinorum tormina & extrema inquietudo.

§. V. Non raro concurrit gravis inflatio abdominis, præcipue vero adeſt ille internus ſuſpectus ardor, unde *Cardanus Lib. 2. de Venenis Cap. 4.* dicit, quod Sudor frigidus cum ardore ſemper ſit ſignum aſſumti veneni, præcipue ſi dolor maxime in inteſtinis concurrat: in Subjectis ex veneno aſſumto demortuis obſervantur eroſiones, inflammationes & ſphacelationes ventriculi oeſophagi & inteſtinorum; ſangvis in ſuis vaſis valde coagulatus & deter eſt, viſcera etiam nigra fœtida & friabilia ſunt, ita ut facile divelli queant, extrinſecus conſpiciuntur maculæ & variæ protuberantiæ ſive inflationes; præterea *Galenus de Locis affectis Lib. 6. Cap. 5.* ſignis ex veneno hauſto annumerat: ſi cadaver mox varium colorem induit, putrilagine diffluit & ſubito putridum fœtorem ſpargit: ita alibi *de Medicamentorum ſimplicium facultatibus Lib. 3. Cap. 18.* dicit, quod laxitas carnis & fœtor corporis indicium veneni aſſumti ſit: præterea de ſubjectis veneno extinctis *Cardanus* loco citato dicit, quod poſt mortem ungves ipſis nigri fiant, imo plane ſecedant, capilli integris manipulis evelli queant, ſpuma ex ore fœtida & varii coloris effluat.

§. VI. Præterea conſpiciuntur in ſubjectis e veneno oblato demortuis in faucibus, œſophago, ventriculo, inteſtinis & aliis primarum regionum partibus eroſiones, criſpaturæ, inflammationes, aut actuales putridæ corruptiones, quibus indiciis nonnulli annumerant inſolitam cordis flacciditatem, quæ licet interdum in aliis ſubjectis e chronico morbo extinctis reperiatur, tamen etiam in præſenti caſu occurrit & propterea cum aliis phænomenis concilianda eſt: inter Veteres obtinuit quædam traditio, quaſi cor veneno interemptorum hominum comburi non posſit, uti *Svetonius in Caligula* de morte Germanici refert, quod *Plinius Hiſtoriæ naturalis Lib. 2. Cap. 37.* recenſet, quod bruta cadavera veneno interemtorum non arrodant: licet tamen nonnunquam autores habeant, quo huic aſſerto in tantum obloquantur, quod illius veritas non ſit abſoluta: neque quidem rarum eſt, quod nonnunquam in demortuis ipſum oblatum venenum in ventriculo reperiatur, cum quo practici varia experimenta inſtituunt, imprimis vero, ut illud poſt moderatam exſiccationem cani præbeant & lethalem ejusdem effectum obſervent, aut ut carbonibus ardentibus illud injiciant & phænomena eadem annotant, quæ alias veneno in

tali experimento familiaria ſunt: dantur interdum quædam venena tanta ſubtilitate prædita, ut mox humorum maſſam ingrediantur, adeo ut nulla veſtigia in abdominis viſceribus reperiri queant, qualia ſubjecta cum tanto veneno infecta communiter cum convulſivis crucatibus pereunt, cujusmodi exempla in Hiſtoria de *Alexandro M.* & *Cleopatra* occurrunt, quæ ſubjecta veneno extincta ſunt, in quibus tamen nulla veneni indicia deprehenſa fuere: quemadmodum pasſim Practici de tali caſu hauſti & oblati veneni, nec non de efficacia veneni diſſeruerunt, ita ſeorſim *Wepferus de Cicuta aquatica*, *Schenckius in Obſervationibus Medicinalibus. Dioſcorides Materiæ Medicæ Lib. 6. Bartholinus in Hiſtoriis Anotomicis rarioribus*, *Fernelius de Abditis Morborum cauſis*, *Lancisius de Mortibus ſubitaneis*, *Zacutus Luſitanus Praxeos admirandæ Lib. 1. Sect. 2. Amatus Luſitanus Cent. 5*, *Foreſtus in Obſervationibus Medicis Lib. 8* & *Lib. 30* Zachias Qv. Med. leg. Lib. 2. tit. 2. qv. 7. *Hochſtetterus Decade 9*, *Tulpius Lib. 3*, *Timæus a Guldenklee Lib. 7. Haly Abbas Praxeos Lib. 4. Cap. 5. Bartholinus in Ciſta Medica Locula* 52, *Borellus Cent. 4. Obſ. 19*, Ammannus in praxi vuln. & de Med. Crit. *Capivacius Lib. 7. De Venenis*, *Gokelius Lib. de Venenis*, *Sennertus Lib. 6. Praxeos. Fonſeca de Venenis. Foreſtus de venenis* & *Fucis*, *Libaultius de præcav. curandisque venenis*, *Paræus*, *Zachias*, *Bonetus* & varii alii.

§. VII. Tradita itaque Hiſtoria præſentis caſus nunc proxime indicandum erit, unde hæc tormenta oriantur, quæ venenum oblatum conſequuntur: de ipſo veneno ſciendum eſt, quod utplurimum operetur per repentinam & impetuoſam corroſionem partium textarum, unde vel mox in faucibus & œſophago ſub ingeſtione, vel etiam ſub proxima egeſtione & revomitione tales pernicioſæ arroſiones conſpiciuntur; præcipue vero a veneno hæc deleteria vis ventriculo & inteſtinis annexis infertur, eapropter ſuperveniunt graviſſimi ſpasmi & convulſivi motus, quibus cum natura adeo afflicta & in tam extremo periculo conſtituta cum multa perturbatione & conſternatione veneni in viſceribus ſuis deliteſcentis præſentiam proſequitur & ad repentinam exturbationem adigit: hinc ſub variis anxiis turbulentis & confuſis motibus ſcopum hunc urget, ad quam ataxiam & amethodiam contribuit repentinum periculum, quod inſtat & imminet & de quo adeo anxia eſt natura: quando itaque ſub hisce ſpasmodicis commotionibus ingeſtum venenum latius profunditur, tunc non modo in aliis partibus eandem noxam exſerit, ſed & in iisdem iidem motus ſpaſtici opponuntur, ſicut hæ commotiones ad ſubitaneam pernicioſi veneni remotionem tendunt: huc etiam ſpectant commotiones inflammatoriæ, quæ ad illa loca applicantur & diriguntur, in quibus arroſiones illæ contingunt, ſiquidem cum iisdem inflammatoriis commotionibus natura ſeſe huic adverſo ſenſui ſtimulationis & noxio effectui arroſionis acriter oppo-

opponit, ideoque in tanta neceſſitate, quantum ſub reliqua anguſtia & trepidatione poteſt, omni conatu reſiſtit: interim ob extreme urgens periculum eadem interdum plane in animi deliquia incidit, quibus ipſis abhorreſcentiam & metum ſuum obteſtatur, ſicut de reliquo angores animi & anguſtiæ corporis ſufficienter ſignificant, in quam extrema calamitate natura in tali caſu ſit conſtituta.

§. VIII. Et dum in tam extremo periculo & ſub tanta anguſtia atque afflictione natura tam fugaces & tam vehementes atque inconſtantes commotiones ſpasmodicas exercet, hinc ex accidenti variæ quædam aliæ calamitates ingruunt, quas quidem eadem natura minime intendit & ex propoſito damnum & præjudicium ſuſcipit, ſed quæ nocumenta magis accidentalia ſunt: tales ſiniſtræ conſecutiones ſunt repentinæ atque grandes ſtaſes ſangvinis, oppletiones & infarctus viſcerum & denique ſubitaneæ corruptiones utplurimum putridæ; ut propterea mirum haud ſit, cur in tam adverſa & confuſa rerum facie natura ſubinde cum extremis anguſtiis, tergiverſationibus & confuſionibus reliqua negotia peragat, ut interdum inſolitas quasdam commotiones ſpasmodico-convulſivas ſuſcipiat, mox vero ſimul & ſemel iterum delinquat, donec tandem penitus a motibus ceſſet & ſub maxima trepidatione opus ſuum deſerat: hinc quaſi aufugit, neque priſtinum ſuum domicilium, videlicet corpus cum emortuali conſveto rigore occludit, ſed totum laxum atque flaccidum relinquit, ut non modo capilli evelli poſſint, ſed & ut facilius & impetuoſius motus fermentativo-putrefactorius totum hoc laxum corpus penetret: quodſi vero contingat, ut tale periculum mortis & damnum veneni ſuperatum fuerit, tunc nihilominus remanent eximiæ quædam ataxiæ e prægreſſa confuſione & conſternatione: inde etiam pendet, cur interdum plane priſtinum temperamentum alicujus ſubjecti immutetur, quando videlicet illi rigores atque ſpasmi, qui præceſſerunt non penitus remittunt, ſed quantisper continuant, ut ita laxum corporis habitum in ſtrictum immutent.

§. IX. Antequam a theoretico hujus caſus conſpectu diſcedam, paucis adhuc Prognoſticæ quædam conſiderationes erunt ſuppeditandæ; eapropter in ſubjectis ſenſibilibus, teneris, ſic dictis debilibus, aut torpidis, nec non cum aliis morboſis moleſtiis conflictantibus, ut & in cacochymicis, venenum oblatum eo certius atque citius lethiferum effectum induit: deinde ſubjecta plethorica ſangvinis commotionibus & emotionibus adſveta ex veneno ingeſto ægrius & periculoſius decumbunt; ſic diuturna præcordialis anguſtia, aut continuans inflatio abdominis, inſignis ardor faucium & vomitus defectus malum indicium ferunt, quoniam damna ex veneno aſſumto, magis increbeſcunt & tamen venenum non expellitur: mentis motiones, aut Lipothymiæ in hoc

caſu

caſu nunquam periculo carent: urgens & continuans ſtrangulatio peſſimæ indolis eſt; concurſus convulſionum malus eſt; confuſa febrilis commotio periculum portendit: rigor & horror externus, ardor & angor vero internus valde periculoſus eſt; ſudatio frigida mala eſt; aneſtiſia lethalis eſt; quo magis in inteſtinis cruciatus concurrunt & continuant, eo deterior eſt ſtatus; anxii conatus vomendi, vomitu tamen ſufficienti deſtituti, malum perhibent ſignum: pathemata phrenitica concurſantia ſunt lethalia, ſupervenientes affectus ſoporoſi ſunt extreme periculoſi: contractura partium, inſolita inflatio corporis externi, maculæ ſuperficiales male coloratæ malum ſignum denotant: quando vero poſt venenum ſuperatum temperamentum hominis mutatur, aut contractura, aridura, paralyſis, mentis debilitas remanent, malum eſt; ſi denique ſubjecta ſucceſſive contabeſcunt, perinde pravum eſt indicium.

§. X. Ordo me ducit ad practicam præſentis caſus deductionem, quæ in triplicem conſiderationem atque laborem erit diſpeſcenda: in priori perpendere placet, an dentur remedia a veneni deleteria vi præſervantia, quibus illi uti poſſunt, qui in metu ſunt, ne tale veneficium ipſis offeratur, quale quid præprimis principes habent, quod metuant: in altera parte explicandum erit, quomodo ejusmodi homines tractandi ſint, quibus jam actu venenum oblatum fuit, quo ſalventur & veneni vis quovis congruo adminiculo infringatur: in tertia claſſe ſignificandum erit, quomodo ejusmodi ſubjecta ulterius tractanda ſint, quæ periculum mortis evaſerunt, ſed adhuc aliquot morbidis moleſtiis laborant, quæ ne in periculoſum ſtatum iterum incidant, omnino requirunt, quo circumſpectus & peritus artifex cum neceſſariis conſiliis & auxiliis iisdem ſuccurrat: & ſicut quælibet harum tractationum practicarum diverſis reſpectibus nititur, ita quidem, ut minime occaſio ſuperſit varia experimenta inſtituere, quin potius periculum in mora ſit, hinc de qualibet harum conſiderationum ſeorſim agendum erit.

§. XI. In priori itaque tractatione differendum erit de certis adminiculis, a veneni deleteria vi præſervantibus, e quibus paſſim multiplicia inter auctores allegantur, quorum plurima vero promiſſis ſuis atque encomiis minime ſatisfaciunt; ne vero perſonæ in faſtigio dignitatis & poteſtatis conſtitutæ illuſtres clanculum ſub cibo aut potu cum veneno inficiantur, propterea habent ſuos pincernas, quibus mediantibus a veneno præſervari volunt: inter antiquos in more poſitum fuit vaſa & pocula parare ex Electro aut Auro cum Argento mixto, de quibus aſſerebant, quod venena pateſaciant, ſicut de vaſis argenteis politis conſtat, quod a veneno denigreſcant: alii commendant unicornu verum, Lapidem in capite Draconis & Buſonis reperiri traditum, de quibus *Carolus Cluſius*, *Cardanus*, *Plinius*, *Bootius* narrant, quod a veneno colorem

lorem mutent, quæ vero traditio nulla ſolida experientia nititur. *Dioſcorides* præcipit, ne homines tam facile ſapidos cibos comedant, quibus vulgo venenum inſinuari ſolet, quæ vero præſervatio minus generalis eſt: alii jubent ante ciborum comeſtionem aquam haurire, quæ vero perinde non ſingularem præſervantem vim habet, neque Medicorum Theriaca cujuscunque nominis, aut agyrtarum Orvietani antidotalem aliquam præſervantem fidam virtutem habent, ſed tantum hæc ab Italis proveniens ſpes aut promiſſio vanis opinionibus nititur.

§. XII. Præter hactenus commemorata ſubjecta a veneno præſervantia, adhuc numeroſa paſſim recenſentur; ita *Dioſcorides* extollit Semen Napi; alii laudant Calaminthaṁ, Rutam, Laurum, Ficus, Caricas cum Nuce Juglande, Terram Lemniam cum Vino aſſumtam, Mala Citria &c: *Avicenna* commendat Zedoariam & *Seneca Lib. 6. Controverſiarum Cap. 4.* cum aliis ordinat, ne pocula oblata ad fundum usque ebibantur, quoniam utplurimum venenum in fundo hæret, quod experimentum licet aliqualem, tamen non totalem efficaciam habet: alii ordinant vaſa de Borcellano parata: ſunt qui Gemmas interne & externe adhibitas efferunt: aliqui Lapidem Bezoar mirifice, ſed ex nuda quadam perſvaſione, commendant: quidam Bolum Armenam, Vincetoxicum, Angelicam, Dictamnum, Scordium, Allium, Cydonium contra venenum offerunt, imo paſſim multa alia laudantur: ſicut vero hactenus allegata parum a veneno præſervant, ita neque meliora, neque ſinceriora & veriora præſervantia ſunt, quam pingvia: quemadmodum circumſpectio principibus in more poſita eſt, quo ante comeſtionem & ingeſtionem aliorum alimentorum & potulentorum paulo largius butyrum aſſumant: quo etiam ſpectat uſus oleorum diæteticorum, uti antiquioribus hoc nomine oleum olivarum uſitatum fuit; minime omnium vero tanta credulitate & concurrente ſuperſtitione alexipharmacis remediis hæc efficacia a veneno præſervans imputanda eſt, quæ potius venenum aſſumtum non modo intra humores ſubito transferunt, ſed & in ipſis humoribus ſubjecta venenoſa ſuſpecte impellunt & commovent, unde in toto hoc reliquo caſu cum maxima circumſpectione alexipharmaca uſurpanda ſunt: quod denique decantatam illam Cervi illiusque Cornu vim alexipharmacam & veneno reſiſtentem concernit, tunc illa tantum fabuloſa eſt, quoniam certis narratiunculis de lucta cervi cum animalibus venenoſis nititur.

§. XIII. In altera parte therapevticæ conſiderationis illud præprimis officium artificis occurrit, quo tempeſtive atque perite huic afflictioni ſuccurrat, quando jam venenum oblatum eſt & noxios ſuos effectus jam actu inchoat. in hoc negotio vero antea neceſſariæ cautelæ practicæ erunt recenſen-

dæ & commendandæ, eapropter cavendum eſt 1) a poſitivis & vulgatis emeticis remediis: etenim quando impræſentiarum venenum ingeſtum ventriculum valde ſtimulat & arrodit, ut vehementes ſpaſticæ commotiones affligant, temerarium tunc eſt cum emetico remedio afflicto majorem afflictionem dare; ita etiam nocent 2) omnia deorſum urgentia evacuantia, quamdiu adhuc venenum in ventriculo deliteſcit: 3) tanto magis vero poſitiva purgantia, quæ cum eximio ſtimulo operantur: 4) obſunt etiam remedia alexipharmaca, illo tempore oblata, quando venenum adhuc in ventriculo & inteſtinis hæret, qualia remedia deinde veneni efficaciam in intimiores partes pellunt: 5) officiunt porro omnia remedia acria, reſinoſa, valde Salina, quando etiam venenum expulſum fuit, quoniam intrinſecus arroſus ventriculus talia remedia ægerrime perfert, quæ propterea inflammatorias commotiones vel excitant. vel confirmant: 6) deinde etiam nocent omnia remedia calefacientia ſangvinem valde impellentia, quæ ſub præſenti afflictione eo immoderatiores commotiones excitant: 7) pari ratione nocent Salia volatilia & concentrata oleoſa, aut balſamica exotica: 8) abſtinendum etiam eſt a vulgari & liberali uſu narcoticorum: 9) ut & ab omnibus remediis adſtringentibus: 10) nec non a refrigerantibus; 11) porro a valde incraſſantibus: 12) ab uſu experimentorum minus probatorum: 13) a copioſo, multiplicato & inconſtanti remediorum uſu: 14) a medicamentis & experimentis vires magis deſtruentibus & ſupprimentibus: 15) a regimine anxio & inquieto: 16) a ſimultaneis & prodigis ventriculi oppletionibus: 17) a præmatura ſymptomatum mitigatione, antequam radix mali ſuperata fuit: 18) a reliquiarum veneni negligentiori tractatione: 19) ab immoderato impulſu & ſucceſſu diaphoretico & 20) ab omnibus illis medicaminibus & regiminibus, quæ orgaſticas ſangvinis commotiones provocant.

§. XIV. In ſpeciali & poſitiva cura ſcite, rite & perite adminiſtranda ſequentes indicationes erunt obſervandæ: 1) ut artifex convenienter veneno proſpiciat, quando adhuc in ventriculo hæret: 2) ut eadem dexteritate ſuccurrat, quando venenum e ventriculo jam intimius vel in inteſtina, vel profundius translatum fuit: 3) ut concurrentibus & urgentibus arduis ſymptomatibus etiam convenientem medelam ordinet, ne propter illorum acerbitatem patiens pereat, ſi antecedens veneni periculum evaſit: in ſingulis hisce indicationibus exercendis omnino prudens promtitudo, induſtria & vigilantia requiritur, quoniam id, quod ad obtinendam reſtitutionem ſpectat, brevisſima periodo circumſcriptum eſt & quælibet cunctatio, titubatio, negligentia & timiditas, ut & inconſtantia periculum involvit: neque propterea audax præcipitantia adhibenda eſt, ſed quo magis hic caſus

extre-

extreme periculoſus exiſtit, eo major circumſpectio atque dexteritas ad illius tractationem requiritur.

§. XV. Quando artifex tempeſtive ad ejusmodi caſum accerſitur, ubi modo venenum ingeſtum fuit, adeoque juſta præſumtio de veneno in ventriculo obhæreſcente adeſt, tunc minime Medicus ſpeculativis phyſico-chymicis, aut plane obſcuris correctionibus veneni intentus eſſe debet, ſed potius triplex hic actus obſervandus eſt: 1) ut cum ſimplicisſimis remediis textura ventriculi præmuniatur, ne venenum eandem invadere queat: 2) ut venenum per ſuperficiem ventriculi diſperſum cum apto vehiculo involvatur: 3) ut illius tempeſtiva revomitio quocunque modeſto modo adjuvetur. Quod primum officium attinet, tunc nulla meliora, efficaciora & certiora conſtant & proſtant adminicula, quam ſimpliciora pingvia, velut butyrum, oleum ſive olivarum ſive amygdalarum dulcium, ſive Liliorum alborum, ſive aliud emolliens: magnæ etiam utilitatis eſt Lac pingve, quæ ſingula ſubjecta non frigide aſſumenda ſunt; ſeponantur vero olea deſtillata: *Valleriola Lib. 1. Obſ. 6.* commendat Oleum tartari, quod vero magis theoretice, quam practice juvat, ſiquidem illud opponitur cauſticæ aciditati veneni & priusquam hoc cum illo alcalino ſubjecto emendetur, interea damnum ad ſummum ſuum gradum pervenire poteſt: quoad alterum actum eadem liquida pingvia conveniunt, quo etiam pertinent juscula pingvia calida, gallinacea, cereviſia cum oleo & butyro largiter mixta, Decoctum C. C. aut hordei aut avenæ cum oleo vel butyro largius mixtum: ſub quo actu denique adjuvanda eſt tempeſtiva veneni revomitio; abſtinendo ab omni poſitivorum emeticorum uſu, quin potius cum alia externa enchireſi vomitum modeſte provocando; longe minus in hac priori indicatione abſorbentia remedia conferunt; neque etiam Cryſtallus montana ſpecificam aliquam utilitatem habet.

§. XVI. Quando ſuſpicio adeſt, quod venenum ingeſtum intimius penetraverit & jam e ventriculo propulſum, atque in inteſtina delatum ſit, tunc convenit alia auxilia in uſum trahere: proſunt in hoc paſſu Clyſteres pingviores ſive cum lacte ſive juſculis parandi, additis ſpeciebus lenientibus & ex parte roborantibus, quibus etiam pro neceſſitatis urgentis conditione & ſpaſticarum torminoſarum afflictionum continuatione haud infructuoſe aliquid de Theriaca admiſcetur: proinde etiam conveniunt Decocta lenientia gelatinoſa & modeſtius abſtergentia, paranda e C. C. Hordeo excorticato, prunis Damaſcenis, herba Veronicæ, Scordii, Chærefolii, Cortice Citri & Cinnamomi, ut itaque tam ſurſum, quam deorſum inteſtina eluantur & a virulentia veneni præmuniantur; ne vero in humoribus venenoſa illa efficacia locum inveniat obtineatque, præſtat omnino interponere medicamina ſelectiora & temperatiora alexipharmaca,

mitius diaphoretica: haud tamen conſultum eſt remedia eſſentificata & concentrata offerre, quoniam viſcera adhuc arroſa ſenſibilia & excoriata ſunt, unde potius talia temperata diaphoretica in dilutiori formula exhibere convenit: quo nomine propterea proſunt Decocta e radicibus Scorzoneræ, Apii, Bardanæ, Vincetoxic. Liquiritiæ, Gent. alb. Diptami albi, herbis Scordii, Chærefol. Veronicæ, floribus Sambuci, Chamomillæ, Papaveris rhæad, Paſſul. maj. & min. Cort. Citri & Cinnamomi paranda, quibus Decoctis commode aquæ diaphoreticæ & analepticæ, nec non Syrupi tales combinantur: vulgata vero Aceta Bezoardica & Theriacalia, nec non communes compoſitiones theriacales id non efficiunt, quod debent, aut quod de iisdem promittitur: denique conjungendum eſt modeſtum regimen, quo ſub eodem moderata talis diaphoreſis rite decurrat: pari ratione conferunt etiam Iulapia e decocto C. C. citrato & paſſulato, nec non ex aquis diapnoicis & analepticis & ſimilibus Syrupis parata: quo etiam pertinent Potiones ex ejusmodi aquis & tenerioribus abſorbentibus, præcipue Oculis Cancrorum Citratis compoſitæ.

§. XVII. Denique etiam Symptomatum concurrentium & urgentium mentio facienda eſt & horum iterum varia occurſant, quibus artifex tempeſtivam opem ferre debet: & inter illa quidem primo obtingit lingvæ & faucium ardor, dolor, eroſio, pro qua calamitate demulcenda conveniunt lenientia gelatinoſa, oleoſa, mucilaginoſa, lacticinia, juſcula pingvia & quidem talia Decocta quorum hactenus mentio facta fuit, quibus conjungere convenit Mel roſatum, Syrupum Violarum, Altheæ, Liquiritiæ, Caricas pingves, Paſſulas majores: aut conferunt Elæo Sacchara ex oleo Amygdalarum dulc. & Saccharo canto parata: deinde interdum affligit inflatio & inflammatio colli & faucium, cui ſuccurrere expedit per Gargarismata lenientia, diſcutientia & modeſte reprimentia, paranda e radicibus Caryophyllatæ, Vincet. Bryon. Sigill. Salom. Biſtort herb. Salv. Rorismar. Scord. Hyſſop. Agrimon. Sanicul. Pyrolæ, Uvulariæ, Bugulæ, Floribus Chamomill. Sambuc. Roſarum rubr. & ſimilibus, quibus addi poſſunt Species lenientes, ne quædam acrimonia in hisce Gargarismatibus obvia fauces magis irritet: ad anguſtias præcordiales conducunt poſt prægreſſas neceſſarias evacuationes Decocta lenientia & gelatinoſa continuanda, quæ commiſceri debent cum remediis temperatis analepticis: huc etiam ſpectant Iulapia, nec non Emulſiva paranda e Nucleis pingvibus, Semine C. M. Papav. albi, ut & ex Aquis diapnoicis & analepticis: denique tam ad dolores Ventriculi, quam tormina inteſtinorum lenienda poſt peractam excretionem conducunt externa Linimenta ex oleis lenientibus & quibusdam Stomachicis parata, additis Camphora, Croco & Caſtorio: quo etiam ſpectant Emplaſtra ſtomachalia, ſive vulgata ſive etiam alia: neque Cataplasmata ejus-

ejuſdem efficaciæ lenientia & nervina penitus excludenda ſunt; cavendum tantum eſt, ne acriora adhibeantur, quæ extrinſecus aliquem inſolitum dolorem cauſantur: ceterum requies & continentia corporis etiam ad hos inteſtinorum dolores demulcendos convenit.

§. XVIII. Ultimum ſupereſt, quo brevibus adhuc perpendam, quomodo videlicet cum ejusmodi ſubjectis procedendum ſit, quæ periculum mortis ex oblato veneno ſuperarunt: dum itaque contingit, ut talia ſubjecta non ſtatim in perfectam ſanitatem revertantur, licet mortis periculum evanuerit, hinc etiam non convenit mox a conſiliis & auxiliis neceſſariis & ſalutaribus abſtinere, ſed potius reliquiis hujus calamitatis dextre proſpicere: eapropter & animo & corpori adhuc ſuccurrere convenit, animo concilianda & & concedenda eſt neceſſaria requies, continentia, tranquillitas, erectio & delectatio, contra vero eidem præripiendæ ſunt curæ, ſollicitudines, anxietates & qualescunque profundæ meditationes: œconomia ad corporis conſervationem ſpectans ita eſt dirigenda, ut patiens aerem turbidum, frigidum, ſqualidum, impurum, humidum, torpidum &c. fugiat, modeſte vero calidum regimen ſeligat præferatque, ſiquidem longe melius eſt, quo modeſta diaphoreſis continuet; pro qua invitanda & conſervanda nonnunquam temperata & nervina balnea proſunt, qualia tanto magis conducunt, quando priſtinus habitus corporis laxior in ſtrictiorem mutari videtur: in quo caſu etiam modeſtæ & repetitæ frictiones corporis conducunt.

§. XIX. Præterea ante omnia proſpiciendum eſt futuris neceſſariis evacuationibus, ubi præcipue excretio alvina in ordinem ducenda & quandoque admonenda eſt per lenientia, humectantia, pingvia, lacticinia, prunata, paſſulata, mannata, tamarindinata, rhabarbarina & correcta aloetica, unde nonnunquam vina medicata, reſolventia, roborantia & laxantia conveniunt: proinde pro diureſeos & diaphoreſeos promotione conducunt prædicta lenientia diluentia potulenta, imprimis decocta calida temperatiora remisſius aromatiſata, ut & juscula gallinacea & vinoſa: præterea ſangvinis habenda eſt ratio, an videlicet ipſe antehac certis ſalutaribus evacuationibus obnoxius fuerit, in quo caſu opportuno tempore modeſtæ Venæ Sectiones repeti debent: Diæta præſcribatur accurata, mollis, liquida & temperata, ſiquidem ab omnibus illis alimentis abſtinendum eſt, quotquot ſingulares turbas primis regionibus inferunt: potus adhibeatur ſufficiens, ſed perinde temperatus, nec valde ſpiſſus: proficit modicus Vini uſus: interponantur Stomachica aromatica, omnia vero adſtringentia ſedulo vitentur: mobile vitæ genus multum conducit: & ſi metus ſubeſt, quod internus quidam abſceſſus adſit, tunc conveniunt mitiora abſtergentia & Decocta eluentia atque mundificantia, nec non Pilulæ

ex Extractis amaris, Therebinthina, Succino, Myrrha, Thure, Aloe & Balſamo de Copaiva paratæ, ſervato ubique juſto moderamine.

CASUS XVI.

DE

INFELICI EFFECTU SUSPECTORUM MERCURIALIUM REMEDIORUM.

§. I.

PRæcedenti animadverſioni mox præſentem ad latus pono, quoniam hi caſus inter ſe invicem aliquam communionem habent; non quidem hoc loco ſermo erit de imperito Mercurialium remediorum uſu indiscretim conſiderato, ſed præcipue de illo caſu agere placet, ubi Mercurialia remedia minus fida & minus rite præparata, ſed utplurimum adhuc corroſiva intrinſecus oblata varia ſontica damna atque pericula producunt, quo loco tamen una de inconſulto topico Mercurialium uſu & præcipue talium agere placet, quæ perinde non ſincera & mixtioni corporis adæquata ſunt: quod enim primam obſervationem attinet, tunc non modo interdum evenit, ut conſvetæ compoſitiones Mercuriales pharmacevticæ adulteratæ ſint, teſtimonio Mercurii dulcis, Mercurii vitæ, quorum prior nonnunquam in eo labem ſuam continet, dum acidum Salis communis non ſufficienter cum Mercurio crudo ſaturatum eſt, aut dum adultior talis Mercurius dulcis ex aere ſalſediniem aliquam adventitiam attraxit & propterea pellem ſuam mutavit: quod vero alterum attinet, tunc ex inſufficienti edulcoratione antiquam ſuam pravam indolem retinet, proptereaque eximia damna illius uſum ſequuntur, ſed & paſſim circumvolant ejusmodi privatæ compoſitiones, non ſatis tutæ de Mercuriis diaphoreticis, Mercuriis præcipitatis, Pulveribus Mercurialibus, Mercuriis animatis, Mercuriis Solaribus, Panaceis Mercurialibus, Arcano Corallino, quales compoſitiones peſſimos ſæpe effectus producunt, quibus deinde Medici interdum extemporaneo quodam officio mederi debent.

§. II. Hisce prædictis obſervationibus practicis annumero adhuc aliam, quæ perinde ſiniſtrum effectum ſuſpectorum Mercurialium remediorum teſtatur, ubi experientia etiam conſtat, quanta damna minus provide externæ

appli-

applicationes Mercurialium remediorum ſuſpectorum concitaverint, quod præcipue valet partim de inunctione Mercurialium incauta, partim de applicatione corroſivorum Mercurialium remediorum in foro Chirurgico ad ulcera aliasque externas læſiones, nec non ad varias maculas ſuperficiales pro ſcopo cosmetico, qualia artificia hodienum imperitis præcipue Chirurgis admodum familiaria exiſtunt: & hic topicus Mercurialium uſus non modo in externo corpore varia ardua incommoda provocat, ſed etiam ad internam œconomiæ vitalis offenſionem contribuit, tanto magis, ſi remedia Mercurialia ab extra applicata ſeſe in interiora corporis inſinuant, quale quid in inunctionibus illis Mercurialibus, promiſcue ſusceptis, contingere ſolet: & ſicut ejusmodi infelices Mercurialium effectus repentina & interdum extrema damna provocare ſolent, propterea tanto magis artifex cum tempeſtiva, congrua, adæquata, extemporanea & efficaci medela ſuccurrere debet.

§. III. Quod ipſa illa damna attinet, quæ interne oblata ſuſpecta Mercurialia remedia cauſantur, tunc illa multiplicia ſunt & teſtantibus obſervationibus practicis conſtat, quomodo talia remedia poſt ſe traxerint magnum ardorem faucium, inflationem colli, graves cardialgias, ardorem & torſionem ventriculi, ſudorem anxium & frigidum, vomitus vehementes, animi deliquia, gravia inteſtinorum tormina, periculoſos alvi fluxus & in ſubjectis junioribus & tenerioribus plane convulſiones, præterea etiam gravem ſitim, tremores, impalleſcentiam & rigorem corporis, internas inflammationes & ingruentes ſphacelationes, febres confuſas, dejectiones cholericas & ſimiles alias ſonticas afflictiones: ita allegatur hiſtoria de infelici uſu Mercurii dulcis corroſivi in *A. N. C. Dec. 3. an. 5. & 6. p. 96.* in *appendice* & alibi *Dec. 2. an. 10. obſ. 14.* deſcribuntur damna ab exceſſivo uſu Mercurii dulcis provenientia: pluribus conferatur *Unzerus in Tractatu de Mercurio*, prout ſimiles obſervationes paſſim reperiuntur.

§. IV. Præterea etiam commemoranda erunt talia pathemata, quæ ab incauta & imperita externa Mercurialium applicatione proveniunt: ita evenit, ut inunctio Mercurialis improvide celebrata inferat affectus aſthmaticos, ſuffocativos, confuſos febriles, tremores membrorum, cardialgias, paralyſes &c. imprimis talis inunctio fatalis obſervata fuit in arthriticis, referente *Dolæo A. N. C. Dec. 2. an. 4. obſ. 120.* uti ætati puerili & infantili admodum ſuſpecta eſt talis inunctio, conferatur *Dec. 2. annus 4. obſ. 14; Sennertus Praxeos Medicæ lib. 6. part. 4. cap. 21. Rhodius Cent. 3. obſ. 86. Timæus a Guldenklee Reſponſionum Medicarum 43. Dec. 1. A. N. C. anni 1. obſ. 25. in Scholio & obſ. 86.* ita *Borrichius in Medicina Septentrionali Volum. 2. p. 373.* mortem ex inunctione Mercuriali enarrat: comitantur etiam talem incongruam inunctionem plura alia damna, ut ſuſpecta inflatio

ſtatio & inflammatio colli, ominoſa vacillatio dentium, alia interna inflammatio aut Gangræna, contractura, ulceratio faucium, aut denique perfecta Sphacelatio: conſeratur *Fernelius de Curatione Luei Venereæ; Hoffmannus de Medicamentis chymicis*.

§. V. Quod denique attinet uſum Mercurialium corroſivorum chirurgicum, tunc ex eodem perinde diverſa damna emergere ſolent, videlicet inflammatio & Gangræna partis, congeſtio humorum pertinax ad illum locum affectum, graves ardores, Spaſmi, Convulſiones, Ulcera maligna, aut plane Sphacelationes, vel conſequentes Aridura & Contracturæ: ita etiam notante *Ettmullero* in loco de Scabie Mercurius Sublimatus pro ſcopo coſmetico peſſime operatur, uti etiam *Zwelferus in Mantiſſa Spagyrica* ab interno & externo uſu corroſivorum Mercurialium remediorum magno ſtudio dehortatur; prout paſſim *Hildanus in Caſibus* Chirurgicis eorundem remediorum uſum rejicit; ita etiam noxa a Mercurio Sublimato manibus applicato deſcribitur in *A. N. C. dec. 3. an. 5 & 6. obſ. 204.* denique etiam cum maxima circumſpectione interne & externe hypochondriacis & hyſtericis Mercurialia concedenda ſunt; quemadmodum lethalis effectus inunctionis Mercurialis in hypochondriaco ſubjecto deſcribitur *Dec. 1. an. 1. obſ. 89.*

§. VI. Præter hanc hiſtoricam præſentis caſus perluſtrationem mox quædam animadverſiones Prognoſticæ ulteriori noſtræ diſquiſitioni ſe ſe commendant; unde ſciendum eſt, quod inflammatorii affectus ad ſiniſtrum Mercurialium effectum ſpectantes multum periculi portendant, ſiquidem facile actuales corruptiones putridæ conſeqvuntur: non minus interni ardores & eximii angores cum mentis aberratione, aut animi deliquio conjuncti valde periculoſi ſunt: tanto magis vero perfectæ convulſiones ſupervenientes magnum periculum involvunt, quemadmodum concurſus confuſarum febrilium commotionum haud omni periculo caret: vehementes cardialgiæ aut plane ſuffocativæ aut ſtrangulatoriæ comminationes ſunt periculoſæ: ſpaſmi ſupervenientes ominoſi ſunt: tanto magis concurrentes motuum defectus eximium periculum minantur: ſubinde faucium & pectoris urgentes & prædominantes afflictiones nunquam periculo carent: extremitatum horrores & rigores, internarum viciſſim partium ardores valde ſunt periculoſi: & quando poſt ſuperatum ſiniſtrum Mercurialium effectum conſequuntur affectus paralytici, aut paretici, Aſthmata chronica, repetentes Vertigines, aridura & contracturæ, malum eſt indicium: ſicut inſolita mentis imbecillitas & aliqualis corporis ſtupor conſequens omnino ſuſpectis phænomenis & conſectariis annumerari debent.

§. VII.

§. VII. Brevibus jam ſubnectenda erit Pathologia ſiniſtrorum effectuum e ſuſpectis medicamentis Mercurialibus provenientium: in quo negotio præcipue annotari debet qualitas remediorum Mercurialium ſuſpectorum: ſicut enim utplurimum medicamenta Mercurialia cum menſtruis Salinis præparantur, ita facile corroſiva quædam producta inde emergunt, quæ, niſi ſufficienter & convenienter edulcorata fuerint, facile noxiorum effectuum & ſucceſſuum cauſa evadunt: & licet talia remedia Mercurialia alioquin optime edulcorata fuerint, tamen ſi eadem paulo largius & frequentius exhibentur, perinde ſatis inique corpus alterant: corroſiva quidem Mercurialia non modo cauſticitate ſua partes ſenſibiles offendunt, ut propterea natura humana cum variis commotionibus ſe ſe opponat, quæ præcipue oblatorum remediorum & conjuncti pernicioſi effectus remotionem concernunt, deinde etiam inductam & præſentem ſuperficialem arroſionem reſpiciunt, inde varii motus contractorii, ſpaſtici, congeſtorii aut plane inflammatorii ſuperveniunt; ſed proinde etiam talia remedia, ut Mercurialia operantur, quæ alioquin partes nervoſas ſenſibiliter afficiunt, unde eo magis vel prædicti motus augentur, vel etiam neceſſarii motus penitus amittuntur: ſiquidem alias de Mercurialibus remediis conſtat, quod nervis non ſatis amica ſint, ſed quod ex illorum copioſiori oblatione nervoſæ partes admodum offendantur, ut eapropter interdum natura ob tædium præſentis adverſi ſenſus motus conſvetos plane deſerat: de reliquo vero contingit, ut ob periculum gravius imminens varii & interdum ſatis irregulares motus ſuperveniant, qui ad averſionem imminentis majoris damni prævisi atque directi ſunt.

§. VIII. Præmiſſis hiſce, quæ ad theoreticam præſentis caſus partem ſpectant, proximo nunc ordine progredior ad practicam illius deductionem, in qua iterum primo loco neceſſarias cautelas practicas indicabo; ob id in cura hujus caſus cavendum eſt; 1) a quibusvis immodeſtis & crudis evacuationibus, quæcunque cum aliquo adverſo ſtimulo perpetrantur; 2) a neceſſariarum & ordinariarum evacuationum perturbatione, ſuppreſſione, aut negligentiori promotione; 3) a medicamentis valde calefacientibus & maſſam ſangvineam admodum impellentibus; 4) a remediis poſitive adſtringentibus; 5) nec non a vulgari uſu narcoticorum remediorum; 6) ab impetuoſis, ſimultaneis, diffuſis & copioſis ſudationibus; 7) a regiminibus valde anxiis & æſtuoſis & viciſſim etiam laxioribus & magis refrigerantibus; 8) a Sulphuris promiſcuo & copioſo uſu interno; 9) a remediis acidis & ſangvinis craſin valde inquinantibus; 10) a remediis primas regiones perquam turbantibus & ſtimulantibus; 11) a medicamentis maſſam ſangvineam valde incraſſantibus & eo ipſo Mercurii

eliminationem impedientibus & denique 12) a cunctata Mercurialium evacuatione.

§. IX. Specialis cura præſentis caſus iterum duplicis conditionis eſt: 1) quomodo nocumentis ab interno Mercurialium uſu provenientibus ſuccurrendum ſit; 2) quomodo damnis ab externo Mercurialium uſu pendentibus ſubvenire conveniat. In priori parte duplex ſpecialis indicatio obſervanda eſt: *a*) quomodo ipſe affectus in ſe ſpectatus tractari debeat: *b*) quomodo concurrentibus ſymptomatibus conſulendum ſit. Quoad prius convenit ordinare remedia lenientia, oleoſa, pingvia, gelatinoſa & lacticinia, quæ Mercurialium corrodentem & iniquam qualitatem infringunt, inſuperque texturam ventriculi & inteſtinorum præmuniunt, ne corroſiva Mercurialia ſubjecta has partes arrodant & offendant; unde præcipue liquida ordinanda ſunt, qualia in præcedenti caſu commemorata proſtant, quemadmodum tam e fonte diætetico, quam pharmaceutico multiplicia talia adminicula proſtant: proinde etiam proſpiciendum eſt, quo per tempeſtivum vomitum Mercurialia ingeſta ſubjecta iterum excutiantur; abſtinendum vero a eſt poſitivo emetico remedio, ſed potius per alias lenes enchireſes modeſta evomitio provocanda eſt: hisce remediis commode interponere licet teneriora abſorbentia, quæ cum Decoctis gelatinoſis & mucilaginoſis liquidioribus mixta proficiunt, uti etiam eadem in ſimpliciori ſua conſiſtentia exhiberi poſſunt; omittantur vero terrea uſta, ſigillata, bolaria, argillacea, calcarea, quibus communiter adſtrictoria qualitas ineſt.

§. X. Quod ſi contigerit, ut ſuſpecta illa Mercurialia remedia jam intimius intra inteſtina delata fuerint, tunc continuanda quidem erunt Decocta illa gelatinoſa, aut alia liquida pingvia, ſed inſuper in uſum trahi debent Clyſteres emollientes lenientes, qui torminoſis inteſtinorum cruciatibus non exiguam opem afferunt: & cum illorum repetitio omnino conducat, ita in futurum iisdem roborantia & temperata carminativa remedia conjungi poſſunt; quemadmodum poſt præcipuam præſentis afflictionis mitigationem etiam talia ſelecta carminativa remedia oretenus exhiberi poſſunt: quando vero ſuſpecta remedia Mercurialia plane intra maſſam ſangvineam delata ſunt, tunc conveniunt auxilia diluentia & moderate diaphoretica; quo nomine commendo Decoctum parandum e radicibus Cichorei, Scorzoneræ, Apii, Bardanæ, Liquiritiæ, herbis Scordii, Veronicæ, Chæreſolii, Floribus Chamomillæ, Sambuci, Papav. rhœad. Paſſulis majoribus, Cortice Citri & Cinnamomi: deinde conducit Mixt. ſimplex, nec non aliorum fixorum diaphoreticorum uſus, uti hoc nomine præcipue laudatur Antimonium diaphoreticum a *Volcamero A. N. C. Dec. 2. an. 2. Obſ. 190.* quibus accenſeri poſſunt alia temperata Bezoardi-

ardica & inter illa Eſſentia alexipharm. Stahlian. cum Eſſentia Scordii mixta, ſubjuncto modeſto regimine diaphoretico, quo tempeſtive remedia illa Mercurialia iterum ex humorum latiſundio educantur: multum vero refert, ſi Decocta gelatinoſa e C.C. Scorzonera &c. parata, ſedulo exhibentur, quo maſſa ſangvinea cum iisdem perluatur & ſimul recrementa illa Mercurialia in talem lubricam & mucilaginoſam conſiſtentiam convertantur.

§. XI. In altera parte & indicatione prioris noſtræ conſiderationis practicæ ratio habenda eſt ſymptomatum concurrentium & affligentium: unde ad ardorem faucium perinde conveniunt lenientia, demulcentia, mucilaginoſa, aut collutio faucium cum lacte calido, cui tantillum Croci orientalis immiſcere licet: & ſi inflammatio quædam in faucibus præſto fuerit, tunc conducunt Gargariſmata lenientia diſcutientia & remisſius repellentia: ſi ardor ventriculi affligit, tunc conducunt eadem pingvia oleoſa & gelatinoſa: ſi tormina inteſtinorum inſiſtant, tunc continuari debent Clyſteres emollientes & modice carminativi, extrinſecus vero Linimenta e lenientibus & roborantibus proſunt: ſi Lipothymiæ concurrunt, tunc interna & externa analeptica adhibenda & conjungenda ſunt: denique exeunte tota cura carminativa remedia continuari poſſunt; ſicut inſuper cavere convenit, ne cum incongruis alimentis & potulentis partes hactenus affectæ denuo offendantur.

§. XII. Alterum itaque ſupereſt negotium in hoc caſu practicum, quomodo videlicet damna illa, quæ ab externo Mercurialium uſu pendent, tractanda ſint, quo loco iterum primo illa conſideratio occurrit, quomodo inunctio Mercurialis, in quocunque etiam caſu adhibita fuerit, cum ſuis accidentalibus ſiniſtris effectibus dirigi debeat: conveniunt propterea in hoc paſſu laxationes præmittendæ, quo loco Pilulæ abſtergentes & reſolventes ex Extractis amaris Fumariæ, Cochleariæ, Cent. min. Valerian. Gent. rubr. ut & e Gummatibus Ammoniaco, Galbano, Myrrha, Terebinthina & Extracto Panch. Crollii paratæ conducunt: poſtea conveniunt remedia intrinſecus diſcutientia, reſolventia, mundificantia & ſimul diaphoretica, quo nomine celebrandæ ſunt Eſſentiæ Pimp. alb. Valerian. Succini, Fumariæ & Myrrhæ: non minus proſunt Decocta paranda e Radicibus Scorzoneræ, Chinæ, Pimp. alb. Liquiritiæ, herbis Scordii, Veronicæ, Cent. min. Lign. Saſſafr. Paſſul. maj. & min. porro conducunt Pulveres abſorbentes cum Antimonio diaphoretico mixti, quibus in ſubjectis humidioribus exigua grana florum Sulphuris addi poſſunt: inprimis convenit regimen modeſtum & conſtans diaphoreticum; omne vero frigus ſive internum ſive externum nocet: *Zacutus Luſitanus* ad imperitam inunctionem Mercurialem laudat Unguentum auratum & *Riverius* adverſus dolores capitis, ex imperita inunctione provenientes, commendat nummum aureum

intra

intra os deponendum, de quo promittit, quod Mercurium e corpore ducere debeat; quæ vero experimenta non ſatis probata ſunt.

§. XIII. Ultimum denique ſupereſt, quomodo videlicet illi infelices effectus tractari debeant, qui perinde ex externa Mercurialium corroſivorum applicatione ortum traxerunt, ſive talia ſubjecta ad maculas, ſive ad ulcera minus provide adhibita fuerint: præſtat itaque ante omnia in tali afflictione ordinare interne remedia ſic dicta bezoardica & alexipharmaca cum adhibito regimine temperato diaphoretico, huc proſunt ante citatæ Eſſentiæ reſolventes & mundificantes: hisce interponantur pulveres temperantes abſorbentes & nitrati, quo motus inconvenientes ſpaſtici & inflammatorii præoccupentur: ad ipſum locum affectum adhibenda ſunt lenientia, demulcentia, oleoſa, Cataplaſmata & Linimenta, additis diſcutientibus, reſolventibus & modeſte reprimentibus, quo immoderatus affluxus humorum arceatur: interea multum refert ſub continuato regimine diaphoretico æquali humorum diſtributioni proſpicere, ne particulares congeſtiones magis obfirmentur: ſubinde proficiunt ad locum affectum abſtergentia, tam cum manuali induſtria, quam per auxilia pharmacevtica e fonte chirurgico haurienda perficienda; ubi inprimis digeſtiva conducunt, ut ita tempeſtive illa Mercurialia ſubjecta, porulis partium inſinuata, removeantur, adeoque imposterum mitiori methodo præſens affectus tractari queat.

CASUS XVII.

De

NOXA EX ARANEO.

§. I.

IN vita communi humana variæ occaſiones accidunt, quæ diverſa damna & pericula afferunt, quando minus provide tractantur, ſed indiſcretim ad & intra corpus admittuntur: & ita ab illo animalculo, quod ſæpius hominibus approximatur, nimirum araneo varia incommoda metuenda ſunt: interim non ita promiſcue ſentiendum & metuendum eſt, quaſi omnes aranei virulenti ſint, ſed ſubeſt illa diverſitas, quod una ſpecies præ altera magis nociva exiſtat; neque tamen adeo indiſcretim hæc animalia noxam ſuam inferunt, niſi ſub aptis circumſtantiis propius ad corpus vivum applicentur: unde ſæpe

con-

contingit, ut aranei ex accidenti potulentis & alimentis immiſceantur, inſcio interdum homine & ita etiam ſine actuali detrimento: quod præprimis contingit cum araneis cellarum, qui ſatis ſæpe in potum aſſervatum incidunt & in eodem ſuffocantur: neque etiam negandum eſt, quod diverſitas ſpecierum in araneis occurrentium diverſam quandam virulentiam involvat, ut propterea diverſa pathemata conſequantur: hinc in genere quidem dantur aranei domeſtici & in noſtris regionibus benigniores, alii contra ſylveſtres, extranei, qui efferæ & ferinæ quaſi indolis, adeoque maligniores ſunt, quæ differentia tanto magis hominem circa talia animalcula verſantem cautum reddere poteſt, ne eadem ludicre & negligenter tractet & applicet.

§. II. Ut ut vero in variis caſibus araneæ ſatis evidens nocumentum inferunt, tamen pernicies illa non tanta eſt, qualem inter alios *Scaliger contra Cardanum* deſcribit, qui tradit, quaſi nonnullorum araneorum virus adeo ſubtile & penetrans ſit, ut pedibus calcati hanc venenoſitatem per calceorum ſoleas intra corpus communicent & talem ſimilem incredibilem hiſtoriam commemorat *Camerarius*, qua hanc diſcretam araneorum virulentiam atteſtari conatur, quaſi eques quidam araneum ſuper bufonem decumbentem cum virgula ſua detruſerit, unde illa virgula cum veneno illius animalculi ita inquinata traditur, ut venenum illud per ocreas penetraverit & varia pathemata pedi equitis illata fuerint: quamquam vero noxa araneorum non tanta ſit, tamen etiam eapropter non penitus nulla eſt, ſed ſecundum varietatem circumſtantiarum nunc magis manifeſta, nunc minus evidens exiſtit: modi tamen quibus unquam experientia teſte araneæ damnum ſuum intulerunt, vel in extrema ſubtili violentia & morſu, a tali animalculo commiſſo, vel in actuali deglutitione conſiſtunt, haud vero maturius araneæ morſus ſuos infligunt, niſi per malam tractationem exacerbatæ fuerint.

§. III. Morbida pathematha, quæ unquam a peritis & attentis Medicis ex inquinatione, ab araneis commiſſa, obſervata ſunt, varia exiſtunt, videlicet partis læſæ tumor, imprimis liveſcens, interdum rubicundus & ſemi inflammatorius: ſtupor in illa parte & circa illam, extremitatum rigores & refrigerationes, anxietas præcordialis, virium inſignis proſtratio, deliquia animi, partium tremor, impalleſcentia corporis, vigiliæ, ſpaſmi irregulares, oculi concavi, lingvæ balbuties, pulſus inæqualis, intumeſcentia ventris, impedita & turbata diureſis, mentis motiones, conatus vomibundi, motus convulſivi, dolores lumborum & circa inguina atque genitalia loca urgentes, quales primum obſervavit *Dioſcorides* & ulterius annotavit *Sennertus in Libro de Venenis*: & ſingularis quidem illa eſt Practicorum obſervatio, quod virus araneorum præcipue in vias urinarias & connexas genitales ſtimulatoria quadam efficacia ope-

 retur;

retur: præterea comitantur hanc virulentiam communicatam anguſtiæ ſuffoтivæ, ſudor frigidus &c. quippe quæ pathemata diſcrepant ſecundum diverſitatem tum araneorum, tum ſubjectorum afflictorum: ſiquidem in hiſtoria naturali conſtat, quod araneæ in regionibus calidioribus, aut etiam in aliis locis calidis, magis degentes, venenoſiores exiſtant.

§. IV. Et quemadmodum prædicta pathemata illam virulentiam araneorum conſeqvuntur, quæ per externam læſionem communicata fuit, ita præterea recenſere convenit illas afflictiones, quæ deglutitionem araneorum comitantur: & ita hiſtoriæ medicæ referunt, quomodo in ejusmodi caſu ſequentia pathemata obſervata fuerint, nimirum extrema moralis & præcordialis anguſtia, oculorum caligo, ſenſuum externorum hebetudo, tremor corporis, pulſus irregularis, conatus vomendi cum torſionibus ventriculi dolorificis, ſudor frigidus, tumor ventris, vitia urinæ, ardor internus, palpitatio cordis, lumborum, dolor, inteſtinorum tormina, deliquia animi, ardor urinæ, ſtimulatio & pruritus genitalium, externæ & internæ convulſiones (uti ex araneæ morſu Epilepſiam ortam enarrat *Salmuth. Cent.3. obſ.35.*) partium paralytodeus ſtupor, aut denique ipſa mors: ſicut in ſplendido Noribergenſium coemeterio demonſtratur ejusmodi ſepulchretum, in quo quiescunt oſſa integræ cujusdam familiæ, ex veneno aranei, qui intra lac decidit, quod ab eadem familia comeſtum fuerat, interemtæ; uti *Panarolus pent. 1. obſ 45.* ex aranearum morſu duos mortuos commemorat: pluribus conferatur de Ictu araneæ *Schulzius in A. N. C. Dec. 3. anno 2. obſ. 73.* de Aranei ictu lethali *Reiſelius Dec. 2. anno 4. obſ. 87:* licet *Dec. 2. anno 5. obſ. 116.* recenſeatur ſingularis hiſtoria de aranei eſu ſalutari & utili: ita *Albertus M.* recenſet hiſtoriam, quod Coloniæ Agrippinæ viderit puellam, quæ per totam vitam ſine noxa araneas comedebat *vid. Rejes quæſt. jucund. 24. §. 8.* araneus innoxie deglutitus *Dec. 1. anno 4. obſ. 85.* præterea conferatur *Senguertus de Ictu Araneorum*, *Mercurialis de Venenis*, *Joelius in Praxi medica*, *Geſnerus in hiſtoria animalium*, *Borellus Cent. 1. obſ 81. & Cent. 3. obſ. 19. Salmuth. Cent. 2. obſ. 22 & 48* ſicut in *Cent. 4. Obſ. 56.* commemoratur hiſtoria de araneis innoxie devoratis: porro *conf. Joh. Actuarius in Methodo medendi*, *Liſterus in Hiſtoria animalium*, *Hafenrefferus in Noſodochio*, *Schenckius*, *Sennertus*, *Bonetus* &c.

§. V. Hisce circumſtantiis ad hiſtoriam præſentis caſus ſpectantibus brevibus nonnulla ad Prognoſin pertinentia erunt annectenda: quo magis repente, impetuoſe & vehementer morbida pathemata læſionem ab araneis commiſſam conſequuntur, eo periculoſior eſt ſtatus: quo magis ſubito vires concidunt, aut animus ſimul delinquit, præcordiales anguſtiæ affligunt, mentis motiones coincidunt, eo magis ſuſpectus eſt ſtatus in hac afflictione: inſolita inflatio

abdo-

abdominis cum graviſſimis cardialgiis conjuncta valde ſuſpecta eſt: ſenſuum tam internorum, quam externorum obnubilationes, confuſiones & imminutiones periculoſæ ſunt: inſolitæ Hæmorrhagiæ tanto magis ex incongruis locis prodeuntes nunquam periculo carent: contumaces excretionum retentiones & impetuoſæ illarum proſecutiones nunquam periculo carent: concurrentes confuſi motus febriles præſentis caſus gravitatem teſtantur: ſupervenientes convulſiones tanto magis continuantes peſſimæ indolis ſunt: aſphyxia, tremor membrorum, pulſus debilis & inæqualis, Scotomia, ſtrangulatio faucium periculoſa ſigna conſtituunt: involuntariæ excretiones malæ ſunt: horripilationes & rigores extremitatum periculum involvunt: inſenſibilitas, aut plenaria motuum amiſſio periculoſa eſt: urgentes denique vomendi conatus, ſed ad nullum ſucceſſum pervenientes, etiam ſunt ſuſpecti.

§. VI. Brevibus nunc cauſalem aliquam præſentis caſus explicationem ſuppeditare placet, in qua mox in limine notandum eſt, quod ab araneis in corpus hominis ſani communicetur ſubtilis quædam materia mixtioni animali repente & intime adverſa, eidemque ſubitaneam reſolutionem putrefactoriam inducens, quæ ſeſe propter ſummam ſuam tenuitatem & mobilitatem mox per partes fluidas transfundit & in iisdem fermentativo-orgaſticas commotiones excitat, ita ut propterea integritas corporis repentino alicui periculo ſubjecta ſit, ſub quo ſtatu tam ſimultanee pernicioſo non poteſt aliter fieri, quin graves quædam anomaliæ in œconomia vitali conſequantur, adeoque diverſi motuum gradus atque ſchemata varia accidant, quales motus vero minime abſolute confuſi ſunt, licet nonnulli illorum extremæ & momentaneæ naturæ perturbationi adſcribi debeant, alii vicisſim huic periculo imminenti & materiæ pernicioſæ in humoribus fluctuanti oppoſiti ſunt, qui illius tempeſtivam & efficacem expugnationem concernunt: interea in hoc negotio perinde quædam amethodiæ coincidunt, quo minus natura ad ejusmodi inuſitatas pernicioſas materias perferendas adſveta & exercita eſt & quo magis illa ad ſubeunda pericula valde ſenſibilis exiſtit, aut quo magis præcipitanter & vehementer pernicies imminet.

§. VII. Præmiſſo hoc conſpectu hiſtorico theoretico, præſentem caſum concernente, nunc ad practicam illius evolutionem progredior, quæ quo ſecurius & melius ſuccedat, primo loco notatu dignas cautelas practicas continebit & commendabit: cavendum itaque eſt 1) a poſitivis & artificialibus emeticis, præcipue Antimonialibus & ſimilibus valde ſtimulantibus 2) a poſitivis remediis alvum immodeſtius promoventibus 3) a negligentiori promotione, aut actuali perturbatione & ſuppresſione neceſſariarum & ordinariarum evacuationum 4) a confuſa ſangvinis ſubtractione 5) a remediis valde calefacientibus & concentratis 6) ab immodeſto & æſtuoſo regimine 7) ab impetuoſa & copio-

ſa ſudoris provocatione 8) a curatorio Salium volatilium uſu 9) a confuſis compoſitionibus miſcellaneis diverſorum effectuum & contrariarum interdum energiarum 10) a remediis narcoticis 11) a poſitivis adſtringentibus & refrigerantibus 12) a largiori acidorum & incraſſantium uſu 13) a balſamicorum exoticorum interno & externo, vel inopportuno, vel prodigo uſu 14) a nimis multiplicato & diverſo remediorum uſu 15) a remediis vires magis opprimentibus quam ſublevantibus 16) a ſimplicioribus Sulphuratis, nec non 17) a Mercurialibus medicamentis 18) a nuda humorum correctione & veneni communicati alteratione 19) a retardata, aut nimis præcipitata veneni communicati excretione & 20) a remediis ſtimulantibus valde pingvibus.

§. VIII. Specialis methodus huic caſui medendi in duplicem claſſem erit diſcernenda 1) quomodo læſiones ab extra ab araneis illatæ tractandæ ſint 2) quomodo deglutitio araneorum & exinde proveniens damnum dirigi & tractari debeat. Primam circumſtantiam atque claſſem quod concernit, tunc ſubtilis ille morſus ab araneo inflictus mox in initiis vel ſcarificandus eſt, ad quem deinde cucurbitulæ applicari debent, quo inſinuatum venenum promte extrahatur; pro extingvendo virulendo hoc inquinamento proſunt Cepæ aſſatæ cum tantillo Aceti mixtæ & ad locum affectum applicatæ: non minus proficit morſum frequentius cum vino calido, aut cum Decocto Abſinthii, Salv. Rorismar. Gent. rubr. & Myrrhæ eluere: nonnulli per curam ſympatheticam commendant, quo ad læſam partem araneus mortuus applicetur, cujus experimenti ulterior veritas & certitudo exploranda eſt: *Welſchius in A. N. C. Dec. 1. an. 8. obſ. 35.* commendat topicum uſum Salviæ: alii viciſſim, ſed cum fruſtraneo encomio extollunt in hoc caſu Cancros fluviatiles contritos & cum Sale conſperſos: inter alia experimenta admitti poteſt Cataplasma illud, quod *Sennertus* laudat & in tantum reformari poteſt, ut conficiatur ex foliis Lauri, Rutæ, Salviæ, Cepis, farina hordeacea, tantillo Myrrhæ, Croci orientalis, Camphoræ & Aceti.

§. IX. Præterea adhuc pro externo uſu ſatisfaciunt Eſſentiæ mundificantes & balſamicæ, quæ corruptionem in parte læſa præoccupant, ut ſunt Abſinthii, Gent. rubr. Myrrhæ, Succin. Pimp. alb. Hyperici, Aloes cum tantillo olei Therebinth. mixtæ: proſunt etiam Cataplasmata cum lacte paranda e radicibus Althææ, Malvæ, Vincetoxici, Caryophyllat. Ariſtol. rot. Pimp. alb. Ir. flor. Sigill. Salom. Bryoniæ, herbis Scord. Salv. Rutæ, Majoranæ, Meliſſæ, Hyſſopi, Floribus Chamomillæ, Liliorum alborum, Roſarum rubrarum, Hyperici, Lavendulæ, Croco orientali, Camphora &c. cum hisce externis remediis interna quædam adminicula convenientia conjungenda ſunt & illa quidem

præci-

præcipue temperata alexipharmaca cum moderato regimine diaphoretico ſublevata: deinde etiam proſunt potiones diapnoicæ & analepticæ, quo ſpectant Decocta e Scorzonera & C. C. citrata, additis aquis diapnoicis & analepticis, quibus perinde commiſceri poſſunt Syrupi Papav. rhæad. de Betonica, Rubi Idæi, de Canela: porro interponantur Pulveres temperantes ad præoccupandos alienos & interdum etiam febriles motus, ſicut etiam Pulveres antiſpasmodici in hoc caſu aptum locum inveniunt; a narcoticis vero remediis abſtinendum eſt, quin potius modeſta diaphoreſis in ejusmodi necesſitate conſervari debet: non minus conducunt Bezoardica, Acidulata, vel Mixtura ſimplex in ſubjectis floridioris habitus; volatilia vero remedia curatorio ſcopo non admittantur.

§. X. Sequitur altera Claſsis præſentis therapiæ, videlicet, quando araneus deglutitus damna quædam minatur: in hoc caſu tempeſtive proſpiciendum eſt, quo hoc animal ingeſtum cum ſuo communicato inquinamento, quod adhuc in ventriculo hæret, tempeſtive revomatur, pro quo vomitu excitando mitiora & ſimpliciora adminicula uſurpanda, potentiora vero excludenda ſunt; unde rectius juscula & decocta pingvia oleoſa & lenientia aſſumantur, cum conjuncta enchireſi & externa vomitus incitatione: quidam e Practicis in hoc caſu ordinant Vitriolum album, cujus uſus tamen non admodum ſecurus eſt, quare rectius cum alia methodo, quam per ſtimulantia remedia vomitus provocari debet: præterea quidam in hoc caſu ordinant Opiata, aſſeruntque quod Opium araneas enecet; ſed cum partim hæc cura per Opiata minus tuta ſit, partim cum non ſufficiat araneas tantum enecare, ſed potius illarum virulentia avertenda & removenda ſit, hinc tale remedium in hoc caſu nullam approbationem meretur: proinde etiam ridiculum eſt experimentum, quo quidam præcipiunt, ut muſca intra os deponatur, ita fieri, quo deglutitus araneus mox iterum e ventriculo egrediatur, adeo ut *Borellus Cent. 1. Obſ. 81.* hoc experimentum fruſtra alleget: ſubinde etiam conferunt alia Decocta gelatinoſa, mucilaginoſa, diluentia, quin ipſe potus lactis, quo deglutitum tale animalculum involvatur & eo facilius deinde excernatur.

§. XI. Poſthac conveniunt remedia alexipharmaca & conjuncta vel ſubordinata analeptica, quo vires partim conſerventur, partim virus etiam elimineтur: conducunt etiam abſorbentia cum acidis imprægnata & ſubjungantur hisce remediis regimina temperata diaphoretica: neque hactenus experientia ſatis probata eſt de experimento *Geſneri*, quod *Sennertus in Libro de Venenis* allegat, quaſi reſina abietis ſpeciali efficacia veneno aranei reſiſtat: in eadem afflictione alvus debet eſſe aperta & ſi inteſtinorum tormina præſto fuerint, conducunt Clyſteres emollientes & modeſte roborantes: interne proficit modi-

 cus

cus uſus Theriacæ: in anguſtia præcordiali conferunt partim alexipharmaca, partim analeptica, cum neceſſaria requie animi æque atque corporis: maxime etiam vitanda eſt inquietudo: balnea magis circa finem curæ, quam ſub illa admittantur & poſt ſuperatum periculum conducit diæta mollis, roborans, modeſte aromatica, ut & modicus uſus Vini boni, quo partes antea affectæ denuo cum congruo robore inſtruantur: multum enim proficit ventriculum cum incongruis alimentis & potulentis non obruere, ſed ſub reliqua temperantia proſpicere, quo functio in primis regionibus conſveta & neceſſaria iterum rite procedat, quare poſt curam abſolutam etiam providendum eſt, quo alvina excretio rite continuet.

CASUS XVIII.

DE

ICTU SCORPIONUM.

§. I.

QUamvis infauſtus hic caſus alioquin inopinato contingens in noſtris locis aliisque Germaniæ tractibus non metuendus ſit, ſed potius ſecundum hiſtoriam medicam diverſis Italiæ regionibus reſervetur, tamen quia illius vulgo in ſchola medica mentio fit, non alienum etiam erit, ſi hujus caſus notitiam aliquam comparamus, tanto magis, quoniam ejusmodi improviſa afflictio repentinis & reſervatis caſibus annumerari meretur & quia ab exiguo ejusmodi animalculo tam grande malum excitatur, ut præceps vitæ periculum immineat, licet in *A. N. C. dec. 1. an. 10. p. 454. 455. Scorpiones non venenati* allegentur & *an. 2. obſ. 205. Scorpio coctus innoxie devoratus*, recenſeatur: propterea etiam in tali calamitate extemporanea opitulatio requiritur, ſiquidem nonnunquam illi ſpecialisſimi caſus accidunt, ut Scorpiones in exteras nationes transportati etiam alibi ſimilia damna parere & ictus ſuos infligere ſoleant, quando negligentius tractantur & propius ad corpus admittuntur, ut propterea in tali etiam neceſſitate conſilium & auxilium promtum & extemporaneum deſideretur: ob id facile patet, quomodo ad diverſos periculoſos caſus prudens Medicus paratus eſſe debeat.

§. II. In hac conſideratione præſtat itaque mox ipſam hiſtoriam illorum pathematum annotare, quæ ictum ſcorpionum excipiunt, e quibus aliqua

qua in loco compuncto atque læſo oriuntur, alia vero ſeſe per univerſum corpus extendunt: in loco affecto experiuntur ſubjecta gravem tumorem, ruborem, ardorem, inflammationem, aut actualem Gangrænam, vehementes dolores & ſpaſticas tractationes, illam partem detinentes, interdum livores, aut maculas varii coloris, uti *Marcellus Donatus* e Scorpionum ictu in ſuperficie maculas nigras obſervavit *Lib. I. Cap. 9.* reliqua vero pathemata ſunt febriles, ſed irregulares commotiones, modo æſtus, modo frigus, interdum cum ſudore frigido conjunctæ: præterea accedit tremor membrorum, anxietas præcordialis, faciei moroſitas & diſtorſio, ſpuma circa os obſervatur, ſupervenit aliquando ſingultus anxius, conatus vomendi, dolor præcordialis, faucium ſiccitas, glandularum ſubaxillarium & ingvinalium intumeſcentia, uti *Zacutus Luſitanus* de Scorpionibus aſſerit: quod ſi partes ſuperiores læſerint, glandulæ alares intumeſcant, ſi inferiores, glandulæ ingvinales: coincidunt animi deliquia & aliarum corporis partium ſpaſticæ, aut plane convulſivæ commotiones: præterea *Plinius* & ex illo *Sennertus* ut & *Thaddæus Dunus in Miſcellaneis Cap. 9.* produnt, quod Scorpionum ictus fœminis & virginibus lethales ſint: pluribus de ictu Scorpionum conferantur *Schenckius Obſervationum Medicarum Lib. 7. de Venenis ex Animalibus: Zwingerus in Theatro Vitæ humanæ; Zacutus Luſitanus M. P. H. Lib. 5. hiſt. 4. Amatus Luſitanus Cent. 6. Curatione 31; Foreſtus Lib. 10. Obſ. 67. in Scholio; Capivacius in Medicina Practica Libro de Venenis; Haſenrefferus in Noſodochio Cap. 9. Paræus Operum Chirurgicorum Lib. 20. Cap. 25. Vidus Vidius Part. 2. Sect. 2. Cap. 8. Villanovanus in Breviario: Weickardus de Morbis Venenoſis; A. N. C. Dec. 3. anno 1 obſ. 20.* quo loco illas obſervationes adjungo, quibus homines commemorantur, qui Scorpionum ictum ſine damno perferre poſſunt & nullos inde dolores ſentiunt: *vid. Marcell. Donatus Lib. 6. c. de med. hiſt. Rejeſius Quæſt. jucund. 24. §. 7.*

§. III. Quoad pathologicum reſpectum, qui præſentem caſum concernit, iterum mox notare convenit, quomodo Scorpiones ſub ictu ſubtile admodumque pernicioſum miasma communicent, quod in exigua ſua quantitate tamen magnos effectus exſerit; quantum quidem obſervationes teſtantur, quod hoc miasma repente mixtioni animali putrefactoriam corruptionem minetur, quod propter ſuam ſubtilitatem & extremam mobilitatem ſeſe cito per univerſum corpus diſpergit, præcipue vero ſubito ſeſe humoribus inſinuat, neque diu in loco primum læſo obhæreſcit: quo magis repentinum itaque eſt periculum, quod imminet, eo magis natura humana corporis ſui integritati invigilans afficitur, quæ in tanta neceſſitate variis motuum gradibus atque methodis, imo aliquando ſub varia tergiverſatione, ambiguitate, perturbatione & confuſione ſeſe opponit, aut interdum ob metum, de periculo conceptum &

 eximiam

eximiam conſternationem delinquit & ſeſe huic damno opponere ambigit: quare tam multiplicia & nonnunquam contraria pathemata oriuntur, quæ vel motuum excesſivis augmentis, vel vicisſim ſuſpectis defectibus, aut irregularibus succesſibus nituntur: per ſe enim communicatum Scorpionum miaſma nullam phyſicam abſolutam poteſtatem habet provocandi ſpasmos, convulſiones, febres, congeſtiones, inflammationes &c: alias ab eodem miasmate efficacia phyſica provocandi Lipothymias aliosque motuum defectus deduci non poſſet: quare rectius hi motus horumque alterationes & diverſa ſchemata ab eadem natura derivantur, quæ propter communicatum ſcorpionum virus ſecundum diverſam & ancipitem ſuam ſenſationem atque æſtimationem tales commotiones adminiſtrat, in genere vero præcipue eo contendit, quo corpus ſuum in mortis periculo nunc hærens ab hac pernicie liberet.

§. IV. Non quidem neceſſe eſſe judico fuſius in Prognoſticam hujus caſus explicationem excurrere: interim brevibus tantum ſignifico, quod præcedentis caſus prognoſticæ tractationes commode ad præſentem applicari queant, ſiquidem uterque ſtatus valde periculoſus eſt, quando ictum Scorpionum vel excesſivæ commotiones & alterationes, tanto magis etiam animi perturbationes & rationis immutationes, vel defectus motuum conſequuntur: quare proxima via patet, quo ad practicam hujus caſus explicationem progrediar, in qua præcipue cavere convenit: 1) a quibusvis impetuoſis & copioſis evacuationibus: 2) a præmaturo diaphoreticorum medicaminum & regiminium uſu, quibuscum miasma communicatum intimius intra humores transfertur: 3) a remediis concentratis valde calefacientibus & vias atque humores admodum commoventibus: 4) a curatorio uſu Salium volatilium, in quacunque formula conſtitutorum, ſive ſimplicium, ſive oleoſorum: 5) a remediis nervinis, cardiacis & roborantibus acribus & ſangvinis maſſam turgefacientibus: 6) a medicamentis refrigerantibus, quæ alias ſuppoſito impetuoſo ſpirituum motui opponuntur: 7) ab incraſſantium remediorum copioſo & frequenti uſu; 8) ab ordinatione omnium remediorum adſtringentium: 9) a Specificorum remediorum confuſa & præpoſtera oblatione: 10) a compoſitionum theriacalium larga, inordinata & præmatura exhibitione: 11) a remediis narcoticis: 12) a medicamentis ſimplicius ſulphuratis & Mercurialibus: 13) a virium majori & ulteriori oppresſione: 14) a negligentiori ordinariarum & neceſſariarum evacuationum promotione: 15) ab externis pingvibus, repellentibus & coagulantibus, quæ in loco læſo varia damna provocant.

§. V. Ad ſpecialem itaque nunc progredior Therapiam, quæ triplici parte abſolvenda erit: in priori perpendere placet, an dentur adminicula ab ictu Scorpionum præſervantia; in media explicandum erit, qualia auxilia ex-

trinſecus ad læſam partem conveniant; in ultima agendum erit, quomodo per interna remedia in tali necesſitate & calamitate prudens artifex ſuccurrere debeat. Quod itaque priorem conſiderationem attinet, tunc paſſim varia remedia ictum Scorpionum præoccupantia allegantur: & ita *Paræus* commendat ſuffitum ex Sulphure & Galbano paratum, quemadmodum Scorpiones Sulphur accenſum perferre non poſſunt: *Weickardus* ſuccum raphani extollit, quo cum illa loca inungere præcipit, ubi homo quisquam verſatur & tamen Scorpionum acceſſum metuit: a *Dioſcoride*, *Luſitano* & *Foreſto* laudatur ſuccus allii & aſſeritur, quod ſcorpiones illius odorem averſentur: *Ronchinus* affirmat, quod inunctio cum oleo olivarum præſtita, præſervet a ſcorpionum ictu, eo, quod Scorpiones tale oleum ægrius perferant & in eodem mox pereant: nonnulli contra Scorpionum virulentiam ordinant remedia theriacalia, velut *Nicander Tractatu de Theriaca*; quæ vero vix tantum, ac priora proſunt: aliqui denique Salivam hominis virulentiæ Scorpionum reſiſtere tradunt, ut *Bonetus in Polyalthe*, quod experimentum tamen nondum in experientia ſufficienter confirmatum eſt: quapropter præſtat præter ante citata priora & utiliora experimenta ſimul qualemcunque circumſpectionem adhibere, ne quisquam ejusmodi locis ſeſe committat, ubi e lignis vetuſtis Scorpionum acceſſus metuendus eſt.

§. VI. In altera parte practicæ præſentis caſus explicationis commendanda erunt auxilia quædam, quæ extrinſecus ad partem læſam applicanda ſunt: ſpecifico itaque modo interne æque ac externe ad Scorpionum ictum convenit ipſum Oleum Scorpionum; quemadmodum ſecundum *Sennertum* Scorpio vivus contritus ad puncturam applicatus prodeſſe debet: nonnulli Suffimigia ex Scorpione affectæ parti admiſſa extollunt, quæ vero in experientia fida nondum ſufficienter approbata conſtant; alii ordinant applicationem hirudinum ad puncturam, quo ſangvis infectus tempeſtive extrahatur: rarius contingit, ut hirudines partem talem inquinatum apprehendant: rectius quidam præmiſſa neceſſaria puncturæ dilatatione, aut moderata ſcarificatione cucurbitulam imponunt, adeoque ſangvinem inquinatum tempeſtive educunt: nonnulli ad commendationem *Aetii* Acetum Rutaceum ad locum affectum applicare jubent, quod vero tam ſingulares uſus & utilitates haud præſtat: aliqui cum meliori ſucceſſu Cataplaſmata e Radice Bryoniæ, herbis Rutæ, Scordii, Salviæ, Myrrha, Therebinthina & Oleo Olivarum paratum affectæ parti imponunt: quemadmodum in ambitu & ad reliquam regionem ejusdem partis Cataplasmata e diſcutientibus & nervinis ſpeciebus parata applicanda proſunt cum quibus lenientia in illo caſu combinanda ſunt, quando dolores ſpaſtici concurrunt atque urgent, in qua neceſſitate etiam topicus Theriacæ uſus congruit;

gruit; evitanda vero ſunt externa ſtupefacientia, quin potius ad puncturam præter hactenus commendata auxilia etiam Eſſentia Balſamica e Myrrha & Succino parata convenit: Camphoratorum uſus externus modeſtus perinde in hoc caſu utilis deprehenditur.

§. VII. Tertio denique loco recenſenda & ordinanda erunt interna quædam auxilia, quæ intimiorem innidulationem & diſperſionem communicati inquinamenti avertunt & corpus ab eodem liberant: hoc nomine itaque laudanda ſunt alexipharmaca cum modeſto regimine diaphoretico ſublevata: præcipue conducunt eſſentiæ Angelicæ, Caryophyllatæ, Helenii, Vincetoxici, Pimpinellæ albæ, Gentianæ rubræ & Scordii: non minus proſunt Decocta paranda e Radicibus Bardanæ, Apii, Cichorii, Scorzoneræ, Leviſtici, Chinæ, Sarſaparill. Herbis Scordii, Veronicæ, Salviæ, Card. Bened., Rutæ, Floribus Anthos Sambuci, Seminibus Fœniculi, Carvi, Hordeo excorticato, Paſſul. maj. Cortice Citri & Cinnamomi: in ſubjectis floridioris habitus corporis conducunt diaphoretica fixiora, abſorbentia citrata, remedia modeſtius acidulata, Julapia bezoardica & nervina, quin ipſa etiam Mixtura ſimplex: interea alvus debet eſſe aperta, cujus ſegnities aut occluſio, quæ interdum ejusmodi caſum comitatur, lenientibus & emollientibus remediis emendetur: anguſtiæ præcordiales concurrentes mitigandæ ſunt temperatis bezoardicis & analepticis, quo etiam Iulapia harum qualitatum conveniunt, conjunctis emulſivis ex aquis diapnoicis & analepticis, nec non e nucleis pingvibus & Semine Card. Mariæ paratis: de reliquo in hoc caſu regimen modeſtum ſervandum, quo ſub conſtanti, placida tamen diaphoreſi maſſa ſangvinea a communicato inquinamento repurgetur.

CASUS XIX.

DE

BUFONUM DAMNIS.

§. I.

CUm hactenus nonnullarum inquinationum periculoſarum, ab animalibus inopinato inductarum, mentio facta fuerit; ita placet hoc ordine alterius cujusdam infectionis improviſæ cum aliquo incommodo conjunctæ reminiſci, videlicet, quomodo nonnunquam Bufones vivi impurio-

puriores, propius ad corpus admiſſi, aliqua damna afferant: quamquam vero vulgo indiſcretim bufonibus actuale venenum adſcribatur, ita ut halitus illorum male olens pernicioſus a *Schwenckfeldio Lib.* 3. *theriotroph. Sil. ſ.* declaretur cum quo *Olaus Wormius Muſ. Lib.* 3. *c* 9. conſentit: id quod exemplis probare contendunt *Sant. Ardoynus Lib.* 4. *de venen. c.* 7. *Ferd. Ponzettus Lib.* 3. *de venen. c.* 12. *Sim. Pauli digreſſ. de febb. malign.* §. 21. tamen illud eſt perquam limitatum, ſicut ipſa experientia medica teſtatur, quomodo in diverſis caſibus Bufones medico uſu commendentur, quorum efficacia eſt admodum diuretica: interim negandum non eſt, quod etiam talia animalia quoad impuritatem ſuam differant, cum Bufones in locis putridis et ſtagnis fœtidis viventes & converſantes omnino corpori humano inimici ſint, dum viciſſim alii in locis purioribus & hortis degentes haud ita ſuſpecti ſint: quod enim alias bufonum virus in genere conſideratum attinet, tunc illud conſiſtit in liquore ex flavo pallido mucilaginoſo, valde amaro atque acri, quem animalia illa e ſuperficie & papulis corporis ſui exprimunt, adeoque huic communicant, qui bufones apprehendit: & hic liquor conſtituit arma bufonum, quibuscum ſe ſe erga extraneas aggreſſiones defendunt: quare canes, qui bufones apprehendunt, illos mox e faucibus projiciunt, proinde vero ipſis fauces cum multa ſpumoſa Saliva perfunduntur, quam valde averſantur, ita, ut evidens indicium adſit, quam adverſus ſit talis liquor, ex quo vero canes nullum mortis periculum experiuntur, ſiquidem poſt brevem moram iterum hanc Salivationem amittunt; æque ac cum hominibus contingit, qui valde amarum & adverſum ſubjectum guſtarunt & poſt amaritiei ceſſationem iterum acquieſcunt.

§. II. Quamvis quidem inquinationes, a bufonibus commiſſæ, non indiſcretim nocivæ ſint, tamen eædem tunc eo citius & certius incommoda parere ſolent, quando ſub tali conſideratione terror & averſio quædam concurrit, licet de reliquo etiam exempla proſtent, quomodo citra talem patheticum affectum inſciis etiam hominibus e bufonibus damna quædam promanaverint, dum animalia illa herbas quasdam inquinarunt, quas homines ſine prævia repurgatione ingeſſerunt; falſa tamen eſt traditio *Aetii*, quaſi bufones cum halitu ſuo hominibus noxam inferant: præterea etiam ſcire convenit, quomodo inquinatio bufonum eo citius ad noxium effectum pertingat, quando homines ſenſibiles & animo atque corpore delicatos attingit, quales etiam levis alia ſuperficialis inquinatio offendit: experiuntur vero ejusmodi ſubjecta in loco inquinato inſolitum & moleſtum pruritum, ardorem & poſt commiſſam frictionem efflorefcentiam puſtularem, quin aliquando in affecta parte plane intumeſcentia & inflammatio oritur, hinc concurrunt dolores vibrativi, ardentes, tenſorii, ſpaſtici, cum quibus nonnunquam conjungitur moralis angu-

gu-

guſtia, cardialgia; difficultas reſpirandi, aut ſuſpecta latior intumeſcentia inquinatæ partis; quæ pathemata vero in robuſtiori & duriori ſubjecto non facile conſpiciuntur.

§. III. Quando contigit, ut homines quidam herbas a buſonibus inquinatas & non repurgatas comederint, tunc ab hac interna inquinatione Practici diverſa pathemata obſervarunt & annotarunt, quæ tamen in diverſis ſubjectis occurrerunt: inter illa hoc loco recenſenda ſunt intumeſcentia, ardor & inflammatoria commotio faucium, cardialgia, aſthma ſuffocativum, langvor, torpor, aut deliquium animi, vertigo, conatus vomendi, pulſus inæqualis, ſuſpecta intumeſcentia corporis externi, caligo oculorum, foetor oris, amarities valde adverſa in ore cum conſtanti conatu vomendi conjuncta, commotiones febriles irregulares & atypicæ, pollutio nocturna, defluvium capillorum, mentis motiones, aut plane motus convulſivi, quales affectus præcipue in ſubjectis ſenſibilioribus obſervati ſunt: pluribus de tali caſu *confer. Joel in Praxi Medica; Ponzettus de Venenis lib. 3. cap. 12. de Veneno Buſonum, Paulini Tractatu de buſonibus*: ita conſtat ex aliquibus hiſtoriis, quomodo buſones varias herbas imprimis Salviam inquinaverint & per hanc damna ſua in corpus hominis intulerint, *vid. Sennertus Lib. de Venenis de Rubeta: confer.* porro *Bonetus in Polyalthe de Venenis, Mizaldus in Memorabilibus, Cent. 1. Aph. 1. Schenkius lib. 7. de Venenis ex Animalibus*; *Wolffius in Lectionibus Memorabilibus Tom. 1. A. N. C. Dec. 2. an. 6. obſ. 113. & obſ. 50. in appendice, anno 1. obſ. 134. an. 5. obſ. 47. in appendice*: ita buſonum quorundam halitum pernicioſum expoſuit *Camerarius in Sylloge Memorabilium Cent. 9.*; alias *Borellus Cent. 2. obſ 37.* innoxie deglutitos buſones deſcribit. vid. nonnullæ obſervationes de Buſonibus A. N. C. dec. 1. an. 10. obſ. 165.

§. IV. Brevibus itaque jam ſubjungenda erit cauſalis explicatio præſentis afflictionis de buſonum inquinatione provenientis: eſt propterea liquor ille e buſonibus proveniens omnino impurus & adverſus, qui in ſubjectis ſenſibilioris intentionis & attentionis facile alienos & nocivos effectus poſt ſe trahit; externe quidem, ut partes inquinatas ſuperficialiter arrodat, ad quas ab intra humores copioſius congeruntur & pro amovenda tali inquinatione affunduntur, unde varii dolores, pruritus, aliique effectus provenire obſervantur, ſiquidem nullum aliud auxilium ſpontaneum in naturæ poteſtate eſt, quo adverſa objecta proſequatur, niſi motus congeſtorii, ſpaſtici & ſimiles alii, qui utplurimum alieni & pernicioſi objecti averruncationem concernunt: quando vero contingit, ut ejusmodi impuritas e buſonibus penitus introrſum excepta fuerit, tunc ob majorem internam ſenſibilitatem tanto magis variæ commotiones ſuſcipiuntur, quæ tempeſtivam excuſſionem hujus inquinamenti reſpi-

ſpiciunt; & dum hoc inquinamentum ſalinæ indolis eſt, hinc omnino ſpeciales ſtimulationes in corpore cauſatur & in humoribus orgaſticas fermentativas commotiones excitat, quid quod plane obſervationes teſtantur, quomodo liquor talis ſpecialius vias urinarias ſtimulet, unde etiam in iisdem variæ commotiones ſpaſticæ ſuſcipiuntur, quæ præſentis inquinamenti efficacem & tempeſtivam abſterſionem & eliminationem urgent.

§. V. In practica præſentis caſus explicatione non æque neceſſe eſt portentoſas quasdam medicationes ſeligere & remedia diffuſioris compoſitionis & ſpecioſæ conſiderationis ordinare, ſed potius ſimpliciora aliis præferre decet: tanto magis in præſenti caſu perpendenda eſt perſonalis ſenſibilitas ejusmodi læſorum ſubjectorum & alteratio illa, quæ ex eadem ortum trahit: minime omnium convenit magnas quasdam commotiones ſuſcipere, alias damna præſentia eo magis acuuntur, præcipitantur & augentur: neque quidem tempus terere convenit cum medicamentis antidotalibus dubiæ minusque probatæ efficaciæ; quemadmodum ne quidem ipſa communia theriacalia in hac necesſitate adeo ſatisfaciunt, uti quidem de iisdem ſpes concipitur; & quemadmodum in tali caſu diſtincta ſubjectorum ſenſibilitas concurrit, ita eo minus conſultum eſt calida, concentrata, acria & valde ſtimulantia, aut vicisſim vires & motus ſimul & ſemel opprimentia, adſtringentia, ſtupefacientia & ſimilia remedia uſurpare; neque denique indiſcretim craſſas & diffuſas evacuationes provocare confert, niſi inquinamentum buſonum adhuc in ventriculo deliteſcere conſtet, ubi fruſtra tempus & præceps occaſio ſpecioſis inquinamenti alterationibus impenditur.

§. VI. Specialis & genuina præſentis caſus therapia ita eſt inſtituenda & tractanda, ut ſi inquinamentum Buſonum intra corpus exceptum fuerit & quidem per comeſtionem alicujus ſubjecti eſculenti a Buſone conſpurcati, tunc mox conferat, quando talia ſubjecta adhuc in ventriculo hærent, tempeſtivam, attamen lenem, evomitionem excitare, ad quam provocandam vel ſimpliciora oleoſa lenientia Decocta calida, juſcula pingvia ingeſta proſunt, cum adhibita externa quadam ſimpliciori enchireſi; vel confert præ aliis vomitum provocantibus radice Ipecacoanhæ uti: deinde conveniunt temperatiora bezoardica & alexipharmaca ſive in Eſſentia, ſive in Potione, ſive in Decocto exhibenda, quorum in præcedentibus caſibus fuſius mentio facta fuit: in hoc caſu ſpecifice contra venenum buſonum quidam practicorum commendant Lapidem Buſonitem & Smaragdi, ſed fruſtraneus effectus deſtituit conceptam ſpem: *Simon Pauli de Febribus malignis* contra Buſonum venenum laudat picem liquidam, quæ perinde nondum in experientia utilis & approbata deprehenſa fuit:

 alii

alii contra pulverem de bufonibus exſiccatis, oſſa bufonum calcinata & Sal bufonum extollunt, meliori ratione inſtructi, cum alia experimenta doceant, quomodo quædam animalia venenoſa etiam contineant ſuum antidotum: *Wedelius in Tractatu ſuo de Colchico p. 15. ſeqq.* laudat Plantaginem ad araneorum damna, quæ ſingularia experimenta ulteriori experientiæ commendanda ſunt: præterea conveniunt pulveres abſorbentes cum Coralliis rubris præparatis & exigua florum Sulphuris quantitate mixti. Talibus remediis ſubordinare convenit Potiones analepticas & diapnoicas, ſervato regimine modeſtius diaphoretico: alvus interea etiam ſit aperta & ſi clauſa fuerit conducunt vel Clyſteres emollientes & moderate carminativi, vel pilulæ ſelectæ aloeticæ: quod denique balneorum uſum attinet, quem nonnulli laudant, tunc ille non niſi exeunte cura conciliandus & adhibendus erit.

§. VII. In illo caſu vero, ubi bufones ab extra corpus hominis inquinarunt & noxam aliquam excitarunt, præſtat ad partem affectam apponere ipſos bufones exſiccatos, qui tali ratione eandem partem præſervant, ne efflo-reſcentiæ, aut maculæ præſentes in ſubitaneam quandam corruptelam incidant: Simili modo confert inquinatam partem ſine mora abluere, abſtergere & repurgare, vel cum Vino calido, vel cum Urina calida, vel cum Lixivio ſalino, vel cum cepis aſſatis: neque contemnendum eſt pro uſu externo oleum, in quo bufo ſubmerſus eſt: præterea ad præoccupandas corruptiones a tali inquinatione pendentes & metuendas convenit Linimentum ex oleo Ovorum, Papyri & Liquamine Myrrhæ paratum: & quo in ambitu pars affecta a congeſtione & ſuſpecto affluxu humorum præſervetur, conveniunt Camphorata & Crocata remedia, nec non Cataplaſmata diſcutientia & mitius nervina: hoc tempore itidem præſtat interne offerre temperata alexipharmaca & analeptica, quo non modo ſanguinis progreſſus in æquali ſucceſſu conſervetur, ſed ut etiam quælibet ſangvinis inquinamenta per modeſtam diaphoreſin eliminentur, ſiquidem in tali caſu perinde regimen moderatum diaphoreticum conjungere convenit.

CASUS XX.

DE

MORSU SERPENTUM ET VIPERARUM.

§. I.

INter alios affectus, qui inopinato accidunt, ſed eximiam perniciem minantur, propptereaque medici extemporaneam opem deſiderant, illi morſus ſunt, qui a Serpentibus & Viperis interdum infliguntur, quæ animalia ſicut communiter pro venenoſis reputantur, ita læſio ab iisdem in corpus humanum vivum illata, nunquam periculo carere obſervatur; hæc animalia utplurimum cum aliquo affectu iracundiæ hominem mordere ſolent, quales morſus eo facilius, eoque citius lethiferos effectus edunt: Et licet nonnulli ſerpentes benignioris conſtitutionis eſſe deprehendantur, tamen iidem, quando ad morſus tales incitati & permoti ſunt, nihilominus periculoſam læſionem cauſantur: tanto magis quidem neceſſe erit, hanc methodum morſibus talibus medendi in illis locis exactius noſſe, ubi talia animalia & numeroſiora & virulentiora exiſtunt.

§. II. Quod itaque ipſa illa morbida pathemata attinet, quæ talem morſum venenoſum ſequuntur, tunc illa graviora & velociora evadunt in ſubjectis plethoricis, floridioris habitus, junioribus, præcipitis & iracundæ indolis, ſubitaneis & impetuoſis ſangvinis commotionibus obnoxiis, actualibus hæmorrhagiis & moliminibus hæmorrhagicis congeſtoriis, ſpaſticis, inflammatoriis aut febrilibus expoſitis, vel viciſſim etiam in hominibus, qui ſanguine ſpiſſo & impuro laborant, qualis proinde ad ſuſpectas ſtaſes & præcipites corruptiones citius pronus eſt: Pathemata vero ſunt diverſa, ex quibus nonnulla in loco externo læſo, quædam vero in reliquo corpore ſingulisque actionibus animalibus & vitalibus occurrunt.

§. III. Extrinſecus inflictum morſum venenoſum excipit repentina partis affectæ intumeſcentia, cum ardore, rubore, livore & dolore conjuncta, licet valde periculoſum ſignum ſit, quando in læſo membro ſubito ordinariæ ſenſationes ceſſant, aut obtunduntur: utplurimum etiam in loco affecto gangrænodea afflictio imminet: aliquando effloreſcunt veſiculæ cum flaveſcente ichore repletæ, nonnunquam in eandem partem exiliora foraminula conci-

dunt, e quibus per initia cruor, deinde vero ichor foetidus & ſuſpectus effluit, donec brevi tempore ſphacelus corripiat, qui poſthac celerrimos progreſſus ſervat, quem extremitatum refrigerationes & ſenſationum atque prægreſſorum dolorum amisſiones cum livore partis comitantur.

§. IV. Quod reliquas alterationes attinet, tunc interdum facies & lingua intumeſcit & liveſcit, reſpiratio redditur anxia, ſudor ingruit frigidus, aliquando corripit vomitus, interceptio loquelæ & metus ſtrangulationis, nonnunquam oritur propenſio in ſomnum & lipothymiam: ingruit utplurimum motus irregularis febrilis, fauces aridæ fiunt, quandoque dejectiones bilioſæ invadunt, inſiſtunt anguſtiæ præcordiorum, ſuperveniunt ſingultus, ſcotomiæ, deliria, tremor artuum & alternantes horrores, ita ut multitudo & gravitas pathematum utplurimum & patientem & Medicum angant atque urgeant: Quo loco adhuc in hiſtorico hujus caſus conſpectu addere lubet illud prognoſticon, quod *Euſtachius Rhudius lib. III. de morbis acutis cap. 18.* obtulit: *Si vipera percuſſus in ſyncopen incidit, ſi ſangvis e naribus profluit, ſi labia virore obducuntur, ſi digiti extreme gelidi redditi fuere, ſi corpus omne concuſſum eſt tremore, & ut Nicander* ait: *veluti grandine percuſſum ſibi videtur, certum eſt mortem eſſe propinquam:* pluribus conferatur *Schenkius lib. 7. de venenis animalium. Wepſerus de Apoplexia: Severinus de Viperis, Rhodius cent. 3. obſ. 89. Zacutus Luſitanus Medicorum Principum Hiſtoriis lib. 5. hiſt. 1. Zechius conſultat. 33. A. N. C. dec. II. anno 4. obſ. 121. anno 7. obſ. 140. dec. 3. ann. 2. obſ. 151. Grulingius obſerv. herm. dogm. Scribon. Largus lib. de comp. med. c. 41. Paræus chirurg. lib. 20. c. 16. Ranchinus opuſc. med. tract. de morb. ſubitan. c. 19. Lazar. Riverius obſ. med. cent. 4. obſ. 96. Ettmulleri diſp. de morſu viperæ. Sennertus, Platerus, Bonetus* variique alii.

§. V. Quod nunc Pathologicum horum pathematum reſpectum attinet, tunc in variis congeneribus affectibus pasſim rationes quædam evidentes propoſitæ ſunt, quæ morboſas haſce afflictiones explicant: communicatur itaque cum ejusmodi morſibus ſubtile maximeque agile fermentativo-putrefactorium miaſma, quod non modo in loco affecto repentinam corruptionem minatur, cui propterea removendæ & præoccupandæ, varii motus in eodem loco congeſtorii, ſpaſtici & inflammatorii, aut in univerſo corpore febriles opponuntur, ſed & evenit, ut quando tale miaſma ſeſe intimius in maſſam humorum & reliqvum corpus inſinuavit, ob repente metuendam mortificationem natura extreme angatur, ut propterea præ tali afflictione atque angore a motibus ſucceſſive ceſſare inchoet, unde tremores membrorum, lipothymiæ, inſenſibilitas & paralyſes inſeqvuntur, aut quando in hoc periculo natura quadantenus reſiſtere videtur, tamen ob gravitatem perniciei variæ confuſæ actiones

nes adminiſtrantur, velut febres anomalæ, irregulares excretiones, perverſi ſpaſtici & convulſivi motus, aut etiam congeſtiones & translationes humorum in alias corporis regiones: In quo corrupto, anxio & confuſo ſtatu propterea admodum refert, quo delinquenti naturæ & afflicto corpori rite & tempeſtive ſuccurratur.

§. VI. Propterea Cura hujus calamitatis admodum circumſpecte eſt adminiſtranda, in qua præcipue cavendum eſt, 1) a ſimultaneis, impetuoſis & copioſis evacuationibus 2) a confuſis & prodigis ſangvinis ſubtractionibus, 3) a negligentiori ſtatus plethorici conſideratione & tractatione, 4) a medicamentis valde calefacientibus & humorum maſſam turgefacientibus, 5) a camphoratorum communi & liberali uſu interno, 6) a refrigerantibus & incraſſantibus remediis, 7) ab adſtringentibus medicamentis 8) a communi ſalium volatilium ordinatione, 9) a virium, jam per ſe languentium, majori oppresſione, 10) ab opiatis aliisque narcoticis medicamentis, 11) a confuſo theriacalium uſu & denique 12) a reliqua confuſa copioſorum remediorum oblatione.

§. VII. In poſitiva cura præſentis caſus ante omnia providendum eſt, an ſuſpecta quædam ſangvinis abundantia reliquam curam offendat; quare tempeſtiva ſufficiens V. Sio celebranda erit: proinde etiam attendere convenit, an alvus non rigide & cum malo omine occluſa ſit, quod ſymptoma propterea cum Clyſtere emolliente aufferri debet: deinde vero reliqua cura partim externa, partim interna eſt: extrinſecus nonnulli commendant tempeſtivam affectæ partis cauteriſationem, quo mox in primo limine communicatum miaſma extingvatur, ſicut hoc experimentum commendat *Aegineta lib. V. cap. 3. Aetius tetrabiblo 4. ſerm. 1. Celſus lib. 5. cap. 28. Matthiolus in Com. in Dioſcoridem, Langius Epiſt. 18. lib. 1. Schmidius in compendio Practico*, ita *Boyleus in experim. philoſoph.* commendat applicationem ferramenti candefacti, ne tamen immediate cum hoc affecta pars attingatur, ſed quo ex ſenſu eximii caloris miaſma inſinuatum iterum in ſuperficiem affecti loci invitetur: utraque experimenta habent ſua teſtimonia ſuamque approbationem, ſicut aliqui commendant partis affectæ ſcarificationem & cucurbitularum applicationem, quæ perinde non inutilis eſt, denique alii hirudinum applicationem ad eandem partem ordinant, ut ita vario modo per initia communicatum venenum præoccupari posſit, ne confeſtim in intimiores corporis partes penetret.

§. VIII. Præter hæc commemorata externa adminicula adhuc a diverſis aliis varia pro eodem topico uſu commendantur, ita in *A. N. C. dec. 3. an. 2. obſ. 151. in ſchol.* caro Viperæ extrinſecus ad affectam partem & morſum ſerpentis applicata proficua declaratur: nonnuli etiam theriacalia pro externo uſu commendant, dum theriacam cum ſpiritu vini aut Vino ſolutam ad affectam

Xxxxxx 3 par-

partem imponendam ordinant & de eodem eximias virtutes promittunt; iterum alii laudant theriacam cum cepis mixtam ad talem læſam partem adhibendam: ſic alii acida ad inflictum morſum extollunt, quibuscum communicatum virus extingvere contendunt, quæ ſi cum moderamine uſurpantur, haud ſpem artificis deſtituunt, hoc nomine vero ſpiritus ſulph. per campanam a *Severino* & acetum theriacale laudantur: nonnulli ad tumorem affectæ partis ungventum Apoſtolorum applicare jubent, quod vero nondum in experientia neceſſarias ſuas approbationes obtinuit; de reliquo inter Practicos disceptatio quædam occurrit, an illud experimentum in præſenti caſu locum inveniat, quando pars læſa in ſuperiori & verſus cor vergente regione cum arctiori vinculo ad intercipiendum affluxum humorum & connexum tumorem ut & ad præoccupandam inflammationem ligatur, quod vero experimentum perinde multis ſiniſtris ſucceſſibus expoſitum eſt.

§. IX. Denique etiam mentio facienda eſt internæ curationis, quæ triplici actu therapevtico abſolvitur: primo requiritur, quo irregulares commotiones vel præoccupentur, vel mitigentur, quo conveniunt remedia temperantia, velut ocul. cancr. citr. corall. rubr. ppt. Nitrum dep. aliaque teneriora abſorbentia, huc proinde conducunt potiones ex aquis diapnoicis & abſorbentibus talibus remediis paratæ, non minus ad mitigandos illos motus conferunt decocta e Scorzon. C. C. Cichorio, Citro, Cinnam. paſſulis parata: ſecundo prudens artifex proſpicere debet, quo moderata diaphoreſis ſuccedat, ut ita communicatum miasma ab internis nobilioribus partibus in extremitatem corporis transferatur & denique penitus educatur: pro hoc ſcopo proficit eſſentia Alexiph. Stahl. Tinctura bona Bezoard. & in ſubjectis floridioris habitus Mixtura ſimplex; & quamvis pasſim a Practicis in hoc caſu cum eximiis titulis Camphora commendetur, tamen eadem interne cum magna circumſpectione adhibenda eſt, quia facile ſuſpectos ſangvinis orgasmos excitat; propterea etiam ſalia volatilia cum eadem cenſura alleganda ſunt, licet eadem *Tackenius* in ejusmodi caſibus admodum laudet: paulo ſecurius pro eodem ſcopo conferunt decocta paranda e Scorz. Vincetox. ſcord. ruta, cent. min. hord. excort. citro, Cinnam. paſſ. & cryſtallis tartari: tertio denique virium ratio habenda eſt, quo imprimis Julapia e decocto ſcorz. paſſulato, aquis diapnoicis & analepticis, nec non ſyrupis rubi idæi, de Canela, de betonica, pap. rhæad. compoſita, pertinent; denique addere placet verba *Lazari Riverii obſerv. med. cent. 4. obſ. 69. Relatum eſt mihi cor Viperæ ſtatim exhibitum præſtantisſimum eſſe remedium*: ita etiam a nonnullis caro, hepar & oſſa ſerpentum, nec non ſal volatile viperarum in ejusmodi caſibus tanquam ſpecifica

com-

commendantur, quæ etiam propterea ulteriori uſui & experientiæ relinquo & committo.

CASUS XXI.
DE
MORSU CANINO.

§. I.

Haud infrequens eſt ille caſus, quando canes moroſi, intractabiles & iracundi homines mordent & ſuſpecta vulnera iisdem infligunt, quales morſus communiter, ſi non ſemper, grande periculum, tamen magnum incommodum & dolorum comitatum involvunt, ut propterea tam ejusmodi læſi homines, quam circa talem caſum occupati Medici & Chirurgi ſatis ſolliciti ſint, quo majus damnum avertatur: tanto magis morſus a canibus rabidis commiſſi periculoſi ſunt, ita ut uterque caſus eapropter medica evolutione atque explicatione dignus ſit: prior quidem, quo canes a rabie immunes latrant atque mordent, familiarior eſt & propter hanc frequentiam & commiſſi morſus malitiam perinde illius caſus mentio injicienda erit, tanto magis cum in hujus offenſionis tractatione & curatione chirurgica multiplicia impedimenta intercurrant & utplurimum ſatis notabile tempus requiratur, quo vulnus tale denuo conſolidetur: imo contingit, ut, quando tale vulnus ſemel conſolidatum eſt, illud tunc denuo erumpat & novam afflictionem pariat: quare talis morſus minime negligenter & incurioſe tractandus & æſtimandus, ſed cum tempeſtiva & congrua medela fovendus & dirigendus eſt.

§. II. Quod itaque ſimplices morſus caninos attinet, tunc iidem ſatis ſæpe varia damna, quæ periti Medici & Chirurgi concurſum requirunt, involvunt & quidem interdum poſt ſe trahunt gravem & prodigam Hæmorrhagiam e vulnerato loco prodeuntem ſuſpectum tumorem cum vario ominoſo colore præditum, ruborem, ardorem, duritiem in parte læſa, concurrentem gravem dolorem: interdum ſupervenit inflammatio nunc profunda, nunc eryſipelacea: aliquando plane imminet lethalis corruptio: quandoque in ſubjectis ſenſibilibus & plethoricis febriles commotiones & ſymptomata febrilia accidunt: nonnunquam complicantur cardialgiæ, aut ſuſpecta inſenſibilitas in parte affecta: interdum continuat & contumaciter inſiſtit gravis tumor & livor

in

in loco vulnerato: quid quod a nonnullis plane ſpaſtici & convulſivi motus obſervati ſunt: vulnus inflictum ægerrime coaleſcit & quando poſt longam denique moram concreſcit, tamen aliquamdiu in ſuperficie nulla firma cuticula eidem accreſcit, quare facile nova ſuſpecta affrictio & excoriatio contingit, ut denuo nova incommoda ardoris, ruboris, doloris, manationis & affluxus perverſi conſequantur: ex quibus facile elucescit, quam multiplex ſit damnum, quod ex ejusmodi caſu metuendum eſt; ſicut periculoſum talem morſum a cane non rabido commiſſum deſcribit *Albrecht A. N. C. Dec. 3. anno 9. & 10. obſ. 3:* tanto magis in ſubjectis ſenſibilibus plethoricis ſuſpecta talia pathemata superveniunt: rariores tamen ſunt tales affectus, qui in actuali hydrophobia & furore conſiſtunt, quales *Martinus Lyſterus de Hydrophobia* & *Foreſtus Lib. 10. Obſ. 27.* e morſu canis non rabidi provenientes deſcribunt, niſi in ſubjecto affecto eximia mollities animi & proclivitas in inſaniam adſit.

§. III. Altioris momenti & periculoſioris genii eſt morſus, qui a rabidis canibus inflictus fuit, qualis inter alia ſontica & periculoſa pathemata perfectam rabiem ſive furorem, aut rationis impotentiam poſt ſe trahit: & talis luctuoſus affectus vulgo inter Medicos Hydrophobia audit, quæ rabies a præcipuo illo phænomeno denominationem ſuam nacta eſt, quia in eadem miſeri homines æque ac canes rabidi aquam & quælibet liquida valde averſantur atque metuunt, adeo, ut ejusmodi homines formulas remediorum liquidas extreme fugiant & ab illorum violenta ingeſtione nonnunquam ſtrangulatorias faucium offenſiones experiantur: excipit hæc rabies canina morſus a rabidis canibus commiſſos: præcurrunt antea aliæ afflictiones morbidæ, veluti graves cardialgiæ, vigiliæ, inſolitæ & inſignes virium proſtrationes, ſomnus turbulentus, inſomnia anxia & horrida faucium vitia, raucedo, inflationes & ſemi inflammatoriæ commotiones in collo, perturbationes vertiginoſæ, pulſus interdum durus, interdum inæqualis, interdum febrilis eſt; concurrunt non raro commotiones febriles; denique ipſa mens turbatur, ita ut patientes cum dentibus ſtrideant, latrent, mordeant, ejulent, ſpument, lucem fugiant, latebras quærant, valde anxii ſint, cum reſpiratione operoſa & ſuſpirioſa: appetitus eſt utplurimum dejectus, fauces ſunt aridæ, lingva ſicca & velut ſitiens atque tremula, animus vero a potu eſt abſtemius, ita ut multæ calamitates coincidant & præſentem affectum graviorem & periculoſiorem reddant.

§. IV. Præter hactenus commemorata pathemata deprehenſum etiam fuit, quomodo in vera Hydrophobia occurrerint interdum ſuſpecti horrores & rigores ſuperficiales, interdum phlogoſes, aut momentaneæ exæſtuationes, aliquando ſudores frigidi, involuntariæ lacrymarum profuſiones, ſingultus, anxii vomendi conatus, faucium inflammatoriæ & ſtrangulatoriæ afflictiones

flictiones, aut plane actuales convulſiones; ſiquidem hiſtoriæ conſtant, quomodo convulſivi tales motus orti fuerint, quando ægrotantibus cum aliqua vi remedia liquida obtruſa fuere: præterea in hiſtoria medica obſervatum fuit, quomodo rabies canina poſt commiſſum & inflictum morſum, in quibusdam ſexto, in aliis ſeptimo, in nonnullis nono demum die ſupervenerit, quando neceſſaria curatio & præſervatio neglecta & omiſſa fuit: ſiquidem etiam viciſſim exempla conſtant, quomodo poſt talem morſum a rabioſo cane commisſum non æque mentis perturbatio, ſed eo gravior corporis morbus conſequutus ſit; ſicut viciſſim juxta præcedentem animadverſionem exempla apud *Zacutum Luſitanum*, *Codronchium*, *Platerum*, *Salmuthum*, *Marcellum Donatum*, *Borellum*, *Lentilium in Jatromnematibus* & in *A. N. C. Dec. 2. anno 6. obſ. 200.* recenſentur, quomodo Hydrophobia ſive furor mentis morſum canis non rabidi exceperit, qualis obſervatio vero, uti ſuperius notatum fuit, rarior exiſtit.

§. V. Quemadmodum hactenus hiſtoria præſentis caſus ſufficienter expoſita fuit, ita jam brevibus quædam erunt addenda, quæ ad Prognoſticum uſum atque ſcopum ſpectant: quo loco mox in mentem incidit obſervatio *Ettmulleri*, qua annotavit, quod ſi vulnus ex canum morſu proveniens ſufficienter ſangvinem ſtillaverit, tantum periculum metuendum haud ſit; contrarium vero contingit, ſi tale vulnus confeſtim ſeſe occludit, ubi non modo numeroſiora, ſed etiam graviora pathemata ſuperveniunt: quo magis alias cum eximio terrore animus percellitur, eo maligniora & deteriora pathemata erunt metuenda, quo magis animus ſubjectorum eſt mollis atque ſenſibilis, eo magis ſonticæ alterationes conſequuntur: quo magis plethorica ſunt ſubjecta & plethoræ ſuæ commotionibus atque moliminibus hæmorrhagicis obnoxia, eo periculoſiora excipiunt pathemata: quo magis præcordia occluduntur & eximii animi & præcordiorum angores ſuperveniunt, eo magis ſuſpectum eſt indicium: quo magis motus vitales in extrema delabuntur, ſive in defectus ſive in exceſſus, eo pejus omen eſt: quando ſubito & extreme vires concidunt, quando aſphyxia ſequitur, quando multæ vigiliæ adſunt, quando turbulenti motus febriles conjunguntur, malum eſt ſignum: quando in læſa parte livores inæquales & laxi tumores conjunguntur, pravum eſt indicium: quando in læſa parte ſenſus ceſſant, adverſum eſt indicium: quando repente & impetuoſe mens perturbatur, malum eſt phænomenon: quando graves vertiginoſæ perturbationes accidunt, æque ſuſpectum eſt indicium, licet de reliquo totus Hydrophobiæ ſtatus periculo plenus exiſtat.

§. VI. Quamquam in Pathologia mea quoad cauſalem explicationem hujus caſus mentio facta fuerit, tamen cum hoc loco eundem ſeorſim &

 ex

ex propoſito pertractare conſtituerim, placet pro meliori ordine etiam hoc loco brevem conſpectum ætiologicum addere & in hoc negotio quidem mox accuſandum erit illud ſalivale fermentativum orgaſticum inquinamentum, quod a cane per morſum in aliquam partem communicatur, quale non modo illam vulnerationem ſubito depravat, ſed & ſubinde ſeſe ſubtiliter & repente in penetralia corporis atque humorum maſſam dispergit & diſſeminat, ibidemque ſubitaneam diſſolutionem & inopinatam periculoſam fermentativam commotionem non modo minatur, ſed plane exorditur atque proſequitur: accedit ipſe ſtatus commiſſæ vulnerationis, quæ per modum dilacerationis & adverſæ compresſionis affectæ partis inducta fuit, qualia vulnera alias communiter multam atoniam concurrentem involvunt, ut eo facilius in affecta parte tumores, rubores, livores, aut actuales corruptiones exoriantur: ſubinde etiam conjungitur repentina ſubjectorum læſorum contremiſcentia, e qua in reliquum affectum varia pathemata & multiplices anomaliæ redundant, in hoc ſtatu aliter fieri vix poteſt, quin natura humana ſub vario angore, tremore, titubatione, ſollicitudine & irregularitate damno imminenti ſeſe opponat, interim quasdam commotiones in emolumentum ſui corporis exerceat, ſed ob multiplices periculoſos atque confuſos reſpectus inæqualiter in hoc negotio procedat, eaque propter plane in rationis ordine mutationem & confuſionem committat: vix vero cum aliqua evidentia vel tantum ſupponi poteſt, quaſi rabies excitetur, formetur & efficiatur a communicato illo materiali inquinamento ſalivali, quoniam in nullo parallelo caſu demonſtrari poteſt, quod materiæ mores efficiant: illud rectius variis argumentis declarari poteſt, quod anima ſecundum diverſitatem materiarum etiam actiones ſuas morales immutet, quale quid propterea ſubtili, efficaci tamen ratione in præſenti caſu contingit.

§. VII. In altera & illa quidem practica præſentis caſus explicatione ante omnia intererit neceſſarias cautelas practicas præmittere, propterea cavendum eſt 1) ab omni cruda, craſſa & impetuoſa evacuatione, ſive anoterica ſive catoterica 2) a poſitiva, diffuſa & copioſa diaphoreſi 3) a remediis valde concentratis & eximium ſangvinis orgaſmum inducentibus 4) a volatilium remediorum uſu curatorio 5) a medicamentis diffuſe liquidis & eximiam molem conſtituentibus 6) ab aliis confuſis compoſitionibus & credula theriacalium oblatione 7) a medicamentis & regiminibus poſitive refrigerantibus 8) a nimia humorum incraſſatione 9) a quibusvis adſtringentibus medicamentis 10) a communi narcoticorum uſu 11) a nervinis acribus & vias atque humores ſenſibilius & impetuoſius commoventibus 12) ob interno Caſtorinorum uſu 13) a confuſo aut præpoſtero ſpecificorum remediorum uſu 14) a nimis cunctata ope medica,

ca, ſiquidem præſens affectus tempeſtivam therapiam requirit & 15) ab externis remediis communicatum inquinamentum ad interiora pellentibus.

§. VIII. Specialis præſentis caſus practica pertractatio diſtingvenda eſt ſecundum ſuperius traditam diverſitatem morſus a cane commisſi: ideoque primo loco agendum erit de Hydrophobia & morſu a cane rabido commiſſo; deinde vero quædam de morſu canis non rabidi addenda erunt. Quando itaque quisquam a rabioſo cane commorſus fuit, tunc quoad interna remedia mox talia auxilia ordinari debent, quæ maſſam ſangvineam ab omni corruptela imminente præſervant & ab eadem inſinuatum inquinamentum repurgant: præcipuum locum inveniunt in hoc caſu apta & certa ſpecifica, e quorum numero inter autores allegantur ſive hepar, ſive cor, aut cerebrum de cane rabido collectum, imprimis hepar; deinde recenſentur quædam ſpeciales hiſtoriæ, quomodo in tali caſu limatura orichalci, ad drachmæ pondus exhibita, aliquam utilitatem attulerit: non minus etiam interne amygdalæ amaræ prodeſſe dicuntur; ſicut Electuarium de Ovo cum Nuce Vomica aliquam utilitatem promittit: præterea alii extollunt pulverem cancrorum combuſtorum, quem *Galenus* & *Dioſcorides* cum radice Gentianæ rubræ mixtum in hoc affectu eximie laudant: nonnulli radicem pimpinellæ albæ, in ſubſtantia aſſumendam, ordinant: uti Itali quidam Medici Valerianæ radicem in tali caſu præferunt: ſunt qui radicem Cynosbati, aſt ſine ſingulari experientiæ ſuffragio, ordinant: neque contemnendus eſt Pulvis a quibusdam laudari ſolitus e Radice Gentianæ rubræ & Pimpinellæ albæ parandus, indies mane aſſumendus: communiter etiam in tali caſu famoſus ille Pulvis Palmarii interne æque atque externe laudatur, qui vero nondum id præſtitit, quod vulgo de eodem promiſſum proſtat.

§. IX. Proinde in præſenti affectu proſpiciendum eſt, ne aliqua alvi obſtructio occupet, quæ vel cum Clyſteribus emollientibus & modeſte nervinis, vel cum Rhabarbarinis, Mannatis & Tamarindinatis remediis liberari debet: præterea a *Weickardo* commendantur Scarabæi Maiales melle ſuffocati iterumque exemti, expresſi & in hoc ſucco aſſumti; *conf. A. N. C. dec. 1. an. 3. obſ. 302.* ubi ſcarabæi majales ad morſum canis rabidi commendantur: *Michaelis ad Jonſtonum* Spiritum ex combuſtis Cancris paratum commendat, qui, an huic laudi reſpondeat, in experientia ulteriori approbationem aliquam expectat: præterea interne conveniunt diaphoretica fixa abſorbentia cum acidis attenuata & ſaturata, nec non Pulveres Nitroſi & Corallia rubra præparata: in ſubjectis floridioris corporis proſunt acidulata remedia cum aliquali moderamine exhibenda & inter illa præcipue Mixtura ſimplex: ſubinde etiam conjuncta & interponenda ſunt analeptica, quorum numero hoc loco annumerare

 placet

placet Species de Gemmis & de hyacintho, nec non confectionem de Hyacintho; imprimis etiam cavendum eſt, ne febrilis quædam commotio excitetur: quando vero talis concurrit, tunc præſtat uti prædictis temperantibus & Nitratis remediis: proſpiciendum etiam eſt, quo modeſtum regimen diaphoreticum obſervetur; quidquod præterea prævidere convenit, ne in faucibus aliqua afflictio inflammatoria oriatur, cui per neceſſaria diſcutientia & temperata reprimentia ſuccurrendum eſt: de reliquo cujusvis Medici inventioni, prudentiæ & dexteritati relinquere convenit, quomodo hactenus commendata interna remedia congrue moroſis ægrotantibus exhiberi queant.

§. X. Ab internis modo commendatis remediis nunc ad externa progredior, quæ ad morſum a cane rabido commiſſum applicari poſſunt, unde ab *Hildesheimio in Spicilegio* commendatur Hepar rabidi canis ad læſam partem applicandum; licet etiam pili de tale cane appoſiti conveniant, quos proinde *Platerus* eximie commendat: a nonnullis Dens canis rabidi pro amuleto geſtandus laudatur: aliqui jubent partem violatam in aquam frigidam immergere, ubi nonnulli aquam marinam præferunt, pro qua commode ſubſtitui poteſt aqua ſalina: *Celſus Lib. 4. Cap. 27.* & *Helmontius* jubent hominem a cane rabido vulneratum inopinato in aquam frigidam injicere, quod experimentum vero, quia magis ſpeculativum eſt & ſuſpecta efficacia vehementis & repentini terroris nititur, non admodum ingenuum, neque etiam in experientia probatum eſt: alias ſi vulnuſculum inflictum nimis anguſtum propter eaque ſubito collapſum fuerit, tunc confert illud paululum dilatare, ſcarificare, cucurbitulam eidem imponere, quo tempeſtive & mox in primis initiis communicatum inquinamentum extrahatur: quemadmodum etiam in ſubjectis robuſtioris indolis actualis vulnuſculi cauteriſatio admitti poteſt.

§. XI. Præterea ad ejusmodi vulnerationem, a rabido cane inflictam, conducit tempeſtiva abſterſio vel cum vino calido, vel cum urina calida, vel cum decocto pulveris illius ſamigerati Palmeriani; deinde ad talem læſionem optime conducit Eſſentia vulneraria balſamica Stahliana & emplaſtrum Hildani, quod allegatur in *Cent. 1. Obſ. 87.* a *Lotichio Lib. 1. Cap. 5. Obſ. 1.* commendatur externe Ruta cum allio & tantillo Theriacæ: ſunt, qui ad talem vulnerationem hirudines apponere præcipiunt, quod experimentum vero difficulter ſucedit: proinde proſpiciendum eſt, ne tale vulnuſculum præmature conſolidetur, ſed quo ſufficienter mundificetur: ſicut ad ulteriorem illius repurgationem conducit Emplaſtrum e Cera, Oleo Olivarum, Sebo hirci, Thure & Myrrha paratum: in ambitu hujus læſionis ad avertendam congeſtionem & immodicam humorum affluxionem conducunt Camphorata; quo etiam

ſpectant

ſpectant Cataplaſmata e diſcutientibus & nervinis remediis paranda cum additamento Croci orientalis atque Camphoræ.

§. XII. Supereſt ut brevibus adhuc indicem, quomodo morſus canis non rabidi tractandus ſit: expedit itaque ejusmodi vulnuſculum tempeſtive cum vino calido ſive ſimplici ſive leviter cum Scordio & Ruta imprægnato, aut etiam cum urina calida eluere: deinde præſtat eidem læſioni pilos de tali cane applicare: non minus in ambitu conferunt Camphorata & Crocata, aut cataplasmata diſcutientia & nervina, quo itidem ſpectat Emplaſtrum nervinum, de Minio, Norimbergenſe, Camphoratum: multam proinde utilitatem habet ſuperius laudata Eſſentia balſamica vulneraria Stahliana: in defectu hactenus commendatorum remediorum confert vulnus inflictum cum aqua ſalina eluere & deinde digeſtiva chirurgica, ungventum e Terebinthina, melle, vitello ovi, Myrrha & Maſtiche paratum applicare: interne exhiberi poſſunt Eſſentiæ alexipharmacæ, nec non temperata remedia analeptica, pro terroris idea extingvenda: præterea neceſſe eſt, ne alvus adſtringatur & cohibeatur, quare illius moderata lenitio & promotio neceſſaria erit. Pluribus conferatur *Schenckius Obſ. Medic. Lib. 7. de Venenis Animalium.*

CASUS XXII.

De

LYCANTHROPIA.

§. I.

PRæcedens tractatio ducit me ad præſentem conſiderationem, qua illum calamitoſum caſum exponere animus mihi eſt, quando homines a lupo quodam ſive famelico, ſive rabido, vulnerantur; quemadmodum alias violenta & ferina illa rapacitas lupis familiaris eſſe ſolet: contingit itaque præcipue in illis locis, ubi ob ſylvarum ſpiſſitudinem & multitudinem numeroſiores reperiuntur lupi, ut hyeme durius premente hæc animalia cum famelico ſtomacho homines aggrediantur, quam crudelitatem eo certius exſeqvuntur, quando illa cum rabie perfecta ſunt obſeſſa, ubi cum extrema rapacitate loca pererrant, hominesque offendunt: & ejusmodi morſus, ſive a famelico, ſive furibundo lupo committantur, nunquam periculo carent, licet gradu etiam differant: & hæc diſcretio in genere nititur diverſitate ſubjectorum, vel magis

vel minus ſenſibilium & partium, prout etiam ſenſibiliores exiſtunt: quo major enim atque profundior eſt talis læſio & ipſa pars ſubinde tenerior & ſenſibilior exiſtit, quo magis coincidunt repentina & pertinacia animi pathemata, maxime quidem extremus terror & quo magis in ſubjectis adſunt perverſæ quædam conſvetudines, eo magis tales morſus lupini periculoſi exiſtunt.

§. II. Morſus, qui a Lupo rabido infliguntur, communiter ſunt periculoſiores & affectum illum poſt ſe trahunt, quem Medici Rabiem ſive Inſaniam Lupinam, aut Lycanthropiam vocant, quando homines ſub illa morboſa dementia mores luporum aſſumunt; quo loco minime de Lycanthropia Magica ſermo mihi eſt, quæ conſiſtit in glaucomate quodam, quando figura humana in lupina transmutari dicitur: quicunque vero a tali furibundo lupo læſi ſunt, illi quoad ſingulas functiones gravisſimis alterationibus exponuntur & quidem quod morales actiones concernit, ejusmodi afflicti luporum inſtar ululant, rabidi oberrant, homines violenter aggrediuntur & rapacitatem exercere ſolent, quidquod in illa perſvaſione conſiſtunt, quod nunc in veros lupos converſi ſint, quærunt cavernas & latebras, cum aliis feris obambulare & converſari volunt, proinde valde moroſi & auſteri ſunt, fugiunt hominum conſortia, fugiunt etiam canes, crudam carnem comedunt, auferunt gallinas & volatilia domeſtica &c. quoad reliquas functiones pallent facie, internis ardent, lingva & fauces arent, vox eſt rauca & clangoſa, lingva tremula, cor palpitat & tremit, oculi ſunt fixi & ſcintillant, facies intumeſcit, pulſus modo eſt durus modo irregularis, adeſt gravis anguſtia præcordiorum, alvus eſt ſicca, urina turbida & parca, venæ intumeſcunt præcipue in capite, interdum ante os reperitur ſpuma, quandoque accidunt Hæmorrhagiæ, utplurimum ſupervenit irregularis commotio febrilis; in vulnerata parte oritur ſuſpectus tumor, gravis ardor, nonnunquam inflammatio, aut actualis Gangræna, dolor ſpaſticus, interdum pars livorem induit & corruptioni ſubjicitur, qualis nonnunquam cum extrema anguſtia ſupervenit: ſicut pluribus de hoc ſuſpecto & periculoſo affectu conferri poſſunt *Schenkius Lib. 7. Foreſtus Lib. 10. obſ. 25. Paulinus in hiſtoria rabidorum luporum, Marcellus de Inſania lupina & canina, Aetius in Tetrabiblo ſecundo Sect. 2. Cap. 11. Alexander Benedictus de Lycanthropia Lib. 1. Medicinæ Cap. 30. A. N. C. Dec. 2. an. 4. obſ. 79. Hildesheimius in Spicilegio, Sennertus, Platerus* & multi alii: ſicut de Lycanthropia Magica conferri poteſt *Deiſenius de Lycanthropia & in Diſſertationibus ſuis de Faſcino, Caſparus Schottus in Phyſica curioſa Lib. 1. Cap. 26. &c.*

§. III. Quod morſum a lupo famelico & non rabido commiſſum attinet, tunc & ille periculo nunquam caret, quoniam cum gravi vulneratione & partium dilaceratione contingit, hinc mox periculoſæ ſuperveniunt Hæmor-

morrhagiæ, quales ſi penitus defecerint in parte affecta, pernicioſa ſymptomata conſeqvuntur, ſiquidem mox graves tumores, periculoſi ardores, vehementes dolores, ominoſi rubores, impetuoſæ inflammationes, contumaces & exceſſivi ſpaſmi, actualis gangræna, aut perfectus Sphacelus ſuperveniunt: quando vero vulnus ſangvinem ſufficienter profudit, tunc nihilominus in affecta parte remanet gravis atonia, e quali interdum circa læſam partem ſuſpectæ intumeſcentiæ oriuntur: proinde etiam concurrunt anguſtiæ præcordiales, cordis tremores & palpitationes, tanto magis, ſi ideæ terroris animum tenacius detineant; pulſus eſt inordinatus, accidit turbulenta febrilis commotio, modo in calore modo in refrigerio conſiſtens, coincidit virium & appetitus dejectio, adeſt ſumma inquietudo, ſomnus eſt turbulentus & animus cum multis phantaſiis terribilibus & valde angentibus perturbatus: denique etiam quoad ordinarias evacuationes ſonticæ immutationes & perturbationes concurrunt.

§. IV. Ab hac Hiſtorica Lycanthropiæ conſideratione jam procedendum eſſet ad Pathologicam illus explicationem; ſed cum illa pathologia penitus conſentiat cum Hydrophobiæ ætiologia, niſi tantum in præſenti caſu ſpecialis applicatio neceſſaria ſit, ea propter non placet latius cauſalem talem deductionem repetere: idem etiam valet de Prognoſtica hujus caſus commendatione, ut & de cautelis practicis, ad hunc caſum applicandis: quemadmodum ſpecialis Therapia multis modis cum Hydrophobiæ practica tractatione conſentit: placet tamen hoc ordine illam ſpecialem Lycanthropiæ medendi methodum aggredi, ubi iterum primo loco illius caſus reminiſci placet, quando a lupo rabido homines læſi & commorſi ſunt: & in hac afflictione mox in initiis intrinſecus exhibere convenit cor aut hepar Lupi rabidi; deinde alvus mox eſt provocanda cum Clyſtere emolliente, roborante & leniter ſtimulante: quod ſi ſubjecta eximie plethorica fuerint, tempeſtiva Venæ Sectio univerſalis in pede inſtituenda eſt; deinde ſi neceſſitas requirit & ſymptomata urgent, etiam inciſio venarum raninarum admitti poteſt; porro adhibeantur alexipharmaca, quæ non modo ſangvinis motum in æqualem ſucceſſum transferunt, ſed & neceſſariam excretionem periphericam facilitant: hinc confert miſcela Eſſentiarum Pimpinellæ albæ, Vincetox. Gent. rubr. Valerian. Diptam. alb. Imperator. & Scordii: non minus conducit Pulvis e Radicibus pimpinellæ alb. & Gentianæ rubr. paratus.

§. V. Præterea etiam alia adminicula, ſangvinis repurgationi inſervientia, in hoc caſu conveniunt, uti ſunt Decocta paranda e Radicibus Apii, Bardanæ, Leviſtici, Liquiritiæ, Scorzoneræ, Cichorei, Chinæ, Pimpinellæ alb. Gent. rubr. Herbis Veronic. Scord. Scabioſ. Rutæ, Salviæ, Centaur. min. Floribus Sambuci, Anthos, Seminibus Carvi, Fœniculi, Corticibus Citri, Cinnamomi,

namomi, Paſſulis majoribus, addito tantillo Nitri, qualia Decocta etiam remiſceri poſſunt cum Syrupo Papav. rhæad. Rubi Idæi, de Betonica &c: ita etiam conveniunt Potiones ex Aquis diaphoreticis & analepticis parandæ, additis Antimonio diaphoret. Corall. rubr. præparatis & Confectione de Hyacintho: non minus conducit temperatus uſus Acidulorum, quo ipſam Mixturam ſimplicem refero: porro etiam Emulſiones conveniunt, parandæ ex Aquis diapnoicis & analepticis, nec non ex Amygdalis dulcibus, Semine Card. Mar. & Papaveris albi, in Subjectis robuſtioribus convenit Electuarium de Ovo cum Nuce Vomica, cum regimine ſubjuncto diaphoretico: interponi aliquando poſſunt vel ad mitigandos vel præoccupandos immoderatiores ſpasmos remedia Nitroſa & uſitati pulveres antiſpasmodici: de reliquo cura habenda eſt, quo patiens in congrua quiete conſervetur: æſtuoſum tamen regimen merito eſt vitandum.

§. VI. Cum hisce internis remediis in eodem caſu conjungi porro debent externa apta auxilia, ne in affecta parte periculoſa quædam corruptio oriatur: præſtat itaque tempeſtive ad vulneratam partem applicare pilos vel hepar de lupo rabido & ſi fieri poterit de illo, qui hunc morſum commiſit, qualia ſubjecta ſpecificam virtutem posſident: interdum confert modeſta Scarificatio & Cucurbitularum applicatio tempeſtive adminiſtranda, quo communicatum inquinamentum iterum mature extrahatur: aut proficit læſæ partis mundificatio, aut abſterſio cum vino calido, aut in caſu neceſſitatis actualis cauteriſatio admitti poteſt: magnam ſubinde utilitatem in ejusmodi vulnere habet Eſſentia Balſamica Stahliana, quo ſingula illa adminicula reliqua referri merentur, quæ in præcedente capite tam pro uſu topico, quam pro ſymptomatibus concurrentibus mitigandis laudata ſunt: quicquid vero in ejusmodi affectibus cum ſalubritate fieri poteſt, illud tempeſtive inſtituendum eſt, periculum enim eſt in mora: denique remedia impetuoſæ energiæ & valde commoventia ſtudioſe evitanda ſunt, quia non modo ſiniſtras commotiones excitant, promovent & confirmant, ſed & neceſſarias vires magis deſtruunt & opprimunt, id quod etiam de regimine æſtuoſo & immoderato valet: viciſſim etiam interna & externa refrigerantia ſedulo evitanda ſunt.

§. VII. Præterea brevibus ille caſus eſt hoc ordine attingendus, quando homines a lupo non rabioſo læſi ſunt, in quo paſſu interne proſunt remedia analeptica, quæ ideam terroris extingvunt, animum leniunt & erigunt, ut & temperantia & temperatiora alexipharmaca: adeoque in ipſa hac calamitate vini uſus confert; proinde proſunt Pulveres Nitroſo-Cinnabarini, Corallia rubra præparata, Species de Hyacintho, ut & in ſubjectis activioribus & floridioribus remedia acidulata, quæ in Julapiis roborantibus, analepticis & mode-

ſte

ſte diaphoreticis exhibenda ſunt: in ſubjectis admodum plethoricis & ubi ſuſpecta ſangvinis commotio præſumitur, conducit tempeſtiva Venæ Sectio: præterea etiam proſpiciendum eſt, quo alvus aperta & ab actuali obſtructione libera ſit: in ſubjectis floridioris ſangvinis convenit Mixtura ſimplex, in aliis conducunt Eſſentiæ alexipharmacæ & Tincturæ Bezoardicæ: regimen proinde conjungatur congruum non nimis æſtuoſum, ne orgaſticæ ſangvinis commotiones provocentur: & cum hisce pharmacevticis auxiliis conjungi proinde debent moralia adjumenta, quæ ad animi tranquillationem & terroris discusſionem quadrant: quamdiu enim anxietas illa moralis perſiſtit, tamdiu reliqua remedia exoptata ſuum effectum exſerere non poſſunt: denique etiam in nonnullis ſubjectis pediluvia proſunt, quæ ad præoccupationem congeſtionum anotericarum obtinendam ſatisfaciunt.

§. VIII. Quod ipſam læſionem & vulnerationem inductam concernit, tunc illa mox repurganda & eluenda eſt, ſive cum urina calida, ſive cum vino calefacto: non minus proficit abſterſio vulneris cum Decocto Valerian. Pimp. alb. Gent. rubr. Scordii & Menthæ, quo adhuc illa remedia ſpectant, quæ ſuperius ad morſum canum non rabidorum commendata proſtant: applicatio pilorum lupinorum ad afflictum vulnus perinde in hoc caſu utilis eſt: alias convenit ejusmodi læſionem ſufficienter mundificare, quo alia remedia balſamica Succinata & Myrrhata ſpectant; quo loco iterum laudanda eſt Eſſentia balſamica vulneraria Stahliana: in ambitu læſionis inductæ ad avertendum nimium & ſuſpectum humorum affluxum proſunt Camphorata, ſive Spiritus Vini camphoratus cum Eſſentia Croci mixtus, ſive Cataplasmata discutientia & nervina cum Croco & Camphora conjuncta, ſive Sacculi e discutientibus & nervinis remediis parati; proinde rectius abſtinendum eſt, ne ad hunc ambitum applicentur remedia acria concentrata volatilia, quæ magis immoderatum humorum affluxum provocant; neque etiam proſunt pingvia, glutinoſa, ungvinoſa, tenacia & acria emplaſtica: an illud Talisma Saturninum in tali caſu a *Kœnigio in A. N. C. Dec. 2. anno 1. obſ. 169.* commendatum veram aliquam utilitatem afferat, ulterior adhuc experientia erit concilianda.

CASUS XXIII.
DE
ICTU VESPARUM SIMILIUMQUE ANIMALIUM.

§. I.

FRequentioribus inopinatis & infortunatis caſibus merito præſens annumerari debet, quando homines in variis occaſionibus ab apibus, veſpis culicibus & diverſis muſcarum ſpeciebus læduntur, quam læſionem in variis ſubjectis & minora & majora atque periculoſiora pathemata excipiunt: hinc Medici cum ejusmodi conſiliis & auxiliis inſtructi eſſe debent, quo talium pathematum noxam avertere queant: non æque ſemper neceſſe eſt, quo talia animalia aculeum ſuum in punctura relinquant: licet de apibus conſtet, quod eundem amittant, eoque ipſo ob talem proprii ſui corporis comparative gravem læſionem vitam amittant: interim non in ejusmodi aculeis talium animalium virulentia quædam inquirenda & ſupponenda eſt, quoniam noxia pathemata aliam cauſam habere obſervantur: utplurimum vero evenit, ut talis punctura in ſubjectis ſenſibilioribus & impatientioribus noxam aliquam afferat, ſiquidem tales aculei cum dolorifica ſenſatione immittuntur, quam puncturam deinde excipiunt dolores, ardores, rubores, tumores, inflationes per momenta augeſcentes, quin tandem actuales inflammationes utplurimum eryſipelaceæ, aut quandoque penitus gangrænodeæ, quæ pathemata propterea omnino requirunt & tempeſtivam & efficacem medicationem, ne funeſti quidam eventus actualium corruptionum ſuperveniant.

§. II. Tanto magis ex ejusmodi punctura ſuſpecti & periculoſi affectus oriuntur in ſubjectis tenerioribus, floridioribus, activioribus & magis plethoricis & in quibus præſens plethora frequentioribus commotionibus expoſita eſt: & licet talis punctura valde exilis exiſtat, tamen pernicioſi effectus conſequentes interdum ſatis eximii ſunt, unde primaria culpa in illa ſingulari ſenſibilitate hæret, qua cum talis læſio excipitur: ſicut alias ſatis cognitum eſt, quomodo læſiones cum inſtrumentis acutis & acuminatis commiſſæ longe acerbiora & periculoſiora ſymptomata involvant: & ita etiam in tali caſu ejusmodi puncturis, tanto magis ſi impatientius fricentur, ſuperveniunt repentinæ,

con-

contumaces impetuoſæ & immoderatæ inflammationes cum graviori intumeſcentia partis: aliquando conjunguntur vehementes ſpaſmi, graves ardores, ardui dolores, palpitationes cordis, commotiones febriles, ſed irregulares, animi & corporis inquietudo, quin tandem, prout hiſtoriæ teſtantur, ipſe Sphacelus.

§. III. Poſteaquam brevibus Hiſtoricum conſpectum læſionis & puncturæ Veſparum & Apum tradiderim, ita brevibus jam Prognoſtica quædam animadverſio erit ſubnectenda: quo ſenſibiliores itaque ac teneriores ſunt homines, eo citius atque certius tales puncturæ incommodæ, aut plane periculoſæ evadunt: quo magis plethorica ſunt ſubjecta, eo facilius prædicta ſuſpecta pathemata talem puncturam excipiunt: quo magis tales homines plethoræ ſuæ commotionibus, impulſibus, moliminibus hæmorrhagicis, aut actualibus imminutionibus adſveti ſunt, eo certius tales moleſtiæ conſequuntur: quo magis tempeſtas eſt æſtuoſa & illo tempore in ſubjectis adeſt inſignis commotio atque expanſio ſangvinis, eo facilius graviora talia pathemata puncturam illam comitantur: quo magis poſt ejusmodi læſionem inquietudo animi atque corporis continuat, eo certius moleſtiæ illæ augeſcunt & acerbiorem indolem aſſumunt: quo immodeſtius tales puncturæ tractantur & modo calidis, modo frigidis alterationibus ſubjiciuntur, eo facilius deteriorantur: quo magis præcipitanter & impetuoſe hæc pathemata ſuperveniunt, eo gravius damnum imminet: quo citius actualis inflammatio, vehementes dolores, aut livores ſuperveniunt, eo periculoſior eſt ſtatus: quo gravius denique dolores invadunt atque inſiſtunt, eo magis ſuſpectus eſt ſtatus: denique etiam ſciendum eſt, quod ejusmodi puncturæ a ſylveſtribus talibus animalculis commiſſæ citius deteriorem indolem aſſumant, quam ſi domeſtica fuerint.

§. IV. Quod nunc in ordine attinet cauſalem præſentis caſus deductionem, tunc ex ipſa commemoratorum pathematum indole notandum eſt, quomodo morbidæ illæ afflictiones proprie illam læſionem inductam proſequantur & circa illam concentrentur; haud vero tanta virulentia hiſce animalibus eſt adſcribenda, quæ deinde cum illis pathematibus connecti deberet, ſed potius ipſa perceptio inductæ læſionis accuſanda & perpendenda eſt: ſicut enim talis punctura cum acuto & valde ſenſibili dolore inducta fuit, ita nunc eundem natura tantis repentinis & impetuoſis congeſtoriis commotionibus proſequitur, qui ipſe etiam eſt ille nexus inter has congeſtiones & prægreſſam dolorificam puncturam, ſiquidem in expugnandis & removendis moleſtis & adverſis ſubjectis atque objectis natura nihil aliud in ſua poteſtate habet, quam motus; unde in hac neceſſitate cum iisdem motibus congeſtoriis hunc eximium dolorem avertere contendit; & quamvis tales motus ita ſpecifice fini pro-

 poſi-

poſito non reſpondeant, tamen hoc negotium rectius ex ipſo conatu, reſpectu & directorio naturæ erit dijudicandum: quo majori, immoderatiori, incontinentiori & impatientiori ſenſu hæc læſio excepta fuit, eo impetuoſiori & immoderatiori tali motu natura eandem proſequitur: & hinc oriuntur inflammationes, Spaſmi, Febriles commotiones & ſi tales inflammatoriæ commotiones ſiniſtre decurrunt luctuoſæ corruptiones denique excipiunt: deinique *Ludovici in A.N.C. dec. 1. an. 8. obſ. 67.* pathemata talia liquamini ſemitoxico ſangvini immixto ex apibus prodeunti adſcribit.

§. V. Proximum nunc erit, ut præſentis caſus medicam tractationem ſubjungam: ſicut vero talis affectus maxima ſenſibilitate nititur, ita etiam in medicatione illius rite adminiſtranda omnis circumſpectio requiritur propterea ante omnia cavendum eſt; 1) a topicis remediis calefacientibus, valde acribus & partem magis magisque irritantibus 2) a præpoſtero uſu repellentium & refrigerantium, quæ tunc imprimis noxam exſerunt, quando jam perfecta & fortis inflammatio adeſt. 3) a confuſa applicatione calefacientium & refrigerantium. 4) a remediis concentratis & oleoſis deſtillatis, quæ affluxum humorum magis augent atque accelerant. 5) a medicamentis pinguibus, ungvinoſis, oleoſis, valde emollientibus & nimium relaxantibus, 6) ab emplaſticis tenacibus & acribus, 7) a negligentiori tractatione imminentis & inſiſtentis affluxus humorum, 8) a frictione & immoderata offenſione partis affectæ, 9) a negligentiori congeſtionis, impetuoſius inſultantis, tractatione, unde evenit, ut talis congeſtorius motus nunc citius in actualem inflammationem degeneret, 10) a nimis inconſtanti, variata & multiplicata remediorum oblatione, unde contingit, ut pars affecta magis exacerbetur, 11) ab internis medicamentis tam bezoardicis, quam nervinis, ſangvinem valde commoventibus & denique 12) à qualicunque perverſo & immoderato regimine.

§. VI. In ſpecialiori cura præſentis caſus ante omnia cavendum eſt, ne inducta punctura cum immoderata quadam frictione offendatur; alias non modo ſuſpectus humorum affluxus, ſed & perículoſa quædam inflammatio invitatur atque acceleratur: rectius itaque in hoc caſu dolor eſt mitigandus atque leniendus & affluxus humorum intercipiendus atque diſcutiendus: hinc ad doloris mitigationem ipſum lac tepidum ſive ſimplicius, aut lac cum floribus Chamomillæ & tantillo Croci commixtum, proficit: *Riverius* ad hunc caſum *Cent. 3. obſ. 45.* commendat cepas vel aſſatas, vel ſimpliciter contuſas, qui perinde Theriacam quadantenus ſolutam ad partem affectam applicandam ordinat: præterea etiam ad eundem finem obtinendum quadrant Linimenta ex oleo Liliorum alb. Chamomillæ, Roſaceo, Spermatis Ranarum, Ceruſſa alba præparata & Camphora, parata: ſicut in eodem caſu ſimplicior Ceræ virgineæ applicatio conducit: & quando adhuc inflammatio deeſt, Sebum aut Axungia

mun-

munda admitti poſſunt, quæ tamen præſente inflammatione omittenda ſunt: ſubinde etiam Cataplaſmata e Farina Hordei, Fabarum, Herba Malvæ, Meliſſæ, Floribus Chamomillæ, Croco Orientali, Camphora & Aceto Roſaceo facta proſunt: vulgo commendantur Folia Malvæ & Meliſſæ recentia contuſa extrinſecus applicanda.

§. VII. Præter hæc experimenta paſſim adhuc varia probata atque utilia commendantur, unde quidam per vulgare experimentum ordinant, quo punctura cum terra frigida modeſtius fricetur, ubi magis frigus, quam terra, operationem ſuam exſerere debet; ſicut terræ frigidæ aut lutoſæ veram talem utilitatem aliquoties approbatam ſingulari hiſtoria deſcribit Staudigel in *A. N. C. Dec. 3. an. 7. & 8. obſ. 194.*; *Welſchius* ad ejusmodi puncturas admodum commendat applicationem Salviæ recenter contuſæ *Dec. 1. an. 8. obſ. 35.* Veterum experimentum fuit, quo pars læſa cum cineribus moderate fricetur; ſicut alii ad imitationem illorum Emplaſtrum e Cineribus, Cepis, Oleo Olivarum & Fermento paratum pro hac neceſſitate non ſine fructu applicant: nonnulli præcipiunt, quo pars affecta cum aqua ſalita, abluatur; alii impoſitionem Caricarum pingvium laudant: quidam ordinant lentes paluſtres, tempeſtive applicandos, e lacu modo exemtos: nonnulli practici jubent, quo talia animalcula contrita læſioni imponantur, quod experimentum vero nondum in experientia ſufficienter probatum eſt: quidam de impoſitione Naſturtii aquatici recenter contuſi perhibent, quod dolorem mitiget & tumorem reſolvat.

§. VIII. Praterea nonnulli practicorum, aſt præter ullam urgentem neceſſitatem, ad virulentiam præſumtam, ab interno corpore arcendam, e tali punctura ſuppoſitam, commendant pro uſu interno Coriandrum cum Saccharo remixtum, quod experimentum vero nullius momenti eſt: neque quidem propterea in hoc caſu interna quædam adminicula omittenda ſunt, ſed præſtat in ſubjectis plethoricis, activioribus, floridioris habitus & in commotiones plethoræpronis interne uſurpare remedia abſorbentia, nitroſa, coralliata, lenientia, gelatinoſa, mucilaginoſa, emulſiva, lacticinia, temperata acidulata, quo imminentes motus congeſtorii, orgaſtici, inflammatorii tempeſtive præoccupentur: quod ſi etiam in ſubjectis valde plethoricis repentina quædam gangrænodea inflammatio immineat, tunc in tali neceſſitate tempeſtiva V. Sectio ordinanda eſt: denique ad veſparum puncturam *Ettmullerus in Chirurgia Medica*, ubi de *Vulneribus Venenatis* tractat, commendat Oleum Scorpionum vetus pro uſu externo, aut emplaſtrum de Ranis Vigonis cum Mercurio, quod ſuo loco ad ulteriorem uſum practicum commendo.

CASUS XXIV.
DE
CANTHARIDUM NOXA INTERNA.

§. I.

PRæſens obſervatio paulo magis in familiarem praxin medicam ſe extendit, in qua vulgo cantharides interne æque ac externe adhiberi ſolent: quam ſuſpectus vero illorum uſus internus ſit, facile ex externa eorundem applicatione colligere licet, dum partes externas etiam robuſtiores cutaneas corroſivo & ſtimulanti quodam effectu offendunt; (licet de Hungaris ultra Tibiſcum habitantibus referant, quod decem cantharides ſine damno devorent) tanto magis idem efficient in internis partibus, quæ ſenſibiliores, molliores & teneriores exiſtunt, ſive tunicaceæ, ſive membranaceæ & nervoſæ fuerint: tanto magis in interioribus corporis periculoſis effectibus ſe ſe produnt, dum in interno corpore vulgo major eſt ſenſibilitas & nervi copioſius atque latius diſperſi ſunt: & quamvis illorum externus uſus adeo potens atque ſuſpectus bene obſervetur, tamen non raro eadem animalcula ad internas applicationes ordinantur, ſiquidem nonnunquam pro ſcopo aphrodiſiaco, aliquando adverſus calculum, interdum ad ſtimulandam diureſin, quandoque ad Gonorrhœam commendati obſervantur, ubi tamen non deſunt ejusmodi exempla ſiniſtrorum effectuum, a tali uſu provenientium, ut adeo nonnunquam ille caſus in praxi medica ſe ſe offerat, ubi huic damno imminenti & præſenti attentus practicus obviam ire debet.

§. II. Primum itaque officium erit in explicatione hujus caſus, quo hiſtorico quodam conſpectu indicem, qualia nocumenta internum cantharidum uſum conſequantur, quorum omnino varia, in ſuperque ſontica in Hiſtoria practica obſervantur: ita enim conſtat, quomdo internus Cantharidum uſus interdum poſt ſe traxerit ſuſpectum ardorem internum, incontinentiam urinæ, lumborum dolorem, aut hujus regionis graves ſpaſmos & ſuſpectam ſtricturam, periculoſum mictum cruentum, inflammationem renum atque veſicæ, anomalas commotiones febriles, exulcerationem veſicæ & urethræ, intenſiſſimam ſtranguriam, inflammationem hepatis, eroſionem inteſtinorum, fluxum dyſenteriodeum, tormina convulſiva, aliosque corporis motus convulſivos,

ſivos, regionis hypogaſtricæ dolorem varium atque gravem, laſſitudinem eximiam inferioris corporis regionis, virium proſtrationem inſignem, quin plane mentis motiones, quandoque ſuſpectam inflationem hypochondriorum, aliquando conjunctam vertiginoſam perturbationem, nauſeam, vomitus vehementes, dejectiones impetuoſas alvinas, animi deliquia, ſpeciem priapiſmi, tumorem ſcroti, inflammationem & ardorem intenſisſimum genitalium & interdum etiam plane mortiferum eventum: ex quibus ſingulis pathematibus facile liquet, quam ſuſpectus & periculoſus ſit cantharidum uſus internus, ita, ut propterea maxima cautela opus ſit in praxi medica, ne ejusmodi compoſitiones quas cantharides ingrediuntur facile, aut indiſcretim adhibeantur.

§. III. Quemadmodum internus Cantharidum uſus adeo ſuſpectus deprehenſus fuit, ita tanto magis horum noxiorum pathematum invaſio valde periculoſa obſervata fuit in ſubjectis plethoricis, ſangvineis, floridioribus, activioribus, magis iracundis, nec non in laſcivis, calculoſis, gravidis, infantibus, aut etiam ſenibus: etenim in calculoſis diſponunt Cantharides uſu interno ad lethales inflammationes, ad oppreſionem urinæ, ad dolores intolerabiles, ardores gravisſimos & plane ad internum Sphacelum: in gravidis abortus provocant, in infantibus atrocisſimas convulſiones excitant; quid quod ſubinde allegantur ab obſervatoribus exempla, quomodo externus Cantharidum uſus diabeten lethalem, nec non Mictum cruentum & Stranguriam provocaverit: *conferantur A. N. C. Dec. 2. an. 7. obſ. 86. Dec. 1. an. 7. Johannis Langii lib. 1. Epiſt. 47. Hildanus Cent. 6. obſ. 96. Bartholinus Hiſtoriarum Anatomicarum Cent. 5. obſ. 21:* ita etiam Cantharidum uſum ad Venerem periculoſum deſcribit *Salmuthus Cent. 3. obſ. 23:* De reliquo internum illorum periculoſum uſum recenſent *Smetius lib. 10. Miſcellaneorum Medicorum, Dioſcorides lib. 6. cap.* 1. *Bartholinus Hiſtoriarum Anatomicarum Cent.* 5. *obſ. 82. Schenckius lib. 7. de Venenis, Hildanus Cent. 6. obſ. 99. Andreas Baccius in Prolegomenis Venenorum & Antidotorum, Guldenklee lib.* 7. *Caſ. 20. Hœferus in Hercule Medico lib. 3. cap.* 4. *Sennertus Praxeos Medicæ lib. 6. part. 8. cap. 26. A. N. C. Dec. 1. an. 10. obſ.* 48 (ubi pſeudomedicus alicui exhibuit drachmas duas Cantharidum, Scincum marinum & rad. ſatyrionis, pro ſcopo venerem ſtimulante, unde contigit, ut æger undecimo die mortuus ſit) *Dec. 2. an.* 7. *obſ.* 237. & pasſim alii.

§. IV. Quamvis quidem plurima prædictorum pathematum ita conſtituta ſint, ut nunquam periculo careant; tamen ſeorſim adhuc circa Prognoſticam hujus caſus animadverſionem notare convenit, quomodo nonnulla horum pathematum alia gravitate atque pernicie ſuperent: quo magis itaque ſubjecta ſenſibilia & in functionibus ſuis moralibus atque vitalibus mobilia æque, atque præcipitia ſunt, eo magis periculoſi illi evadunt affectus, qui a tali Cantha-

tharidum interno uſu pendent: quo magis poſt hunc uſum ordinariæ excretiones turbantur aut ſufflaminantur, eo magis periculoſus eſt ſtatus: quando hunc uſum actuales Hæmorrhagiæ ſeqvuntur, malum eſt ſignum: inflammationes quæ hunc uſum intrinſecus excipiunt valde periculoſæ ſunt: tanto magis malum eſt ſignum, quando perfectæ convulſiones, aut contumaciores ſpaſmi conſeqvuntur: periculoſi etiam ſunt interni & continui ardores: quid quod eximium periculum portendunt animi alterationes, ſive deliquia: confuſæ febriles commotiones periculum præſagiunt: horripilationes externæ & angores atque ardores interni perinde perniciem minantur: pathemata ſingultuoſa extreme ſunt calamitoſa: quando alias ſubjecta anomalicis commotionibus obnoxia fuerunt, tunc eo magis periculoſæ evadunt alterationes ex ejusmodi uſu Cantharidum emergentes.

§. V. Cauſalis deductio præſentis caſus primario animum ducit ad phyſicam Cantharidum efficaciam, quæ ſenſibus admodum conſpicua eſt: dum enim hæc animalia Sal cauſticum valde potens atque largum continent, hinc in partes teneriores illum effectum pernicioſum corroſivum & ſtimulantem abunde exſerunt & inſtar veneni operantur, dum non modo acerrimas eroſiones & conjunctas ſangvinis profuſiones cauſantur, ut ſuſpectæ Hæmorrhagiæ conſequantur, ſed & dum partes adeo ſtimulant, ut impetuoſæ congeſtiones & ſuſpectæ inflammationes ſuperveniant, quibus deinde febriles commotiones admodum irregulares conjunguntur; quid quod accidit, ut propter tales immoderatos ſtimulos ſuſpecti ſpasmi actuales convulſiones oriantur, cum quibus commotionibus in tam periculoſo ſtatu qualemcunque præſentis noxæ averſionem natura proſequitur: ſubinde varia molimina excretoria inſultant, quæ hujus noxii affectus remotionem concernunt: porro ſeorſim contingit, ut, quando ſal illud cauſticum Cantharidum intimius propagatum fuit & primas regiones, aut ipſos renes occupavit, tunc in hisce partibus vehementes commotiones ſpasmodicæ congeſtoriæ & inflammatoriæ oriantur, aut ex ejusmodi locis confuſæ & morbidæ excretiones prodeant, quæ totum ſtatum œconomiæ vitalis valde turbatum declarant, ut ita in ſpecimine prædictorum pathematum ſatis evidenter occurrat lucta naturæ cum illo pernicioſo corroſivo effectu quemadmodum in ſubjectis, ex ejusmodi caſu demortuis, intrinſecus talia damna funeſtæ eroſionis abunde conſpiciuntur.

§. VI. Quando nunc ordo me ducit ad Therapevticam præſentis caſus explicationem, tunc antea ſignificandæ erunt illæ perverſæ medicationes, quæ potius in præſenti afflictione magis nocent, quam proſunt: & cum in hac neceſſitate omnino ſingulari capacitate & dexteritate opus ſit, ita eo magis practica officia cum ſingulari circumſpectione adminiſtranda erunt: eapropter

cavere

cavere convenit 1) a quibuscunque impetuoſis artificialibus & cum ſingulari partium ſtimulo procedentibus evacuationibus 2) a negligentiori neceſſariarum & ordinariarum excretionum promotione 3) ab evacuationum ſymptomaticarum, impetuoſarum & copioſarum, repentina oppreſſione atque confuſione aut plenaria exacerbatione 4) a remediis acribus calefacientibus, ſangvinem commoventibus, concentratis, ſpirituoſis nervinis &c. 5) a Salium volatilium, tanto magis vero oleoſorum, curatorio uſu 6) a vulgari refrigerantium ita dictorum oblatione 7) a remediis poſitive vias occludentibus, aut ita dictis adſtringentibus 8) a vulgari commendatione & oblatione narcoticorum remediorum 9) a quibusvis medicamentis motus vel nimium augentibus, vel ſimul & ſemel obruentibus & coercentibus 10) a præmatura aut nuda ſymptomatum concurſantium mitigatione & cardinalis mali negligentiori tractatione 11) ab inquieto atque confuſo regimine & denique 12) a nimis prodiga atque confuſa medicamentorum oblatione.

§. VII. Excipit jam poſitiva hujus caſus medicatio, quæ tali ordine exercenda eſt, ut, ſi remedium illud ex Cantharidibus conſtans modo aſſumtum eſt & in ventriculo adhuc præſumitur, tunc tempeſtiva, congrua tamen evomitio excitanda ſit, quæ per leniſſima maximeque ſecura adminicula provocari debet: & hoc loco convenit exhibere pingvia, ut oleum amygdalarum dulcium, Olivarum ad unam vel alteram unciam, Cereviſiam calidam pingvefactam, aut cum Oleo mixtam, vel juſcula pingvia, poſt quorum ingeſtionem leni enchireſi ipſe vomitus excitandus eſt: quod ſi in hoc caſu ſimul tormina moleſta concurrant, tunc oretenus exhibenda ſunt lenientia remedia ſimpliciora, qualiacunque illa fuerint; & deinde ſubordinare convenit Clyſteres emollientes, oleoſos, pingves: ſi jam Cantharides in maſſam humorum & intimiores partes delati ſunt, tunc conveniunt lenientia, mucilaginoſa, gelatinoſa, pingvia, juſcula gallinacea, Cremor Hordei, Lac calidum, Emulſiones e nucleis pingvibus paratæ, Decocta e Cornu Cervi, Hordeo, caricis pingvibus, Floribus Chamomillæ, Liliorum alborum, Paſſulis majoribus facta, quibus addere licet Syrupum Violarum, Althææ, Mucilaginem Pſyllii, Tragacantham, Gummi Arabicum, Amylum &c. Species refrigerantes, quæ vulgo in hoc affectu commendantur, nullam ſingularem utilitatem habent, ſed ſi prædicta lenientia præmiſſa fuerunt, tunc ſubordinare convenit temperanttia, velut pulveres abſorbentes nitroſos, Corallia rubra præparata & deinde ſubordinare decet Mixturam Eſſentiarum roborantium ex Eſſentia Pimpin. alb. Cort. Aurant. & Gent, rubr. paratam, quo exacerbatæ commotiones in primis regionibus ulterius mitigentur: ſicut in eodem caſu & pro hoc eodem ſcopo Corticis Chaccarillæ uſus ſubjunctus conducit.

 §. VIII.

§. VIII. Præter prædicta auxilia probata & efficacia in hoc affectu utilia adhuc paſſim a diverſis Practicis ſpecialiora ad hunc caſum commendantur & ita *Vidus Vidius* laudat Smaragdum præparatum; alii ut *Dioſcorides* & ex illo *Sennertus* ordinant Pulegium, vel in ſubſtantia, vel in Decocto; qualia remedia vero nondum hactenus approbationem ſuam invenerunt: *Platerus* commendat Decoctum Seminis Lini & iterum alii Oryzam decoctam laudant, quæ poſteriora tantum juvant ac prædicta lenientia & emollientia: quando in Veſica urinaria & Urethra dolores atque ardores occurrunt, tunc conveniunt Injectiones in eandem applicandæ, Decoctorum emollientium cum lacte paratorum, cum additamento olei lenientis: ſymptomata quæ extrinſecus conſpectui ſeſe offerunt, ut ſunt tumores, inflammationes & ardores, tractanda ſunt cum remediis lenientibus & diſcutientibus; balnea in hoc caſu parum conducunt: regioni pectinis applicanda ſunt Linimenta ex oleis emollientibus & oleo deſtillato Fœniculi, Corticum Aurantiorum, Gentianæ rubræ, Nucis Moſchatæ, Cera Virginea & Camphora paranda: ſub quorum ſingulorum tam internorum, quam externorum remediorum uſu etiam conjungere convenit medicamenta analeptica virium conſervationi dicata; interim a vini uſu abſtinendum eſt, quia diureticam efficaciam habet: & quando maximum periculum ſuperatum eſt, tunc convenit diæta legitima & magis leniens, diluens, modeſte aromatica, non admodum ſapida, ſalſa, aut ex cibis craſſis conſtans, ſed temperata, ſub qua gelatinoſa, lacticinia, mucilaginoſa & pultacea in uſum trahi poſſunt.

CASUS XXV.

DE

POTU AQUÆ FORTIS.

§. I.

QUanquam in præcedentibus tractationibus nonnullæ conſiderationes occurrunt, quæ ad præſentem obſervationem collimant, ubi tales caſus propoſiti fuere, quomodo ingeſta corroſiva ſubjecta præſentaneam aliquam noxam intulerunt, adeoque extemporaneum artificis auxilium poſtularunt; tamen hujus caſus ſeorſim mentionem facere lubet, quando Aqua fortis vel ex ignorantia, vel ex deſtinato & malitioſo propoſito hau-

ſta fuit, quæ propterea repentinum quoddam damnum excitavit, ut ſubinde in tali afflictione præſentanea medela neceſſaria fuerit: ita enim tales caſus obtigerunt, ut ex aliquali negligentia, aut negligenti obſervatione loco aquæ fontanæ, aut aquæ roſarum, certis Mixturis, in formula præſcriptis, Aqua fortis, aut Aqua regia addita fuerit: ita etiam contigit, ut talis Spiritus corroſivus loco Aquæ deſtillatæ aut Spiritus ardentis ingeſtus fuerit, cujusmodi caſus proponuntur in *A. N. C. Dec. 2. anno 2. obſ. 54. Dec. 1. anno 4. & 5. obſ. 119; Stalpartus* von der *Wiel Obſervationum rariorum 44. Ronſeus Epiſtolarum Medicarum 9; Poterius Cent. 2. obſ. 59.* &c: ſicut etiam interdum ab hominibus deſperatis ad vitam abbreviandam talis corroſiva aqua ingurgitata fuit, quæ etiam, ſi non ſemper lethalem illum effectum præſtitit, tamen varias ſonticas calamitates intulit.

§. II. Præcipue etiam in medicina forenſi hic caſus non raro occurrit, ubi cum ejusmodi Spiritu corroſivo veneficia parantur, ſicut in ſuis collectaneis atque *novellis medicis Valentini Caſu 29. de Spiritus Vitrioli noxa* in tali caſu agit, qui diverſis Facultatibus medicis ad decidendum communicatus fuit & qui caſus illethalitatem Spiritus Vitrioli ſecundum deciſionem Univerſitatis Halenſis & Rindlenſis prodit: quod ſi itaque talis hauſtus proximam lethalitatem afferre debet, tunc requiritur, quo talis Spiritus corroſivus ſimul & ſemel in notabili quantitate, tanto magis vero ſine vehiculo, ingeratur: quod ſi viciſſim in refracta quantitate & ſucceſſive tanto magis cum largo vehiculo offeratur, tunc poſitivam illam lethalitatem non cauſatur: interim probe diſcernendæ ſunt circumſtantiæ, quæ in tali ſubjecto ſimul coincidunt, cui corroſivus talis Spiritus exhibitus fuit & ita conſtat, quomodo a plurimis annis familiaris ille uſus ſit in morbis malignis acida & ipſos tales Spiritus corroſivos dilutos exhibere: quemadmodum Mixtura ſimplex eſt famoſum & utile tale compoſitum, quod virtutem ſuam in talibus affectibus longe ſecuriorem & ſinceriorem præ Salibus volatilibus, antidotalibus, bezoardicis & camphoratis obtulit: porro etiam explorare convenit, an ejusmodi ſubjectum aliqua interna labe laboret, ut ulcere interno, in quali caſu deinde edulcorata talia acida ex accidenti & non abſolute mortem inferunt &c. quales conſiderationes multum lucis affundunt in deciſionibus legalibus medicis rite conficiendis.

§. III. Quando itaque Aquæ fortis ſub prædictis circumſtantiis, ad noxam inferendam capacibus, commiſſa ingeſtio contigit, tunc varia pathemata tempeſtivam & efficacem medelam requirentia occurrunt, e quibus nonnulla hoc loco recenſere lubet, videlicet infelicem talem ingeſtionem mox excipit ardor in faucibus & œſophago, ut & in ventriculo, deinceps anguſtia eximia præcordialis, nec non dolor intenſiſſimus internus, anxius conatus vo-

 mendi

mendi & actualis plane vomitus cum multa anguſtatione decurrens, ventriculi perfecta inflammatio, ſebris anomala, torminoſus cruciatus, dolor hypochondriorum, aſthma ſuffocativum, perturbatio vertiginoſa, fluxus dyſentericus, aut ſecundum obſervationem Poterii Lientericus, graves virium proſtrationes, faucium inflammationes, pericula ſuffocationis & plura alia, ſicut tales cruciatus ad mortem usque continuatos latius deſcripſit *Seidelius de Morbis mirabilibus:* pluribus conferatur *Henricus ab Heer Obſ. 16. Hoechſtetterus Decade 3. Caſ. 3. Foreſtus Lib. 15. Obſ. 30:* ita interdum ex accidentali plane caſu ſalutaris deprehenſa fuit ingeſtio Aquæ fortis, uti loco citato *Foreſtus* etiam allegat, pluribus conferantur *A. N. C. Dec. 2. anno 2. obſ. 34:* denique obſervarunt nonnulli autores in ſubjectis e tali infelici hauſtu demortuis, quomodo in ventriculo flaveſcens aut nigricans eſchara inventa fuerit.

§. IV. Paucis placet hoc ordine nonnulla ad Pathologiam hujus caſus ſpectantia addere, ubi iterum ſermo mihi eſt de illo ſtatu, in quo ingeſtio Aquæ fortis poſitivam & extemporaneam noxam affert; haud quidem ita indiſcretim aſſeri poteſt, quod qualiscunque hujus corroſivi Spiritus ingeſtio innoxia ſit, ſiquidem in ſtatu minus convenienti vel minor quantitas hujus Spiritus aſſumta ſanitati contrariatur, dum aciditas illa etiamſi nullam actualem corroſionem ventriculi faucium & œſophagi cauſetur, tamen ſuſpectam incraſſationem & inquinationem humorum & conjunctam adſtrictionem viarum poſt ſe ducit: tanto magis ejusmodi corroſivæ aciditates internam aliquam labem deteriorant & inquinant, licet non æque tam cito mors conſequatur: quando vero tales Spiritus corroſivi in ſimpliciori conſiſtentia & magna quantitate ingeſti ſunt, tunc poſitivam noxam pariunt, dum partes ſenſibiles arrodunt, excoriant & valde vellicant, hinc ſuperveniunt graves dolores, vehementes ardores, congeſtiones, inflammationes, ſpasmi aut convulſivi & febriles motus, quippe quæ ſingulæ commotiones huic perniciei atque læſioni opponuntur, quo damna imminentia ceſſent & removeantur: hæc enim ſunt naturæ humanæ arma, quibus cum talibus internis damnis reſiſtere poteſt & ſi eadem in tali neceſſitate exoptatum finem minus aſſequitur, tunc temerarium eſſet eandem culpare velle, quæ tamen alia auxilia, quibuscum efficacius pericula talia avertere poſſet, in ſua poteſtate non habet.

§. V. Series tractationis me quidem ducit ad Prognoſticam doctrinam & privativam Therapiam ad hunc caſum accommodandam; ſed cum præcedentium caſuum, qui ſimilem conſiderationem involvunt, utriusq; tractationis ad præſentem affectum quadrantis, ordo & animadverſio huc pertineat, ita proximum erit, quo mox ad poſitivam præſentis caſus therapiam progrediar: in hac quidem

neceſſe

neceſſe eſt, quo ingeſta talis aqua corroſiva tempeſtive revomatur, quando adhuc in ventriculo præſumitur: & talis excretio facilitatur per tempeſtivam aſſumtionem ſimplicioris aquæ calidæ, aut decocti C. C. vel alterius mucilaginoſi & gelatinoſi, cum abſorbente quodam remedio mixti, quale Decoctum non prodigis hauſtibus, ſed potius ſuccesſive excipiendum eſt: proinde conveniunt in hac necesſitate remedia, quæ partes affectas leniunt, elubricant & ſimul corroſivum Spiritum infirmant: quo nomine proficit Lac calidum, cereviſia calida cum butyro mixta, emulſiones pingviores cum abſorbente remedio mixtæ, olea lenientia, Decocta e Speciebus emollientibus parata, addito Syrupo Roſarum & Althææ, nec non Linctus e mucilagine Pſyllii, oleo Liliorum alborum, Gummi Tragacanthæ, Syrupo violarum & Melle Roſato parati, quo alia diætetica auxilia ejusdem efficaciæ referri merentur.

§. VI. Hisce remediis aſſocianda ſunt juſcula gallinacea, pingvia, gelatinoſa, gelatina C. C. nec non liquidiora pultacea, abſorbentia remedia cum Decoctis aquoſis exhibita; ubi tamen cavendum eſt, ne exhibeantur terrea adſtringentia & bolaria, neve ſincera abſorbentia cum pingvibus remiſceantur, alias corroſiva ingeſta cum talibus abſorbentibus non congrediuntur: adeoque prædictis Decoctis lenientibus modeſta quantitate Tragacantham & Gummi Arabicum commiſcere licet: imprimis confert formulas liqvidas exhibere & præoccupare, ne aliqua incraſſatio ſuſpecta in primis regionibus provocetur: in *A. N. C. Dec. 3. anno 7 & 8 obſ. 177* ſimplicior potus aquæ frigidæ contra damna hæc ex aqua forti hauſta enata laudatur; cum vero frigus ſiniſtris conſecutionibus anſam præbeat, hinc tepida aqua majoris utilitatis & ſecuritatis erit: quando in abdomine tormina eximia concurrunt, tunc non modo Clyſteres emollientes & modeſte roborantes conveniunt, ſed & Decoctis prædictis emollientibus etiam mitiora carminativa conjungere convenit: quæ ſingula ſi ſufficienter præmiſſa fuerint, tunc confert tam e fonte diætetico, quam pharmacevtico temperatiora carminativa exhibere: quando vero ſub reliqua cura interna excoriatio præſumitur, tunc Decoctis lenientibus mellita roſacea & ſimilia abſtergentia cum fructu conjungere licet.

CASUS XXVI.

DE

VEGETABILIUM PERNICIOSORUM INCAUTA COMESTIONE.

§. I.

IN quocunque regno naturæ talia occurrunt ſubjecta, quæ corporis humani integritati inimica ſunt, adeoque eidem admoveri & applicari non debent: evenit vero interdum, ut virulenta talia vegetabilia ex craſſa quadam ignorantia aut negligentia cum aliis domeſticis & conſvetis vegetabilibus commiſceantur & aſſumantur: ſicut exempla talia de Hyoſcyamo, Napello, Cicuta, Solano & diverſis fungi ſpeciebus inter obſervatores occurrunt, quales ſpecies propterea tam repentinum & inopinatum damnum inferunt, ut tempeſtiva & expedita medela opus ſit, ſiquidem ipſa experientia teſte e comeſtione, talium ſubjectorum interdum mors repentina ingruit: ob id non modo conſultum eſt, quo artifici conſtent ejusmodi caſus, ſed & quo diverſitas pathematum morbidorum e diverſis ejusmodi nocivis ſubſtantiis provenientium, ſufficienter cognita ſit: quæ notitia aliquando ad minimum eo quadrat, quo medicus e veriori fundamento præſumere poſſit, qualis ſpecies pernicioſi ejusmodi ſubjecti aſſumta fuerit: illud enim ex obſervatione ſcire convenit, quomodo virulenta ſubjecta discrepantem ſpecialisſimam efficaciam habeant & quomodo ſecundum hanc diverſitatem etiam pathemata morbida varient: ſicut quædam horum ſubjectorum impetuoſe & præſentanee noxam cauſari ſolent; dum alia vicisſim ſubjecta nociva quidem exiſtunt, ſed tam repentinum pernicioſum effectum & eventum minus involvunt.

§. II. Morbida pathemata, quæ improvida talis comeſtio pernicioſarum vegetabilium ſubſtantiarum cauſatur, non modo multiplicia, ſed & ſontica maximeque urgentia ſunt, e quibus aliquot hoc loco in hiſtorico conſpectu enarrare lubet: ſunt vero eximius ardor & aſperitas faucium, inſolita ſiccitas & intumeſcentia lingvæ, inflammatio in faucibus & œſophago obvia, graviſſimus harum partium dolor, metus ſtrangulationis, extrema cardialgia in lypothymiam valde proclivis, ſenſuum externorum hebetudo, affectus ſoporoſi, torpores extremi, magnæ virium dejectiones, deliria furibunda, torſiones

nes Ventriculi acutiſſimæ, iliorum & hypochondriorum afflictiones tormino-ſæ, anxii conatus vomendi, cordis palpitationes & tremores, pulſus inæqualis, tremulus, debilis, celer, confuſus, depreſſus, ſudor frigidus, ſtridores dentium, varia ſpecimina motionis mentis, vomitus convulſivi & bilioſi, tormina inteſtinorum, dilacerationem & rupturam quaſi harum partium æmulantia, perturbationes vertiginoſæ, extremitatum refrigerationes, internorum ardores, alvi & urinæ ſuppresſiones, pericula ſuffocationis, ſingultus, lethales, aliaque pathemata, quorum mentio occurrit in *Wepferi* Tractatu de *Cicuta Aquatica*; apud *Baricellum de Fungis venenoſis*, *Schenckium*, *Mercurialem*, *Sennertum*, *Platerum*, *Bonetum* & in variis obſervationibus *A. N. Curioſorum*, quales hiſtoriæ ex diverſis ſpeciebus vegetabilium aſſumtorum collectæ pro ulteriori hujus hiſtorici conſpectus amplificatione conciliari debent.

§. III. Quæ ad Prognoſin in tali caſu ſpectant, illa facile ex ipſa hiſtoria illius & præcedentibus patent, ſiquidem in primo harum circumſtantiarum commemoratarum intuitu mox liquet, quam periculoſa illa ſint phænomena, quæ in tali afflictione obtingunt: unde hoc ordine talia brevibus addere lubet, quæ ad pathologiam hujus caſus pertinent, quamvis perinde præcurrentium caſuum ætiologicæ deductiones huic affectui lucem affundant: dum vero talia vegetabilia ſubjecta partim humoribus, partim etiam organis, ſive ſolidis partibus contrarium effectum inferunt, qui vel in repentina humorum coagulatione aut colliquatione, vel in partium extrema ſtimulatione & arroſione conſiſtunt; hinc mirum eſſe minime poteſt, cur in tali calamitate natura ſub tanta titubatione & motuum mutatione aut excesſiva adminiſtratione ſe ſe opponat & hujus imminentis periculi adverſionem repentinam intendat: ubi ob gravitatem perniciei & ob acceleratam illius invaſionem natura extreme commota proportionatis illis ordinibus æque minus ſatisfacere poteſt, ac in ſimilibus moralibus afflictionibus multæ confuſæ animi actiones occurſant, quæ tamen ad illud operationum negotium ſpectant, quibuscum anima tam extreme afflicta præſenti & repente augeſcenti periculo opponere ſolet: ſiquidem in tali caſu ſecundum diverſitatem objecti nocentis & effectus nocivi eadem anima perinde tales variationes committere ſolet in illo actu, per quem huic damno reſiſtit, ac in oeconomia moralium calamitatum ſecundum diverſitatem ſubjectorum affligentium & ſpeciminum afflictionis diverſimode & diſcrepantibus modis, motibus, ſuccesſibus, contentionibus &c. ſe ſe opponere ſolet.

§. IV. In practica hujus caſus directione omnino talia tentamina evitanda ſunt, quæ ad præſentis caſus deteriorationem ſpectant, maxime quidem fugienda ſunt: 1) poſitiva & vulgaria emetica remedia, quæ internos ſpaſticos motus adeo augent, ut facile in ſuſpectum exceſſum delabantur 2) nocent

poſi-

poſitiva & cum aliquo ſtimulo efficacia purgantia, quæ ſubinde primas regiones admodum exagitant 3) omittantur negligentiores excretionum ſalutarium promotiones; aut 4) ſpontanearum talium evacuationum perturbationes; 5) evitentur præmaturius oblata ſtomachica & carminativa 6) tanto magis omittantur remedia vulgaria narcotica 7) cavendum etiam eſt a medicamentis volatilibus, tanto magis oleoſis; 8) nocent porro omnia acria calefacientia & humores valde ſtimulantia atque commoventia remedia, 9) deſiſtendum eſt ab uſu adſtringentium & valde incraſſantium, 10) obſunt itidem præmaturæ oblationes cardiacorum & nervinorum remediorum; 11) maxime vero nocent directe oppoſitæ medicationes, quæ tantum ſymptomatibus concurrentibus mitigandis vulgo dicantur & denique 12) abſtinendum eſt a nimia cunctatione ſalutarium evacuationum invitandarum, ubi interea pernicies magis magisque accelerat.

§. V. Directa & poſitiva hujus caſus Therapia per initia eo dirigenda eſt, ut tempeſtive noxia talia ingeſta ſubjecta, quando adhuc in ventriculo hærent, revomantur; in quo paſſu tamen cum aliquo neceſſario moderamine vomitus provocandus eſt, ubi ſepoſitis poſitivis emeticis remediis ad vomitum provocandum interdum ſimpliciores enchireſes ſatisfaciunt: licet pro meliori illius excitatione adhuc conducant oleoſa haurienda, cereviſia calida cum pinguedine mixta, aut aqua calida cum oleo leniente conjuncta, aut lac calidum, decocta gelatinoſa & juſcula pingvia: in quibus vero ſubjectis plane nullo modo mitiori tali ratione vomitus excitari poteſt, in illis lenis ſtimulus adhiberi debet, uti cum ejusmodi decoctis Oxymel ſqvilliticum & Oxy-Saccharum emeticum Ludovici combinari poteſt: deinde etiam cura habenda eſt, quo alvus aperiatur, ne in inteſtinis detineantur inimica & ſuſpecta talia ſubjecta vegetabilia: eapropter conveniunt nonnunquam Clyſteres emollientes, mitius roborantes, aut plane leniter ſtimulantes: quod ſi etiam in certis ſubjectis ſangvinis quantitas urgeat, tunc poſt præmiſſas tales principales magisque neceſſarias excretiones expedit, quo ſuſpecta talis plethora per Venæ Sectionem modeſtam imminuatur, quo futura ſymptomata congeſtoria & inflammatoria præoccupentur.

§. VI. Proinde in præſentis caſus tractatione practica proſpiciendum eſt, ne in ægrotantibus ob concurſum convulſivorum motuum os rigide occludatur, unde eo citius ſuffocatio & ſtrangulatio imminet: in qua neceſſitate propterea chirurgica quadam ope per apta inſtrumenta os conſtrictum reſerantia ſuccurrere convenit, quo reliqua utilia medicamenta applicari queant: deinde offerenda ſunt remedia lenientia, mitiora diaphoretica, temperantia & analeptica: maxime quidem proſunt Decocta e Radicibus Scorzoneræ,

neræ, Liquiritiæ, Apii, Bardanæ, Saſſaparillæ, Herbis Altheæ, Malvæ, Veronicæ, Scordii, Floribus Chamomillæ, Semine Foeniculi, Hordeo excorticato, Cornu Cervi raſpato, Cortice Citri, Paſſulis majoribus & Prunis paranda, addito Syrupo de Canela, Violarum & de Manna: interponantur etiam pulveres abſorbentes & mitius Nitrati: præterea conducunt Emulſiones ex aquis analepticis & diaphoreticis paratæ: quid quod ſucceſsive exhibeantur Eſſentiæ Pimpinellæ albæ, Caryophyllatæ, Helenii, Vincetox. Scordii, Gentian. rubræ, Abſinthii, Corticum Aurantiorum, quæ partim diaphoretica, partim roborante qualitate præditæ & efficaces ſunt: & talia excitantia atque analeptica remedia propterea maxime neceſſaria ſunt, quia in tali caſu motus vel facile delinqvunt, vel facile etiam aberrant: ſub uſu talium remediorum conferendum eſt regimen diaphoreticum, modo ſine aliquo exceſſu applicetur: & quoniam in tali caſu facile reſtrictiones humorum ad interiora concurſant, hinc ad invitandum motum ſangvinis in peripheriam corporis admodum conveniunt modeſtæ frictiones ſuperficiei corporis cum linteis calidis; ubique vero cavere convenit, ne ulla occaſione orgaſticæ ſangvinis commotiones concitentur, e quibus alias varia gravia ſymptomata prodeunt.

§. VIII. Denique adhuc principaliorum Symptomatum in tali caſu occurrentium mentio facienda eſt; ubi primo loco recenſenda erit eximia illa propenſio in animi deliquia, pro qua præter frictiones modeſte calidas etiam externa ſvaveolentia & nervina ſpirituoſa aquoſa, ut & Aceta, roſaceum, rutaceum, nec non Vinum ſvaveolens conducunt; volatilia cum aliquo moderamine offerri debent, quod etiam valet de Balſamis oleoſis: quando eximii faucium ardores affligunt, tunc pro iisdem mitigandis conveniunt Decocta mucilaginoſa & gelatinoſa nec non Olea lenientia, ſicut Decoctis illis Syrupi lenientes Violarum, Roſarum & modeſtius acidi conjungi poſſunt: quod ſi vero fauces penitus inflammatæ fuerint, tunc conferunt Gargariſmata e Speciebus reſolventibus, lenientibus & mitius reprimentibus parata: quodſi inteſtinorum cruciatus atque tormina affligant, tunc conducunt Clyſteres lenientes, oretenus vero conferunt Decocta lenientia & mitius roborantia; ſi denique primarium periculum ſuperatum eſt, tunc in futurum eligenda erit diæta temperata, quæ cum lenitione & abſterſione primarum regionum proficua exiſtit: hinc lacticinia, pultacea, gelatinoſa, fructus dulces cocti, aliaque diluentia & abſtergentia ordinari debent; ſervando illam cautelam, ne impoſterum & Ventriculus & primæ regiones cum cibis incongruis oppleantur: ſed quo rectius qualicunque modo negotium digeſtionis & reliquæ functionis naturalis conjunctæ ſublevetur.

CASUS XXVII.

De

ABUSU FUMI TABACI.

§. I.

NIhil tam utile eſt, quod non quotidie in pravum abuſum duci ſolet, id quod etiam jure meritoque de Tabaci fumo prædicari poteſt, ſiquidem illud vitium excesſivi uſus Tabaci in fumo inter Europæos perquam familiare exiſtit, dum homines ſine ulla necesſitate & utilitate petulanti more & modo temporis fallendi gratia huic fumo adeo adſveſcunt, ut ex prava quadam conſvetudine eidem eo usque indulgeant, ut alias utiles operationes propterea negligant; non quidem ſermo eſt de ſubjectis in duriori vita verſantibus, victu ſpisſiori fruentibus & in impuriori aere atque irregulari regimine degentibus, quibus juſtus tabaci fumus medicinam conſtituit: de eo rectius hoc loco dicere fas eſt, quando ſine urgentibus talibus circumſtantiis homines cum coacto quodam incommodo ſe ſe huic fumo ita per vinculum aliquod ſubmittunt, ut velut ex regula decori aliquid omiſiſſe iudicent, ſi non tabaci fumum in ſocialitate aliorum, utplurimum vero potatorum & inordinatorum hominum perferre queant: etenim rarisſimum ſane eſt, ut ingenua ingenia ſanitatis gratia fumi tabaci uſum pro ſanitatis emolumento adhibeant: unde ſane plurimi ſine tali fumo & meliori & ſimpliciori ſanitate frui poſſent: interim hoc loco non loquor de illo univerſali abuſu, quando homines tabaco utuntur, quibus ipſe ex nulla cauſa utilis eſſe deprehenditur, ſicut ſubjectis ſiccioribus, ſtrictioribus, plethoricis & ſangvineis commotionibus obnoxiis generalis tabaci uſus minus congruit: ſed de illis potius ſermo eſt, qui præter inutilem talem uſum adhuc tali fumo poſitive abutuntur & per totum diem magis ſervi tabaci eſſe deprehenduntur, quam ad alia utilia negotia idonei obſerventur.

§. II. Quanquam hic nimius adeoque abſolute inutilis uſus, quin rectius noxius abuſus fumi tabaci non ſemper tam repentina neque tam manifeſta damna afferat; tamen in futurum varia incommoda cum hoc abuſu connexa ſe ſe attentiori disquiſitioni ſiſtunt: ad minimum illud eximium detrimentum eluceſcit, ut ſi ſub tali abuſu ejusmodi homines tandem ſervituti & abuſui deſveſcere velint, non niſi gravia damna & ſanitatis, imo plane vitæ, pericula ſubeant: eo magis vero medica opitulatio requiritur, quo magis ta-

lis abuſus jam actualia quædam nocumenta intulit, quæ communiter ſatis firmam & adultam radicem habent, ut propterea tanto major circumſpectio neceſſaria ſit, quoniam illi affectus, qui in tali caſu occurſant, admodum intricati, imo utplurimum etiam confuſi exiſtunt: quare ipſi veteres incommoda illa, e tabaci abuſu provenientia, agnoſcentes, hanc herbam rixoſam ſive inſanam appellarunt: quo loco minime oblivioni danda eſt illa circumſtantia, quomodo nonnulli homines uſui hujus herbæ adeo adſveſcant, ut ſi hunc quantisper negligere videantur, mox morbida quadam afflictione obrui credantur, inſuperque autument, quaſi per communem hujus herbæ uſum ad negotia ſua magis expedite adminiſtranda diſponantur; quæ conſvetudo tamen cum multis incommodis, in futurum magis manifeſte prodeuntibus, ſe ſe exhibet, æque ac cum aliis pravis conſvetudinibus contingit, quæ non ſtatim de præſenti, ſed potius in futuros ſucceſſus noxam ſuam produnt atque dimittunt.

§. III. Sicut attentioribus minusque præjudicantibus ſubjectis talis abuſus facile cognitus redditur; ita etiam paſſim varii eundem abuſum expoſuerunt: & memorabile eſt, quod olim Rex Britanniæ *Jacobus Tractatum de Miſocapno* ediderit, in quo hujus Tabaci abuſum expoſuit; proinde conferri poſſunt *Magneni Exercitationes de Tabaco, Marradon Dialogus de abuſu Tabaci & damnis inde provenientibus, Olearius in Itinerario Perſico, Dappii Oratio de Tabaco ejusque hodierno abuſu. Simon Pauli de uſu & abuſu Tabaci, Scriverius de eodem Tabaci abuſu,* qui ſinguli autores ſatis diffuſe atque diſerte damna illa ex hoc abſu provenientia recenſent: ubi fruſtra erit pravam conſvetudinem pro aliqua regula & argumento in contrarium ducere velle: ad minimum illud hujus Tabaci abuſum ſatis atteſtari poteſt, quando ſubjecta in temperatiori vivendi genere conſtituta fumo huic indulgent, ſiquidem de reliquis hoc loco ſermo mihi haud eſt, ubi minime multiplicem eximium uſum illius herbæ nego, modo aptis ſubjectis, vitæ generibus aliisque idoneis circumſtantiis ille uſus dextre applicetur: quando vero de vulgari hujus herbæ uſu teſtimonium quoddam perhibere licet, tunc utplurimum ſine certa quadam utilitate hic fumus hodiernis ævis adhibetur, adeoque magis illius applicatio ſub abuſu comprehenſa eſſe deprehenditur.

§. IV. Quando itaque abuſum Tabaci in fumo in hoc caſu explicare contendo, tunc officii mei pars erit, quo nunc hiſtorice recenſeam, quibusnam phænomenis & ſpeciminibus comprobare poſſim, quod Tabacus abuſive adhiberi queat; ubi iterum minime de eo ſermo mihi eſt, quibus ſubjectis & ſub quibus conditionibus Tabaci uſus concedi queat: ſed potius de illis hoc loco agendum erit, qui ſub reliquo generali abuſu adhuc illum ſpecialem abuſum committunt, ut per plurimam diei partem perfumentur & hunc fumum adhibeant:

beant: adeoque notandum eſt, quod ei tali abuſu ſuccesſive tam in morales, quam vitales functiones varia damna & offendicula ſeſe immiſceant: & quidem quod moralia negotia attinet, tunc talis abuſus communiter homines in quibusvis facultatibus animæ debilitat, ut ſtupidiores, torpidiores, tardiores, ſomnolentiores & tædioſiores reddantur, ad minimum ad res ſerias magis inepti compareant: id quod tanto certius in ſubjectis animo mollioribus & ſenſibilioribus contingit, licet durioris indolis homines, in quibus quaſi naturalis ſtupor adeſt, non tam cito ſimiles animi confuſiones & ſtupefactiones experiantur: alias enim facile ex ipſa materiali tabaci natura inclareſcit, quod hæc herba ſatis potenti narcotico Sulphure polleat: quare quidam Chymicorum ex eadem herba quaſi mortiferum oleum præparare ſciunt, cujus Glauberus mentionem fecit.

§. V. Proximum erit, ut jam ſignificem, qualia damna ex abuſu tabaci in vitali negotio occurrere ſoleant: & quamvis ejusmodi morbidæ afflictiones non repente ingruant, tamen eædem ſeſe ſuccesſive produnt, e quibus principaliores ſequentes ſunt: nimirum varii confuſi affectus pectoris, qui in congeſtionibus & ſecesſionibus humidis conſiſtunt, ut ſunt Aſthmata, Diſpnœa, Scirrhi pulmonum & denique ſuperveniens Phthiſis: præterea etiam ſucceſſive ingruit Cachexia cum lingva ſqualida, impedita loquela, aliaque corporis decoloratione & defœdatione: in quibusdam ſubjectis plane Hydrops conſequitur: interdum excipiunt Oedemata, Atrophia, Tabes, Hectica, Scirrhi viſcerum, Tremor membrorum, affectus Paralytici, Se- & Excretionum turbæ, ſuſpectæ Vertigines, prodromi Apoplexiæ, contumaces & refractarii affectus hepatis, affectus Icterici: qualem Icteri ortum ex ſolo fumi Tabaci uſu recenſet *Borellus Cent. 4. Obſ. 31*; accedunt varia vitia ventriculi, ut perturbata concoctio, Cardialgia, Affectus Cholerici, morbidæ Flatulentiæ, Ructus nidoroſi, Vomitus, in plurimis conſeqvuntur Tremores membrorum, quemadmodum tales homines, qui in ejusmodi abuſu deprehenſi ſunt, minime ad aliqualem longævitatem perveniſſe obſervantur in *A. N. C. dec. 1. an. 3. obſ. 185.* recenſetur *Agrypnia diuturna ex nimio tabaci uſu*: maxime vero notare convenit, quomodo morbi illi, qui in tali caſu obſervantur, communiter ſint valde confuſi & ita conſtituti, ut promtam & efficacem medelam facile reſpuant.

§. VI. Seorſim in tali caſu adhuc peculiares quædam obſervationes annotandæ ſunt, videlicet, quod in ejusmodi ſubjectis poſt mortem deprehenſi fuerint pulmones nigri, ſqualidi, ſcirrhoſi, variis tetris maculis referti & perfumati; uti hujus circumſtantiæ reminiſcuntur *Hoffmannus de Medicamentis officinalibus Lib. 2. Bartholinus de Pulmonibus*, *Schneiderus de Catarrhis Lib. 2. Kerkrin-*

kringius, *Tulpius*, *Horſtius*, *Ettmullerus* aliique: nonnulli in talibus demortuis ſubjectis conſpexerunt ſtomachum cum aliqua fuliginoſa flavedine tinctum, cujus circumſtantiæ reminiſcitur *Helmontius* & ex eodem *Hœferus in Hercule Medico Lib. 1. Cap. 5.* Quod vero cerebrum, ſicut dentes, ex abuſu tali denigreſcat, multi negant, inter quos videatur *Schneiderus*: quæ tamen obſervatio non penitus deneganda eſt: cujus rei ipſe teſtis eſſe poſſum, cum tale cerebrum perfumatum olim perſpexerim: ita *Thonerus Lib. 6. Epiſt. 15.* obſervavit, quod ex abuſu fumi Tabaci cerebrum adeo exaruerit, ut vix nucis magnitudinem æquaverit: quam obſervationem repetit *Bartholinus Epiſtolarum Medicarum Cent. 3. Epiſt. 86*: ita pluribus de abuſu Tabaci conferantur *Ephemerides Eruditorum Pariſienſium anno 1666*, *Neandri Tabacologia*, *Albinus de Tabaco*, *Balde Satyricon de abuſu Tabaci*, *Schroverus de eodem Tabaci abuſu*, *Gvilielmi de Mera Tabacologia* & ſparſim etiam alii autores probati atque attenti, qui in uſum vitæ & ſanitatis hunc abuſum fuſius expoſuerunt.

§. VII. Non inconſultum erit, ſi jam in ordine brevem conſpectum pathologicum de præſenti caſu ſubminiſtrem, ubi ante omnia principia hujus herbæ noſſe convenit, quod ſint Sulphurea narcotica & ſalina, quæ priora vero præ poſterioribus & copioſiora & efficaciora ſunt: unde in genere ad motuum enervationem & confuſionem in ſubjectis non valde robuſtis admodum contribuunt: quod ſi itaque talia principia ita abuſive in intimiora corporis transferuntur, tunc non modo energiam naturæ in moralibus, ſed & in vitalibus turbant ac confundunt, tanto magis in ſubjectis animo & corpore mobilioribus & ſenſibilioribus: eapropter etiam graves mentis confuſiones talem abuſum conſeqvuntur, inſuperque reliquæ functiones animales naturales & vitales graviter debilitantur & perturbantur, ut ſe- & excretorii effectus inſufficienter & confuſe procedant, hinc varii chronici morbi ingruunt: tanto magis per hunc abuſum invitantur contumaces congeſtiones & affluxus ad pectus, qui denique in ſiniſtros effectus deſinunt, ut ſtagnationes, ſtaſes & actuales corruptiones exinde oriantur: proinde illud copioſum Sulphur Tabaci vaporoſum in maſſam ſangvinis multiplicem confuſum orgaſticum motum transfert, ut ex hujus progreſſus ſangvinis perturbatione proinde graves aliæ ſanitatis offenſiones oriantur.

§. VIII. Et quanquam ex principiis Tabaci materialibus medica quædam virtus demonſtrari poſſet, tamen omne nimium etiam in vitium vertitur, adeoque illa ſuperflua ſulphureo - vaporoſa & ſalina tabaci principia principaliori quidem effectu motus alterant, ſecundario vero etiam diverſis humorum ſpeciebus miltiplicem alterationem conciliant, ut exinde dyſcraſia quædam humorum oriatur, quæ tanto magis per motuum vitia concurrentia ſuſtentatur,

 ut

ut ita tota œconomia vitalis tam quoad formalia, quam quoad materialia requiſita perturbetur; alioquin quidem in congruis ſubjectis & ſub juſtis circumſtantiis adhibitus hic tabaci fumus diverſas utilitates affert, quæ vero per craſſum illum & familiarem abuſum graviter offenduntur: inter omnes has offenſiones illa ſane memoratu dignisſima eſt, quando ſenſus vitalis cum connubio motuum in magnum ſtuporem convertuntur, ut propterea legitimæ functiones naturales & vitales in eximiam anomaliam convertantur, quæ quo magis adolevit, eo minus tempeſtivæ correctioni obtemperat, ſed potius eo magis ex ejusmodi confuſo morborum genere aliæ confuſæ ægrotationes propullulant; ſiquidem utplurimum illi morbi, qui ex abuſu tabaci oriuntur, non tam exceſſivis commotionibus, quam potius vel inordinatis motuum progresſibus & ſucceſſibus, vel plane defectivis motuum vitiis abſolvuntur: quæ ipſa animadverſio tanto magis denotat, quam intricatus & refractarius talium morborum ſtatus exiſtat.

§. IX. Brevibus adhuc quoad Prognoſin huic caſui reſpondentem nonnulla erunt obſervanda & exponenda: quapropter eo periculoſiores conſecutiones, aut eo contumaciores ægrotationes abuſus tabaci infert, quo minus alias ſubjecta quædam communi uſui tabaci quadrant: tanto magis vero ſubjectis ſangvineis ſenſibilibus, valde activis, præcipitibus, admodum plethoricis & ſalutaribus evacuationibus obnoxiis abuſus tabaci graves noxas minatur; quapropter ſuſpectum eſt ſignum, ſi e tali abuſu prægreſſæ ſalutares excretiones in inordinatum aliquem ſtatum delabuntur; malum eſt, ſi in ejusmodi ſubjectis alvus ſegnior evadit, contra vero larga excretio mucida e pulmonibus ſuccedit; malum eſt indicium, ſi hic abuſus tabaci digeſtionis vitia inducit: ſuspectum etiam eſt phænomenon, ſi naturalis color & habitus corporis mutatur: adverſi ominis eſt circumſtantia, quando vertiginoſæ perturbationes ingruunt; malum eſt indicium, ſi ſub abuſu tabaci largius alimenta, parcius vero potulenta ingerunt; alienum eſt ſignum, ſi contabeſcentia quædam corporis, ut & tremores membrorum conſeqvuntur; periculoſum eſt, ſi ſenſuum vitia & enervationes accidunt; maxime vero ſiniſtrum omen exhibet illa circumſtantia, quando homines frequentem nauſeam experiuntur: ſicut de reliquo omnes morbi, ex abuſu tabaci provenientes, valde ſiniſtram indolem habent.

§. X. Quando nunc ad practicam hujus caſus tractationem progredior, tunc antea potiores cautelas practicas hoc loco obſervandas ſignificabo, ne in intricatis talibus morbis antipraxis quædam committatur, per quam eo citius horum morborum ſiniſter & lethalis eventus acceleratur; ob id cavendum eſt; 1) a quibusvis impetuoſis & prodigis evacuationibus: 2) ab ordina-

riarum

riarum excretionum perturbationibus, ſuppreſſionibus, aut confuſis & negligentibus promotionibus: 3) a præmaturo, inordinato & prodigo ſtomachicorum uſu; 4) a medicamentis valde incraſſantibus & ſe- atque excretorias functiones impedientibus: 5) a copioſo & inopportuno Salium volatilium uſu: 6) ab omnibus adſtringentibus medicamentis, quotquot etiam alibi horum vulgo deprædicantur, quaſi aperitivam virtutem contineant: 7) omnium maxime vero vitanda ſunt quælibet narcotica remedia: 8) nocent medicamenta admodum expectorantia & affluxum humorum in ſuperiorem corporis regionem provocantia; 9) obſunt alia medicamenta calefacientia & maſſam ſangvineam valde commoventia: 10) officiunt valde acida & dyscraſiam humorum magis magisque augentia: 11) neque etiam indiscretus nervinorum uſus aliqualem ingenuam opem promittit & denique 12) ſedulo evitanda eſt multiplex medicamentorum & experimentorum variatio cum irregulari vitæ genere.

§. XI. Specialis practica tractatio præſentis caſus in duplicem ordinem diſtribui poteſt, in priori de illa circumſtantia diſſerendum erit, quibusnam auxiliis in illo ſtatu ſuccurrere conveniat, quando quædam ſubjecta talem abuſum fumi tabaci evitare conantur: in poſteriori de eo præcipue agendum erit, quomodo actualibus morbis, ex hoc abuſu provenientibus, prudens artifex ſuccurrere debeat: Quoad primam animadverſionem ſcire convenit, quod ſimultanea omiſſio fumi tabaci minime ſecura ſit, ſiquidem tales lapſus in extrema non niſi periculoſas conſecutiones cauſantur: eapropter ejusmodi mala & inveterata conſvetudo magis ſucceſſive emendanda eſt, ut ſingulis hebdomadibus de conſveta abuſiva quantitate quicquam ſubtrahatur, ut denique cum ſecuro quodam moderamine idonea deſvetudo acquiratur; minime tamen in hoc actu quicquam cum præcipitantia agere convenit: & ſub hac ſucceſſiva deſvetudine præſtat interdum mitiores laxationes ordinare, quibuscum natura ad ordinarias evacuationes iterum invitari debet; deinde convenit interdum temperatiora ſtomachica præſcribere, una cum ordinatione diætæ temperatæ ac evpeptæ: ſubinde moderatus vini uſus conducit, nec non quandoque ſub diæta Spiritus ardens cum quodam moderamine adhiberi poteſt: proficit ſubinde in hoc priori caſu, ut ſub diæta Zingiberis uſus commendetur, ex quo humoribus ſeroſo-mucilaginoſo-ſalivalibus reſolutoria, colliquativa alteratio & promotio ad ſalutarem diureſin ſubſequentem idonea inducitur: quando talia ſubjecta magis phlegmaticæ conſtitutionis exiſtunt, tunc nonnunquam pro diverſione affluxus humorum a capite veſicatoria auxilia conferunt: in aliis robuſtis ſubjectis, quæ diætæ ſpiſſiori & magis irregulari adſveta fuerunt, interdum lene vomitorium proficit: & quando craſſiores impuritates

ritates evacuatæ ſunt, tunc interdum moderatiores diaphoreſes ſubordinare convenit, quo per invitationem omnium ordinariarum excretionum reliqua futura incommoda evitentur: ſicut denique ad præoccupandas alias inconvenientes commotiones remedia temperantia, abſorbentia nimirum & nitroſa conducunt.

§. XII. Quod alteram circumſtantiam attinet, quando videlicet ex abuſu tabaci jam actuales quidam morbi occuparunt, tunc in genere cura ita eſt ordinanda, ut conſvetæ ſe- & excretiones invitentur & admoneantur, quare abſtergentia, incidentia, reſolventia, abſorbentia & laxantia remedia conducunt, quibus ſimul roborantia & temperata carminativa conjungi poſſunt: præcipue conveniunt Salina diverſæ ſpeciei humores mucidos ſeroſos colliquantia & ad promtiorem evacuationem præparantia: inſuper abſorbentia in parca quantitate adhibita æque conducunt: proficit perinde Tinctura alcalina tartariſata, aut alia Tinctura Tartari: ſubjungantur Eſſentiæ reſolventes mitiores diureticæ & leniores carminativæ; imprimis vero Eſſentia Pimpin. albæ & Vincetoxici in tali caſu admodum convenit: interdum ordinentur Infuſa vinoſa e reſolventibus, roborantibus & laxantibus ſpeciebus parata: inſuper radices Ari & Squillæ in talibus morbis multam utilitatem promittunt: ſiquidem in ſubjectis humidioribus præter reliquas Eſſentias, efficacius reſolventes, etiam Succini Eſſentia ſatis laudabilem utilitatem affert: omnium maxime quidem cum ſingulari asſiduitate excretionibus ordinariis ſublevandis opera danda eſt: de reliquo etiam exactum regimen & diæta conveniens commendari debent, quo in tam confuſo ſtatu alia medicamenta efficacia ad ſalutarem effectum pertingant.

§. XIII. Quod ipſos affectus attinet, qui abuſum Tabaci conſequuntur, tunc quidam illorum caput invadunt, alii pectus & nonnulli abdomen: in capitis affectibus, qui utplurimum de proſapia catarrhalium morborum ſunt, conducunt Eſſentiæ reſolventes & anticatarrhales, ut & Tinctura Antimonii, atque in ſeroſis ſubjectis maſticatoria, veſicatoria, aut plane fonticuli, cum interpoſitione repetendarum laxationum, aut Vinorum medicatorum reſolventium & evacuantium: externe conducunt Sacculi e ſpeciebus diſcutientibus & nervinis conficiendi & capiti applicandi, quibuscum ſuccesſive affluxus humorum a capite avertitur & diſſipatur: In affectibus pectoris catarrhalibus conveniunt abſtergentia, diſcutientia & reſolventia, e quibus præcipue Extractum de Peto & Squilla ſingularem utilitatem habet: alias Decocta pectoralia magis reſolventia, quam emollientia in hoc paſſu quadrant, quibus adminiculis laxantia remedia ſubjungenda ſunt: præter hæc conducit itidem

Syrupus

Syrupus de Peto, maxime vero remedia ex Veronica paranda: non minus modeſtus Sulphuris uſus tam in Tinctura, quam in ſubſtantia in hoc caſu conferri poteſt: quod denique affectus abdominis attinet, tunc in illorum cura præcipue permeabilitas organorum colatoriorum & evacuatio diuretica atque alvina promovenda erit, quo perinde in præcedentibus commendata Salina abſtergentia, aliaque reſolventia & addita temperatiora carminativa in liquidam formulam convertenda pertinent; ſervata illa cautela, ne potentiora remedia uſurpentur, quæ cum ſuſpecta violentia corpus ægrotum aggrediuntur: de reliquo in tali caſu accurata diæta ubique concilianda erit.

CASUS XXVIII.

DE

POLLUTIONE NOCTURNA.

§. I.

QUamvis hoc accidens vix morbidis afflictionibus accenſeri videatur, tamen illud variis modis non modo moleſtias creat, ſed & morbida ſua pathemata atteſtatur; tanto magis vero hujus moleſtiæ mentio injicienda eſt, quoniam illa interdum adeo invaleſcit, ut ipſis medicis artificibus varia incommoda & ſollicitudines inducat atque extorqueat: quemadmodum hic affectus æque tantæ refractariæ indolis eſt, ac in fœminis contumax ille albus fluor eſſe ſolet: ne itaque cum irritis tentaminibus hæc afflictio turbetur, aut magis exacerbetur, præſtiterit omnino illius veram indolem noſſe: polluit itaque hæc involuntaria ſeminis emiſſio corpora individuorum, eaque propter ſecundum legem Moſaicam talia ſubjecta immunda reputabantur, ut lavacro quodam indiguerint, quando denuo pro mundis declarari debeant: hinc inter Medicos hic affectus pollutionis denominationem obtinuit & quoniam utplurimum talis involuntaria profuſio, noctu & inſciis atque dormientibus maſculis obtingit, hinc nocturna audit hæc pollutio: illud etiam hoc loco præmoneri debet, quod talis erronea utplurimum ſeminis excretio in talem contumacem habitum degeneret, ut poſthac omnino morbidam ſuam faciem multis modis & circumſtantiis prodat & ſignificet.

§. II. Præſens caſus primario quidem concernit ſexum maſculinum, licet etiam fœminæ, maxime quidem plethoricæ & in plena, lauta & luxurioſa diæta, ſimilique regimine viventes eandem involuntariam inquinationem & profuſionem liquoris genitalis interdum experiantur: cujus obſervationis teſtes produco *Galenum*, *Sylvaticum*, *Fernelium* & *Johannem a Fortis*: quod vero reliquam hiſtoricam hujus caſus conditionem attinet, tunc ſequentes circumſtantiæ de eodem annotandæ ſunt: utplurimum hic affectus occurrit in ſubjectis junioribus, præcipue plethoricis in diæta bona, admodum alimentoſa & luxurioſa viventibus, cereviſia ſaturata, imo alio ſpirituoſo potu utentibus, in otioſa vita degentibus, luxurioſis & libidinoſis etiam cogitationibus inhærentibus, tanto magis extra conjugium, aut in libidinoſo coniugio viventibus, variisque ſimilibus occaſionibus commotis; aut etiam e diæta viliori in meliorem tranſeuntibus & ita animo atque corpore magis magisque excitatis; ubi non quidem ſemper intelliguntur ſubiecta valde libidinoſa & voluptuoſa, ſed interdum ingenia taciturna & a vitio pravæ libidinis aliena hoc affectu corripi poſſunt: in quibus propterea utplurimum vitalium motuum aberrationes concurrunt: quales circumſtantias proinde prudens artifex bene ponderare debet, quo eiusmodi afflictioni e vero & ſtabili quodam fundamento ſuccurrere queat.

§. III. Quod ipſum affectum attinet, tunc eundem quidem ſubiecta facile percipiunt, quotquot eodem laborant; ubi ſtatus non in nuda ſpermatis profuſione ſubſiſtit, ſed diverſa & nonnunquam ſatis eximia incommoda cum eodem concurrunt: præcipue repetitam talem pollutionem nocturnam excipit torpor animi & corporis, virium langvor, membrorum laſſitudo, maxime lumborum & pedum oppletoria & defatigatoria infirmitas, hebetudo externorum ſenſuum, langvor ingenii, obſcuratio oculorum, ſiccitas faucium, inſolita ſiticuloſitas, livor oculorum, pallor labiorum & genarum, nonnunquam obſcurus dolor capitis, urina turbulenta & cum flocculis obſcuris & nebuloſis remixta, quam ultimam circumſtantiam præcipue obſervavit *Lommius*: & quo magis pollutio illa nocturna increbeſcit, eo magis ſingula hæc pathemata inſoleſcunt & augeſcunt, tanto magis virium imbecillitas conſequitur: accedit ſuſpecta corporis contabeſcentia, aut quandoque atrophicus vel hypochondriacus ſtatus; ſucceſſive increbeſcunt vitia concoctionis & appetitus, quæ cum tempore magis magisque augentur: quin plane interdum ſenſuum internorum & externorum eximiæ enervationes conſeqvuntur, ut ita hic caſus non modo numeroſos, ſed admodum intricatos affectus involvat.

§. IV. Ad Prognoſticam huius caſus tractationem nunc procedendum eſt, ubi in genere notare convenit, quomodo hic affectus facile in pravum habi-

habitum & ſuſpectum augmentum degenerare ſoleat, quo magis hæc pollutio animum hebetat, eo magis ſuſpectum hoc eſt indicium: quando vertiginoſas, temulentas perturbationes & ſenſuum enervationes atque imbecillitates cauſatur, tunc hic caſus periculo haud caret, ſed eo magis in alia vitia tum contabeſcentiæ ſuſpectæ, tum alterius motuum ſalutarium defectus delabitur: quando vitia concoctionis, emarceſcentia corporis & tuſſis ſicca, ut & inſignis faciei mutatio concurrit, malum eſt ſignum: quando initia inſenſibilitatis membrorum coincidunt, ominoſum eſt indicium; quando reliquæ excretiones ordinariæ mutantur, turbantur aut imminuuntur, æque pravum eſt ſignum: quando eximii dolores in hypochondriis concurrunt, perinde pravum eſt phænomenon: quando poſt prægreſſum largum ſucceſſum huius pollutionis nunc ſimul & ſemel hic fluxus ſubſiſtit, nunquam omni periculo momentanea hæc mutatio caret: quando cum hac præternaturali evacuatione aliæ ſonticæ & copioſæ evacuationes concurrunt, ominoſum eſt ſignum, tanto magis vero, ſi Hæmorrhagiæ copioſæ coincidunt: quo magis denique vires enervantur, tabes inſoleſcit, lumborum & hypochondriorum durities conſequitur, eo periculoſior & intricatior evadit affectus.

§. V. Excipit jam cauſalis præſentis affectus deductio & evolutio, ubi primo magis ſimplices atque probatas, deinde magis ſpeculativas & hypotheticas cauſas recenſere lubet: in genere quidem notandum eſt, quod hic affectus conſiſtat in vitio motus excretorii, circa hunc liquorem occupati, ſive jam ad illum vitioſum motum abundantia hujus liquoris, ſive petulantia laſcivæ imaginationis contribuat: tantum interim in hoc caſu eluceſcit, quam facile natura tali vitioſo motui adſveſcat; imprimis notare convenit, quod utplurimum hic affectus non deprehendatur in craſſe, aperte & ſordide laſcivis ſubjectis, ſed utplurimum in talibus, quæ interdum ſub taciturnitate & cum aliquali lucta amant: proinde communes cauſæ hunc affectum invitantes ſunt plethora, diæta bona, lauta & plena, vita otioſa, tanto magis vero reminiſcentia & cogitatio libidinoſa, uſus aromaticorum, potus multus, ſaturatus pingvis & ſpirituoſus, equitatio, ſaltatio, immoderata corporis commotio cum ebullitione ſangvinis conjuncta, ſomnus & decubitus mollis, Ceres & Bacchus, ſine quibus, juxta proverbium, friget Venus, decubitus reſupinus, cereviſiæ nitroſæ, cibi & potus diureſin moventes, uſus balneorum, imo uſus narcoticorum remediorum: ſicut *Hoffmannus de Medicamentis Officinalibus*, *Proſper Alpinus de Medicina Indorum* & *Wedelius in Opiologia* hujus ultimæ circumſtantiæ mentionem faciunt.

§. VI. Præter has e genuina experientia ſelectas cauſas paſſim adhuc aliæ, ſed ſatis infirmæ recenſentur: ſicut Aſtrologi aſſerunt, quod homines in ſigno Veneris nati ad talem affectum magis diſponantur; quæ traditio ſatis vana & nulla attentione digna eſt: nonnulli Medicorum accuſant renum nimium calorem; alii vaſorum ſpermaticorum nimiam laxitatem, quæ ad paſſivam talem ſpermatis elapſionem anſam ſuppeditare fertur: veteres nimis ſpirituoſum ſangvinem arterioſum inculpant; alii ſpirituum animalium, quidam genitalium, petulantiam & tumultum accuſant & quæ harum obſoletarum & obſcurarum ſententiarum adhuc paſſim plures occurrunt: de reliquo quidem hujus affectus pluribus reminiſcuntur *Rolfinckius in peculiari Diſſertatione, Sennertus in Praxi Medica, Hoeferus in Hercule Medico, Aetius, Foreſtus, Oribaſius, Fernelius, Timæus, Weickardus in Theſauro Pharmacevtico* & multi alii, qui ſinguli tam quoad Hiſtoriam, quam quoad medicam practicam explicationem conferri merentur: illud interim hoc loco adhuc indicandum eſt, quod hæc excretio magis activis motibus, ſucceſſibus & deſtinationibus, quam paſſivis elapſionibus nitatur: ſicut propterea in Medicina practica prudens artifex hiſce motibus excedentibus & in pravam conſvetudinem degenerantibus proſpicere debet: ubi inſuper obſervare convenit, an cauſæ corpus concernentes, an aliæ ad animum ſpectantes in hoc caſu principaliori cura annotandæ & cum reliqua Therapia tractandæ ſint: in quo ſtatu etiam ſingularis ratio habenda eſt ſenſibilitatis & mollitiei animi.

§. VII. Excipit nunc practica hujus affectus explicatio, quæ primo loco neceſſarias cautelas medicas commendat, quo intricatus hic affectus eo certius & ſincerius curetur, eapropter cavendum eſt 1) ab omni impetuoſa evacuationum proſecutione 2) ab ordinariarum excretionum turbulenta, aut negligenti promotione, 3) a nimia ſangvinis augmentatione 4) ab incongrua & negligenti ſtatus & concurſus plethorici æſtimatione & tractatione 5) ab omnibus remediis calefacientibus concentratis & ſangvinem valde commoventibus 6) a præmaturo & curatorio Salium volatilium uſu, 7) a communi refrigerantium & motus turbantium ordinatione 8) ab adſtringentium vel præmaturo, vel immodico uſu, 9) a copioſa incraſſantium oblatione, 10) a communi narcoticorum ordinatione, 11) a ſpecificorum huic affectui oppoſitorum confuſa & indiſcreta ingeſtione, 12) a frequenti medicamentorum & methodi medendi variatione, 13) ab aquarum mineralium indifferenti aſſumtione, 14) a diæta tam irregulari, quam valde nutriente, 15) a repentina hujus inconvenientis excretionis ſuppreſſione, 16) a topicorum adſtringentium & repellentium remediorum uſu.

§. VIII.

§. VIII. Specialis hujus affectus cura tali ordine adminiſtranda eſt, quo ante omnia ordinariæ evacuationes in legitimum ſucceſſum promoveantur, ubi præcipue quidem a vomitoriis & diureticis remediis ſollicite abſtinendum eſt: præſtant interdum mitiores laxationes, quo e primis regionibus maxime eminentes impuritates evacuentur; interim minime alvum irritare expedit, ſed potius cum mitiori lenitione & abſterſione adjuvare & promovere confert: quo ſcopo Maſſa Pilularum de Succino Cratonis, Mercurius dulcis, Agaricus Trochiſcatus, Extractum Panchymag. Crollii conveniunt: deinde etiam proſpicere debet artifex, quo moleſta & incommoda ſangvinis abundantia opportunis & præſervatoriis Venæ Sectionibus imminuatur: porro conferunt remedia motus aberrantes & excedentes in hoc caſu obvios temperantia, quo nomine per initia Pulveres Nitroſi conducunt: quando vero hic affectus continuat, tunc conveniunt remedia remisſius tonica & mitius retinentia, velut Cornu Cervi uſtum, Species de Hyacintho, Nux Moſchata, Magiſterium Coralliorum, Confectio de Hyacintho, ut & Crocus Martis Cachecticus Zwelferi, Antimonium diaphoreticum Martiale Ludovici, Tinctura Martis Tartariſata, aut etiam Trochisci de Carabe: præter hæc conferunt etiam Eſſentiæ roborantes & mitius retinentes, ut Millefolii, Succini, Pimpinell. albæ, Gentian. rubr, ſervata illa cautela, ne ſimul & ſemel talis excretio obruatur: & talia remedia etiam in illo caſu conferunt, quando ſuccesſiva, inſolita & morbida ſpermatis excretio Gonorrhoeam æmulatur, ubi interdum ex male curata Gonorrhoea virulenta tale præternaturale ſpermatis profluvium oritur.

§. IX. Cum hiſce internis remediis conjungi etiam poſſunt externa auxilia, unde regioni lumborum, pectinis & ſcroto applicare licet Linimentum ex Oleo Maſtichino, Nucis Moſchatæ, Corticum Aurantiorum, Camphora, Ceruſſa alba paratum: repellentia & valde adſtringentia cum cura evitanda ſunt, quoniam facile diureſin cum inſigni præjudicio turbant: proinde etiam conducit Ungventum Santalinum, Ungventum album camphoratum, Ungventum de Alabaſtro Camphoratum cum Oleo Nucis Moſchatæ, Corticum Aurantiorum, Foeniculi & Hyoſcyami mixtum, ungventum de Ceruſſa regioni lumborum aut pectinis applicanda: nonnulli laudant in hoc caſu Oleum Populeonis, quod cum ejusmodi prædicto ungvento aliqua quantitate commiſceri poteſt: & quanquam interdum Ungventum Comitiſſæ, aut infrigidans Galeni in tali caſu ordinetur, tamen cum horum uſu moderamen neceſſarium adhibendum eſt, ne videlicet vel præmature vel nimis liberaliter adhibeantur: communiter in hoc affectu laudantur Succi Sempervivi & Nympheæ, quorum virtus tamen in hoc caſu nondum ſatis approbata eſt: ſuccus vero Urticæ minoris ſiſtente quodam effectu hunc præternaturalem fluxum

 tollit:

tollit: alii laudant applicationem lamellarum plumbearum ad regionem lumborum & pubis: & quidam commendant Balnea adſtringentia: nonnulli ordinant remedia refrigerantia ſed ſingula hæc nunquam cum aliqua ſecuritate & expectatione aut promisſione ſecuri effectus adhiberi poſſunt.

§. X. De reliquo quidem ad curam hujus affectus varia remedia pasſim ordinantur: ſunt qui pro amuleto Smaragdum (ſed fruſtra) laudant: nullius utilitatis eſt Semen Agni caſti; quid Succus Citri ſecundum commendationem Amati Luſitani efficiat, experientia ulterius conſulenda eſt: ad minimum illud de eodem aſſeverari poteſt, quod, cum diureſin ſtimulante quodam effectu promoveat, adeo fidum, aut certum remedium pro hoc affectu ſuppeditare non posſit, niſi in ſubjectis floridioris ſangvinis aliquid efficiat, dum maſſæ ſangvineæ nimis mobili aliqualem ſpisſiuſculam conſiſtentiam conciliat, ob quam ſpermatis ſecretio non tam cito contingere poteſt: id quod etiam valet de aliorum & præcipue Langii incraſſantium velut Gummi Tragacanthæ, Arabici, Maſtichis & Succini commendatione: a nonnullis laudatur Urtica alba in ſubſtantia & ſucco, ſed perinde ſine ſolido experientiæ ſuffragio. *Simon Pauli in Q. B.* Fragariam radicem cum Vino rubro coctam regioni pectinis imponendam extollit: vulgo flores, herba & radix Nympheæ pro Specifico adverſus Pollutionem nocturnam ordinantur, ſed ſine certo quodam effectu. Ab *Hoffmanno de Medicamentis officinalibus lib. 2. c. 6.* ex *Galeno 6. Simpl.* Semen Viticis, ab aliis vero Semen Cannabis, ſed perinde fruſtra efferuntur: a *Faventino* Ranæ uſtæ in hoc caſu commendantur; *Foreſtus lib. 26. obſ. 2. & Campanella in Medicina lib. 6. cap. 20. Art. 4.* conjugium tanquam medicinam hujus caſus laudant: alii rutam ad ſemen compeſcendum ordinant ut *Dioſcorides lib. 3. c. 145. Plutarchus in Sympoſ. decad. 3. probl. 1.* & Schola Salernitana canit: Salvia cum ruta faciunt tibi pocula tuta, adde roſæ florem, minuit potenter amorem. *Rejes Camp. Elyſ. qv. 44. Freitagius in aurora lib. 3. c. 30.* dicit quod mentha & ruta in viris ſeminis proventum vi valenter ſiccante inhibeat: hinc iterum ſchola ſalernitana occinit; ruta viris coitum minuit, mulieribus auget.

§. XI. Quamquam hæc poſteriora experimenta non æque adeo certa & ingenua ſint; tamen ante dicta methodus majorem ſpem impetrandæ reſtitutionis facit, cum qua methodo diæta & regimen conveniens conjungi debet: ubi quidem in diæta abſtinendum eſt a valde nutrientibus & aromaticis alimentis & potu ſpirituoſo, a cereviſia ſaturatiori & magis lupulata, ab inebriationibus, a cibis durioribus & primas vias inquinantibus, ab acidis & diureſin ſtimulantibus, a lacticiniis & pultaceis; neque quidem Acidularum uſus probatus eſt, licet Frambeſarius easdem commendet: præterea fugienda ſunt otia & vitandæ ſunt converſationes libidinoſæ, ut & nimis ſedentarium vitæ genus:

mo-

moderata vero exercitatio corporis & labor utilitatem non parcam habet, modo nimia exæſtuatio vitetur: ſeligatur diæta temperata liquida & parcius nutriens: ſicut etiam potus moderatus Decocti herbæ Thee in hoc affectu fructuoſus eſt; Minime conſultum eſt diverſa & perverſa experimenta in hoc caſu adhibere, quoniam cum iisdem facile valde refractarii affectus excitantur: ſicut a *Bartholino in Anatom. reform.* & *Langio in Operibus* laminæ plumbeæ applicatio (cujus in ſuperioribus mentio facta fuit) diſſvadetur: denique præſtat magis ſucceſſive & leniter, quam ſimultanee & audacter hunc affectum curare.

CASUS XXIX.

DE

SUDORIBUS MOLESTIS PEDUM MANUUMQUE.

§. I.

INter alios non tam morbos, quam moleſtos & incommodos effectus diverſis hominibus obvios merentur omnino recenſeri illi ſudores, qui in manuum volis & manuum æque ac pedum digitis ſe ſe produnt, quales ſudores partim ob madorem ſuum adverſum, partim etiam ob conjunctum foetorem admodum incommodi atque moleſti exiſtunt: & ſicut ſudor manuum fœminis paulo familiarior exiſtit, ita eædem e tali ſudore in diverſis negotiis ſuis tractandis multa impedimenta patiuntur: eapropter de eo maxime ſollicitæ ſunt, quo incommodos hosce ſudores cohibeant: quod vero pedum ſudores attinet, tunc eo magis iidem ſunt moleſti, quoniam non modo copioſiores exiſtunt, ſed & quoniam ob eximium madorem tam tibialia quam calceos perdunt, inſuperque pedum digitos admodum eliquant & excoriant, ut multi & eximii dolores, maxime ardentes concurrant & ita affecti homines ad inceſſus ſuos penitus inepti reddantur: ſicut eo magis moleſtia illa increbeſcit, quo magis talis ſudor pedum foetidus & aliis ſubjectis perquam adverſus eſt: ex hisce circumſtantiis varii eo uſque permoventur, ut horum ſudorum ſuppreſſionem urgeant atque deſiderent.

§. II. Quod tales ſudores attinet, tunc iidem minime infrequentes ſunt, inprimis cum pedum ſudoribus pravus ille fœtor concurrit, quo magis ſubjecta impuros ſuccos continent, aut quo minus aſſidue madidos pedes abſter-

ſtergunt & mundificant : proinde tales ſudores utplurimum in pravam conſvetudinem vergunt, nec non in ſubjectis floridioris & ſeroſioris ſangvinis magis fœtidi, in humidioribus vicisſim magis madidi evadunt; & quando contingit, ut ejusmodi ſudores e ſuis locis minus promte procedant, tunc in hisce partibus moleſtia quædam tenſoria, ſemiſpaſtica, cum inſolita quadam laſſitudine percipitur; quando tales conſveti ſudores temere & repente repelluntur & cohibentur, tunc interdum conſequuntur Febres acutæ aut Cauſodeæ, vel affectus chronici ſpaſtici circa hypochondria & pectus, inſolitæ laſſitudines, membrorum tenſiones, obrigeſcentia, tractiones & palpitationes partium, oedemata molliora, aut tumores duri ruſi, nonnunquam acerbiores ſpasmi & ſi ſudores antea in manibus fuerint, tunc ex illorum improvida repreſſione oriuntur affectus cardialgici, aſthmatici, ſpaſtici, arthritici, in brachia excurrentes, dolores ardentes, tendentes, prurientes contumaces & anxii : ſicut de talibus conſecutionibus pluribus conferatur *Stahlii Diſputatio de Metaſchematismo Morborum* §. 79. Præterea *Lentilius in Miſcell. Medico-Pract. Tom. I.* Melancholiam ex repreſſo ſudore pedum in juvene annotavit.

§. III. Oriuntur hi ſudores quoad ordinem & ſucceſſum ætatum ſatis mature, ita, ut utplurimum in junioribus annis inchoent & dehinc in adultiores transeant, adeoque facile in contumacem illam conſvetudinem degenerent; quales ſudores tamen non cum illis confundendi ſunt ſudationibus, quæ hecticis & phthiſicis calamitatibus ſeſe commiſcent : memorabilis eſt caſus *Bartholini in Actis Haffn. Volum.* 3. *Obſ.* 76. ubi allegatur hiſtoria *Borrichii* de Sudore manus volæ perpetuo ex menſibus ſuppresſis orto : quæ animadverſiones me proxime ad ætiologicum horum ſudorum reſpectum in dagandum invitant, in qua cauſali disquiſitione major ratio habenda eſt particularium motuum a natura ſuſceptorum, ad ſalutarem ſcopum directorum, ut ex inſolita tali regione ſerum illud inutile abundantiori copia elimineter : ſiquidem in nuda ſeri materiali qualitate poſitum haud eſt, ut ex hisce locis ſelectis egrediatur : neque æque tam particularis laxitas harum regionum ulla ratione demonſtrari poteſt, ut ex hisce locis propterea pasſive ſerum illud elabi debeat : ſed ſicut alias excretiones naturæ directorio ſubjectæ ſunt, ita tanto magis hæc ſpecialis evacuatio altius dominium & directorium poſtulat, quo per motuum congruorum continuationem in ſemel ſelecta hæc loca excrementitius ille humor ulterius transferatur : inde etiam evenit, ut talis excretio non modo nullum actuale damnum vitalitati directe inferat, ſed rectius evenit, ut, ſi hæc excretio repente ſupprimitur, tunc demum varia nocumenta exinde oriantur : quod phænomenon ſatis luculentum & prægnans perhibet teſtimonium a poſteriori

riori petitum, quomodo cum hac ſingulari evacuatione etiam a natura ſpeciale commodum prævifum ſit: quicunque itaque motuum vitalium indolem & ordinarium æque ac extraordinarium curſum & decurſum intelligunt, illi facile etiam horum ſudorum fundamentum & formalem cauſam comprehendent.

§. IV. Dum itaque hi ſudores adeo ſenſibiles exiſtunt & facile in pravas conſecutiones delabuntur, ita in medica illorum tractatione eximia dexteritate & circumſpectione opus eſt, ob id cavere convenit, 1) a craſſis, impetuoſis & confuſis evacuationibus, 2) a perturbationibus & negligentioribus promotionibus reliquarum ordinariarum excretionum, 3) a remediis ad nudam humorum correctionem & alterationem directis. 4) a medicamentis calefacientibus, impellentibus, concentratis, ſpirituoſis & motus magis augentibus & exacerbantibus 5) ab internis refrigerantibus, incraſſantibus & legitimum humorum ſucceſſum valde turbantibus & impedientibus. 6) a communi narcoticorum remediorum uſu, 7) ab adſtringentibus internis medicamentis: 8) a prææmatura ſuppresſione horum ſudorum. 9) a topicis valde ſulphuratis, aluminoſis vitriolaceis aliisque repellentibus. 10) ab externis metallicis & Mercurialibus, tanto magis ſuſpectis corroſivis & ſublimatis. 11) a negligentiori conciliatione & tractatione prægreſſarum ſalutarium evacuationum ſangvinis & denique 12) a nimis frequenti diverſorum experimentorum applicatione & variatione.

§. V. Specialis Therapia præcedentis caſus tali ordine eſt adminiſtranda, ut per initia minime prudens & ſecurus artifex ad cohibitionem horum ſudorum repente animum & operam applicare debeat; ſed convenit rectius, quo natura ſucceſſive in reliquas ordinarias excretiones invitetur: hinc præſtat per initia remedia laxantia aliquoties ordinare, quo quædam diverſio modeſta inducatur, inprimis vernali tempore Infuſa vinoſa laxantia & mitius diuretica conducunt: proinde interdum leniores diaphoreſes ſuſcitandæ ſunt: porro ſubordinare convenit Eſſentias reſolventes & mitius diureticas; ſicut hoc nomine præcipue conducunt Eſſ. Vincetox, Helen, Pimp. alb. & Succini; aut conducit Mixtura ex Tinctura Antimonii acri & Eſſentia Succini parata: porro nonnunquam conferunt pulveres temperantes, nitroſi, digeſtivi & abſorbentes, mitius etiam diureſin adjuvantes, ita ut ſucceſſive natura ab hac ſpeciali excretione avertenda ſit; in junioribus & magis ſpongioſis ſubjectis temperatus uſus Acidularum & Thermarum non eſt rejiciendus, modo tales aquæ non valde & repente repellant: præterea circumſtantiæ bene ponderandæ ſunt, an ſangvinis abundantia urgeat, in quo ſtatu præſervatoria & ordinata Venæ Sectio commendari debet: præterea conferunt in hoc caſu Decocta extrinſecus manibus & pedibus applicanda, mitius tonica & nervina, paranda e radicibus

 Levi-

Leviſtici, Ireos flor. Cyperi rot. Caryophyllatæ, Biſtortæ, Herbis Serpilli, Hyſſop, Ror. mar. Origani Alchimillæ, Agrimoniæ &c. præſtat etiam partes ſudantes ſedulo detergere & repugare: ſicut *Langius in Diſput. de Valetudinario Peregrinantium* idem conſilium inculcat, quod etiam multam utilitatem habet. A quibusdam commendantur pulveres partibus ita ſudantibus applicandi, utplurimum e Speciebus valde exſiccantibus & adſtringentibus conſtantes, qui vero cum maxima circumſpectione adhibendi ſunt: rectius confert Pulvis ex Ceruſſa alba, Creta, Antimonio diaph., Mercurio præcipitato albo, Camphora, Myrrha, Maſtiche & Olibano parandus, cum quibus ſemel per diem pars copioſius & moleſtius ſudans adſpergenda eſt.

§. VI. Inter alia externa adminicula ad hosce ſudores proficua conducit etiam Unguentum e ceruſſa alba, Maſtiche, Thure, Camphora, Myrrha, Oleo Spermatis Ranarum, Hyoſcyami, Roſaceo & munda quadam Axungia, addito Oleo Chamom, Lil. alb. & tantillo Ceræ virgineæ paratum: præterea pasſim a Practicis externa quædam remedia commendantur, quorum quædam tamen minus ſecura eſſe deprehenduntur, quoniam ſenſibiles tales ſudores facile repellunt & repente ſupprimunt, inprimis circumſpectio habenda eſt cum metallicis remediis. *Zwingerus in Diſſ. de Fœtoribus corporis humani* paragrapho ultimo commendat Infuſum laxans, Venæ Sectiones, Scarificationes, Trageam abſorbentem, ſedulas abſterſiones, uſum Decoctorum nervinorum & modeſte adſtringentium, nec non quotidianam linteaminum, cum quibus pedum digiti involvuntur, mutationem, unguentum de Ceruſſa, aut impoſitionem Foliorum recentium Hederæ arboreæ aut Plantaginis. *Lentilius in Miſcell. Medic. Pract. Tom. I. p. 36. 37.* commendat pediluvia ex Rad. Ir. flor, Cyper. rot, Herbis Origani Salv. Spicæ, Flor. Chamom, Foliis Lauri, Flor. Roſarum, Balauſtiorum & Scoria Reguli Antimonii: porro ordinat Limaturam Orichalci intra tibialia geſtandam, quæ tamen minus ſecurum uſum habet: alii, referente eodem Lentilio, uſurpant Crocum Veneris aut Vitrioli, intra ſoccos detinendum, ut & ſoleas ex fungo illo quem nominant den Zünd-Schwamm paratas; quæ vero experimenta æque minus approbata ſunt: unde judicium prædicti Lentilii de cura hujus ſudoris bene attendendum eſt. *Zapatha* im Schlüſſel der Artzeney commendat Lithargyrium in Aceto coctum, & ſolutionem Aluminis, ut & Mercurium ſublimatum, quæ vero periculoſa ſunt remedia & experimenta: pluribus de hoc ſudore conferatur *Felix Platerus Prax. Med. Tom. 3. de Sordidis Excretionibus: Arnoldus Villanovanus in Libr. de Ornatu Mulierum, Arnoldus Weickardus in Theſauro Pharmac. Lib. I. Cap. 9.*

CASVS

CASUS XXX.

DE

CALENDARIO VIVO.

§. I.

HOc titulo illum caſum atque affectum denoto, quando diverſi ſenſibiles & variis morbidis afflictionibus obnoxii homines citra uſum & inſpectionem communis Calendarii in certis ſui corporis membris, ſive olim valde vulneratis, ſive alio modo & morbo vexatis dolorifica quadam ſenſatione aut moleſta etiam perceptione imminentem & appropinquantem aliquam externam tempeſtatis mutationem præſciunt, indeque eloquuntur, es würde ſich das Wetter ändern, ſie fühleten es an ihrem Leibe, ſie hätten einen Calender in ihren Gliedern: quemadmodum hæc ipſa moleſtia in multis ſubjectis cum multiplici approbatione alterationem macrocoſmicam prodit, unde etiam ejusmodi homines frequentioribus talibus incommodis aut actualibus doloribus & ægrotationibus ſubjiciuntur: Et quamuis talis afflictio conſvetudinalis reddita ſit, adeoque medicam opem eludere videatur; tamen cum hac calamitate oppresſi homines nihilominus opem aliquam & efficacem medelam deſiderant: alioquin quidem hic caſus minime rarus eſt, differt tamen partim quoad ſubjecta; partim quoad ipſas partes, in quibus ejusmodi morbificæ ſenſationes occurrunt: quod ſubjecta attinet, tunc illa communiter tam quoad animum, quam quoad corpus ſunt admodum ſenſibilia; partes vero utplurimum ſunt externæ, velut artus, dorſum, ſcapulæ, nucha, lumborum regio, quin ipſum plane caput, ſiquidem in capite ſeſe tunc morbificæ tales ſenſationes exſerunt, quando ante hac hæc ſubjecta vel in capite graviter vulnerata fuere, vel cum capite eximias contuſiones ſubierunt, aut quando frequentes capitis ſenſibiles dolores perpeſſa ſunt; tanto magis vero, quando tales dolores minus congrue tractati fuerunt.

§. II. Proinde ejusmodi morboſæ ſenſationes uſitatius ſeſe produnt circa articulationes in tendinibus & ligamentis, quando videlicet olim hisce partibus aliquæ læſiones & violentiæ inductæ fuerunt; tanto facilius hic caſus obtingit, quando in tales regiones plumbeus globulus ante hac e bombardæ ictu immiſſus fuit, qui nunc easdem adhuc aggravat, wenn eine Kugel eingeheilet worden: ſimiliter tales moleſtiæ dolorificæ ſequuntur prægreſſam luxationem,

ſracturam, contuſionem, aut diuturnam ulcerationem; vel quando tales partes frequentius rhevmaticis & ſpaſticis cruciatibus obnoxiæ fuerunt: ut & quando antea ejusmodi partes vel ſenſibiliter combuſtæ, vel nimium refrigeratæ ſunt, nec non quando ſubjecta talia olim peſtem perpeſſa ſunt & in tali parte bubonem aut carbunculum geſtarunt: miſſis pluribus ſenſibilibus & ſonticis cauſis, occaſionibus & offenſionibus, quæ ad futurum tale Calendarium vivum antecedente quadam cauſandi ratione contribuerunt: utpote quas circumſtantias proinde prudens artifex bene annotare debet, quo ſecundum illorum conditionem etiam dehinc cum congrua medicatione iisdem convenienter & dextre ſubvenire queat.

§. III. Tales moleſtæ ſenſationes communiter extremas illas macrocosmicas mutationes præcurrunt & durantibus hisce adhuc continuant: unde Barometri inſtar tempeſtatum variationes prænuntiant, proptereaque Calendarii vices tenent: quod vero ipſas morbidas & dolorificas ſenſationes attinet, tunc eædem ſunt tractoriæ, tenſoriæ, vibrativæ, formicantes, partes affectæ ſubinde delaſſatæ & ad communia munera ineptæ, quaſi diuturno labore defatigatæ deprehenduntur: eo magis inſolitæ hæ ſenſationes occurrunt, quando tales partes leviter moventur: interdum affligunt in ejusmodi locis dolores fremebundi titillantes, pulſatiles, palpitatorii, æſtuantes & ardentes: in nonnullis ſubjectis interdum in tali parte inſolita refrigeria occupant, cum intercurrentibus doloribus tenſoriis: qualia ſenſationum ſchemata in quibusdam ſubjectis alternant, ſed ubique tempeſtatum mutationem indicant: quidquod accidit, ut quædam attenta ſubjecta e diverſis ejusmodi ſenſationibus ſpecificas tempeſtatum mutationes prædicere ſciant, an videlicet ventus, an pluvia, an frigus conſequatur: & talis ſtatus in reliquos evacuationum ordinariarum ſucceſſus non exiguas turbas infert, ut propterea ita affecti homines admodum valetudinarii exiſtant.

§. IV. Quando nunc ab hac hiſtorica præſentis caſus commemoratione ad illius ætiologiam progredior, tunc arduum videri poſſet, tam ſubtilem & intricatam afflictionem cum ſolidis & manifeſtis cauſis explicare; brevibus interim indico, quod fruſtra in materiarum relatione & reactione fundamentum hujus theoriæ inquiratur; haud enim Aëris & Aëtheris activitas, haut etiam Spirituum animalium tumultus, haud nervorum obſtructiones, haud quoque æquilibrium mechanicum aerometricum & ſtaticum in hoc negotio ſatisfaciunt, ut videlicet illi influxus materiales macrocoſmici tantæ poteſtatis ſint, quo in tonica quadam corporis parte & regione tales alterationes cauſentur & non in univerſo corpore & licet quisquam in hac difficultate ad diſcretam diſpoſitionem materialem illius partis provocare poſſet, tamen in

hac

hac excuſatione obſcurum per æque obſcurum occurreret: proprie quidem hæ ſenſationes morboſæ recte, referente *Stahlio in Diſputatione de ſpasmis*, motibus ſpasmodicis abſolvuntur, ita ut non neceſſe ſit illis arduis & implicatis theoriis aſſentire, quales in *Lentilii Miſcell. Med. Pract. Tom. 1. pag. 283* & in *A. N. C. Dec. 2. an. 6. obſ. 4. & p. 570* occurrunt: Nunc vero ſciendum eſt, quod ſpasmi ſint augmentum motus tonici, tonus vero ſunt actus & operatio naturæ, ita ut aeris mutationes minime efficienter hos motus in corpore humano excitent: quo magis vicisſim natura cum hisce motibus alias in exceſſum inclinat, aut in pravum quendam habitum degeneravit, eo magis in horum motuum adminiſtratione ſenſibilis eſt, ita ut levem cauſam, occaſionem & irritationem, ſive intrinſecus ortam, ſive ab extra oblatam ſequatur, adeoque tales commotiones exerceat; ubi quidem fruſtra eſt, ob defectum craſſæ perceptionis ita concludere velle, quaſi propterea hi motus alterati à natura dependere nequeant, quia anima nullam maniſeſtam perceptionem mutationum macrocosmicarum imminentium habet: aſt quamvis hæc perceptio non tam craſſa eſt, tamen ſubtili modo hæc ſenſatio fieri poteſt & ſolet: æque ac in moralibus interdum valde ſenſibilis homo ex levisſima cauſa, quam alius vix obſervat, alterari ſolet: Hinc talem immutationem motuum ſenſibilitati naturæ adſcribo.

§. V. Ad practicam præſentis caſus tractationem me nunc converto: & ſicut huius afflictionis indoles quoad circumſtantias ſuas genuinas non omnibus ſatis exacte cognita eſt, inſuperque hic affectus valde ſenſibilis & intricatus exiſtit; ita major prudentia & ſollicitudo habenda erit, quo cum neceſſaria lenitate & efficacia hic affectus tractetur & ne ex ulla antipraxi, aut temeraria diverſorum experimentorum applicatione ipſe perturbetur, propterea ſequentes cautelæ practicæ in huius afflictionis therapia commendandæ & obſervandæ ſunt, cavendum itaque eſt 1) a confuſa & negligenti antecedentium cauſarum, prægreſſorum morborum & in hisce adhibitarum medicationum conciliatione & disquiſitione 2) a confuſis & impetuoſis diverſis evacuationibus 3) a negligentiori ordinariarum & neceſſariarum excretionum promotione 4) ab inconſiderata & oblivioſa ſtatus plethorici & negotii hæmorrrhagici connexione, æſtimatione & tractatione 5) a remediis materiam & humores tantum profligantibus & alterantibus 6) a præmaturo, aut plane luxurioſo uſu Salium volatilium 7) a quibusvis remediis calefacientibus, impellentibus, concentratis & humores valde commoventibus 8) a communi Opiatorum ordinatione 9) ab externis adſtringentibus & valde repellentibus 10) a topicis nimium lenientibus & emollientibus 11) ab Acidularum & Thermarum confuſo uſu & denique 12) a nimis præcipitata & frequenter variata medicatione.

§. VI. Poſitiva huius caſus cura vix facile abſolutam reſtitutionem & dolorificæ ſenſationis ſecundum tempeſtatum mutationes variantis abolitionem promittit, ſed tantum aliqualem mitigationem acerbioris huius afflictionis involvit, ſiquidem temerarium & periculoſum conamen eſſet per vulgaria opiata remedia talem affectum penitus exſtirpare velle: mitior itaque methodus huic affectui medendi hisce operationibus artificioſis nititur, ut videlicet præmittantur mitiora laxantia, quo generales impuritates e primis regionibus ducantur & deinde reliqvum corpus ab iisdem liberetur, ne per illas occaſio & cauſa ſubminiſtretur, quo in illa ſenſibilitate natura perſiſtat, adeoque irregulares tales commotiones frequentius repetant: conveniunt itaque hoc nomine vina medicata laxantia per epicraſin efficacia, remedia rhabarbarina, correcta aloetica, Extr. Panch. Croll., Maſſ. Pil. de Succino Cratonis, Pil. Tartareæ &c. præterea uſurpanda ſunt remedia antiſpasmodica nitroſo-Cinnabarina, Coralliata, quibus interdum ſubordinari poteſt uſus Specierum de Hyacintho per effectum mitius tonicum utilium, porro ſedulo providendum eſt, quo alvus conſtanter aperta atque lubrica, nec non, quo tranſpiratio inſenſibilis conſtans atque ſufficiens ſit: proinde interdum lenes diaphoreſes provocare licet, quo non modo maſſa ſangvinis a ſubtilioribus impuritatibus repurgetur, ſed & quo eadem æqualiter diſtribuatur & a particularibus congeſtionibus arceatur: pro hoc ſcopo conducunt Eſſentiæ alexipharmacæ, quæ etiam alibi citra coniunctum regimen diaphoreticum pro uſu mitius diuretico exhiberi poſſunt: maxime confert corpus in ſufficienti calore ſervare, quo magis enim illud externis refrigeriis exponitur, aut alias aer turbidior liberalius admittitur, eo magis non modo hic affectus exacerbatur, ſed & plane augetur & confirmatur.

§. VII. Præterea ordinanda ſunt quædam tonica remedia, quæ impediunt, quo minus facile illi motus morboſi recrudeſcant: huius nominis eſt Mixtura e Tinctura Antimonii Tartariſata, Spiritu Cornu Cervi & Eſſentia Succini parata; ſed præſtat etiam ſubinde externa idonea adminicula coniungere: quare conveniunt interdum Sacculi e diſcutientibus & mitius nervinis remediis parati: non minus conveniunt Spiritus illi nervini, ut Spiritus Vin. Camph. Lumbr. terreſtr. & Formicarum mixti: porro proſunt repetitæ frictiones affectarum partium & nonnunquam etiam temperatus uſus balneorum domeſticorum proficit: præſervatorio ſcopo in ſubiectis vel plethoricis vel ſangvinis commotionibus obnoxiis conducunt tempeſtivæ Venæ Sectiones, in reliquis modeſtæ laxationes proſunt. In ſpongioſis hominibus moderatus uſus thermarum temperatarum confert: proinde ſervandum eſt mobile vitæ genus; excludendæ ſunt nimiæ commotiones corporis; potus ſit ſufficiens, animus

mus tranquillus, diæta temperata & ordinata, regimen modeſtum: nimium frigus & nimius æſtus nocent; neque etiam proficuum eſt, ſi tales homines nimis frequenter medicamentorum uſibus indulgent, quibus ipſis naturam admodum ſeducunt atque perturbant, tanto magis exactum regimen ſeligere convenit, quo magis hæ alterationes ab externis mutationibus provenientes in ipſum illud regimen non modo operantur, ſed & per illud penitus confirmantur.

CASUS XXXI.

DE VULNERATIS.

§. I.

PErfrequens hic eſt caſus, ubi medicorum extemporaneum auxilium requiritur pro hominibus graviter vulneratis, utpote quod tragicum accidens non modo Chirurgorum dexteritati atque peritiæ, ſed & Medicorum prudentiæ & directioni commendandum eſt: ſiquidem interdum ex ejusmodi vulnerationibus vel repentina mors imminet, vel grave ſangvinis profluvium urget, ut ita tam affectus homo, quam adſiſtentes ob inopinatum metum omnium ſalutarium conſiliorum & auxiliorum inveniendorum & admittendorum inopes reddantur: quare ex officio boni artificis fluit, ut in tali extrema calamitate non modo præſentis animi & ab anxietate & timore liber ſit, ſed quo etiam tempeſtive & expedite congrua & utilia auxilia ordinare poſſit, ſiquidem in tali caſu perſæpe periculum in mora eſt, ut propterea tanto magis Medici promta dexteritas atque peritia requiratur, ne prima occaſio, quæ optima eſt, admodumque urget, prætermittatur; in hoc quidem caſu negari minime poteſt, quod non in ſingulis artificibus illa præſentia & præſtantia adſit, quo ejusmodi affectui adeſſe poſſint, ſiquidem illa magnanimitas non cujusvis hominis eſt, ſed æque inter Medicos, quia homines ſunt & in eo aliquid humani patiuntur, naturalis quædam ſenſibilitas et delicata puſillanimitas reperitur, ob quam tamen tales Medici minime contemnendi ſunt, ſiquidem dona Dei tam in ſpiritualibus quam naturalibus diſcrepant: quare præſens noſtra animadverſio atque tractatio illis ingeniis dicata eſt, quæ alias in tam arduis, extremis et horridis caſibus non timida anxia et abjecta ſunt,

§. II.

§. II. In hoc caſu graviter vulneratorum ſubjectorum variæ circumſtantiæ obſervandæ & deinde ad uſum practicum applicandæ ſunt, e quibus hoc loco principaliores conquirere & ſignificare lubet: 1) itaque Medicus in ſubjecto vulnerato annotare debet, an læſus & animo & corpore valde ſenſibilis fuerit; ſiquidem cum tali ſenſibilitate variæ ſonticæ alterationes & graves deteriorationes complicatæ ſunt: 2) an læſus animo adhuc præſens & integer ſit, an vero jam vel mentis mutationes, vel repetita animi deliquia concurrant: 3) an præſens læſio valde periculoſa ſit, quæ tanto magis repentinam & efficacem opem urget: 4) an e parte læſa ſangvis ſufficienter profluxerit, an vero ille neceſſarius ſangvinis fluxus præmature cohibitus fuerit aut ſubſtiterit: 5) an ſangvis talis e vulnere inflicto excesſive & cum ſimultaneo impetu emanaverit: 6) an læſus plethoricus fuerit, adeoque notabilem ſangvinis quantitatem perdere potuerit, imo etiam certo reſpectu debuerit: 7) an læſus antehac actualibus vel ſpontaneis, vel artificialibus ſangvinis imminutionibus adſvetus fuerit: 8) an ſub inflicta vulneratione gravis terror aut excesſiva ira concurrerit, aut etiam gravis commotio corporis præceſſerit: 9) an vulneratio talis modo inflicta fuerit, an vero vicisſim jam notabile temporis ſpatium interceſſerit: 10) an vulneratio cum inſtrumento acuto aut obtuſo commiſſa fuerit: 11) an læſus junioris aut magis adultæ ætatis ſit: 12) an denique cum præſenti vulnere jam alia gravia ſymptomata animum aut corpus concernentia complicata ſint, velut deliria, lipothymiæ, febriles commotiones, ſpasmi, convulſiones, rigores &c. ſecundum quas palmarias circumſtantias providus & peritus artifex proximam ſuam medendi methodum exacte inſtituere atque ordinare debet.

§. III. Secundum has modo memoratas circumſtantias vulnerationes in individuis dijudicandæ ſunt: e qua ſollicita atque attenta animadverſione varii alii utiles reſpectus oriuntur, qui ad pathologiam & therapevticam disquiſitionem applicari poſſunt: multum enim refert, ſi vulnerati animo præſentes & integri ſunt; cum contra anxietas, metus & gravis abjectio animi variis periculoſis & turbulentis ſucceſſibus anſam præbeat, dum in ordinarias æque atque extraordinarias functiones vitales gravis ataxia & perturbatio ingruit, ut propterea etiam vulnus citius in periculoſum ſtatum degeneret: deinde etiam prudens artifex in periculoſo vulnere ſtatim concurrentia ſuſpecta ſymptomata obſervare debet, quæ, quia præſens periculum eo magis augent, ita tanto magis artifex ſollicitus eſſe debet: quo tempeſtive illis mitigandis & removendis operam adhibeat: ſiquidem interdum accidit, ut vulnerati non tam propter vulnus, quam propter gravia ſymptomata moriantur, unde in illorum æſtimatione minime ſecurus aut negligens eſſe debet Medicus;

cus;

cus: præterea etiam obſervare convenit atque inquirere, an mox poſt inflictam læſionem quidam errores, maxime in regimine præceſſerint, qui deinde ſtatum vulnerationis periculoſiorem reddere ſolent, quibus erroribus propterea corrigendis & tempeſtive emendandis peritus Medicus invigilare debet: ſicut nonnunquam commiſſæ ſuſpectæ refrigerationes aut præpoſteræ deligationes &c. in futurum multa damna cauſari ſolent: inde facile liquet, quomodo ex officio Medici in vulneratorum tractatione tam poſitiva, quam privativa munera adminiſtranda occurrant.

§. IV. Proinde multum refert in vulneratis perquirere, an inflictum vulnus ſangvinem ſufficienter ſtillaverit: quod ſi enim in ſubjectis plethoricis, ſangvinis commotionibus aut ſpontaneis aut artificialibus emotionibus adſvetis & poſt vehementem commotionem ſangvinis prægreſſam vulnus inſufficienter ſangvinem dimiſerit, tunc citius atque certius inflicto vulneri & ſimul ſubjecto vulnerato eximia noxa ſupervenit & ſubinde accidunt ſuſpecti tumores, repentinæ & vehementes inflammationes, graves & periculoſæ dolorificæ ſenſationes aut actuales corruptiones: & ſic viciſſim obſervare convenit, an e vulnere ſangvis in exceſſu fluxerit, unde extremæ virium dejectiones, animi deliquia, ordinariarum functionum turbæ & ob hanc motuum defectivam adminiſtrationem, mox deinceps repentinæ vulneris depravationes excipiunt, cum ante omnia in tam ſontico caſu ſingularis naturæ activitas, præſentia, alacritas & præſtantia requiratur: non minus peritus & circumſpectus Medicus ſenſibilitatem vulnerati ſubjecti bene annotet, eidemque in tantum ſuccurrat, ne eadem in ullas extremitates delabatur, ut vel exceſſivi motus conjungantur, vel neceſſarii motus plane deſerantur: & cum non rarum ſit, quod vulneribus febriles commotiones accidant, hinc magna cum ſolertia iisdem rite dirigendis cura adhibenda eſt, quod etiam valet de convulſivis commotionibus: denique ubique medela eo eſt dirigenda, quo ordinariæ functiones vitales in juſto ſuo proceſſu conſerventur, aut in eundem reſtituantur.

§. V. Quod itaque medicam vulneratorum tractationem attinet, tunc antea præſtat ſcitu & notatu dignas cautelas practicas inculcare, ne præſens vulnerationis ſtatus offendatur, aut graviter exacerbetur; quo loco minime placet tales cautelas proponere, quæ preſſius ad chirurgicum forum ſpectant, quales etiam paſſim in Chirurgia mea propoſitæ ſunt: ſed neceſſarium magis erit ejusmodi antipraxes recenſere, quæ ad internam vulnerum directionem pertinent, eapropter cavendum eſt 1) a quibusvis craſſis, violentis & impetuoſis evacuationibus, maxime anotericis, deinde etiam catotericis; 2) ab indiſcreto, confuſo & præpoſtero Venæ Sectionis uſu: 3) ab internis medicamentis calefacientibus, impellentibus, acribus, exoticis, balſamicis, concen-

 tra-

tratis & ſimilibus: 4) a medicamentis volatilibus, maxime vero oleoſis, ſub periculoſiori vulnerum ſtatu interdum offerri ſolitis: 5) a medicamentis poſitive adſtringentibus, incraſſantibus, acidis & valde coagulantibus: 6) omnium maxime vero a narcoticis & motus ſupprimentibus & perturbantibus: 7) a medicamentis nervinis & roborantibus, ſangvinem valde commoventibus & motus repente excitantibus, 8) a nimis frequenti remediorum diverſi effectus mutatione, 9) a nimis prodigis & copioſis medicamentorum oblationibus, 10) a nimis præcipitata & ſimultanea ſymptomatum ſuppresſione & perturbatione, 11) a negligentiori tractatione motuum concurrentium febrilium congeſtoriorum & inflammatoriorum & denique 12) a perverſo aut varie mutato regimine, nec non ab incongrua diæta.

§. VI. Proximum nunc eſt, quo ad ipſam practicam vulneratorum tractationem accedam, quæ prædictis fundamentalibus & principalibus reſpectibus & circumſtantiis in vulneratis occurrentibus & diſcrepantibus accommodari debet: quando itaque in ejusmodi ſubjectis eximia animi abjectio & perturbatio occurrit, tunc tempeſtive ordinanda ſunt remedia analeptica & ſic dicta conſortantia, e quorum numero tamen acriora & ſpirituoſiora excludenda ſunt: præſtat rectius præſcribere Potiones, Mixturas & Emulſiones, quæ poſteriores inſuper ſangvinis tempeſtivæ reparationi inſerviunt: proinde ejusmodi formulis combinari poſſunt Syrupi, Conſervæ & Confectiones analepticæ & roborantes, ut & remedia temperantia & irregulares commotiones præoccupantia, velut Mater Perlarum præpar. Corall. rubr. præpar. Oculi Cancr. citrati, Species de Hyacinth. Lumbric. terreſtr. quando læſio valde periculoſa eſt, tunc patiens mox in quietem, ut ſolet, reponendus eſt & ſubinde ſine mora præter interna roborantia remedia Chirurgica auxilia in uſum ducenda ſunt; cavendo, ne vel ſenſibilis refrigeratio, vel nimia exæſtuatio admittatur: quod ſi contigerit, ut ex inflicto vulnere ſangvis non ſufficienter effluxerit, ſed præmature ſubſtiterit, tunc vulnus eſt dilatandum, aut ſine ulla mora ſangvis eſt exſugendus, ne in interioribus ſubſiſtat, ſtaſin ſubeat & ad corruptionem præparetur: pro eodem ſcopo aliquando vulneri collapſo applicari poſſunt cucurbitulæ, quæ ulteriorem ſangvinis fluxum adjuvant: poſtea ipſum vulnus cum vino calido foveri debet, ſicut modeſta vulneris fomentatio & caloris temperata applicatio ſufficientem Hæmorrhagiam invitat, quo adhuc contribuit moderata frictio: quod ſi etiam contigerit, ut vulnus exile fuerit, quod tamen in intimiores & nobiliores partes penetravit, tunc pro meliori acceſſu parando ab extra modeſta chirurgica amplificatio admittitur; ab aliis vero ſtimulantibus & partem affectam immodeſte offendentibus tentaminibus ſollicite abſtinendum eſt.

§. VII. Quod ſi contigerit, ut ex inflicto vulnere exceſſive ſangvis promanaverit, tunc tempeſtive ordinanda ſunt remedia roborantia, analeptica & ſimul ſangvinis defectum reſtituentia: huc conferunt Emulſiones, minime tamen e refrigerantibus remediis paratæ: deinde proſunt juſcula gallinacea modeſte aromatiſata, quæ vocant die Krafft-Brühen, gelatinoſa, lacticinia, pultacea, amygdalata, aliaque e diæta pasſim proficua ſubjecta; cavendo tamen eſt, ne talia offerantur, quæ nimiam aut multam concoctionem requirunt, unde rectius liquida & mollia conducunt: quod ſi in vulnerato eximia ſenſibilitas animi præſto fuerit, tunc præter uſum remediorum analepticorum & neceſſariam corporis requiem moralis animi erectio & medicatio neceſſaria eſt, ſervata illa cautela, ne cum nimia anxietate nimioque metu vulnerato periculum præſentis ſtatus inculcetur, animusque magis ſupprimatur: quod ſi in ſubjecto læſo e vulnere inflicto ſanguis non ſufficienter profluxerit, neque etiam facile ulterior ſangvinis fluxus provocari poterit, interim tamen præſens plethoricus ſubjecti ſtatus valde urgeat, tunc tempeſtiva Venæ Sectio ad præoccupanda gravia ſymptomata inſtitui debet: præterea conveniunt remedia temperantia Nitrata Antimoniata fixa & ſangvinis orgaſmum intercipientia aut mitigantia, una cum diluentium adminiculorum conſortio; inſuper etiam neceſſaria quies animi & corporis concilianda eſt, ſervata illa utili cautela, ne regimen valde anxium & æſtuoſum adhibeatur, quod orgaſticas commotiones ſangvinis, inflammationes & febres facile provocat.

§. VIII. Quando ſubjecta læſa non modo plethorica fuere, ſed & ante hac multiplices plethoræ ſuæ commotiones, aut actuales plane atque ſpontaneas imminutiones experta ſunt, tunc in tali ſtatu ſedulo proſpicere convenit, quo ſanguis ſufficienter e vulnere tranſtillet, neve præmature Hæmorrhagia præſens coerceatur: deinde ordinandum eſt regimen modeſte diapnoicum cum remediis diaphoreticis fixioribus, quo ſangvis in æqualem ſuum curſum atque progreſſum transferatur: non minus ſub hac circumſtantia ordinari poſſunt lenientia, diluentia, gelatinoſa & Nitroſa, quæ irregulares ſangvinis commotiones anticipant & præſcindunt; ſicut pro eodem ſcopo abſorbentia teneriora cum acidis attenuata & ſaturata proficiunt. Si ſub vulneratione in ſubjecto graves & ſuſpectæ patheticæ commotiones ſucceſſerunt, tunc partim ad complacandum animum, partim ad præoccupanda graviora pathemata conferunt remedia analeptica, Nitroſa, Cinnabarina, Coralliata ex Hyacintho aliisque Gemmis parata, maxime Potiones aliæque liquidæ formulæ, non excluſo ipſo modico boni Vini uſu; cavendo ne acriora, ſpirituoſiora & volatiliora ordinentur, quæ alias facile ſpasmos, convulſiones aut febres concitare ſolent: tanto magis prudens artifex ſollicitus eſſe debet, atque operoſus, quando jam

 nota-

notabile tempus poſt inflictum vulnus præteriit, quo omnium periculoſarum circumſtantiarum attentam rationem inſtituat, adeoque ſymptomata urgentia & prægnantia temperanter & convenienter mitiget; quod ſi vero Medicus mox in primis initiis ad talem vulnerationem acceſſerit, tunc eo magis cavere debet, ne ſiniſtri quicquam ſuperveniat.

§. IX. Si vulneratio cum acuto inſtrumento inflicta fuit, adeoque de præſenti hanc læſionem eximius dolor comitatur, tunc tempeſtive adhibenda ſunt lenientia demulcentia nervina & diſcutientia, ne dolor increbeſcat, neve affluxus humorum atque congeſtio ſangvinis contumacius inſiſtat: conferunt hoc nomine Cataplasmata e prædictis Speciebus paranda, ſicut in ambitu modeſtus Camphoratorum uſus in hoc caſu non inutilis eſt; interim a pingvibus, poros obſtruentibus, valde emollientibus aut admodum acribus, aut irritantibus cum maxima cautela abſtinere convenit: ſi læſum ſubjectum junioris ætatis fuerit, tunc præſtat invigilare, ne vel nimia ſenſibilitas, vel immoderata & impatiens activitas, vel humorum ſangvinis æque ac aliorum ubertas perniciosa & ſontica quædam pathemata inferat; ſubinde in tali ætate tanto magis a potentioribus, activioribus & acrioribus remediis deſiſtendum eſt: in valde adultis non modo roborantia, ſed & gelatinoſa, juscula gallinacea, nutrientia & paulo efficaciora remedia adhibere licet: quoniam in hisce poſterioribus energia naturæ in reparandis læſionibus magis ſegnis & torpida eſt, unde pro adjuvando actu conſolidationis intrinſecus Decocta mucilaginoſa & gelatinoſa proficiunt: quod denique ſuſpecta ſymptomata attinet, tunc ad illorum interceptionem confert, quo alvus ſit aperta, quæ liberatio alvi in caſu neceſſitatis magis cum clyſteribus lenientibus oleoſis, quam cum aliis remediis, tanto minus ſtimulantibus perficienda eſt: tanto magis in capitis vulnerationibus alvus aperta eſſe debet, in quo caſu tamen periculoſum eſt, alvum cum ſtimulantibus provocare velle: porro ad præoccupanda pernicioſa ſymptomata conducunt pulveres temperantes, Nitroſi, Cinnabarini, Coralliati, ut & remedia modeſte diaphoretica & interpoſita roborantia; ab internis adſtringentibus Martialibus & acribus Eſſentiis cum maxima prudentia abſtinendum eſt, quia talia remedia vel motus nimium coercent atque turbant, vel viciſſim valde exacerbant: & in hisce principalioribus operationibus artificis officium conſiſtit, quod graviter vulneratis ſubjectis prudenter, promte & perite exhibere debet.

CASUS

CASUS XXXII.

DE

NOCTAMBULIS.

§. I.

INter alios rariores & intricatiores affectus merito nominari & obſervari debet Somnambulatio, ſive Circumvagatio dormientium, tam in conſvetis domiciliis, quam etiam in aliis & plane periculoſis locis, qui affectus propter metuendas pravas conſecutiones eapropter Medicorum ſtudio & vigilantiæ ſubmittitur, quo magis illius cauſa etiam in corporis morbidis afflictionibus hærere judicatur: & quamvis quidem ultimus hujus ægrotationis effectus in animo hærere videatur, dum ſub reliqua ſenſuum quiete nihilominus anima inquieta & motu corporis locali operoſa exiſtit; attamen etiam nonnullæ cauſæ concurrunt, quæ corporis afflictionem atteſtantur: ea propter in Medicina præſens mixtus affectus attente dignoſcendus & tractandus eſt, quo tam animi, quam corporis vitio idonea medela offeratur: qualis ſollicitudo eo magis & Medici & afflicti hominis animum occupare debet, quo magis hæc afflictio eo usque facile increbeſcit, ut graviora pathemata, medicam opem utplurimum eludentia, conſequantur: & ſicut ad eundem animi & corporis morbum ipſa continuans interna animi inquietudo, afflictio & ſollicitudo in ægrotante contribuit; ita eo magis neceſſe erit, tempeſtive huic morbo conſulere & aptam medelam ordinare, ne in contumacem habitum degeneret; ſicut vero attentus artifex duplex objectum in hoc caſu reperit, primario quidem animum, ſecundario deinde corpus, ita pro utriusque congrua ſublevatione ſtudium & operam adhibere debet.

§. II. Quod ipſum affectum attinet, tunc utplurimum cum eodem correpta deprehenduntur ſubjecta juniora, quoad animum ſenſibilia, inquieta, immoderata, activa, attamen etiam tenacia & immorigera, multiplicibus profundis meditationibus & interdum etiam noctu variis inopportunis ſpeculationibus indulgentia, qualia proinde vel hæreditariam hypochondriacam afflictionem in ſe geſtant, vel etiam ſub multa deſidia & irregulari diæta in hypochondriacos, ſpleneticos & melancholicos affectus conjiciuntur: hæc ipſa itaque noctu ſurgunt & ſub ſomno circumcurſitant, iterumque ſibi haud conſcia de commiſſa tali obambulatione in lectum decumbunt; deterioris indolis eſt, ſi e-

ſi ejusmodi homines hanc nocturnam inquietudinem circa eminentiores lunæ mutationes experiuntur, qualis deinde Somnambulatio lunatica exiſtit: infrequentior tamen illa obſervatio noctambulationis eſt, quando tales homines periculoſas altitudines aſcendunt, iterumque deſcendunt, atque clauſis oculis circumvagantur, qui tamen cum maxime circumſpectis gresſibus incedunt & ſub tali inquieta obambulatione varia inſomnia turbulenta & animi circumvagationes experiuntur: quo magis itaque in tam inſolito & inopportuno actu anima conſtituta eſt, eo minus conſultum erit ita dormientes circumvagantes homines ſubito expergefacere, unde non niſi in gravem terrorem conjiciuntur & ſi in locis periculoſis eo tempore conſtituti fuerint, periculoſis lapſibus ſubjiciuntur: unde facile liquet, quanta cum circumſpectione cum ejusmodi ſubjectis, ſub ipſa tali noctambulatione comprehenſis, procedendum ſit.

§. III. Sicut hæ principaliores circumſtantiæ ſunt, quæ ad hiſtoriam noctambulationis ſpectant; ita pluribus pasſim hujus caſus mentio occurrit: inter Medicos obſervatores practicos utplurimum de noctambulis agit *Paracelſus Tom. 9. Jacobus Horſtius, de natura, differentiis & cauſis eorum, qui dormientes ambulant &c. Taudlerus de Noctiſurgio, Schenckii Diſp. de ambulatione in ſomno, Hoeferus in Hercule Medico, Fienus de viribus imaginationis, Gregorius Horſtius in obſ. medicin. Langius in Epiſtolis Medic. Zacutus Luſitanus de M. P. H. Tom. 1. lib. 1. obſ. 14. & 15. Sennertus in Praxi Medica, Paulus Zachias Quæſt. leg. lib. 2. tit. 1. quæſt. 12. Hildanus in obſ. Chirurg. Hechlerus Diſput. de Noctambulis, Platerus, Rhodiginus lib. 30. c. 9. Mendoca lib. 4. viridarii probl. 16. Bartolus in L. ut vim §. de juſto & jure, Tiraquellus tr. de pœnis temper. aut remitt. cauſ. 5. Greg. Horſtius lib. 3. Conſ. & Epiſt. Sect. 1. Salius de affect. Part. c. 18. Fonſeca, Libavius, Euſebius lib. 2. theſ. c. 25. Rejes Elyſ. juc. qu. 37. p. 402. ſeqq.* variique alii de eodem affectu conſulendi ſunt: brevibus interim hujus caſus cauſa primario in ipſo animo eſt inquirenda, cujus diurna & nocturna ſenſibilitas & inquietudo ad præſentem obambulationem anſam præbet & licet utplurimum ſenſus in ejusmodi homine ſub ſomno acquieſcant; tamen eo magis anima in functione phantaſiæ eſt activa & inquieta, ut propter hanc circumvagationem ejusdem phantaſiæ tales homines nunc acquieſcentibus reliquis ſenſibus ſurgant & obambulent; in quo tamen extraordinario, inopportuno & periculoſo actu anima ita circumſpecta atque continens eſt, ne corpus ſuum periculoſis offenſionibus facile exponat. Quodſi vero eadem, dum ita ſecum operatur & ab aliis negotiis abſtracta eſt, excitetur, tunc ob momentaneam alterationem & revocationem ad reliquos ſenſus, non niſi variis perturbationibus & periculoſis conſecutionibus ſubjicitur.

§. IV.

§. IV. Neque quidem nego, quod ad hunc morbum animi ægritudo corporis diſponat, uti alias diuerſæ morbidæ corporis afflictiones ad animi perturbationes contribuere ſolent: interim vicisſim hæc animi ægritudo præſentem corporis morbum auget atque ſuſtentat: inprimis animam afficiunt atque turbant difficiles & multis periculis ſubjecti progreſſus ſangvinis, aut imminentes actuales ſtaſes, aut corruptiones, nec non periculoſi infarctus viſcerum nobiliorum, quippe quæ morbidæ afflictiones ad varia deliriorum genera diſponere deprehenduntur: hinc evenire etiam poteſt, quo ſimiles morbidæ afflictiones ad hanc ſpeciem perturbationis animi contribuant: ubi æque minus ſpecialisſima ratio reddi poteſt, cur e tali corporis morbo talis phantaſiæ ægritudo quaſi generetur, ac in aliis deliriis eadem ſpecialisſima ratio plurimos latet, cur in nonnullis ex una eademque cauſa major aut minor melancholiæ gradus, aut perfecta mania oriatur, niſi hoc loco illa obſervatio quantisper hunc ſpecialioris cognitionis defectum ſuppleat, quod in hisce ſubjectis tunc phantaſiæ morbus ex ejusmodi cauſa oriatur, quando ante hac eadem ſubjecta in functione phantaſiæ ſenſibilia, valde activa, impatientia, immorrigera, inquieta & confuſa fuerunt; qualis parallelismus in moralibus negotiis, libere & ordinate procedentibus, contingit, ubi nonnulli homines ex alia externa cauſa citius & fortius in illo ſenſu afficiuntur & excitantur, in quo hactenus magis activi & operoſi fuerunt; eo ipſo vero excludo ſententiam de irregulari motu ſpirituum, de debilitate cerebri, de vaporibus e ſplene & ventriculo aſcendentibus &c.

§. V. Miſſa hac hiſtorico-ætiologica ſomnambulationis perluſtratione, proxime me conuerto ad Practicam hujus caſus deductionem, quæ quo melius & ſincerius inclareſcat, merito notatu dignas cautelas practicas præmitto, ne hic implicatus & ſenſibilis affectus magis depravetur & in corruptos alios tum animi, tum corporis morbos conjiciatur: uti quidem facile evenire ſolet, ut ex ſiniſtra affectus tractatione medica actuales melancholiæ & maniæ, aut quoad corpus ſcirrhi hepatis atque lienis, hectica, tabes, convulſiones, aliique graves morbi oriantur: quemadmodum etiam ſatis ſuſpectum ſignum eſt, ſi hic affectus jam diu durauit, ſi ſecundum lunæ mutationes exacerbatur, ſi initiantes quasdam animi perturbationes, ſub ſtatu vigiliarum occurrentes, una involvit, ſi jam ſub multorum diuerſorum Medicorum manibus fuit, ſi heroica, potentia, aut confuſa medicamina adhibita fuerunt: ſi ordinariæ excretiones valde perturbatæ ſunt: ſi in abdomine ſuſpectæ indurationes obſervantur; ſi gravis plenitudo & ſpisſitudo ſangvinis urget: ſi vehementes & contumaces ſpasmi concurſant atque inſiſtunt &c. &c. quæ ſingulæ circumſtantiæ ad Prognoſticam hujus caſus disquiſitionem pertinent: quod vero nunc prædictas cautelas practicas

eas attinet, tunc cavendum eſt 1) ab omnibus impetuoſis & copioſis evacuationibus. 2) a negligentiori inquiſitione, conciliatione & tractatione ſtatus plethorici & negotii hæmorrhagici. 3) ab incurioſa diſpoſitionis hæreditariæ æſtimatione & directione. 4) a negligentiori promotione, aut plenaria perturbatione ordinariarum & neceſſariarum evacuationum, 5) ab immorigera, auſtera & rigoroſa morali therapia, vicisſim etiam 6) a plenaria omisſione huius moderatæ & neceſſariæ moralis therapiæ. 7) a medicamentis calefacientibus, ſangvinem valde commoventibus & concentratis. 8) a Salium volatilium præmaturo uſu: 9) a turbulento & confuſo variorum experimentorum uſu. 10) a nuda humorum alteratione. 11) a remediis adſtringentibus, incraſſantibus & ſic dictis refrigerantibus, 12) a communi Opiatorum uſu. 13) a balneis refrigerantibus & viciſſim etiam valde exæſtuantibus. 14) a præpoſtero aquarum ſubterranearum uſu. 15) a confuſo ſpecificorum, tanto magis minus ingenuorum & approbatorum uſu. 16) ab inconvenienti regimine atque diæta.

§. VI. Excipit itaque nunc in ordine poſitiva Therapia Somnambulationis exponenda, quæ in duplicem claſſem diſtribuenda eſt, prior continet Therapiam Moralem, altera complectitur medicam corporis ægrotantis curationem; quod primam itaque therapiam attinet, tunc in eadem tradenda varii Medici velut *Sennertus*, *Platerus*, *Horſtius*, *Sylvius* aliique occupati fuerunt, unde non confert ejusmodi ſomnambulos, dum in actuali nocturna vagatione offenduntur, confeſtim aggredi & excitare, ſed cum maxima lenitate & taciturnitate in requiem ſuam manuducere, aut cum leniori fuſtigatione cum virgula eo diſponere, quo ſub ſubtili hac ſenſatione mox iterum lectum ſuum petant; alioquin quoad animum ſemper in aliquam continentiam, tranquillitatem & moderamen quoddam reducendi ſunt; & ne aliis ſpeculationibus & meditationibus inhæreant, a ſolitudine & multa ſedentaria vita ſedulo abſtrahendi, quin potius cum aliis honeſtis & licitis animi gratis & jucundis excitationibus reſici debent: hinc conueniunt acceptæ converſationes, jucundæ peregrinationes, amicæ compellationes & quicquid alibi animum in alacritate & jucunditate conſervat: imprimis opera adhibenda eſt, ne cum aliena & adverſa quadam idea ſomnum petant, ſed quo rectius animus ſub qualicunque quiete atque tranquillitate ſomnum capeſſat: inprimis evitanda ſunt animi pathemata, aliaque operoſa phantaſiæ exercitia, quin rectius ſub omnibus diurnis actionibus temperies concilianda eſt; ſubinde hisce ſomnambulis, dum dormiunt, maxime circa lunæ mutationes vigiles conſtituendi ſunt, qui proſpiciunt, ne tale ſubjectum ſurgat, ſed quo illud cum virgulis modeſte cædant, quam primum e lecto ſurgere ſuscipiunt; nonnulli jubent, quo talibus nocturnis obambulatoribus ante lectum capax vas cum aqua frigida oppletum ponatur, in quod, ſi tales noctur-

nocturni vagabundi homines decumbunt, moderatius contremiſcunt, iterumque in lectum decumbunt & ſuccesſive a tali ſomnambulatione desveſcunt; cum quo experimento vero illa cautela obſervanda eſt, ne ſurgentes ſomnambuli periculoſis lapſibus atque vehementibus terroribus ſubjiciantur.

§. VII. Proinde etiam corporis ægrotantis ratio habenda eſt, quo reliquis morbidis afflictionibus tempeſtive & congrue ſuccurratur: præſtat ante omnia e primis viis collectas craſſas impuritates educere per mitiores laxationes cum remediis correctis, temperatis & refracta doſi offerendis aloeticis, helleborinis & ex Agarico paratis: huc etiam pertinent vina medicata e ſpeciebus reſolventibus, roborantibus & foliis Sennæ, Polypodio querno, Helleboro nigro & Agarico paranda: præterea præſtat præſervatorie ſangvinis ubertatem imminuere per Venæ Sectionem in pede inſtituendam: ſicut ad revellendum a capite ſangvinem repetitis vicibus pediluvia & frictiones pedum conducunt: præcipue etiam ejusmodi ſubjectis labor & motus corporis proficit, ut videlicet cum aliqua lasſitudine lectum petant, adeoque cum majori quiete animi atque corporis dormiant, ut præ laſſitudine anima a turbulento phantaſiæ exercitio abſtineat: porro proſpicere debet prudens artifex, quo ſangvis in juſto progreſſu conſervetur, neve moleſta ſpiſſitudo ſangvinis hunc progreſſum admodum impediat: quare ſufficiens & humorum & partium lenitio & diluitio neceſſaria eſt; viciſſim evitanda eſt omnis ulterior ſangvinis incraſſatio, undecunque illa provenerit: præterea proſunt in hoc affectu interdum remedia temperantia, abſorbentia, nitroſa, cinnabarina, Corall. rubr. præparata, præcipue illo tempore repetenda, quando jam ad ſomnum ſe componere volunt hæc ſubjecta & quando primariæ cauſæ remotæ ſunt: tunc conducit Mixtura e Spiritu C. C. & Tinctura Antimonii Tartariſata compoſita, modica tamen quantitate offerenda; omnia narcotica ſedulo in hoc caſu evitanda ſunt, neque Martialia remedia præmature exhibenda ſunt, niſi circa exitum curationis medicæ corporis Tinctura quædam Martialis temperata pro tonico ſcopo cum fructu offerri queat; ſub cujus uſu tamen Medicus provide obſervare & attendere debet, quo ordinariæ excretiones ſufficienter & conſtanter continuent.

§. VIII. De reliquo pro facilitanda cura intricati hujus affectus bona diæta conferri meretur; in illa vero evitentur alimenta valde pingvia, largiter nutrientia, aut etiam ſpiſſa, craſſa, perquam ſalita, facile fermentantia, fœculenta ſangvinem inſpiſſantia, vias incraſſantia & varias turbas in primis regionibus provocantia; quid quod nocet diæta plena valde aromatica & luxurioſa: ſed potius proficit temperata mollis & liquida; potus non ſit admodum ſpirituoſus, neque valde craſſus & ſaturatus, ſed temperatus & dilutus;

nimi-

nimium frigus & nimius calor nocent: conſtans & ſufficiens motus corporis proficit, immoderata & exceſſiva commotio officit: aere utantur talia ſubjecta temperato & puro, & ab aliis qualibuscunque intemperatis qualitatibus ſeſe ſollicite ſubtrahant: excretiones ordinariæ juſto ſemper gaudeant ſucceſſu & animus in conſtanti tranquillitate conſervetur: omnis ataxia in ſomno & vigiliis evitetur & in quibusvis actionibus ordo juſtus ſeligatur: denique in ſubjectis ſpongioſis moderatus uſus temperatarum Acidularum & Thermarum ſatis ſæpe admodum proficuus eſſe deprehenditur.

CASUS XXXIII.

DE

VINIS FUCATIS.

§. I.

CUm in communi vita diverſa fraus admodum pernicioſa occurrat; ita etiam hominibus perquam infenſus eſt ille dolus, qui cum potu vinoſo comittitur, dum viliori & ignobiliori vino, videlicet auſtero, pendulo, male colorato talis fucatus odor, ſapor & color conciliatur, qui illis ſubjectis, quæ tali artificioſo & inique correcto vino utuntur, varia damna & ſanitatis, quin ipſius plane vitæ detrimenta affert: hinc hujus caſus tam ſontici & in Phyſica æque ac Medicina ſingularis hoc loco brevibus mentionem injicere placet; & cum occaſio multiplex ſit, qua ejusmodi pernicioſa vina offerri ſolent; ita eo major circumſpectio circa talem indiſcretum vini uſum inculcanda eſt, quemadmodum ſub itineribus & paſſim alibi nefandus talis fucus occurrit: eſt itaque modus adulterandi vina duplex, prior quidem mitior, alter vero gravior & pernicioſior; prioris claſſis fucus eſt, quando vina pallida, vappida, pendula & debilia cum multo Sulphure ſaturantur, wenn ſie einen ſtarcken Schweffel-Einſchlag bekommen, qualis copioſa

pioſa Sulphuris communicatio varia morbida pathemata cauſatur: neque quidem ejusmodi Sulphurata vina diu in hac adulterata ſua indole occulta ſunt, ſed facile & viſui & olfactui & guſtui ſeſe produnt, ſubinde etiam adverſum ſaporem exſerunt; aſt non tam hæc corruptio vini cum Sulphure facta in hiſce circumſtantiis acquieſcit, ſed proinde varia morbida pathemata diverſis ſubjectis accidunt, præcipue quidem ejusmodi vina capiti & pectori infenſa ſunt, hinc ex illorum uſu oriuntur cephalalgiæ, perturbationes vertiginoſæ, temulentiæ, oppletoriæ capitis moleſtiæ; in nonnullis conſequuntur exæſtuationes ſangvinis, cordis angores, anguſtiæ præcordiorum, oppletiones gravativæ & moleſtiæ delaſſatoriæ corporis, virium enervationes, urinæ ardores, nauſea, conamina vomibunda, Hæmorrhagiæ &c. quæ ſingula incommoda eo gravius increbeſcunt, quo frequentius talia vina Sulphurata ingeruntur.

§. II. Ad mitiorem doloſam vinorum adulterationem pertinet etiam ille modus, quando vina acida, auſtera, adverſa, ex immaturis uvis prognata cum aliqua artificioſa dulcedine emendantur, velut cum Syrupis aut Saccharo, quæ dicuntur geſchmierte Weine/ & quæ adverſam dulcedinem corruptam præ ſe ferunt: talia vina ſunt turbida & facile cum colore ſuo ſe ſe produnt, quæ perinde ſenſibilioribus ſubjectis varia damna afferunt, maxime in ventriculo & inteſtinis: ſicut cardialgicæ, flatulentæ, colicæ, vomibundæ moleſtiæ illorum uſum excipiunt; uti in nonnullis hæc incommoda intimius & quidem in maſſam humorum penetrant & ad orgaſticas ſangvinis commotiones diſponunt. Quod vero Sulphurata vina talem noxam afferant, exinde facile pateſcit, quoniam Sulphur copioſius in humores translatum facile ad ſpumefactoriam & congeſtoriam ſangvinis commotionem contribuit; unde præcipue homines plethorici & moliminibus hæmorrhagicis obnoxii ex uſu vinorum ſulphuratorum gravia pathemata ſubeunt; præterea hoc Sulphur expanſivum pectori & urinariis viis moleſtias affert, ad quas utrasque regiones congeſtorias ſangvinis commotiones provocat; quod vinum illud dulcificatum attinet, tunc ob impetuoſam & immoderatam fermentationem, quam primis regionibus infert, varias etiam in iisdem turbas & afflictiones excitat, tanto magis in ſubjectis, quæ alias in functionibus primarum regionum ſenſibilia ſunt.

§. III. Pejoris & periculoſioris indolis eſt illa vinorum adulteratio, quæ cum lithargyrio & Saturno committitur, quemadmodum de Saturno & Saturninis ſubjectis conſtat, quod dulcificantem qualitatem habeant: hinc cum ejusmodi malefidis mediis vina acida & auſtera in tantum corriguntur, ne auſteritate ſua aduerſa ſint, ſed quo cum dulci guſtu, quem vulgo plebeji homines præferunt, paulo magis grata & accepta evadant: & ejusmodi caſus in hiſtoria practica paſſim conſtant, quomodo cum eximio damno tali modo vina fucata &

adulterata fuerint, qualis dolus nonnunquam cum funeſto ſucceſſu & eventu ſeſe prodidit: unde etiam ex hiſtoriis conſtat, quomodo talis fraus cum pœna decollationis interdum punita fuerit, propterea, quia hic dolus variorum innocentium hominum vitam abſtulit: etenim ex uſu talium adulteratorum vinorum ſaturninorum varia periculoſa & funeſta incommoda orta ſunt, e quibus aliqua hoc loco enumerare placet, velut vehementia & extrema tormina colica plane convulſiva tam in ventriculo, quam in inteſtinis, quæ interdum circa umbilici regionem maximos ſuos cruciatus exſerunt, quales aliquando abdominis rupturam minantur & cum hiſce torminoſis afflictionibus utplurimum conjuncta eſt pertinaciſſima alvi obſtipatio; quid quod communiter intercurrunt dolores acutiſſimi, lancinatorii, per abdomen circumvagantes & in meſenterium exeuntes; aliquando exeunt cum maximis anguſtiis ructus nidoroſi & quandoque nauſea, anxii vomendi conatus, dyſuria, plenaria urinæ ſuppreſſio, periculoſa excoriatio œſophagi & ventriculi, aſthmata convulſiva, inflammationes abdominis, internæ inflammationes, pathemata ſuffocativa, extremæ anguſtiæ, lipothymiæ, periculoſi rhevmatiſmi, ſpaſmi vagi, pareſis, paralyſis, epilepſiæ &c. corripiunt, omniumque horum pathematum miſeranda mors exitus eſſe obſervatur: ſicut pluribus de ejusmodi damnis e vinis lithargyriatis provenientibus egerunt *Avicenna*, *Dioſcorides*, *Kircherus*, *Aetius*, *Fernelius*, *Paræus*, *Sennertus*, *Timæus a Guldenklee*, *Wedelius*, *Wepferus*, inprimis *Stockhuſius in Tract. de fumo lithargyrii noxio*, *Gokelius in Tract. de Morbo vinario*, *Lentilius in Iatromnematibus Theor. Practicis*, *A. N. C. Dec. III. anno* 4, *obſ. 30. 42. 100. & anno 5. & 6. obſ. 261.*

§. IV. Cum hactenus illa damna commemorata ſint, quæ ex vinis cum Saturno adulteratis proveniunt, ita brevibus cauſam horum pernicioſorum effectuum indicare lubet: & ita notare convenit, quod ſubjecta Saturnina, quando cum acidis liquoribus conveniunt, ſub dulcedine occultam cauſticam & adſtringentem aliquam qualitatem nanciſcantur, quam deinde quantisper amittunt, quando edulcorantur, proinde ipſe uſus docuit, quomodo Saturnina æque ac Mercurialia ſubjecta incaute uſurpata partibus præcipue nervoſis admodum inimica exiſtant: hinc vix mirum eſt, cur uſum talium Saturninorum remediorum variæ ſpaſticæ & convulſivæ commotiones excipiant, dum hæc ſubjecta in partibus ſenſibilibus ventriculo & inteſtinis gravia damna minantur, quæ gradu majora & magis repentina ſunt, quo magis in intimiores teneriores & nobiliores partes illa ſubjecta transferuntur: quod vero hos motus ſpaſticos & convulſivos attinet, tunc iidem adverſis hiſce Saturninis ſubjectis oppoſiti ſunt, eorundemque efficacem & repentinam remotionem concernunt: quo magis hi motus excedunt, eo facilius cum iisdem congeſtorii, inflammatorii & febriles motus coincidunt, ita,

ut

ut cum tota hac panoplia commotionum natura humana ſub maximo fervore & impatientia adverſis illis ſubjectis Saturninis reſiſtat & ſi ſub hoc conatu aliud accidentale damnum oritur, tunc una huic periculo ſubjugando vires adhibet, quo corpus duplici modo ſub periculo evidenti conſtitutum liberetur: & quoniam Saturnina remedia nervoſas præcipue partes offendunt, ita etiam evenit, ut uſum talium fucatorum vinorum aliquando chronici morbi conſequantur, quoniam neque ita facile, neque tam cito motuum vitia, quæ multum in nervorum morbis conſiſtunt, emendari poſſunt; quomodo vero de reliquo vina cum Saturninis ſubjectis adulterentur & quomodo viciſſim talis fucus detegi & examinari poſſit, fuſius prædicti autores imprimis *Gokelius* & *Lentilius* demonſtrarunt; uti denique vehementia prædictorum excedentium motuum facile funeſtos eventus involvere poteſt ac debet.

§. V. In ſontico & ſelecto hoc caſu neceſſarium erit, quo brevibus etiam Prognoſticam diſquiſitionem de fucatis vinis eorundemque effectibus inſtituam; unde repetito inculco, quod prior adulterationis modus paulo benignior ſit, quam poſterior, de quo priori illud tantum hoc loco notare placet, quod Sulphuratorum vinorum effectus in ſubjectis ſenſibilibus plethoricis, hæmorrhagicis anomaliis obnoxiis magis pernicioſus ſit, quam aliis; quid quod magis ominoſum eſt, ſi talia ſubjecta ex ejusmodi vinorum uſu multum cum vertiginoſa perturbatione affliguntur; imo alienum eſt indicium, ſi ſubjecta, quæ alias ſalutaribus & moderatis Hæmorrhagiis expoſita fuere, nunc ex uſu horum vinorum anomalicos conſuetarum Hæmorrhagiarum ſuarum ſucceſſus patiuntur. Quod vero periculoſiorem illum alterum modum adulterationis potus vinoſi attinet, tunc malum eſt ſignum, ſi ſubitaneæ morboſæ afflictiones horum vinorum uſum conſequuntur: tanto magis periculo plenum eſt indicium, ſi convulſiones, valde acutæ febres & inflammationes repente ſuperveniunt; deleterium eſt ſignum, ſi graves animi perturbationes, Scotomia & defectiva motuum vitia, aut paralyſes & pareſes excipiunt: malum eſt, ſi partium ariduræ, contracturæ & inſenſibilitates ſequuntur: neque periculo caret, ſi tabes, hectica, tuſſis hypochondriaca, contumax alvi obſtructio & interni ardores horum vinorum uſum comitantur: porro noxium eſt phænomenon, ſi conſuetus habitus corporis, ſive ita dictum temperamentum animi æque ac corporis immutari incipit: neque etiam bonus eſt ille ſucceſſus, quando contumaces affectus hypochondriaci, hyſterici, ſplenetici, colici, convulſivi, ſingultuoſi, cardialgici &c. conſequuntur.

§. VI. Ab hac theoretica præſentis caſus diſquiſitione nunc ad Practicam illam deductionem progredior, in qua iterum primo loco neceſſarias cautelas præſertim inculcabo, ne in tam ſenſibili & implicato affectu periculo-

ſæ quædam antipraxes committantur, neve eo ipſo periculoſus effectus & eventus acceleretur & confirmetur: hinc in cura hujus caſus cavendum eſt 1) ab artificioſis & communibus emeticis remediis, quæ cum ſenſibili ſtimulo partes aggrediuntur 2) a poſitivis purgantibus & inteſtina irritantibus artificiis 3) a negligentiori tractatione perturbatarum, aut plane ſuppreſſarum ordinariarum evacuationum 4) a ſtatus plethorici urgentis & commoti, ut & negotii hæmorrhagici perverſa æſtimatione et tractatione 5) a remediis calefacientibus, maſſam ſangvinis valde commoventibus, acribus, concentratis, ſpirituoſis, reſinoſis, ſulphuratis etc. 6) a Salium volatilium curatorio et de reliquo etiam copioſo et liberali uſu 7) a remediis vulgatis nervinis, cephalicis, cardiacis, roborantibus et ſpiritus reficientibus 8) a medicamentis poſitive adſtringentibus repellentibus, incraſſantibus et refrigerantibus 9) a communium opiatorum remediorum familiari ordinatione 10) ab impetuoſa commotione et proſecutione diaphoreſeos 11) a nimia emollitione, relaxatione et enervatione partium 12) a nimis prodigo, inconſtanti et confuſo medicamentorum et experimentorum diverſorum uſu 13) a nimis cunctata et negligenti urgentium pathematum morboſorum, ex uſu fucatorum vinorum propullulantium curatione 14) a negligenti minusque ſollicita præoccupatione futurarum afflictionum.

§. VII. Quemadmodum in præcedentibus adulterationem vinorum in duplicem claſſem diſtribui, ita hoc loco practica præſentis caſus deductio duplici ratione erit exponenda; prior conſideratio occupatur circa vina ſulphurata et edulcorata, eorundemque pernicioſos effectus: convenit itaque in illis morbidis calamitatibus, quæ ex uſu horum vinorum provenerunt, ſubjectis ante omnia commendare quietum regimen, nec non remedia abſorbentia, quæ orgaſticam ſangvinis commotionem temperant et copioſum illud Sulphur humoribus inſinuatum, quaſi ligant: porro conducunt temperantia, Nitrata, Coralliata, Abſorbentia cum acidis attenuata, ut et Diluentia, Decoctum Thee, Coffee, Decocta gelatinoſa, Iuscula gallinacea, Lacticinia et denique Diaphoretica fixa, quibus ſubjungere convenit regimen moderate diapnoicum quo ſub tali temperata diaphoreſi maſſa ſangvinea ab hoc Sulphure liberetur: præterea præſtat, quo alvus aperta ſit, ne videlicet ſub illius occluſione in inteſtinis et reliquis connexis primis regionibus ſpaſtica, flatulenta et colica pathemata oriantur: neque quidem male in illis afflictionibus a vino ſulphurato provenientibus a nonnullis uſus ſeri lactis commendatur; fruſtra vero alii ipſius Sulphuris internum uſum commendant: ſiquidem exinde major orgaſtica commotio metuenda erit; unde rectius in hoc caſu ſic dicta præcipitantia & temperantia ordinanda ſunt; cinnabarina vero ob præſentem majorem commotionem ſangvinis non admodum pro eodem ſcopo conducunt.

§. VIII.

§. VIII. In altera claſſe practicæ hujus tractationis graviora illa & periculoſiora damna e vino, per lithargyrium adulterato, provenientia, explicanda erunt: in quo caſu ante omnia alia præſtat alvinæ apertionis ſucceſſum adjuvare, quoniam utplurimum in eadem graves alterationes occurrunt: hinc per initia proſpicere convenit, an clyſteres emollientes & remiſſius roborantes proſint, qui in hoc caſu non parum utilitatis promittunt: deinde cura habenda eſt, quo alvus aperta ſervetur, quapropter interne ordinanda ſunt lenientia oleoſa, pingvia, juſcula gallinacea, gelatinoſa, decocta mucilaginoſa, hordeacea, avenacea, e C.C. paranda, additis Manna & Tamarindis, nec non quibusdam roborantibus ſpeciebus: porro ipſa olea emollientia Saturni vim atque noxam infringunt: huc porro ſpectant gelatinoſa, ſive pharmacevtica, ſive diætetica, quidquod ipſe modeſtus uſus Lacticiniorum haud rejiciendus eſt: præterea interponantur abſorbentia & diaphoretica fixa, una cum analepticis & vires reficientibus remediis: neque quidem in hoc caſu antiſpasmodica nitroſo-cinnabarina & temperatiora ſedativa omittenda ſunt, velut papaveracea, Diaſcordium Fracaſtorii, Maſſ. Pil. de Cynogloſſ. & Cort. Chaccarill. ſicut perinde Eſſ. Alexiph. Stahliana cum Tinctura Chaccar. mixta in eodem caſu proficit.

§. IX. Ad vomitus in hoc caſu occurrentes mitigandos conducunt Pulveres abſorbentes Nitrati, cum coralliis rubr. præparatis mixti, quibus ſubordinari poſſunt medicamenta ex Chaccarilla parari ſolita; ab extra regioni ventriculi applicanda ſunt Linimenta ex Oleo Chamom. Anethin. Rutaceo, Oleis deſtillatis Abſinth. Menth. Meliſſ. Major, N. M. etc. Caſtorio aut Theriaca paranda, qualia Linimenta etiam ad colica tormina mitiganda conducunt: proinde in hoc caſu admodum proficit, quo tempeſtiva temperata atque conveniens diaphoreſis ſuccedat, pro qua adjuvanda vel diaphoretica fixa, vel eſſentiæ alexipharmacæ conducunt: quod ſi in hoc caſu ſimul pectus obruatur & cum aſthmatica afflictione offendatur, tunc conveniunt prædicti Clyſteres, Emulſiones expectorantes, Decocta mucilaginoſa & mitius expectorantia, Elæoſaccharum ex Oleo Amygd. dulc. Oleo Fœnic. & Saccharo canto paratum, Cortex Chaccar. & Eſſ- alexiph. Stahlii: ad externos ſpaſticos cruciatus leniendos confert regimen quietum, frictio cum pannis calidis, balneum vel nervinum vel lactis, Eſſ. alexiph. Stahliana, cum ſubjuncta moderata diaphoreſi, Cortex Chaccarill. aut illius Extractum cum ſubordinato temperato ſudore: extrinſecus confert miscela ex Spiritu Vini Camphorat. Lil. convall. Formicarum, Roſarum & Eſſentia Caſtorii parata.

§. X. Hæc conſilia & auxilia, quemadmodum ad fundamentum præſentis caſus collimant, ita in juſto ordine adhibita non exiguum emolumen-

tum

tum promittunt; an vero ſecundum quorundam commendationem Lac Sulphuris & Semen Lathyridis in hoc affectu ſpecificam aliquam virtutem habeant, nondum experientia ſatis comprobavit, ut propterea tales commendationes ſi non plane alienæ, tamen tamdiu dubiæ ſint: quando ejusmodi ſubjecta in hoc caſu maximum periculum ſuperarunt, tunc proxime ſedulo invigilare debent, quo partim alvina excretio, partim transſpiratio inſenſibilis ſufficienter ſuccedat: deinde in diæta præſtant mitius aromatiſata, nec non alimenta molliora, liquidiora & temperatiora: potus ordinetur temperatus, fluidus & tenuis, neque quidem vini generoſioris, magisque nervini uſus diſſvadendus eſt: denique præſervatoriis magis applicationibus reſervari poſſunt Acidulæ atque Thermæ. Et ita ex hactenus dictis facile liquet, quam multiplex ſit occaſio, qua in caſibus reſervatis, inopinatis atque tragicis Medici extemporanea dexteritas & opitulatio requiritur, utpote in quibus afflictionibus artifex ſemper & animo & capacitate ſive conſiliis & auxiliis præſens eſſe debet; tanto magis quidem, quoniam tales affectus vix longam moram permittunt: & licet plures horum caſuum hoc ordine recenſeri potuerint, tamen reliqui communiter cum præſentibus cohærere deprehenduntur, ita, ut quodvis exercitatum ingenium e præſentium affectuum ſuccincta commendatione alios ſimiles vel tragicos vel implicatos caſus dijudicare & tractare poſſit: quo magis vero periculoſi atque ardui hi ſunt affectus, eo magis ſincerus Medicus divina benedictione & ſapientia indigebit, quo cum bona ſcientia & conſcientia hisce periculoſis affectibus ſatisfaciat; unde ab omni prudenti & chriſtiano Medico alieniſſimum ſit, quo in tam implicatis afflictionibus ſuis viribus nimium confidat, ſed uti in omni honeſta & proba actione decet, cum Deo operetur & quicquid boni & ſalutaris effectus ipſe obtinuerit, non ſuis viribus, ſed divinæ clementiæ adſcribat, hosque eventus iterum in illum fontem, divinum nimirum, in gloriam benigniſſimi Dei transferat, qui ſolus boni Medici eſt primarius

FINIS.

FUN-

FUNDAMENTA PHILOSOPHIAE NATU-RALIS USUI MEDICO ACCOMMODATÆ.

PRÆCOGNITA PHILOSOPHIÆ NATURALIS.

§. I.

NOtitia rerum naturalium, in macrocoſmo occurentium, ferme præ ſingula reliqua ſcientia eſt dignisſima & utilisſima, quæ propterea cuicunque homini utilitatem ſuam abunde promittit, unde in ipſo animo cujusvis tacitus affectus & ſubtile deſiderium, quod ad hanc notitiam fertur, obſervatur.

§. II. Hoc ſtudium phyſicum, quemadmodum ſeſe tam univerſali fructu & utilitate commendat, ita ab omni tempore & primis creaturarum ortibus tractari & illuſtrari cepit, ſubinde etiam per omnia ſecula & plurimos Philoſophos processit, ita ut ferme nullus ex antiquisſimis ad minimum Philoſophis reperiatur, qui non aliquali tali notitia rerum naturalium imbutus deprehendatur.

§. III. Hæc Philoſophia naturalis, quantum quidem hiſtoriæ referunt, olim magis in orientalibus locis uſitata & æſtimata fuit, unde inter Ægyptios, Arabes, Chaldæos, Perſas quin ipſos plane Sinenſes asſidue tractata obſervatur, hinc ulterius in alia loca propagata & translata conſpicitur: illud interim negandum non eſt, quod etiam inter ipſos orientales hæc naturalis ſcientia ad varias abuſivas & ſteriles tractationes & ſuperſtitioſas exercitationes applicata fuerit.

§. IV. Et dum hæc ſcientia naturalium rerum ab omni ævo in tanta æſtimatione fuit, ita inter ſuperſtitioſos homines ſubinde occaſionem dedit ad idololatrias, dum res viſibiles, creatæ, naturales pro Protectore & ſummo Nu-

mine inter varias gentes cultæ ſunt & quidem ita diſcretim, ut ejusmodi ſimulacra certis naturalibus effectibus atque uſibus præpoſita fuerint.

§. V. Præter has animadverſiones dignitas & nobilitas hujus ſcientiæ in diverſis temporum tractibus ex variis circumſtantiis petita conſpicitur, ſiquidem a quibusdam hæc nobilitas ducitur, ex eo, quaſi Phyſica intellectum hominis ad ſolidam pnevmatoſophiam ducat, aut juxta alios, quaſi genuina corporum principia & eſſentias prodat & ſignificet, ut & quaſi ad cognitionem rationum & demonſtrationum de rebus creatis exhibendarum occaſionem ſubminiſtret, aut quaſi ad arcana & admiranda artificia comprehendenda anſam ſuppeditet &c. in quibus ſingulis reſpectibus multæ hæſitationes paſſim occurrunt.

§. VI. Quod vero certiores & conſtantiores utilitates præſentis ſcientiæ attinet, tunc quidem illa eſt principaliſſima & ſcopo chriſtiano maxime conformis, quo ſummi Creatoris omnipotentia & ſapientia in creaturis magis illucescat: qua conſideratione vero illi præcipue abutuntur, qui ſub qualicunque efficta opinione & falſa hypotheſi Deum veritatis fontem, ut protectorem hujus vanæ traditionis accuſant & in variis phænomenis explicandis temere ad illud vulgare aſylum confugiunt: *Deus ita voluit.*

§. VII. Alter uſus doctrinæ phyſicæ conſiſtit in cognitione generica totius œconomiæ macrocosmi æque atque microcosmi, dum non modo homo perluſtrat, quæ ſunt extra ipſum, ſed &, quæ ad ſui ipſius conſtitutionem, eſſentiam & exiſtentiam ſpectant, ſiquidem homo eſt illud centrum, ad quod ſingulæ reliquæ creaturæ reſpectu relationis & applicationis collineant, unde hæc phyſica non parum contribuit ad ſui ipſius cognitionem.

§. VIII. Alius uſus & ille iterum non infimæ dignitatis eſt, quando ſub contemplatione rerum naturalium obſervatur differentia inter res animatas & inanimatas, i. e. inter corpora, quæ cum vero, certo, reali & non efficto & ſuppoſito motore, a motu & materia differente, prædita ſunt, unde Philoſophus magis manuducitur ad cognitionem virium, in principio movente exiſtentium & qualitatum in materiis hærentium & obviarum.

§. IX. Eximiæ dignitatis ille etiam generalis uſus eſt philoſophiæ naturalis, quo ex vero & ſatis perſpicue conſtet, quid ſit natura, quid ſit motus, quid ſit materia & quæ genuinæ horum ſubjectorum ſint qualitates, relationes, concurſus, vires, influxus, imo quid ex cujuslibet indole & habilitate fluat, ne hæc ſubjecta, partim quoad eſſentiam, partim quoad virtutem ſuam invicem confundantur, utpote qui error non raro hodienum Phyſicam doctrinam admodum premit.

§. X. Porro in hac disciplina ſpecialiori ſtudio motuum notitia commendatur, nec non ordo, ſucceſſus, relatio, ſubordinatio, effectus, tranſitus

tus & communicatio eorundem curatius explicatur, ſiquidem hac deductione comprehenſa eſt cognitio plurimorum phænomenorum phyſicorum; imo quæ notitia multas difficultates ſolvit, multos errores diluit & multas controverſias componit; quin denique animum præcavet, ne præceps ſit ad fingenda nova quædam principia, aut excogitandas obſcuras materiarum qualitates.

§. XI. Magnæ vero utilitatis eſt illa cognitio, quæ ex hac ſcientia fluit, quomodo perpetua differentia inter motum & materiam varias implicationes & difficultates phyſicas diſſolvat, animumque præſervet, ne denuo in vulgarem illam confuſionem incidat, qua ſæpe motui adſcribuntur, quæ ſunt materiæ & vice verſa; unde etiam provenit crasſiſſimus ille error, quod motus ſit materialis & quod materia ſit activa.

§. XII. Præterea inſtruit cognitio rerum naturalium animum, quo perquirat uſum & damnum, utilitatem & inutilitatem rei, quando videlicet e notitia qualitatum certas relationes & comparationes rerum & ſubjectorum inter ſe invicem inſtituit & exinde obſervat, in qua applicatione ſeſe utilitates & ſalubritates & ubi utilitates & damna prodeant.

§. XIII. Non minus inſuper Phyſica inculcat differentiam inter motus ſimpliciter & abſolute phyſicos, inter concurſus divinos ac ſuperiores & inter motus ſub certo directorio ad certos ſalutares fines deſtinatos, quæ discretio tanto magis digna & neceſſaria eſt, quia e neglectu illius hodienum multæ irritæ ſuperſtitiones, vanæ credulitates & noxiæ confuſiones propullulant.

§. XIV. Ducit nos etiam Phyſica ad notitiam connexionis motuum ſic dictorum cœleſtium, cum motibus ſubterraneis, ut & ad cognitionem harmoniæ & influxus motuum cœleſtium in corpora ſublunaria, nec non ad intellectum relationis materiarum inter ſe, imo & motuum inter ſe invicem, aut relationis motuum phyſicorum ad corpora viva, vel relationis ſenſibilitatis humanæ ad diverſas mutationes motuum phyſicorum.

§. XV. Sed cum in hac noſtra tractatione animus ſit Phyſicam congruis occaſionibus ita tractare, prout ſcopo Medico, ſive poſitive, ſive privative aliquam utilitatem afferre poteſt, unde hoc ordine mox perluſtrabo diverſitates reſpectuum phyſicorum & medicorum circa corpus animale humanum illiusque ſtatum vitalitatis occupatorum.

§. XVI. Quod itaque hos reſpectus attinet, tunc 1) Medicina tam theoretica, quam practica verſatur circa conſiderationem corporis VIVI; æſtimatio vero τȣ vivi non fluit ex Phyſica: etenim vivum includit motus vitales,

tales, qui ex affectione corporis mere phyſici minime pendent, ſed qui ad exquiſitum illum finem conſervatorium tendunt.

§. XVII. Neque tantum hoc, ſed 2) Phyſica occupatur circa conſiderationem principiorum, craſeos, compoſitionis, texturæ & ſtructuræ corporis, quæ notitia vero nondum eſſentialem, formalem & veram rationem & conſiderationem corporis medicam involvit: hæc enim motuum & non niſi certorum uſum & efficaciam in conſervandis & reparandis hisce qualitatibus phyſicis, curatius perpendit.

§. XVIII. Proinde 3) Phyſica ſpeculatur & meditatur de continuatione & reſolutione corporis, ejusdemque ſingulari modo fiendi, quæ animadverſio vero in medicina non tantum valet, quin potius in medico foro attendere & disquirere convenit, an ex ſcientiæ & artis poteſtate fluat, quomodo compoſitio ſit adjuvanda & reſolutio præoccupanda, imo quo ordine, gradu, medio & tempore hoc ipſum fiat.

§. XIX. Ita etiam 4) Phyſica diſſerit de relatione corporis humani mixti & texti, ad intermedias cauſas phyſicas, velut ad aerem, ignem & diverſas qualitates, ut humiditatis, ſiccitatis, caloris, frigoris, corroſionis, colliquationis &c. ex qua conſideratione medicina non niſi privativum uſum colligit.

§. XX. Præterea 5) Phyſica tractat de propenſione ſumma corporis ad corruptionem & illam quidem peſſimam & ſubitaneam putrefactoriam; medicina contra obſervat, quam raro tamen hæc corruptio corpus animale occupet ſub vita animali, adeoque ulterius perſpicit, quomodo hæ diſpoſitiones ad corruptionem illam ſpectantes ſpontanea quadam activitate & therapia ita coerceantur, ne a potentia in actum degenerent.

§. XXI. Et dum 6) doctrina phyſica corruptionem corporis humani perpendit, ita in illius conſideratione partim ſpeciem, partim modum fiendi & ſuccedendi ſubtilius & intimius perſpicit, atque circumſtantias illas curatius advertit, quæ ex materiarum ratione, relatione & alteratione fluunt, quas ſingulas vero contemplationes medicina non adeo rigoroſe æſtimat & tractat, cum præcipue nullum jus habeat, quo corruptionem, quæ jam actu orta eſt, emendet aut reſtituat.

§. XXII. Ulterius 7) Phyſica in corpore humano contemplatur numerum, figuram, extenſionem, magnitudinem, colorem, conſiſtentiam, poroſitatem, connexionem partium &c. utpote quæ cognitio preſſius ad ſcopum medicum ita ſimpliciter haud eximiam utilitatem confert, imo ne quidem ars illum valorem habet, quo ex ſua efficacia harum circumſtantiarum alterationes & læſiones reſtituere & emendare queat.

§. XXIII.

§. XXIII. Sic porro 8) Phyſica ſpeculatur de materiarum gravitate, levitate, craſsitie, ſubtilitate & diverſa configuratione, aut habilitate ad ſubeundos motus e ratione & relatione figurarum: medicina contra rectius agit de juſta proportione humorum ad motus, prout hæc competit atque reſpondet effectibus vitalibus & ſalutaribus acquirendis, quippe quæ proportio non e fundamentis illis phyſicis, ſed e ſuperiori illa applicatione, adminiſtratione & directione motuum pendet.

§. XXIV. Perinde 9) phyſica doctrina agit de habitu & relatione partium fluidarum ad ſolidas & in hac contemplatione perpendit utriusque receptivitatem, atque exinde concludit de motuum ſucceſsibus: paulo rectius & accuratius vero medicina obſervat proportionem motus fluidorum ad ſolidas partes & quomodo ex hac obſervatione vera & eſſentialis ratio vitalitatis & ſanitatis emergat, quam animadverſionem iterum Phyſica haud explicat atque decidit.

§. XXV. Nec non 10) theoria phyſica, quando circa corpus animale humanum verſatur, anxie ſæpe & curioſe meditatur de materiarum eſſentia atque figura, ex qua diverſos effectus ſecretorios & præparatorios explicare cogitat, quæ ſpeculatio vero vere medicam theoriam admodum confundit, utpote quæ ex longe aliis quam ſubtilibus talibus disquiſitionibus effectus, ad vitam ſpectantes, explicat.

§. XXVI. Subinde 11) Phyſica in exploratione & disquiſitione rerum, preſsius medicarum ſive remediorum multum occupata deprehenditur circa indagationem & commendationem principiorum materialium, in qua notitia vero medicina non multum laborioſa exiſtit, quoniam ex eadem haud ſingulares & ſolidos uſus capeſſit; unde rectius horum remediorum veros & ſinceros uſus atque effectus pervolvit atque annotat.

§. XXVII. Non minus 12) Phyſica anxie & operoſe ſpeculatur & meditatur de phyſica & mechanica operandi ratione remediorum, quæ cum admodum dubia atque multis ſuppoſitionibus ſuperſtructa exiſtat, ita Medicina tales hæſitationes ſollicite evitat & potius ſimplices atque indubios effectus medicamentorum obſervat; deinde circa prudentem & ſecuram eorundem applicationem majori cum ſtudio & induſtria verſatur.

§. XXVIII. In disquirendis morborum cauſis 13) Phyſica utplurimum occupata eſt de materialibus conditionibus & qualitatibus & cauſæ morbificæ efficacia phyſica nociva; quæ contemplatio vero in ſe ſpectata in Medicina tam theoretica, quam practica parum utilitatis affert, ſiquidem in hac ſufficit notitia de cauſis morbificis, quatenus in genere ſunt nocivæ & in quantum

tum eædem citius, vel tardius noxam ſuam exſerunt, adeoque vel citius vel tardius excretione efficaci indigent.

§. XXIX. Deinde 14) phyſica doctrina agit de necesſitate tranſitus motuum per corpora artificioſe fabrefacta & connexa & quomodo propter talem corporis configurationem illi motus aliter decurrere non queant: contra vero Medicina agit de juſta applicatione motuum ad organa & convenienti directione eorundem in iisdem, ſiquidem in corpore animali vivo illud Phyſicorum & Mechanicorum idolum, MAGNUM videlicet OPORTET, non contingit.

§. XXX. Sic etiam 15) Phyſica multum diſſerit de generatione & corruptione, ſive de ortu & interitu corporum, quæ notitia vero in Medicina theoretica, æque atque practica haud ſingularem uſum promittit; ſiquidem eadem Medicina neque ortum corporis promovere, neque corruptionem illius ex ſua poteſtate avertere aut emendare, ſed totum hunc actum naturæ humanæ energiæ relinqvere poteſt atque debet.

§. XXXI. Ita etiam 16) Phyſicæ perquam familiare eſt introſpicere & ſcrutari in posſibilia, aut ejusmodi effectus, qui ob diverſas circumſtantias in univerſitate rerum occurentes, contingere poſſunt; ſed qui tamen, quando hiſtoria rerum naturalium paulo curatius conciliatur, ſatis raro accidunt: Medicina contra non immoratur disquiſitioni posſibilium, ſed principaliori cura perſpicit, evolvit & attendit res facti, quæ ipſi ſubminiſtrant objectum infallibile, conſtans & ſtabile, quo nititur, ut eo minus in reliquis ætiologicis & therapeuticis applicationibus fallere queat.

§. XXXII. Porro 17) Phyſica communiter verſatur circa motus, vel univerſales, vel adventitios, fortuitos, per accidens propagatos, e materia in materiam transeuntes, ſine ordine emiſſos & ſine ſingulari proportione decurrentes, quales communiter ſunt presſius & verius dicti motus phyſici: contra vero Medicina principaliori ſtudio occupata eſt circa motus organicos, qui juſtis gradibus emittuntur & in partes immittuntur, ut & qui iuſtus proportionibus progrediuntur & ad ſalutares fines atque ſcopos tendunt & in iisdem ſolide & exquiſite acquieſcunt.

§. XXXIII. Et quando 18) Phyſica de alterationibus corporis animalis diſſerit, tunc varias illius læſiones harumque conditiones perluſtrat atque explicat & tantum circa decrementum & interitum corporis hæret: medicina contra pro palmario ſuo objecto habet, quo in corpore animali, ita corruptibili, obſervet atque commendet cohærentem illam avtocratiam ſive energiam, corpus læſum ſine artifice & arte ſua ſponte reſtituendi, utpote quæ utilis & apprime medica animadverſio minime ex phyſicis illis disquiſitionibus fluit.

§. XXXIV.

§. XXXIV. Similiter 19) phyſica doctrina cum multo rigore urget & tractat cognitionem corporis animalis anatomicam, qua figuram, numerum, magnitudinem, texturam, nexum, locum, regionem &c. perſpicit, quid quod ſubtilitates fibrarum, vaſculorum, membrorum, nervulorum, glandularum & porulorum proſequitur; quæ tota vero tam ſolicita & operoſa tractatio anatomica haud theoriæ æque ac praxi medicæ tam eximium uſum promittit, qualis vulgo de eadem peroratur.

§. XXXV. Proinde 20) phyſica doctrina admodum frequenter de æternis motuum legibus & ſtatutis divinis diſſerit & ex iisdem ulteriores concluſiones format & applicat; medicina contra etiam cum cura obſervat, quam ſæpe in ordine vitali leges illæ violentur & motus, qui alibi conſtituti & coaptati dicuntur, alio ordine alioque gradu progrediantur, attamen ſub tali alteratione ſatis ſæpe ſalutares eventus ſortiantur.

§. XXXVI. Sic 21) phyſica proximum & operoſum commercium habet cum Statica, Mechanica, Optica, Hydraulica & Chymia, quo non modo diverſorum corporum relationes ad ſe invicem perquirat, ſed & variorum phænomenorum modum fiendi & decurrendi ſubtilius explicet: in hoc vero conamine medicina perquam provida eſt, ne illas conſiderationes, quæ ad corpus vivum ſpectant, ſterili quadam philologia tractet, ſiquidem notitia ejusmodi modorum fiendi ad medicinam presſius nihil facit, quare hæc prædictas ſcientias cum maxima cautela & moderamine ad ſuos uſus applicat.

§. XXXVII. Interea etiam 22) in phyſica hæret magnus ille defectus ex quo neque dijudicare neque diſcernere poteſt morbos ætatum, ſexuum, affectus hæreditarios, habituales, patheticos, neque cognoſcit aut explicat efficaciam pasſionum animi in motus vitales, non intelligit communionem & commercium animæ cum corpore, aut alterationes ex anima in corpus & e corpore in animam redundantes, quas ſingulas circumſtantias medicina curatius advertit & ſolidas utilitates ex illarum intellectu provenientes commendat, inculcat & applicat.

§. XXXVIII. Et quanto non ſtudio 23) phyſica doctrina diſſerit de motu, materiis eſſentiali, indito, connato, aut concreato, ſubinde vero præterit proximas cauſas motuum, ſive efficientes, ſive communicantes; e qua conſideratione in illam implicationem incidit, quo minus rite motum & materiam diſcernere queat, ſed illam confuſionem craſſiſſimam committat, ut motum materialem & materiam activam vel motu proprio præditam fingat: contra vero Medicina in toto ſuo contextu theoretico etiam cauſæ efficientis & moventis reminiſcitur & ex hac reliquos motus, ſucceſſus, effectus & eventus ſolide & perſpicue deducit.

§. XXXIX. Denique etiam 24) phyſica doctrina aſſignat motuum ſucceſſus, ordines, proportiones & directiones efficaciæ inſtrumentorum, adeoque craſſius actus mechanicos & organicos ſive mechaniſmum & organiſmum confundit; contra vero bene diſcernit Medicina has qualitates & quid præcipue ad corporum & materiarum conſtitutionem atque concurſum ſpectet, quidve ex motu in partes & inſtrumenta convenienter applicato proveniat, indicat, adeoque inſtrumentorum rationalem intellectum ſuppeditat.

§. XL. Cum vero Phyſica appellationem ſuam nacta ſit a natura, ita ut commode poſſit vocari doctrina ſive ſcientia de natura univerſi, imo cum hæc naturæ acceptio & theoria in Philoſophia æque ac Medicina perquam ambigua, implicata & confuſa ſit, propterea in Phyſica rite tractanda eo ſolidior ſolertia atque dexteritas applicari debet, ne verus uſus & ſincera utilitas hujus doctrinæ evileſcat, aut variis confuſionibus ſubjiciatur.

§. XLI. Sed dum in communi Phyſica nimis compendioſe & abrupte Philoſophi de natura diſſerunt, ita vulgo Phyſica definitur, quod ſit cognitio corporum & effectuum naturalium, ſive ſcientia corporum naturalium, diverſis viribus & qualitatibus ad multiplices effectus capacibus, præditorum: ubi fruſtraneum eſt de eo multum diſceptare, an phyſica verſetur circa corpora, ſubſtantias, entia naturalia, mobilia, viſibilia &c. utpote quæ lis magis metaphyſica eſt & inter antiquos ontologos agitata.

§. XLII. Quoniam porro Phyſica verſatur circa corpora ſive totalia, ſive partialia, maxime vero diverſo motuum gradu prædita, ex quibus quædam viva & animata, alia inanimata ſunt, ita omnino digna eſt tractatio phyſica, quando perpenditur, quid proprie ad materiam, quid ad motum & quid ad naturam pertineat; alias ſi hæc utilis disquiſitio negligitur, reliquæ tractationes admodum vanæ & fallaces erunt, id quod jam Pythagoras, Socrates & Pyrrhonii Philoſophi agnoverunt.

§. XLIII. Dum proinde phyſica doctrina eſt ſcientia ſive rationalis notitia, ita porro notandum, quod hæc ſcientia ſit partim hiſtorica, partim cauſalis, ſive ſenſualis & intellectualis; dum res, tanquam objecta, in hoc ſtudio genuina & occurrentia ſeliguntur & evolvuntur, deinde illarum rerum qualitates et diverſæ mutationes rationalibus & evidentibus cauſis explicantur, adeo, ut hæc ſcientia ſine ſenſu integro & ratione ingenua comparari & confirmari haud poſſit; ubi tamen craſſus ille error omni ſtudio evitandus, ne veritates phyſicas cum craſſis ſenſibus dimetiri laboremus, neve nihil rectum aut verum eſſe æſtimemus, quod ſenſu non aſſequimur.

§. XLIV.

§. XLIV. Neque tantum phyſica in nuda ſcientia acquieſcit, ſed & proximius tranſit ad ipſum uſum realem: hinc a quibusdam appellata conſtat ſcientia practica, quales uſus partim per ſpatioſum triplex regnum rerum naturalium ſe ſe extendit & in animali regno pro applicationibus medicis anatomiam ſiſtit, in vegetabili Botanicam & Materiam medicam, in minerali Chymiam & illam vel pharmacevticam vel docimaſticam, utrumque vero vel Halotechnicam vel Zymotechnicam vel Pyrotechnicam, partim etiam multiplices imo innumeros uſus arti mechanicæ ſuppeditat, ita ut multis modis illius tranſitus ad applicationes reales emineat.

§. XLV. Ad veritates in phyſica explorandas & comparandas inprimis contribuunt certa generica adminicula, nimirum Senſus et connexa ratio & obſervatio ſive Experientia et interdum imitatio et formatio per experimenta: ſenſu enim apprehenduntur objecta, quæ ad ſtudium phyſicum ſpectant, haud tamen ubique & abſolute neceſſe eſt, quo ſingula talia objecta viſu & crasſiori modo comprehendantur, ſed requiritur, quo miniſterium ſenſuum non ultra ſuam ſphæram extendatur: proinde etiam ratio eſſe debet circumſpecta & a præjudiciis libera, ſed potius ſimplex & ſincera; obſervatio requiritur conſtans atque ſedula et ab omni præcipitantia & confuſione aliena, imitatio denique aut experimentatio perinde ſit provida, ne ad ſpeculationes & allegorias ſeducat, neve inde præcipitata argumentatio inſtituatur, quaſi in naturalibus idem modus fiendi & eſſendi exiſtat, qui in artificialibus aut artificioſis imitationibus obſervatur, quæ confuſio multum damnum in theoriam vere medicam infert.

§. XLVI. Et dum phyſica verſatur circa ejusmodi animadverſiones, quæ utplurimum ſua ſponte, et ut ajunt, ex natura, citra operoſum artis conſortium contingunt, hinc pro ſolidiori magisque fundamentali tractatione phyſica bene diſcernendum eſt, quid a natura dependeat, quid vero arti, naturæ interdum miniſtranti aut naturam imitanti, asſignari mereatur: & quanquam ars nonnunquam phyſicis contemplationibus ſubſerviat, tamen maxime refert commendatam differentiam conſtanter obſervare.

§. XLVII. Multum enim reſſert in veritatibus phyſicis recte inquirendis & agnoſcendis noſſe differentiam Naturæ & Artis, ne inter utramque (quod hodiernis moribus perquam familiare eſt) magna confuſio committatur: id quod etiam propterea contingit, quia cognitio naturæ communiter admodum obſcura eſt: quod ſi vero verior naturæ ſenſus innotuerit, tunc facile liquebit, quomodo eadem, nimirum natura, functiones ſuas longe exquiſitius perpetret & præ arte longe ſubtilius, ſolidius & firmius operetur: ars contra multas contorſiones & curioſitates, naturæ haud conſvetas, commi-

 ſcet,

ſcet & perſæpe in illo actu, quo naturam imitatur, a vero ſcopo admodum aberrat.

§. XLVIII. Quando miniſterium atque uſus Senſuum ad veritates phyſicas eruendas concurrit, tunc ad ſecurius eorundem exercitium requiritur organon ſanum atque integrum, objecti præſentia & conveniens diſtantia, atque concurrens integra & a præjudiciis libera ratio: ſi enim in hiſce requiſitis quidam defectus occurrunt, tunc ſub juſta interpretatione verum evadit illud Carteſii aſſertum, quod ſenſus errent. Quod ſi vero juxta quorundam opinionem actus & officium ſenſuum a rationis uſu & directorio ſeparetur, tunc ſenſus per ſe non fallunt, ſiquidem in omni ſenſuali errore anima hominis rationalis tam quoad organa, quam quoad objecta ſenſualia errores committit.

§. XLIX. Interim uſus & applicatio ſenſuum maxime requiritur pro intellectu, ita ut magis veritati congruat ille Canon, quod nihil veniat in intellectum, quod non prius fuerit in ſenſu; quo reſpectu vulgo per intellectum accipitur utplurimum ratiocinatio, ſive cogitatio, utpote quæ omnino generalem & externam quaſi perceptionem objectorum præſupponit & ita ſenſatio eſt apprehenſio, animadverſio, aut perceptio objectorum, organo ſenſorio communicatorum generalis, quoad craſſiſſimas ſuas magisque extraneas circumſtantias, ſine reſpectu cauſalis cognitionis: contra vero intellectus eſt paulo intimior objecti, per ſenſus comprehenſi, notitia, tum quoad ſpeciem ſuam, tum etiam quoad conſtitutionem ſuam atque uſum.

§. L. Interea omnes operationes animæ, quotquot ad veritates eruendas, atque inveniendas, aut agnoſcendas, aut confirmandas pertinent, eſſentialiter non niſi motu abſolvuntur, inde etiam ſenſatio nihil aliud eſt, quam motus animæ, quo partim organa apta inſtruit, ad oblata objecta dirigit & applicat, eademque arripit, ſufficienter obſervat & deinde ratiocinationis motu ſive actu ſubjuncto perquirit & perluſtrat, quin denique poſt ſusceptam comparationem ad ſe ipſam & dijudicationem, aut æſtimationem prægreſſam vel in uſus ſuos convertit, vel a ſe avertit.

§. LI. Quemadmodum intellectus ſive ratio & ſimplicior cognitio nititur ſenſu, licet non omni & quolibet, propterea circa uſum rationis in evolvendis & explicandis veritatibus phyſicis haud convenit, quo intellectus negligat aut prætereat ſenſum, aut ſenſum ſibi fingat, adeoque per ratiocinationem ludat & præludat: etenim magnum illud detrimentum eſt in Phyſica, quando intellectus ſupra captum aſcendit, ſublimia affectat & in res impenetrabiles introſpicit, adeoque meris opinionibus & figmentis operoſus eſt: interim non omnis intellectus craſſos ſenſus præſupponere debet, neque viciſ-

ſim

ſim in rebus naturalibus æque ac ſupranaturalibus tam integer & purus intellectus præſupponi poteſt.

§. LII. Magna tamen cautela, prudentia & dexteritate opus eſt circa uſum & exercitium intellectus, in rebus, ſpeciem naturalis conſtitutionis præ ſe ferentibus, interim mere ſupranaturalibus & quidem vere talibus: ubi omnino petulantia humana eſt, miracula certa cum intellectu & ſenſuali perceptione apprehendere, explicare & applicare, quod imprimis valet de eximiis Salvatoris miraculis: proinde vero illa circumſpectio adhibenda eſt, ne credulitas quædam & ſuperſtitio intellectum decipiat, neve animus ſubito ſupra naturales vires fingat, quando forte naturales cauſas tam facile reperire non poteſt: omnium maxime animum in rebus naturalibus a veritatibus ſeducit plebeja credulitas & deteſtanda ſuperſtitio.

§. LIII. Et quo magis veritates certæ & ingenuæ in doctrina phyſica inveniantur & confirmentur, eo magis præſtat vana quædam Philoſophorum refugia evitare, quando videlicet cauſæ quædam non ſtatim liquent, ubi præter prædictas accuſationes & provocationes etiam ſatis ſæpe in ſubſidium defectus cauſarum Fortunæ & Caſus mentio fit: ſicut vero hæ notiones antiquisſimis Philoſophis Peripateticis & Epicureis uſitatæ fuere, ita ſub reliqua frequenti, obſcura & frivola applicatione, qua perperam interdum altiora & divina directoria ejusmodi cauſis adſcribuntur, *Fortunæ* nomine veniebat concurſus accidentalis alicujus cauſæ cum intentione agentis coincidens & *Caſus* dicitur ſimilis accidentalis cauſarum concurſus, citra & extra intentionem agentis contingens.

§. LIV. Fruſtra tamen erit tam præcipitanter ad has voces, ſane admodum ſteriles, confugere & tam in phyſicis, quam medicis fortunam pro ſingulari cauſa, aut plane pro directore humanarum rerum ſalutare & venerari; quemadmodum in medico imprimis ſenſu fortuna a ſolidiori cognitione & tractatione rerum, animum valde diducit & ad varias perverſas temerarias actiones ſeducit, ſub ſpe quod fortuna audaces adjuvet: quemadmodum itaque fortuna, ſi aliud quid, quam mere accidentalam effectum & cauſarum concurſum denotare debet, non niſi otioſum & vanum verbum offert, ita in Philoſophia ſana æque ac Medicina rationali ab ejusmodi provocatione plebeia ſollicite abſtinendum eſt.

§. LV. Verſatur itaque rectius Phyſica circa illa entia naturalia, quæ vel in ſenſum, vel in rationem incidunt; ſunt talia, vel ad formam, vel ad materiam rei cujusdam ſpectantia; ad priorem claſſem refero cognitionem naturæ, ſenſu vere philoſophico accipiendæ & bene etiam applicandæ, nec non notitiam motuum; ad alteram claſſem pertinent explicationes corporum, eo-

rundemque principiorum, mixtionum & congregationum, ſicut denique ſub relatione & conſideratione motuum, per corpora tranſeuntium, varii effectus variaque phænomena in notitiam phyſicam perveniunt.

§. LVI. Ob id in proxima tractatione mea phyſica illum ſcopum proſequar, quo non tam generalem conſpectum phyſicum ſubminiſtrem, quam potius hanc conſiderationem ad uſum medicum ducam, licet e fundamentalibus theorematibus tot ſubſidia occurrant, quæ ad ſpecialiorem phyſicam tractationem facile & commode duci poterunt, ita ut ſpecialisſimam talem applicationem potius cujuslibet peculiari induſtriæ reſervem atque commendem.

CAPUT I.

DE

PRINCIPIO RERUM IMMATERIALI.

§. I.

Cum doctrina phyſica ſuam denominationem nacta ſit a Natura, adeoque exhibeat cognitionem naturæ in univerſitate rerum obviæ, hæc vero non cum materia confundenda ſit, ita confuſus ordo eſſet, qui indoli Philoſophiæ naturalis admodum repugnaret, ſi de materia ejusdemque qualitatibus, ut & de principiis rerum materialibus mox in limine & ingreſſu ſermonem inſtitueremus: propterea magis congruo ordine de hoc principio, quod communiter naturam vocant, agere placet, quo illius ſenſus etiam magis innoteſcat & communis confuſio, quæ in vulgari Phyſica oberrat, curatius evitetur.

§. II. Tanto magis utile & neceſſarium erit verum naturæ ſenſum exhaurire, cum ab omni ferme ævo magna diſcrepantia circa hanc notionem & acceptionem, imprimis inter Philoſophos, interceſſerit & denique ob multiplicem ſignificatum & litis infinitatem vox naturæ inter Philoſophos plane exoſa reddita fuerit, ut proinde quidam e recentioribus, inter quos hoc loco Boyleum nomino, cenſuerint, quod appellatio naturæ plane abroganda ſit, cum effectus, qui naturæ vulgo adſcribuntur, a materialibus cauſis & qualitatibus commodius derivari & deſcribi queant.

§. III.

§. III. Utut vero in omni tempore ſenſus naturæ admodum obſcurus fuerit, propterea tamen non defuerunt, qui genericum verum intellectum de natura ſuppeditarunt, licet conſtanter circa hoc principium lites motæ & promotæ fuerint: interim notatu perquam digna eſt illa obſervatio, quod ab antiquisſimis temporibus ad recentisſima naturæ ſignificatus obtinuerit & uſitatus fuerit, ut propterea vel implicite & tacite hæc conſervatio vocis inculcet, quod non in nudo ſono, aut ſimplici notione conſiſtat, ſed peculiarem cauſam & conditionem, in rebus naturalibus ſolide & ſollicite obſervandam, indicet atque involvat.

§. IV. Et ita quidem ab omni antiquitate cognitum eſſe poteſt & debet, quod notio naturæ peculiarem & ſublimiorem, aut intimiorem qualitatem alicujus rei indicare debuerit, quæ qualitas vero, quia tot difficultatibus expoſita deprehenſa eſt, ut eo minus ſpecialiori ſignificatu explicari potuerit, ita generica hac voce denotabatur: imprimis ex antiquisſima applicatione vocis conſtat, quomodo natura de talibus ſubjectis prædicabatur, quæ ſingularibus motibus inſtructa erant, ita tamen, ut illæ commotiones non crasſis & evidentibus cauſis competere conſpiciantur, ſed ab intimiori, neque adhuc ſatis cognita cauſa, quam propterea naturam vocabant, proveniebat: hinc antiquisſimus naturæ ſenſus eſt, quod ſit principium motus.

§. V. Sicut porro inter antiquos per naturæ vocem e Chaldaica & Hebraica Lingva conflatam, principium caloris & ignis indicatum & a Perſis poſtea pro Sole habitum & adoratum fuit, quid quod impoſterum ab aliis juxta imitationem priorum per naturam angeli & quidem Seraphim dicti, tanquam Spiritus ignei intellecti fuerant, ita porro a Græcis animæ ſignificatum, quin denique Φύσεως nuncupationem obtinuit, unde Latinis & denique Germanis magis magisque innotuit ſimplex naturæ vox, quaſi ſit cauſa & principium ortus & nativitatis rei; a quo principio res, ad naturam ſpectantes, non modo ſuam geneſin ſive eſſentiam atque formam, ſed & ſuam exiſtentiam, durabilitatem & conſervationem habere debeant.

§. VI. Et dum per Naturam in omni ævo & cana quidem antiquitate principium productionis & generationis ſignificabatur, adeoque ſublimior & dignior quædam cauſa alicujus rei indicabatur; ita jam inter antiquos obtinuit ille abuſus & improprius ſignificatus naturæ, qui in poſteritates emanavit, quando videlicet reliquas cauſas non ſatis manifeſtas, ſed ſublimes per naturam deſcribere ſategerunt, inde penitus ille error ortum traxit, quod per Naturam aliquando corporeæ affectiones deprædicatæ fuerint, uti vulgo hodienum ſyſtemata atque complexus corporum per naturam indicantur.

§. VII.

§. VII. Quo magis Naturæ notio etiam in veterum ſchola variis certaminibus & oblocutionibus anſam præbuit, dum evidentior ſenſus atque acceptio illius nondum ſtatim illuxit, hinc principium, quod Naturæ nomine veniebat, pro re admodum abſtruſa, difficili, litigioſa atque ſecreta habitum fuit; & cum inter Philoſophos explicatio & interpretatio formæ rei æque difficilis & intricata extiterit, dum modo occulta materiæ qualitas, modo cauſa ſuperior qualitatem introducens, pro eadem explicata fuit, ita inter Scholaſticos innotuit atque invaluit confuſio illa inter Naturam & Formam, quippe quæ etiam inter poſteros uſu recepta fuit, licet quoad ſimplicem denominationem aliæ colorationes & interpretationes conſtent.

§. VIII. Juxta hunc antiquum Scholaſticum errorem diverſæ aliæ ſententiæ & acceptiones de Natura inventæ & oblatæ ſunt, in quibus partim contorta & inutilis curioſitas & vanitas humana, partim craſſa ſuppoſitio & petitio principii hæret, quando videlicet e diverſis motibus & phænomenis concluditur, quod hæc ita fiant, quia non aliter fiunt, aut quia Deus voluerit ut ita fiant; inde occuparunt illæ narratiunculæ, quod horum actuum & effectuum cauſa ſint æternæ leges divinæ, aut uti Scholaſtici etiam in ore habent, voluntas Dei, imo alii fabricam & peculiarem atque individualem corporum diſpoſitionem materialem, de qua dicunt, quod horum motuum & effectuum cauſa ſit, pro Natura habent atque declamant.

§. IX. Cohæret itaque hic error & hæc confuſio cum communi illo nævo, qui ferme per omnes ætates ſcientiarum humanarum circa theoriam naturæ propagatus fuit, quando Natura, Motus & Materia crasſiſſime commiſcentur, ita, ut mox natura materiam, alibi motum, motus viciſſim qualitatem materiæ & materia per vires ſuas, uti dicitur, a Deo conceſſas & inditas, & per æternas illas leges divinas motum & naturam ſignificare debeant: quæ confuſio vero, uti ſatis craſſa eſt, ita verum ſenſum naturæ, veram theoriam motus & materiæ tractationem admodum impedit, quidquod præter neceſſitatem terminologiam multiplicat, cum hac ratione natura & motus nil niſi materia in certis qualitatibus comprehenſa exiſterent.

§. X. Quoniam ab omni antiquitate per Naturam intellectum fuit aliquid, cui peculiares corporum mutationes non a qualibet cauſa deducendæ, adſcribi posſint, hinc ſimplicisſimo, ſed illo etiam verisſimo, ſenſu per Naturam non tam paſſivum quid, neque qualitas conſpicua corporis, neque ipſum corpus, ſed principium activum denotabatur, a quo corporum motus, variationes, diverſæ actuationes; ut & applicationes ad certos fines dependent & ita juxta hunc ſimplicem ſenſum Natura longe aliud quiddam, quam materiam ſignificare debuit.

§. XI.

§. XI. Sed cum notio Naturæ nimis generalis & quadantenus obſcura adhuc ſit, licet per illam cauſa & principium motus intelligatur, tamen in eo evidentia adhuc deſideratur, quo ſubinde etiam ſignificetur, quale nam illud principium motus exiſtat, quod naturæ titulum tenet, ſiquidem in hac generica appellatione animus acquieſcere haud poteſt, unde circumſpicit & inquirit, an aliud quoddam ens magis cognitum & rationi humanæ paulo plus perſpicuum Natura vocari mereatur: inde prodierunt diverſæ acceptiones Naturæ, quæ tamen plurimum eandem obſcuritatem atque difficultatem involvunt.

§. XII. Ob id nunc placet brevibus diverſos Naturæ ſignificatus ab omni ævo inter eruditos variarum facultatum uſitatos allegare & deinde indicare quinam de ſingulis veritati magis reſpondeant; & ita 1) quidam per Naturam intellexerunt Deum aut ens illud omnipotens, cujus cognitionem etiam Ethnici habuerunt; & ſicut quidam de veteribus Phyſicis Deum per mentem divinam denotarunt, ita alii 2) dixerunt, Naturam eſſe Mentem divinam: 3) iterum alii non Deum in unitate, ſed in Diviſione operationum ſuarum naturam eſſe dixerunt: ſicut 4) aliqui Deum per nomina & qualitates diſtinctum Naturam vocarunt.

§. XIII. Præter has acceptiones Naturæ ulterius 5) aliqui per hoc principium intellexerunt illud Verbum omnipotentiæ divinæ, quo almus creator per illud FIAT omnium rerum origines introduxit, adeoque talem Univerſalem Naturam per illud FIAT ſive per potentiam Dei explicarunt: 6) alii dixerunt, quod omnes res ſuos ortus capeſſiverint per illud verbum JOHANNITICUM, per quod etiam juxta ſacrum codicem omnes creaturæ conſervantur. 7) quidam presſius & ſimplicius dixerunt, quod natura nihil aliud ſit quam Salvator, qui cum Patre operatur & cui totum mundum ſubjicit Pater. *conf. Prov. 8. v. 20-30. Pſal. 102. v. 26. Ebr. 1. v. 10. cap. 2. v. 8. Joh. 1. v. 3. Coloſſ. 1. v. 16. 17.* Porro 8) aliqui dixerunt angelos eſſe naturas rerum creatarum, qui a Creatore emisſi ſunt, quo illius voluntatem exequantur.

§. XIV. Præterea plures alii ſignificatus Naturæ occurrunt & quidem 9) aliqui antiquiſſimi Philoſophi per Naturam intellexerunt ſeparatas quasdam Intelligentias divinas, utpote cauſas moventes cum intellectu præditas; 10) alii Naturam eſſe dixerunt Vim Divinam. 11) iterum quidam Naturam agnoverunt ex effectibus, operationibus & motibus, unde Motum in genere, omnia actuantem, Naturam eſſe tradiderunt & cum alii 12) in diverſis ſubjectis temperiem, proportionem, relationem, temperatam variationem motuum obſervarunt, e qua temperie tam origines quam conſervationes rerum dependeant, ita dixerunt Temperamenta eſſe Naturam.

§. XV. Sequuntur adhuc plures Naturæ ſignificatus inter eruditos uſitati & ita 13) aliqui per Naturam intellexerunt Vitam corporum, ſive univerſalem poſituram & conſtitutionem in ſtatu conſervationis ſuæ: porro 14) alii dixerunt Naturam eſſe ens quoddam univerſale mundi, quod alio nomine & Platonico ſtilo Spiritus mundi vocatur & juxta Morum 15) principium Hilarchicum 16) quidam univerſum conſenſum corporum & partium Naturam eſſe crediderunt: 17) aliqui aſſeruerunt, robur Spirituum vitalium Naturam eſſe: 18) alii dixerunt robur partium eſſe naturam corporum: 19) nonnulli per Naturam motus corporum individuales denotarunt 20) aliqui ſubſtantiam rei: 21) alii formam rerum: 22) quidam animi alacritatem 23) principium motus 24) & quidam conformatricem foetus cauſam Naturam eſſe tradiderunt.

§. XVI. Præter hos ſignificatus naturæ adhuc plures inter Philoſophos, maxime antiquos, deinde etiam recentes occurrunt, unde 25) quidam Naturam magis per paraphraſin, quam veram denominationem, dixerunt eſſe artem Dei in creaturis, quæ vero cauſam aliquam peculiarem & in certis corporibus activam non exhaurit; deinde Democriteæ Sectæ addicti 26) Naturam vocarunt concurſum principiorum elementarium, ſive juxta genuinum ſtilum atomorum: 27) alii horum Philoſophorum vocarunt Naturam primam compoſitionem corporum: 28) alii formam rerum per univerſas mundi partes commeantem: 29) nonnulli Peripateticorum Naturam appellarunt nexum formæ cum materia; & 30) quidam ex Natura actum in abſtracto conſideratum ſibi finxerunt.

§. XVII. Inſuper etiam alii ex antiquiſſimis Philoſophis 31) pro Natura agnoverunt animam in genere conſideratam. 32) viciſſim vero alii animam intellectualem: 33) quidam animam vegetativam: nonnulli 34) Spiritus animales; & alii 35) ad imitationem, Spiritus vitales: porro etiam 36) quidam Naturam vocarunt calidum innatum, ſive homogeneum. 37) recentiores Naturam quæſiverunt in diſpoſitione corporis mechanica: & 38) alii illorum motum mechanicum: 39) nonnulli continuationem motus per certa corpora; & 40) denique quidam ex Epicurea Secta Fortunam pro natura venditarunt.

§ XVIII. Denique etiam non pauci e recentioribus 41) per Naturam magis implicite denotant voluntatem Dei, juxta ſtilum veterum, quando videlicet & tam exquiſitum & ordinatum motuum decurſum atque tranſitum materialibus cauſis adſcribere non potuere, qui propterea in amplifica quadam ignorantia & celebri præjudicio ad Deum confugiunt: non minus 42) inter Philoſophos ſatis cognita atque exoſa eſt Spinoſæ ſententia, quæ Creatorem cum creaturis & Deum cum mundo craſſe confundit & exinde alium naturæ ſignifi-

ſignificatum obtrudit: 43) Sic Paracelſi & Helmontii Archeus nihil aliud quam Natura in hominibus eſt; quid? quod 44) Carteſii & reliquorum ſequacium diſpoſitio corporum mechanica & ex eadem deducta motuum progreſſio ordinata & proportionata non niſi Naturam corpoream affingit: & denique 45) diverſi illi principes certis partibus corporis præpoſiti, a Dolæo, terribilibus nominibus deprædicati, Naturæ ſignificatum tenent: ex quibus facile liquet, quam multus, multiplicatus & implicatus Naturæ ſit ſignificatus.

§. XIX. Quam multiplex & quam diverſus Naturæ inter eruditos ſenſus exiſtat, tam parum ſolidæ & ſinceræ veritati utplurimum reſpondet, ſiquidem vel aperta illa confuſio occurrit, qua Natura univerſalis cum ſubordinata & particulari frivole complicatur, ut deinde non facile differentia inter Deum Creatorem, tanquam ſupremam omnium rerum Naturam & inferiora entia activa compareat: deinde multæ obſcuræ abſtractiones & qualitates Naturam præſentare debent, aut ſub tali obſcuritate ſimplicior Naturæ ſenſus magis implicatur, vel nova fictitia principia pro eadem obtruduntur, vel attributa corporum ad indolem Naturæ peſſime trahuntur, imo denique inter cauſam actuantem ſive efficientem, inter actum, effectum, productum & materiam apertæ atque craſſæ confuſiones committuntur.

§. XX. Quam diffuſus, quamque confuſus ſit ſignificatus Naturæ, tam abſtruſa, imperfecta, difficilis & confuſa paſſim deprehenditur Naturæ definitio, quæ quidem inter primos Philoſophos haud occurrit, dum difficultas tractationis illos deterruit, quo minus ad hoc obſcurum ſubjectum definiendum animum applicent, tanto magis, quoniam circa illud tantæ lites eminuerint, unde inter antiquos primus deprehenditur Ariſtoteles, qui naturam definivit, quod ſit principium motus & quietis, in quo eſt primo, per ſe & non per accidens; & ſicut hæc definitio vel nimis generalis, vel admodum corrupta, æquivoca & confuſa exiſtit, ita ſimplicem & verum ſenſum de natura non exhaurit: inprimis vero totum ſenſum obſcurant verba definitionis IN QUO, cum non ſtatim liqueat, de quonam verba illa dicta aut accipienda ſint.

Conf. Stahlii Opuſc. Phyſ. chym. Med. p. 197. ſeqq.

§. XXI. Ut ut etiam varii e Philoſophis & Medicis hanc definitionem Ariſtotelis ut mancam & confuſam agnoverunt, quam propterea Helmontius admodum caſtigat & invehit, tamen melior quædam definitio non facile invenienda eſt, ſiquidem ipſe Boyleus, qui miram Naturæ cognitionem affectavit, ſub reliqua multiplici Naturæ definitione non niſi craſſas confuſiones committit, quando mox dicit, quod Natura ſit ens ſapientiſſimum, quod nihil facit fruſtra & vacuum abhorret &c. aut quod ſit effectus materiæ univerſalis, aut ſubſtantiæ corporeæ univerſi, unde omnia corpora apta fiunt, ut agant in ſe mu-

tuo

tuo & patiantur; aut quod ſit conventio quædam mehanicarum affectionum, molis videlicet, figuræ, ordinis, ſitus, texturæ, motus localis &c. utpote quæ definitiones a vera Naturæ indole totidem abludunt.

§. XXII. Quam confuſa & aliena talis eſt definitio, tam firma tamen atque ſolida eſt certitudo, quæ plurimorum mentem detinet, quod Natura ſit principium motus, adeoque cauſa ſuperior, quæ demum ſecundum inſtrumentorum aptitudinem & finium neceſſitatem atque utilitatem operatur, hinc ab omni tempore tam ſingularia prædicata de Natura innotuere, qualia ſunt, quod natura abhorreat ab infinito, quod non intendat malum, quod det neceſſaria & deneget ſuperflua, quod feratur in præſtantisſima, quod nihil faciat fruſtra, quod ſit ſapiens & circumſpecta atque ſolers, quod fine ſuo nunquam excidat, quod ſemper faciat quod optimum eſt, quod agat per vias breviſſimas, quod non deficiat in neceſſariis, neque tranſeat in ſuperflua; quod ſit conſervatrix ſui, quod ſit morborum medicatrix, quod invigilet conſervationi univerſi, quod abhorreat vacuum, quod ſibi ipſi vias eligat, quod faciat convenientia, quod ſibi ipſi methodos inveniat &c. ex quibus ſingulis facile colligere licet, quam longe alio ſenſu Natura in animo Philoſophorum hæſerit.

§. XXIII. Quemadmodum hactenus minus congruum ſenſum naturæ denotavi, ita jam veram illius acceptionem ſignificabo & cum omnium & ſingulorum ſubjectorum proxima & immediata cauſa movens haud univerſalis ſit, ita diverſa Naturæ ſignificatio erit inculcanda, in quantum eadem tam immediatis, quam mediatis reſpectibus reſpondet, quæ differentia eo magis ſervanda eſt, quo minus varii motus eorumque ſucceſſus vel cum ipſa ſubordinata quadam Natura inferiori confundendi ſunt, aut quo minus naturalia ſic dicta ſubjecta cum ſupranaturalibus viribus & immediatis influxibus adeoque Deus & mundus confundantur.

§. XXIV. Neque tamen ab antiquiſſimo & certe etiam veriſſimo ſenſu Naturæ diſcedo, quando videlicet per hanc non materia, neque etiam motus, effectus & productum intelligebatur, ſed potius ſuperior & dignior cauſa, ſeu principium motus, cujus illa eſt eſſentialis atque celebris energia, qua operatur vel extra materiam, vel ad illam, vel in eadem, quæ tamen cauſa ex ſua eſſentia materiam non producit, licet alius ille ſit ſenſus, quod ſumma cauſa motuum juxta perfectiſſimas ſuas vires materiam & primum chaos non ex ſua eſſentia produxerit, ſicuti falſa eſſet aſſertio, quod Deus mundum ex ſe & ſua eſſentia creaverit, licet animam hominis ad ſimilitudinem ſui, non vero in divina quadam eſſentia creaverit.

§. XXV. Propterea Natura nihil aliud eſt, quam principium ſubſtantiale, incorporeum & intelligens, ſive ſupremum, ſive ſubordinatum

per

per motus activum & quoad prius aliorum vires conſervans & interdum ſub peculiari ſcopo immediate corpora actuans, quoad poſterius vero certis corporibus præfixum vel inditum & ex parte talia corpora juſto modo dirigens, ex parte generans atque conſervans.

§. XXVI. Et ita in genere Natura dicitur principium, minime vero pro materia conſtituenda & eſſentialiter efficienda idoneum, quia ipſum illud principium ab eſſentia materiæ diverſiſſimum eſt, unde alio ſenſu meretur appellari principium rei, ſive cauſa ſuperior, per quam ſubjecta materialia ſuum ortum atque principium habent & unde corpora ſic dicta materialia tanquam a primo principio ſuam actuationem, directionem & applicationem nanciſcuntur: quo ipſo indicatur dignitas hujus cauſæ atque differentia ab ignobilioribus & mere paſſivis ſubjectis, aut ſic dictis principiis materialibus; & tale quidem principium in generali Naturæ deductione ex una parte eſt, quod non aliunde principium ducit, adeoque ſine initio & ſine fine eſt, aliud vero principium ex alio ſuperiori ſua initia ducit, attamen nullos fines abſolutos agnoſcit; aliud denique principium poteſt a Philoſophis explicari, quod aliunde initium capeſſit, iterumque ad ultimum quendam finem exit: prioris claſſis Deus eſt, mediæ angeli & animæ humanæ, ultimæ principia brutorum & plantarum.

§. XXVII. Hæc notio principii involvit adhuc illum realem ſenſum, quod talis cauſa, quæ principii nomine ſignificatur, non ſit nuda notio, aut ens verbale atque otioſum, quin potius dignitas appellationis involvit ſummam activitatem illius cauſæ, quæ in varia ſubjecta, genere & ſpecie diverſa, tranſit, ut propterea a tali principio res naturales habeant ſuas origines, exiſtentias, conſervationes, vires & utilitates, utpote quæ qualitates in ſubjectis talibus naturalibus verum & realem uſum humanum exhibent; alias nuda materia & corporum principia conſtitutiva materialia nullius cognitæ qualitatis & utilitatis eſſent.

§. XXVIII. Eſt proinde etiam Natura principium ſubſtantiale, quod propterea ab alio non dependet, ſiquidem ſuprema illa natura omnium rerum & omnipotens Creator ens eſt independens, quod omnium reliquorum naturalium entium cauſa exiſtit, reliqua vero Natura inferior ab hoc ſummo quidem ente dependet; ſed non ab alia ſibi ſimili cauſa provenit, neque in activitate ſua vires e naturalibus ſubjectis capeſſit, ſed a Deo conceſſam energiam ſuam ulterius exercet: eo ipſo tamen dum ſubſtantiale principium eſt Natura ſuam dignitatem præ aliis cauſis & reſpectibus cauſalibus obteſtatur.

§. XXIX. Dum natura ſubſtantia eſt, adeoque cauſa ſuperior movens & dirigens, producens & conſervans, imo dum hoc prædicatum in Natura inferioris ordinis certos limites involvit, in quibus natura in relatione ad Deum non æque abſoluta ſubſtantia exiſtit, ita illud bene notari debet, quod ex ſe motus ſuos producat, adeoque ſit principium movens; ubi iterum incidit illa controverſia, qua Natura & in homine anima ἀπαθὴς aſſeritur, quæ nititur incorporeitate illius, tamen cum varia objecta eidem accidant, quæ evitare non poteſt & quæ ad varios connexos actus & effectus contribuunt, hinc juxta talem ſenſum facile intelligi poteſt, quod natura interdum & in certis circumſtantiis paſſiva neque adeo conſtanter activa exiſtat.

§. XXX Subinde natura eſt incorporeum principium, qua ipſa ſua eſſentia, a materia diſcreta, eximio quodam documento teſtatur, quod dignius ſit principium, adeoque materiæ præpoſitum & tantis viribus præditum, quo eandem vario modo alterare queat: dum vero de natura aſſeritur, quod non ſit materia, ſed cauſa immaterialis & incorporea, ita tamen in capacitate intellectus humani non eſt, quo poſitive illius eſſentia deſcribi poſſit, ſiquidem eadem erit implicatio, ſi dicimus, quod natura ſit ſpiritus, aut quod ſit ens libere agens intelligens &c. illud vero magis pro phyſica veritate quadrat, quod propter hanc incorporeitatem tanto magis natura motuum proferendorum & generandorum cauſa exiſtat, ſiquidem longe magis veritati reſpondet, quod ejusmodi digna ſubjecta & principia movere queant, quam ſi e communi præjudicio phyſico traditur, quod materiis inditæ ſint certæ vires motrices, cum tamen inter motum & materiam non tanta convenientia deprehendatur, quam inter motum & ſpiritum.

§. XXXI. Et dum motus tanquam actus naturæ perinde immaterialis exiſtit, ita eo magis natura incorporea eſſe debet, quemadmodum genealogia Naturarum inferiorum teſtatur, quod ſpiritus non ſit eſſentia corporeus, ſiquidem ſumma natura almus Creator perinde quoad eſſentiam ſuam maxime diverſus eſt a materia, quid quod angelorum & animarum eſſentia a corpore diverſa exiſtit; ſingula vero hæc principia nihil aliud ſunt, quam primæ cauſæ motuum, quæ in materias operantur, ita facile liqvet, quod natura incorporeæ indolis ſit: hinc viciſſim ipſe motus, qui a Natura provenit teſtatur de immaterialitate illius: quemadmodum veteres quidam Philoſophi ex ſubtili efficacia & energia ſpirituum, qua corpora penetrare poſſunt, eorundem incorporeitatem collegerunt: neque aliqualem vim habet contraria illa aſſertio, quia Natura cum corporeis ſubjectis congreditur, quaſi propterea ipſa etiam corporeæ indolis eſſe debeat.

§. XXXII. Si itaque natura eſt incorporea, tunc neceſſario eſt in ſua eſſentia incorruptibilis, dum vero corruptio deſtruit alicujus ſubjecti formam, eidemque mortalitatem ſic dictam infert, propterea natura eſt immortalis & tamdiu æterna, quamdiu ſummæ rerum naturæ, nimirum almo Creatori talem eſſe placuerit, quam e nihilo produxit; quo ſenſu etiam materiæ æternæ ſupponi poſſent, ni divina revelatio de annihilatione materiarum teſtetur; quando denique veteres Philoſophi atque Medici de Natura corporea tractant, tunc improprie materialitas Naturæ aſſignatur & in hoc ſenſu acceptio naturæ æquivocationem involvit, dum idem denotare debet ac qualitatem ſingularem & principalem alicujus materiæ, á quo ſenſu tamen vera & genuina Naturæ appellatio aliena eſt.

§. XXXIII. Hæc natura, dum principium incorporeum eſt, ſubinde etiam reale, ita pariter intelligens ſive rationale exiſtit, quæ peculiaris qualitas eſt, qua eadem gaudet, ſiquidem capacitas intellectus non alii, quam incorporeo ſubjecto competit, dum de materia nulla ratione prædicari poteſt, quod ſit rationalis; etenim ſi principium quoddam immateriale motus certos adminiſtrat, tunc illi ortus & tranſitus motuum longe aliter concipiendi ſunt, quam ſi motus per materias tranſcendunt, adeoque utplurimum confuſi & perverſi ſunt, niſi ab alio dirigantur, ob id ſana ratio dictitat, quod primi ortus & tranſitus motuum a natura pendentes inferant rationale illorum directorium; hinc principium, quod primum movet per rerum naturam non poteſt eſſe irrationale, ſed illius immaterialitas & operationis rationalis immaterialitas connectit illud principium cum hac qualitate, quæ propterea Naturæ ſolum competit & non materiæ.

§. XXXIV. Differt vero Natura non modo per gradum activitatis & intellectus, neque tantum per dignitatem eſſentiæ, ſed etiam per reliquam generalem dignitatem & poteſtatem, juxta quam alia eſt ſuperior) alia inferior: etenim ſuprema Natura eſt omnium rerum viſibilium & inviſibilium, corporearum & incorporearum, quotquot creatæ ſunt, prima, genuina & ſola cauſa, quæ nullam ſuperiorem agnoſcit, quæ ex ſe eſt, cujus ortus nullus & finis nullus, videlicet Deus, triunus, benedictus in ſecula, cujus eſſentia, intellectus & potentia adeo ſuperat & quantitate & qualitate omnes vires, ut petulantia philoſophica eſſet expiſcari & exquiſite indagare velle verum gradum formam & eſſentiam dignitatis, in hac ſuprema natura obviæ, quæ tamen nobilitas illo ſingulari actu eluceſcit, quod ſingulæ reliquæ Naturæ, ab illo ſuperiori ente pendeant, quod propterea non modo tot gradibus immenſa dignitate pollet, quot ſubordinatarum naturarum individua ſunt, ſed & quod longe majori gradu

præ-

præpollet, qualis ab infirmo intellectu humano exprimi haud poteſt: & hæc ſuprema rerum Natura non modo reliquis Naturis eſſentiam dedit, ſed & illarum exiſtentiam atque vires benigniſſime conſervat.

§. XXXV. Cum hæc ſuprema & omnipotens Natura non immediate omnia corpora moveat, ita dantur Naturæ ſubordinatæ creatæ & inferioris nobilitatis, quibus certæ motuum adminiſtrationes commiſſæ ſunt: & hæ Naturæ in ſe ſpectatæ iterum differunt dignitate quadam atque nobilitate: enim vero cum almus Creator non modo innumerabilem angelorum copiam creaverit, ſed & eosdem in egregiam œconomiam comprehenderit, imo ſubinde quoad dignitatem & officia diſtinxerit; ita hi angeli non ſunt otioſi ſpiritus, ſed ad diverſa officia deſtinati, de quibus ratio aſſequi poteſt, quod certis motibus in diverſis corporibus celebrandis præpoſiti ſint, ſicut revelatio divina hujus aſſerti veritatem tuetur, quando per angelos omnipotens Deus in regno naturæ certa judicia exercuit, ita nihil impedit, quin intelligere & agnoſcere poſſimus, quod illius exquiſitæ harmoniæ inter cœleſtia corpora cauſæ ſecundariæ & ſubordinatæ ſint ejusmodi angeli, qui mandatum Dei exequuntur, adeoque illa corpora in tam exquiſito ordine longe maiori poteſtate movere poſſunt, quam ſi vulgatum et plebejum illud aſſertum, in Philoſophia maxime obſcurum atque ſuppoſitum, obtrudere velimus, quaſi Deus illis corporibus illam vim indiderit, per quam corpora illa ita ordinate movere debeant.

§. XXXVI. Officium Naturæ, quod in certa ſubjecta & objecta adminiſtrat, conſiſtit unice in applicandis & diſtribuendis Motibus, hinc eſt principium per Motus activum: & ita hi motus primam ſuam originem in Natura habent, neque hæc alterius activitatis eſt, quam quod motus producere et applicare queat; per hos enim connectitur Natura, tanquam ſuperius principium incorporeæ eſſentiæ, cum materia & mediante hoc actu Natura cujuslibet dignitatis & prærogativæ ſuo characteri atque officio ſatisfacit, unde veteres Philoſophi Naturam vocarunt principium motus, e quo primum hi motus proveniunt: licet in animadverſione conſtanter illa differentia agnoſcenda & inculcanda ſit, quod motus in quibusdam ſubjectis non primario, ſed ſecundario adſit, adeoque juxta Ariſtotelicam interpretationem in illis non Naturam pro immediata ſua cauſa agnoſcat: de reliquo verum eſt illud aſſertum, quod Natura nihil aliud poſſit, quam movere & quod motus a nulla alia prima et ultima cauſa provenire poſſit, quam a Natura; ſicut hæc veritas e theoria motus magis eluceſcet.

§. XXXVII. Et cum vires rerum naturalium atque creatarum non infinitæ ſint, ſed certis limitibus circumſcriptæ, ita facile judicare licet, quod Naturæ inferioris dignitatis non ex & per ſe abſolute illis viribus inſtructæ ſint,

ſed

ſed quod a ſublimiori et independente perfecta Natura neceſſariis viribus prǽditæ ſint; unde illa ſuprema Natura, dum aliis ſubordinatis principiis moventibus hanc energiam conceſſit, eorundem etiam vires ultro tuetur atque conſervat: utpote quæ demonſtratio e ſana Philoſophia nos ducit ad agnitionem ſummi & omnipotentis entis, videlicet Dei, qui vires ſuas ex ſe habet, neque ab alio principio recipit, quin rectius aliis communicat, auget et conſervat.

§. XXXVIII. Reliquæ ſubordinatæ Naturæ cum neque eſſentiam, neque exiſtentiam, neque potentiam ſuam habeant ex ſe ipſis, ita ſub altiori dominio hærent, ex quo certis operationibus præpoſitæ ſunt, ita ut ſuam conceſſam energiam & conſervatas ſuas vires ad certos uſus applicent; & inter has Naturas quædam certis corporibus, jam in prima creatione formatis, præfixæ ſunt, quo iisdem idoneos & congruos motus communicent, aliæ vero certis corporibus inexiſtunt & adhuc peculiari ratione cum iisdem cohærent, quo perinde certos uſus in & cum ſuo corpore capeſſant, iterumque huic ſuo domicilio ſalutari directione proſpiciant.

§. XXXIX. Et cum in rerum univerſitate corpora quædam occurrant, præcipue vero cœleſtia ingentis molis, quæ juſto, æquali & conſtanti motu prædita ſunt; ita ratio ſana permittit aſſerere, quod hiſce corporibus præpoſiti ſint certi motores, qui ſine errore in æquali continentia & conſtantia eadem corpora motu neceſſario & ſufficienti inſtruunt & magis ab extra impellunt atque actuant, haud vero ab intra, quia in ejusmodi corporibus totales motuum progreſſus, non vero particulares occurrunt; neque etiam neceſſe eſt, quo ejusmodi naturæ talibus corporibus inexiſtant, cum nulla exquiſita conſervatione indigeant, ſiquidem eadem ex prima ſua creatione ſatis firma & durabilia exiſtunt: & quoniam hi motus nunquam fallunt, ſed conſtantem ſuam & exactam proportionem tenent, ita principium movens hiſce corporibus præfixum majoris dignitatis eſt, quam Natura humana: neque æque talia corpora intereunt, unde neque regenerantur, neque ſpeciali tali conſervatione indigent ac fragile & corruptibile corpus humanum: quæ demonſtratio magis veritati conſona videtur, quam ſi ſupponitur, quod Deus talibus corporibus tam exquiſitum motum indiderit: ubi fruſtra eſt ſubſidium hujus ſuppoſitionis aſſerere, quod Deus juxta omnipotentiam ſuam hoc efficere potuerit, dum quæſtio non verſatur circa id, quod almus Creator potuit.

§. XL. Datur denique inter Naturas inferioris ordinis atque dignitatis alia ſpecies, quæ ſubjectis in terra viventibus non modo ut principium movens præpoſita eſt, ſed quæ ſuis corporibus tanquam ſuis habitaculis inexiſtit, adeoque illa corpora ab intra actuat & quæ propterea in oeconomia naturalium rerum operari non poteſt, niſi ejusmodi corporibus indita ſit, ſiqui-

 dem

dem inter res corporeas verſatur, earum commercio uſu & nutrimento atque emolumento ad exiſtentiam ſui corporis gaudent, unde pro meliori proprii ſui corporiis commotione & rerum externarum directione & applicatione ad ſuum corpus non ab extra hoc ſuum domicilium ambit, ſed intrinſecus inhabitat.

§. XLI. Et hæ Naturæ ex mandato divino juxta qualitatem ſuam multiplicativam, divinitus conceſſam, per verbum Creatoris: Creſcite & multiplicamini per innumeras ſpecies ſe ſe propagant, teſte revelatione divina, ita, ut vel ſpecies Naturarum harum multiplicentur atque corpora individualia propagentur, cum de angelis conſtet, quod vis multiplicativa ipſis non conceſſa ſit, ſed quod in innumera copia primitus creati fuerint; hinc Naturarum inferioris nobilitatis officium eſt, quo præter eſſentialem ſuam diviſionem & multiplicationem etiam ſubinde ſua corpora, quibus inhabitant, a primo puncto generent & poſt hac ulterius conſervent ſecundum limitatas ſuas vires, quæ denique juxta divinum mandatum iterum in ordine naturali certum terminum atque finem aſſequuntur.

§. XLII. Hæc Natura ultimæ claſsis iterum diſtincta eſt quoad nobilitatem & capacitatem, ſiquidem in genere omne illud ſubjectum, quod vita præditum eſt tali natura gaudet: & ejusmodi ſubjecta viva præcipue ſunt homines, animalia bruta & plantæ, ob id inſero & aſſero, quod triplicia hæc ſubjecta prædita ſint principio movente, incorporeo & intelligente, ſive ita dicta Natura: et cum homines dignitate ſua reliqua ſubjecta ſuperent, imo cum propter hominem hæc creata ſint, ita ſuperat etiam Natura humana dignitate eſſentiæ atque activitatis reliquorum ſubjectorum naturas: et ita quidem plura dantur principia moventia incorporea, quæ quoad nobilitatem eſſentiæ diſcrepant; ut adeo falſa ſit aſſertio, quod plura principia eſſentialiter incorporea, ſint unius ejusdemque dignitatis.

§. XLIII. Cum itaque Natura principium incorporeum ratione præditum movens ſit, ſed ſubinde in triplici illo ſubjecto, homine videlicet, brutis & plantis exiſtat, ita merito quæſtio movetur, qualisnam illa Natura in ſpecialiori ſignificatu ſit, an videlicet principium quoddam novum ſeparatum & incognitum, an vero anima exiſtat; ubi omnino laudandi ſunt veteres, qui pro meliori ſignificatu & demonſtratione Naturam, quatenus corpori contradiſtincta eſt, citra errorem ſcholaſticum, quem novaturientes ſpeculatores increpant, Animam vocarunt: quo loco non juxta Peripateticorum traditionem triplicem animam moralibus, vitalibus & ſenſualibus functionibus deſtinatam agnoſco: neque cum Platone triplicem intellectualem animam aſſero, ſed unam ſolam, incorpoream, ſimplici ſenſu ſpiritualem & rationalem, activam

credo

credo & demonſtro, qualis in triplici illo ſubjecto & dignitate & capacitate diſtincta deprehenditur.

§. XLIV. Sicut itaque anima hominis immaterialis & intelligens eſt, ſubinde etiam activa, corpori humano indita atque inhærens, ita præ omni alio ente Naturæ officium exſequitur, quæ propterea, licet incorporea ſit, tamen corpus per motus ſine intermedia quadam alia ſuppoſita, imaginaria & allegorica cauſa corpus afficit & evidentibus motibus voluntariis inſtruit; ubi vix eidem denegari poteſt reliqua capacitas ſingulares corporis partes movendi: neque illa vulgaris atque lepida objectio aliqualem valorem invenit, quaſi anima in interna œconomia vitæ & ſanitatis non pro lubitu ſuo motus variare poſſet, ſed inſuper interdum erronee & velut abſurde in corpore movere conſpiciatur, ut ex eo fruſtraneum eſſet, animam pro Natura ſalutare.

§. XLV. Circa Naturam animalium brutorum recepta eſt inter hodiernos Philoſophos traditio, quod cum corpora brutorum nihil aliud quam machina & automata ſint, ita bruta moveri ab objectis, vel interdum per conſvetudinem, aliquando ex inſtinctu & appetitu naturali, communiter per modificationem motuum in organis mechanicis ab effluviis objectorum pendentem: cum vero quælibet talis aſſertio ſpeculativa & lepida ſit, ita vi præcedentium mearum demonſtrationum, brutorum Natura etiam principium ſeparatum incorporeum & intelligens eſt; quod non modo corpora illorum eleganter & exacte ſtruit, ſed & exquiſite conſervat & ad varios uſus applicat, quemadmodum de reliquo in quolibet bruto diſtincti mores, certæ inclinationes, operationes mentis & animi affectus in frequentisſimis exemplis occurrunt, utpote quæ prædicata non niſi incorporeo & rationali principio competunt, ut propterea omnis Carteſiana imaginatio & Philoſophia in hac tractatione exulet & evileſcat.

Conf. Tract. meus: de anima hominum, brutorum & plantarum.

§. XLVI. Neque tamen tantillum valorem habet illa ridicula & vana objectio, quaſi bruta ratione prædita eſſe non posſint, quia alias hoc principium rationale, ratione eſſentiæ ſpecificæ & dignitatis cum hominis anima unum idemque eſſet, ubi tamen ita obloquentes noſſe debeant, quod esſentiæ rerum immaterialium & materialium admodum varient & quod propterea brutorum principium rationale incorporeum quidem ſit, ſed quoad eſſentiam, capacitatem & dignitatem inferius & ignobilius, quam hominis anima rationalis: ob id illa prædicata, quæ præcipue in ſacra revelatione de anima humana proſtant non ad brutorum animam torquenda & ducenda ſunt & potius Deo almo Creatori relinquendum eſt, an ipſi hoc principium bruto-

rum immateriale iterum annihilare, an vero pro æternitate quadam aſſervare plaucerit.

§. XLVII. Tertium ſupereſt, ut videlicet perpendam, an in plantis etiam adſit Natura, ſive principium incorporeum, ratione præditum: hoc aſſertum minime quadrat hodiernæ Philoſophiæ, quæ potius illud accuſare poſſet, quaſi de Scholaſticorum ignorantia participet; aſt vi præmiſſarum demonſtrationum nihil aliud ſequitur, quam quod omnino plantæ per tale principium moveantur, quæ ipſa formoſa & exacta ſua ſtructura illius principii rationalitatem obſignant, ubi fruſtra & ſine ulla ſolida demonſtratione varii cum multa affectata ſubtilitate ad leges mechanicas & hydraulicas provocant, adeoque ex ſola ſtructura tam exquiſitos motus, in plantis obvios, neceſſitant, licet ob ignorantiam primi certi & rationalis fundamenti deinde demonſtrationem ſuam producere & illuſtrare haut queant; ſiquidem non ſufficit craſſo aliquo modo aſſerere, quod in ſemine prima lineamenta ſpeciei hæreant, quæ tantum per acceſſionem nutrimenti ſucceſſive expandantur: neque etiam valet illa objectio, quæ rationalitatem principii moventis in plantis impugnat, quoniam plantæ neque interno neque externo aliquo ſenſu præditæ eſſe conſpiciuntur cum rationis eſſentia non in nudo ſenſu imprimis externo, hæreat, neque adverſarii demonſtrare poſſint, an æque omni ſenſu plantæ deſtitutæ ſint.

§. XLVIII. Et cum plantæ evidenti vita gaudeant, quæ ſeſe actu nutritorio & conſervatorio prodit, ita pro vita introducenda & adminiſtranda non aliam cauſam agnosco, quam Naturam, ſiquidem ſanæ Philoſophiæ admodum repugnaret, ſi cauſis externis & adventitiis, ſive adminiculis, ut calori, aeris temperiei & ſerenitati, humectationi per pluviam & terræ formalitatem hujus actus adſcribere velimus, quin manifeſta eſt demonſtratio, quod hæc vita vegetabilium haut rationibus mechanicis & hydraulicis nitatur, ſiquidem craſſiſſimo modo innumeris caſibus totus plantarum mechaniſmus deſtruitur, quamvis vegetatio ſatis exquiſito ordine continuet: neque ſuo officio illi ſatisfaciunt, qui de Natura plantarum dubitantes rationem in craſſis quibusdam operationibus quærunt, quoniam ordo & conſtitutio ſubjectorum non extendenda eſt ultra ſuos limites: & cum in creationis oeconomia vegetabilibus minime conceſſa ſit ille externus rationis uſus, hinc rationalitas Naturæ plantarum in illo negotio inquirenda & demonſtranda eſt, in quo ſeſe manifeſtat, ſicut denique plantæ non omni ſenſatione penitus deſtitutæ ſunt.

§. XLIX. Brevibus placet vel verbulo tantum reminiſci æternitatis Naturarum inferiorum, hæc licet a parte ante nulla ſit, cum naturæ illæ a ſuperiori principio pendeant, tamen cum ſana ratione concipi poteſt, quod quælibet

libet talis natura a parte poſt æterna eſſe poſſit, quia eſt incorporea & propterea incorruptibilis, cujus eſſentia per ſe deſtrui non poteſt, niſi a ſuperiori Natura iterum in nihilum redigi poſſit, quod e nihilo productum fuerat: jam vero huic conſiderationi manus ſubminiſtrat divina revelatio, quæ indicat, quod anima humana æternitate frui debeat, reliquarum vero Naturarum haut mentionem injicit, ut propterea ſapientiæ divinæ id abſolute relinquendum ſit, an reliquorum ſubjectorum, vita præditorum, anima ſive Natura æterna ſit futura, an vero iterum in nihilum redigenda.

§. L. Et ita hæ demonſtrationes hactenus de Natura propoſitæ neque rationi, neque revelationi neque obſervationi repugnant, ſed ex iisdem curatius ductæ & propoſitæ ſunt; ubi minime ſuppoſitiones quasdam, aut opiniones & ſpeculationes pro fundamento conſtitui, quin rectius ex perſpicuis phænomenis, quæ de Natura proſtant & intelliguntur totam reliquam tractationem explicavi & illuſtravi, ita ut in hac Theoria Naturæ, quæ cognitionem Dei, Spirituum immaterialium, hominis & reliquorum ſubjectorum viventium ſubminiſtrat, ſimplicior ſinceritas ſervata fuerit: hinc ab eadem nunc abrumpo, eandemque ſuis judiciis atque ſatis relinquo.

CAPUT II.

DE PRINCIPIIS ET QUALITATIBUS RERUM MATERIALIUM.

§. I.

DUm hucusque de principiis immaterialibus mentio facta fuit, ita pro ſimpliciori ordine atque nexu nunc mox ad latus pono conſiderationem principiorum & attributorum in rebus materialibus inquirendorum & explicandorum, quippe quæ tractatio vulgari Philoſophiæ naturali magis accommodata eſſe videtur, ſiquidem in univerſitate rerum, in qua homo tanquam contemplator verſatur, utplurimum res materiales, viſibiles & ſenſibiles occurrunt, in quibus recte perpendendis, major induſtria adhibenda eſſet, ſi Phyſico ſtudio quisquam ſatisfacere cogitat, præprimis cum de immaterialibus principiis & ſubjectis ex communi Phyſica non multum ſentire & judicare liceat.

§. II. Et in hac quidem disquiſitione communis Phyſica multam operam & asſiduitatem adhibuit, quid quod plus præſtitit, quam vel neceſſe eſt, vel utile eſſe agnoſcitur, unde etiam in plurimis ſyſtematibus plus de materialibus ſubjectis, quam de aliis diſſeritur, imo non ſine eximia confuſione ſatis frequenter immaterialium ſubjectorum reſpectus materialibus qualitatibus immiſcentur & imputantur, evidenti teſtimonio, quod ſæpe Natura dicatur ordo motuum, per materiarum qualitates cauſatus: deinde ipſe motus communiter materialis eſſe creditur & ſupponitur, ex quo facile elucеſcit, quantum vulgaris Phyſica immerſa ſit theoriæ de materia & hujus qualitatibus.

§. III. Imprimis in communi Phyſica diffuſi diſcurſus de primis corporum principiis occurrunt, quippe quæ diverſimode explicantur: & licet ſinguli Philoſophi de univerſali corporum naturalium materia tractent, tamen in hoc ſtudio multiplex offenſio & hæſitatio occurrit, etenim interdum animus nimis craſſis materiarum affectionibus agnoſcendis, ſupponendis & applicandis inhæret, interdum in dignoscendis elementaribus principiis nimis ſubtiliter philoſophatur & confeſtim ad craſſas applicationes delabitur: interdum ſub indagatione horum principiorum in odioſam aliquam infinitatem trivialis Phyſica delabitur, adeoque reliquam deductionem confuſam & intricatam reddit.

§. IV. Quando itaque in Philoſophia naturali de principiis rerum materialium diſſeritur, tunc purus putus Phyſicus non ſatis aptus eſt, quo in hac tractatione probatam veritatem aſſequatur, cum rectius ad veram corporum indagationem atque analyſin notitia & peritia chymica requiratur, quippe quæ ſubminiſtrat ejusmodi certa & indubia phænomena, de quibus demum Phyſicus theoreticus ſpeculatur, meditatur & judicat: quando hujus artis Phyſica expers eſt, tunc hæc non niſi mere ſpeculativa, ſcholaſtica atque fallax exiſtit, cum tantum certa principia, per phantaſiam excogitata, ſupponat, iisdemque certum numerum & certam dignitatem affingat, cum rectius Chymia ipſo facto atque producto infallibili demonſtret, de quo Phyſicus deinde diſſerat.

§. V. Et dum in perluſtratione rerum materialium magis methodus Synthetica phyſicis tractationibus quadrat, ut videlicet ex cognitione principiorum conſtitutivorum ulterior acceſſus ad mixtiones & congregationes, ut & ad qualitates harum percipiendas inſtitui queat, attamen principia illa, quæ prima, ſive elementaria vocantur, adeo ſubtilia ſunt, ut externos ſenſus ſubterfugiant, ita in illis recte inquirendis eximia circumſpectio uſurpanda eſt: interim in juſta cognitione compoſitionis & mixtionis corporum illud ſubſidium hæret, per quod ad aliqualem notitiam primorum principiorum animus

per-

pertingere queat, modo in eo ſibi proſpiciat, ne in ſubtilitates impenetrabiles ſeſe immiſceat, ſed potius ibi acquieſcat, quo ratio integra & ab omni lepida ſubtilitate & ſpeculatione libera pertingere poteſt.

§. VI. Propterea principia rerum materialium utplurimum in ſua ſubtilitate extrema agnoſcuntur & mente tantum percipiuntur, licet in ſtatu mixtionis & aggregationis illorum diverſitas etiam demum illuceſcat; attamen fruſtraneus labor erit in exquiſitiorem notitiam eſſentiarum in principiis materialibus obviarum penetrare velle, dum intellectui noſtro omnes rerum tam divinarum, quam humanarum, tam immaterialium, quam materialium eſſentiæ primæ & genuinæ incognitæ ſunt & tantum e quibusdam craſſioribus phænomenis animus ad cognitionem certarum qualitatum phyſicarum pervenire debet.

§. VII. Neque tamen propterea ſupponendum eſt, quaſi prima rerum materialium principia tantum ejusmodi ſubtilitatem externis ſenſibus incomprehenſibilem habeant, quin in analyſi corporum phyſico-chymica facile liquet, quod etiam mixtis ſubſtantiis, quæ demum e primis principiis conſtant, tanta ſit teneritudo, ut non raro evidentiam ſenſuum fugiant: eo ſubtiliora vero ſunt & continenti animo penſitanda prima ſive elementaria principia: hæc ſubtilitas mixtorum corpuſculorum ſubinde ſeſe comprobat mira atque innumera expanſione & diſperſione, qualis imprimis obvia eſt in commixtione metallorum diverſæ ſpeciei, dum purum & nobile metallum in impurum & ignobile per minima quaſi diſpergitur & extenuatur, ſed propterea ſemper ſuam mixtionem retinet.

§. VIII. Quando itaque cum ſubjectis mixtis & principiis elementaribus admodum circumſpecte procedendum eſt, ita pro meliori utriusque tractatione hæc monita bene inculcanda & tenenda ſunt, ne videlicet in præſenti tractatione animus ſeſe immiſceat in ſpeculationes maxima incertitudine oppreſſas, neque ulla utilitate præditas: tanto minus proficit in indagatione principiorum elementarium adhuc ſubtilius philoſophari & de Seminiis rerum & principiorum ſpeculari: imo abſtinendum eſt, ne animus in immenſas infinitates ruat, neve affectiones & attributa principiorum præmature & confeſtim ad corpora craſſa & aggregata applicet, neve denique ſubito otioſo quodam ſtudio in numerum principiorum, in primo ſubjecto contentorum, explorandum & computandum deſcendat, utpote qui labor nuda quadam ſuppoſitione & craſſa incertitudine nititur.

§. IX. Vulgo juxta ſenſum Philoſophorum prima rerum principia materialia conſtituunt materiam primam, ſimplicem, communem, omnis mixtionis expertem, homogeneam, individuam, ſubtiliſſimam & in tali tenuitate

nuitate conſtitutam, ut alia ſubtilior mente concipi haud queat: & hæc materia inſervit ad conſtituendas corporum mixtiones: hinc Ariſtotelici dixerunt, quod talis prima materia ſit illud primum principium, ex quo aliquid primo fit & in quod aliquid ultimo iterum abit: & de hac prima materia inter veteres Philoſophos Scholaſticos & Ariſtotelicos magna diſceptatio occurrit, quæ magis metaphyſica, quam realis eſt: interim non modo talis prima materia exiſtentia ſua ſeſe comprobat, ſed & quantitatem, qualitatem & figuram peculiarem habet, quantum quidem ratio aſſequi poteſt, ſiquidem Carteſianæ Philoſophiæ addicti huic materiæ ſimplicisſimæ minime extenſionem denegant, ut adeo tales qualitates de ejusmodi materiali principio conſtent, quæ illius exiſtentiam confirmare adjuvant.

§. X. Hæc prima & principalis materia licet valde ſubtilis ſit, tamen a Philoſophis Peripateticis tum alio nomine, tum alia explicatione & diſtinctione commendata proſtat: etenim illi prima principia materialia vocarunt elementa, quorum certum & clauſum quaſi numerum ſuppoſuerunt, adeoque ſpecies, numero paucas illorum produxerunt, dum Aquam, Ignem, Aerem & Terram pro tali elementari principio obtulerunt, ex quo reliquas corporum generationes, combinationes & formationes ſuppoſuerunt: utut vero hæc ſententia ſpeciem alicujus perſpicuitatis habere videtur, dum non modo primarum & primordialium materiarum eſſentiæ, ſed & numerus certus ſignificatur, tamen magna in eadem hæret obſcuritas, dum haud explicare potuerant, qualenam ſit principium Ignis, Aquæ &c. quoniam in flammeo igne & reliquo tractabili elemento hoc principium elementare ſubtiliter ineſt, ita, ut in igne viſibili minima pars ignis elementaris, maxima vero aliarum heterogenearum materiarum inſit.

§. XI. Quanquam Peripatetici tam arctum, compendioſum & exiguum principiorum materialium numerum ſuppoſuerint & ſubinde in illa obſcuritate hæſerint, quod ſatis condigne explicare haud valuerint, qualenam ſit elementum in Aqua, in Terra, in Igne & in Aere, tamen paulo clariorem ſenſum phyſicum in tractatione de principiis materialibus obtulit Democritus, qui magis reſpondet actibus & proceſſibus phyſicis & quo ſenſu a Peripateticorum aſſerto ipſe eximie diſcrepat, dum videlicet non modo plures ſpecies materiarum ſimplicium ſive principiorum ſupponit, ſed & in mixtionis formalitate evidentiorem rationem proponit, dum materia pro mixtione conſtituenda jam præparata aſſeritur & ſubinde ipſa mixtionis forma in intimiori illorum principiorum combinatione conſiſtit, in qua tamen quodlibet principiorum conſtitutivorum ſuam priſtinam eſſentiam retinet: in qua mixtionis tractatione Peripatetici graviter aberrarunt & eximias confuſiones in formis

mixtio-

mixtionum explicandi, commiſerunt, dum per has formas extraneum quoddam ſubjectum & accidens ſuppoſuerunt, quod mixtioni ſuperveniens principia conſtitutiva mutare & in aliam eſſentiam convertere debet.

§. XII. Talem primam & principalem materiam Democriteæ Philoſophiæ Sectatores appellarunt Atomum, quæ nihil aliud eſt, quam corpusculum ſive materia indiviſibilis, adeoque una & homogenea, ſimplex atque univerſalis, in qua tamen tali materia & certa quantitas & certa qualitas adeſt, ita ut neque figura certa eidem denegari poſſit, quæ ob ſubtilitatem ſuam valde mobilis eſt & ob defectum inſtrumentorum, reſolutionem promoventium, ultro dividi non poteſt, ſed quæ ipſa ad cauſandas alias reſolutiones propter eandem ſuam tenuitatem & ad conſtituendas mixtiones perquam apta eſt, ſiquidem ipſi Atomiſtæ ortum horum principiorum e reſolutionibus & corruptionibus corporum deduxerunt, quanquam eadem propter ſummam ſuam teneritudinem ſenſus externos ſubterfugiant, rationi tamen exquiſite pateant.

§. XIII. Quam purus, verus & ſincerus hic ſenſus de principiis materialibus in aſſerto Philoſophorum Epicureorum eſt, qui cum illa declaratione conſentit, quod principia materialia ſint ſubtiliſſima, quæ neque manu amplius diffindi, neque oculo mentis dividi poſſunt, adeoque ſimpliciſſima, homogenea, numero & ſpecie indeterminabilia & indefinita; tam impurus, obſcurus & imperfectus eſt aliorum ſenſus de eadem prima rerum materia, quando aliqui juxta mentem Pythagoræ illas vocarunt primas unitates ſive μονάδας, aut alii ſecundum Xenocratem & Platonem magnitudines indiviſibiles, utpote quæ appellationes ſubjectum deſerentes in nudis abſtractis qualitatibus obhæreſcunt & ita intellectum de primis principiis materialibus magis confundunt.

§. XIV. Inter priſcos Philoſophos præcipue Empedocles pro prima corporum naturalium materia expoſuit, propoſuit & ſuppoſuit minutiſſima quædam ramenta, quæ a corpuſculis elementaribus demum ſub diverſa commotione ſecedunt & hac ratione elementa elementorum conſtituunt, ex qua antiquiſſima ſententia Carteſius ſuam hypotheſin de principiis rerum materialibus tacite produxit, licet haud confeſſus fuerit, quod ex hac antiqua acceptiona eandem formaverit.

§. XV. Hic Carteſius in doctrina de primis principiis materialibus præcipue impugnavit Democriti ſententiam & atomorum exiſtentiam negavit ſub illa perſvaſione, quaſi materia quælibet ſit extenſa, adeoque quælibet materia ad minimum cogitatione ferme in infinitum dividi poſſit & ſi per poteſtatem humanam non amplius ſeparari poſſet, tamen eandem per potentiam divinam diviſibilem eſſe, adeoque nullam atomum agnovit, ſed ſubinde ſuam ſententiam triplici materia elementari obtulit & per materiam primi elementi intellexit

ſubtilisſima ramenta extreme mobilia, quæ ſuccesſive a materia ſecundi elementi ſecedere traditur: hæc materia ſecundi elementi ſupponitur a Philoſopho globuloſa, ideoque per figuram ad motum ſubeundem valde habilis: per materiam tertii elementi denique ſuppoſuit materiam, quæ ex crasſioribus partibus conſtat & ſua crasſitie reliquas materias ſuperat: qualis vero triplex hæc ſit materia, cum nondum perſpicue in hac diſcretione eluceſcat, ipſe Philoſophus non intelligit, adeoque hac ſua ſententia illum nævum obſcuritatis prodit, licet ſubinde aſſerat, quod e materia primi elementi Sol & ſtellæ fixæ, e materia ſecundi elementi coeli & e materia tertii elementi terra & reliqui planetæ conſtent.

§. XVI. Supereſt adhuc Chymicorum ſententia de primis corporum principiis & hi juxta Paracelſi inſtitutum tria principalia principia materialia ſubjiciunt, e quibus omnia corpora conflata eſſe aſſerunt, ſiquidem aliud Sulphur, aliud Sal & ultimum Mercurium appellare ſolent, quo quidam terram, alii vero phlegma adjungere volunt & inter Chymica principia & Ariſtotelica elementa affinitatem quandam quærunt, quæ etiam non admodum difficilis eſt, ſiquidem illam Chymicorum ſententiam communis obſcuritas & difficultas premit, dum nondum ſatis manifeſtum eſt, qualenam Sulphur elementare &, ut ajunt, philoſophicum ſit, quod in Sulphure viſibili hærere debeat; id quod etiam valet de reliquis principiis: hac obſcuritate nituntur illæ ſubtilitates alchymicæ quæ magis hieroglyphicæ & ſpeculativæ, quam reales & practicæ exiſtunt.

§. XVII. Dum hactenus variæ ſententiæ de primis corporum principiis explicatæ & examinatæ fuerunt, ita meam mentem de iisdem breviter exponam, in quantum quidem tractatio de principiis illis rationi humanæ magis perſpicua eſt: quanquam etiam eſſentiæ rerum adhuc incognitæ ſint, tamen prima principia materialia ſigillatim ſumta ſummæ parvitatis ſunt, neque unquam ſenſibus noſtris externis obvia fiunt, niſi in magna quadam congerie deliteſcant & in illa contiguitatem, imo continuitatem aliquam ſubeant, ut demum tractationi phyſicæ eadem non niſi in corporibus aggregatis ſubjiciantur, ex quo vero iterum infero, quod ſine exacta mixtionis & aggregationis phyſicæ notitia in Philoſophia naturali ad veram & rationalem primorum principiorum materialium cognitionem vix quisquam pertingere queat.

§. XVIII. Pro meliori disquiſitione materiæ primæ aut ſic dictæ elementaris omnino refert mixtionis & aggregationis tractationem in Phyſica curatius commendare, quo ſub analyſi corporum aggregatorum & mixtorum & reſoluta continuitate atque contiguitate denique tales primordiales materiæ rationi & intellectui ſeſe ſiſtant: nullibi vero diviſio horum elementorum locum

invenit,

invenit, ſiquidem nedum quidem in corporibus aggregatis præſentes tales primæ materiæ diſpiciendæ, dividendæ & in ſingulari ſuo ſtatu conſpiciendæ ſunt; interea per actus & operationes phyſico-chymicas diſſolvi & diffindi poſſunt, ita ut ſub defectu ulterioris diffiſionis denique nil niſi talis homogenea materia remaneat, quæ itaque exilisſima & mente tantum concipienda, externo vero ſenſu minime comprehendenda eſt: & quamvis in percipiendis ſubtilioribus ſubſtantiis atque commotionibus cum iisdem procedentibus capacitas ſubjectorum vivorum differat, tamen hæc prima materia in nullum externorum ſenſuum cadit, ſed propterea etiam intellectum non penitus fugit.

§. XIX. Dicuntur itaque principia materialia ſive primæ materiæ ſenſu philoſophico ſumendæ materiæ ſimplicisſimæ extra omnem mixtionem & aggregationem conſtitutæ, individuæ, homogeneæ, exilisſimæ magnitudinis, celerrimæ mobilitatis, ad mixtiones conſtituendas abſolute neceſſariæ, eſſentia diverſæ, ſed in mixtionibus eſſentialiter eædem, aut nihil mutatæ, niſi in corpore mixto novam formam & novas qualitates, non vero novam eſſentiam exhibeant & quæ pro diverſitate combinationis mixtoriæ diverſa producta offerunt, ſemper tamen in eſſentia immutabiles manent, iterumque per ſupervenientes reſolutiones in priſtinum ſuum ſtatum tranſeunt, atque denuo ens unum individuum conſtituunt, donec ſub nova ſyncriſi novum productum exhibeant.

Conf. Stahlii Specimen Beccherianum.

§. XX. Ejusmodi primæ materiæ cum ſint ſimplicisſimæ & extra omnem congregationem conſtitutæ, ita non novæ ſunt, neque demum generantur, ſed in prima creatione mundi viſibilis formatæ, quæ poſtea diverſis mixtionibus & aggregationibus corporum conſtituendis inſerviunt: interim eædem materiæ in eſſentia ſua in quolibet producto & corpore non mutantur, ſed tantum ad varia ſubjecta, ſpecie in ſuis aggregationibus diverſa, efficienda contribuunt, adeoque in hac rerum univerſitate quaſi perpetuo circulo fruuntur, qui in diverſis ſyncriſibus & diacriſibus corporum manifeſtatur: quanquam hæc demonſtratio ſimplex eſt & rationi ſanæ apprime conſona, tamen in Philoſophia naturali quæſtio illa moveri poteſt, an etiam in rerum natura ejusmodi primæ ſimplicisſimæ materiæ dentur, extra omnem mixtionem conſtitutæ? cum quidam aſſerere posſint, quaſi omnia illa principia in mixtionibus jam præparatis deprehendantur: attamen quotidiana corporum reſolutio & nova mixtionum formatio exiſtentiam horum principiorum extra mixtionem certam & demonſtrativam confirmat.

§. XXI. Quando hactenus generice de principiis materialibus actum fuit, mox placet breviter diſpicere Phyſicorum animadverſiones de materia: vulgo enim communis & uſitata eſt diverſitas, quæ inter Phyſicos & Metaphyſicos occurrit, inter corpus & materiam, ſiquidem per corpus intelligitur materiarum compages & aliquod fruſtum ſive aggregatum, quod in ſenſus cadit, adeoque diverſis manualibus tractationibus obtemperat; materia vero vocatur prima illa & ſimplex ſubſtantia pro corpore conſtituendo neceſſaria, licet inter Philoſophos variæ materiarum acceptiones & explicationes occurſent; fruſtra tamen materia dicitur cauſa interna, ex qua aliquid eſſentialiter exiſtit, aut conſtat, aut ex qua corpus materiale conſiſtit; aut juxta Ariſtotelem, quod materia ſit cujusque rei primum ſubjectum, e quo quidquam eo pacto ſit, ut non per accidens inſit; ſed tales definitiones admodum metaphyſicæ ſunt, neque indolem materiæ vel illuſtrant, vel exhauriunt.

§. XXII. Qui Carteſii aſſerta amplectuntur atque defendunt, illi dicunt, quod materia ſit ſubſtantia in longum, latum & profundum extenſa; quæ definitio æque facile ad corpus ac ad materiam applicari poteſt, neque veram illius eſſentiam, aut differentiam ſpecificam exhaurit: imo nimis craſſe illi de materia ſentiunt & philoſophantur, qui pro vindicanda hac extenſione in longum, latum & profundum etiam in materia ſupponunt partes extra partes, ex qua definitione propterea confuſio illa inter corpus & materiam eluceſcit: neque tantum hæc extenſio in longum, latum & profundum materiæ eſſentialiter competit, ſed etiam ad motum, qui non eſt materia, applicari poteſt; ſiquidem etiam in phyſico motuum progreſſu perinde dantur motus extra motum, quanquam aliqui pro diluenda hac difficultate ad Scholaſticam illam diſtinctionem provocare ſciant, qua alia phyſica, alia mathematica extenſio producitur & illam ad materiam, hanc ad motum ducere & applicare contendunt.

§. XXIII. Equidem iterum teſtor, quod eſſentia materiæ ſit conſtanter incognita, interim juxta differentiam inter materiam & corpus commodius & cum evidentiori intellectu dici poteſt, quod materia ſit illud primum ſimpliciſſimum principium, ad conſtituendas mixtiones & aggregationes corporum abſolute neceſſarium & idoneum: quare Philoſophi quidam inter primam & ſecundam materiam, ſive inter principium elementare & corpus mixtum & aggregatum, aut inter principium & principiatum diſtinxerunt: & licet in hac declaratione æque eſſentia materiæ nos lateat, tamen reliqua explicatio uſibus phyſicis magis reſpondet, quoniam ex ejusmodi ſubtilibus & individuis principiis materialibus ſive materiis ſucceſſive corpora viſibilia & tractabilia generantur.

§. XXIV.

§. XXIV. Dum Philoſophi duo interna corporum principia agnoſcunt, videlicet materiam & formam & dum de materia modo actum fuit, ita hoc ordine breviter de Formis corporum diſſerere animus eſt, nam de Formis Spirituum & motus tractare velle otioſus & fruſtaneus conatus eſſet, tanto magis cum formæ rerum materialium inter Philoſophos admodum incognitæ, obſcuræ & confuſæ deprehendantur: exinde infinitæ lites ortæ ſunt, quæ circa neceſſitatem, ortum, numerum & eſſentiam formarum occupantur, hinc quidam Formas infinitas ſupponunt; alii de eo militant, an forma ſit ſubſtantia, an accidens, an prædicatum, an vero Spiritus; quidam Formas appellant cauſas rerum efficientes, aut animas, alii motum formam rerum eſſe aſſerunt; quidam vero eandem eſſe dicunt qualitatem occultam, amorem, tendentiam, niſum, appetitum naturalem, ſympathiam, antipathiam, idioſyncraſiam &c. e quibus ſingulis animadverſionibus facile elucelſcit, quam intricata unquam inter Philoſophos fuit doctrina de formis rerum.

§. XXV. Tam magna itaque atque conſtans eſt Formarum confuſio atque obſcura tractatio, ut propter hanc labyrinthum quidam e veteribus Philoſophis animam pro forma agnoverint, alii viciſſim inter formas ſubſtantiales & accidentales diſtinxerint: Ariſtotelici per formam particulare quoddam principium intellexerunt, quos tamen Gaſſendus refutavit, unde priorum obſcura tractatio de abolitione & eductione priſtinarum atque inductione & additione novarum formarum ſane rationi minime accommodata eſt; cum contra Epicureæ Philoſophiæ addicti & motu & nexu rerum formas explicare ſtudeant: quæ ſententia ſub idonea interpretatione paulo magis ſalvari poteſt & quam Carteſius amplexus eſt, dum per formam materiarum connexionem exprimit, adeoque quidam formas materiales i. e. ad materiarum qualitates pertinentes, ſed non materiatas i. e. eſſentialiter materiam conſtituentes dixerunt.

§. XXVI. Vulgo etiam inter Philoſophos dicitur, quod Forma det eſſe rei & operari: quidam Eclecticorum per formam explicant differentias corporum in certos ordines atque claſſes diſtinctorum, hinc inter artificiales & naturales formas diſtingvunt; illud interim negari haud poteſt, quod formæ dentur ſubjectorum ſimplicium & compoſitorum; in ſimplicibus, utpote inprimis materialibus principiis, nec non in immaterialibus ſubjectis, pertinet forma ad rei eſſentiam adeoque ſubſtantiam conſtituit; in compoſitis vero pertinet ad attributa rerum, adeoque certo reſpectu ad accidentia forma referri poteſt: in priori ſtatu forma eſt imperceptibilis, neque rationi ſatis cognita; quemadmodum non æque male Scaliger aſſerit, quod formæ rerum rationi humanæ non recte ſint cognitæ, inprimis juxta communem ſenſum explicatæ: interea & forma & materia conſtanter differt, ſiquidem neque per formam

 com-

complexus proprietatum ſenſibilis deſcribi poteſt: & ſi juxta Carteſianos forma explicatur per connexionem corporum quoad differentiam ſitus, figuræ &c. tunc hæc aſſertio adhuc meliori illuſtratione indiget.

§. XXVII. Præterea recte quidem Epicurei in Formarum deſcriptione annotarunt in ſubjectis compoſitis complicationem & cohæſionem principiorum conſtitutivorum, ex qua certæ corporum ſpecies & qualitates illorum corporum demum profluunt; ſed videtur Formam intimius adhuc hærere, quæ propterea neque in ſenſus cadit, neque exacte deſcribi poteſt: ſufficit interim noſſe, quibus potioribus circumſtantiis atque requiſitis forma corporum nitatur: neque tamen approbo illam diffuſam, confuſam & ſpecioſam litem Philoſophorum, aut operoſam inquiſitionem circa ortum & interitum Formarum, in qua tractatione ſatis obſcuræ & inutiles explicationes vulgo occurrunt.

§. XXVIII. Ex hisce liquebit, quantæ obſcuritates & difficultates in Formarum explicatione occurrerint & quomodo Formæ rerum ſimplicium tam immaterialium, quam materialium plane incognitæ ſint; attamen in exiſtentia ſua certæ & indubiæ: concretarum vero rerum naturalium forma hæret & conſiſtit in intimiori illarum congregatione & mixtione, quæ diverſam ſubjecti ſpeciem, qualitatem & relationem ſiſtit: ſed cum intimior mixtionis conſtitutio non introſpici & pervideri queat, ita etiam genuina & eſſentialis formæ hujus ratio æque Philoſophos latet: unde in formarum disquiſitione tantum præſtare debent, quousque ratio penetrat; evitando vero ſteriles Logomachias & metaphyſicas formarum deductiones.

§. XXIX. Sed mitto conſiderationem Formarum & me iterum converto ad materias explicandas, ſicut huc usque de primis principiis materialibus actum fuit: & quo e generali tali tractatione ad ſpecialem nunc progrediar, placet brevem quatuor elementorum explicationem & illuſtrationem ſuppeditare, ut aliquo modo major notitia de materiis obtineatur: & quanquam numerus principiorum materialium copioſior ſit, tamen non placet quaternionem hanc transgredi, licet ubique cujusvis principii differentiam & copioſiorem numerum annotare lubeat.

§. XXX. Ob id primo loco de elemento AQVÆ brevibus acturus, in qua Hydrologia mox occurrit disquiſitio illa philologica, unde videlicet Aquæ originem ſuam capeſſiverint? hanc vero ſacræ literæ indicant, quando de aqua primigenia loquuntur, quod omnipotens Creator vaſtum & rude chaos e nihilo produxerit, in quo ſingula hæc prima elementa omnium rerum naturalium hæſerunt; quemadmodum Spiritus Dei incubabat ſuperficiei aquarum, ſicut poſtea Deus aquas has primigenias ſupra expanſum & infra expanſum diſtinxit per hoc ipſum expanſum: & cum aquæ creatæ ſint cœleſtes atque terre-

næ,

næ, ita obſervationem atque dijudicationem merentur hæ aquæ in ſua pluralitate & quomodo per expanſum a ſe invicem diſtinctæ ſint, propterea aſſero, quod ſupra illud expanſum immenſa moles aquæ hæreat & quod propterea athmoſphæricus aquarum defluxus non omnis terræ aut aquis infra expanſum exiſtentibus accenſendus ſit.

§. XXXI. Et ita aquam in primo ſuo ortu atque ſtatu mox fluidam extitit, poſtea vero in exhalationes quasdam ſeſe diſperſit, uti hiſtoria creationis id perſpicue teſtatur, quomodo videlicet per initia aquæ fluidæ præſto fuerint & quomodo demum e terra adſcenderit vapor, qui univerſam ſuperficiem terræ irrigaret, quemadmodum vero aquæ globi terraquei per ejusmodi vaporem in ſuam athmoſphæram aſcendunt, ita etiam aquæ vaſti illius expanſi perinde in ſuam athmoſphæram vaporoſa tali exhalatione tranſeunt, adeo ut partim aquæ cœlorum, partim aquæ terræ interdum conſpirent, quæ tamen, ne nimia copia in ſe invicem ingurgitent per illud expanſum ſive firmamentum cœli detinentur, quo ipſo itaque almus Creator egregiam œconomiam ratione motus & tranſitus aquarum ſervat, ne corpora in macrocosmo exiſtentia per impetuoſas exundationes aquarum devaſtentur.

§. XXXII. Memorabile eſt, quod in ſacris litteris recenſeatur aquas infra & ſupra expanſum fuiſſe diviſas & quod aliquot annorum centenis ante diluvium nulla deciderit pluvia, ſed quod cum vapore terra irrigata fuerit, licet æque illis temporibus ordines atque modi naturales proceſſerint; tunc demum vero cœli feneſtræ, id eſt illud expanſum, aperiebantur, ut aquæ ſupra firmamentum illud delapſæ ſint & grande illud diluvium conſtituerint; ex quo infero, quod primario hæc totalis inundatio non cum aquis infra expanſum, ſed cum aquis ſupra illud illata & commiſſa fuerit & poſtea per ſingulare divinum directorium in omnia reliqua ſecula pluviæ & aquarum communicationes tam cœleſtium quam terrenarum continuaverint.

§. XXXIII. Interim juxta ordinem naturalem adhuc contingit, ut aqua eximia quantitate diſpergatur in illud ſpatium, quod infra & ſupra expanſum eſt & quod exhalationes athmoſphæricæ iterum in primos ſuos fontes deſcendant, imo, quod ſatis diu tales vapores in ſpatio athmoſpærico hæreant, ita ut aer modo copioſius, modo parcius cum tali extenuata & rarefacta aqua fluctuet: interea hæ exhalationes globum terraqueum ambientes excitantur & augentur ab illis effluviis ſupra hanc athmoſphæram volitantibus, licet viciſſim ſub continuo aeris motu exhalationes inferiores adſcendant in regiones ſuperiores: hoc ſi non fieret cum tempore iterum aquæ infra expanſum adeo augeſcerent, ut denique novam inundationem conſtituant.

§. XXXIV.

§. XXXIV. Exiſtentia quidem aquæ indubia eſt, quæ præ omnibus reliquis elementis in ſacro codice ſpeciali hoc nomine ſignificatur, unde eo ipſo ejusdem differentia eſſentialis ab aliis Elementis elucefcit: & quamvis quidam principium aqueum & aereum inter ſe confundant, quoniam in utroque aliqualis paritas aut æqualis efficacia contingit, tamen ex hoc phænomeno principiorum eſſentialis identitas haud ſufficienter demonſtrari poteſt, ſiquidem etiam alia principia præter aquam & aerem hac elaſticitate gaudent: quod vero eſſentiam principii aquei attinet, tunc eadem omnes Phyſicos latet, unde non niſi de efficacia, effectibus, attributis & accidentibus aquæ in Phyſica agere licet.

§. XXXV. Notatu perquam digna eſt frequens & ferme communis elementorum concurſus, ita, ut fere nullum ſubjectum phyſicum occurrat, in quo non plurima vulgaria elementa adſunt: hinc in ſimplici aqua quatenus fluida & humida eſt, una reperitur principium igneum, quod cum certo caloris gradu ſe manifeſtat; adeſt principium aereum, quod porulis aquæ internatat; adeſt etiam ſubtilis terra, ſicut privato principio ignis, tota aqua in craſſam terream compagem tranſit: viciſſim in igne viſibili & flammeo communiter adeſt ſubtilis terra, quæ per fuliginem ſeſe prodit; adeſt vel major vel minor aquoſitas, quæ flagrante effectu ſeſe exſerit & undulante flammeo motu ſeſe manifeſtat; adeſt denique aer, ſine quo ignis palmarium ſuum effectum præſtare haud valet.

§. XXXVI. Invaluit inter Philoſophos ſolennis quædam diſceptatio, dum aquam magis pro ſubjecto mixto, quam ſimplici & elementari agnoverunt: etenim aliqui eandem e terra, alii ex aere, nonnulli ex igne & aqua conſtare aſſeverarunt, ſubinde etiam annotarunt, quod communes qualitates aquæ non ſint eſſentiales, ſed accidentales, ſiquidem propter diverſum concurſum cauſarum externarum aqua modo fluida, modo ſolida eſt; interim plurimi fluiditatem pro principali aquæ qualitate agnoverunt, adeoque in eo theoriam de aqua illuſtrare crediderunt, quando aſſeruerunt aquam conſtare ex particulis teretibus, glabris & angvillarum inſtar oblonge rotundis, quæ aſſertio magis phantaſiæ, quam ſolidæ & reali alicui demonſtrationi conſecranda eſt.

§. XXXVII. Hoc principium aqueum per totum macrocoſmum quantitate eximia diſperſum eſt, ſive in conſiſtentia fluida, ſive alibi expanſa, unde præcipue athmoſphæra (quæ nihil aliud eſt quam illud ſpatium proximius globum noſtrum terraqueum ambiens, in quod & quo usque exhalationes hujus globi penetrant & ſe diſpergunt) modo plus modo minus de hac colluvie & interfluctuatione aquæ expanſæ participat; deinde iterum pro diverſis phœnome-

nomenis naturalibus conſtituendis inſervit, ſiquidem, exinde generantur Nebulæ, Nubes, Pruina, Ros, Rubigo, Nix, Grando & Pluvia, imo nonnunquam Venti, ſicut interdum ſubtiliori ratione hæc aqua in auram diſperſa communicatur ſubjectis in aere verſantibus: exinde eluceſcit, quod aquoſitas non parcum commercium habeat cum aere, in quem tranſit & e quo iterum exit, adeoque cum eodem aliqualem circulum, itum & reditum ſervat: ex eo etiam demonſtrari poteſt, quod ad faciliorem aquæ commotionem aeris acceſſus & ad aeris agitationem aquæ inſinuatio contribuat.

§. XXXVIII. Omnis aqua admodum apta eſt ad diverſas heterogeneitates recipiendas & admittendas, id quod vulgo in particularum figura & habilitate neoterici quærunt; cum potius laxitas atque mobilitas fluidæ aquæ præcipua cauſa ſit, quo eandem tales impuritates ingrediantur, quæ propterea cum eadem ſuperficietenus cohærent, adeoque ordinariam aquæ limpiditatem turbant: interim inter aquam & pinguedinem aut oleoſam ſubſtantiam magna eſt inæqualitas, unde utrumque principium haud facile ſe invicem amplectitur; tamen dantur talia ſubjecta, in quibus aqua & pingvedo intimius cohærent, qualia ſunt olea & gelatinæ pingviores, quæ mixtio magis naturali, quam artificiali modo producitur.

§. XXXIX. Multitudo aquarum eſt ſane eximia, ita ut non modo Geocoſmus noſter immenſam talem quantitatem contineat, ſed & probabile exiſtat, quod diverſa corpora coeleſtia non abſolute ſicca & terreſtria ſint, ſed de colluvie aquarum omnino participent; & quemadmodum Geocoſmus noſter particularem ſuam athmoſphæram habet, in quam aqua tranſit & e qua iterum decidit, ita aſtronomorum aſſertum approbo, quod talia corpora cœleſtia particulares ſuas athmoſphæras poſſideant, in quas & e quibus tales impreſſiones aquoſæ contingunt, quæ ad diverſos particulares effectus contribuunt; de reliquo vero curioſa judicia de talibus aquis merito ſepono.

§. XL. Immenſa quantitas aquæ continetur in Geocoſmo, in cujus ſuperficie vel evidenter per eximia ſpatia fluctuat, deinde vero per peculiares abyſſus in ſubterranea loca decidit, ex eo ita circulatur, ut ex hisce ſubterraneis tractibus et decurſibus tandem iterum in rivos, ſcaturignes, flumina et lacus tranſeat, iterumque in ſuperficiem terræ pertingat et plus minus rapido et veloci curſu in vaſtum mare ſe ſe dimittat, quippe qui circulus propterea ita conſtitutus eſt, quoniam flumina perpetuo magnis oſtiis intra mare ſe effundunt; ipſe vero magnus oceanus non augetur, unde neceſſario aliorſum iterum ex ſuo immenſo ſpatio aquam transferre debet, qualis eſt ille itus & reditus aut elegans illa harmonia aquarum in Geocoſmo, ſicut talis harmonia in reliquo macrocoſmo datur, aut inter aquas, quæ ſunt ſupra & infra expanſum.

§. XLI. Dum vero aquæ ita circulantur, duplex notatu digna inquiſitio phyſica occurrit, primo unde aqua marina mutetur & convertatur in aquas ſcaturiginum & fluviorum i. e. qua ratione ex aqua ſalſa dulcis fiat; deinde quomodo aqua fluviorum denuo fiat aqua marina, aut qua ratione iterum Salſedo ſufficiens communicetur aquæ dulci: quoad priorem circumſtantiam quidam ex aſſertis & experimentis chymicis aſſerunt, quod dulcificatio aquæ fiat per modum transcolationis ſive filtrationis per cribrum terræ; cui aſſerto vero repugnat primo celeritas geneſeos aquæ dulcis, cum contra ſuppoſita transcribratio admodum tarde contingeret: ſecundo, quod aqua marina ſuam Salſedinem per denſum ſatis cribrum transferat, unde rectius accuſo calorem ſubterraneum, mediante quo aquæ cito evoporantur, remanente principio Salino; quare alibi collecta aqua evaporata & a Sale liberata in dulces ſcaturigines tranſit, alibi vero Salina principia remaneant atque in magna congerie aliquando reperiantur, ut exinde cum tempore Sal famoſum montanum ſive gemmæ eximi queat.

§. XLII. Quod hæc ſeparatio Salinæ ſubſtantiæ ab aqua per evaporationem plus minus calidam contingat, demonſtrari poteſt illo eminenti exemplo, quod exhalationes marinæ tandem in pluvias atque imbres tranſeant & licet ſub illis evaporationibus aliquid Salinæ ſubſtantiæ tranſpiret, tamen eadem ob crasſitiem & gravitatem ſuam ſublimiora athmoſphæræ loca non attingit, ſed magis inferius fluctuat & mox iterum decidit; cum contra reliqua aqua in vaporum forma elevata altius adſcendat, iterumque deſcendat per modum naturalis deſtillationis, qualis aqua vero pluviarum non Salina, ſed dulcis eſt, quæ proinde ad flumina & ſcaturigines augenda & opplenda inſervit, imo qualis aqua pluviarum in terram decidens ſe ſe impoſterum per illam inſinuat usque in ſuperficiales fontes ſcaturiginum, quas æque deinde augmentat, ſicut ex defectu pluviarum eædem evitantur, imminuuntur aut interdum plane exſiccantur.

§. XLIII. Alterum phænomenon circa aquas notandum illud eſt, qui fiat, ut aquæ dulcificatæ, quando iterum in vaſtum mare effunduntur denuo ſufficienti imo larga Salis quantitate imprægnentur & unde hæc Salium conſtans geneſis? pro quo phænomeno decidendo quidam aſſeruerunt, quod fundus maris totus ſit Salinus, ita ut ex eodem perpetuo nova Salis quantitas accedat, unde fieri debet, quod indies mare majorem profunditatem nanciſci deberet, qualis aſſertio non æque omnibus difficultatibus exemta videtur: ſed cum genealogia Salium multum debeatur ſubtiliationi & attenuationi terrarum, ita cognitum ſubinde eſt, quod aqua marina cum multa terra prædita ſit, quæ partim ſub perpetuo maris motu, partim mediante Solis calore indies ita

ſub-

ſubtiliſatur, ut Salium geneſis in ipſo mari quotidiana ſit: parallelum difficile phænomenon eſt, qui fiat, ut diverſi fluvii ſuos peculiares colores habeant? quod non parum adſcribendum eſt partim ſpecialiori aliorum principiorum commixtioni, partim etiam fundo terræ, per quem tale flumen transcurrit.

§. XLIV. Quotquot vero aquarum tam ſupra quam infra terram, ut & in ſuperficie terræ obſervantur, tot etiam differunt puritate, quemadmodum aliquæ harum aquarum interdum craſſas impuritates continent, ut propterea putrefactioni exponantur, quale quid de aqua pluviali nonnunquam obſervare contingit: deinde quædam aquæ continent terram limoſam, inde conſtant ſcaturigines petrificantes: quædam aquæ complectuntur terram minerariam, præcipue vero cupream aut martialem: aliquæ aquarum comprehendunt diverſas Salium ſpecies & quidem vel ſimpliciter acidas, vel cum terra ſubtili imprægnatas & ſaturatas? quædam denique puriores ſunt & de ſingulis hisce materiis non multum participant.

§. XLV. Notatu digna in aqua deprehenditur qualitas exquiſitæ fluiditatis, qua in ſua congerie & mollitie tum ad progreſſivas, tum ad inteſtinas commotiones admodum diſpoſita eſt: hanc fluiditatem non quidem ex ſe habet, ſed potius debet aeri temperatiori accedenti, mediante quo certus caloris gradus eidem communicatur: & quemadmodum inter aquam & aerem ſatis notabile eſt commercium, ita acceſſus aeris ad aquam conſtantem hujus commotionem fluctuantem, undulantem & fluidam imprimit & hinc aeris efficacia ſenſibilius obſervatur in aquis & circa illas; ſicut vicisſim aqua ad actuandum aerem non parum contribuit, ob id circa aquas uſitatius venti percipiuntur.

§. XLVI. Et dum motus caloris tantam vim habet in aquam, ita varia adhuc phænomena in aquis occurrunt, quæ majorem & minorem caloris communicationem produnt, quemadmodum non modo hic calor ab extra i. e. ex athmoſphæra aquam ingreditur, ſed & in ſubterraneis locis & ex ipſa terra transſpirans aquæ alluenti ſe ſe inſinuat, hinc non modo ſcaturigines tepidæ, ſed & plane fervidæ occurrunt, quæ hyemali tempore nunquam congelaſcunt: imo inde eſt, cur flumina aliqua ſint tepidiora, aliqua frigidiora & cur eadem in ſuo fundo non conglacientur, aut cur in certis tractibus tepidiora, in aliis vero, ubi fundamentum illorum petroſum eſt, frigidiora exiſtant: e quibus evidentibus & infallibilibus phænomenis etiam calor ſubterraneus demonſtrari poteſt, ſiquidem thermæ de eodem eximium teſtimonium perhibent: & hic calor hujus efficaciæ eſt, ut transfluenti & per ſubterranea loca progredienti aquæ varia alia principia Salina ſubtilia ſulphurea & terrea paulo intimius immiſceat.

§. XLVII. Aliam ſpeciem principii ſic dicti elementaris conſtituit AER, qui propterea ratione ordinis ſequitur, quoniam ipſe eximium commercium cum aqua habet & deinde cum proxime explicando principio Ignis communiter convenit, idque in activitate ſua animat: quod vero ipſum aerem attinet, tunc circa illius eſſentiam indagandam nullibi inter Philoſophos evidens explicatio occurrit, interim hoc principium quoad ſuam eſſentiam eximie diſcretum eſt ab aliis: quemadmodum non dici poteſt terra, neque conſtituit aquam, neque in ignem mutatur, licet cum quibusdam horum principiorum communiter congrediatur, quapropter etiam illius eſſentia captum humanum fugit, uti omnes reliquæ ſubjectorum naturalium eſſentiæ nos latent: & quamvis quidam e Philoſophis aerem cum omnibus reliquis ſic dictis elementis valde confundant, ita ut juxta Carteſiana aſſerta terreæ indolis credi & ſupponi poſſet, juxta Valeſium aqueæ eſſentiæ ſupponatur & juxta quosdam Peripateticos igneæ naturæ & calidæ indolis eſſe affirmetur, tamen magnum ſtudium adhibendum eſt, ne in eandem confuſionem incidamus.

§. XLVIII. Et quando in vulgata Philoſophia aër deſcribitur & explicatur, tunc etiam inter alias animadverſiones certæ generales qualitates aeri imputatæ occurrunt, quæ perinde eximiis confuſionibus ſubjectæ ſunt, dum videlicet ſecundum veterum Philoſophorum ſenſum modo aer humidæ & fluxilis naturæ, modo frigidæ & calidæ indolis eſſe ſupponitur, quæ qualitas tamen bene diſcernenda eſt, ſiquidem fluxilitas aeris ratione ſpeciei ſuæ a fluiditate aquæ & ignis admodum diſcrepat, neque æque juxta Peripateticos humidus ſupponi debet aer, quoniam humiditas ipſi magis accidentalis, ſiccitas vero magis genuina eſt: denique non alio ſenſu frigidus aut calidus vocari poteſt, niſi quatenus principium calefaciens & igneſcens eidem inſinuatur, vel iterum ſubtrahitur, aut motus caloris communicatur.

§. XLIX. In genealogia aeris haud luculentum ſuccurrit teſtimonium, niſi ex relativa quadam aſſertione aeris ortus & geneſis explicari poſſit: etenim ſacer codex haud expreſſis verbis denotat aeris primævam creationem & exiſtentiam, ex quo quidam critici concludere malunt, quod aer non ſit peculiare elementum, ſed quod ſit aqua attenuata & rarefacta: attamen quando almus Creator non modo lucem fecit, ſed & a tenebris diſtinxit; deinde quando expanſum creavit & per illud aquas ſeparavit, ita facile colligere licet, quod cum lux ſine aere eſſe haud poſſit & expanſum ſit ſpatium illud vaſtum, quod continet certum ſubjectum neque vacuum & inane eſt, ita etiam in eodem hoc principium, quod aer vulgo vocatur, fluctuare.

§. L. Neque quidem arridet in aerologia ſententia Carteſii, qua aerem globuloſum ſtatuit, adeoque certam figuram, mechanicis quibusdam ſuppo-

poſitionibus reſpondentem, eidem affinxit & ex hac opinione aeris fluiditatem demonſtrare laboravit, quia corpora globoſa mobiliora & ad fluiditatis motum aptiora eſſe dicuntur: proinde vero pro meliori coloratione hujus ſententiæ & phænomenorum quorundam naturalium hisce globulis intermiscuit ſua ramenta, videlicet corpuscula ſubtiliora, mobiliora & juxta aliorum ſenſum nobiliora: quando vero recentiores quidam hosce globulos Carteſianos mentaliter excavant, tunc ex hisce globulis Carteſianis fiunt exiliſſimæ Æolipilæ ſive bullulæ, quibus deinde interfluctuant Carteſianæ particulæ nobiliores, ita, ut hæc ſententia in campo Carteſii genita, ſed tantum alia phantaſia exornata ſit, Carteſius vero hanc ſuam ſententiam iterum ex antiquisſimis Philoſophis mutuavit: unde liquet, quomodo coloratæ hypotheſes non ſemper ſint novæ, ſed per metamorphoſin inverſæ & propagatæ.

§. LI. Utut vero plurimi Philoſophorum ab indagatione eſſentiæ aeris propter perpetuam difficultatem abſtinuerunt; tamen multi in qualitatibus illius perluſtrandis occupati fuere, quemadmodum non pauci ex ipſo etymo aeris tales affectiones deducere laborarunt, dum videlicet vel illius qualitas elevatoria, vel expanſiva, qua in flamen & Spiritum quaſi tranſit, vel fluiditatis affectio deprædicata eſt, ſicut etiam ætheris indolem perinde a ſuo etymo alii deſcribere cogitarunt, quod vel ſit ſubſtantia urens, aut ipſe ignis, vel quod ſit materia ſemper calefaciens, vel ſemper currens & juxta hodiernum ſtilum celerrime mobilis, vel quod ſit aer ardore æſtuans: dum vero quidam aerem Spiritum & flamen vocarunt, ita alii contendunt ex ipſa hiſtoria geneſeos & S. Scriptura illius mentionem arceſſere.

§. LII. Quando vero aer non cum aqua & igne confundi debet, tunc ſubinde notandum eſt, quod ignis ſubtiliorem materiam elementarem conſtituat, quam aer exiſtit & quando Philoſophi de attenuatione & rarefactione aeris loquuntur, tunc ſenſus non eſt quaſi aer ita indiscretim ſemper ſubtilior evadat, ſed quod cum majori & intimiori motus gradu ſæpius afficiatur: hæc major ignis ſubtilitas ex illo effectu elucescit, quod partim aerem intenſius commovere & agitare, partim etiam corpora intimius & citius diſſolvere & penetrare queat: & quamvis id ipſum ignis mediante aere perficiat, tamen primaria efficacia non aeri ſed igni adſcribenda eſt.

§. LIII. Non admodum appoſite illi philoſophantur, qui aerem cum reliquis principiis per accidens commixtis confundunt & hæc collectanea pro uno eodemque ſubjecto declarant; interim quidem aer per accidens evadit receptaculum & vehiculum variarum heterogenearum ſubſtantiarum, quæ ſimplicem illius conſtitutionem alterant & ordinarium motum mutant, ſicut imprimis de aquoſitate in aerem translata ſciendum, quod hujus elaſticitatem

 admo-

admodum augeat: interea vero maxime confert hos accidentales concurſus & effectus bene diſcernere.

§. LIV. Communis inter Philoſophos occurrit aeris aut aereæ ſubſtantiæ differentia, qua unam ſimpliciori aeris notione ſignificant, alteram ætherem appellare ſolent & per hunc intelligunt materiam ſubtiliorem & mobiliorem, quam ipſe aer eſt: hæc ætheris demonſtratio magis mentalis, quam realis exiſtit, cum Phyſici aſſerant, non omnem aerem unius ejusdemque tenuitatis eſſe & ſi proprie dicta aerea ſubſtantia ullibi ſeparatur & removetur, tunc locum evacuatum ætherem occupare tradunt: eſt vero evidens ratio & demonſtratio exiſtentia ætheris non parum difficilis, licet illud quidem cum rationis dictamine congruat, quod in diverſis locis mundi viſibilis & tam Geocoſmi, quam Macrocoſmi & Aerocoſmi ipſe aer ſubtilitate i. e. puritate ſua diſcrepet, hinc ætherem talem non pro alia ſubſtantia quam pro attenuato aere agnoſco.

§. LV. Inter alia momenta, per quæ Philoſophi aeris homogeneitatem denegare laborarunt, illud præcipue obſervatur; quoniam eximia illa qualitas aeris expanſiva non a nudo aere pendere poteſt, ſed quod magis requiratur aliud & quaſi activum principium, mediante quo aeri compreſſo & condenſato denuo activitas ſive nova actuatio induci debeat: unde quidam aſſerunt, quod ſubtilior & mobilior ſubſtantia, quæ ætheris appellationem tenet, aerem compreſſum iterum dilatet, impellat & actuet; cui aſſerto vero iterum repugnat illa altera demonſtratio, quod ipſe aer ob ſingularem ſuam mobilitatem ſatis ſufficiat, quo ipſi poſt inductam ſic dictam condenſationem ab alio alluente aere commoto novus ille impulſus concilietur, per quem denuo expanditur: id quod tanto magis contingit, ſi aeri vel principia aquoſa vel copioſiora ignea mediante caloris motu inſinuantur.

§. LVI. Laudandus omnino eſt in Philoſophia naturali & ſeorſim in hac aerologia labor ille, qui verſatur circa explicationem qualitatum demonſtrativarum aeris, quemadmodum rectius ad motum per aerem & cum eodem adminiſtratum, quam ad materialem aeris conſtutionem animus advertendus eſt; ſiquidem omnia phænomena & ſingulæ alterationes, quotquot ex aeris concurſu accidunt, magis motuum quam materiæ efficaciæ adſcribi debent; ubi tamen iterum illa cautela inculcanda eſt, ne tantum quædam aſſerta fingantur, tamen circa aeris materialem conditionem, quam circa illius motum & activitatem, quoniam e fundamentis & principiis fictis atque ſuppoſitis & per imaginationem tantum aſſumtis nullæ ſolidæ & veræ demonſtrationes ſperandæ ſunt.

§. LVII. Principaliſſimus, evidentiſſimus & digniſſimus aeris motus & effectus vulgo elaſticus eſſe dicitur, ſive expanſorius & condenſatorius, quem quidem motum aer non per ſe habet, ſed ab externo influxu diverſimode recipit: & hunc motum vulgo valde confundunt cum gravitate & raritate aut levitate aeris, quoniam effectus elaſticitatis ſive expanſionis cum effectibus in aliis ſubjectis gravitate adſcribi ſolitis conveniunt: interim rectius motus aeris elaſticus non alius eſt, quam alia corpora mobilia valde expanſorius, quæ propterea cum aere non modo majus ſpatium opplent, ſed & efficaciora deprehenduntur in producendis & inducendis quibusdam phænomenis: interea compreſſorius motus, qui aeri adſcribitur, æque adventitius eſt & in ſimilia ſubjecta mobilia efficax obſervatur, quo ipſo vero contrario motu altera aeris rarefactio ſic dicta attenuatio & expanſio infringitur & hebetatur.

§. LVIII. Alias quidem aer nunquam in quiete, ſed in perpetuo motu eſt & hic genericus motus fluctuationis perinde cauſam variarum mutationum conſtituit in ſubjectis ſublunaribus, quæ ſeſe per effectus vel fermentativæ, vel putrefactoriæ, vel alterius ſubtilioris ſeparatoriæ diſſolutionis, vel novæ combinationis exſerunt, utpote quæ reſolutiones & conjunctiones tanto magis promoventur, quo magis alius gradus motus aeri impreſſus eſt: id quod imprimis eluceſcit, quando mediante caloris motu, genericus ille aeris motus fluctuatorius adjuvatur & confirmatur, ut ſubinde per concurſum aliorum principiorum maxime aquoſorum corpora ſolidiora & terreſtria eximias alterationes ſuscipiant.

§. LIX. Eſt proinde aeri perpetuus motus athmoſphæricus compreſſorius, qui ſub omnibus reliquis motuum ſpeciebus & gradibus, imo omni tempore & tempeſtate conſtanter ſuccedit, quem dicunt eſſe motum gravitatis in aere, ſeu qui tendit ad centrum terræ, mediante quo vaſtus Geocoſmus in ſuo loco atque puncto macrocoſmi conſervatur, ad quem dum undique & ab omni ſuperficiei puncto æqualiter apprimit aer corpus illud quaſi globoſum in ſuo loco aſſervatur & ita etiam cum Tycho de Brahe aſſero, quod quodlibet ſidus & corpus cœleſte habeat ſuam propriam athmoſphæram aeream, mediante qua ſuperficiali compreſſione tale corpus intra ſuos cancellos retinetur; & hæc compreſſoria vis aeris non modo in variis ordinariis & ita dictis naturalibus ordinibus, ſed & in diverſis artificialibus imitationibus phyſicæ experimentalis curioſæ ſeſe comprobat.

§. LX. Quod vero motum aeris elaſticum attinet, tunc ipſe accidentalis eſt & per varios alios influxus modo augetur, modo minuitur; primarium vero incitamentum hujus motus non eſt calor, licet per hunc æque interdum remotiori cauſandi concurſu illa elaſticitas intendatur, unde rectius ſubtiliter

tiliter diſperſa & ſublimius in aerem inſinuata & extenuata aquoſitas eſt, cujus vis elaſtica multis phænomenis probata eſt, quam eandem aeri cum mirifica efficacia communicat, qua etiam præſente motus aeris elaſticus admodum evidens eſt & qua abſente iterumque ex aere ſeparata motus ille eximie alteratur atque imminuitur: interim ſi huic aquoſitati motus caloris accidit, tunc eo magis illa elaſticitas augetur.

§. LXI. Præterea aer eximium inſtrumentum eſt, per quod ſidera & corpora cœleſtia in Geocosmum noſtrum multiplicibus evidentibus phænomenis operantur, ita ut non multum valeat oblocutio illa, quaſi ob diſtantiam regionum aeris & ſiderum illorum talis impresſio atque concurſus locum habere haud queat: ita enim non modo certus gradus commotionis ab illis ſideribus communicatur, ſed etiam certæ materiæ in regiones aeris Geocosmi immittuntur, teſtimonio radiorum Solis, per quos non ſolum calor & ſplendor, ſed & ſimul ſubtilis inflammabilis ſubſtantia diverſis ſubjectis communicatur: viciſſim etiam Luna in æſtu maris ſuum influxum in aerem teſtatur, id quod etiam de pluribus ſideribus valet, quæ cum proprias ſuas habeant athmoſphæras per exquiſitum ſpatium expanſas, ita mediantibus hisce in Geocosmi athmoſphæram & regiones aeris diverſi effectus motus & materiæ propagantur & communicantur.

§. LXII. Eſt inſuper aer efficaciſſimum inſtrumentum, per quod ignis ſive motus igneſcentiæ excitatur, ſuſtentatur & augetur, ita, ut propterea quidam aeris & ignis formalem rationem inter ſe commiſcuerint, aut alii aſſeruerint, quod aer ſit pabulum & nutrimentum ignis; aſt quamvis ignis non ex aere fiat, neque in aere conſiſtat, tamen motus aeris eſt illa incitativa cauſa, quæ igneum motum ſemper provocat atque confirmat, inſuperque ignis efficaciam tuetur atque auget, ut ignis mediante motu aereo intercedente ſubjecta ſua plus alteret, eorundemque compagem diſſolvat, cum ob defectum illius motus ignis quidem ſubjecta talia afficiat, ſed non deſtruat, aut adeo eximie immutet.

§. LXIII. Inter Phyſicos non deſunt, qui aeri adſcribunt efficaciam nutrientem, quam e quibusdam phænomenis probare contendunt, dum quædam animalia diu ſine cibo & potu in aere aſſervata vivere poſſunt; de quibus vero adhuc quæſtio moveri poteſt, an non etiam talia animalia diu eſurire queant, interim ipſe aer per ſuam ſubſtantiam minime nutrit, aut ad ullam mixtionem efficiendam concurrit; quod ſi vero aeri nutrientes quædam materiæ interſperſæ fuerint, tunc ipſe certis ſubjectis vivis affluens una communicat materias illas pingviores, quæ diverſorum brutorum & hominum appetitum ſaturare eorundemque corpus alere poſſunt.

§. LXIV.

§. LXIV. Neque aeri exquiſita conſervatoria & balſamica vis adſcribi poteſt, cum potior illius efficacia diſſolutionibus inducendis inſerviat, partim quia ſubtile inſtrumentum materiale conſtituit, partim quia in perpetuo motu exiſtit, imo cum igne vehementer operatur & ſub caloris motu magis agitatur, ut propterea primarius ejusdem effectus ſit divulſorius & deſtructorius: quanquam deinde ex accidenti iterum ſub aeris motu quædam novæ combinationes contingant, unde neque ad inanimatorum ſubjectorum durationem directe concurrit, quin rectius obſervatio phyſica teſtatur, quomodo liberalior aeris acceſſus ad ſubjecta corruptibilia ipſum corruptionis effectum acceleret atque augeat.

§. LXV. Communis etiam eſt traditio, quod aer Nitroſas particulas in motum ſuum excipiat, unde admodum uſitata eſt theoria de aere nitroſo, cum quo quidam phyſici experimentatores varia phænomena probare & explicare malunt: ſed cui vel paululum nitri genealogia conſtat, ille hanc aſſertionem facile non modo dubiam, ſed plane falſam reddere poteſt, ſiquidem nitrum in ſuo vero atque genuino ſtatu, in quo hoc nomine dignum eſt, minime ita fluctuat, dum corpus conſtituit compoſitum, quod non facile in auras avolat, ſed fixioris conſiſtentiæ eſt: quanquam vero interdum principia ad nitrum conſtituendum idonea in aeris colluviem aſſumantur; propterea tamen minime aer nitroſus accuſari poteſt, neque illi fundamentum quoddam habent, qui frigus aut ventos frigidos inprimis boreales ex hoc nitri commeatu deducere audent: denique dubiis phyſicis non facile reſolubilibus accenſeo Ariſtotelicas illas regiones aeris, aut Carteſianum calculum, quem aeri per certa milliaria expanſo applicat.

§. LXVI. Accedo proxime ad Pyrologiam ſive tractationem de IGNE quod elementum omnino eximiæ dignitatis & poteſtatis eſt, adeoque variis uſibus, demonſtrationibus & applicationibus inſervit, de cujus nobilitate fruſtra propterea veteres Phyſici mythologi dubitant atque diſceptant: quemadmodum ne quidem attentionem illi merentur, qui hæſitant & ambigunt, an etiam ignis mereatur principiis elementaribus annumerari; interim conſtat quam umquam ab ethnicis ignis cultus & pro numine celebri adoratus fuerit, ita ut antiquitus & antiquitas & utilitas & poteſtas hujus principii agnita & explicata conſtet.

§. LXVII. Quod vero ipſum Ignis elementum attinet, tunc illud inter poſteros pro ſubtiliſſimo & efficaciſſimo habetur, quamvis differentiam inter Ignem diaconicum & elementarem i. e. inter ignem culinarem & primordialem conſtituerint: neque enim ignis viſibilis pro elementari habendus eſt, quoniam multas craſſas materias complectitur, ut propterea juxta Ariſtotelicos

prin-

principium ignis ſit in igne viſibili, cujus vera eſſentia tamen æque ac aliorum elementorum Philoſophos conſtanter latet; neque etiam cum illis conſentio qui ignem & ætherem confundunt, ſiquidem mediante aere ſive communi ſive ſubtili nonnunquam ignis provenit, licet uterque aer cum igne concurrat, ut ita ad igneum elementum conſtituendum ſpecialis eſſentia & eſſentialis qualitas pertineat, mediante qua ad motum ignitionis aptum evadit.

§. LXVIII. Tanto magis inter Philoſophos elementum ignis æſtimabatur, quoniam illius concurſus atque effectus ad generationes & augmentationes corporum principaliori influxu contribuere conſpiciuntur, unde aliqui ignem appellarunt animam mundi, quæ variis ſubjectis communicatur: & quemadmodum ab anima vita atque motus unquam derivabatur, ita concluſionem formarunt: ubi ignis, ibi calor, ubi calor, ibi motus & vita E. ignis eſt principium vitæ, indeque aliqui ex igne animam, alii Spiritum calorificum & principium activum intelligebant: exinde inter quosdam Theologos ſimilitudo ignis cum vita æterna & inter Medicos ſub nomine calidi innati ignis tanquam cauſa principalis vitæ animalis innotuit.

§. LXIX. Hoc principium ignis quoad eſſentiam ſuam non cum proximis ſuis effectibus & qualitatibus confundi debet, interim eſt ſubtiliſſima quædam terra, valde mobilis & ad fluiditatis, ita dicendæ, commotionem apta; inde antiquiores Philoſophi dixerunt ignem eſſe elementum ſiccum & humidum, dum humiditatem & fluiditatem pro una eademque qualitate explicarunt: haud vero propterea hoc principium elementare ſtatim in craſſo effectu viſibilis flammantis ignis vel concipi, vel intelligi & dijudicari debet; quin potius hiſtoria naturalis abunde teſtatur, quod illud elementare principium per totum macrocosmum maximo apparatu diſſeminatum ſit, ita ut non modo multa corpora cœleſtia, ſed & athmoſphæra & totus Geocosmus in plenario ſuo latifundio de hoc principio elementari igneo participent.

§. LXX. Eſt itaque ignis elementaris materia illa ſubtiliſſima & ſimpliciſſima, quæ ad motum ignitionis, caloris, lucis, deflagrationis, rarefactionis aſſumendum & propagandum eſſentialiter habilis exiſtit, quæ propterea pro ſimpliciori intellectu commode appellari poteſt principium inflammabile, id quod vel certis ſubjectis eſſentialiter ineſt, vel quibusdam accidentaliter communicatur; unde etiam ſub hac accidentali inſinuatione reliquæ qualitates cum hoc principio eſſentialiter cohærentes introducuntur; ob id veteres Philoſophi non ita crude per elementum ignis flammantem ignem intellexerunt, propterea Plato triplicem ignem eſſe aſſeruit, videlicet carbonem, flammam & lucem: e quo fundamento alii diſtinxerunt inter ignem lucentem & ſimul calentem & ignem lucentem ſed non calentem, ut & calentem, ſed non lucentem.

§. LXXI.

§. LXXI. Quando de origine hujus principii diſſerere animus eſt, tunc perinde elementum ignis in prima creatione ortum deprehenditur, ubi lux a tenebris ſeparata fuit; ubi Sol & reliqua ſidera creabantur & ubi totus Geocosmus cum varia ſupellectile corporum inſtruebatur; minime vero aſſero, quod principium elementare igneum tantum e Sole ortum traxerit, cum lux fuerit ante Solem: & cum in intimiori terræ gremio, quod Sol penetrare non poteſt uberrima copia hujus principii reperiatur; unde dico, quod omnipotens Creator diverſa ratione & directione in diverſo loco hoc principium tanquam maxime principale ad conſtituendas corporum ſpecies creaverit & ubique per magnum ſpatium mundi viſibilis, ſive per totum macrocosmum diſtribuerit.

§. LXXII. Quapropter minime cum Philoſophis Peripateticis certus & ſpecialis locus ignis ſupponi poteſt aut debet, dum hoc elementum in diverſo ſtatu atque effectu undique & ubique diſperſum eſt, ita ut etiam ad multorum ſubjectorum ſpecialem mixtionem concurrat, quod præcipue valet de illis corporibus, quæ de principio ſic dicto Sulphureo ſive elementari participant, in quo ejus valoris eſt, quo corpora talia igneo motu & ignitione affici & alterari queant: quemadmodum illud elementare ſubjectum modo copioſius aquis ſeſe inſinuat, aut aquis diverſum caloris gradum communicat, modo in aliis locis & tractibus terræ cum alio terreo ſubjecto copioſius cohæret, adeoque actualibus deflagrationibus ſubeundis aptum redditur, teſtimonio ignis flammantis ſubterranei, modo ſubtiliſſime cum terris mercurialibus conjungitur & metallis conſtituendis habile exiſtit, modo denique in ſuperficie terræ ſubtiliter attenuatum & liberatum altius adſcendit, iterumque in eandem ſuperficiem deſcendit & talem circulum ſervat, qualem alia elementa ſervare obſervantur.

§. LXXIII. Hinc neque cum Ariſtotelicis certum locum Ignis extra Geocosmum, neque cum quibusdam Pontificiis certum locum illius in ipſo centro terræ admitto; ſed indicato modo copioſiſſimam hujus elementi diſperſionem per totum Macrocosmum monſtravi: illud vero adhuc memori mente tenendum eſt, quod cum igneo hoc principio, in flammeum motum redacto, eximie concurrat, partim & principalius quidem elementum aeris, quod propterea a quibusdam creditur eſſe pabulum ignis, partim elementum aqueum, quod ob motum ſuum expanſivum igneum flammantem motum magis auget atque allicit: unde etiam reperiuntur aquæ, quæ ignem non extingvunt, ſed magis impellunt & excitant, quales ſunt aquæ marinæ: quemadmodum aquoſitas in nitro contenta multum adjuvat efficacem elaſticam illius ſubjecti deflagrationem.

§. LXXIV. Multum inſuper & varie Philoſophi differunt de gravitate & ponderoſitate ignis, variaque experimenta phyſico-chymica proponunt, ex quibus hujus elementi ponderoſitatem evincere & inculcare contendunt; neque quidem negandum eſt, quod hoc elementum tanquam materia etiam ſuam certam ponderoſitatem habeat, ſed rectius illi agunt, qui non tam in materia ignis, quam motu hujus & activitate illos effectus perluſtrant, qui vulgo gravitati adſcribuntur; & licet interdum corpora quædam per efficaciam motus ignei graviora reddantur, tamen propterea non ipſa materia ignis hisce corporibus inſinuata conſtanter ponderoſitatem efficit.

§. LXXV. Haud vero principium ignis extra Geocoſmum fluctuans profundius in terram penetrat, unde fruſtra quidam ſpeculatores autumant, quaſi Sol aliaque aſtra ad formanda & diſtinguenda metalla in locis ſubterraneis concurrant, cum Solis penetratio non ita profunda ſit: interea etiam de hoc principio igneo conſtat, quod in locis ſubterraneis regeneretur, dum ſub perpetuo quodam circulo ex uno tractu & ſubjecto in alterum transfertur: ob id dantur etiam mineræ, quæ ob inſufficientem hujus principii commixtionem non ſatis maturæ ſunt, adeoque in ſuis locis aliquamdiu relinqui debent, quo ſub continuante afflatu illius inflammabilis materiæ ad meliorem maturitatem pertingant, quo deinceps facilius tractari & repurgari queant.

§. LXXVI. Quando vero in Pyrologia de elemento igneo tractatur, tunc utilior magisque realis eſt ille diſcurſus, qui potius de motu & activitate illius principii differit, ſiquidem idem illud principium in diverſis ſubjectis & phænomenis, obſervationibus & differentiis ſeſe ſubjicit, quando in motu eſt, cum materiales affectiones illius perluſtrari haud poſſint, niſi illud ad minimum conſtet, quod hoc elementum conſiſtat in materia ſubtiliſſima valde mobili, quæ materia magis motu verticillari & circa axim ſuccedente, quam expanſivo & halituoſo afficitur; licet deinde hæc poſterior ſpecies motus cum igneo motu concurrat & hunc magis excitet atque adjuvet.

§. LXXVII. Principalior elementi ignei effectus eſt calor atque lux, de quo utroque motu ſuo loco ſeorſim agendum erit; differt vero uterque effectus per gradus, prout motus ille elementi ignei augetur: & ex illo priori caloris effectu plures aliæ ignei elementi efficaciæ oriuntur, hinc quædam ſubjecta mediante illo motu exſiccantur & ſolidiora redduntur, alia contra fluidificantur & mollia atque mobilia redduntur; quid quod denique cum hoc principio & per illud actuales inflammationes & viſibiles deflagrationes, ſive meteoricæ, ſive ſubterraneæ, ſive conſuetæ culinares abſolvuntur, quarum quædam ſunt ſubtiliores & leniores, unde non facile alia corpora accendunt, aliæ vero ſunt potentiores & efficaciores.

§. LXXVIII. Minime proinde conſultum eſt cum Carteſianis Philoſophis materiam ignis & ætheris confundere, licet elementum illud ignis in aerem, ætherem & aquoſitatem ſatis efficaciter & ſenſibiliter operetur ipſo motu caloris, luminis & expanſionis, unde etiam calor major & potentior redditur, ſi eidem expanſæ aquoſitates interfluctuant; teſtimonio tempeſtatum calidarum æſtivo tempore occurrentium, quando ventus partim a meridionali, partim ab occidentali plaga ſpirat, ubi illa tempeſtas oritur, quam vulgo dicunt ſchwul Wetter: neque aliquam realem utilitatem affert juxta theoremata Carteſiana materiæ ignis certam figuram affingere & ex illa aliquot demonſtrationes phyſicas proponere, cum quidem juxta Democriteos etiam igneum elementum peculiarem ſuam figuram habeat, quæ tamen in ſua ſpecie noſtram notitiam ſubterfugit.

§. LXXIX. Et hoc elementum, uti hactenus aliquoties monitum fuit, diverſa ratione & relatione variis ſubjectis extra Geocoſmum & in illo conſtitutis inexiſtit, inprimis vero ſubjectis ſubterraneis, in quibus ad varias illorum qualitates concurrit: quo copioſius enim iisdem inhæret, eo magis reddit corpora friabilia; Si vero parcius illis adeſt, tunc eadem magis calcaream indolem aſſumunt; quo craſſius illis inexiſtit, eo magis impura fiunt corpora a nitore & eleganti colore vacua, quo purius vero & ſubtilius illis eſt commixtum, eo puriora, teneriora & nobiliora fiunt ſubjecta; quæ ipſa conſideratio magnum uſum habet in Metallurgia, juxta quam judicare licet, an in aliquo ſubjecto lucrum vel damnum expectandum ſit.

§. LXXX. Tradita hactenus fuit Aerologia, Hydrologia & Pyrologia, ſequitur denique GEOLOGIA ſive diſcurſus de quarto elemento materiali, quod TERRÆ nomine venire ſolet; quando vero in prima terræ initia atque ortus ſuos introſpicio, tunc minime eidem æternitas imputari poteſt, ſiquidem omnes res materiales creaturis accenſeri merentur, quarum & initium conſtat & quibus ultimus & extremus finis conſtitutus legitur: quoad ortum terræ ipſæ Sacræ literæ produnt, quod fuerit primum receptaculum vaſtum & inane Chaos, in quo reliqua elementa & immenſo numero & ineffabili ſpatio diſperſa fuerant, e quo deinde juxta ſapientiam almi Creatoris reliqua elementa ſeparata & ex parte certis ſubjectis indita fuere; & id etiam conſtat, quod impoſterum terra ſit aliorum corporum conſiſtentium matrix, hypoſtaſis, receptaculum & involucrum, per quod corpora in mixtione fiunt firma & in aggregatione ſolida, compacta & evidenter extenſa; ſiquidem extra terræ conſortium atque commercium reliqua principia materialia ſubtiliora & quaſi volatilia obſervantur.

§. LXXXI. Quod proximam terræ qualitatem attinet, tunc communiter a Philoſophis dicitur elementum ſicciſſimum & graviſſimum, imo etiam frigidiſſimum, unde ex hebraica & arabica derivatione denotat corpus humile atque depreſſum, quod vero a reliquis elementis modo calorem, modo tractabilitatem, modo etiam humiditatem nanciſcitur; interea ne reſpectu aliorum principiorum materialium hæc terra omnis utilitatis expers declarari debeat, ita eximiam hanc qualitatem aliis ſubjectis elementaribus conciliat, quo ad illorum combinationem, congregationem & interdum ſpiſſam cohæſionem concurrat; ex eo minime nego, quod terra in comparatione erga reliqua elementa ſit craſſiſſimum principium, cujus conſiſtentia tamen per ſpecies diſcrepat, propterea etiam quidam autumant, quod benigniſſimus Creator Geocoſmum a potiori ſuo terreo principio in centrum & punctum totius macrocoſmi collocaverit.

§. LXXXII. Quando de Terra ſermo eſt, tunc illa primario in totali & univerſali ſuo complemento, nexu & ſyſtemate perquirenda & agnoſcenda eſt, in quo mox a benigniſſimo Creatore oblata fuit: deinde vero licet & decet diverſitates Terrarum perluſtrare, prout eædem tanquam pars de toto participant & hinc quidem eſſentia Terræ admodum variat, atque ſpecies Terrarum diſcrepant, tanto magis vero, quando cum aliis principiis Terreum elementum commixtum fuit; interea in Philoſophia naturali non niſi de Terra noſtri Geocoſmi aliquid perſpicuum & demonſtrativum explicari poteſt, & licet præter corpus orbis Terraquei etiam alia corpora Terrea & totalia ſidera occurrant, tamen de iisdem aliquid fidum, certum & evidens edisſerere velle, otioſi & curioſi animi humani foetus eſſet.

§. LXXXIII. Et de hoc globo Terraqueo inter Phyſicos, Philoſophos & Aſtronomos non exigua occurrit diſceptatio, quisnam certus illius locus ſit, & an ipſe in centro & puncto totius macrocoſmi poſitus hæreat, cui ſententiæ Pythagorici & Copernici contradicunt & potius ſolem pro centro macrocoſmi ſupponunt; videntur tamen non exigua & levia argumenta pugnare pro priori ſententia, cum ipſæ ſacræ literæ teſtentur, quod omnia reliqua ſidera directam ſuam & primariam relationem habeant ad Terram, quam homo inhabitat, imo cum nullæ eximiæ inæqualitates & temporum & relationum aliorum ſiderum ad Terram occurrant, quæ tamen neceſſario obtingere deberent, ſi extra hoc centrum globus Terraqueus poſitus eſſet: interea non modo hæc Terra, ſed & ſingula reliqua ſidera peculiares ſuas athmoſphæras habent, quibus mediantibus in ſuo puncto ſuaque axi conſervantur, ne e juſto ſuo loco excidant.

§. LXXXIV. Deinde inter Criticos altera occurrit quæſtio & dubitatio, an non ante diluvium univerſale, adeoque a prima creatione globus Terraqueus in erecto conſtitutus fuerit, ita ut illius poli perpendiculariter cum vertice reſpondeant & an non poſt diluvium extra hunc erectum ſitum ille globus translatus & in obliquum poſitus ſit, cum qua ſententia conciliant dictum illud propheticum quod Jehovah adhuc ſemel terram commovere cogitet & an non hæc ultima commotio terræ ſit reſtitutio globi terraquei in priſtinum ſuum ſitum, ut propterea exinde nova terra & novum cœlum emineat, in quo tamen ſenſu me tales critici non habent conſentientem.

§. LXXXV. Proinde alia inter Phyſicos occurrit quæſtio & diſceptatio, an videlicet globus terraqueus ante diluvium in ſuperficie æqualis & planus, an viciſſim inæqualis & montoſus fuerit, ubi varii priorem aſſertionem amplectuntur; ego vero poſteriori aſſentio atque affirmo, quod non demum poſt diluvium omnes ac ſinguli montes orti ſint, licet multorum montium primus ortus e devaſtatione terræ per diluvium deduci debeat queatque: interea tamen jam a condito orbe terraqueo eminentes fuere inæqualitates & cavitates in Terra, ubi maria in ſuis excavatis tractibus conſervata fuere: hinc nihil impedit, quod aſſeram etiam in reliqua Terræ ſuperficie fuiſſe tales irregularitates, quæ haud ad imperfectum globi terraqvei ſtatum, ut quidam autumant, faciunt; in qua meditatione conſentit Sacer Codex. Pſal. 90. v. 2. Prov. 8. v. 25. Gen. 7. v. 19. 20.

§. LXXXVI. Non minus Phyſici curioſi paſſim pro materia conſiderationis ſeligunt & proponunt ſtatum globi terraquei ante & poſt diluvium, ubi negari non poteſt, quod ante diluvium terra multo aliam faciem habuerit, tum ratione montoſarum protuberantiarum, tum ratione reliquæ æqualitatis, temperiei & fertilitatis: quemadmodum per diluvium non modo aquæ cœleſtes, ſed & aquæ terræ & ſic dicta maria totam planitiem terræ obtegerunt, imo ex una parte montes & ſummitates deſtruebantur, alio loco iterum convehebantur & diverſimode illa ſuperficies cum variis terrarum ſpeciebus limoſis, macris, ſterilibus, ſabuloſis confundebatur, ita ut etiam tam ex hac ſuperficiei, quam intimiori terræ tractu ingentes moles transferebantur iterumque congerebantur: hinc poſt diluvium territoria quoad fertilitatem terræ variant & in ipſis terræ gremiis circa maritima præcipue loca reperiuntur ſepulta & obtecta cadavera, inprimis animalium, quotquot alias in aquis vivere ſveverunt: denique inveniuntur in tractibus terrarum cum mineris præditarum tales inopinatæ præruptiones minerarum, ubi alia terræ moles interpoſita deprehenditur, quam ſi perpendiculariter ſcrutatores tranſierunt & penetrarunt, denuo continuationem minerarum reperiunt.

§. LXXXVII.

§. LXXXVII. Et quamquam elementum Terræ a reliquis primordialibus materiis ſpecifice diſtingvatur, tamen non deſunt, qui ſubtiliori & ſtrictiori quodam ſenſu Terram dicunt eſſe matrem ſive hypoſtaſin omnium reliquorum ſpecialium elementorum, hinc in primo vaſto atque rudi Chaos omnes Terrarum ſpecies mixtas fuiſſe quidam aſſeverant, quas deinde omnipotentem Creatorem ſeparaſſe & in certum ordinem tranſtuliſſe, imo in ſpecialia ſubjecta diſtribuiſſe dicunt: & quanquam Terra omnino per ſpecies differat; tamen difficile eſt illam ita univerſalem reddere velle, cum de eſſentia aeris terreſtri nondum ſufficientia teſtimonia conſtent & proſtent, imo cum ipſa aqua non niſi ex accidenti in terream compagem mutetur, unde adhuc multa ambiguitate laborat, quando Beccherus Terram virgineam & panſpermiam ad omnia ſubjecta naturalia applicare nititur, eoque ipſo quintuplicem terrarum ſpeciem exponit, quarum primam nobiliſſimam eſſe prodit, quæ materiam pro ſideribus præbere dicitur; altera vocatur materia meteororum; tertia animalium; proxima vegetabilium, ultima mineralium, in quibus ſingulis quidem ſubjectis terreum principium ſatis largo apparatu adeſſe concedi poteſt; quod vero omnia in hisce ſubjectis obvia principia nudam & communem terram præbeant adhuc meliori declaratione, interpretatione & diſcretione indiget.

§. LXXXIIX. Ut ut vero elementum terræ per totum macrocosmum diffuſum eſt, imo inſuper illa harmonia terrarum in ſublunaribus & ſupra lunaribus, in animalibus, vegetabilibus & mineralibus ſatis evidens exiſtit; attamen pro meliori deductione ſubjectorum naturalium non modo reſtat differentiam ſpecificam hujus elementi curatius indicare, ſed & reliqua ſubjecta, quæ tam perſpicue ad aquarum indolem non accedunt convenienter diſcernere: interea tamen in phyſica ſubterranea & mineralogia multum refert hujus elementi veram & ſufficientem cognitionem acquirere, ſiquidem Terra fœcundiſſimum principium eſt ad ſubterranea corpora generanda; unde etiam vocatur mater metallorum, in quibus ſub diverſa ſpecie ſe ſe exhibet.

§. LXXXIX. Quemadmodum orbis terraqueus primario complementum omnium ſpecierum Terrarum conſtituit; ita in eodem diverſæ illæ ſpecies quadantenus notari merentur: differunt in genere Terræ prout vel macræ vel pingves ſive argillaceæ & limoſæ exiſtunt: priores ad ſubjecta nobiliora & puriora conſtituenda non concurrere debent, ut ſunt marchæ, medullæ, argillæ, Terra Samia, Cretica, Cimolia; aut paulo meliores: Ochra, Cadmia, Rubrica; nobiles vero ut ſigillata & bolaris: altera pingvis Terra ad mixtionem ſubjectorum utilium & nobilium concurrit & pro diverſitate aliorum Terreorum principiorum conjunctorum varias ſpecies productorum conſtituit;

tuit, utpote quæ conſideratio præprimis in Phyſica ſubterranea eximiam utilitatem habet, quam propterea paſſim ex propoſito tetigit Beccherus.

§. XC. Deprehenditur præterea Terra maxime vitreſcibilis in diverſis lapidibus nobilibus & ignobilibus, quibus baſin ſuam ſubminiſtrat & ſi cum hac terra principia ſubtilia inflammabilia coaleſcunt, diverſum colorem in producto demonſtrant, imo quo magis ſubtiliter terra illa conjungitur & condenſatur, eo magis compactum lapidem gemmeum exhibet: dantur itaque tales lapides pellucidi, ut cryſtallus & adamas: rubicundi, ut Rubinus, Granatus: coerulei, ut Sapphirus, Amethyſtus &c. virides ut Smaragdus, Perillus &c. flavi ut Chryſolithus veterum & Topaſius recentiorum; nigri: ut Bramnium; albi: ut Lapis Bononienſis; varii coloris mixti: ut Opali & Bezoar & quotquot adhuc alii huic numero paſſim adſcribi poſſunt.

§. XCI. Inprimis pro uſu phyſico chymico & illo quidem fundamentali tum dogmatico, tum reali & practico inſervit differentia illa terrarum quam obtulit & explicavit Beccherus, quæ terræ principia materialia conſtituunt pro ſubjectis ſubterraneis formandis, explicandis & tractandis: & prima quidem harum terrarum eſt vitreſcibilis illa & limoſa, quæ hypoſtaſin reliquorum corporum mixtorum & compoſitorum conſtituit; altera eſt terra pingvis ſive inflammabilis, quæ ipſum ſtatum mixtionis peculiari efficacia confirmat & ſuſtentat & qua præſente ſubjectum integrum manet, qua vero abſente illud genuinam ſuam conſtitutionem amittit: tertia eſt terra mercurialis, per quam diverſis ſubjectis ſuppeditatur ſpecifica indoles & conditio, in qua ab aliis ſubjectis tanquam vero & genuino quodam charactere quoad ſpeciem diſcernitur.

§. XCII. Conjungitur etiam terra quædam macra & infoecunda cum principiis pingvibus & inflammabilibus, vel mollibus & fluidis, vel ſiccis, denſis & compactis: ita præcipue in oleis tam ſimplicioribus, quam æthereis talis terra continetur, quæ per ignitionem illorum oleorum in fuligine ſe ſe præſentat: deinde etiam hæret in Naphtha, Petroleo & bituminibus: ſed eſt etiam in Sulphure, Succino, Ambra & variis aliis denſis ſubjectis, ita ut ſecundum diverſitatem mixtionis terrarum tum utilium, tum inutilium etiam diverſa producta diverſæ ſpeciei & conſiſtentiæ conſpiciantur: quanquam interdum in talibus ſubjectis præter ſterile terreum principium etiam alia terra primordialis limoſa contineatur, quæ in ſpeciebus metallicis matricem alicujus ſubjecti conſtituit.

§. XCIII. Præterea obſervandus eſt communis concurſus & participatio terrei elementi cum reliquis, quippe quæ communio inter omnia primordialia ſubjecta materialia intercedit, hinc aquæ terrei quid ineſſe & adeſſe probat evidens & palpabilis illa condenſatio & ſoliditas, in quam per gelu aut

 in en-

intenſius frigus aqua transvertitur: dantur etiam fluida humida, quæ in nullam terream denſitatem rediguntur, etiamſi frigus tale acceſſerit, id quod pateſcit in concentratione vini & cerevifiæ per frigus facta, ubi remanet fluidum quoddam, quod gelu non percipit: ſic Spir. Vin. Rectif. olea ætherea eminentem ſuam humiditatem & fluiditatem habent, ſed per frigus non condenſantur: interim quælibet olea ſive ſimplicia, ſive concentrata ſub combuſtione Terram præbet ſatis craſſam atque fixam, qualem fuliginem vero rectificatus ille Spiritus Vini haud exhibet: præterea in Igne vulgari eximia terræ quantitas concurrit, ſicut non parca illius copia intra aerem expirat, propterea ipſe aer non eſt tantæ terreæ indolis, ut ſecundum Peripateticos in cryſtallinam denſitatem converti queat.

§. XCIV. Secundum diverſitatem mixtionis terrarum inter ſe invicem varia prodeunt ſubjecta Phyſico-Chymica: ita enim terraqueæ mixtionis ſunt Salia & olea vulgaria, quando porro cum terra vitreſcibili & calcarea coaleſcit terra inflammabilis, tunc exinde provenit ſubjectum coloratum: ſi terra mercurialis cum exigua quantitate terræ vitreſcibilis coaleſcit, tunc oriuntur halitus minerales: ſi mixto cuidam e terra vitreſcibili & inflammabili conſtanti ſupervenit terra mercurialis, tunc exinde generatur corpus metallicum: ſi mercurialis terra alicui ſubjecto in largiore quantitate ineſt, tunc hoc redditur mollius & mobilius; ſi vero terra inflammabilis largius commixta eſt, tunc ſubjectum evadit friabilius: ſi denique terra vitreſcibilis in majore ubertate commiſcetur, tunc ſubjectum redditur denſius.

§. XCV. E Terrarum numero dantur quædam, quæ futuris Salium geneſibus inſerviunt, quemadmodum Salia nihil aliud ſunt, quam attenuata & ſubtiliata terra cum aquoſitate mixta: quotquot itaque terrarum ſpecies huic attenuationi obtemperant, eædem in Salia converti poſſunt, licet antea nondum actuale Sal fuerint & ita vel fixa vel volatilia Salia generantur; poſteriora quidem, quando terra limoſa adhuc de ſubtili pingvedine ſive principio Sulphureo gaudet, nude generationibus Salium volatilium quadrant & inſerviunt Terræ pingves, inter quas præcipue eminent oſſa, cornua &c: quando vero Terra quædam attenuationem talem reſpuit, nihilo minus tamen penitus exuritur, aliorumque principiorum commercio atque nexu deſtituitur, tunc prodit corpus Terreum, macrum, ſterile, quod vulgo vocant Terram damnatam ſive mortuam, quæ utplurimum regenerandis, aut recipiendis aliis principiis non ſubjacet, ſed ita ſterilis & exuſta manet, uti ſunt quidam cineres & nonnullæ calces.

§. XCVI.

§. XCVI. Præterea e diverſo Terrarum coalitu diverſa ſubjecta, ſpecie diſtincta, prodeunt, quæ diverſis qualitatibus prædita ſunt, ſicuti antea quadantenus notatum eſt, ita enim prima Terra cum aqua mixta præbet Sal; ſecunda terra cum aqua conjuncta, præbet olea & reſinas; tertia terra cum aqua combinata conſtituit famoſum Chymicorum Alcaheſt: prima & ſecunda terra offert nitrum & ſulphur: prima & tertia terra exhibet Sal commune & ita quædam e terris in igne candeſcunt, quædam liquantur & vitreſcunt, quædam in calcem fatiſcunt: vitrescentes terræ alterantur in ſuo fluxu a Salibus alcalibus, extra fluxum vero ab acidis, quid quod plane nonnulla vitra ab acidis ſolvi poſſunt, ſi non e magna cinerum vegetabilium copia parata fuerint; denique etiam variæ terræ in ſtatu aggregationum externis aeris injuriis & invaſionibus expoſitæ deprehenduntur.

§. XCVII. Denique etiam in numero Terrarum e triplici regno variæ occurrunt ſpecies, quæ uſibus medico-pharmacevticis clinicis & chirurgicis ſatisfaciunt, ut ſunt ſigillatæ, bolares, Japonicæ, Ochræ, Medullæ terræ, Oſteocolla, Lac Lunæ; terræ animales: cornua, chelæ, oſtracodermata etc. & diverſæ etiam ſubterraneæ, quales terræ diverſam mixtionem habent, vel cum ſubtili ſulphureo principio, quæ deinde exſiccantem & ſtypticam efficaciam habent, vel evidentem mucilaginem continent, ut ſunt terræ animalium, quæ incraſſante, temperante & involvente efficacia præditæ ſunt. Et in hisce ſingulis obſervationibus, theorematibus, disquiſitionibus, uſibus & applicationibus conſiſtit tota tractatio de Materia, quæ hactenus latius commendata & inculcata fuit.

CAPUT III.

DE

MOTU.

§. I.

POſteaquam in præcedentibus de Materia actum fuit, ultima nunc excipit conſideratio, ad uſus phyſicos apprime neceſſaria, aut quæ tanto magis dignitate ſua ſe probat, quia in innumeris phænomenis obſervanda eſt: hæc enim conſtituit Theoriam de Motu tam in abſtracto, quam in concreto intelligendo, quæ disquiſitio cum doctrina de natura & cum theoria de

materia ubique concurrit, ita ut nullæ alterationes materiarum & naturarum activitates & potentiæ ſine motu concipi queant: tanto magis præſens diſcurſus in Philoſophia Naturali dignus eſt, quo magis vulgo in communi Phyſica tractatio de Motu eſt vel nimis craſſa, vel nimis ſuperficiaria, ubi plurimum motus tantum in concreto explicantur & craſſiſſima phænomena de eodem inculcantur, licet uſus, ſucceſſus, occurſus, decurſus & effectus motuum in univerſitate rerum ſit numeroſiſſimus.

§. II. Quanquam motus tam communis & comparative vilis cauſa ſit, quæ in rerum naturalium ordine atque ſtatu occurrit; tamen mirari omnino ſubit, cur tam incognita et quoad principaliores ſuos reſpectus ſuasque qualitates abſtruſa et obſcura ſit, ita ut admodum commode applicari poſſit judicium *B. Auguſtini*, quod hic de tempore tulit (ſicut tempus etiam motus eſt) *quamdiu quisquam non interrogat quid ſit tempus, tam diu eſt res notisſima; ſi vero quisquam quærit, cujus indolis ſit tempus, tunc explicatio de tempore eſt obſcura*; ob id etiam *Ariſtoteles* in *Libris Phyſicorum* ingenue confeſſus eſt, *quod motus ſit id quod ignoret:* et ſubinde *Stairus* de Ariſtotele elocutus eſt, *quod definiendo motum ſibi dedecus, motui vero nullam dilucidationem attulerit.*

§. III. Eſt propterea motus principalis cauſa omnis alterationis, mutationis et ita dictæ qualitatis, tam eſſentialis, quam accidentalis, ut in principio movente, ita etiam in materia: quod enim prius attinet, tunc illud haud aliter eſſentiam et exiſtentiam ſuam teſtatur, niſi diverſa activitate et motorio influxu in varia objecta vel materialia, vel immaterialia; quod materias reſpicit, tunc eædem generantur, aut combinantur et corrumpuntur, aut diſſolvuntur mediante motu, ſicut reliquæ affectiones gravitatis, levitatis, duritiei, mollitiei, fluiditatis, denſitatis, rarefactionis ubique motus concurſum & activitatem involvunt: quo reſpectu vere aſſeri poteſt, quod omnia motibus abſolvantur, dirigantur & mutentur & quod non detur quies abſoluta, ſed quod in omni ſubjecto certus gradus hujus motus deprehendi & demonſtrari queat: ex hac conſideratione iterum fluit dignitas præſentis tractationis.

§. IV. Proinde motus nobilitatem ſuam demonſtrat & teſtatur durabilitate ſua, ſiquidem in genere de motu hoc loco aſſero, quod ſit æternus, a parte ante & a parte poſt, licet deinde in diverſis ſpeciebus & individuis aliqua differentia occurrat: fons enim e quo primi motus effluxerunt, eſt ſine initio & ſine fine & quando omne viſibile interit, durabunt tamen motus, tam in illo fonte omnis activitatis, quam etiam in ſubjectis, quibus omnipotens Deus a parte poſt æternitatem conceſſit: neque tantum motus æternus eſt, ſed & ipſa materia æternitatem ſuam habet, ſed non aliter niſi a parte poſt; minime vero hoc loco loquor de æternitate mundi; etenim licet viſibilis macro-

crocoſmus intereat, habebunt tamen beati corpora & quidem nova, quæ materiæ nomen tenent & quæ ipſa manebunt in æternum, uti Salvator humanam ſuam naturam in æternum retinebit; ſi itaque quædam materia æterna erit, tanto magis ipſe motus, qui non eſt materia, habebit ſuam æternitatem.

§. V. Utut vero motus ab æterno eſt & in æternum durabit, tamen ſedulo evitanda eſt impia illa confuſio, quam aliqui committunt, dum Deum pro motu & motum pro Deo ſrivole agnoſcunt: licet enim motus primum a Deo omnipotente originem ſuam habeat, tamen falſa erit concluſio & argumentatio, quando id, quod a Deo dependet, pro ipſo Deo habetur: nam affectiones & attributa divina non ſunt ipſe Deus, in hoc enim eſſentia & activitas discrepant: motus enim eſt ille actus a Deo ſecundum ſuam omnipotentiam exercitus, continuatus, conſervatus &c. & hæc confuſio extendit ſeſe in ulteriores motuum explicationes phyſicas, dum alii inter motum & cauſam motus primariam, primam, immediatam, efficientem, ſive principium movens perinde eandem confuſionem committunt, quæ tamen in demonſtrationibus rationalibus omnino fugienda eſt.

§. VI. Et dum cognitio motus admodum ſubtilis eſt, ita eo magis in illa omnis confuſio arceri debet; haud vero propterea cum illis conſentio, qui ob gravitatem hujus cognitionis cum quibusdam Pythagoricis & Platonicis Philoſophis motum ad Non-Entia referunt, eundemque poſthac craſſe cum materia confundunt & pro occulta materiarum qualitate æſtimant, cum quibus etiam illi quadantenus conveniunt, qui autumant, quod motus plane definiri non poſſit, utpote qui in tales communes confuſiones immerſi ſunt, dum neque deſcribere poſſunt qualis & quanta affectio materialis motus ſit, aut qualis ipſe exiſtat extra coalitum cum materia & in genuina ſua indole & eſſentia conſtitutus: interea tamen conſtans eſt inter Philoſophos, ad minimum quoad notiones, diverſitas, quod motus non in ſimplici ſenſu ſit materia & materia non ſit motus, quare utrumque ſubjectum ſub certis prædicatis & theorematibus explicant.

§. VII. Ne vero in vulgari Philoſophia ita penitus conſideratio de motu negligatur, propterea quidam Scholaſticorum animadverſiones obtulerunt & in theoriam motus traxerunt, operoſe videlicet dijudicantes, deliberantes & disceptantes, an motus ſit ſubſtantia, an vero accidens: & dum aliqui illum ſubſtantiam eſſe aſſeruerunt, ita confuſionem illam inter movens & motum propagarunt & ſuſtentarunt; veriori ſenſu motus non eſt res per ſe ſubſiſtens, ſed a ſuperiori cauſa dependens, ſed propterea non abſolute dici poteſt accidens, quia ad eſſentiales qualitates principii moventis ſpectat, neque

que eidem ex accidenti ineſt, interim reſpectu materiarum, quæ per ſe motu deſtituuntur, i. e. efficaciam abſolute movendi non habent, accidens evadit, cum materiæ ſuperveniat, ut qualitas alterius, quam materialis principii.

§. VIII. Quando adhuc in genere motum obſervo, tunc ipſius relatio ad materiam eſt activa; materiæ viciſſim erga motum paſſiva eſt: ſiquidem nulla materia per ſe movet, ſed ſemper aliunde motum admittit & expectat, atque in continuo ſucceſſu transmittit, nunquam tamen ex ſe producit: dum vero motus materiam actuat, propterea tamen non ex ſe conſtat, ſed aliunde producitur & in materiam inducitur: in hac conſideratione minime negari debet, quomodo juxta trivialem Phyſicam motus pro affectione materiarum habeatur, eo, quia motus extra materiam non in craſſos ſenſus incidit, cum tamen corpora motu prædita magis externos ſenſus feriant: ubi iterum illa discretio tenenda eſt, quomodo ipſe motus in corporibus non ſenſus externos afficiat, ſed quomodo corpora, quæ moventur, ut mota, ſenſu externo percipiantur.

§. IX. Arduum itaque videtur inter communes Philoſophos motum extra materiam, adeoque in abſtracto intelligere atque agnoſcere, unde in vulgari theoria motus tantum diſſeritur de motu in concreto, de motu locali, ſive de progreſſu motus cum materia & ex hac mere phyſica motus disquiſitione proinde materiam cum motu vulgo confundunt; cum tamen omnes Phyſici noſſe deberent, quod prima motuum origo extra omnem materiam ſit detenta & quod tunc demum motus in materiam transmiſſus fuerit: quotquot etiam e paucis Phyſicis de motu in abſtracto diſſerere volunt, illi perinde autumant, ſi certas motuum qualitates in progreſſu ſuo obvias allegant, quaſi illa genuina theoria motus in abſtracto ſit, cum rectius illæ qualitates, ut niſus, conatus, impetus, impulſus juxta talem theoriam utplurimum in materiis & corporibus perluſtrantur.

§. X. Quanquam juxta communem Philoſophiam inter motum & materiam, actionem & paſſionem, cauſam primariam motus & ipſum motum, motum propagatum & primum productum magna confuſio occurrat, ita ut communiter motus materialis eſſe aſſeratur, quia juxta vulgarem disquiſitionem in conjunctione & commercio cum materia obſervatur; tamen indirecta elucescit discretio, cum in triviali Philoſophia conſtanter diverſis titulis atque theorematibus de motu atque materia tractetur; quare minime confert motum ad affectiones corporis recenſere; ſicut viciſſim magna discretio eſt inter motum & mobilitatem, hæc enim præcipue reſpicit relationem materiæ in ſua quantitate & qualitate apta erga diverſos motuum gradus, ut ita mobile dica-

dicatur corpus, quod habet juſtam proportionem, ſecundum quam ſupervenientes motus illud efficaciter alterare & in illis qualitatibus, quæ proprie ad motus ſpectant, afficere poſſunt.

§. XI. Præterea paſſim Philoſophi de prima motuum cauſa diſſerunt & tam ſæpius in origines illius introſpicere conantur, ſed nihilominus poſt habita reliqua hac animadverſione in communes confuſiones delabuntur, ita quidem univerſaliſſima motus cauſa ſummus Creator eſt; neque etiam angelis energiam movendi denego, quod vero illi ſoli tantum movere poſſint, conſtanter repugno; neque cum Platonicis incognitos Dæmones, aut cum Ariſtotelicis obſcuras intelligentias, aut cum aliis animam mundi, aut Saturnum pro prima motuum cauſa agnoſco, ſed præter univerſalem illam & principaliſſimam cauſam aliis principiis immaterialibus, quotquot etiam illa fuerint & ubicunque fuerint, ſubordinatam illam poteſtatem movendi adſcribo, ita quidem, ut motum ex ſe primum producere & ſub diverſa directione in ſubſtrata ſubjecta immittere & transferre poſſint, quæ tamen energia illis inferioribus principiis a ſuprema illa cauſa conceſſa eſt: quando vero motus per materias progrediuntur, tunc materiæ non ſunt cauſa prima motus, neque etiam hos motus peculiari directione afficiunt, ſed deinde ipſi hi motus juxta diſpoſitionem & proportionem materiæ ita progrediuntur, ut in gradu & rigore ſuo per momenta alterentur, ad quam actuationem corporum, materialis horum qualitas, nihil active confert.

§. XII. Inter alia documenta, quæ teſtantur, quod tractatio & cognitio de motu in communi Philoſophia valde abſtruſa & difficilis ſit, merito recenſeri debet, quod inter Philoſophos tam parca, tam abrupta, tam obſcura & tam confuſa motus definitio occurrat, quid quod multi eandem plane oblivioni & ſilentio conſecrarunt, multi in definitione ſua motum cum movente & patiente complicarunt, plurimi denique & quidem neotericorum Carteſianorum, Mechanicorum & Eclecticorum motum ex accidentibus deſcripſerunt, adeoque eſſentialem illius rationem & conditionem præterierunt & ita motum cum materia in peſſimam confuſionem converterunt, utpote qui nævi in Philoſophia ſatis frequentes, ſedulo circa motus definitionem evitandi & emendandi ſunt.

§. XIII. Ex illis itaque, qui corruptam motus definitionem tradiderunt, Ariſtoteles admodum obſcure, Commentatores vero illius adhuc obſcurius de motu diſſerunt, dum prior uno loco dicit, quod motus ſit actus difficilis quidem cognitu, ſed qui tamen eſſe poteſt, aut quod ſit actus poſſibilis, quatenus poſſibilis, aut quod ſit actus ejus rei, qui in poteſtate eſt, quatenus talis eſt, aut ejus rei quæ vim habet movendi, aut quæ agere & pati poteſt, quate-

nus

nus talis eſt: Democritei dixerunt motum eſſe ſucceſſivam formæ acquiſitionem; alii vocarunt motum formam ſubſtantialem; quidam Arabes appellarunt motum formam; alii formam activam; Thomiſtæ dixerunt motum eſſe formam fluentem; alii Philoſophi motum neque actum neque formam eſſe, ſed tendentiam ad formam, nonnulli per motum intellexerunt voluntatem divinam; Carteſius motum appellavit actionem, qua corpus ab uno in alium locum transfertur, ſive translationem unius materiæ ex vicina una in aliam: multi denique e cohorte eclecticorum tum circa motus definitionem antiquiores Philoſophos carpunt, haud meliorem tamen definitionem ſubminiſtrant, ſed eandem magis obſcurant.

§. XIV. Sed ne in nuda reprehenſione corruptarum definitionum ſubſiſtam, harumque errores detegam, neceſſarium eſſe duco, quo meliorem ſubnectam; propterea (Motus eſt actus perfectus, homogeneus, indeſinens, a cauſa immateriali primum productus, proptereaque immaterialis, vel extra materiam & quidem eſſentialiter e re ad rem, e termino ad terminum, e puncto ad punctum progrediens, vel accidentaliter cum materia concurrens & decurrens, per illam juxta ſuas proportiones tranſiens & transſcendens a generali ſuo decurſu rationem temporis & gradus involvens atque diverſos effectus inducens.

§. XV. Tradita hac Definitione (quam propterea fuſius magisque diſerte proponere placuit, quia alias motus obſcuritas accuſatur, ne itaque illi, qui in ſuccinctis ſed inſuper obſcuris definitionibus, ubi definitio ſuo definito obſcurior eſt, gloriolam affectant, offenſionem eliciant) nunc ad ſpecialiores animadverſiones de motu inſtituendas progredior; dictum fuit, quod motus nihil aliud ſit, quam *actus*, quoniam objecta & ſubjecta ſua quæcunque apprehendit, ſive idealia, ſive materialia, poſitiva quadam actuatione afficit & per eandem ſolam ſuam eſſentiam prodit, ſiquidem præter motum nullus datur alius actus: ille enim ſolus talis eſt, unde omnis motus eſt actus & omnis actus eſt motus, quæ unitas ſe ſe ad eſſentiam rei extendit: fruſtraneus enim conatus eſt in phyſicis disquiſitionibus de motu potentiali multa diſſerere, ſiquidem tractatio de potentia ad Metaphyſicam quatenus ontologia eſt, explicatio vero motus ad Pnevmaticam & Phyſicam ſpectat: ita etiam eſſentia actus exhaurit eſſentiam motus, *Actus* enim eſt habitus practicus, progrediens in ſubjecta, tempora, terminos, puncta, ſpatia, objecta, effectus & quandoque etiam fines.

§. XVI. Eſt præterea motus actus *ſimplicisſimus*, eſſentialiter homogeneus, qui neque in eſſentiam ſuam aliud quid alterius eſſentiæ aſſumit, neque de eſſentia ſua aliquid perdit, ſed ſemper manet idem eſſentialiter, incorruptus,

ptus, licet deinde materiam afficiat atque actuet, tamen eſſentialiter cum eadem non commiſcetur i. e. non in materiam mutatur: unde, ſi motus a materia diſcedit, hæc de eſſentia ſua nihil amittit, uti ille eſſentialiter manet ſalvus atque integer: propterea admodum refert bene diſcernere accidentales reſpectus, qui in motus conſideratione occurrunt a propriis & eſſentialibus attributis.

§. XVII. Proinde motus eſt actus *perfectus* atque completus, cui quoad eſſentialia requiſita nunquam aliquid deficit, ſed qui ſemper totus eſt, tum quoad ſuum ortum, tum quoad ſuum ſucceſſum, tum etiam quoad effectum: & quamvis in diverſis ſubjectis per gradus variet, tamen id ipſum nihil eſſentialitati ſuæ detrahit, alias nullus perfectus haberi poſſit motus, niſi qui in extremo gradu fortis & vehemens eſt, propterea que alii ſatis potentes motuum gradus imperfecti & incompleti nuncupandi eſſent: ita in aliis ſubjectis ſimilis demonſtratio ſuppeditari poteſt, ſiquidem animæ hominum differunt quoad capacitatem movendi & tamen quælibet ſeorſim conſiderata quoad eſſentialem ſuam conſtitutionem eſt perfecta atque completa: fruſtra itaque nituntur, qui motui, etiamſi valde debilis fuerit, aliquam imperfectionem imputant atque adſignant.

§. XVIII. Porro motus eſt actus *indeſinens* ſive perpetuus, qui in genere conſideratus ſuam æternitatem a parte ante & a parte poſt habet, de qua in ſuperioribus actum fuit: fons enim motus eſt æternus, e quo in ſubjecta viſibilia ſubordinata, creata, energia motoria tranſit; & quando denique communes phyſici motus deſinent, tamen propterea non omnis motus deſinit, ſed ſervabit motus ſuam æternitatem, tum in Creatore, tum in quibusdam creaturis: quemadmodum non modo talis æternitas in motu, ſed etiam in materia ſuperius demonſtrata fuit: & cum hac ipſa demonſtratione convenit altera parallela demonſtratio, quod per naturæ poteſtatem motus non poſſit annihilari, niſi tandem omnipotens Creator, ſicut materias innumeras, ita etiam varios motuum ſucceſſus annihilet: interea vero tam ſingularis motuum eſt circulus in macrocosmo & microcosmo, vt ex una materia in alteram motus transeat & viciſſim cauſæ moventes non indeſinentes novos motus producant, alias quantitas motuum eſſet intractabilis, ſed probabiliter aſſeverari poteſt, quod etiam cauſæ primæ motuum creatæ ſub qualicunque requie ſubtili modo ab extra vires ſuas colligant, reficiant & motus denuo acquirant, quamvis modus fiendi & procedendi haud in craſſos ſenſus incidat.

§. XIX. Singulare præterea motus prædicatum eſt, quod *immaterialis* exiſtat, ſive in eſſentia ſua incorporeus; id quod antiquiores Metaphyſici non negarunt; Phyſici vero acriter & auſtere impugnant, quia motum propterea incorporeum eſſe agnoſcere haud poſſunt, dum tantum cauſæ ſpiritualis &

principia active ſpiritualia incorporeæ indolis exiſtunt, motus vero tales cauſas primas, ſive principia, aut ſpiritus non eſſe, propterea tantum motus materiales & corporeos ſupponunt, præcipue quoniam de motibus phyſicis diſſerunt, neque motum extra materiam agnoſcunt: proinde motus materiales ſupponunt, quoniam diſcurſus ſuos de pondere, gravitate, niſu, tendentia, reniſu, reactione &c. pulchre & lepide cum hoc ſuo aſſerto adumbrare poſſunt.

§. XX. Hæc immaterialitas, aut ſic dicenda incorporeitas motus variis argumentis demonſtrari poteſt, etenim 1) prima cauſa, origo & dependentia motus non eſt materialis, unde ipſe motus corporeus eſſe non poteſt, quoniam cauſa & effectus de ſe invicem teſtantur. 2) motus eſt actus, nullus actus vero eſt materia, interim actus non eſt agens, eſt tamen aliquid reale exiſtentiale & perfectum, unde motus non eſt movens & nihilominus eſt incorporeus 3) quia datur motus, qui extra & citra materiam ſuccedere poteſt & qui tamen eſt perfectus motus, uti ſunt operationes Dei, angelorum & animæ & quidem hujus actiones morales & mere ideales 4) quia materia ex acceſſione motus non in eſſentia ſua augetur & 5) ex illius deceſſione non imminuitur. 6) quia ab omni ævo conſtans fuit diſcretio inter motum & materiam, licet illius accuratior explicatio neglecta fuerit. 7) quia motus ita repente materiam ingreditur, ſicut materiale quoddam minime in hac qualitate cum motu convenit. 8) quia motus per omnem materiæ dimenſionem & ſingula illius puncta ſubito & ſine ullo offendiculo diſcurrit. 9) quia motus cum materia coaleſcit ſine ullo viſibili aut conceptibili veſtigio 10) quia nunquam concipi, percipi & explicari poteſt, quomodo motus transeat in materiam & cum eadem cohæreat 11) quia motus interdum cum materia ita conjungitur, ut hujus affectiones materiales non alterentur. 12) quia motus materiam deſerit ſine ullo perceptibili veſtigio. 13) quia motus cohæret cum materia ſine cauſa intermedia e materiali affectione fluente. 14) quia motus nullam eſſentialem materiæ affectionem in ſe continet. 15) quia nullus motus abſolute in materia occludi poteſt. 16) quia motus ratione ordinis prior fuit & prior eſt quam materia creata aut generanda. 17) quia motus a parte ante & poſt ſuam æternitatem habet. 18) quia ſua ſponte materiam egreditur. 19) quia ab extra ſine materia tamen ſubjecto materiali immitti & communicari poteſt. 20) quia eſt reſpectu materiæ accidens & denique 21) quia efficacia motus materiæ efficaciam multo numero ſuperat.

§. XXI. Si itaque motus incorporeus eſt, tunc prima illius cauſa non alterius quam incorporeæ eſſentiæ eſt, ut propterea cauſa de effectu & effectus de cauſa teſtentur; interim ex hac prima cauſa profluens motus transcendit in intermedia ſubjecta materialia, ubi diſcretio illa obſervanda eſt, ne in omni

ſubje-

ſubjecto, ubi motus per accidens communicatus deprehenditur, prima talis cauſa motus ſupponatur: illud enim aſſertum phyſicum verum eſt, quod omnis motus primam cauſam incorpoream agnoſcat; contra vero non argumentari licet, ubi motus eſt, ibi ſtatim illa prima cauſa adeſt: quotquot itaque ſunt principia incorporea principaliora, tot etiam habent activitatem movendi, uti de ſummo omnium rerum principio Creatore, deinde de Angelis & animabus conſtat; quomodo vero principia talia ex ſe motum primum producant & ſpecialisſime motum quoad gradus ſuos dirigant intellectus humanus non percipit; interea ipſum factum negari haud poteſt; neque denique materiis aut materialibus principiis aſſignari poteſt facultas movendi: unde etiam liquet, quam ſterilis, vana & fallax ſit aſſertio Medicorum de ſuis ſpiritibus, ſive vitalibus, ſive animalibus, ſive cujuscunque prædicati, quaſi ex ſe & per ſe motus producere & adminiſtrare queant.

§. XXII. Cum hac demonſtratione mox connecto peculiarem hanc animadverſionem in Phyſicis ſedulo pervolvendam, an videlicet materiis & corporibus *motus innatus*, inditus & *concreatus* ſit, quod aſſertum hodienum a variis proponitur, ſed ſatis frigide confirmatur, dum motum e materia arceſſere laborant, adeoque contra incorporeitatem & incorpoream cauſam motus pugnant; equidem & hoc aſſertum de motu corporibus concreato falſisſimum & ſanæ rationi maxime contrarium eſſe indico, judico & ſequentibus argumentis demonſtro; 1) pugnat contra ſanam rationem, quod motus debeat hærere in materia & tamen eſſe quietus; cum rectius 2) motus materiæ inditus ſeſe ut motum, qui materiam moveat, exſereret, propterea 3) tamdiu in uno ſubjecto corporeo ſubſiſtere non poſſet, quamdiu id ipſum juxta lepidam hanc ſententiam aſſeritur & ſupponitur, ſiquidem 4) hæc eſſentialis motus eſt affectio, ut ſubjectum, in quo hæret, ſubito penetret & percurrat, neque 5) materia illius aptitudinis eſt, ut motum occludere, coercere & retinere posſet; neque 6) ulla cauſa mediata vel mente quidem concipi poteſt, per quam motus materiæ incluſus cohæreret 7) repugnat diverſa materiæ receptivitas ad diverſos motuum gradus, cum materia quædam modo fortius, modo debilius moveri queat, 8) proinde corpus quoddam ſæpiſſime moveri poteſt, qui motus, ſi totus materiæ concreatus eſſet, mirificos effectus produceret; ita 9) tota hæc hypotheſis de motu concreato mera ſuppoſitione nititur, & 10) commune aſylum conſtituit pro confirmatione illius aſſerti, quod Deus ita voluerit. 11) quia nullus motus in uno ſubjecto uno eodemque tempore poteſt eſſe motus perfectus, ſi materia ſimul ſupponitur eſſe in quiete. 12) neceſſe etiam eſſet, ut ſi motus quisquam materiæ connatus eſſet, poſt brevem denique moram ille conſumeretur, niſi hujus ſententiæ fautores aſſerere malint Deum ita voluiſſe,

 ut

ut motus non conſumeretur; 13) Si vero verum eſſet, quod materia ſemper de novo externo motus acceſſu participet, non neceſſe eſt ſupponere motum concreatum, & denique 14) diſtinctio illa, qua aliqui hoc ſuum aſſertum colorare cogitant inter motum potentialem & actualem admodum lepida & infirma eſt pro hac hypotheſi ſalvanda.

§. XXIII. Ex hiſce præcedentibus demonſtrationibus facile colligere licet, quid ſentiendum & judicandum ſit de famoſo illo Phyſicorum *niſu*, *tendentia*, *reniſu*, *actione* & *reactione* corporum, quod aſſertum æque commune eſt in triviali Philoſophia naturali aſylum, quo quidam, ſed non niſi per meram petitionem principii demonſtrare contendunt, motum materiis eſſe proprium, inſitum & concreatum, quando conſpiciunt, quomodo corpus quoddam ad aliud quietum corpus alliſum majori gradu recidat & revertatur, aut quomodo unum corpus in alterum cum motu eccentrico incidens reflectatur, quas alterationes motuum vulgo adſcribunt reniſui corporis quieti; ſed ſi phænomena ſine ſuppoſitionibus & præjudiciis obſervantur, tunc corpora non renituntur, ſed corpus quod motu præditum fuerat, aſt nunc in ſuo rectilineo progreſſu impeditum eſt, non ſemper ſimul & ſemel motum amittit, ſed cum reſiduo ſuo motu revertitur, qui motus ſi repente in ſuo rectilineo curſu impeditur eo efficacius & fortius denuo in corpore ſuo concentratur, ut alium curſum retrogradum inſtituat, non alio motu quam illo, quem antea recepit, ita ut non neceſſe ſit ſupponere, quaſi e corpore quieto motus quidam per reniſum egreſſus ſit; quod vero tendentiam corporum ad centrum terræ attinet, tunc de eadem illo loco acturus, ubi de motu gravitatis ſermo inſtituendus erit.

§. XXIV. Dum vero motus a cauſa & principio immateriali generatur, ita illius eſſentialis efficaciæ eſt, ut *extra materiam* etiam progrediatur, & tamen ſit eſſentialiter perfectus & totus motus, qui poſthac materiæ communicari poteſt, ex quo iterum immaterialitatem motus demonſtro & talis quidem *motus extra materiam* fuit ille, qui in prima motuum origine deprehenditur, e qua non modo diverſæ motuum ſpecies, ſed & diverſa principia moventia ortum ſuum traxerunt, ita, ut non niſi motus in ulteriori ſua propagatione per accidens in materiam transferatur, ſed eo minus in materia materialis reddatur, quia antea immaterialis fuit: quemadmodum per Phyſicam poteſtatem e ſubjecto immateriali non fieri poteſt materiale: horum motuum, qui ſimpliciter extra materiam decurrunt, ſunt multiplices ſpecies, in genere vero ratio, intellectus, deinde vero cogitatio, imaginatio, æſtimatio, averſio, deliberatio, idearum formatio, motus pathetici, hæreditaria diſpoſitio &c. qui ſinguli motus, (quo multi alii ſpectant,) tamen reales ſunt & ſemper progrediuntur e

re

re ad rem, e termino ad terminum, e puncto ad punctum, adeoque ubique eſſentiales ſuas qualitates exſerunt.

§. XXV. Præter hæc documenta & ſpecimina motuum, extra materiam tranſeuntium, qui tamen veri, certi & perfecti motus ſunt, varia ad huc ſpecimina talium *motuum*, in *abſtracto* conſiderandorum, occurrunt, inter illa vero eximiæ dignitatis eſt *Exiſtentia rei*, quæ cum eſſentia non eſt confundenda: hæc enim comprehendit id, quod aliqua res eſt, licet ſpecialiori ratione eſſentia rei explicari non poſſit; illa vero, nimirum exiſtentia, non eſt eſſentia rei extra ſuas cauſas, uti quidem vulgo a Philoſophis definitur, ſed eſt duratio & ætas alicujus rei, qua ſubjectum quoddam per plura tempora & plura puncta, atque plures terminos eſſentiam ſuam retinet; & licet exiſtentiæ rerum ſæpe debeantur aliis cauſis, in genere quidem omnipotenti Creatori, proinde vero ſubordinatis diverſis aliis, & ab extra etiam concurrentibus circumſtantiis, tamen hæc exiſtentia in ſe ſpectata non eſt confundenda cum cauſis, neque cum activitate cauſarum, quoniam illud eſt, quod demum ex omni tali apparatu cauſarum proveniet, dum res quædam durat, permanet, ſubſiſtit; & hæ exiſtentiæ rerum ſunt indefinitæ atque per omnia puncta, tempora & terminos quosvis variant, ſicuti exiſtentia heſterna non eſt hodierna, neque craſtina, omnis vero talis exiſtentia abſolvitur motu & progreſſu in abſtracto extra materiam.

§. XXVI. Ut ut motus extra materiam decurrit, ita ut exinde motus immaterialitas evidenter demonſtrari poſſit, attamen deinde etiam motus cum materia congreditur, qui eſt *motus* in *concreto* conſiderandus & exquiſitius *phyſicus*, prout ſenſibus noſtris ipſe paulo magis patet, adeo ut propterea bene ſciamus, quid ſit quieta, quidve mota materia; interim in hoc phænomeno æque intellectum noſtrum fugit, quomodo motus cum materia cohæreat, unde factum eſt certiſſimum, modus fiendi vero eſt incognitus: quemadmodum etiam nos latet cognitio, quomodo motus tranſeat ex alio ſubjecto & intret in oppoſitam materiam: etenim æque obſcura eſt Philoſophorum aſſertio, quod motus congrediantur & communicentur per contactum, quæ explicatio in triviali & ſcholaſtica Phyſica admodum arcana & rationalis habetur, cum tamen craſſiſſimam petitionem principii includat & irreſolubilis illa quæſtio moveri queat, quomodo fiat, ut, ſi unum corpus alterum contingit, motus ex uno egrediatur, in alterum ingrediatur & cum hoc congrediatur.

§. XXVII. Quando itaque motus cum materia congreditur, tunc in eadem perpetuum ſuum *progreſſum*, tranſitum & ſucceſſum ſervat, ita ut in materia non acquieſcat, ſed per omnia puncta temporis procedat, donec denique materiam illam iterum egrediatur atque deſerat, licet ab extra in variis phænomenis alii motuum gradus illam materiam denuo ingrediantur; præterea vero

etiam

etiam in hoc phænomeno perpendenda eſt relatio & proportio materiæ erga accedentes motus, ſiquidem interdum ſubjectum materiale tali qualitate materiali præditum eſt, ut motus efficaciam ſuam magis, nonnunquam vero minus exſerere queat, teſtimonio corporis levioris vel craſſioris, denſioris vel laxioris, dum in materiis poroſis motus citius diſpergitur, adeoque facilius amittitur, aut in abientem aerem progreditur, quæ proportio motus ad materiam in mechanicis diſquiſitionibus bene obſervanda eſt.

§. XXVIII. Quod ſpecialiorem motuum curſum & propagationem attinet, tunc iidem ſæpe & immenſo numero per tranſcenſionem progrediuntur, ita ut ordine quidem primo omnis motus a cauſa immateriali primum proveniat, deinde hic motus e corpore in corpus transferatur & per transcenſionem communicetur; tranſultat itaque hic motus per materiam, qui modus vero hujus transmigrationis non intelligitur: quo ſæpius proinde hic primus gradus motus per plura corpora transcendit, eo debilior evadit; quando vero debilis quidam motus aliis corporibus in motu conſtitutis ſupervenit, tunc etiam hic debilis gradus reliquum motum augere adjuvat; deinde quo magis centraliter motus in materias transcendit, eo efficacior eſt, minus vero ſi eccentricus fuerit: denique hæc transcenſio eſt vel craſſa & manifeſta, vel ſubtilis, ſicuti per aerem motus in ſubjecta corpori ſubtili ratione transcendit & hæc vario modo alterat, ita in ſono & motu luminoſo, nec non in magnetis virtute ſubtilis transcenſio motus e materia in materiam obſervatur: & hic circulus motum in macrocosmo non modo eſt eximius, ſed etiam conſideratione ſolida & ſedula dignus.

§. XXIX. Et dum motus perpetuo progreditur atque per materias transcendit, ita facile elucescit, quod motus poſſit *dividi*, licet ſit ſua natura & ſimplici indole incorporeus: hæc diviſibilitas adeo ſingularis eſt, ut in concreto etiam & in progreſſu phyſico demonſtrari poſſit, quod incorporeum quid ſit diviſibile & ſubinde etiam extenſum; ubi fruſtra quidam arguunt, quaſi motus ita ſeparatus non amplius eſſentialiter totus, ſed partialis exiſtat, ſicut plurimi de materia philoſophantur, quæ in partes diſtincta non amplius pro tota habetur, licet in hac animadverſione etiam materia ſemper eſſentialiter tota maneat, in forma vero & accidentalibus circumſtantiis alteretur, ita etiam motus, ubicunque diviſus eſt, eſſentialiter totus atque perfectus exiſtit, gradu vero differt, interim debilior motus eſſentialiter æque motus eſt ac fortior, quo ipſo confirmatur illud aſſertum, quod detur diviſio phyſica ſubjecti incorporei, ſi motus per materias propagatur.

§. XXX. Eximiæ dignitatis conſideratio & diſquiſitio de mortu etjam illa eſt, quod motus in tempore, per tempora & ad tempora decurrat, imo rectius, quod motus *Tempus* conſtituat, unde omne tempus eſt motus: ſic enim

nim Tempus eſt tranſitus & progreſſus e momento in momentum, ex exiſtentia in exiſtentiam, ita nihil aliud eſt quam motus, propterea; eſſentialiter motu abſolvitur, adeoque juxta veram ſuam indolem Tempus nihil aliud eſt, quam motus progrediens, exiſtentias rerum aut efficiens, aut circumſcribens: unde aliqui ex antiquioribus Philoſophis dixerunt, tempus eſſe numerum exiſtentiarum; & Ariſtoles appellavit tempus numerum motuum ſecundum prius & poſterius; ſed eo ipſo tempus non eſt craſſus motus phyſicus, ſed ſuam relationem habet ad ſubjectum, quod capax eſt diſcernendi hos tranſitus & numeros exiſtentiarum, tam ſui ipſius, quam aliorum ſubjectorum: hinc eſſentialis ratio temporis includit perpetuum progreſſum, ſucceſſum, curſum, tranſitum, quo reſpectu ipſa æternitas nihil aliud eſt, quam motus, qui infinitos ſuos ſucceſſus continet; ſicut tempus phyſicum etiam certos terminos abſolvit, ſecundum diverſitatem exiſtentiarum in diverſis ſubjectis: qua ratione ætas, longævitas, vita, duratio, conſervatio tempore tali diſcreto & in certos terminos tranſeunte abſolvitur.

§. XXXI. Cum hactenus varia eſſentialia motus requiſita perluſtrata & commendata fuerint, ita adhuc ad eſſentiales qualitates motuum ſpectat, quod ſinguli motus adeoque quilibet ſeorſim certo *Gradu* decurrant, ſiquidem tam in abſtracto, quam in concreto hic Gradus motibus proprius exiſtit: quod enim motus in abſtracto attinet, tunc vigor, activitas & alacritas rationis, intellectus, cogitationis per individua diſcrepat, imo alio Gradu operatur almus Creator, alio Angeli, alio reliquæ ſubordinatæ naturæ & cauſæ agentes; in concreto vero differunt Gradus vel per ſe, uti nunc certis materiis communicati ſunt, vel ſecundum materiarum aptitudinem, prout eædem motibus magis vel minus ſubjacent & obtemperant, ubi omnino proportio materiæ erga motus advertenda eſt, ſecundum quam certus motuum gradus unam materiam compactiorem & denſiorem efficacius, laxiorem & poroſiorem vero debilius afficit & agitat; in quo phænomeno tamen non materia activa eſt in motus, ſed ſemper motus in relatione ad materiam activus eſt: & ita gradus motuum variant quoad vires, quoad tempus, quoad occaſiones & quoad ſubiectorum ſuorum relationes; exinde etiam oriuntur diverſi effectus; ſed præſtat præterea in hoc phænomeno agnoſcendo & decidendo evitare communem Philoſophorum labyrinthum, quando de diverſis motuum gradibus ita otioſe ad voluntatem divinam provocant, aliaſque cauſas naturales omittunt: veriori itaque ſenſu Gradus eſt certa quantitas motus, adeoque eſſentiale requiſitum, cum juxta quosdam etiam Gradus dicatur intenſio vel remisſio actus, utpote quæ declaratio ad accidentales reſpectus pertinet: eſt vero denique Gradus in motibus conſideratus talis obſervatio, quæ ad Phyſicam ſpectat, ſicut vulgo

go Gradus diſtingvuntur in mathematicos, metaphyſicos, medicos & phyſicos.

§. XXXII. Ad eſſentiales motuum affectiones, adhuc in genere perpendendas; pertinet inſuper *Succeſſus* in motu conſiderandus; omnis enim motus ſuccedit & omnis ſucceſſus eſt progreſſus, adeoque etiam motus; quemadmodum in nullo puncto motus acquieſcit aut deliteſcit, ſed indeſinenter per omnia puncta ſive ideæ, ſive materiæ, quam occupavit, procedit: ſubinde etiam hic ſucceſſus arcte conjunctus eſt cum ratione gradus atque temporis, dum modo motus citius, modo tardius, modo potentius, modo debilius diſcurrit; uti etiam in diſquiſitione ſucceſſus aptitudo & proportio materiæ erga motum erit conferenda; de reliquo per variantes materiarum nexus hic Succeſſus ita alterari poteſt, ut modo tardius modo citius contingat: qualia varia experimenta in ſtaticis et mechanicis paſſim occurrere ſolent.

§. XXXIII. Denique ad definitionem motus explicandam pertinet adhuc conſideratio *Loci*, ſiquidem ferme omnis motus certum locum, certam diſtantiam, aut certam extenſionem requirit, in quo tam in abſtracto, quam in concreto ſuccedere et decurrere debet: phyſico itaque ſenſu locus eſt terminus extenſus, ſive ſpatium diſtans, circumſcribens ſubjectum quoddam contentum: interim etiam res ipſa teſtatur, quod in communi Philoſophia animadverſio Loci admodum ſterilis ſit, ſiquidem veteres locum appellarunt certum πȣ̃, ſive certum ubi, neque negandum eſt, quod etiam quælibet atomus & ſingularis melecula ætheris ſuum ſpecialem locum habeat, e qua conſideratione affirmo exiſtentiam *Vacui*, etenim hoc vacuum, ſive hic locus præbet corporibus ſpatium, in quo moveri poſſint; & ni talis locus, ſive tale vacuum eſſet, ſane univerſitas rei & continua & contigua eſſet, adeoque pro uno moveretur, cum tamen multitudo motuum priori ſuppoſito contrarietur: & quamvis Locus etiam ad affectiones materiæ ſpectet; tamen a motu ſeparari non poteſt, cum quilibet motus exiſtentiam certi loci inferat, in quo decurrere & corpus ſuum afficere debet, ita etiam Epicurus Locum pro vacuo agnovit, quemadmodum Democritus, Leucippus, Ariſtoteles & plures alii hanc ſententiam agnoverunt: fruſtra itaque eſt abſolute negare velle exiſtentiam vacui & licet in omni loco aliquid reale contineatur, tamen illud, in quo res eadem hæret, nihil aliud eſt quam vacuum ſive involucrum & receptaculum illius rei, ut ita non neceſſe ſit, cum aliis vacuam & ſterilem de vacuo litigationem amplecti.

§. XXXIV. Cum hactenus definitio motus in ſuperioribus tradita & quoad principales circumſtantias explicata ſit, ita nunc ad diverſas motuum & effectuum ſpecies exponendas progredior: ex omnibus vero motibus ferme dignis-

gniſſimus eſt *Motus Luminoſus*; qui præ reliquis & ſubtiliſſimus & celerrimus eſt, ita ut in breviſſimo temporis termino ampliſſimam diſtantiam diſcurrat: eſt vero motus expanſionis in materia ſubtiliſſima atque fluidiſſima, unde quo tenerior & ſubtilior eſt materia, eo magis hic motus per eandem propagatur; & vice verſa ab interpoſitis materiis craſſis & terreſtribus valde alteratur, turbatur & impeditur: hinc v. g. olea quo magis tenuia ſunt, quæ alias æthereæ dicuntur, eo magis diaphana exiſtunt: ex omnibus vero ſolidis corporibus unicum vitrum occurrit & quicquid alias purioris vitreæ indolis eſt, quod pro motu luminoſo recipiendo & transferendo aptum exiſtit, niſi tantum in illo progreſſu motus luminoſi aliquam obliquitatem ſubeat, quæ vulgo *Refractio* dicitur.

§. XXXV. Proprie motus luminoſus eſt motus rectilineus, nonnunquam vero aliqualem obliquationem induit, ut radii a perpendiculo ſuo ad latera tantisper deflectant, quando corpus quoddam oblique oppoſitum eſt: eſt vero ſubinde talis refractio fortior, quam ſi corpus perpendiculariter illis radiis oppoſitum eſt & juxta hanc animadverſionem opaca corpora vocantur, quæ ſuperficies habent irregulares & aſperas; quando vero radii luminoſi diſperguntur & inter ſe confunduntur, tunc ipſum lumen penitus obſcuratur: provenit motus luminoſus in macrocoſmo præcipue a Sole, haud tamen propterea craſſum materiale quid a corpore ſplendente effluit, quod lumen efficere forte debeat, ſed potius illa certa motus ſpecies primario lumen efficit: proinde hic motus ita myſticus eſt, ut radii luminares ſe invicem efficaciſſime diſcindant & penetrent, ſed propterea ſeſe non turbent: denique e diverſa corporum mutatione, quæ alias motui luminoſo ſubjacent, etiam effectus luminis differunt, interim ſpecialiſſima horum effectuum determinatio & explicatio in phyſica tractatione valde latet, quod ulterius inculcandum erit, ubi hoc ordine de coloribus ſermo incidit.

§. XXXVI. Infert itaque motus luminoſus aliquod ſubjectum, ex quo ipſe provenit, quod de principio igneſcibili vel magis vel minus participat, qua occaſione communem Phyſicorum animadverſionem circa *Lucem* & *Lumen* breviter attingere & notare lubet: quidam enim hæc diſtinguunt, alii vero, qui lucem pro lumine habent inter ignem & lucem differentiam conſtituunt: utut vero ſit, quando lux a lumine diſcrepat, tunc *Lux* (de cujus indole paſſim tractarunt *Aquilonius*, *Grimaldus*, *Voſſius*, *Ricciolus*, *Kircherus*, *Hevelius* &c.) nihil aliud eſt, quam motus celerrimus inteſtinus verticillaris in & cum corpuſculis inflammabilibus, quæ in actualem vel minorem vel majorem ignitionem abeunt: *Lumen* vero eſt ille ſplendor & motus egrediens ætheris rectilineus, qui e luce communicatur in diſtantias, unde Carteſius Lu-

cem vocat motum igniculorum, Lumen vero impulſum illius motus rectilineum per ætherem continuantem; dantur interim alii, qui Ignem, Lucem & Calorem inter ſe confundunt; alii e Lumine indiſcretim communicationem materiæ inflammabilis ſubtili motu arceſſunt, cum tamen in variis ſubjectis motus luminoſus ſine communicatione talis materiæ occurrat: ubicunque itaque reperitur talis materia ſubtilis igneſcibilis valde agitata, ibi etiam lumen occurrit: unde a Phyſicis recenſentur corpora per ſe ſplendeſcentia, quæ non mutuatitio lumine gaudent, ut Sol & ſtellæ fixæ, quo referunt lignum putridum, cicindelas, corpora noctiluca & artificialia quædam compoſita, velut phoſphorum, pyropherum aliaque: ſicut paſſim obſervationes tam inter Phyſicos, quam Medicos occurrunt de animalibus brutis & humanis lumen ſpargentibus.

§. XXXVII. Singularis conſtitutionis, dignitatis & utilitatis eſt *Motus Caloris*, quem quidem aliqui cum motu luminoſo confundunt; cum tamen diverſi motus ſint: vulgo quidem hic Caloris motus pro celerrimo, ſubtiliſſimo & rapidisſimo declaratur, uti in hac ſententia Plato, Philoſophi Democritei & multi alii fuerunt, per quam qualitatem vero hic motus a luminoſo motu diſtinctus haud eſt, neque etiam ſatisfacit Ariſtotelis explicatio, qua ex effectu, dum homogenea congregare & heterogenea ſegregare dicitur, hunc motum definire contendit; neque Scholaſtica illa motus caloris definitio, quod ſit privatio frigoris, ullum rationabilem & formalem reſpectum involvit, unde rectius Carteſius de hoc motu aſſerit, quod ſit motus celerrimus, ſubtilisſimarum materiarum verticillaris, rotatorius, aut circa axin ſuccedens, adeoque magis cylindricus, quam ſphæricus motus eſt, ubi aptæ materiæ inflammabiles circa ſuam axin rapidisſime moventur, adeoque non magnum ſpatium requirunt, ſiquidem tantum ſitum mutant: interea ſubtiliores materiæ citius hunc motum aſſumunt, licet aliæ quæ tardius in hunc motum transferunt, tamen diutius eundem ſervant, teſtimonio metallorum in comparatione ad olea, ceram &c. primarius fons hujus motus in ſole exiſtit, quamvis adhuc aliæ cauſæ intermediæ calorem efficientes concurrant, unde obſervationes proſtant, ubi ſub magna ſolis diſtantia tamen hyems calida & ſub majori ſolis præſentia atque vicinia æſtas frigida extitit: præterea datur etiam calor ſubterraneus, qui ab externo non pendet, ſed in motu materiarum inflammabilium ſub terris præſentium conſiſtit: transferuntur interea mediante hoc motu caloris ſubtiles materiæ in athmoſphæram, quæ itidem caloris gradum augent, quare nonnunquam uvida & ſqualida tempeſtas calida occurrit: denique hic motus caloris ad multiplices mixtiones & augmentationes corporum animatorum & inanimatorum concurrit, ſicut de reliquo e diverſo caloris gra-

du diverſorum corporum fluiditas, mobilitas, liquefactio, rarefactio, mollities, vicisſim etiam corruptio, diſſolutio, fermentatio &c. dependet.

§. XXXVIII. Contrariatur motui caloris *Frigoris Motus*, quem haud accurate Carteſius per privationem caloris & Ariſtoteles per indiſcretam tractationem & congregationem homogeneorum & heterogeneorum definiunt, ſed rectius Gaſſendus pro peculiari motus ſpecie æſtimat atque demonſtrat; quemadmodum etiam fieri ſolet, ut ſub proximioris ſolis præſentia, tamen interdum frigidi influxus contingant, unde facile judicare licet, quod frigus non a nuda ſolis diſtantia pendeat, quemadmodum nonnunquam venti ſive boreales ſive orientales inſignem frigoris gradum athmoſphæræ immittunt, uti vicisſim abſentibus talibus ventis certi planetæ frigidam impreſſionem communicant: eſt vero frigoris motus tardioris energiæ, cum caloris motus ſit celerior & efficacior: & quemadmodum motus caloris attenuat, reſolvit & rarefacit, ita motus frigoris condenſat, inſpiſſat, comprimit & proinde ſingularia corpora mobilia irregulariter componit: quemadmodum porro motus caloris dum reſolvit, certorum ſubjectorum deſtructionem putrefactoriam promovet & auget, ita motus frigoris dum corpora comprimit & condenſat, eo ipſo disſolutionem & corruptionem impedit, aut a putrefactione præſervat, qualia documenta innumera tam in animali, quam vegetabili regno occurſant: de reliquo etiam frigoris motus, motui caloris ſuperveniens, partim peculiarem ſuam ſpeciem, partim particularem ſuam efficaciam obteſtatur, qualia phænomena occurrunt in diverſis operationibus chymicis, præcipue vero in fuſione corporum ſolidorum, videlicet metallorum: proinde frigoris motus magis in aerem, quam ætherem efficax eſt, cum ad tam craſſos effectus contribuat, quid quod e ſuperficie magis ad centrum collineat & quidem compreſſoria ſua efficacia; cum alii motus e centro magis in ſuperficiem emergant: eſt vero ſubinde irregularis & confuſa quædam commotio, unde effectus frigoris ratione poteſtatis & ſubtilitatis ab aliis motuum ſpeciebus valde diſcrepant.

§. XXXIX. Dum in præcedentibus motus luminoſi mentio facta fuit, ita hoc ordine theoriam *Colorum* brevibus attingere placet, cum communiter colores variantibus qualitatibus motus luminoſi adſcribantur; & licet communis hæc theoria perquam colorata ſit, tamen in eadem eximia hæſitatio & confuſio occurrit, ita ut ſub omni ſpecioſa & operoſa colorum explicatione denique ultima illa ſimplex & infallibilis veritas prodeat, quod album non ſit nigrum, cum τὸ ὅτι quidem indubium ſit, τὸ διότι vero admodum obſcurum; fruſtra vero omnis color diverſitati refractionis & reflexionis radiorum luminoſorum adſignatur, dum omnino diſtingui mereantur phænomena colorata in aere occurſantia, a ſubjectis propius oculis noſtris expoſitis colo-

ratis; imo lepidus conatus eſſet a rubicundo colore, qui per priſma præſentatur, aut qui in Iride occurrit, ad ruborem Cinnabaris & Minii argumentari, in quibus poſterioribus omnino roſcidæ illæ materiæ deficiunt; ſubinde valde ænigmatica videtur Carteſii explicatio colorum, quod ſit modificatio luminis in globulis æthereis recta pulſis aut preſſis; neque exhaurit formalem rationem in theoria colorum reflexio fortis aut debilis, e qua multi paralogiſmi profluunt; neque Eclecticorum actio radiorum luminis oculis recepta & percepta ſpecies colorum exponit; neque tantum ſuperficies ſubjectorum, ad quas quidam neotericorum provocant, quoniam coeci colores e ſuperficie diſtinguunt, eſſentialiter ad formam colorum ſpectant, cum a coecis ad videntes non valeat conſequentia, unde in plurimis ſubjectis propius viſui obnoxiis mixtio ſpecialis ad colorum differentiam contribuit: & eſſet hoc reſpectu color diverſa modificatio radiorum luminoſorum, ſecundum differentem rerum mixtionem atque poſitum: de reliquo ſpecialis ratio cur album ſit album & nigrum nigrum conſtanter omnes philoſophos latet, latuit, latebit &c.

§. XL. Eximiæ inſuper dignitatis eſt *Motus Condenſatorius ſive Compreſſorius*, quemadmodum motus caloris rarefactorius & diſſolutorius eſt: quod hanc compreſſionem in toto univerſo & macrocoſmo concernit, tunc eadem primum in ſubtiliorem aëris partem quam ætherem vocant & per hanc in ipſum aerem communicatur, unde vero & ex qua prima origine pendeat, tam expreſſe dici haud poteſt: exſerit ſe ſe hic motus in genere in univerſum globum terraqueum, quem undique & ab omni latere æqualiter comprimit, ſicuti etiam probabile eſt, quodlibet corpus coeleſte tali motu athmoſphærico compreſſorio præditum eſſe, mediante quo tale corpus in ſuo centro conſervatur, ne e congruo ſuo ſpatio excidat: proinde hic motus ſubtiliter penetrat in profunditatem terræ, ſiquidem mediante illo corpora in ſua congregatione & compage conſervantur & ceſſante eodem aggregata corpora dilabuntur: quo magis itaque hic motus fornicatus & centralis eſt, eo potentioris efficaciæ eſſe obſervatur: contribuit itaque hæc condenſatio ad duritiem, gravitatem, firmitatem corporum, ut & ad motum frigoris: interim concurrunt interdum aliæ motuum ſpecies, quæ contra nituntur, ut prior motus ſimplicem ſuam efficaciam exſerere haud queat, quare hæc condenſatio non tantam vim habet in corporibus animatis & vivis & ubi motus caloris oppoſitus eſt: interim eo eminentioris energiæ hic motus exiſtit, quo mobiliora ſunt corpora circa quæ verſatur & hic motus ad varia phænomena tam ſponte occurrentia, quam arte producta phyſica contribuit.

§. XLI. Singulare ſpecimen compreſſoriæ illius efficaciæ, quæ cum aëre communicatur, occurrit in illo ſolenni & celebri phænomeno *Aeſtus marimi*

rini ſive *Fluxus & Refluxus maris*, qui ſingulis ſenis horis eximias ſuas mutationes exſerit: hunc licet antiquiores & recentiores variis cauſis adſignent & quidem vel Angelo cuidam, vel vorticibus vel gurgitibus marinis, vel effluviis lunæ aqueis ſive ſimplicibus, ſive cum materia in fundo maris præſuppoſita fermenteſcente, ſive lumini lunæ, ſive alteri cuidam cauſæ; tamen nulla ratio quoad ſingulas circumſtantias veritati magis conſona eſt, quam quæ deducitur ab efficacia atmoſphæræ lunæ compreſſoria in athmoſphæram & horizontem oceani: hinc evenit ut luna perpendiculariter mari incumbente (quod eo magis novi & plenilunio contingit) hic æſtus ſit efficacior, ſiquidem ipſe cum omnibus lunæ mutationibus coincidit, dum quoad diurnas & annuas variationes ſimul evidentes mutationes ſubit: quando itaq; luna ab oceano deflectit & aliorſum vergit tunc mare ad polos egredi deſinit, iterumq; ſubſidet: illud vero obſervationis phyſicæ eſt, quod quædam maria ab alteratione fluxus & refluxus immunia ſint: deinde etiam in quibusdam locis æſtus ille ad oſtia fluviorum pertingit, ut & alibi citius & altius, alibi tardius & depreſſius ſuccedit, quo multum contribuit vel declivior vel ſublimior ſitus terræ, aut præſentia inſularum & promontoriorum circa littora illa poſitorum, quemadmodum in illis locis, ubi Luna perpendiculariter non imminet tale phænomenon neque tam eminenter, neque tam facile occurrit.

§. XLII. Eximiæ porro efficaciæ & dignitatis eſt *Motus Elaſticus*, cujus indolem veteres Philoſophi haud agnoverunt & attenderunt; multi vero e recentioribus valde perverterunt, confuderunt & male applicarunt & licet magnum illud idolum Elater hodienum phyſicis & Medicis ſemper in ore ſit, tamen eundem ex formali motus elaſticitatis ratione haud ſatis ingenue explicant: quare indiſcretim quamlibet extenſionem cujusvis corporis elateris nomine ſalutare haud erubeſcunt, cum tamen vera ratio elaſticitatis non ita promiſcue aſſumenda & applicanda ſit, quam confuſe quidem vulgo contingit: eſt itaque motus elaſticus non alius, quam ſubtilis expanſorius primario in æthereas, deinde aereas & denique etiam aquoſas materias efficax & operoſus, unde rectius in partes mobiles & gradu diſtinctas fluidas, haud vero primario in ſolidas, denſas & ſpiſſas tranſit: deinde quoad effectum ſuum etiam alias partes majoris conſiſtentiæ afficit, iisdemque expanſoriam illam activitatem communicat: dignum hujus motus phænomenon & ſpecimen occurrit in motu Mercurii in barometro, quem fruſtra quidam gravitati & ponderi aut motui compreſſorio aeris, vel cum terreis vel humidis ſubſtantiis impleti, adſcribunt, in qua ſententia Ramazinus & Schelhammerus ſub aliquo tamen diſcrimine atque lite verſantur: unde rectius cum Stahlio illum motum virtuali & non materiali aeris efficaciæ id eſt expanſioni in Mercurium efficaci

caci accenſeo, quæ elaſticitas adjuvatur ab humiditate ſubtiliter & intime in aerem diſperſa, ſicut alias humiditas, admodum apta eſt pro hoc motu ſubeundo; hinc Mercurius in ſuo tubo adſcendit, quando magis expanſus eſt; ſi vero humidæ illæ ſubſtantiæ ex athmoſphæra decidunt, quod imminente & præſente pluvioſa & nebuloſa tempeſtate contingit, tunc elaſticitas in aëre remittit & Mercurius deſcendit: idem contingit, ſi venti occidentales & meridionales multam humiditatem in athmoſphæram transvehunt, quæ deinde cum reliqua humiditate facile decidit, hinc ſpirantibus hisce ventis facilius Mercurius deſcendit, cum viciſſim ex ventis ſeptentrionalibus & orientalibus adſcendat, quando per aerem acclivius in athmoſphæram noſtram immiſſum elaſticitas augetur; & hanc majorem elaſticitatem aëris ægrius tolerant Phthiſici, cum difficilius inſpirent, ac contra remittente illa elaſticitate & tempeſtate pluvioſa facilius reſpirent: de reliquo hic motus elaſticus ſtupendæ efficaciæ eſt, ut corpora eximii ponderis cum eodem in motum deduci queant.

Conf. Stahlii Opuſcula Phyſico chymico Medica. p. 265. ſeqq.

§. XLIII. Ab hac motus elaſtici efficacia pendent varia phænomena, quæ in mundano ſyſtemate tam ſupra, quam infra terram cum eximiis effectibus contingunt & quidem, quod attinet phænomena ſupra terram evenientia, ſingularis dignitatis eſt obſervatio, quæ de *Tonitru & Fulgure* inſtituitur, de quibus effectibus ab omni tempore Phyſici varias ſententias & opiniones propoſuerunt; non quidem placet in aliorum caſtra multum excurrere & ex propoſito examinare, an juxta Stoicos hæc phænomena a materia frigida, an juxta Plinium ab effluviis certorum planetarum, an ſecundum Paracelſum ex Sulphure, Mercurio & Sale, an juxta Carteſium ex collapſione nubium, an juxta alios ex Sulphure aut Nitro proveniant: brevibus meam mentem expono, unde aſſero, quod primario hi ſontici effectus debeantur motui elaſtico, qui partim in humiditatem aquoſam, partim in principia inflammabilia & deflagrabilia efficax eſt: quando enim partim humida partim inflammabilia principia in athmoſphæram transferuntur & cum nubibus circumvolvuntur, tunc evenit, ut, ſi ejusmodi nubes, quæ multum de hoc motu elaſtico participant in magna congerie conveniunt & in aliqua athmoſphæræ plaga in ſe invicem incumbunt, ita ut non modo in nubibus ipſis, ſed intra nubes harumque ſpatia aër occluſus ſit, tunc elaſticus ille vehemens & præpotens motus ita afficit & vehementer agitat materias inflammabiles, quo denique flammam concipiant & in fulguris forma e nubibus eructent & effluant: quod ſi etiam tale fulgur ſua acenſione majorem commotionem nubibus introduxerit, tunc reliquus aer intra nubes occluſus eructat & ex uno quaſi alveo atque ſpatio nubium erumpit atque progreditur, ex quo motu ille fragor Tonitru provenit, ſiquidem

ſub

ſub quolibet tonitru nubes, in hoc ſuo faſciculo contentæ, concutiuntur, diſcutiuntur & diſperguntur: unde tales tempeſtates non melius ſolvuntur niſi quando hæ nubes ex ſe invicem diſſolvantur & disjungantur.

§. XLIV. Præter hanc diſquiſitionem & theoriam de Tonitru & Fulgure placet adhuc aliquot circumſtantias explicare, quæ in tali tempeſtate occurere ſolent; primo litigant & dubitant multi Philoſophorum an detur *Lapis Fulminaris*, aſſerentes, quod in aere tam craſſa materia, ad conſtituendum hunc Lapidem idonea, haud reperiatur: equidem geneſin hujus lapidis neque impoſſibilem neque improbabilem æſtimo, quem in fulgure provenire judico, cum fulgur omnino materiam aliquam ſubtilem conſtituat & quidem plurimum terream, quæ ſub celeri vehementi maximeque efficaci motu igneo ex parte in vitream ſiliceam talem conſiſtentiam colliquatur & cum fulgure deinde communicatur; interim abuſus hujus obſervationis non tollit uſum, neque omnes Lapides Ceraunii, qui demonſtrantur, ſunt veri tales Lapides Fulminares: qui vero materiam fulguris & efficaciam motus ignei perpendit, haud ejusmodi lapidis exiſtentiam & generationem impoſſibilem judicare poterit.

§. XLV. Hic motus elaſticus, qui in talibus tempeſtatibus occurrit, admodum ſuſtentatur & augetur per humiditates aquoſas, nubibus interſperſas, hinc quo diutius pluvia ſub talibus tempeſtatibus deficit, eo vehementiores ſunt reliqui effectus Fulguris atque Tonitru; cum contra perquam imminuatur & mitigetur impetus elaſticitatis, quando per pluviam humiditates tales decidunt: haud vero communis illa traditio pro veritate ventilanda eſt, quaſi cum ejusmodi pluvia tempeſtatum Sulphur ex athmoſphæra detrudatur, cum rectius pulvillus ille flaveſcens, aquæ pluviali innatans, ex illa, pulverulenta materia in aerem diſperſa proveniat, quæ Julis & arillis abjectis, pini, pinaſtri, juniperi, coryli, ſambuci, muſci clavati &c. adhæret: præterea annotari meretur illa obſervatio, quando tales tempeſtates ſecundum tractus terræ vel montoſos, vel profundos & excavatos progrediuntur, unde explicari poſſunt ſeparationes tempeſtatum aut ductus aut tractus illarum die Wetter-Scheidung und Wetter-Züge: denique annotanda eſt diverſa fulguris efficacia & conditio, ubi communiter fulgura diſtingvuntur in terebrantia, diſcutientia & urentia, aut in humida & ignea: ſubinde Fulguris ignis ſubtilis & præpotens eſt, qui maxime in corpora ſolida efficax deprehenditur, ſicut Tonitru ad concuſſionem terræ multum contribuit, ut negari non poſſit illa communis obſervatio, quod e Tonitru & per illud terra fertilis reddatur, per fulgur vero athmoſphæra quantiſper repurgetur: quemadmodum etiam completam talem tempeſtatem æſtus præteriti temperies & mitigatio ſequitur.

§. XLVI.

§. XLVI. In hoc ordine, ubi de motu expanſorio, ſive elaſtico diſſeritur diquiſitioni noſtræ ſeſe offerunt *Venti*, quorum theoriam brevibus exponam: vulgo quidem, ſed non ſatis appoſite, venti definiuntur, quod ſint motus aeris; quæ nimis generalis definitio formam rei non exhaurit; rectius venti ſunt motus craſſe & vehementer elaſticus, per materias humidas, plus vel minus rarefactas, ſpirante effectu in aerem communicatus: quod vero originem ventorum attinet, tunc eandem non abſolvunt exhalationes marinæ & aquoſæ, licet eædem quicquam ad ventorum geneſin & augmenta contribuant, cum juſta omnino quæſtio moveri poſſit, cur hoc die ventus auſtralis, alio borealis etc. ſpiret, unde rectius ex multiplici obſervatione & experientia convictus, iterum ad ventorum geneſin diverſos planetarum concurſus & impreſſiones contribuere aſſero; hinc dantur venti, qui indies paroxyſmos ferme ſervant, dum certis horis repetunt iterumque certis deſinunt: vulgo Phyſici ventos diſtingvunt in regulares & erraticos, in periodicos & indefinitos, in cardinales & collaterales: multum ſubinde ad ventos diſponunt exhalationes aquoſæ & quod cardinales ventos attinet, tunc ab oriente ſpirantes in noſtris locis frigidiores ſunt, haud vero propterea, quaſi e montibus Carpaticis & Bohemicis niveas particulas in athmoſphæram noſtram invehant, alias etiam venti auſtrales per montes Alpinos & occidentales per Pyrenæos ſpirantes perinde frigidi eſſent: in locis Aſiaticis venti illi e mari pacifico afflantes & ab oriente adſpirantes ſunt calidi & humidi: occidentales venti, qui ex oceano Atlantico propius noſtras regiones attingunt, multam humiditatem nobis afferunt, adeoque pluviam tempeſtatem cauſantur, tanto magis ſi in auſtrum inclinant: Boreales utplurimum per ſe frigidi ſunt, ſed interdum æſtivo tempore æſtum augent, dum in aerem valde calefactum, rarefactum & expanſum humidas ſubtiles materias transferunt, quæ elaſticitatem augmentant: Auſtralis ventus eſt utplurimum calidus, ſed maxime diſponit ad humidam tempeſtatem: denique interdum ad ventorum augmenta & irritamenta certæ nubes cum majori gradu motus elaſtici præditæ concurrunt.

Conf. Stahlii Meteroſcopia.

§. XLVII. Placet hoc ordine paucis mentionem injicere *Nubium*, ſub illo nexu, quod demonſtrem ipſas Nubes de motu elaſticitatis multum participare & quod viciſſim Nubes eundem motum in athmoſphæram effundant: ipſæ quidem Nubes nihil aliud ſunt, quam plus minus tenuis materia, humida, expanſa, rarefacta villi inſtar per aerem fluctuans, propterea etiam ob ſuam tenui-

tenuitatem & cohærentem motum elaſticum in aere conſervantur & vehuntur; ubi fruſtra Scaliger Soli imputat, quod nubes in aere contineat: deinde vero nubes modo plus, modo minus de hoc motu elaſtico participant, aut materiam vel ſubtilius vel craſſius humidam continent, quid quod interdum alias ſubſtantias tenues, inflammabiles complectuntur: ſicut plane extraordinarium eſt quod nubibus immiſceantur animalia viva, velut cicutæ, mures, ranæ &c. uti inter Scaligerum, Wormium & Voſſium lis intercidit, unde mures Norwegiæ proveniant, an e nubibus an aliunde: maxime tenues nubes ſunt illæ, quæ in maxima altitudine conſiſtunt & ovium greges repræſentant, quales nonnunquam ſerenam, nonnunquam turbidam tempeſtatem prænunciant: nigricantes nubes ſunt valde aquoſæ, uti etiam nubes fuliginoſæ & fumoſæ multam humiditatem continent: proinde nubes obſcuræ ex pallido puniceæ latiores frigidæ ſunt & grandinem continent, uti nubes ex nigro rubeſcentes fulgur aut materiam pro eodem largius continent; albicantes nubes ventoſæ ſunt, quemadmodum quædam nubium turbinem, aliquæ vero regularem ventum effundunt; de reliquo fruſtra quidam Aſtronomorum ut Keplerus, Ricciolus aliique exactam nubium altitudinem explorare ſtudent.

§. XLVIII. Multum etiam elaſticus motus contribuit ad *Ignea* illa *Meteora*, quæ vulgo per ignem fluctuant & quæ mediante hoc motu partim accenduntur, partim etiam per auram quaquaverſum vehuntur, ut ſunt *Ignes Fatui*, *Stellæ cadentes*, *Dracones volantes*, *columnæ igneæ* &c. quæ ſingula meteora conſtant e materia tenui poroſa, cum ſubtili inflammabili principio prædita, unde etiam ignis illorum eſt tenuis, qui non facile craſſa corpora lædit & accenſione mutua afficit & comburit, quid quod ejusmodi materiæ elaſtico tali motu præditæ adjuvante continua aeris acceſſione huc illuc noctu vagantur & motum aeris exacte ſeqvuntur; vix vero hæc Meteora pro excrementis nubium ventilanda ſunt, quin potius e ſubtilioribus talibus pingvibus materiis e ſuperficie terræ pingvioris in auram evectis generantur & in aere iterum diſſipantur: quemadmodum vulgo Phyſici de *Filo Mariæ* aſſerunt, quod conſiſtat in viſciditate tenui in aere collecta, cum rectius talia filamenta nil niſi excrementa araneorum terreſtrium ſint, qui certo anni tempore & ſub certa tempeſtate e ſuis cuniculis & latebris egrediuntur & filamenta talia magno numero in arvis formant, quæ in aerem evecta illud conſtituunt, de quo vulgo dicitur: der Sommer ziehe.

§. XLIX. Quemadmodum hæc meteora proprie Ignea ſunt & motui elaſtico utplurimum adſcribi merentur, ita occurrunt alia meteora aerea æque realia & vera, quæ magis humidæ conſtitutionis ſunt, ſed geneſin ſuam non elaſticitatis, quam condenſationis motui debent: ex hiſce eminet *Nebula*, quæ e tenuisſimis & per aerem diſperſis humidis moleculis congelatis conſtat, qualis congelatio iisdem per certum frigoris gradum in athmoſphæra exiſtentem inducitur, inde contingit, ut ſi humidæ hæ moleculæ ſparſim & ita diſperſæ ex athmoſphæra decidunt, reliqua aura ſerenitatem aliquam nanciscatur; ſi vero in altum aſſurgunt, tunc copioſius coeunt, nubilam tempeſtatem conſtituunt, in aqueas guttulas congrediuntur & pluviam denique efficiunt: deinde occurrit *Pruina*, quæ conſiſtit in moleculis aqueis paulo craſſioribus, ſed ob majorem refrigerii gradum non tam congelatis quam conglaciatis, quæ ob gravitatem ſuam ſucceſſive decidunt & modo ita ſimpliciter, modo cum nebula contingunt: pertinet huc *Ros*, cujus hæc eſt geneſis, quando ſub ſerena, tepida, aut calida tempeſtate in aura humidæ moleculæ extenuatæ & rarefactæ fluctuant, quæ nocturnis temporibus a concurrente moderato frigore nocturno & motu condenſationis ſubtiliter coeunt & in talibus tenerioribus, proptereaque ita dictis roridis corpuſculis decidunt & aquam valde limpidam, ſubtilem & puram conſtituunt: quando vero nubilus aer cum craſſioribus humiditatibus oppletus eſt, quæ proximius in guttulas congrediuntur, nondum vero actu easdem conſtituunt, tunc frigus concurſans hanc humiditatem ita conglaciat, ut in flocculorum nunc majorum nunc minorum forma decidat & *Nivem* conſtituat: quod ſi denique hæc humiditas in certis nubibus magna quantitate collecta & ſimul in majores guttas coagmentata fuerit, tunc particulare frigus, quo tales nubes ſeorſim præditæ ſunt, has coagmentationes nunc majores, nunc minores aqueas ita conglaciat, ut in *Grandinis* forma deinde ex alto decidat.

§. L. Præter hactenus recenſita phænomena naturalia ulterius ex efficacia motus elaſtici fluit cauſalis demonſtratio *Montium Ignivomorum*, qui pro igneo hoc motu ſubeundo de materia inflammabili Sulphurea quaſi picea participant, quæ ſucceſſive in ejusmodi cavernis ſubterraneis regeneratur & carbonum foſſilium ſive lithanthracum inſtar in ejusmodi tractibus terrarum reperiuntur; quo vero ejusmodi materiæ deflagrabiles in igneum motum rapiantur, neceſſe eſt, quo elaſticus ille expanſorius motus ſuperveniat, qui cum aqua ſubterranea & interdum marina adfluente & transhalante excitatur, ita ut hæc ſalina aqua efficacia ſua halituoſa commotione inſtar venti accedentis flam-

flammam ſemel commotam augeat atque ſuſtentet, quemadmodum alias aqua marina illius qualitatis eſt, quo ignem magis promoveat & excitet: & hac ratione vehemens ille ſubterraneus ignis cum hoc motu elaſtico ſtupendæ efficaciæ eſt, ſiquidem mediante utroque tam ignis, quam elaſticitatis motu ex ejusmodi montoſis ſpeluncis & latebris corpora eximii ponderis projiciuntur.

§. LI. Non minus ex efficacia motus elaſtici fluit theoria *Terræ motuum*, quos fruſtra quidam cum cuniculis bellicis comparare ſtudent, adeoque fruſtra Nitrum ſubterraneum accuſare ſolent, cum rectius pro hoc motu ſufficiat vehemens illa ſubterranea expanſio & commotio aquei halituoſi principii, quò quidem requiritur aptitudo ſubterraneorum tractuum excavatorum & cavernoſorum, in quos penetrat halitus ille aquoſus, vel etiam ipſa aqua marina vel alia, quæ exhalationes copioſas in has cavernas immittit, unde hos terræ motus promovet diuturna & conſtans pluvia tempeſtas, ſub qua aquoſitates intimius in relaxatam terram penetrant; haud tamen ab hoc eximio phænomeno excludi debet motus caloris ſubterraneus, ita ut Carteſii ſententia de motibus ſubterraneis ſub juſta interpretatione ſalvari poſſit, quando etiam concurſum ignei elementi accuſat: ita enim ex multiplici analogia phyſica facile demonſtrari poteſt, quantæ poteſtatis ſit hic elaſticus motus cum humidis expanſis materiis decurrens in corpora ſolida diſcutienda & concutienda: ob id etiam hic motus elaſticus ſubterraneus modo cum tremore, modo cum ſuccuſſatione, modo cum inclinatione, modo cum disruptione, modo cum perverſione, modo cum murmure ſubterraneo decurrit: interdum ad hunc motum contribuit Preſter ab extra ſuccedens, qui terram valde commovet & halitus ſub terra concluſos comprimit & exagitat: interdum ejusmodi motus ſubterranei Preſterem in aerem communicant: aliquando etiam in illo loco, ubi terræ ruptura contigit, eximia aquæ projectio ſuccedit, ite ut hoc phænomenon diverſos effectus cauſetur.

§. LII. Sicut hactenus variis phænomenis motus elaſtici indolem expoſui, ita nunc in ordine brevibus commendandus & exponendus erit *Motus Gravitatis* ſive *Ponderis*, qui in vulgari Phyſica paſſim ſatis perverſe & ſine ponderoſis argumentis ſatis leviter explicatur; quod enim hunc motum attinet, tunc de diverſis corporibus conſtat quomodo gravitate inter ſe ſint diſtincta & quomodo ex alto in terram decidant: inde illi vulgares Phyſici canones innotuerunt, quod omne grave tendat deorſum, quod corpora habeant niſum &

tendentium ad centrum terræ: de hoc motu non male, licet non ſatis diſtincte & perſpicue Ariſtoteles dixit, quod corporibus non ſit inſitus, ſed ab extra acceſſorius: Democritei hunc motum copioſiori atomorum commixtioni adſcribunt, qui ipſi has ſuas atomos certo pondere præditas eſſe aſſeruerunt; Honoratus Fabri & multi ex Eclecticis dicunt corporibus divinitus innatum eſſe talem motum, per quem ferantur verſus terræ centrum, uti antiquiores ſinceriori expreſſione ignorantiam ſuam prodiderunt, quando hunc motum derivarunt ab appetitu & inſtinctu naturali corporum ad centrum terræ; recentiores qui hunc nodum Gordium ſolvere ſperant per craſſam petitionem principii provocant ad æternas divinas deſtinationes, ſive voluntatem divinam; quidam comparare volunt terram cum magnete, quaſi corpora ad ſe traheret; alii hunc motum aeri, nonnulli ætheri adſcribunt, adeoque valde inter ſe diſceptant.

§. LIII. Equidem hunc motum deduco & demonſtro ab externo aeris motu, qui athmoſphæricus eſt & undique globum terraqueum ita comprimit; quo circa axin ſuam æqualiter moveatur & hic compreſſorius motus communicatur corporibus ſublunaribus: hinc talia corpora, quæ e majori altitudine decidunt, effectum eo ipſo exſerunt, qui majori ponderi adſcribi debet, ſicut ejusmodi ponderoſa compresſio ex illo phænomeno, ſuperius indicato, evidenter elucescit, quando athmoſphæra Lunæ athmoſphæram Terræ efficacisſime comprimit; multum vero ad hunc motum ponderis contribuit corporum denſitas & compactior cohæſio, quæ tantum juvat, ne motus ab extra corpori ſuperveniens cito ex eodem migret & evaneſcat, ſed diutius imo copioſius in tali corpore perſiſtat; hinc aurum eſt ponderoſius quam plumbum, lithargyrium eſt gravius quam plumbum.

§. LIV. Quemadmodum hactenus multiplices conſiderationes de motu expoſitæ fuerunt, ita ultimo adhuc loco previbus agendum erit de *Motu Siderum*, quæ disquiſitio cum rectius Aſtronomica, quam Phyſica ſit, ita in fundamentalibus tantum ſuis circumſtantiis erit commendanda; inter hæc ſidera vero principem locum tenet *Sol*, qui propter eximias ſuas virtutes & qualitates ab Ethnicis divino honore celebratur; *conf. Joh. Franciſc. Grandis Diſſ. de variis Dei nominibus Soli attributis*; eſt vero Sol corpus igneum & actu flammeum, quod juxta Scheineri, Kircheri, Marii aliorumque obſervationes tanquam mare flammeum ebulliens conſpectum fuit & hoc corpus non modo ſingulos planetas & terram, ſed & innumeras ſtellas illuminat, proinde etiam efficaciam ſuam calefacientam, exſiccantem & illuminantem quaquaverſum dispergit, de cujus diſtantia a terra & magnitudine Aſtronomi in infinitum diſcrepant & litigant; quod vero illius motum attinet, tunc in Aſtronomia vulgo conſtant ſyſtemata

mundi,

mundi, quæ circa Solis & terræ motum verſantur, inter illa jam eviluerunt Ariſtotelicum, Platonicum, Ptolomaicum & locum obtinuit Copernicanum, in quo Sol habetur pro centro mundi, circa quod terra in peculiari elliptica currere & ambulare aſſeritur, hinc magis terræ hic motus adſcribitur; ſed & hæc aſſertio, quamvis præ reliquis veritati magis conſona eſſe videatur, tamen ſuas difficultates continet, ſiquidem Sol tanquam corpus igneum præ reliquis nobis cognitis ſideribus cœleſtibus maximam aptitudinem ad motum habet, ita ut illa quies, quæ juxta aſſertum Copernicanum eidem adſcribitur, admodum hypothetica ſit: & cum hoc corpus igneum immenſæ magnitudinis exiſtat, ita ſub motu ſuo eo citius immenſum ſpatium implere & curſu ſuo abſolvere poteſt, cum viciſſim globus terraqueus non ejusdem aptitudinis ad movendum ſit; interea Copernicana illa aſſertio tamdiu in poſſeſſione quaſi permanet, donec accuratius mundi ſyſtema inveniatur; quam illuſtre vero hoc eſt ſidus nihilominus ſatis ſæpe per interpoſitionem Lunæ oculis noſtris obſcuratur & Ecclipſin patitur.

§. LV. Alterum corpus & ſidus cœleſte perquam celebre eſt *Luna*, de cujus phyſica natura ſive conſtitutione curioſi & interdum etiam otioſi homines miras fabulas proponunt & eidem ex aſſertis Copernicanis, quibus etiam terra pro planeta habetur montes, variæ qualitates & maria, imo homines & bruta affingunt: quæ vero conſideratio magis ad uſum phyſicum & aſtronomicu m ſpectat in eo conſiſtit, quo lunæ motus recte commendetur, qui vel diurnus, vel menſtruus eſt, cum quo poſteriori per peculiarem ſuam irregularem eclipticam progreditur & menſtruum ſuum decurſum abſolvit, aut menſem ſic dictum periodicum conſtituit; quando vero luna e conjunctione Solis ſucceſſive digreditur, menſem ſynodicum efficit, qui diverſis lunæ phaſibus, illuminationibus, obſcurationibus, accrementis & decrementis abſolvitur, ſicut etiam cum tardiori ſuo curſu in uno ſemicirculo ellipticæ ſuæ apogæon, in velociori vero perigæum efficit: & quando Luna a conjunctione Solis ſucceſſive recedit, tunc illuminari incipit, unde mox falcata, mox gibboſa, mox plena eſt: per ſe nullum lumen habet, ſed a Sole primario, ſecundario etiam a terra illuminatur quando hæc radios ſolares eidem communicat; præterea concurſus & ita dictus influxus Lunæ in terram ſatis eſt evidens, cum non modo eximiæ alterationi a Luna provenienti obnoxius ſit vaſtus oceanus, ſed & cum varia plantarum & animalium nutrimenta ſecundum Lunæ mutationes diſcrepent, quid quod in diverſis hominibus quoad functiones vitales ſecundum differentes lunæ phaſes nonnullæ alterationes obtingunt; quas mutationes non materiali cuidam communicationi, quam potius differentiæ motus athmoſphærici & ſenſibilitati diverſæ ſubjectorum vivorum adſcribo;

neque tamen fœminæ ſuas menſtruas purgationes Lunæ materialiter influenti debent: ſic etiam fontici reperiuntur morbi, qui per lunæ mutationes exacerbantur, teſtimonio lunaticorum, denique & plenilunium obſcurationi ſubjectum eſt, quando inter Solem & Lunam ex oppoſito globus noſter terraqueus intercedit.

§. LVI. Quod reliquos planetas attinet, tunc iidem variis aſtronomicis animadverſionibus anſam ſuppeditarunt, quarum aliquot tantum annotabo ita enim *Mercurius* cum ſua Ecliptica juxta ſyſtema Copernicanum Soli proximior eſt, unde ob nimium hujus ſplendorem ipſe quaſi obſcuratur, ſiquidem alias pro obſcuriori corpore habetur: quoad reliquas qualitates ſuas Hevelius & Gasſendus de iisdem diſceptant, illius revolutio 87. diebus menſuratur: hunc ratione ordinis ſequitur *Venus*, qui planeta pro nitidiſſimo & formoſisſimo habetur, & cum Luna terræ proximior eſt, cujus Veneris lumen perinde a ſole pendet; deinde obſervarunt Aſtronomi, inprimis Hevelius, quod hic planeta inſtar Lunæ accrementa & decrementa habeat, hujus revolutio contingit intra CCXXIV dies, & hæc Venus cum Mercurio Solis comes eſt; excipit *Mars*, cujus lumen eſt ruffeſcens & quanquam Hevelius aſſerat, quod a Sole illuminetur, tamen alii peculiare lumen eidem adſcribunt & de Sole prædicant, quod tantum Martis lumen augeat; quidam huic planetæ adſignant ignem piceæ indolis ob lumen rubicundum quod ſpargit: quidam Aſtronomorum obſervarunt in Marte maculam, quam ſcutum Martis vocant & quam nonnulli pro abyſſo explicant; quidam eidem motum circa axim, aliqui peculiares ſatellites Marti annumerant, quos tamen Hevelius negat: Rheita huic Marti calefacientem & impellentem qualitatem adjudicat, illius revolutio contingere debet intra annum & CCCXXI dies.

§. LVII. Præterea Iupiter ſequitur, cujus ſphæra eſt admodum lata, ſiquidem a terra perquam diſtat, adeoque illius revolutio XI annis & 317. diebus abſolvitur: quidam Aſtronomi in eodem obſervarunt peculiaria cingula aut ſtrias, de quibus varia ſentiunt Aſtronomi, quas opiniones Kircherus in ſuo itinerario ecſtatico proponit: ſunt qui Iovi lumen proprium adſcribunt, quoniam a Sole immenſe diſtat; alii curatius annotarunt Iovis quatuor ſatellites, quos Hevelius particulares lunas vocat: Ricciolus huic Iovi adſcribit motum vertiginis: Saturnus denique altiſſimam & latiſſimam ſphæram habet, & ſub fixis ſtellis curſum ſuum abſolvit, cujus revolutio in termino XXX annorum contingere debet: quidam eidem proprium lumen aſſignant, quoniam a Sole tantopere diſtat: aliqui obſervarunt duos laterales Satellites Saturni; multi motum circa axin de eodem prædicant, uti de reliquo Daliteus peculiares obſervationes de Saturno inſtituit: Stellarum fixarum motus eſt tardiſſimus,

de

de quibus aſſeritur, quod in toto cœli ambitu per 25920 aut ſecundum veteres per 36000 annos discurrere debeant, quem Aſtronomi annum magnum ſive annum Platonicum vocant.

§. LVIII. Non infimæ dignitatis & utilitatis eſt obſervatio concurſus aſtrorum & exinde pendentis effectus in globum terraqueum, quem poſteriorem fallacem illi prædicant, qui communem Calendariographiam cum reliqua meteorologia confundunt, imo, qui ad immenſam planetarum diſtantiam provocant & in ſubſidium ſuæ dubitationis accuſant, quod prædictiones tales non ſemper certæ eſſe obſerventur, cum tamen & hæc disquiſitio uberiori & ulteriori adhuc enucleatione & applicatione indigeat, ſicut in rebus naturalibus multis adhuc obſervationibus opus eſt: imo cum nuda planetarum diſtantia nihil impediat, quo minus ſidera illa efficacem motum communicent, imprimant & extendant, ſiquidem lumen ſuum in nos effundunt: nititur hæc meteorologia multiplici & longinqua obſervatione, unde nudæ ſpeculationes eandem infirmare non poſſunt: neque ventis ita rigoroſe primaria efficacia in mutandas tempeſtates accenſenda eſt, cum vel ipſi venti a tali planetarum conſtellatione pendeant, vel ſatis ſæpe contrarios effectus exſerant. *Conf. Stahlii Meteroſcopia.*

§. LIX. Et quamvis veteres has tempeſtatum mutationes diverſæ conſtellationi Lunæ adſcripſerint, tamen recentiores illas diverſis reliquorum planetarum adſpectibus accenſent & ſingulo planetæ eminentiorem efficaciam adſignarunt, eandemque obſervarunt; hinc Jupiter partim calidus partim moderate humidus & ex parte etiam ventoſus eſſe dicitur: Mars eximie calidus & ſiccus & talis etiam Sol; Venus humida & quantisper frigida; Mercurius nebulus & ventoſus; Saturnus frigidus & ſiccus prædicatur: a Sole Marte & Mercurio obſervatum fuit, quod aliorum planetarum efficaciam urgeant, excutiant & excitent: proinde etiam Luna, quo magis terræ proxima eſt illorum planetarum effectus promovet; quid quod inde accidit, ut tales effectus ſatis ſæpe anticipent.

§. LX. Et hæc eſt Sciagraphia meditationum & obſervationum phyſicarum, quatenus rationi & experientiæ conſonæ ſunt; & quamvis vulgo plures ſpecialisſimæ disquiſitiones phyſicæ in ſyſtematibus occurrant, tamen eædem ex hactenus traditis fundamentis & deductionibus commode hauriri poſſunt: neque quidem hæ demonſtrationes ullis ſuppoſitionibus nituntur, neque peculiaribus ſententiis & Sectis adſcriptæ ſunt, ſed unice & ſimpliciter obſervationem ſive uſum & rationem ſive intellectum pro fundamento habent, itaquidem ut nulla luxuries rationis & ratiocinationis, phantaſiæ & opinionis inter-

tercedat; proinde eædem diſquiſitiones phyſicæ exacte cum revelatione divina, quatenus ad præſentes animadverſiones ſpectat, congruunt, ſine ulla certorum principiorum, fundamentorum, præceptorum & novorum terminorum præſuppoſitione, quam nonnulli tanquam articuli fidei reliquæ tractationi præmittunt; unde hac brevi manuductione & introductione in Philoſophiam naturalem monſtro divinam omnipotentiam & ſapientiam, quæ in operibus, directionibus, effectibus & uſibus naturalibus dextre perpendenda & colenda eſt, ſiquidem omnia ſubjecta naturalia & omnes effectus connexi illam admirandam omnipotentis Creatoris oeconomiam offerunt, quam quilibet Philoſophiæ naturalis Sectator pio, ingenuo, æquo & continenti animo obſervare & Creatorem benigniſſimum etiam in regno naturæ devota mente venerari debet; qui ſicut omnium ſcientiarum humanarum ita etiam hujus doctrinæ verus, bonus & utilis reſpectus eſt atque

F I N I S.

FUN-

FUNDAMENTA CHYMIÆ.

§. I.

CHymia rationalis nimium quantum eſt diſcreta à communi Chymia pharmacevtica, quæ potius juxta uſitatum tractandi modum magis empiria quam ars, id eſt habitus cum recta ratione effectivus, nuncupari meretur: illa vero quæ rationalis dicitur Chymia infert rationalem cognitionem earum rerum, quæ in Chymia tractantur, ut ita pro hoc ſcopo & certitudo experientiæ & evidentia atque ſinceritas rationis requiratur: illa ſubminiſtrat varios actus chymicos, hæc ſuppeditat veras cauſas, per quas phænomena in chymicis occurrentia melius intelliguntur & planius explicantur.

§. II. Quam digna & celebris vero eſt hæc Chymia rationalis, tam rara tamen illa exiſtit, ita ut plurimi in Chymiam merè experimentalem induſtriam atque laborem direxerint; rationalem vero cognitionem phænomenorum pro nuda & otioſa theoria agnoverint, cum tamen hæc notitia cauſarum in experimentis chymicis eò magis phænomena occurrentia confirmet atque illuſtret; ſubinde etiam Chymiam verè artificioſam reddit atque à cœcis tentaminibus & frequentibus aberrationibus præſervat, adeoque animam quaſi Chymiæ conſtituit.

§. III. Quanquam vulgo Chymia pro principali artis medicæ parte declarata conſtet, ita ut juxta Neotericorum arbitrium fundamentum medicinæ efficere debeat, tamen eadem non ita directè arti ſanandi ſuccurrit, quin rectius eminus circa ſubjecta artificioſe demum applicanda occupata videatur, quibus vel concinnam formulam, vel concentratam conſiſtentiam, vel majorem efficaciam inducit, quoniam antiquitas magis diffuſis & hac ipſa mole adverſis formulis ordinandis laborioſa deprehenditur; interim negandum minimè eſt, quod ſub tali chymica alteratione non raro eſſentialis horum ſubjectorum conſtitutio admodum invertatur, adeoque ex accidenti qua-

litates quædam iisdem concilientur, quæ haud ita vitalitati & ſanitati ſuccurrunt, quam ſi prima genuina indoles operoſa chymica tractatione non alterata fuerit.

§. IV. Ad medicam artem præcipue Chymia pharmacevtica deſideratur, quæ corpora reſolubilia & combinabilia ad uſus artificioſos & medicos diſſolvere & combinare adeoque præparare docet; proinde ars medica hæc ſubjecta juxta obſervatas ſuas generales vires demum ad ſecuros effectus ordinat: ſed quo talibus corporibus illa aptitudo concilietur, per quam uſibus medicis reſpondere queant, propterea ipſi actus, aut operationes Chymiæ ſunt illud medium, per quod ſubjectis medicamentoſis convenientes alterationes inducuntur: hi actus Chymiæ præterea exercentur per ſolennia illa inſtrumenta materialia naturalia, videlicet per ignem, aërem, aquam & terram, cum quibus inſtrumentis porro certæ qualitates relativæ in ſubjectis obviæ fiunt, ut quoad Ignem volatilitas, fixitas, inflammabilitas, fuſibilitas, evaporatio, ſublimatio, deſtillatio, Calcinatio, Incineratio, digeſtio, Vitrificatio &c occurrat; quoad Aërem Regeneratio, Reſolutio, Deliquatio, exſiccatio, exhalatio & ex parte etiam fermentativa commotio obtingat, omiſſis illis aſtralibus metamorphoſibus: quoad Aquam Elutriatio, Elixatio, Depuratio, Diſſolutio & Fermentatio, & denique quoad Terram notabilis Genealogia Salium in foro chymico obſervari debeat.

§. V. Et ita quidem è ſingulis effectibus atque productis palam eſt, quod exquiſite medicam utilitatem Chymia non involvat, ſed rectius ad phyſicam practicam, imò juxta communem conſtitutionem ad empiriam phyſicam ſpectet, quoniam omnis notitia præparandorum diverſorum ſubjectorum chymicorum nondum includit vel adhibendi modum, vel eorundem fidam & probatam efficaciam: in quantum pro utilitate medicinæ Chymia inſervit, in tantum pauca producta ſubminiſtrat; reliqua vero magis curioſitati, quam ſalubritati vitæ humanæ reſpondent, ſicut ipſa oeconomia vitæ animalis plus per ſimplicia, quam per ſpecioſa & arte facta ſublevatur, quapropter ipſa plebs paulo curatius medicorum fatis attenta, juſte metuit illos, qui chymicis ſubjectis diſtribuendis frequentius ſtudium applicant.

§. VI. Admiratione omnino digna eſt obſervatio, cur priſcorum medicamentorum curationes ſimpliciores magisque ingenuæ fuerint, licet inter illos morbi periculoſiores occurrerint, cum contra recentiores cum benignioribus ſuis morbis & prodigioſis arcanis admodum infelices reperiantur! exinde meritò colligo, quod antiquorum ſimpliciora remedia maioris utilitatis extiterint, quam Neotericorum miraculoſa producta, quæ valde alterata & adulterata ſunt; neque propterea veteres omni chymica notitia deſtituti conſpiciun-

ſpiciuntur, licet illorum ſapientia & dexteritas ſeſe ultra ſuccos & ſalia præparanda non parum extenderit; à duobus demum ſeculis vero increbuit curioſitas hominum, quo Chymia operoſius exercita & exculta fuerit, licet ſub multis confuſis ſucceſſibus, unde inter illos chymicos, qui primum ad talem curioſitatem animum applicuerunt, tot irreſolubiles obſcuritates, tot allegoriæ, tot metaphoræ, tot ænigmata & tot hyperboliæ occurrunt.

§ VII. Etymologia Chymiæ non tam à Chamo, quam potius à chymo ſucco petenda eſt, quoniam veteribus & in probata experientia celebribus Medicis ſuccus ſubjectorum præſtantiſſimum unquam præparatum extitit, ut juxta hunc ſenſum Chymia ſit ars producendi ex certis ſubjectis quod eſt optimum i. e. utile, ſalutare & ſucci nomine dignum, aut quæ docet impura à puris ſeparare, ita quidem, ut productum ſit ſimplex & utile, quia veterum ſucci haud per multam artem præparabantur: minus congrue etiam Chymia à fuſione derivatur, cum ars fuſoria longe minimam partem in chymia efficiat.

§. VIII. Eſt itaque Chymia juxta proprium & realem ſenſum ars Syncriſeos & Diacriſeos, mediante qua apta ſubjecta reſolvuntur & reſoluta iterum combinantur, adeoque in novis certis productis offeruntur, quorum quædam curioſitati, aliqua utilitati inſerviunt, licet ſub reliqua juſta applicatione eadem producta ad indagationem naturalium corporum & qualitatum nec non ad ætiologiam rationalem phyſico-Chymicam ſtabiliendam omnino inſerviant: & cum hac Chymiæ deſcriptione conſentit illa famigerata appellatio artis Spagyricæ, quæ non alia eſt, quam quæ circa reſolutiones & combinationes corporum verſatur.

§. IX Dum vero Chymia per effectus reſolutorios & combinatorios laborioſa eſt, ita minime acquieſcit in colligendis ſubjectis reſolutis, ſed potius in combinatis productis demonſtrandis operoſa obſervatur, quoniam corpora reſoluta, arti chymicæ ſubjecta, mox in novam aliquam congregationem abeunt, neque ita ſimplicia & concentrata aſſervari & demonſtrari poſſunt, cum propter ſubtilem ſuam conſiſtentiam reliquam curam & induſtriam artificialem ſupterfugiant; unde fruſtraneus eſt labor, ſi tot oſtentationibus Chymia promittit genuina & ſimplicia principia ſulphurea, ſalina & mercurios aut elementa ſubjectorum, alias arti Chymicæ ſubſervientium, quoniam nullibi in poteſtate artificis eſt, materias elementares extra mixtionem colligere tanto minus ſenſibus externis offerre.

§. X. Quo magis Chymia rationalis methodo probata atque ingenua exhibeatur, eo minus neceſſe eſt diffuſis præceptis & eſſentiarum indagati-

onibus operam dare, ex quo utroque ſtudio tum ſuperficietenus didactico, tum minus experto phyſico non niſi ſuppoſitiones dubiæ atque vanæ prodeunt: præſtat rectius obſervare relationes & habitudines principiorum ad ſe invicem, aut rerum diſſolvendarum & combinandarum habitum eſſentialem ex quo varia phænomena & diverſi effectus producuntur, quibus rite comprehendendis & debite applicandis poſtea artifex inhærere debet.

§. XI. Sunt itaque ſubjecta Chymiæ non niſi corpora mixta & compoſita quatenus reſolutionibus & combinationibus futuris obnoxia ſunt, dum è compoſitis & mixtis ſimplicia & ex hiſce mox iterum mixta & compoſita generantur: & cum ſecundum ordinem procedendi primario Chymia verſetur circa reſolutiones, propterea eadem in principali ſuo officio minime occupatur circa corpora ſimplicia, quæ ulteriorem reſolutionem reſpuunt, neque chymicis inſtrumentis obtemperant, ſed quæ ſubjecta ſimplicia vel mox aufugiunt vel mox in nova mixta & compoſita coëunt, quare diacriſis eſt fundamentum ſyncriſeos & in Chymia certus & verus evadit ille canon, quod diacriſis tranſeat in ſyncriſin & ſyncriſis iterum abeat in diacriſin.

§. XII. Naturalia itaque ſunt corpora, quæ Chymiæ ſubjacent & quæ primum ſub diverſo ſchemate aggregationum offeruntur; deinde præmiſſa reſolutione vel ſimilis nova aggregatio vel ob additamentum aliorum ſubjectorum diverſa combinatio provenit: nullum itaque commercium habet Chymia cum ſubjectis vivis, ſtructis & ordinate textis, utpote quam exquiſitam ſtructuram illa non æſtimat, ſed perinde curat ac craſſum & rude fruſtum fuerit, hinc rectius circa mixta & aggregata corpora, in certis fruſtis obvia & chymicis actibus ac inſtrumentis obtemperantia, verſatur.

§. XIII. Et hæc corpora mixta quidem non æque craſſis manibus tractari & diſſolvi poſſunt, ſed potius indigent ſubtilioribus inſtrumentis, perinde materialibus, quæ illa penetrare & è ſuo priſtino nexu diſſolvere debent; hinc circa Chymicam corporum reſolutionem minime vel communis phyſica vel ſubtilis matheſis verſatur; illa enim tantum hæret in ſuperficiali aggregationum reſolutione & ad mixtionem non pertingit; hæc vero tantum abſtractivè & mentaliter dividit corpora, cum Chymia non mentalem diviſionem præſupponat atque involvat.

§. XIV. Fruſtra itaque nititur Chymia rationalis neque ad utiles ſcopos pertingit, ſi mathematicis illis ſubtilitatibus intenta eſt & ex iisdem producta invenire & commendare laborat: etenim è fundamentis matheſeos dantur diviſiones in infinitum, quales olim Peripatetici ſtrenue aſſeruerunt, Democritei vero philoſophi maſculè ſemper refutarunt: interim applicatio-

nes

nes chymicæ ad lineas mathematicas & partes extra partes Ariſtotelicas directæ, deſtituunt omnem ſpem tum rationalis, tum probatæ operationis & tantum mentalia artificia & abſtractas chimæras non vero alia producta & proficuas materias promittunt.

§. XV. Fruſtraneum etiam erit conamen operationes chymicas ad exquirendas, reſolvendas, ſeparandas, colligendas & indagandas primas corporum eſſentias, aut quod adhuc magis eſt ad rerum ſeminia proſequi, cum tam phyſico, quam chymico conatui ſemper hi conceptus occulti erunt, dum ad primas materias ſeorſim obſervandas non facile aditus patet, unde rectius ſubjecta chymica in mixtionibus & craſſis aggregationibus perquirenda erunt, in quo ſtatu paulo magis ſenſui & uſui obnoxia ſunt, ſiquidem viciſſim reliquæ ſubtiliores conſiderationes & defectum theoreticum & practicum involvunt.

§. XVI. Interim Chymiæ rationali artificioſæ & fructuoſæ ſubjecta ſunt corpora è triplici regno naturæ petita & quidem talia, quæ vulgaribus inſtrumentis chymicis obtemperant, adeoque reſolvi, iterumque conjungi poſſunt, licet ſeorſim talium corporum ſpecialem texturam ars Chymica non attendat, quin rectius hanc ordinatam compoſitionem, in certis ſtructis corporibus occurrentem, deſtruat & in inordinatam molem convertat: & ſub horum corporum tractatione varios uſus tam medicos, quam mechanicos & qui hiſce ſubſerviunt, acquirit, ſiquidem imprimis illa chymia, quæ operationes & producta ſua in commodum artis medicæ dirigit *Chymiatricæ* appellationem nacta fuit: altera vero, quæ civilibus uſibus ſubſervit & circa metallorum diverſam tractationem occupatur, præprimis *Metallurgiæ* nomine venire ſolet.

§ XVII. Proinde Chymia in diverſas quaſi ſectas vulgò diſtributa conſpicitur, ſiquidem alio nomine ſalutatur *Alchymia*, quam ex opinione quadam varii illis operationibus dicant, quæ pro auro conficiendo & multo lucro acquirendo operoſa eſt, licet vi vocis etiam de operationibus chymicis per ſalia adminiſtrandis accipi queat: alia dicitur *Spagyrica*, de qua ſupra dictum fuit: alia *Hermetica* à ſuo inventore; alia Adeptis & Artiſtis adſcribitur, alia Galenica, Paracelſiſtica &c. vocatur, quæ pro diverſitate ſuorum objectorum ita diſtinguitur.

§. XVIII Neque incongrue totus Chymiæ tractus atque campus diſtinguitur in *Halotechniam*, quæ cum ſalibus diverſæ eſſentiæ & ſubtilitatis procedit: deinde in *Zymotechniam*, quæ veram conſtitutionem ſubjectorum, fermentativis commotionibus obnoxiorum, exponit: & ſubinde varia producta

ducta ex hoc opere fermentationis provenientia ſignificat & explicat; denique in *Pyrotechniam*, quæ à potiori ſuo inſtrumento activo hanc appellationem nanciſcitur & verſatur circa corpora ſolida præcipue ſubterranea reſolvenda, extrahenda & in diverſa producta convertenda, imprimis juxta vulgarem ſtylum Chymicorum occupatur circa ſalia, ſulphura & famoſos Mercurios metallorum: & hoc ordine etiam placet præſentem noſtram chymiam tractare.

§. XIX. Et in quacunque tali parte Chymiæ eximia ſuppetunt inſtrumenta, mediantibus quibus artifex operationes ſuas perficit: quædam horum inſtrumentorum magis activa, alia vero magis paſſiva exiſtunt: priora ſunt *Ignis* & *Aer*, quæ ad eximias alterationes inducendas admodum conferunt & quidem tali promptitudine, qua alia haud compari efficacia ſubveniunt: hæc enim reliqua invadunt, diſſolvunt & ad ulteriores uſus aptant: alterius claſſis inſtrumenta ſunt *Aqua* & *Terra*, quemadmodum ultima ſubſtantia adhuc prævia attenuatione indiget, donec ad ulteriores uſus activos in Chymia adhiberi queat; interim eadem utplurimum prioribus principiis & inſtrumentis activioribus & efficacioribus ſubjacet.

§. XX. Dum vero actus phyſici & Chymici ordinem juſtum atque nexum tam ſua ſponte quam in didactica methodo ſervant & inferunt, ita primus labor erit noſſe principia, è quibus ſubjecta mixta reſolubilia & combinabilia conſtant: deinde intererit intelligere verum ſtatum atque proprias qualitates mixtorum & mixtionum; denique neceſſarium erit rationabiliter judicare de reliquis corporibus compoſitis & aggregatis & quomodo eadem viciſſim recte tractanda ſint, quo in mixtiones & elementares ſubſtantias, quidquod in nova corpora mixta & aggregata convertantur: quippe qui circulus operationum chymicarum nititur rationabili illo intellectu relationis corporum & qualitatum ad ſe invicem: & ſecundum hanc animadverſionem jam paulo propius accedo ad chymiam rationalem explicandam.

SECTIO I.

CAPUT I.

DE PRINCIPIIS CORPORUM MIXTORUM.

§. I. In

§. I.

IN ordine naturæ actus primæ combinationis incipit à Mixtione, tranſit in Compoſitionem & denique deſinit in Aggregatione: omne mixtum corpus vero conſtat è certis primigeneis & ſimplicibus materiis, quarum antea verum ſenſum phyſicum atque chymicum intelligere ratio requirit: quemadmodum corpora mixta in ſe ſpectata valde ſubtilia ſunt & ferme plurimum ſenſus externos, præcipue viſum fallunt & fugiunt, ita tanto magis principia horum mixtorum extremè ſubtilia ſunt, neque craſſo ſenſu percipi poſſunt, quin potius per ſanam rationem intelligendam explicanda & applicanda erunt.

§. II. Dicuntur generico quodam ſignificatu principia corporum mixtorum illæ materiæ ſimpliciſſimæ, extra omne connubium poſitæ, homogeneæ, eſſentialiter quidem differentes, ſed indiviſibiles, ſive ut vulgo vocantur individuæ, quarum quælibet ens unum & ſimplex conſtituit: & ex ejusmodi materia ſpecie diſtincta atque numeroſiori demum fit corpus mixtum, qualis progreſſus in ordine naturali non datur alius, niſi ut ex hiſce ſimpliciſſimis primordialibus materiis prodeant corpora combinata, quæ viciſſim reſoluta redeunt in illas materias ſimpliciſſimas, ut ita recte philoſophi unquam effati fuerint, quod principium ſit id, ex quo quid fit & in quod iterum redit.

§. III. Principia corporum ſtylo Ariſtotelico dicuntur Elementa, Democriteo vocantur atomi, Carteſiano nominantur primæ materiæ, in qua diverſa appellatione diverſus etiam hæret ſenſus: Peripatetici ſua principia ad certum numerum & cardinalem quaternionem adſtrinxerunt, dum Ignem, Aërem, Aquam & Terram pro primordiali materia omnium corporum mixtorum & compoſitorum agnoverunt & ſtabiliverunt; interim in eo mirum in modum hæſitarunt, dum genuinam diverſitatem horum principiorum minime vel intellexerunt, vel expoſuerunt, ſed tantum ſuppoſuerunt in igne viſibili eſſe elementum igneum, quale vero id ſit & quæ diverſitas inter ignem & aërem intercedat, altum inter ipſos eſt ſilentium: Democritei dixerunt: principia rerum eſſe innumera, ſed in qualibet ſpecie eſſentialiter diſcreta indiviſibilia tamen minime infinita, unde hi philoſophi prioribus exquiſite & meliori ratione contradixerunt, quorum tractatio de primis corporum principiis magis uſibus practicis quadrat, cum Peripateticorum ſententia de elementis magis uſibus ſpeculativis inſerviat: quod denique Carteſii materias triplicis elementi attinet; illæ magis exercitiis phantaſiæ, quam ſolidis demonſtrationibus & realibus applicationibus reſpondent.

§. IV. Hæc principia corporum conſtitutiva non ſatis chymicis philoſophis idonea & ad aſſerta ſua apta viſa fuère, unde pro uſibus preſſius chymicis tria principia principalia ſtatuerunt, videlicet *Sal*, *Sulphur* & *Mercurium*; & cum in triplici hac ſpecie aliquem defectum obſervaverit Williſius, ita ipſe addidit Aquam inſipidam ſive Phlegma: proinde alii philoſophi chymici annotarunt, quod hæc principia ad uſum chymicum inventa, non alterius indolis ſint, quam quatuor elementa Ariſtotelica, ſiquidem ſal nihil aliud eſt, quam terra ſicca, ſulphur denotat ignem ſive elementum illud inflammabile, volatile: Mercurius conſiſtit in fluido illo volatili ſive aëreo principio, & quia aqueum elementum in Ternario illo Chymicorum deficit, propterea addidit prædictus Williſius Phlegma.

§. V. Quanquam non exiguus defectus in hac ſententia philoſophorum & Chymicorum, quoad fundamentalem explicationem & ſic dictam theoriam occurrat, tamen licebit adhuc quantiſper illorum partes aſſumere atque defendere, modo ſub congrua interpretatione mentem evidentiorem ipſis imponere conveniat: ita enim peripatetici in exiguo elementorum numero multis aliis diſtractionibus occaſionem haud præbuerunt, ſed pro compendioſiori theoria & phyſica & chymica conficienda allaborarunt: modo ſubtiliores eorundem ſpeculationes, circa eſſentias rerum & reſolutiones in infinitum occupatæ, non ſolidioribus reliquis animadverſionibus immiſceantur: deinde chymicorum principia ad minimum ſubſtantias exponunt elementares, quæ in ſubjectis horum nominum largius & evidentius inveniuntur, ut ita non ad alia incognita ſubjecta confugere neceſſitas poſtulet, ſed in magis cognitis ſubjectis elementa ſua deſcribere & in ſublimiores conceptus haud convertere cooperati ſint.

§. VI. Et ita corpora mixta plurima hactenus dictorum principiorum materialium includunt, quæ ad materialem eorundem conſtitutionem eſſentialiter contribuunt, ita ut eorundem ſpecificam cohæſionem ingrediantur, & ad diſcernenda illa corpora quoad ſpecies abſolute inſerviant: id ipſum præcipue valet de principio Salino, Sulphureo & mercuriali ſive terreo, aqueo & igneo: & quamvis non in omnibus corporibus mixtis ſingula hæc principia comprehenſa reperiantur, tamen de iisdem aſſero, quod ad conſtituenda mixta ſubjecta eſſentialiter pertineant, ſiquidem Mercuriale intricatum illud principium omnibus metallis eſſentialiter adeſt: Sulphureum principium eſt quaſi anima corporum mixtorum: & Salinum vel actualiter vel potentialiter terreis ſubjectis mixtis inexiſtit, ita ut terra in Sal converti queat & ſalinum principium non alterius, quam terreæ eſſentiæ exiſtat.

§. VII.

§. VII. Quando de hiſce principiis dictum fuit, quod ad conſtituenda corpora mixta eſſentialiter ſpectent, tunc quæſtio phyſico-chymica occurrit, an principium aëreum corporum mixtiones ingrediatur? reſpondeo negative & pro evidentiori aſſerto dico, quod nullum ſubjectum mixtum chymicum aërem ita ingrediatur, ut illius mixtionem eſſentialiter conſtituat: non quidem nego, quod aëreum principium fortuito corporibus mixtis interfluctuet, attamen non niſi ſuperficialiter & extra omnem cohæſionem, quoniam aëreum elementum in nullam aggregationem tranſire poteſt, in quam viciſſim & mercuriale & ſulphureum magis proclive exiſtit; unde aër reſpectu ſubjectorum chymicorum reſolvendorum & combinandorum activum inſtrumentum materiale conſtituit; quando vero eadem ex accidenti & minime per eſſentiam ingreditur, tunc paſſivum quoddam ſubjectum efficit.

§. VIII. Uti multiplices ſunt ſententiæ, quæ de principiis corporum diſſerunt, ita variæ earundem magis ſpeculativæ & metaphyſicæ ſunt, quam reales & applicabiles: ad illa aſſerta, quæ potius obſcuris & inutilibus phyſicorum & Chymicorum myſteriis accenſenda ſunt, etiam hæc commemorari debent, quando quidam pro primis ſubjectorum chymicorum principiis agnoſcunt primam materiam cœlorum, ſtellarum Ariſtotelicam, quam cum diverſis formis rerum adventitiis & intricatæ geneſeos confundunt: neque ad uſus practicos quadrat aſſertum, quo alii ſpiritum univerſi pro principio corporum elementari agnoſcunt: alii principia mixtionis eſſe ſtatuunt terram, oleum & aquam, alii viciſſim Sal, oleum & ſpiritum, quidam ſupponunt duo principia eſſentialia, velut ſulphur & ſal & duo accidentalia, ut Terram & Aquam, ut ita facile liqueat, quomodo juxta diverſorum arbitrium ariſtotelica principia in varium modum atque modulum converſa & immutata fuerint.

§. IX. Quam multiplex hæc eſt philoſophorum & chymicorum ſententia, circa corporum mixtorum principia occupata, quæ tamen ſatis ſæpe in nuda theoria conſiſtit, ita contra ad uſus practicos & reales potius inſervit Beccheri doctrina de principiis ſubjectorum Chymiæ ſubterraneorum, quæ nomine triplicium terrarum aut lapidum exponit. Per primam itaque terram intelligit matricem, hypoſtaſin & receptaculum reliquorum principiorum conſtitutivorum, ſine qua terra reliqua principia in nullam mixtionem & aggregationem tranſeunt, neque corpus quoddam ſubterraneum efficiunt; unde in hanc terram reliqua principia immerguntur & varia ſubjecta offerunt, quæ ipſa terra viciſſim fertilitatem mineralem in ſubjectis denotat, ita ut per eandem omnes reliquæ utiles materiæ connectantur & viſui & uſui offerantur,

tur,

tur, quæ interdum eſt fuſilis & vitreſcibilis, interdum in calcem convertitur, aliquando plane incombuſtibilis eſt: & hæc eſt aptiſſima illa materia, quæ licet non ipſa ſit metallica, tamen pro metallo conſtituendo abſolute neceſſaria eſt, quando tale ſubjectum in genuino mixto & aggregato ſtatu demonſtrari debet.

§. X. Ratione ordinis excipit ſecunda Terra ad mentem Beccheri alterum principium ſubjectorum mixtorum tum phyſicis tum chymicis uſibus inſervientium & hæc terra vulgò vocatur pinguis ſive juxta aliorum mentem unctuoſa: hæc nihil aliud conſtituit, quam principium alicujus corporis mixti inflammabile, per quod illud corpus deflagrationi & ignitioni exponitur & ſubinde cum terra primi ordinis congreditur, ſed fluidior & ſubtilior exiſtit: præterea priori terræ inducit colorem, illiusque tractabilitatem adjuvat: proinde vel in ſolida conſiſtentia reperitur, vel nonnunquam aquis combinatur, vel in fumo fluctuat: minime tamen craſſum ſulphur efficit, licet in tali ſulphureo corpore largiter inexiſtat, attamen in eodem cum pluribus imprimis ſalinis materiis coaleſcit: & hoc principium Φλογιςὸν ſive inflammabile in Pyrotechnia, Metallurgia & Docimaſia ferme principaliorem attentionem meretur, mediante quo ſubjectis corporibus mixtis & compoſitis variæ alterationes communicantur: & hæc terra perinde tam in minerali quam vegetabili & animali regno reperitur.

§. XI. Tertium principium perinde juxta mentem Beccheri terris ſive lapidibus ſuis elementaribus accenſetur & pro maxime fluido atque ſubtili mercuriali corpore exponitur: ſed hæc terra præ reliquis maxime eſt intricata atque obſcura, licet tamen realis, vera & quoad eſſentiam ſuam diſtincta exiſtat, propterea eſt cujuslibet ſubjecti mixti principium ſpecificum, quod corpora quoad eſſentias diſtinguit: & hæc terra mercurialis, licet fluida ſit, tamen ſicca eſt, quæ quo purius & intimius cum reliquis terris miſcetur, eo nobilius præbet productum & vice verſa; attamen illa minus facilè in homogenea ſua indole colligi poteſt, quia ſubtilitate ſua reliquas terras ſuperat, interim quandoque in mineralibus deprehenditur ſuperficialius cum terra primi ordinis conjuncta, cui mixto corpori, ſi terra ſulphurea intercedit, tunc ſubminiſtrat cauſam geneſeos veri & genuini metalli: minime vero per hunc mercurium corporum indiſcretim in omni ſubjecto palingeneſia illa famoſa inſtitui poteſt, quemadmodum fruſtra ſpeculatores quidam mediante hac terra vegetabilia & animalia regenerare & producere promiſerunt: de reliquo inter chymicos Paracelſiſticos & Helmontianos cum famoſo

moſo Alkaheſt hæc mercurialis terra producitur, quæ juxta Beccheri mentem ſtatuitur eſſe ſpecialis ſubſtantia, ſulphurea, volatilis ſalini principii.

§. XII Et hæ terræ abunde ſufficiunt ad ſubjectorum mixtorum, in diverſo regno naturali occurrentium, tam theoreticam quam exacte practicam explicationem & applicationem: è quorum principiorum diverſo coalitu varia corpora mixta prodeunt, unde quidem primæ & ſecundæ claſſis terra aliqualem convenientiam habet, quæ videtur omnibus perfecte mixtis corporibus communis eſſe; tertia vero terra mercurialis quantiſper tenuitate ſua diſcrepat, licet de reliquo eximium eſſentiale diſcrimen intercedat: & ita quidem evenit, ut hæc principia interdum intimius interdum laxius, nonnunquam copioſius, aliquando parcius, quandoque ſimplicius & nonnunquam cum aliis impuritatibus inquinata commixta deprehendantur, atque hac ratione ſub diverſa aggregatione tam ordinata, quam inordinata varias corporum ſpecies ſubminiſtrent.

§. XIII. Et quanquam hæc principia omnino realia & exiſtentialia ſint, ſubinde etiam per eſſentiam diſcreta & in omnibus ſubjectis mixtis vel ſingula, vel illorum aliqua, deprehendantur, tamen ita ſeorſim colligi, aſſervari & demonſtrari non facilè poſſunt, quia illorum ſubtilitas omnem illam manualem tractationem eludit, quæ ad ſingularem illorum collectionem neceſſaria eſt, quare eadem principia ſubjacent effectibus reſolutoriis, qui mox in novos combinatorios tranſeunt, niſi magnus eorundem numerus diſſipetur & aliorſum transferatur, ob id juxta ſuperius inculcatam annotationem vana eſt oſtentatio & ſpecioſorum alchymicorum aſſertio atque promiſſio, quaſi eſſentialia & ſingularia corporum principia ſigillatim demonſtrare valeant.

§. XIV. Hæc principia eſſentialiter contribuunt ad conſtituenda illa ſubjecta certis ſpeciebus diſtincta & uſibus chymicis inſervientia, videlicet ad ſalia mixta & compoſita ac diverſæ tenuitatis, ad ſulphura perfecta & ad metalla ſive genuino nomine dicendo ad mercurios: quod itaque ſal attinet, illud in uſu chymico eſt corpus mixtum, conſtans è terra ſubtiliata & cohærente aqua, ſiquidem hæc ſalis eſt primaria qualitas, ut in fluorem redigi, aut in aquoſitatem recipi, ſolvi, liquari queat; ex ſola vero aqua nullum ſal generatur, neque ex ſola terra ſal genuinum demonſtrari poteſt: proinde tale ſal differt & eſſentia ſpecifica & ſubtilitate, aliud eſt acidum & vel minerale vel vegetabile, aliud alcalinum ſive lixivioſum, quod plurimum de proſapia vegetabilium ſubjectorum eſt, unde etiam ſuam denominationem tenet: porro aliud ſal eſt per ſe corroſivum, aliud ſub certa compoſitione

 poten-

potentiorem corroſivitatem obtinet: aliud ſal eſt fixum, aliud volatile, aliud eſt pingue & de indole ſubſtantiæ oleoſæ atque ſulphureæ participat, aliud ſal denique arte paratum eſt mediæ conſtitutionis: ex quibus ſingulis patet, quod modo ſalinum ſubjectum mixtum ſit: alibi vero compoſitum.

§. XV. Alterum chymicorum principiorum ſulphur audit, quod quidem in genuina ſua ſubſtantia non eſt principium, ſed principiatum, neque eſt nudum mixtum, ſed compoſitum, conſtans è principio terreo, ſalino acido, maxime fixo, ſed in volatilitatem proclivi, ut & inflammabili & hoc quidem ſatis copioſo, in qua conſiſtentia largo ſatis apparatu reperitur in corporibus mineralibus & ita dicendis ſubjectis decompoſitis, quamvis eſſentiale illius principium, quod inflammabile eſt, extra craſſi ſulphuris conſiſtentiam innumeris aliis ſubjectis inexiſtat, & ad illorum genuinam cohæſionem conſervandam non parum contribuat, quod imprimis valet de corporibus mineralibus, ſicut viciſſim in animali mixtione illud principium magis ad deſtructionem ſubjecti quadrat: interim etiam ſubjectis mineralibus copioſius & ultra juſtam proportionem additum non parum eorundem tractabilitatem alterat & loco congruæ ductilitatis magis adverſam friabilitatem iisdem inducit: magnæ interim exiſtimationis eſt ſulphur genuinum inter phyſicos & chymicos, adeoque pro principio activo materiali æſtimatur & declaratur: de reliquo hoc ſulphur ſimplex modo in ſubjectis metallicis, modo in ſimplicioribus terreis, modo etiam in aqueis deprehenditur.

§. XVI. Tertium principium Chymicis uſitatum præbet *Mercurium*, ubi minime hoc loco ſermo eſt de Mercurio corporum ſive metallorum, neque de Mercurio Philoſophorum, ſed de Mercurio vulgari, videlicet fluida illa ſicca & ſplendida ſubſtantia, valde mobili propterea que in igne Volatili, vulgò argenti vivi nomine veniente: & hoc ipſum quidem ſubjectum in hac viſibili ſua conſiſtentia eſt compoſitum conſtans ex terra & illa ſpecialiſſima materia, Mercurii characterem continente, unde corpus eſt ponderoſum, ſed in tantum ab aliis terris diſcretum, in quantum eximia mobilitate gaudet; manet tamen perpetua illa vexatio chymica, quod ſpecialis indoles hujus ſubjecti deſcribi haud queat, niſi differentem illius eſſentiam ex variis circumſtantiis artifices agnoſcant: communicatur interim ad eſſentialem conſtitutionem in elementari ſua indole ſubjectis ſubterraneis metallicis, alias verò in hac cruda ſua conſiſtentia vel nativus vel virgineus reperitur vel ex certis mineris ſeparatur, ubi etiam in hac conſtitutione ita rectificari & emendari poteſt, ut pro variis experimentis miros effectus edat.

§. XVII. In chymia dogmatica ad uſum practicum ducenda confert

hæc

hæc principia magis in ſtatu concreto, quam ſimplici & abſtracto annotare & applicare; ſiquidem operationes chymicæ in ſeparandis talibus principiis efficaces quidem ſunt, ſed in colligendis illis non ſatisfaciunt, proxime vero in ordine phyſico & chymico ad ſubjecta mixta ſubminiſtranda contribuunt, ut ita in principiis hiſce recte dignoſcendis ſimul actus illi inſtrumentales ſive operationes chymicæ, nec non ipſa corpora mixta condigne perluſtrari & conciliari debent.

CAPUT II.
DE MIXTIONE PHYSICO-CHYMICA.

§. I.

QVando ordinem motuum ad proportiones & generationes corporum pertinentium & concurrentium perluſtro, tunc prædicta principia corporum minime in craſſa fruſta & aggregata confeſtim coeunt, ſed ſub prima & illa quidem ſubtiliſſima combinatione in mixtionem abeunt, ita ut mixtio ſit primus & ſimplex ille actus phyſico-chymicus, quo principia ſimplicia pura diverſæ eſſentiæ, figuræ & mobilitatis primum ſubtiliter combinantur, ut pro meliori & intimiori connexione & meliori convenientia quoad figurativam ſuam proportionem corpuſculum proinde ſubtile, ſed eſſentialiter heterogeneum conſtituat, in quo principia elementaria antiquæ ſunt eſſentiæ, neque quoad primam ſuam phyſicam conſtitutionem immutata & juxta Ariſtotelicum errorem inverſa, ſed eadem; unde iterum ſeparata & divulſa hac mixtione in illam primam ſuam indolem redeunt: hinc cum hac declaratione convenit principii vulgaris philoſophica definitio, quod ſit primum & principale quoddam ſubjectum, ex quo quid fit & in quod aliquid iterum redit.

§. II. Quam ſubtilia ſunt principia corporum mixtorum conſtitutiva, tam ſubtilis etiam eſt actus, quo mediante hæc principia conjunguntur & complicantur, ex quo mox in Chymia practica demonſtrari poteſt, quod ad mixtiones generandas, propagandas & diſſolvendas non craſſæ aut fugitivæ operationes, ſed admodum ſubtiles functiones & inſtrumentales materiæ requirantur: unde ipſa mixtio, ſtatus mixtionis & corpus mixtum oculis humanis conſpici non poteſt, ſed tantum ratione percipi debet, non ut res i-

magi-

maginaria, ſed ut conſtitutio phyſica, realis, quæ ob ſuam eximiam ſubtilitatem craſſos ſenſus externos fugit: quapropter fruſtrà agunt, qui mixtiones rerum ocularibus & craſſe manualibus tractationibus & directoriis ſubjiciunt.

§. III. Sunt itaque materialis mixtionis cauſa prima illa principia proportionate convenientia & tam figura, quam magnitudine exacte reſpondentia, quæ quo magis juxta hæc requiſita conveniunt, eo firmiorem nexum acquirunt & retinent: inſtrumentalis cauſa eſt motus ab extra, hiſce principiis ſuperveniens, ab aliis commotis materiis inſultans & illa principia in arctiorem cohæſionem comprimens: formalis denique cauſa eſt exquiſita horum principiorum applicatio, complicatio & implicatio, per quam impoſterum ita cohærent, ut unum corpus conſtituant, ſed in primis ſuis ſubſtantiis nihil diſcrepent, niſi illorum principiorum prima libertas & homogeneitas per hunc inductum nexum alterata ſit.

§. IV. Sicuti mixtio in ordine phyſico primus actus eſt atque ſtatus, in quo ſubjecta materialia & coëunt & cohærent, ita facilius mixtiones oriuntur quam deſtruuntur, cum ad poſteriorem actum non modo inſtrumenta valde ſubtilia requirantur, ſed & nexus, in mixtione obvius, non tam cito dirui poſſit ac viciſſim ab extra principia ſubtilia per inſtrumenta craſſiora congregari, comprimi & in nexum aliquem redigi poſſunt; hinc in operationibus chymicis novorum ſubjectorum productiones longe facilius ſuccedunt, quam priſtinorum deſtructiones, quæ longiori mora & patientia indigent.

§. V. Eſt proinde genuina mixtionis affectio, quod arcte & bene cohæreat, licet contra in rerum univerſitate præcipue in ſubjectis animalibus mixta valde diſſolubilia occurrant: & quo mixtionis indoles magis innoteſcat, ſequentia palmaria requiſita eò ſpectant 1) quod mixta proprie ſic dicta adhuc ſint inviſibilia & non niſi in aggregato quodam corpore denique tractationibus phyſico-chymicis obnoxia fiant, 2) mixtio conſtat è primis principiis materialibus ſimpliciſſimis, ſpecie tamen diverſis & proinde figura, magnitudine & pondere diſcrepantibus, 3) interea mixta ſi non viſibilem, tamen ratione comprehendendam, figuram continent: 4) quidquod ob convenientiam principiorum conſtitutivorum intimum aliquem nexum & firmum coalitum aſſumunt, qui tam cito diſſolvi non poteſt, denique 5) mixta promptius coeunt & corpus efficiunt.

§. VI. Ipſa mixtio pro diverſitate ſuorum principiorum deinde admodum differt, dum alia eſt ſuperficialis, alia vero centralis ſive intima; prior facile

facile ſeparari poteſt ſimplici experimento, quando ſpiritus acidi ſolvunt metalla & conſtituunt ſolutionem, in qua eſt mixtio & cohæſio ſuperficialis, quæ facile cum additamento aliorum metallorum reſervari & recludi poteſt; inde etiam in talem mixtionem ſuperficialem ipſe externus aëris motus magnam efficaciam habet, cum viciſſim centralis mixtio talibus invaſionibus & alterationibus non tam facile ſubjecta ſit & hæc ipſa poſterior maxime reperitur in ſubjectis mineralibus.

§. VII. Ad mixtionem rite conſtituendam requiruntur ſubjecta diverſæ ſubtilitatis, unde non abſolutè craſſa corpora, ſed tenuia & paulo craſſiora, firmam mixtionem promittunt, neque etiam in applicatione chymica merè ſicca corpora i. e. ſolida, ſed mobilia ita dicta fluida, humida & ſicca mixtionem firmiorem efficiunt, unde v. g. ſubjecta acida concentrata in ſpiſſam & quaſi oleoſam conſiſtentiam redacta metalla non ſolvunt; ſi vero cum tantillo humiditatis fluidioris diluuntur, tunc demum ſubjecta metallica aggrediuntur: idem etiam efficit ſpiritus vini ſimplicior, qui ob craſſiorem ſuam conſiſtentiam ſubjecta reſinoſa non multum attingit, niſi ipſe antea in aliquam raritatem redactus & rectificatus fuerit.

§. VIII. Præterea mixtiones ſuperficiales utplurimum cauſa ſunt diverſorum colorum, odorum & ſaporum in productis ſubjectis; unde ita citò omnis hæc qualitas in multiplicibus ſubjectis alterari & inverti poteſt & hac ratione, quando ramenta cupri ſuperficietenus miſcentur cum ſpiritu acido, imprimis nitroſo, conſtituunt colorem cœruleum; quando vero Mars cum tali ſpiritu combinatur color fit viridis; ſi huic ſolutioni cupri cum aquaforti ſpiritus ſalis additur, tunc color fit viridis, ſi ſpiritus urinæ admiſcetur, color fit violaceus, ita etiam ſi ſolutioni Martis additur ſolutio Gallarum, color fit ater, ſi ſolutioni Lunæ aut Mercurii additur aqua, color fit albus: non minus ſi ſolutioni Lunæ in aquaforti additur Spiritus volatilis, varius inde emergit odor: denique alius ſapor eſt ſolutionis cupri in aquaforti, alius Martis in hoc menſtruo & ita ſuperficiales tales mixtiones contribuunt ad diverſitates colorum, odorum & ſaporum.

§. IX. Utcunque & qualescunque etiam fuerint mixtiones ſive centrales & intimæ, ſive ſuperficiales & laxæ, tamen ubique principia continent priſtinam ſuam eſſentiam: interea in corpore mixto quaſi pro uno moventur & ſtant in aliqua unione, ſed non in unitate, ſiquidem in phyſico ordine omnes rerum eſſentiæ incorruptibiles & immutabiles ſunt; quando vero hæc principia eſſentia diverſa connectuntur, tunc non amplius primæ & homogeneæ ſuæ ſunt libertatis, ob id in nova forma, novo producto, novo ſub-

jecto & novis qualitatibus comparent; quæ conſideratio philoſophis peripateticis anſam dedit, quo immutatas & novas rerum eſſentias ſupponerent.

§. X. Quemadmodum itaque mixtio eſt principiorum materialium unio & ſubtilis atque arcta connexio, ita eadem in veriori ſua conſtitutione non melius occurrit, quam in regno minerali, in quo non tantis alterationibus fortuitis & accidentalibus illa ſubjecta eſſe deprehenditur: & quamvis in reliquis regnis æque mixtio quædam occurrat, tamen eadem per varias cauſas & circumſtantias immutata obſervatur, dum non ita genuina atque firma eſt ac in priori occurrit; quare in vera mixtionis commendatione magis ſubjecta mineralis regni producenda & explicanda erunt.

§. XI. Quod enim mixtionem Mineralem attinet, tunc illa inſtar exempli produci poteſt, quæ propter æqualitatem principiorum merè & ſtrictè terreorum maxime firma & durabilis eſt, dum ob illorum ſubtiliorem, arctiorem & intimiorem nexum aliorum inſtrumentorum ab extra inſultantium ingreſſum reſpuit, proptereaque non ita prompte & facile dirui poteſt, hinc mineralia mixta præ omni alio ſubjecto ſatis diu ſatisque tenaciter operationibus & motibus phyſicis atque chymicis reſiſtunt atque ita ipſo effectu demonſtrant, quanta in illis corporibus ſit principiorum affinitas & mixtionis bona conſtitutio, quæ propterea à potiori meretur mixtio vocari, cum reliqua laxior principiorum compages infirmitatem corporum mixtorum omni reſpectu prodit.

§. XII. Altera mixtio eſt Vegetabilis, quæ reſpectu præcedentis infirmior, propteretaque facilius diſſolutioni expoſita eſt: differt hæc à priori variis modis, dum illam eſſentialiter principium aquoſum ingreditur & per hoc reliqua principia, quantum in hac mixtione poſſibile eſt, combinantur, ſiquidem in diverſis temporibus principia ſalina illis aquoſis magis ſuperficialiter adhærent, adeoque ſubjectorum immaturitatem produnt: deinde etiam hanc mixtionem ingrediuntur principia oleoſa, quæ in præcedenti deſunt, ad minimum in hac conſiſtentia oleoſa: porro ineſt vegetabili mixtioni largus apparatus ſubſtantiæ mucilaginoſæ & quidem modo ſpiſſioris, modo ſubtilioris, per quam à priori mixtione abſolute, à poſteriori vero reſpectivè diſtinguitur: denique hanc vegetabilem mixtionem ſimul conſtituit eſſentialiter principium ſalinum, quod ad animalem mixtionem conſtituendam non pertinet, in minerali vero intimiori & ſubtiliori nexu gaudet: ſed quoniam in præſenti mixtione principia paulo largius cohærent, inſuperque ab extraneis cauſis facilius impelli & moveri poſſunt, ita effectus reſolutionis in

hac

hac mixtione eſt longe promptior magisque præſentaneus, quam in priori eſſe obſervatur.

§. XIII. Tertia mixtio, circa quam indagatio phyſico-chymica verſatur, eſt Animalis, quæ ratione ordinis ultima, ſed etiam ratione dignitatis infima eſt, quoniam magis ſuperficialis, quam intima & centralis eſſe obſervatur, propetereaque ita fragilis, infirma & corruptibilis eſt, dum partim è principiis admodum mobilibus & leviſſimo impulſui obtemperantibus conſtat, partim quia principia continet, quæ ægre cohærent, ſed ſua ſponte facile à ſe invicem diſcedunt, partim etiam quia talibus principiis carent, quæ reliqua minus convenientia paulo intimius combinare & continere poſſent: ita enim abundantia principii aquei & ſatis larga copia materiarum pinguium oleoſo-gelatinoſarum atteſtatur phyſicum noſtrum aſſertum, quod hæc mixtio ſit valde lubrica & labilis; neque hanc poſitive ingreditur principium ſalinum, quod demum è reſolutione hujus mixtionis prodit & ex attenuata terra illius generatur: ex eo liquet, quam prompte hæc mixtio motibus & effectibus diſſolutoriis obnoxia ſit & quomodo per minores motuum gradus deſtrui poſſit, ea propter etiam citius, quam reliquæ mixtiones volatiliſantur & viciſſim è vegetabili & minerali mixtione facilius ſal quoddam eminens chymico actu produci poteſt.

§. XIV. Sicut itaque juxta has deductiones & demonſtrationes mixtiones diſcrepant, ita tamen ſubinde actualibus reſolutionibus ſubjectæ ſunt, quæ diſſolutio in mixtione animali, ſi intimior eſt, putrefactionem conſtituit, in vegetabili mixtione priori gradu fermentatio, poſteriori vero perinde corruptio audit ſive putrefactio, quemadmodum mixta vegetabilia, quæ in putredinem ruunt, æque contagium quoddam conſtituunt, quod ſuam ſpeciem nimirum mixtionem vegetabilem aliam inficit, uti id ipſum etiam animalis mixtio efficit, quando in putredinem delapſa eſt: mineralis denique mixtionis intimior deſtructio in calcinatione conſiſtit vel incineratione, in qua ſubjectum priſtinam ſuam indolem amittit & in ſatis magna copia etiam in auram diſpergitur: interim è chymicis quidam occurrunt, velut Beccherus, qui mixtionis mineralis diſſolutionem, liquefactionem ſive mercurificationem vocant, quamvis hunc actum, aut rectius hoc productum, quod mercurios metallorum promittit, Rolfinckius & Kunckelius ad non entia chymica referant.

§. XV. Ad conſtituendas & alterandas mixtiones cujusvis ſpeciei multum contribuit ratio & conditio temporis, ſiquidem mixtio animalis, quia laxior & infirmior eſt, citius generatur, mineralis vero reſpectu reliquarum

tardius

tardius ſuccedit; vegetabilis denique medium temporis terminum occupat: interea ſecundum diverſitatem corporis mixtio mineralis magis matureſcit, mixtio animalis paululum ſolidior evadit & mixtio vegetabilis imprimis quoad ſapores immutata deprehenditur: quod mineralem mixtionem concernit, tunc interdum inveniuntur ſubjecta ſubterranea, quæ & immatura ſive intractabilia exiſtunt, unde è ſuis tractibus non eruuntur, ſed ad completam maturitatem usque illic relinquuntur: quod animalem mixtionem attinet, tunc eadem in primis ætatibus perquam mollis & corruptibilis eſt, quæ vero in adultioribus ætatibus paulo firmior evadit; denique reſpectu mixtionis vegetabilis quædam ſubjecta per initia ſunt amara, cum tempore vero fiunt acida, alia per initia ſunt acida & acerba atque auſtera, cum tempore vero fiunt dulcia.

§. XVI. Prævalet & antecellit dignitate mixtio præ compoſitione, tum illa in compage & nexu intimior & ſubtilior, hæc vero laxior & craſſior eſt, unde illa difficilius, hæc vero facilius alterari, imò penitus deſtrui & diſſolvi poteſt, ex eo ordo tum phyſicus, tum chymicus res materiales conſiderandi & tractandi in mixtione inchoat & ita ſucceſſive ad craſſiores & laxiores congregationes tranſit: fruſtra tamen in triviali phyſica & chymia tantum ſubjecta compoſita horumque qualitates perluſtrantur, mixta vero alto ſepeliuntur ſilentio.

§. XVII. Ad mixtionum conſervationes atque intimiores conjunctiones non parum contribuit principium illud ſubtile inflammabile, quo præſente mixtio communiter manet ſalva, quo exempto mixto valde alterata comparet, interea ad hujus principii actuationem multum contribuit aëris concurſus, cujus efficacia valde demonſtrativa eſt in curioſo illo tonante pulvere, qui deſtituto aëris acceſſu vim ſuam haud exſerit: ita etiam ferrum, ab aëris commercio excluſum, uſtum tamen, non modo non alteratur, ſed magis melioratur, ſi vero aër concurrit, deterioratur aut diſſolvitur; hinc ſub ipſo aëre & igne in crocos diverſæ ſubtilitatis mutatur, id quod etiam de Cupro, Stanno, Plumbo, Regulo antimonii &c. valet, quæ ſingula ſubjecta ſub hoc aëris connubio ita afficiuntur, ut actuato primum hoc principio inflammabili reliqua mixtio valde deſtruatur.

§. XVIII. Simpliciori & evidentiori ratione mixtiones & ſubjecta mixta ſeſe in minerali regno offerunt atque probant, quæ proinde ſecundum terrarum primordialium diverſitatem varia ſubjecta proferunt, ſicut prima illa terra vitreſcibilis, cryſtallina & ita dicta hypoſtatica cum exigua quantitate terræ ſubtilioris inflammabilis mixta, vel gemmas vel lapides coloratos conſtituit,

ſtituit, quemadmodum etiam è prima illa terra & largiori commixtione ſecundæ terræ prodit productum magis friabile atque fragile, uberior conjunctio tertiæ terræ efficit, quo productum fiat magis mobile, tractabile, ductile, malleabile &c. ita non modo ex hiſce terris variæ mixtorum ſpecies, ſed & diverſæ harum ſpecierum qualitates proveniunt.

§. XIX. Porro in genere terraqueam mixtionem habent ſalia, olea, imo certa ratione ſulphura, bitumina & ipſum ſaccharum, quæ ſingula ſubjecta facile fluiditatem aqueam nanciſcuntur, quando vero ſalinæ mixtioni accedit exigua portio terræ inflammabilis, tunc exinde provenit Nitrum: inſuper etiam aqua hiſce terris diverſimode ſuperveniens ad diverſa ſubjecta tum in phyſica, tum in chymia perluſtranda, contribuit, ita enim prima terra cum aqua mixta conſtituit Sal acidum, quod vel in Vitriolo vel Sulphure vel Alumine reperitur: ſi aqua cum ſecunda terra aliquo modo congreditur, tunc prodeunt olea, pingues ſucci & fluida balſama: ſi paulo parcius ſecunda talis terra cum aqua miſcetur, tunc proveniunt aquæ ſulphuratæ: ſi aqua cum tertia terra conjungitur, tunc præbet famoſum chymicorum Alkaheſt & ſi prima adhuc terra ſupervenit conſtituit Sal commune: ſi cum terra primæ claſſis in acidam indolem converſa certa quantitate & quidem ſatis copioſa commiſcetur terra ſulphurea, tunc vel naturaliter generatur, vel artificioſe præparatur verum atque perfectum Sulphur.

§. XX. Dum ſermo eſt de artificioſa ſulphuris præparatione, ſeorſim hoc loco indico, quod è terra acida & principio inflammabili ſufficienti, undecunque etiam collecto, generetur verum & perfectum Sulphur: acidum vero illud eſſe debet Vitriolicæ indolis, ſicut ſimplicioris Sulphuris acidum ad vitrioli geneſin viciſſim contribuit: ſi itaque talis terra acida vitriolica cum terra inflammabili intimius miſcetur, tunc prodit Sulphur, variis modis demonſtrativum, juxta experimentum Glauberi cum ſale ſuo mirabili & additamento carbonum & juxta luculentiorem magisque fundamentalem demonſtrationem Stahlii: quo fundamento nititur etiam parallelum illud alterum experimentum Sulphur verum producendi & arte efficiendi mediante acido vitriolico æmulo videlicet aluminoſo è variis ſubjectis de principio hoc inflammabili participantibus, unde curioſum illud productum generatur, quod *Pyrophori* nomen tenet, quale ſub immediato aëris acceſſu non modo igneſcit & candeſcit, ſed & ſub certa enchireſi penitus actualem flammam emittit, quo duplici experimento itaque genealogia & anatomia ſulphuris illuſtratur & confirmatur.

Conf. Stahlii Opuſcula Phyſico chymico-Medica p. 301. ſeqq. & in indice ſub tit. Sulphur artificiale.

§. XXI. Ad mixtionem mineralem abſolute concurrunt & contribuunt terræ diverſæ ſpeciei & indolis: ad vegetabilem vero mixtionem multum facit concurſus aquæ, quæ reliquorum principiorum combinationem eximie adjuvat, adeoque vehiculum reliqui nutrimenti pro ſubjectis vegetabilibus apti conſtituit, ſiquidem nitroſorum & pinguium aliorum ſubjectorum commixtio plurimum ad augmentationem & fœcunditatem vegetabilium confert, ita ut verum fundamentum practicum & non merè ſpeculativum, aut citra uſum realem applicativum augmentandi vegetabilia in eo conſiſtat, quo materia mobilis pinguis cum reliqua aquoſitate combinata ſufficienti, attamen non exceſſiva quantitate ſubminiſtretur, quæ augmentatio eò facilius ſuccedet, ut cum emolumento experimentum ad uſus reales duci queat, licet etiam ejusmodi curioſæ inventiones occurrant, quæ tamen cum minima utilitate ad verum œconomicum uſum applicari poſſunt.

§. XXII. Peculiaris differentia mixtionis occurrit in diverſis vegetabilium partibus, quemadmodum alia deprehenditur eſſe in herbis & foliis, alia in fruticibus & arboribus, alia in radicibus, corticibus, lignis, Floribus, Seminibus, Fructibus & reſinis, cum in alio ſubjecto oleaginoſior in aliis ſpiſſior & terreſtrior, in aliis ſpirituoſior & fragrantior occurrat, tamen quælibet ſpecies vegetabilis individui & ſubjecti continet aliqualem fundamentalem mixtionem, quæ ex parte ubique in illa ſpecie obtingit, niſi in una & altera parte ſpecialiſſima quædam diverſitas adhuc accedat.

§. XXIII. Præterea occurrunt ſubjecta mixta vegetabilia perinde diſcretæ indolis & dignitatis, quæ neque ſimpliciter naturalia neque abſolute artificialia, ſed mediæ indolis ſunt, ad quam claſſem ſpectat Vinum, Tartarus, Saccharum, Manna & quæ quaſi violento modo atque per intenſiorem ſolis æſtum atque calorem præparantur & formantur gummata & reſinæ, in quibus ſingulis ob diverſam alterationem etiam ſpecialiſſima mixtio obſervatur: ſic ab animalibus collectum ſubjectum mediæ indolis mixtum & rectius compoſitum dicendum occurrit Mel; quæ ſingula producta diverſitatem mixtorum in diverſis regnis naturalibus teſtantur.

§. XXIV. Utplurimum ad mixtiones & compoſitiones ſubjectorum conſtituendas contribuit terra illa hypoſtatica fundamentalis vitreſcibilis, quæ præcipue in minerali regno largo & evidenti apparatu conſpicitur, ita ut in plurimis ſubjectis & metallis tam purioribus, quam impurioribus præſto ſit; in animalibus hæc terra cum pinguedine largius & intimius mixta eſt, unde etiam ægrius hæc terra animalis vitreſcit, niſi cum additamento quodam ſalino vel addita terra vegetabili in vitrum quoddam plus minus opa-

cum

cum converti queat, quod experimentum Beccheri commonſtrat, quando ex cineribus microcoſmi vitrum formare & producere promittit: & hoc ipſo experimento nititur illud alterum, quando quidam aſſerunt, quod terra illa, quæ vulgò nomen Borcellani tenet, multum de terra animali, ſingulari modo cum terra vegetabili mixta, participet, qualis terra purior, prout juſte concludere licet, tantum certis nationibus propria exiſtit, ſicut multa alia ſubjecta æque in peculiaribus locis tantum reperiuntur.

SECTIO II.

CAPUT I.

DE HALOTECHNIA IN GENERE.

§. I.

IN tota Chymia præſtantiſſima & utiliſſima eſt Tractatio de Salibus, quemadmodum in nullo ferme ſubjecto, quod ad chymicum forum ſpectat ſalina quædam ſubſtantia deficit, quæ illud ſubjectum utplurimum ſpeciali ratione diſtinctum & diverſis applicationibus, præparationibus atque uſibus aptum reddit, quapropter juxta hanc prærogantem dignitatem doctrina de Salibus in præſenti ſpecialiori Chymia principem locum obtinet, præprimis cum ſecundum vulgarem chymicorum ſtilum quodvis ſal ad activa ſubjecta materialia referri conſpiciatur.

§. II. Quando itaque in ſimpliciori ſua indole Salia conſidero, tunc conſtituunt corpus quoddam utplurimum mixtum, quod è ſubtili terra & connexa aquoſitate conſtat & in tali ſimpliciori conditione non alterius, quam fluidæ & vaporoſæ ſunt conſiſtentiæ: ſed quoniam eſſentialiter tam de terra, quam de aqua participant, ita ab aliis acceſſoriis terreis & aqueis principiis facile & frequenter alterari poſſunt, eaque propter ſub alia tractatione in terream ſoliditatem converti, ſub alia vero in aqueam deliqueſcentiam tranſire ſolent, adeoque duplicata qualitate inſtructa eſſe deprehenduntur, licet de reliquo in diverſis ſalium ſpeciebus terrea principia in ſubjecto mixto diverſæ etiam eſſentiæ eſſe obſerventur.

§. III. Quando itaque hæc Salia cum aliis terris craſſioribus conjunguntur, tunc in ſolidiorem conſiſtentiam tranſeunt & compoſitum corpus conſtituunt; in quantum vero tales terræ differunt, in tantum deinde ſalia in

ſubjecto

ſubjecto compoſito diſcrepant, ita enim v. g. ſi acidum vitriolicum conjungitur cum metallo, conſtituit vulgo ſic dictum Vitriolum ſive martiale, ſive venereum; quodſi vero hoc acidum combinetur cum terra cretacea, tunc exinde provenit Alumen; ſi cum terra inflammabili commiſcetur, prodit inde Sulphur & ita cum terris non modo viſibilem ſuam quaſi cryſtallinam ſoliditatem ſalia illa nanciſcuntur, ſed & quoad ſpecies diſcernuntur; quando viciſſim à terris talibus accidentalibus liberantur, tunc in aquoſam & vaporoſam ſimplicem ſuam tenuitatem & conſiſtentiam revertuntur.

§. IV. Dum Salia terreæ indolis ſunt & facile cum terris coaleſcunt, ita eximiam obſervationem phyſico-chymicam ſuppeditat differens promptitudo, qua ſalia imprimis acida cum terris combinantur, ſecundum quam à ſe invicem facile diſſolvi & in novam mixtionem converti poſſunt, unde ex Vitriolo veneris levi enchireſi Vitriolum martis viliori pretio confici poteſt: omnium maxime firmiter ſalia illa cohærent cum terris alcalinis, à quibus non niſi magno ignis gradu & impetu ſolvi & in aliam mixtionem converti poſſunt, teſtimonio acidi vitriolici cum terra alcalina conjuncti, quod ſub additamento principii inflammabilis in ſulphur convertitur & plurimam partem priſtinæ ſuæ terræ alcalinæ amittit.

§. V. Dantur diverſæ Salium ſpecies, ex quibus quædam fixioris acidæ & alcalinæ indolis ſunt, aliæ volatilioris utriusque conſtitutionis exiſtunt: Communia Salia ſunt mineralia & quidem venalia, velut *Sal commune*, *Sal Petræ* & *Vitriolum*; accedunt vero alia, ut *Alumen*, *Sal Gemmæ*, *Sulphur*, *Borrax*, *Sal ammoniacum*, *Tartarus*, *Salmarinum*, quæ cum prioribus vario modo conveniunt, neque tantum in minerali regno talia ſalia occurrunt, ſed & acida ſatis largo apparatu in vegetabili regno prodeunt, quemadmodum alcalia ſalia fixa de vegetabili proſapia utplurimũ participant: differunt aciditates vegetabiliũ quoad ſubjectorum ſpecies & maturationes, quemadmodũ in fructibus immaturis longe acerbior atque potentior eſt aciditas, uti etiam vegetabiles aciditates eminenter corroſivæ exiſtunt, quæ non modo duriores terras arrodunt & abſorbent, ſed & flexiliores membranas corroſione ſua afficiunt.

§. VI. E toto Salium numero præcipue chymicis uſibus inſerviunt & ſatisfaciunt Salia Mineralia, quæ merentur collectim ſumpta fundamentalia & primigenea vocari, quorum tres ſpecies principales occurrunt, ut *Vitriolum*, *Nitrum*, *Sal Petræ*, (quia partim è petris & ſaxeis locis excreſcit, quod inſtar filamentorum dependet & ſpeciem aphronitri conſtituit, partim quia alia ratione in petroſis & terreis locis reperitur,) quo denique *Sal Commune* ſpe-

ne ſpectat, quod, quia in maxima ſimplicitate provenit, in eximia ubertate occurrit & ad communes multiplices uſus inſervit, *commune* dicitur: & hoc triplex Sal quoad indolem ſuam acidum eſt, ſed quod etiam quoad ſpecies ſuas diſcrepat: & quod in ſalina ſua viſibili conſiſtentia, quoad plures ſpecies, per accidens de terra alcalina utplurimum participat, ita ut genuinum acidum horum ſalium multam terræ qualitatem contineat, luculento teſtimonio Vitrioli, ſive veneris, ſive martis, in qua maxima pars eſt aqua, eximia pars eſt metallum, parciſſima pars conſtituit illud ſal ſimplex: de reliquo ſimplex tale ſal magis fluidæ vaporoſæ, quam ſpiſſæ conſiſtentiæ eſt.

§. VII. Utut vero ſalia genuina magis vaporoſæ tenuitatis ſunt, tamen cum ſubjectis conſiſtentioribus modo intimius, modo ſuperficialius congrediuntur; unde in arctiori nexu duritiem & ſiccitatem evidentiorem & conſtantiorem obteſtantur, in laxiori vero combinatione facilius deliqueſcunt, ita ut etiam ex aura, cui expoſita ſunt, humiditatem talem aſſumant, quæ ſi mediante caloris motu iterum expulſa eſt, tamen denuò huic mixtioni laxiori inſinuatur, ut nova deliqueſcentia exinde emergat, teſtimonio ſalium alcalium aut ſalium acidorum cum diverſis terris metallicis conjunctorum, quæ diverſitas qualitatis omnino nititur illa diverſa proportione & relatione ſalium ad terras cum quibus congrediuntur.

§. VIII. Imprimis Salia Acida diverſam proportionem & relationem habent ad terras acceſſorias, ut non modo juxta præcedentem noſtram demonſtrationem unam terram præ altera facilius amplectantur, aut intimius complectantur, ſed & cum alia terræ ſpecie in ſiccam, cum alia vero in deliqueſcentem conſiſtentiam tranſeant, hinc acidum Vitriolicum potentiſſime cum Marte & Venere congreditur & ſatis firmiter cum iiſdem cohæret, ut violento modo per ignem exinde expelli debeat; interim alia enchireſi facilius liberatur, quando eidem ſubjicitur terra, quam citius aſſumit: acidum Nitri cum terra alcalina fixa, cum Saturno, cum Luna in cryſtallinam conſiſtentiam abit, haud vero cum cupro, cum Marte &c. Sal commune cum plurimis terris in deliqueſcentem conſiſtentiam abit, interim cum Saturno & Luna cornuam duritiem aſſumit, uti etiam cum Mercurio & Antimonii regulo in duriorem cryſtallinam conſiſtentiam mutatur: quo ſubtilius vero Sal eſt, quod cum terra aliqua coaluit, eò facilius iterum per ignem à terra liberari poteſt, quia per ſubtilem ſuam conſiſtentiam motui & impulſui ignis magis ſubjectum eſt.

§. IX. Quemadmodum Salia, imprimis acida & communia illa activa

diverſum nexum & ſub hoc diverſam qualitatem cum terreis ſubjectis nanciſcuntur, ita diverſo modo hæc ſalia è tali nexu liberantur: eſt vero talis modus triplex, quando 1) ita ſimpliciter nudo igne expelluntur, qui modus eſt operoſior atque difficilior, 2) quando per certa additamenta terrarum hæc reſolutio adjuvatur, 3) quando repentino impetu intima mixtio ſalium diſſolvitur & in ſubtiliſſimam halituoſam tenuitatem convertitur: qui triplex modus in chymia bene notandus eſt, dum in variis operationibus occurrit.

§. X. Prior modus eſt laborioſus, diffuſus, languidus & pretioſus, quoniam ſub diuturniori mora magnum temporis diſpendium, intercurrit, quando ſalia genuina per ſimplicem ignis uſum à ſuis terreis involucris ſeparantur, quod præcipue valet de acido Vitrioli cum ſuis terris metallicis mixto, de acido Nitri & Salis communis aut etiam acido Vitrioli, cum terris calcareis & cretaceis conjuncto: quando quædam horum acidorum, maxime quidem acidum Nitri cum metallicis terris combinata ſunt, tunc paulo facilius, ut ante dictum fuit, mediante igne ſeparari poſſunt, imo interdum accidit, ut in ſubjectis ſalinis cum multa aquoſitate conjunctis, pauca quædam portio genuini acidi non intimius cum ſua terra cohæreat, aut ſuperflua ſit, quæ propterea ſub dephlegmatione cum aqua diſcedit, teſtimonio famoſi phlegmatis Vitrioli &c.

§. XI. Sicut prior modus in acido Vitrioli à ſua terra metallica liberando valet; ita alter modus reliqua acida primigenea concernit, qui duplici ratione ſuccedit, quando hiſce ſalibus infirmioribus potentius acidum additur, tunc contingit, ut hoc potentius aliorum debiliorum terreum corpus arripiat & cum eodem ſeſe conjungat, hinc acida illa infirmiora ita ſpoliata, nunc vero nuda & ſimplicia, adeoque mobiliora & ſubtiliora, ignis efficacia citius ſeparantur: deinde per modum præcipitationis hæc liberatio acidorum talium contingit, quando tale ſal infirmius cum certa ſpecie terræ mixtum eſt, cui mixtioni, ſi additur terra quædam, quam ſal illud facilius & ſubtilius amplectitur, tunc è nexu priori diſcedit, priſtinam terram amittit & alteram aſſumit, adeoque è præcedenti connexione liberatur.

§. XII. Tertius modus ſeparandi Sal acidum à terra cohærente ſuperat priores in eo, quia non modo hæc ſeparatio citius ſuccedit, ſed & quia ſalia ſeparata ſubtiliora, puriora & volatiliora evadunt, ita ut in vaporem abeant: & hic modus quidem ſatis communis atque plebejus eſt, ſed non ſatis agnitus, explicatus & applicatus, ſuccedit enim per ſubitaneam combuſtionem & deflagrationem, qualis præcipue in Nitro ſub additamento ſub-

jecti inflammabilis eſt præſentanea, ubi acidum Nitri tam in pulvere tonante, quam in pulvere pyrio celerrimo impetu in vaporem diſſolvitur; & quanquam Sal commune immediate in ignem projectum, etiam facile in vaporem extenuetur, id quod cum Vitriolo perinde ſuccedit, tamen hæc liberatio non tam præceps, prompta & activa eſt; unde in Nitro hic modus maximè prævalet.

§. XIII. Differunt præterea Salia acida primigenia & fundamentalia partim quoad poteſtatem, partim quoad repentinam activitatem; ex omnibus ſalibus potentiſſimum eſt acidum Vitriolicum, quod nullo alio Sale coërceri poteſt, quam poteſtatem in eo præprimis obteſtatur, dum terras, quas aſſumſit præ aliis acidis firmiter retinet, neque ita facile ſimplici liberandi modo dimittit, proinde cum hoc acido vitriolico reliqua Salia coërceri & gubernari poſſunt, ita ut mediante illo infirmioribus Salibus connexum terreum corpus facilius auferatur, adeoque acida hæc debiliora facilius à ſuis terris liberentur & ſeorſim colligantur: reſpectu hujus acidi Vitriolici, infirmiora ſunt ſalia Nitrum & Sal commune; interim illud præ hoc potentius eſt, propterea que Nitrum ad coërcendum Sal commune contribuit, quæ cognitio poteſtatis ad varia alia experimenta & phænomena chymica applicari poteſt.

§. XIV. Differunt etiam talia Salia ſic dicta activa quoad promptitudinem, agilitatem, celeritatem, magisque pompoſam rationem invadendi terras, in qua qualitate acidum Nitri omnia reliqua acida ſuperat, quod cum impetu, ſtrepitu, viſibili effervеſcentia, ebulitione & magna inturgeſcentia terras diverſas amplectitur, cum reliquæ aciditates modeſtius & tranquillius illas aggrediantur, licet acidum Vitriolicum deinde easdem potentius, quam acidum Nitri, contineat, hinc illud acidum pro Nitri acido coërcendo ſatisfacit: debilitantur vero in hac qualitate ſingula hæc acida per ſuperfluum additamentum aquoſitatis, quæ nimium extenuat ſalia illa activa, quominus unitis quaſi viribus terras diſſolvere & apprehendere queant; viciſſim hæc ſalia nimis inſpiſſata in hac agilitate alterantur, dum eo ipſo illorum volubilitas coërcetur, quo minus prompte dehinc in oppoſitas terras agere queant, teſtimonio Spiritus Vitrioli inſpiſſati, aut olei Vitrioli.

§. XV. Quando hæc acida ſalia à ſuis adhærentibus terris efficaci quidem, ſed moderato & tranquillo motus gradu liberantur, tunc eò ſubtiliora, tenuiora, aut volatiliora evadunt, quam ſi cum impetu agitentur; ubi ſub tali vehementi commotione non pure acidæ ſunt moleculæ, quæ propelluntur, ſed multæ terreæ ſimul attolluntur, aut etiam acida corpuſcula

 nume-

numericè plura, in uno nexu conſtituta, per vehementiam & valorem motus caloris elevantur, ut ita ſpiritus illi acidi fixiores evadant, cum viciſſim ſub leniori & moderatiori tractatione volatiles reddantur; & pro hac volatiliſatione acidorum horum multum contribuit talis acceſſus temperati aëris, quippe qui nimium quantum ad reſolutiones corporum confert; qui, quo magis ſub concurſu caloris attenuatur & ſubtiliter commovetur, eo magis ad diſſolutionem cohærentium corpuſculorum acidorum conducit: & hac ratione nititur volatiliſatio ſpirituum acidorum, de qua ſuo loco ſeorſim agendum.

§ XVI. Prout itaque hæc acida ſimpliciora diverſas terras ſive ſimpliciter inflammabiles, ſive mercuriales metallicas, ſive alias macras, argillaceas ſimilesque amplectuntur, ita differunt in hac congregatione quoad producta, ut aliud ſubjectum fiat Vitriolum vulgare, ſive martiale, ſive venereum, aliud conſtituat Sulphur, aliud Alumen, aliud Sal Petræ, iterum aliud Sal Commune & quoddam etiam Sal neutrum, ſive, ut Medici dicunt, medium enixum & digeſtivum evadat, quod poſterius neutrum dicitur, quia neque ſulphur neque vitriolum neque aliud ſimplex tale corpus eſt: & hoc ipſo fundamento nititur reliqua chymica artificioſa ſive experimentalis Salium commendatio & applicatio quoad diſſolutiones & congregationes variorum ſubjectorum, quæ in ſimili ſalino-terrea congregatione conſiſtunt.

§. XVII. Et quemadmodum in ſuperioribus dictum fuit, quomodo Salia acida unam terram præ altera facilius atque promptius aſſumant, ita inverſo ordine pro illuſtratione iſtius aſſerti experimentalis chymici indico, quod acidum ſal unam terram præ altera debilius contineat, ita v. g. vitriolicum acidum firmiter continet terram alcalinam fixam, infirmius volatilem, debilius terram macram, impotentius metallum ignobile, adhuc debilius metallum purum ut Martem & Cuprum, adhuc infirmius Lunam, Saturnum, Mercurium, hinc Mercurius non modo facile ab hoc acido, excepto Salis communis, ſeparari poteſt, ſed & vel ſua ſponte ex eodem diſcedit, hinc acidum vitriolicum aliquoties à Mercurio abſtractum præbet illud famoſum Turpethum minerale, quod in tantam fixitatem converti poteſt, ut Poterius certa enchireſi exinde annulos aureos, utpote ex Mercurio coagulato confecerit: de reliquo vero tale acidum terreo ſuo corpori tantam alterationem inducit, ut, ſi hoc ab eodem ſeparatum eſt, non facile fundi & liquari queat, teſtimonio calcis lunæ atque ſaturni.

§. XVIII. Peculiaris eſt energia ſalium acidorum in terras animales à pinguedine ſua liberatas, ſive ſint marinæ indolis & ſpeciei, ſive oſſa animalium

lium calcinata exiſtant, quas terras illa ſalia activè diſſolvunt, abſorbent & aſſumunt & quidem tanto promptius, quo minus de pinguedine aliqua participant; etenim ſi mucilago, aut tenuis pinguedo iisdem terris adhæreſcit, tunc ſalia non niſi terram macram abſorbentem & mucilaginem atque pinguedinem intactam relinquunt: & hæc conſideratio chymica habet aliqualem uſum medicum theoreticum, quoad cognitionem modi operandi terreorum remediorum, quando ipſis abſorbens virtus adſcribitur: in quo effectu non terræ activæ ſunt, ſed materiæ in corpore obviæ bilioſæ, ſalinæ, cauſticæ, acres, quæ has terras ſolvunt & ut ſtilus infert abſorbent, adeoque in præcedente ſua cauſticitate atque acrimonia infringuntur & temperantur, ſicut omnia acida, cum terris ſuis ſaturata, corroſivum ſuum ſaporem amittunt & alium temperatum induunt.

§. XIX. Sed licet tantæ activitatis ſalia acida fixa ſint in ſubjectas terras diverſæ ſpeciei, tamen hæc ſalia, ſi volatilia fiunt, priſtinam activitatem amittunt & non modo terras non attingunt atque ſolvunt, ſed & ſaporem ſuum cauſticum perdunt, ita ut non facile in fixitatem priſtinam converti queant & licet cum terra quadam quadantenus conjuncta ſint, tamen facile ab eadem ſeparari poſſunt, uti etiam ſpiritus acidus volatilis cum oleo vitrioli mixtus haud fixus evadit, ſed facili modo ab hoc oleo, ut volatilis removetur; quando vero cum Sale ammoniacali talis ſpiritus acidus volatilis conjungitur, tunc denuo aliqualem fixitatem nanciſcitur: de reliquo volatile hoc acidum per eſſentiam ad fixum ejusdem indolis acidum conſtituendum requiritur.

§. XX. Quod porro potentiſſimum ex Salibus acidis fixis, nimirum Vitriolicum attinet, tunc illud ſatis evidenter alteratur tam in genuina ſua conſiſtentia, quam reliquis multis qualitatibus, quando cum terris fixis alcalinis conjungitur, ſub hoc enim connubio perdit priſtinum ſuum ſaporem & fluiditatem & ita fixum redditur, ut vehementiori ignis gradui ſtrenuè reſiſtat, cum aliàs & acidum illud in genuina ſua conſiſtentia conſtitutum & terra hæc alcalina facilius deliqueſcat & fluiditati obtemperet: quando hoc acidum cum terris metallicis conjunctum eſt, tunc perinde per affuſionem acidorum vegetabilium compoſitum tale in colore & ſapore ſuo alteratur, licet juxta Beccheri experimentum ſimplex hoc acidum vel in oleo, vel in Spiritu cum Spiritu vini rectificato mixtum ſubtilius ab inhærentibus metallicis moleculis ſeparari queat: denique acidum hoc vitriolicum, alias ſibi relictum, non habet qualitatem putrefactionem ſubjugantem, ut communis quidem eſt traditio, cum & ipſum motui fermentativo putrefactorio ſubje-

ctum eſſe deprehendatur, in ſimplici atramenti experimento, alias quidem & Nitrum & Sal commune magis putrefactionem arcet, teſtimonio muriæ, qua carnes recentes imbui ſolent: quando vitriolicum acidum putrefactioni reſiſtit, tunc per modum incraſſationis, quam partibus facile coagulantibus inducit, id perficit.

§. XXI. Proinde idem acidum fixum vitriolicum eximiam propenſionem habet, non modo in inflammabile principium, ex aliis ſubjectis aſſumendum, ſed & in faciliorem ſolutionem corporum cum inflammabili principio præditorum; quoad prius memorabile experimentum occurrit, ſi acidum Vitrioli commiſcetur cum Cinnabari aut Auripigmento, è quibus ſubjectis inflammabile principium primum arripit & cum eodem in verum ſulphur abit, remanente in reſiduo corpore portione aliqua acida & metallica: quo magis exceſſive ſubjectum quoddam de inflammabili principio participat, ut Sulphur & carbones eo minus acidum hæc ſubjecta ſolvit; quando viciſſim in juſta proportione & ſubtiliter illud principium inflammabile certis ſubjectis inexiſtit, ut Marti, Veneri, Jovi, Regulo antimonii &c. tunc diſcreta activitate hæc corpora illud acidum aggreditur, quando vero hæc metalla penitus ſuo inflammabili principio deſtituta ſunt, tunc acidum eadem non attingit, quæ conſideratio atteſtatur promptam, attamen proportionatam hujus acidi relationem ad ſubjecta inflammabilia.

§. XXII. Adjuvatur acceſſus & activitas acidorum menſtruorum in ſubſtratas terras mediante motu caloris, qui inteſtinam illam agitationem auget, per quam acidum ſolvens terram ſubjectam aggreditur: proinde vero etiam illa circumſtantia in relatione acidorum ad terras annotari debet, dum acidum ſubjectum ſolvens certam terræ quantitatem non modo facilius, ſed, quod hoc loco ſeorſim indicatur, minori pondere aſſumit & in ſe recipit, ſicut ad unam unciam Martis non tantum acidi requiritur ac ad drachmam unam cupri, id quod etiam valet de relatione Zinci, Cretæ, Concharum &c. ad menſtruum ſuum acidum è qua circumſtantia denuò inclareſcit activitas acidorum in terrea corpora.

§ XXIII. Et quanti momenti ſunt conſiderationes combinationum ſalium acidorum cum ſubjectis ſuis terreis, ſecundum diverſas obſervationes hactenus propoſitas, tanti valoris & dignitatis etiam ſunt animadverſiones, quæ de præcipitationibus terrarum ex acidis ſubjectis inſtituuntur; qua notitia deinde nititur enchireſis, quomodo facile aliæ terræ cum talibus menſtruis conjungi, aut ex iisdem ſeparari poſſint: ita utplurimum tales præcipitatæ terræ dicuntur Magiſteria, quæ, quando per aliam additam terram

è ſolu-

è ſolutione præcipitantur, communiter puriora evadunt, quapropter contingit, ut, ſi Luna cum aqua forti ſolvitur & deinde Mercurius additur, hic Lunam, è ſolutione præcipitatam, ex parte intime ſolvat, ut in malagma cum eadem tranſeat; è quo fundamento quidam crediderunt, quod aurum parari poſſit, quando proceſſus cum Mercurio inſtituitur, addito acido ſalino principio & cupro, ubi menſtruum hoc acidum aliud conjunctum metallum, videlicet Martem aggreditur, cuprum vero à Mercurio aſſumitur, ita ut Mercurius in coagulum tranſeat, qui in hoc coagulo cum additamento flaveſcente tingitur, ut ſpurium inde aurum emergat, teſtimonio Mercurii coagulati: ſicut ex eodem fundamento fluit etiam altera parallela demonſtratio, quomodo juxta communem loquendi ſtilum Mars in ſolutionem Cupri injectus, in ipſum cuprum transmutetur.

§. XXIV. Quantæ dignitatis eſt diſquiſitio præcipitationum in Chymia, qua terrea corpora à priſtino ſuo ſalino vinculo liberantur, tantæ etiam utilitatis eſt obſervatio, quomodo terræ præcipitatæ ab illis ſubjectis, per quæ præcipitantur eximias alterationes interdum aſſumant; maxime vero ſi per ſubjecta ſalina acida, aut alcalina metallica corpora ex ſuo menſtruo præcipitata, puriores & nobiliores è ſuo ſale diſcedunt, adeoque facile ab aliis ſolventibus ſubjectis aſſumuntur, ita enim viciſſim Luna per ſal fixum præcipitata à Mercurio non ſolvitur, aut ſi ab acido Nitri primum ſoluta fuit, tunc cum acido Vitrioli præcipitatur & in ſua priſtina qualitate alteratur: id quod etiam contingit cum Saturno & Mercurio, ſi cum acido Vitrioli, aut ſolutione Aluminis præcipitatur; non minus cum Saturno, cum aceto ſoluto & per Sal commune præcipitato, ubi in ſubjectum liquabile, quod corneæ indolis eſt, tranſit; quemadmodum aliud productum evenit, ſi cum Sale alcalino volatili præcipitatur; proinde documentum hujus alterationis eſt, quod quædam præcipitata corpora metallica antea fixa, nunc volatilia fiant teſtimonio Lunæ cum Spiritu Salis præcipitatæ, ita aliter Aurum à menſtruo ſuo ſolutum & cum apto ſalino ſubjecto præcipitatum nimirum cum ſale volatili alcalino, evadit deflagrabile & fulminans, non aliter niſi per ſal volatile; ita denique terræ macræ cum aceto ſolutæ & per acidum Vitrioli ſub adjumento ſucceſſivæ exhalationis præcipitatæ in magiſterium plumoſum abeunt.

§. XXV. Præter Salia hactenus in genere recenſita, horumque qualitates, diverſimode conſideratas, dantur adhuc quædam ſubjecta ſalina quoad ſpeciales ſuas rationes quantiſper diſcreta, ita enim *Borax* ſal eſt minerale nativum, quod ſalinam ſuam indolem ſapore & ſolubilitate facile prodit,

cujus

cujus vero eſſentiæ diſcretæ ſal illud ſit, adhuc chymici litigant, ſiquidem juxta Beccherum Borrax habetur pro terra minerali vitreſcibili cum ſale acido ſoluta; juxta Stahlium vero pro terra ſubtili calcarea cum alcali cauſtico ſoluta declaratur: interea & ipſum terreum Borracis corpus diſcretum eſt, cum in ſubtile pellucidum vitrum mutari queat, quod tamen reciproce haud in Borracem reduci poteſt.

§. XXVI. Aliud ſalinum concretum eſt *Alumen*, quod ex craſſo & fixo acido vitriolico conſtat & ex terra ſtyptica, adſtringente, craſſa neque facile vitreſcibili: fruſtra vero quidam crediderunt, quaſi ex Alumine Borrax confici poſſit, dum in terris utriusque concreti aliqualem ſimilitudinem agnoverunt, licet eximia illa diſſimilitudo ſit, quod terra Borracis ſit ſubtiliter vitreſcibilis, non æque terra Aluminis, unde hactenus experimentum Alumen mutandi in Borracem, licet admodum fructuoſum fuiſſet, tamen non niſi cerebrinum ſubſtitit. Præterea occurrit aliquod concretum ſalinum diverſæ mixtionis in *Minera* illa *Solari Haſſiaca*, in qua & Sulphur & Alumen & vitriolica materia occurrit, licet ſalinum corpus ſit unius ejusdemque indolis, terreum vero connexum ſubjectum modo ſit inflammabile, modo martiale, modo etiam calcareæ eſſentiæ.

§. XXVII. Reperiuntur adhuc ſalia acida & quidem talia, quæ de vitriolica indole gaudent, in diverſis terris ex parte limoſis ex parte bolaribus ut & arenoſis, quæ terræ propterea cum aliis terreis ſubjectis calcareo-alcalinis in denſam & firmam compagem tranſeunt; ſicut alias calx per ſe non indureſcit, cum ſabulo arenoſo vero, tanto magis cum acido largiori, aut etiam cum terra mucilaginoſa aceſcente, ut coagulo lactis, mixta, in firmam & lapideam denſitatem tranſit, ita etiam limoſa illa terra gluten pro fabris ferrariis conſtituit, cum quo Martem combinare ſolent: proinde evidens eſt experimentum quando cum tali terra Spiritus Nitri & Salis à ſuis terreis compedibus liberari poteſt, quo adhuc merito referri debet experimentum Beccherianum, quando cum tali terra bolari & oleo lini Martem conficit, quale experimentum etiam producitur & allegatur à Celeberrimo *Stahlio*, in *Opuſculis phyſico-chymicis*, ubi *Menſe Septembri* hæc animadverſio commendatur.

§. XXVIII. E ſalibus mineralibus itaque largiſſimo apparatu occurrit Sal ſulphureum, aut acidum primigeneum, quod communiter in fixiori conſiſtentia proſtat & reliqua acida ſalia poteſtate ſua ſuperat: hoc ipſum in magna quantitate præſto eſt in ipſo *Sulphure*, deinde ſufficienti copia occurrit in mineris cupri, hinc illa menſtrua, quæ ſulphur alterant, ut olea & alcalina etiam

etiam cupri mineras alterare ſolent: proinde obvenit hoc acidum in mineris Lunæ quibusdam, licet in aliis cum arſenicali impuritate inquinatum ſit: proſtat etiam in mineris Mercurii, eximio Cinnabaris documento: adeſt in mineris Saturni, inde innotuit galena plumbea: reperitur magna quantitate in Antimonio; inexiſtit Auripigmento: occurrit in Realgare: præſto eſt in mineris Jovis & denique ſufficienti apparatu deprehenditur in mineris Martis; præter reliqua multa ſubjecta ſubterranea, quæ de hoc acido ſulphureo ex abundanti participant.

§. XXIX. Præter hæc acida fixa mineralia dantur etiam copioſa talia ſalia, quæ plurimum acidæ indolis ſunt in regno vegetabili, quod ſal ſeſe triplici catholico & cardinali ſapore prodit, uno dulci, altero amaro, tertio acido; & licet adhuc alii ſecundarii ſapores, ut auſterus & acerbus occurrant, tamen hi vel de acido, vel de amaro, vel de dulci participant; proinde ſapor dulcis & amarus vegetabilibus ſubjectis eſt proprius, qui in mineralibus non niſi per artem producitur: interim etiam multa dulcia vegetabilia occurrunt, quæ primum eximie acida & auſtera fuere; quid quod occurrunt tales fructus, qui in maturitate ſua cum corroſiva aciditate præditi ſunt, ut Ceraſa, Citrum, Cydonium, granata & fructus ſylveſtres.

§. XXX. Sed cum hactenus acidorum ſalium mentio facta fuerit, ita adhuc altera Salium ſpecies brevibus recenſenda erit, quæ conſtituit Salia ſic dicta Alcalina & hæc non acido & auſtero, ſed lixivioſo & ſaponario ſapore obvia ſunt, licet perinde illa, ſi concentrata ſunt cum aliquali corroſivitate prædita deprehendantur, quorum ſalium alcalinum plurimæ ſpecies in fixiori indole occurrunt, & ut talia fixa ſalia in vegetabili regno reperiuntur, ſicut partim è combuſtis cineribus, partim è vino prodire ſolet; proinde etiam in volatili conſiſtentia ſimilia alcalina occurſant, è quibus plurima ex animalibus, ut è Cervo aliisque ſatis famoſa fiendi ratione proveniunt, licet vegetabile regnum non penitus tali volatili ſale deſtitutum ſit, teſtimonio ſalis volatilis fuliginis, uti inter recentiores alii viri experti plantarum nonnullarum volatilia ſalia clarius exhibuerunt.

CAPUT II.
DE
ACIDO VITRIOLICO.

§. I.

CUm Acida ſalia ob activitatem & efficaciam ſuam præ Alcalibus prærogativam teneant, ita hoc ordine diverſas acidorum ſalium ſpecies quoad fundamentales diſquiſitiones explicatione dignas cenſeo: ſed cum hæc acida ſalia virtute ſua inter ſe diſcreta ſint, ita experientiæ chymicæ indubiæ & probatæ documentum eſt, quod Acidum Vitriolicum præ reliquis potentiſſimum & fortiſſimum ſit, unde eo inſervit, quo reliqua ſalia coërceat eorundemque tractationem chymicam facilitet. Et quamvis ſuperciliofus ille Medicorum Rhetor Helmontius jam acidum vitriolicum in comparatione erga alia pro fortiori agnoverit, tamen hujus aſſerti (quæ communis viri labes eſt) nullam demonſtrationem habuit, unde tantum per tropum elocutus eſt, quod acidum vitriolicum ſit famelicum, eſurinum, vorax ſal, licet cæteroquin neque rationem neque experientiam convenientem protulerit: longè meliori & digniori fama, experientia & certitudine ante multos annos Glauberus prærogantem acidi vitriolici poteſtatem ex ipſa experientia demonſtravit, inſuperque commendavit, quômodo cum eodem reliqua ſalia à terreis ſuis corporibus liberari queant, licet adhuc in proceſſu aliquot ambages immiſceat, dum oleum Vitrioli cum terra diluere jubet; interim hæc experientia Glauberi & dignior & ad uſus ingenuos præſtantior eſt, quam famoſum illud Sulphur ſeparativum, quod Frundeck ſatis ſpecioſe decantat.

§. II. Quod vero ipſum Vitriolum in communi & venali ſua conſiſtentia attinet, tunc illud è duplici ſubjecto conflatum eſt, videlicet ex acido ſuo & ex terra metallica, quæ poſterior conſiſtit vel in Cupro vel Ferro, & licet tale vitriolum in antiquioribus temporibus paulo rarius fuerit, tamen nunc in largiori apparatu proſtat, imprimis vero Vitriolum Germaniæ & vulgo ſic dictum Vitriolum ſylvæ Hercyniæ; proinde in Germania paulo majoris pretii eſt Vitriolum martiale ſive Anglicanum, cujus color eſt virideſcens, cum Vitrioli Goslarienſis color quantiſper cœruleus ſit. Eſt proinde Vitriolum vel nativum, quod in talibus locis ſubterraneis prodit, ubi mineræ ſulphureæ, cupreæ & martiales adſunt, vel factitium, quod vel ex aquis vitriolicis cum additamento metallorum aptorum producitur, vel quod ex certis mineris & pyrite, de ſulphure & Marte participante, utplurimum per calcinationem paratur; ſicut ejusmodi mineræ in Anglia, Svecia & paſſim etiam Germania occurrunt: præterea diſtinguitur Vitriolum ſecundum diverſitatem regionum unde aliud Hungaricum, aliud Romanum, quoddam Italicum, à quibusdam Cyprium, nonnullum Anglicanum, aliquod Goslarienſe & iterum aliud Tyrolenſe allegatur: denique dantur

quædam

quædam concreta quæ de proſapia Vitrioli ſunt & ex quibus ex parte Vitriolum parari poteſt, quorum nomina inter antiquiores audiunt Chalcitis, Myſi, Sory & Melanteria.

§. III. Uti vero Vitriolum vel Venereum, vel Martiale eſt, ita facile è Vitriolo venereo martiale parari poteſt, vix tamen ita immediate è martiali venereum vitriolum paratur, unde proprie ad genuinum Vitriolum non alia principia, niſi acidum illud primigenium & terra metallica requiritur; ob id dantur notæ & characteres boni & puri Vitrioli, ex accidenti vero Vitriolo aliæ materiæ inſinuantur, quod etiam valet de illo è quo Chymiſtæ aurum conficere contendunt, cui ſpei præcipuè Vitriolum hungaricum inſervit, quando videlicet tale vitriolum ex ejusmodi regionibus colligitur, in quibus etiam mineræ ſolares reperiuntur, alias communiter labor multorum chymicorum vanus eſt, quando famoſum illum lapidem & ſimul aurum ê Vitriolo parare ſperant & promittunt.

§. IV. Quamvis vero Vitriolum ſubjectum ſit eximiæ dignitatis, quod ex acido & metallico principio conſtat & quidem ex parte cupreo, tamen adhuc inter illa ſubjecta, quæ uſui & conſpectui chymico ſubmittuntur aliud quoddam productum demonſtratur, quod non modo inter Chymicos valde controverſum, ſed & ratione exiſtimationis & applicationis chymicæ perquam notabile eſt; eſt illud *Ærugo* conſtans è principio acido & metallico præcipue venereo; quod acidum tamen ratione poteſtatis ſuæ magno gradu à communi acido acetoſo diſcrepat, unde hactenus in Germaniæ locis quoad imitationem non potuit ita ſiſti ac quidem in loco primo, ubi ſubjectum illud inventum fuerat, nimirum in Hiſpania, communiter paratur: Et cum commune acidum acetoſum haud tanti valoris ſit, quo metallum ita corrodat, propterea probabile eſt, quod adhuc peculiare additamentum ad hoc productum concurrat: hinc etiam ſpiritus ille acetoſus, qui ex Ærugine deſtillatur, ut acidus & ſimul volatilioris indolis ad ſingulares effectus applicari poteſt, quo alia vulgaria acida non ſatisfaciunt, imò quo ne quidem communis ſpiritus aceti, aut acetum admodum rectificatum quadrat, unde hoc acidum acetoſum, à metallis liberatum, illas peculiares & nobiliores qualitates continet.

§ V. Et quamvis acidum Vitriolicum in ſimplici & genuino ſuo ſubjecto quo vitriolicum vulgare conſtituit, facile cum terris metallicis tum Martis, tum cupri coaleſcit, tamen præ ſingulis reliquis terris non modo citiſſimè terras calcareas aggreditur, ſed & pertinaciſſime cum iisdem cohæret & quando cum tali terra ſufficienter ſaturata eſt, conſtituit ſubjectum

 tertium,

tertium, quod penitus indolem tum acidi vitriolici, tum terræ calcareæ alcalinæ occultat atque exuit, adeoque & ſapore & conſiſtentia & efficacia & relatione ſua erga motum igneum eximie diſcrepat: tale medium corpus ſalinum conſtituit ſal quoddam neutrum, quod non genuinum acidum, neque ſimplex alcalinum eſt, proptereaque neutrius qualitates amplius continet: Eſt tale productum, quod vulgo ſalis medii, ſeu digeſtivi nomine inter medicas venire ſolet, uti Tartarus vitriolatus, Arcanum duplicatum ſive Panacea holſatica aut Sal mirabile Glauberi &c. eſt; quo magis itaque utraque ſalia concentrata ſunt, eò citius extempore ſal ſubtile medium præparatur, quod contingit, ſi oleum Vitrioli, aut bonus ſpiritus Vitrioli cum oleo tartari per deliquium miſcetur & ſufficienter ſaturatur, ubi ſtatim ad fundum ſalina illa ſubſtantia decidit: Eſt vero tale ſal nunc amarum, nunc terreum & fixum, nunc medicum abſtergens, nunc in aquis difficillime ſolubile, nunc in igne etiam ægerrime fuſile.

§. VI. Ex eo acidum vitriolicum præcipue ſal medium conſtituit, quando cum terra alcalina conjunctum eſt, ubi non æque pretioſi & ſpecioſi illi proceſſus artis medicæ commodum adjuvant, quando è Spiritu vitrioli, aut vitrioli Martis in noſtris locis majoris pretii & è ſale aut oleo tartari paratur, ſed ſuffecerit ad imitationem Tartari vitriolati Tacheniani hoc ſal medium præparaſſe è vitriolo communi, infimi pretii, & cinerum clavellatorum alcalino ſale, ſervata illa enchireſi, quo acidum illud vitriolicum ſufficienter ſaturetur & ramenta venerea totidem præcipitata ſint, aliàs in defectu horum requiſitorum ſal tale medium magnas turbas excitat & magis perniciosum quam medicum exiſtit: de reliquo tale ſal neutrum ex unico quidem & illo vitriolico acido, ſed è diverſa terra alcalina ſive ſimplici cinerea, qua Arcanum duplicatum exhibet, ſive alcalina mercuriali, qua ſal mirabile Glauberi conſtituit, præparatur.

Conf. Obſervationes meæ in Miſcell. A. N. C. ubi de Salibus mediis egi. Cent. 3. 4. obſ. 182 Cent. 5. 6. obſ. 43.

§. VII. Quemadmodum vero acidum vitrioli & ſimplicior terra alcalina per ſe nunquam in cryſtallinam denſitatem coëunt, ita tamen ſi utraque ſufficienter miſcentur, talem conſiſtentiam atque duritiem aſſumunt: variant tamen cryſtalli quoad figuram, ſecundum diverſitatem illius terræ calcareæ; cum acidum in ejusmodi ſale medio ſit unius eſſentiæ nimirum vitriolicum: differt quoad ſpecialiſſimam rationem terra alcalina calcarea, cinerea, cretacea, argillacea &c. unde aliam figuram habet ſal, quod conſtat ex acido vitrioli & ſimplici terra calcarea cinerea vegetabili; aliam figuram

offert

offert ſal quod ex eodem acido & terra calcarea Nitri conſtat; alia denique prodit figura in ſale, quod conſtat ex eodem acido & terra calcarea minerali & de hoc poſteriori ſale, quod ex acido ſulphuris ſive vitrioli & terra minerali ſalis communis mixtum eſt notabiles illæ differentiæ ſimul commendandæ ſunt, quod non modo in cryſtallinam conſiſtentiam tranſeat, ſed & iterum facilius liquari poſſit & ad aliorum corporum fluiditatem & fuſionem adjuvandam inſerviat; quare autor hujus ſalis Glauberus illud Mirabile Sal appellare ſvevit, cum quo non tam in medicina, quam in Chymia & Metallurgia mirabiles effectus producere promiſit & plus ſperavit, quam quidem ad promiſſa præſtitit & implevit.

§. VIII. Hoc acidum vitriolicum, ut ſuperius brevibus monitum fuit, in variis ſubjectis mixtis & compoſitis occurrit, primario quidem in vitriolo communi ita dicto, unde principalem ſuam denominationem habet, reperitur, deinde ſulphuris ſalinum principium non aliud quam acidum vitriolicum eſt, hinc ita prompte hoc acidum cum inflammabili principio coaleſcit; iterumque in verum ſulphur redit; denique Alumen non alterius ſalinæ indolis eſt, quam ejusdem vitriolicæ, proptereaque acidum Vitrioli, Sulphuris & Aluminis eſt unum idemque, ſicut ex acido Aluminis & Sulphur & Vitriolum, ex acido Vitrioli & Alumen & Sulphur, ex acido Sulphuris & Vitriolum & Alumen parari poteſt, uti viciſſim hujus triplicis ſubjecti acidum cum terra alcalina combinatum unum idemque ſal medium conſtituit: ex eo itaque hoc ordine jam fundamenta exhibeo, quæ pro Anatomia Sulphuris & Aluminis æque congrua ac pro analyſi vitrioli idonea exiſtunt.

§. IX. Quando acidum vitriolicum è nexu cohærentis metalli ſeparatur, tunc ſub reliquo ſuo fortiori impulſu igneo communiter aliquot ramenta hujus metalli ſecum evehit, quemadmodum Spiritus Vitrioli non ita purus eſt, ſed ut plurimum de talibus terreis molleculis participat; interim poteſt tale acidum vel juxta Beccherum cum Spiritu vini rectificato à ſuo terreo cohærente corpore liberari, vel etiam adhuc alia methodo hæc ſeparatio perfici poteſt, ita enim contingit, ſi ad extremum Vitriolum martis igneo motu impellitur, tunc circa finem tranſtillat materia quædam fuſca, quaſi oleoſa & picea, quæ olei Vitrioli nomen tenet: ſi hoc oleum cum tantillo aquæ mixtum deſtillatur, Spiritus Vitrioli inde prodit & ſi hic Spiritus Vitrioli dephlegmatur, denuo in oleum Vitrioli converti poteſt; quo ipſo illud brevibus demonſtro, quod in hoc acido Vitrioli communiter ramenta metallica lateant.

§. X. Vulgo quidem hoc acidum præpotens in fixiori conſiſtentia paratur

ratur & demonſtratur, quando videlicet vel è Vitriolo calcinato cum magno ignis gradu atque impetu diu propellitur, vel è ſulphure, fortiori motu & vigore deflagrato, colligitur, vel ex alumine ſimili intenſiori motu transvehitur, tamen à multis temporibus conſtat, quod acidum ſulphuris in volatili ſubtilitate transhalet, licet in illa tenuitate illis temporibus colligi haud potuerit, interea veritas experimenti, quod acidum ſulphuris volatiliſari poſſit, haud eſt obliteranda, inde veſtigia patent ad volatiliſationem acidi vitriolici ducentia & poteſt omnino juſta enchireſi præparari Spiritus Vitrioli valde volatilis, quod experimentum primum inculcavit & illuſtravit Celeberrimus Stahlius, quando inſuper indicavit, quod fundamentum non in denſitate vaſis deſtillatorii, ſed partim in lenitate ipſius deſtillationis, partim in immediato acceſſu aëris cum moleculis illis acidis per ignem commotis activi hæreat, ſiquidem ſimilis volatilis ſpiritus è ſulphure commode & colligi & demonſtrari poteſt, quod ſuo ordine indicandum erit.

Conf. Stahlii Opuſc. Phyſ Chym. Med. p. 333. ſeqq.

§. XI. Quando acidum Vitrioli communi methodo è ſuo nexu, quem cum metallico corpore ſervat, liberatur, rectius præcipitatur Vitriolum à ſuo phlegmate, de quo alias Paracelſus, Sala & Helmontius mira promittunt, ſeparatum, quod deinde cum intenſiori ignis gradu è retorta in capacem recipientem & præpoſitam aquam pellitur, prodit inde vapor albicans nebuloſus, qui in aqua illa colligitur & Spiritum Vitrioli fixum conſtituit; in cujus præparatione cavendum eſt, ne vas, è quo deſtillatur fiſſuram concipiat: quando itaque per aliquot dies ſufficiens quantitas Vitrioli calcinati deſtillatione hac tractata fuit, tunc circa exitum hujus deſtillationis denique prodit oleum vitrioli, quod guttatim & lento valde gradu tranſtillat. Si denique vitriolum penitus à ſuo acido exuſtum eſt, tunc caput mortuum nigricans ſub nomine Colcotaris veniens conſpici poteſt; quodſi vero hoc vitriolum non penitus ab hoc acido ſeparatum fuerit, tunc à capite mortuo adhuc quantisper rubello mediante aqua calida ſal quoddam extrahi poteſt, quod vulgo Gilla Paracelſi vocatur & minus fidum emeticum remedium conſtituit; rectificatum vero, ſal illud ſpecificum Langianum Vitrioli exhibet: proinde etiam hoc ordine mentio injicienda eſt Spiritus Vitrioli regenerati, qui non ita myſticus & fructuoſus eſt, uti quidam autumant & qui prodit è capite mortuo Vitrioli non penitus ab acido ſuo liberato, ſed in aërem ſicciorem aut mediæ qualitatis temperatum expoſito, ſiquidem ſub hoc acceſſu aëris reſiduum acidum à metallo adhærente ita liberatur, ut repetita deſtillatione facilius illud transpelli poſſit.

§. XII.

§. XII. Hic fixus Vitrioli ſpiritus cum apto artificio volatilis reddi poteſt, dum moleculæ acidi fixioris congregatæ mediante inſtrumento rarefacto, videlicet aëre, motu caloris agitato, diſſolvuntur, eoque ipſo teneriores & ſubtiliores redduntur; imprimis quando una cohærentia corpuſcula metallica ſeparantur: ſuccedit hæc volatiliſatio, quando ſub reliqua acidi Vitriolici tractatione aër concurrit & quando deſtillatio non impetuoſe, ſed moderatè ſuccedit, ita tranſcendit hic Spiritus volatilis inviſibiliter ſine nebuloſo vapore, proinde etiam ita deſtillatus ſpiritus volatilis, apta quadam rectificatione indiget, quo ſuperflua præpoſita aquoſitas ſeparetur: Eſt dehinc idem ſpiritus paululum acidus & quantiſper metalla aggreditur, (licet hoc acida volatiliſata non ita communiter efficiant) ut & cum alcalibus tum fixis, tum volatilibus novum conſortium induit: Et cum hoc ſpiritu vitrioli volatili convenit ſpiritus Sulphuris volatilis, qui paratur, quando ſulphur leniſſimo gradu accedente aëre liberiori deflagratur, quando vero illud in vaſe clauſo tractatur, tunc ut genuinum ſulphur in floribus tranſcendit; et ſi cum vehementiori igne comburitur, tunc haud ſpiritum volatilem, ſed fixum & communem, qualis alias per campanam præparari ſolet, largitur.

Conf. Stahlii Opuſc. Phyſ. chym. Med. p. 358. ſeqq.

§ XIII. Quanquam Vitriolum venale vile ſubjectum conſtituat, tamen illius analyſis ad peculiares uſus chymicos reſervatos ſpectat, ita ut variæ demonſtrationes exinde produci & ad realia experimenta applicari queant; interea nonnulli è Chymicis ſine eximio uſu multum laborem & non exiguas impenſas circa praeparationem Vitrioli philoſophicam impenderunt, ſub perſuaſione & ſpe obtinendi cujusdam producti ad famoſos illos uſus alchymicos applicabilis, uti Libavius, Viganus, Berlichius de ſuo ſale veneris mira quidem prodiderunt & myſteria promiſerunt, ſed in vanis pollicitationibus ſubſtiterunt, ita ut in fine è quolibet ſpecioſo ſuo producto non niſi depuratum quoddam Vitriolum evenerit, dum videlicet alia ſubjecta, quæ de ſulphure ejusque acido participarunt cum communi metallo, Marte aut Venere ad Vitriolum conficiendum aliàs uſitato combinarunt & difficili atque operoſo proceſſu demum tale Vitriolum confecerunt, de quo quidem illa arcana Lapidis philoſophorum præparandi & demonſtrandi prædicarunt, ſed minus compto ſtylo, ſenſu atque uſu exhibuerunt.

§. XIV. Quod hoc acidum Vitriolicum præ reliquis ſalibus acidis fixis potentiſſimum ſit ſuperius monitum fuit & hoc ordine in tantum repetitur, quoniam ſecundum probatorum chymicorum experientiam obſervatum & demonſtratum fuit, quomodo mediante hoc acido reliquorum ſalium ſpiritus commodiori opera & citiori effectu liberari poſſint, id quod jam ante

te

te plures annos demonſtravit Glauberus, quomodo cum oleo Vitrioli è Nitro & Ludovici quomodo cum vitriolo è ſale communi prompte & compte acidum genuinum & ſimplex deſtillari queat, qui modus longe melius procedit, quam antiquatus ille cum terra bolari uſitatus modus deſtillandi Spiritum Nitri & Salis, & hac ratione cum Vitriolo Aquafortis & è ſale ammoniaco Spiritus Salis præparatur, ſiquidem idem potentius acidum ad concentrationem acidi aceti plus, quam aliud ſubjectum confert, dum ſingulari ratione illud acidum in corroſivam plane indolem converti poteſt: & ita cum Vitriolo modo purus Spiritus Nitri & Salis, modo concentratus volatilis & fumans præparari poteſt, quæ obſervatio tam in chymia dogmatica, quam experimentali eximiam utilitatem affert.

§. XV. Multum omninò in Chymia experimentali proficit notitia quod inter acidum Sulphuris & Vitrioli eſſentialis intercedat communio, quæ cognitio tam ad Vitrioli, quam Sulphuris anatomiam multum confert, ſiquidem variis modis atque operationibus etiam ſimpliciſſimis è ſulphure & metallo invicem combinatis verum & perfectum vitriolum confici poteſt; quemadmodum viciſſim è vitriolo, quando metallum ſeparatum eſt iterum verum & perfectum ſulphur præparari poteſt: & hæc ipſa conſideratio ſimul inculcat diverſam relationem hujus acidi primigenii vel ad aquas metallicas, vel ad terras inflammabiles; unde concretum illud mixtum acido-metallicum vel deflagrabile ſulphureum prodit, ſicut in hoc labore ad minimum quoad experimentales demonſtrationes operoſi fuere Glauberus, Hartmannus &c. & quæ experimenta magis illuſtravit Stahlius.

§. XVI. Nititur hæc convenientia Vitrioli & Sulphuris diverſa combinatione hujus acidi vitriolici cum diverſis corporibus terreis: quod proprie acidum vitriolicum attinet, tunc illud prompte cum metallo coaleſcit, imprimis cum Marte, quod etiam fortius continet, ita ut è vitriolo Martis difficilius Spiritus & oleum quam è Vitriolo veneris propelli queat: deinde etiam cum terris limoſis & cretaceis facile convenit, & concretum Aluminoſum conſtituit: haud ita prompte cum Luna & Mercurio congreditur, licet poſt aliquam moram hæc metalla quidem corripiat, unde cum acido hoc primigenio ex aliis acidis prædicta metalla præcipitari poſſunt, qua ratione Aqua fortis cum hoc acido conjunctum ad meliores uſus metallurgicos & docimaſticos per Lunam imprimis ſeparari poteſt, cum crudo vero auro non congreditur, neque etiam cum præcipitato auro intimiorem aliquam ſocialitatem aſſumit, attamen ſpiritus illos corroſivos, qui aurum ſolvunt, acuit & exaltat, ut illorum efficacia in intimiorem auri ſolutionem præſtandam

magis

magis·penetret; unde quidam hac methodo aurum cum ſuo ſolvente inſtar ſubtiliorum florum ſublimare promittunt.

§. XVII. Ex hoc fundamento quidam chymicorum in acido vitriolico miras virtutes inquirunt, ad uſus Alchymicos applicari ſolitas, circa attenuanda, ſubtiliſanda, repurganda & melioranda metalla: & quamvis hoc acidum vitriolicum per eminentem ſuam poteſtatem ad tales effectus quicquam contribuat, tamen hæc efficacia non eſt immediata cum rectius immediatus Vitrioli uſus & effectus in corpora metallica fixationem & minime attenuationem promittat, interim mediante hoc vitriolico acido alia menſtrua ſolventia in tantum nobilitari & potentiora reddi poſſunt, quo metalla intimius & ſubtilius ſolvant; adeoque hanc attenuationem, quam Alchymici anxie inquirunt, concilient: pro hoc uſu vero non Vitriolum vulgare, ſed perinde ab heterogeneitatibus ſuis repurgatum requiritur.

§. XVIII. Et quemadmodum hoc acidum vitriolicum ob copioſum ſuum proventum & apparatum, primigenium appellari meretur, dum in multiplicibus ſubjectis, maxime in minerali & vegetabili regno deprehenditur, ita peculiarem obſervationem & diſquiſitionem meretur, quod hoc acidum latius diſſeminatum deprehendatur in terras limoſas præcipue coloratas & quæ ſub qualicunque uſtulatione rufeſcentem colorem induunt, hinc ejusmodi terræ ad liberationem aliorum ſpirituum acidorum inſerviunt, communicatur vero ex his terris hoc acidum in varias vegetabilium ſpecies, quæ per initia auſteram ſuam aciditatem offerunt, aſt quando cum ſubtili pinguedine acidum illud miſcetur, tunc amaricans inde ſapor provenit, ſicut denique illa aciditas ſufficienti vegetabilium maturatione & contemperatione cum tenui mucilagine in dulcedinem tranſit; interim hoc acidum vitriolicum ob defectum hujus pinguioris ſubſtantiæ non eſt genuinum vegetabilium alimentum, quod potius ex acido nitroſo & urina animalium, quæ de pinguedine tali participat, provenit: proinde hoc acidum vitriolicum vegetabilia à corruptione non præſervat, quod viciſſim acidum ſal commune efficere ſolet.

§. XIX. Et ita hoc acidum vitriolicum non modo ad diverſos ſapores vegetabilium, ſed & ad diverſos colores illorum contribuit, ſicut vel in genere ſpecies vegetabilium quoad colorem inter ſe diſcrepant, vel prout variæ illarum ſpecierum partes utplurimum flores, fructus, ſemina, quoad colorem differunt: nititur hæc differentia partim diverſa ſubtilitate hujus principii vitriolici commixti, partim etiam diverſa ratione ipſius commixtionis, ſicut ſalia, tanto magis hoc, quod reliqua poteſtate ſuperat, ad ſulphurum,

(quæ primario colorationes ſubjectorum cauſantur), mutationes eximiè contribuunt: hinc evenit, ut ſubjectis jam coloratis vel rubicundis, vel cœruleis affuſum ſubtilius acidum vitriolicum albicantem, craſſius vero diſtinctum rubicundum colorem inferat: & licet alia acida ſalia utpote nitroſum etiam ad ſpecificam colorum differentiam concurſent, tamen cum utplurimum hoc acidum vitriolicum ad ſapores vegetabilium diſtinguendos concurrat, ita ſubinde primario ad colores in iisdem efficiendos contribuit.

§. XX. Reperitur porro hoc acidum primigenium & quaſi univerſale principium vitriolicum largiſſimo apparatu in ſubjectis ſubterraneis, maxime vero in mineris cupreis, in quibus Sulphur majori ubertate occurrit, quemadmodum etiam ſimpliciores & plures tales mineræ ſulphureæ, quas vulgo vocant die Schweffel-Kieße, de hoc principio magna copia participant, ut in quocunque denique ſubjecto hoc ſulphur minerale adeſt, in eodem acidum illud inveniatur, quale præterea in variis mineris martialibus, præcipue in famoſa illa minera Martis ſolari deprehenditur, in qua ſatis larga ſulphuris copia obſervatur, quod ſulphur ſi per aërem accedentem attenuatur, tunc inflammabile ſubtile ſuum principium dimittit, reliquum vero acidum, quod vitriolicæ indolis eſt Martem præſentem arripit, ita ut exinde cryſtalli vitriolicæ ſimplices ſatisque conſpicuæ excreſcant, quæ de eodem acido in hoc ſingulo ſubjecto obvio ſenſibile & manifeſtum teſtimonium perhibent: tandem etiam hoc acidum ſatis notabili copia in aërem diſperſum obſervatur, è quo ſingulari modo colligi poteſt.

§. XXI. Quam prompte hoc acidum vitriolicum cum terreis ſubjectis congreditur, tam difficulter hic coalitus contingit, ſi illud acidum vel nimis concentratum & ſpiſſum, vel nimis attenuatum & ſubtile eſt, hinc oleum & ſpiritus vitrioli volatilis tardius coaleſcunt cum terris: quo gradu & qua promptitudine idem acidum cum talibus terris ſeſe conjungit, eadem vel promptitudine, vel difficultate ab illis terris iterum ſeparatur: promptiſſime congreditur cum terris alcalinis fixis, adeoque firmiſſime cum iisdem cohæret, quare ægerrime ab illis ſeparatur; proinde etiam facilius cum terris alcalinis fixis, difficilius cum volatilibus combinatur & de reliquo cum oleis ſubtilioribus illud acidum convenit, iisdemque aliquam ſpiſſitudinem inducit, imo ſub hoc commercio tam priſtinum ſuum ſaporem & valorem amittit, quam olei cohærentis ſaporem & efficaciam alterat.

§. XXII. Ad ſingulares qualitates vitriolico acido proprias pertinet, quod hoc ſal omnia reliqua ſalia cujuscunque ſpeciei & conſiſtentiæ ponderoſitate ſuperet, è quo liquet, quod hoc acidum vitriolicum magis terreæ indolis

dolis ſit, ſicut Beccherus illud imprimis pro terra exquiſite chymica æſtimat; ob id etiam idem acidum eo inſervit, quo alia ſubjecta magis incraſſare & figere, aut in fixiorem conſiſtentiam reducere, quam volatilia reddere queat: & hæc ponderoſitas inſervit ad explorandam bonitatem illius acidi, uti viciſſim propter illam difficilius & tardius ignis motui obtemperat; qua ratione etiam nititur illud experimentum, quod ævis Paracelſi magis adſcribendum eſt, de præparatione olei Vitrioli viridis & dulcis, quod ex Vitriolo martiali paratur & ut probabile eſt per deſcenſum, tanquam peculiari illa antiquitus recepta methodo, perficitur.

§. XXIII. Dum hactenus utplurimum acidi ſulphurei ſive vitriolici diverſæ qualitates & relationes ad diverſa ſubjecta expoſitæ fuere, ita inter alias conſiderationes paſſim Sulphuris mentio facta fuit, cujus ulteriorem explicationem & applicationem chymicam proſequor: etenim non modo acidum ſulphuris tam eminentem efficaciam habet, quo metalla diverſa ſolvat, ſed & totum ſulphur illius efficaciæ eſt, quod aurum quaſi per minima diſſolvat, ita ut etiam ramenta ſoluta per ipſum filtrum penetrent, quod experimentum quidem antiquiores imo adhuc quidam noſtri ævi Chymici neq; concipiunt neq; credunt, licet in præparatione & demonſtratione leve eſſe videatur: id ipſum vero ſive acidum ſulphuris, ſive ſulphur ipſum, non niſi ſub conſortio ſalis alcalini perpetrat, ſub cujus conjuncta fuſione additum aurum tali modo diſtrahitur, ut poſt hac liquamen obſcurum & amarulentum conſtituat.

Conf. Stahlii opuſc. Phyſ. chym. med. in indice ſub tit. Sulphur.

§. XXIV. Ita etiam Sulphur promptam efficaciam habet in aſſumendis diverſis ſubjectis oleoſis, ſive deſtillatis, ſive expreſſis; ſicut enim ſulphur eo inſervit, quo mediante illo metalla ſolvantur, ita mediantibus oleis talibus Sulphur ſolvi poteſt & talis ſolutio præbet ſimpliciſſimum & vulgare illud productum Balſami Sulphuris, quod cum oleis Templino & Therebinthinæ per digeſtionem mediocriter hyacinthinum colorem aſſumit; cum oleo Aniſi vero factum, obſcure rubicundum colorem præſentat, alias cum diverſis pluribus oleis præparatur; a quo balſamo, ſi liquidior oleoſa portio iterum abſtrahitur, remanet rubicunda reſinoſa maſſa, quæ Rubinum ſulphuris Rulandinum conſtituit & in diverſis pectoris affectibus non inutilis eſt, quam Rulandus ex oleo Lini præcipue & ſulphure conficere ſolet: & talis balſamica miſcela ſi cum oleo Aniſi facta fuit, ad pectoris affectus; ſi cum oleo Terebinthinæ præparata, ad renum & veſicæ quosdam morbos; ſi cum Succino elaborata fuit, ad ægrotationes venereas conducit; quando cum floribus ſul-

 phu-

phuris, aut ſulphure lævigato talis balſamus paratur, tunc poſt digeſtionem in eodem cryſtalluli exiliſſimæ concreſcunt, quæ vero iterum evaneſcunt, ſicut alii cum Spiritu vini affuſo è ſulphure ſimiles cryſtallulos, denuo reſolubiles, præparare ſciunt.

§. XXV. Quemadmodum ſulphur cum variis ſubjectis congreditur, metallicis æque ac aliis, ita in chymia ulterius annotatione dignus eſt habitus Sulphuris erga Mercurium; ſic enim Sulphur vim habet Mercurium figendi & ligandi, aut, ut dictum, coagulandi, proptereaque ſulphur cum Mercurio vehementiorem ignis gradum perfert, ita ut ſublimationi utraque ſubjecta in connubio ſuo obediant; exinde provenit ſubjectum illud in Chymia pharmaceutica valde cognitum, quod Cinnabarim conſtituit, quæ nihil aliud eſt, quam productum compoſitum & jam in decompoſitione conſiſtens, Sulphur & Mercurium continens, licet iterum hæc combinatio diſſolvi poſſit, quando cum Cinnabari talia ſubjecta miſcentur, quæ ſulphur facilius aggreditur, ut Mars, Venus, Saturnus, Luna, Regulus antimonii, Sal alcali fixum; quæ etiam methodus eſt animandi & depurandi Mercurium, quando aliquoties in Cinnabarim convertitur, iterumque reducitur: de reliquo rubicundus Cinnabaris color per additionem acidi vitriolici in albedinem convertitur & per commixtionem ſalis ammoniaci in cœruleum colorem mutari poteſt.

§. XXVI. Præterea peculiaris illa Sulphuris relatio erga ſalia alcalina annotanda eſt, dum illud cum hiſce intimius ſolvitur, quod contingit, quando Sulphur cum Calce Viva, ſale tartari aut cineribus clavellatis decoquitur; quo modo nonnulli ſulphur depurare præceperunt; & hoc fundamento etiam nititur illud experimentum, quomodo ſulphur fixum parari poſſit, i. e. tale ſulphur, quod neque ardet, neque igne abſumi poteſt, dum ex ejusmodi ſolutione ad fundum ſecedit materia quædam nigricans, quæ non alterius indolis eſt, quam ſulphureæ, interim ex ſolutione tali ſulphurea iterum facili opera ſulphur cum acido quodam præcipitari poteſt; quando vero cum tali ſulphurea ſolutione ſalis ammoniaci commiſcetur, tunc provenit exinde ſpiritus mixtus ſulphureus & ammoniacalis, quem nonnulli pro arcano habent ad dolores podagricos leniendos, ſed cujus uſus & commendatio in praxi medica non adeo indiſcretim fidelis eſt, cum in parte affecta ſingularem & ſuſpectum ſtuporem poſt ſe relinquat & dolorem tantum palliative leniat: de reliquo cum tali obſervatione ſolutionis ſulphuris cum ſale alcali cohæret præparatio Atramenti Sympathetici.

§. XXVII. Diverſis itaque modis atque qualitatibus Sulphur in chymi-

cis

cis proceſſibus inclareſcit, ſicut inter alias alterationes ita ſimpliciter hoc ſubjectum ignis motui expoſitum eſt, ut in tota ſua ſubſtantia quoad principium ſuum inflammabile & acidum quaſi volatile reddatur & in altum evehi queat, teſtimonio florum per ſublimationem è ſulphure producendorum: Et quanquam hæc operatio admodum vilis eſſe videatur, tamen circa eandem variæ enchireſes, ut ſupra notatum fuit, occurrunt: inſtituitur hæc ſublimatio è cucurbita figulina compacta & denſa, ne ſulphur facile penetret in inſtrumentum illud quod Aludel vocatur, vel etiam loco hujus in alembicum, in quo proceſſu juſtus gradus ignis ſervari & cautela illa adhiberi debet, ne ab extra flamma quædam accidat, quæ ſulphur transhalans accendat, adeoque ad totius operationis depravationem contribuat: neque quidem neceſſe eſt juxta quorundam ſpeculationes ſulphur antea vel cum ſabulo vel laterum farina vel ſigillata terra vel Cholcothare, vel vitriolo calcinato vel Cornu cervi uſto, vel alumine uſto miſcere: neque Paracelſi ſublimationes ſulphuris cum Coralliis, Thure, Maſtiche, Myrrha, Aloe, Croco, Saccharo &c. ſingularem utilitatem habent, cum tantum hæc ſublimatio, quæ flores ſulphuris prodit, hujus Sulphuris attenuationem ſive ſubtiliorem conſiſtentiam promittat.

§. XXVIII. Quemadmodum itaque de Sulphure conſtat, quod partim de principio ſalino acido, partim de inflammabili participet, ita mixtio horum principiorum in ſulphure ſolvi & liberari poteſt ſub combuſtione & quidem, ut ajunt, qualificata, non quando ſulphur ipſum in ſimplici ſua ſubſtantia deflagratur, ſed quando cum nitro comburitur, ubi inflammabilis Nitri & Sulphuris portio unita hac vi exardeſcit & propterea à cohærente terreo & acido principio ſeparatur; unde in tali combuſtione duplicatum inflammabile & ſalinum, tum Nitri, tum Sulphuris, principium è priſtina ſua mixtione liberatur, nec non ſubinde terreum Nitri corpus ſolvitur, quod vero in ſubitaneo hoc actu ex parte à ſulphuris acido reſoluto apprehenditur & in medium quoddam ſal arcano duplicato analogum abit: denique in tali proceſſu partim ſulphuris, partim Nitri acidum quantiſper attenuatur & volatiliſatur, quale volatile ſal vero citius iterum evaporat.

§ XXIX. Larga admodum copia Sulphur reperitur in Antimonio, quod partim in craſſiori ſua maſſa, partim etiam in puriori ſua regulina ſubſtantia, tam craſſum & minerale, quam ſubtile ſulphureum principium poſſidet: à craſſa antimonii compage atque reliqua regulina ſubſtantia facile ſeparari poteſt, inde provenit ſulphur antimonii, quod, quia interdum de regulina ſubſtantia adhuc participat, ita etiam emeticam virtutem habet; alias hoc

ſulphur variis modis atq; proceſſibus emendari poteſt, ut exuta vi emetica, nunc diaphoreticā, nunc catharcticam, nunc ſedativam nunc reſolventem & colliquantem qualitatē exhibeat, ſicut idem ſulphur vario modo ſeparari poteſt, ut nunc aureum colorem poſſideat & ſulphur antimonii auratum appelletur, nunc intenſius rubicundum, alibi flaveſcentem & interdum albicantem colorem præſentet; ita ex antimonio ſimplici hoc ſulphur aliquando per menſtrua lixivioſa, aliquando per menſtrua acida liberatur & nunc per modum ſolutionis & connexæ præcipitationis, alibi per modum ſublimationis producitur.

§. XXX. Hoc Sulphur, quod tanta ubertate in Antimonio adeſt, etiam ſimplici, leni tamen, calcinatione & uſtulatione ex Antimonio exuri poteſt, ita ut exhalet & florum inſtar transmigret; remanet inde pulvis cinereus, qui ſi ſtatim cum intenſiori igne funditur in vitrum antimonii abit, cui ſi adhuc notabilis ſulphuris quantitas ineſt, flaveſcens color remanet; ſicut artifices diverſos colores eidem conciliare poſſunt: ſeparatur porro Sulphur ab Antimonio mediante Nitro, quod cum eodem detonationem ſubit, diverſo quidem effectu, prout plus vel minus Nitri additur, ita enim ex æquali Antimonii & Nitri parte famoſus ille Crocus metallorum provenit, quem aliqui Hepar antimonii appellare volunt, cum rectius tale hepar antimonii præparetur ex antimonio cum æquali parte ſalis alcali fuſo: huic Croco metallorum adhuc multa ſulphuris quantitas ineſt, quæ ſive per ſimplicem decoctionem, ſive mediante ſale alcali ſeparari poteſt; quando etiam ad partes duas hujus Croci denuo pars una Nitri additur, iterumque funditur, tunc exinde provenit pulvis pallido-flaveſcens, qui antimonium diaphoreticum vocari poteſt, cui ſi ſub calcinatione carbones adduntur, tunc ille denuo in maſſam obſcuram nigricantem fatiſcit, qualis croco metallorum ſimilis eſt: ſi talis Crocus metallorum ex anatica portione antimonii & nitri paratus aliquoties cum aqua fervida eluitur & deinde cum æquali parte Tartari puri aut cremoris Tartari fervide & per aliquot horas decoquitur, tunc exinde præparari & ſeparari poteſt medicinalis ille *Tartarus emeticus*.

§. XXXI. Liberatur porro Sulphur à regulina metallica antimonii ſubſtantia, quando cum antimonio crudo talia metalla funduntur, quæ ſulphur antimonii facilius aggrediuntur, ut adeo hoc priſtinam antimonii ſubſtantiam metallicam amittat & cum reliquis metallis congrediatur: id ipſum contingit, quando cum Marte aut Venere funditur antimonium & hoc proceſſu præparatur *Regulus antimonii* ſive *Martialis* ſive *Venereus*, licet in regulina ſubſtantia, rite præparata, nihil ferri aut cupri remaneat, dum hæc poſteriora metalla cum ſulphure antimonii in ſcoriam abeunt: & hoc modo

præpa-

præparatur regulus antimonii, qui nihil aliud eſt, quam genuinum antimonii metallum à craſſo & ſuperfluo ſulphure liberatum, ſicut exacte præparatus talis regulus in ſuperficie ſua ſtellæ formam præſentat, adeoque à Chymicis *Regulus antimonii ſtellatus* dicitur, cujus modus fiendi eo fundamento nititur, ut ſtriatæ regulinæ particulæ ſub vegeto fluiditatis motu è peripheria ad centrum undulante projiciantur & in hac figura denique coaleſcant: ſi vero talis depuratus Regulus antimonii martialis cum regulo antimonii venereo confunditur, tunc in ſuperficie conſpicitur rete illud Vulcani: quando talis depuratus regulus antimonii martialis cum ſufficienti Nitri quantitate ritè detonatur, tunc exinde provenit Scoria ſucciniformis, quæ cum ſpiritu vini rectificatiſſimo extracta, præbet *Tincturam antimonii* valde *acrem*, è prima vero ſcoria martiali, quæ in tali proceſſu aſſervatur, cum additamento Nitri præparatur *Crocus Martis antimoniatus:* quæ utraque remedia ſunt ſatis ſecura, probata & utilia, juxta primam Stahlii inventionem & applicationem, in praxi medica recepta.

Conf. Stahlii Opuſc. phyſ. chym. med. p. 481. & p. 509.

§. XXXII. Et hoc eodem fundamento ſeparandi ſulphur antimonii à regulina ſubſtantia nititur præparatio *Calcis antimonii* ſive *Antimonii diaphoretici:* quando enim una pars Nitri commiſcetur cum æquali parte antimonii, tunc quidem quantitate aliqua ſulphur illud ſeparatur, ſed plurima copia in eadem maſſa obſcura vitreſcente punicea remanet & Rulandinum illum metallorum Crocum conſtituit; ſi vero cum una parte antimonii duæ portiones Nitri funduntur, tunc provenit Calx ex pallido flaveſcens & non multum diſcrepans ab antimonio diaphoretico, quæ poſt continuatam lenem calcinationem ferme æquales virtutes exhibet, niſi in tenellulis infantibus interdum lenes emeſes concitet: quodſi una pars antimonii cum tripla Nitri fundatur, tunc provenit vulgo ſic dictum *Antimonium diaphoreticum*, in quo regulina ſubſtantia plurimum per majorem Nitri quantitatem additam à ſulphure liberata conſtat, hinc reddito hoc inflammabili principio per additamentum carbonum facile denuo hæc Calx antimonii in regulinam conſiſtentiam & integritatem converti poteſt: quando vero Antimonium cum Nitro deflagrat, tunc pars acidi nitroſi & ſulphurei in auras abit, alia pars ad corroſionem & calcinationem antimonii contribuit, quædam etiam congreditur & tertium ſal conſtituit, quod *Nitrum antimoniatum* audit, quale ex antimonio diaphoretico poſt calcinationem elutriari poteſt: & hoc lixivium, ſi per decoctionem paratum fuit, exhibet ſubtiliorem illam regulinam calcem mediante acido quodam affuſo præcipitatam, quam Crügnerus mate-

tiam

riam perlatam vocat & Ettmüllerus ad uſus alchymicos laudat, ſed quæ, licet non adeo perlata neque ad tam miraculoſos uſus idonea ſit, tamen in praxi medica haud inefficax eſt.

§. XXXIII. Notatu dignus & in Chymia uſitatus modus ſeparandi Sulphur ab antimonio eſt, quando hoc cum Mercurio ſublimato tractatur & poſt præviam ſimplicem commixtionem in idonea proportione ex retorta pellitur, ubi optime ad unam antimonii partem, tripla Mercurii ſublimati quantitas additur, cum alibi, quando antimonium in majori quantitate commixtum fuit, proceſſus variis difficultatibus ſubjectus ſit: & in hac operatione diverſæ ſyncriſes & diacriſes ſuccedunt, ſiquidem acidum ſalis communis, quod in Mercurio ſublimato eſt, amittit mercurium ſuum antea connexum & aggreditur regulinam antimonii portionem, inde provenit *Butyrum antimonii*, quod vulgo antimonium glaciale vocant: deinde ſulphur antimonii reſiduum, arripit liberatum Mercurium currentem & inde provenit *Cinnabaris antimonii*, nova quadam commixtione poſt prægreſſam reſolutionem; nonnunquam etiam contingit, ut aliquid de Mercurio cum acido Salis communis conjuncto in forma Mercurii dulcis ſublimetur, quando antea ſuperflua quantitas acidi diſceſſit & cum regulina antimonii ſubſtantia ſeſe combinavit: & hæc obſervatio chymica multum lucis affundit docimaſiæ ſalium & Halotechniæ, cum animus dirigendus ſit non tam ad ſimplices & crudos proceſſus, ſed ad diverſas mutationes, quæ in iisdem contingunt & quæ ad veritatem & theoriam chymicam exquiſite contribuunt.

§. XXXIV. Cum præcedenti proceſſu, quo ſeparatio ſulphuris in antimonio è regulina ſua ſubſtantia demonſtrata fuit, cohærent adhuc varia alia experimenta, quæ priores proceſſus illuſtrant: ita enim Butyrum antimonii conſtat è regulina antimonii ſubſtantia & acido ſalis communis; quando itaque illa regulina materia ex hoc acido præcipitatur, tunc conſtituit pulvillum calcareum, in quo adhuc quantitas quædam illius acidi reſidua eſt, inde provenit propterea famoſus ille *Mercurius vitæ* ſive Chymicorum Algorot, qui aliquoties cum calida aqua edulcoratus, emeticum remedium conſtituit, quod cum Tartaro emetico ejusdem valoris eſt: quando vero acidum illud commune paulo copioſius huic pulvillo adhæret, tunc draſticum exinde provenit emeticum: hunc Mercurium vitæ Chymici variis modis emendare laborant, ſiquidem juxta ſpecioſam Angeli Salæ præparationem exinde roſeus ille pulvillus provenit, qui haud ſingularis dignitatis & utilitatis eſt: quando vero regulina ſubſtantia in Butyro antimonii cum acido nitri intimius ſolvitur, iterumque abſtrahitur & depuratur, tunc conſtituit famoſum

illud

illud *Bezoardicum minerale*, quod ſecundum Glauberi animadverſionem cum antimonio diaphoretico ejusdem eſſentiæ eſt; Spiritus vero Nitri, qui à tali regulina portione abſtrahitur fruſtra Bezoardicus vocatur, alias quidem in Mercurio vitæ nullus Mercurius deprehenditur, neque ille Mercurius, qui ſub Butyri antimonii præparatione ſeorſim colligitur, Antimonii Mercurius eſt: denique à variis chymicis imprimis à Glaubero è toto hoc proceſſu varia artificia variæque Panaceæ commendantur.

§. XXXV. Et ita hactenus varias demonſtrationes de acido illo primigenio Vitrioli obtuli, ubi ſimul indicavi, quomodo Alumen & Sulphur quoad ſalinam ſuam ſubſtantiam cum illo acido abſolute conveniat, hinc eo ordine Sulphuris chymicam Theoriam ſuppeditavi & cum hoc præcipue in antimonio largo apparatu occurrat, ita per eundem nexum antimonii mentionem feci: illud ſub fine hujus principalioris ſalis adhuc brevibus repeto atque inculco, quod operationes cum Vitriolo inſtitutæ nondum illis votis & pollicitationibus ſatisfecerint, quales vulgò à Paracelſo, Baſilio Valentino, Iſaaco Hollando, Kunckelio & per tranſcriptionem à Becchero, ut & à Jodoco de Reh & in ſchediaſmatibus illis das Grab der Armuth, Philoſophiſcher Perlen-Baum &c. commendantur & proponuntur, quaſi Vitriolum illa materia ſit, è qua pretioſus ille Philoſophorum Lapis & nobiliora metalla confici queant, ſiquidem ipſe hic labor, inter hos fautores obvius, abunde teſtatur, quam mutilus, inconſtans & vagabundus exiſtat.

CAPUT III.
DE
ACIDO NITRI.

§. I.

ALtera ſpecies Salis acidi & dignitate & poteſtate Vitrioli acidum excipiens conſiſtit in *Nitro* ſive ita dicto *Sale Petræ*, cujus appellationem critici variam arguunt, vel à loco primæ quaſi nativitatis Nitriæ nomine veniente, vel à qualitate tam detergente, quam detonante & flagrante; magna interim intercedit differentia inter Nitrum veterum & recentiorum temporum, ſiquidem de veteribus conſtat, quod Nitrum aliud Sal, ac Sal Petræ noſtras in variis experimentis conſtituerit; unde famoſum antiquorum gentium *Sal Baurack* dictum, quod nitrum repræſentare debuerat, pro Borrace genuina acceptum conſtat, quæ confuſio propterea circumſpecte evitanda

 tanda

tanda eſt, licet ſubinde etiam verum Nitrum veteribus innotuerit, unde olim ex Ægypto in alias exteras nationes transportatum legitur, ſiquidem inter Ægyptios hoc Nitrum Nilotici nomen tenuit & memorabilis eſt hiſtoria quam Herodotus & Plinius allegant, quomodo occaſione transportationis Nitri ex Ægypto ars vitraria ortum traxerit.

§. II. Quanquam principia Nitri ubivis obvia ſint, tamen non in omni loco verum & perfectum Nitrum occurrit, unde hoc ſubjectum quod in ſalina cryſtallina ſua conſiſtentia Nitrum conſtituit, magis artificiale quam naturale & nativum eſt, præcipue in noſtris locis, licet de Nitro Indorum vulgò tradatur, ſed minus ſufficienter demonſtretur, quod ſit nativum & quamvis talia principia nitri eſſentialia etiam in ſpatioſo aëre fluctuent, tamen eapropter genuinum Nitrum in eodem non tam facile obſervatur: neque hiſtoriolæ de aquis nitroſis ſubterraneis veritati admodum conſonæ ſunt, de quibus aquis, licet diſtinctæ qualitates prædicentur, tamen eædem non ſatis probatæ ſunt: Eſt itaque Nitrum ſal quod è duplici principio quaſi activo & principali conſtat, uno acido, altero vero inflammabili ſic dicto phlogiſto & hoc quidem ſatis copioſo atque efficaci, ita ut hujus in relatione ad alterum major paulo quantitas deprehendatur, quæ utraque principia ita intimè conjuncta primarium corpus pro Nitro genuino conſtituendo efficiunt: & quamvis illud inflammabile principium univerſale ſit, tamen alterum acidum principium particulare eſt & propter hæc elementa & hanc mixtionem Nitrum eſt ſal ſpecialiſſimum ab aliis ſalium ſpeciebus eximie diſcrepans.

§. III. Quod itaque Nitri Genealogiam attinet, tunc hoc ſal nonniſi è ſubjectis ex ſale & pinguedine conſtantibus putrefactis & in novam aliquam mixtionem converſis generatur; imprimis huc quadrant vegetabilia magis pingvia, quam ſalina putrefactioni ſubjecta, deinde ex animalibus plurimæ partes huc contribuunt, uti id Glauberus modo inculcavit, hinc coria animalium in putrefactionem converſa ad Nitri proventum conferunt: omnium efficaciſſime urina ex animalibus, quæ herbaceis alimentis utuntur, ad nitri geneſin diſpoſita eſt, uti urina ovilla, caprina, bubula (non excluſa ipſa humana) huc quadrat: & ſicut alias Nitrum ad vegetationem & multiplicationem plantarum plus quam alia mathematica ſpeculatio contribuit, ita viciſſim illa ſubjecta ad Nitri geneſin contribuunt, id quod ſingulari ingenio & judicio demonſtravit Dygbæus: & ita etiam hæc genuina mixtio ad Nitri productionem inſerviens in vetuſtis muris & ſtabulis cum urina diu humectatis reperitur. *Conf. Stahlii Opuſc. phyſ. chym. med. p. 532. ſeq.*

§. IV.

§ IV. Hiſce elementis ad Nitrum conſtituendum aptis, imo ipſo hoc acido mixto nitroſo non penitus deſtitutus deprehenditur aër, hinc ſi hujus acceſſui exponitur terra calcarea, tunc cum hac ſeſe illud ſal conjungit, teſtimonio ſic dicti aphronitri, quod ex muris vetuſtis velut excreſcit, unde multum ad nitri geneſin contribuit aëris afflatus & immediatus acceſſus ad ejusmodi terras alcalinas & calcareas, præcipue ſi in confiniis talia loca præſto ſunt, quæ putredinoſas quasdam exhalationes conciliant, aut ſi in talibus ſubjectis calcareis ſimul actuales putrefactiones concurſant, quando præter præſentiam ſubjectorum pinguium interdum humiditas quædam alluit, aut ex ſuperabundanti materiæ putrefactioni expoſitæ, præcipue animalium urinæ, affluunt: efficaciſſime enim & promptiſſime hoc ſal cum tali terra coaleſcit & in eadem ita detinetur, ut ſatis diu actualem ignem perferat, quod vero ſi immediate cum aliis inflammabilibus ſubjectis conjungitur, velut carbonibus, Tartaro, Saccharo, Ungula, aut Cornu &c. & igni ſubjicitur, tunc demum actualem deflagrationem & inflammationem concipit.

§. V. Circa geneſin Nitri adhuc notare convenit, quod eo peculiaris putrefactionis gradus requiratur, haud enim multa ac nimia quantitas aqueæ humiditatis huc pertinet, quæ potius ad fatuitatem Nitri conciliandam contribuit; unde moderatus eſſe debet humiditatis acceſſus: neque etiam putrefactio eſſe debet repentina, ſimultanea & impetuoſa, alias notabilis copia ſubſtantiæ pinguioris diſſipatur & inde emergit Nitrum magis ſalinum, quam inflammabile: proinde hæc Nitri nativitatis tam quoad principium ſalinum, quam quoad inflammabile ad terras ſabuloſas & arenoſas peculiarem involvit relationem, quemadmodum tale ſalinum corroſivum ſubjectum ſubtiliter & firmiter cum alcalina-calcarea terra coaleſcit, uti etiam viciſſim pinguedines in ſua prima mixtione cum talibus terris ſubtiliter conveniunt; quare in Nitri proventu & generatione maxime obſervanda eſt illa exquiſita mixtio ſalino-pinguioris ſubſtantiæ cum terrea tali materia, quippe quæ conſiderationes fundamentum ſuum habent in diverſis experimentis oeconomicis, quæ in ſenſus incidunt, ſicut viciſſim hæ notitiæ iterum in œconomiam exactam ſuam utilitatem transferunt.

§. VI. Multum ad maturationem, nobilitatem & activitatem Nitri in ſua nativitate contribuit acceſſus aëris, è quo præcipue non exigua quantitas principii inflammabilis ſalinæ nitri ſubſtantiæ conciliatur; ſiquidem ſub defectu hujus principalioris ſubſtantiæ reliqua Nitri ſubſtantia debilior magisq; fatua eſt, quale nitrum debile propterea non penitus eſt rejiciendum, ſed tantum ad completam maturitatem priſtinæ ſuæ terræ inſinuandum, ſiquidem

 nitri

nitri coctores matricem ſuam longe fructuoſius uſurpant, ſi denuo terris, ad nitri geneſin expoſitis, illam immiſcent, quam ad Magneſiæ præparationem vendunt: de reliquo non defuerunt, qui ante Glauberum ex conſtructis muris fornicatis Nitri proventum atque geneſin demonſtrarunt, dum ad eosdem materiæ ſalino-pingues ſucceſſive adducuntur & ad moderatam putrefactionem promoventur; interim Lixivium illud, quod ex ejusmodi terra nitroſa colligitur nondum ſtatim in ſalinam ſiccam ſolidamque aut cryſtallinam nitri conſiſtentiam converti poteſt, quemadmodum ad hujus conſiſtentiæ proventum neque Sal volatile neque nuda terra calcarea murorum neque terra limoſa, neque gypſea, ſed potius terra alcalina fixa ê cineribus lignorum duriorum ſelecta confert, ſiquidem ad veram Nitri cryſtallini præparationem tale alcali fixum & tantillum calcis vivæ uſurpatur, quæ poſterior ſicuti in nimia quantitate addita Nitri geneſin & præparationem impedit, ita in moderatiori quantitate adhibita non modo Nitri proventum adjuvat, ſed & ad Nitri depurationem contribuit, dum ſal commune in reliqua terra nitroſa obvium & ex additis urinis reſiduum ita colliquat, ne in Nitri conſiſtentiam tranſeat, ſicut alias ad hanc ſeparationem Salis communis à ſale nitroſo ſufficiens nitroſi lixivii dilutio convenit.

§. VII. Poſt geneſin Nitri brevibus hactenus indicatam, principaliſſima hujus ſalis qualitas, per quam ab omnibus aliis tum ſalibus, tum phyſicis ſubjectis, diſcretum Sal eſt, commendanda & inquirenda erit: hæc qualitas conſiſtit in repentina deflagratione & incandeſcentia, qua mediante non modo ipſum hoc ſal per minima reſolvitur, ſed & qua alia addita ſubjecta adeo attenuantur & diſſolvuntur, ut pro ſimili effectu adminiſtrando nullum ſimile reperiatur ſubjectum: pro hoc phænomeno exponendo neceſſe eſt ſcire, quod Nitrum, ut ſal cryſtallinum, quatruplici conſtet principio conſtitutivo: principaliora horum principiorum ſunt principium inflammabile & acidum, reliqua ſunt aqueum & terreum alcalinum fixum; unde quaſi quatuor elementa ſic dicta in hoc ſale reperiuntur: per inflammabile illud principium hoc ſal eſt deflagrabile; per aqueum vero, quando calor accedit nanciſcitur primum & præcipuum impulſum, quo prius in rapidum & efficacem talem motum transferatur, ut flammam concipiat: eſt enim aqua hujus indolis, ut per calorem in aëream tenuitatem & elaſticitatem convertatur, non tamen propterea in ipſam aëris ſubſtantiam transformetur: per hanc elaſticam expanſionem & halituoſum afflatum illud ſubtile pingue inflammabile principium ad futuros effectus inflammationis excitatur.

§. VIII. Quanquam Nitrum ad concipiendam & excitandam flammam

aptiſſi-

aptiſſimam ſal ſit, tamen per ſe minime deflagrat, niſi ſubjectum aliquod adjiciatur, quod de inflammabili principio participat: etenim licet Nitrum de eodem ſubtili inflammabili principio gaudeat, attamen illud inſufficiens eſt pro motu deflagrationis & actualis inflammationis ſuſcipiendo, unde aliquo adjumento ejusdem inflammabilis ſubſtantiæ indiget, ut ſub ſufficienti copia illius principii denique deflagratio talis oriatur, quapropter Nitrum cum omnibus illis ſubjectis exardeſcit & ſubtilem, vehementem & efficacem flammam induit, quæ inflammabilia ſunt, ut Carbones, Sulphur, Tartarus, Saccharum & metalla quædam ignobiliora, velut Mars, Jupiter, Antimonium hujusque regulus; proinde Spiritus Nitri cum terreis aliis ſubjectis animalibus, ut Cornu Cervi, Ebore, oſſibus, ungula ita coaleſcit, ut poſthac facile levi calore impulſus in flammam erumpat: quando vero per ſe Nitrum funditur, tunc haud deflagrat, interim ſucceſſive aliquid per evaporationem de ſalino & inflammabili ſuo principio amittit, ut reliquum corpus magis acre lixivioſum & alcalinum evadat.

§. IX. Et per hoc principium inflammabile Nitrum non modo nobilitate, ſed & activitate ab aliis ſalibus diſcrepat, quemadmodum idem hoc phlogiſton principium & odore & colore ſe prodit, uti per illud ipſum etiam miros & ſtupendos illos effectus repentinæ & intimæ diſſolutionis corporum additorum & propriæ ſuæ mixtionis exſerit; hoc ſubtile & valde mobile principium inflammabile primum ſuum efficacem impulſum nanciſcitur ab illo cohærente aqueo principio, quod igneo motu agitatum, quaſi aëream elaſticitatem tum in totum Nitrum, tum in alia commixta ſubjecta exercet. Et ſicut ad aliorum principiorum inflammationem aëris acceſſus abſolute requiritur, ita hoc nitrum talem aëri analogum halitum & elaſticum motum ſuppeditat, à quo etiam pendet illa admiranda Nitri efficacia, qua ſubito & intime corporum mixtiones penetrat & disjungit, qualem ſeparationem ſolus ignis communis, etiamſi fortior fuerit, tam prompte non perficit, quemadmodum aliàs variis experimentis hæc potentia elaſticæ commotionis aquæ expanſæ & caloris motu agitatæ demonſtrari poteſt.

§. X. Inter illas qualitates, quæ Nitrum ab aliis ſalibus diſtingvunt merito duplex hæc recenſenda erit, primo quod ſit ſal valde mobile & repentinæ activitatis, ſiquidem præ omnibus acidis corroſivis menſtruis citius ſubjectas terras metallicas aggreditur; deinde valde proclive eſt in volatilem tenuitatem ſuſcipiendam; ſiquidem tunc ad ſenſus illius volatilitas comparet, quando metalla ſolvit, uti ſub actu ſolutionis vix facile coërcibilis halitus evaporat: tanto facilius hoc acidum in volatilem tamen halitum convertitur,

quando alia ſubjecta, volatiliſationem adjuvantia, adjiciuntur, ſicuti per acidum concentratum vitriolicum hoc acidum Nitri in ſubtilem talem tenuitatem redigitur, unde cum oleo Vitrioli puriori famoſus ille *Spiritus Nitri Fumans* præparatur: & ita etiam hic Spiritus volatilis alicubi elegantem cyaneum colorem nanciſcitur, qui ipſi proprius eſt, neque à metallis aut inſtrumentis, in quibus præparatur, proficiſcitur; unde hic color cum reliquo transhalante ſpiritu volatili fatiſcit: hanc ipſam vero gradu diſtinctam volatiliſationem hoc ſal æque per hactenus deprædicatum principium inflammabile Nitri nanciſcitur, ſicuti illius efficacia per idem principium adjuvatur & augetur.

§. XI. Utut vero Nitrum præcipue è ſalino & inflammabili illo principio conſtat, tamen utraque hæc principia facili opera è reliqua ſalino-cryſtallina compage duci & ſeparari poſſunt, ut non niſi illud principium remaneat, per quod nitrum venale terream ſuam duritiem & denſitatem habet, nimirum portio alcalina; uti alias nitrum halituoſam tenuitatem habere ſolet: & hac ratione mediantibus carbonibus, Nitro additis, producitur *Nitrum Fixum* aut fixatum, quod nihil aliud eſt, quam ſimplex & nudum alcali, paulo magis concentratum, unde non ita cito deliqueſcit, quod chymici ad varios uſus, perinde chymicos depuratorios ſeligere & præferre ſolent, & ex quo nonnulli cum additamento ſpiritus volatilis & eſſentiæ carminativæ antinephritica remedia parare ab aliis didicerunt: ita etiam Nitrum cum tartaro deflagrat & à ſuo ſalino & inflammabili principio ſeparatur, uti viciſſim Nitro fixato cum tartaro denuò ſufficienter liquato aliqualis ſulphurea ſimilitudo reddi poteſt: quando vero Nitrum cum aliquali ſulphuris quantitate tractatur, tunc miſcellaneum exinde provenit productum, quod conſtat partim ex acido ſulphuris & terra Nitri alcalina, adeoque medium ſal conſtituit, partim ex reſiduo acido nitroſo quale productum in Pharmacia nomen *Lapidis Prunellæ* tenet & efficaciam deterſivam, incidentem & ſimul temperantem habet, adeoque ad varios affectus in ſatis probato & laudabili effectu adhibetur.

§. XII. Colligitur itaque acidum Nitri, quando à ſua connexa terra alcalina liberatur; quo purior itaque, plenior & intimior hæc ſeparatio eſt, eo ſubtilior, mobilior & volatilior erit ſpiritus ille acidus, qui ſecundum communem methodum, à Vigano deſcriptam, per additionem Boli aut terræ rubicundæ bolaris præparatur, non quaſi hæc acidum Nitri volatile reddat, aut coërceat, ne denuo concreſcat, ſed quia in tali terra aliquid hujus ſalis potentioris adeſt, per quod Nitro corpus terreo-alcalinum aufertur: ex omnibus illis ſubjectis, quæ ad hanc ſeparationem acidi nitroſi præcipue inſer-

ſer-

ſerviunt præferri meretur acidum vitriolicum, quod ſi concentratum fuerit, Spiritum Nitri volatilem & fumantem præbet, id quod contingit, ſi una pars olei Vitrioli cum partibus duabus Nitri miſcetur & ſecundum hoc fundamentum Aqua fortis non aliud quam nitroſum acidum eſt, licet in tali judicio Viganus non parum aberret, dum ad aquæfortis eſſentiam etiam acidum vitriolicum refert: interim proceſſus præparandi Spiritum Nitri cum terra bolari eſt diffuſior, operoſior & difficilior: quod è præparatione Spiritus Nitri cum vitriolo calcinato aut acido Vitrioli remanet hactenus nomen obtinuit *Arcani* & quidem non ſimplicis, ſed *duplicati*, quale alias Chymici extempore cum Spiritu vitrioli & Nitro fixo præparare ſciunt: quando Spiritus Nitri à ſua terra liberatus eſt, tunc corroſivus evadit, quæ corroſivitas per Spiritum Vini rectificatum edulcorari poteſt, hinc è Spiritus Nitri rectificati parte una & Spiritus vini rectificatiſſimi partibus quatuor vel quinque per deſtillationem modeſte inſtitutam provenit portentoſus ille *Spiritus Nitri dulcis*, qui in medicina practica vulgari magni quidem nominis, ſed ſæpe parvi ominis exiſtit.

§. XIII. Habet inſuper Nitrum hanc diſtinctam notatu dignam & præ aliis ſalibus acidis peculiarem qualitatem, ut, dum corpora quædam metallica ſolvit, hiſce ſubtili modo aliquid de ſalino & inflammabili ſuo corpore imprimat & communicet, adeo ut, ſi hæc metalla denuo è menſtruo illo ſalino præcipitantur, eadem communicata principia in calce præcipitata ex variis effectibus obſerventur, cujus rei luculentum teſtimonium perhibet famoſum illud aurum fulminans, quod, ſi legitime in aqua regia ſive acuato ſpiritu Nitri præparatum & mediante Spiritu bono volatili urinoſo præcipitatum fuit, longe alios effectus exſerit, quam ſimplicior calx auri, dum non modo ſubtili quadam ſepſi & emeticos & catharcticos effectus prodit, ſed & fulminantem illum famoſum exhibet; unde quantitas quædam auri in tali menſtruo ſoluti iterumque præcipitati poſthac majus pondus continet, id quod teſtatur, quomodo ex hoc menſtruo aliquid materiale ipſi acceſſerit, inde Beccherus autumat, ſi quisquam poſſet hoc additamentum ſalino-inflammabile in auro fulminante figere & ligare, quod eo ipſo etiam poſſet ipſum auri pondus augmentare, licet modus hujus ligationis adhuc alte lateat; ſimiliter & Marti & cupro cum Spiritu Nitri fulminans talis qualitas induci poteſt: provenit itaque hæc qualitas fulminans ab accremento inflammabilis principii, licet viciſſim ille fulminans effectus in auro fulminante cum ſulphure cohiberi & alterari poſſit.

§. XIV. Ejusdem dignitatis obſervatio eſt, quando Marti addito & ſoluto Nitrum talem ſingularem qualitatem conciliat, ut deinceps ulterius ſolvi & at-

tenu-

tenuari poſſit & quidem non cum menſtruo acido, ſed potius alcalino: ſermo eſt hoc loco de *Solutione Martis in puro alcali*, quod experimentum primum invenit, exhibuit & pro dignitate peculiari ſcripto commendavit Stahlius, ſiquidem olim inaudita res fuit, quaſi ferrum cum ſimplici alcali ſolvi & attenuari poſſit & quidem in tali proceſſu ubi antea hoc metallum ab acido Nitri ſolvitur, cum rectius recepta fuerit opinio, quod inter acidum & alcali perpetuum diſcrimen atque certamen ſit, ita ut quod acidum alterat, illud alcali non attingat & vice verſa: hoc vero experimento plane contrarium docetur, dum ferrum è Nitro ſolutum & in ſaturatum alcali dejectum ab hoc efficaciſſime arripitur & ſolvitur & quidem propterea quia huic ferro portio inflammabilis principio de nitro adhæreſcit, quod illud jam eo usque aptavit, quo ab alcali attingi poſſit, præprimis cum alcalia ſubinde in corpora cum inflammabili principio prædita operentur, teſtimonio Croci Martis aperitivi Quercetani, qui cum alcalino Nitri corpore præcipue præparatur.

Conf. Stahlii Opuſc. phyſ. chym. med. p. 731. ſeqq.

§. XV. Hoc acidum Nitri ſicut metallis, quæ ſolvit, de ſuo inflammabili principio aliquam quantitatem communicat, ita viciſſim non alia metalla aggreditur & ſolvit, quam quæ de inflammabili principio participant; quæcunque itaque corpora ſufficienti quantitate hoc principium poſſident, illa etiam prompte diſſolvit, teſtimonio Martis, Zinci, Jovis, Veneris, quæ vero parcius hoc inflammabile principium continent, illa debilius aggreditur, exemplo Saturni; & quæ corpora ſuperflue hoc principium complectuntur, illa vel plane non, vel tardius, vel non niſi ſub certa enchireſi aggreditur; hinc Spiritus Nitri ſulphur & carbones ægerrime ſolvit & non niſi illud ſub longiori digeſtione leviter alterat, ut paululum impalleſcat, hos vero plane non attingit, niſi hi cum Nitro crudo commixti ſimultaneam deflagrationem ſubeant, ad quam diſſolutionem tum motus caloris, tum elaſticitas Nitri contribuit; ita etiam hoc acidum mineras metallorum eo quod de principio inflammabili ex ſuperfluo gaudent non aggreditur, viciſſim etiam calces metallorum, propterea quia exuſtæ & hoc principio penitus privatæ ſunt, non afficit.

§. XVI. Et ita ſeſe Nitri acidum per illud principium, hactenus celebratum, inflammabile commendat, per quod in oppoſita & ſubjecta corpora virtutem ſuam magna efficacia exſerit; quamdiu itaque hoc acidum Nitri fixum & cum principio inflammabili præditum eſt, tamdiu etiam prompte metalla ſolvit; quando vero hoc acidum volatile redditum fuit, tunc

non

non modo corroſivum ſuum ſaporem, ſed & effectum illum metalla corrodentem utplurimum amittit, niſi hic volatilis Nitri Spiritus cum aliis ſubjectis ſingularem effectum edat, quando videlicet cum oleis ſic dictis æthereis miſcetur, ubi non modo repentinam efferveſcentiam, ſed & incaleſcentiam & inflammationem actualem nanciſcitur, ſicuti talis volatilis ſpiritus compendioſiori modo ex ſolutione Martis colligi poteſt, quando vapor ille flavus tranſpirans ſeorſim aſſervatur, qui ſpiritum illum volatilem cyanei coloris ſubminiſtrat.

§. XVII. Eſt præterea hoc Nitri acidum præ ſalis communis acido potentius, unde illud ad hujus liberationem à terreo ſuo corpore inſervit, quemadmodum ad ſalis communis ſpiritum producendum Nitri ſpiritus prompte ſatisfacit, ſicuti ſimile experimentum occurrit in aliis acidi ſalis communis reſolutionibus, quando reſolutioni Mercurii, argenti, aut ſaturni cum ſpiritu Nitri factæ, ſolutio ſalis communis additur, ubi Nitri acidum terram alcalinam ſalis communis aggreditur & metallum illud deſerit cum quo antea coaluit, quod deinde acidum ſalis communis è terra ſua libertatem arripit, ut è poſteriori mixtione vel Luna cornua vel Saturnus cornuus prodeat, ſicut è priori mixtione Nitri cum terra ſalis communis non aliud quidem, quam nitroſum ſal provenit, quod tamen aliam figuram induit: ex hoc experimento fluit pharmacevtica illa præparatio Mercurii præcipitati, quando antea Mercurius vivus cum acido nitroſo ſolvitur & deinde cum ſolutione ſalis communis, vel ſolutione alcali præcipitatur, unde modo albus, modo flavus provenit Mercurius præcipitatus, quibus ſi rectificatus Spiritus vini affunditur, tunc nova ſolutio accedit, è qua poſthac famoſus quidam Mercurius diaphoreticus provenit, quando Spiritus vini deflagratur & reſiduus pulvis iterum edulcoratur: ita per præcipitationem Mercurii ſublimati, cum aqua ſoluti, mediante ſolutione ſalis alcali factam, Mercurius præcipitatus ruber provenit, uti incarnatus talis præcipitatus Mercurius obtinetur, quando ſolutio Mercurii vivi cum aquaforti per urinam recentem præcipitatur; quodſi denique Mercurius præcipitatus albus edulcoratus denuo ſublimationi tradatur, tunc exinde Mercurius dulcis produci poteſt.

§. XVIII. Quemadmodum itaque acidum Nitri ſolida corpora prompte aggreditur, ita præter terreum alcalinum corpus adhuc multas alias terras, quin plurima penitus metalla diſſolvit, niſi aurum intactum relinquat, ſicut etiam ſtannum & regulum Antimonii haud intime disjungit, licet in ſubtilem pulvillum transferat & ex iisdem aliquid de inflammabili principio extrahat, quod alias hiſce ſubjectis nitorem conciliat & facultatem, qua in

 igne

igne facile fundi queant, præbeat; hinc acidum nitroſum è ſolutionibus ſtanni & Reguli antimonii melioratur, dum de hoc inflammabili principio aliquam quantitatem amplectitur, de reliquo illud acidum cum Marte, Zinco, Venere, Stanno & Regulo antimonii incaleſcit; minus vero cum Mercurio, Saturno & argento.

§. XIX. Proinde diverſæ circumſtantiæ de capacitate & qualitate acidi nitroſi in perficiendis ſolutionibus annotandæ ſunt & quidem primo occurrit ſingularis energia illius acidi reſpectu quantitatis, quantum nimirum de ſubjectis corporibus ſolvat & arripiat, ita plurimam partem aſſumit de corporibus alcalinis fixis, ſufficiens pondus de Marte, magis imminutum de argento, minus de Mercurio, minimum de plumbo: deinde etiam diſcrepat ratione qualitatis, quam prompte ſcilicet atque facile ſubjecta corpora diſſolvat & arripiat: hinc maxima promptitudine ſolvit alcali fixum, poſtea volatile, præterea terras macras, dehinc Martem, porro cuprum, nec non Saturnum, ut & Mercurium & denique argentum. Ultimo etiam occurrit diverſitas quoad intimiorem cohæſionem cum ſubjectis terreis ſolutis, quæ ex eo maxime inclareſcit, quando hoc acidum vel facile, vel difficulter tales terras iterum dimittit, quapropter maxime firmiter cohæret cum alcali fixo, minus vero cum volatili; deinde firmam concretionem ſubit cum creta & lapide Calaminari, ex parte etiam cum ferro, paulo minus cum cupro, adhuc minus cum plumbo, argento & Mercurio.

§. XX. Et hoc ipſum acidum congreditur etiam cum Stanno & Regulo antimonii, hinc in Nitro antimoniato illius veſtigium occurrit, etenim, quamvis hoc ſpecialiorem Nitri indolem & qualitatem amiſerit, dum non amplius deflagrat, neque haſtatam figuram præſentat, neque facile ſolvi poteſt, tamen ſi illud cum alumine miſcetur & efficacius conteritur, mox exinde tranſpirat halitus Spiritus Nitri, in eodem Nitro antimoniato incluſi, nune odore ſeſe prodentis: ita etiam hoc acidum Nitri quantiſper afficit Sulphur auratum antimonii, quoniam in eodem adhuc regulina antimonii portio præſto eſt, licet ſulphuream ſubſtantiam hujus ſubjecti difficilius aggrediatur: quando acidum illud cum oleis tenerioribus deſtillatis, velut Therebinthinæ, Juniperi & Succini miſcetur, tunc cum iisdem ſub mora quadam coaleſcit, inde amaricantem ſaporem induit & corroſivam qualitatem dimittit, reliquam vero oleoſam fluidiorem portionem in ſpiſſiorem conſiſtentiam convertit.

§. XXI. Præterea etiam acidum nitroſum facile cum Spiritu vini convenit, qui illius corroſivam qualitatem temperat ac edulcorat, qualis alteratio

tio facilius ſuccedit, ſi utraque ſubjecta rectificata fuerint & per modum deſtillationis coagitentur, inde provenit ille famoſus Spiritus Nitri dulcis, cujus in præcedentibus mentio facta; de reliquo ipſum Nitrum cryſtallinum præ aliis ſalium ſpeciebus igneo motu agitatum promptius in fluorem abit, uti etiam illorum corporum, in quibus exigua inflammabilis ſubſtantia adeſt, fuſionem adjuvat, cum contra ſub commercio aliorum ſubjectorum, paulo largius inflammabilium, dum eorundem principium phlogiſton exurit, etiam illorum fuſionem impedit, uti Stanni, Reguli antimonii, Martis & Cupri quemadmodum viciſſim vitri, argenti & auri liquationem facilitat, quotquot vero ſubjecta ex Nitri additione minus fuſibilia evadunt, illa ſal commune additum facilius liquat & ad fuſionem promovet.

§. XXII. Ita etiam Nitrum ſingularem uſum & utilitatem affert ad ſeparationem nobilium metallorum ab ignobilibus, uti hoc modo aurum atque argentum per additionem Nitri à Marte, Venere & Regulo antimonii depurari & ſeorſim colligi poteſt, dum additum Nitrum impuriora illa metalla diſſolvit & in ſcoriam ducit, ut reliquum purius metallum iterum in unam ſimplicem maſſam congrediatur; quale experimentum, ſicuti quidem in furno communi, ita tanto purius in furno docimaſtico ſuccedit; quemadmodum hoc modo puriora metalla à nimio ſuo principio ſulphureo adhærente liberari & nobilitari poſſunt, quominus valde friabilia, ſed magis ductilia exiſtant: & hoc eodem fundamento nititur minerarum tractatio & ſeparatio à puriori metallo, quando Nitri ſuperfluum ſulphur cum cohærente terra inutili exurit & in ſcoriam rapit, licet hic modus magis in minori, quam majori operatione proficuus ſit: utut vero interdum Nitrum ad diverſorum metallorum reductionem inſervit, ita viciſſim ad variorum ſubjectorum reductionem quadrat, quemadmodum vulgo è Nitro & Tartaro famigeratus ille pulvis reductorius parari ſolet.

§. XXIII. Et ita hactenus Nitri relatio ad ſubjecta inflammabilia multiplici experimento fuit demonſtrata, quo adhuc quaſi iterata vice hanc chymicam obſervationem refero, quod Nitrum cum Tartaro mixtum promptam deflagrationem & reſolutionem ſubeat, inde fit, ut Nitrum cum æquali parte Tartari deflagratum & intra præpoſitum Spiritum vini exceptum tertium miſcellaneum productum, quod Spiritus de tribus ſive carminativi nomen obtinuit, conſtituat, in quo partim oleoſa tartari ſubſtantia, partim acida Nitri portio & alcalina utriusque ſubjecti materia reperitur, ſicut alias cum Nitro & Tartaro in crucibulo deflagrato Sal Tartari extemporaneum conficitur: quodſi plus Tartari quam Nitri in aliquam mixtionem convertitur, tunc

 exinde

exinde illa maſſa provenit, quæ pulverem antea dictum reductorium, qui vulgo der Schwartze Fluß vocatur, exhibet, alias ſi Nitrum in majori quantitate cum Tartaro mixtum tractatur, lentius tunc ardet: optime ad reducenda metalla illa maſſa ſatisfacit, cum ſolus Tartarus ad reductionem quidem aliquo modo conveniat, ſed ad promovendum fluxum non ſatisfaciat; quemadmodum viciſſim nudi cineres clavellati aut carbones, licet ex aliqua parte reductioni adjuvandæ reſpondeant, varias difficultates in reliqua operatione cauſentur: denique Nitri acidum cum auro non facile coaleſcit, quoniam hoc parum de inflammabili principio participat, quodſi vero illud acidum cum ſalis communis acido acuatum & in aquam ſic dictam regiam converſum fuerit, tunc aurum aggreditur & ſi acidum Nitri modicam antimonialem ſubſtantiam continet, qualis in Spiritu Nitri bezoardico reperitur, tunc aurum ex parte ſolvit, ex parte etiam dealbat, ſecundum obſervationem Boylei, qualis dealbatio antimonialibus regulinis ſubſtantiis adſcribenda erit.

CAPUT IV.
DE SALE COMMVNI.

§. I.

E principalioribus Salibus acidis tertia nunc ſequitur ſpecies, quæ vulgo nomine *Salis communis* ſive *Culinaris* venire ſolet, quam appellationem propterea nacta eſt, quia illius uſus vulgaris communis & culinaris exiſtit: Et hujus Salis largiſſima penus occurrit, ita ut propter hanc eximiam ubertatem etiam Commune appellari mereatur. Inprimis illius proventus triplex ſatis copioſus & notatu dignus eſt, ſiquidem primo totum vaſtum mare hoc Sale turget, unde aqua marina ad uſus conſuetos & quotidianos inprimis diæteticos vix apta eſt, quia variis damnis inferendis & ſanguinis craſi depravandæ ſatisfacit: alias in variis locis inprimis ad decliviora litora Hiſpaniæ, Portugalliæ, Galliæ, quid quod in ipſa America è mari alluente hoc Sal peculiari ſtudio colligitur & ſubinde in diverſis nationibus, inprimis in Belgia, Friſia, ad mare Balticum ad uſus domeſticos aliosque uſus civiles uſurpatur: licet tale Sal è mari collectum crudius, impurius & acrius ſit, adeoque per repurgationem quandam emendari poſſit, ſicut ex hiſtoriis conſtat, quomodo intra tropicos oceanus longe acrius Sal tale contineat.

§. II.

§. II. Alter proventus hujus Salis eſt ſubterraneus & tale *Sal* è terris effoſſum dicitur *Montanum*, quod in variis Germaniæ locis, maxime vero in Polonia, referente Matheſio, ſatis copioſo proventu reperitur, uti alias in Hungaria, Tranſylvania, Stiria, Carinthia, Carniola & Tirolo inventum fuit, in quibusdam locis hoc Sal montanum paulo impurius eſt, quare antea fruſta illius ſolvuntur, denuoque inſpiſſantur: interea notatu dignæ circumſtantiæ circa hujus Salis proventum occurrunt, ſiquidem nimis profunde in terris reperitur; proinde magnus tractus terræ hoc Sale repletus invenitur, inſuper ſecundum quorundam affirmationem in profundis terræ illud Sal regeneratur & denique in locis ſubterraneis fruſta diffracta leviora eſſe deprehenduntur, quæ ſupra terram protracta ponderoſiora evadunt, dum partim humiditatem ex aura attrahunt, partim poroſiora evadunt, adeoque copioſius cum aëre replentur: & hoc Sal ſupplet defectum Salis fontani, eundemque uſum diæteticum habet.

§. III. Tertia ſpecies hujus Salis communis conſtituit *Sal Fontanum*, quod ex inexhauſtis fontibus colligitur & ſeparatur: & certe hoc eſt peculiare donum Dei, quod ejusmodi fontes largo apparatu conſtanter fluant affluantque, quorum fontium geneſis magis phyſicis diſquiſitionibus relinquenda eſt, quam chymicis animadverſionibus: quantum vero conſtat etiam ipſi hi fontes & aquæ ſalinæ ſubterraneæ in eo differunt, quod unus fons præ altero plus hujus Salis contineat, ſicut quædam aquæ ſalinæ nonnunquam magis aquoſæ, quam cum ſale ſaturatæ ſunt, id quod vulgo aquis infœcundis & crudis, quos die wilden Waſſer vocant, adſcribunt & quæ propterea à reliquo lixivio juſta enchireſi, quam nominant die Gradirung ſeparanda eſt: & ex ejusmodi fonte ſalino per ſimplicem coctionem Sal hoc colligitur, quod eo purius evadit, quando materiæ quædam inteſtinum motum promoventes ſub coctione affunduntur, uti hic loci cum fæcibus cereviſiariis, cereviſia triticea & ſanguine ovillo contingit: inde enim evenit, ut terreſtres limoſæ aliæque impuritates à reliquo lixivio melius & facilius ſecedant: ſi denique tale lixivium ſalinum paulo lentius evaporatur, tunc majores cryſtallos exhibet.

§. IV. Quod nunc Sal marinum attinet, tunc illud non ſimplex, aut ſatis parum eſſe deprehenditur, quin varii teſtantur, quod aqua marina non parum participet de principiis nitroſis, quæ è diverſis putrefactionibus, in mari contingentibus, prodeunt: id ipſum demonſtrari poteſt partim ex eo, quod cum ſpiritu ex aqua marina parato aurum quantiſper ſolvi poſſit, in qua qualitate indolem aquæ regiæ refert, uti ſimplex Spiritus Salis id haud

efficere poteſt, partim aqua marina non ad extinguendam flammam incendiorum, quæ naves corripiunt, ſatisfacit, ſed potius ad augendam illam quadrat, ſicut hæc qualitas in promovenda flagratione nitroſo ſubjecto omnino imputanda eſt: licet quidem Sal commune per aquoſum, quod continet principium, ſubtili, attamen efficaci halitu & elaſticitate flammam augere queat: interim facile liquet, quod præter hanc miſcelam Sal marinum varias alias impuritates contineat, neque illis uſibus inſerviat, quibus purum & ſimplex acidum Salis communis ſatisfacere debet.

§. V. Sal montanum ſeu foſſile & gemmæ, quod inſtar gemmarum pellucidum exiſtit & petroſum eſt, perinde multa impuritate præditum deprehenditur, quod in magnis fruſtis è locis ſubterraneis eductum, ſi valde impurum fuerit & è terrea & petroſa ſubſtantia participaverit non ſtatim ad uſus culinares adhibetur, ſed antea in pura aqua ſolvitur, depuratur & per modeſtam coctionem exſiccatur & cryſtalliſatur: interim idem Sal craſſitie & duritie ſua marinum æque ac fontanum Sal ſuperat, licet è quibusdam terræ tractibus aliquando purius tale Sal extrahatur, quod tamen dentibus comminutum groſſius eſt, neque ita concentratum, ſiquidem perinde in tali compage ſalina multæ craſſæ terreſtres ſubſtantiæ comprehenſæ ſunt.

§. VI. Fontanum itaque Sal Commune puritate & nobilitate præcedentes ſpecies antecedit, quod per moderatam coctionem in cryſtallinam & ſiccam conſiſtentiam convertitur, in qua exſiccatione duplex hæc notatu digna circumſtantia addenda eſt, primo quod per fortiorem coctionem aliqua quantitas aciditatis ſalinæ diſcedat & transhalet, adeoque reliquum Sal paulo debilius evadat; ſecundo, quod plane ſatis notabilis quantitas hujus Salis per fortiorem coctionem fatua & iners reddatur, ut inſtar crudioris terræ coaleſcat: quanquam vero hoc ſal fontanum in variis Germaniæ locis reperiatur, tamen unum præ altero nobilitate præcedit, uti vulgo Luneburgicum Sal aliis ſpeciebus præfertur: & ad hanc docimaſiam hujus Salis communis variæ notæ inſerviunt, ex quibus utilitas & melior qualitas illius declarari poteſt: quemadmodum & ſapor & color ad craſſos illos characteres pertinet, per quos hoc Sal commune quoad loca ſua diſcrepans dignoſcitur.

§. VII. Conſiſtit itaque hoc Sal Commune ex acido illo principio ſpecifico, quod non aliud quam minerale eſt, cum acidum nitroſum de vegetabilium & animalium indole participet, deinde conſtat etiam è terra aliqua, quæ alcalinæ indolis eſt & quæ priori acido principio neceſſarium corpus & vehiculum ſubminiſtrat, mediante qua in ſicca & cryſtallina forma

ma comparet & corroſivam ſuam aciditatem minuit atque temperat: ſicut vero illud principium acidum quoad ſpeciem ſuam ab aliis aciditatibus diſcrepat, id quod variis rationibus demonſtrari poteſt, ita etiam hæc terra alcalina, quam Sal commune mox ſecum affert, ſpecialiſſimis qualitatibus prædita eſt: & quemadmodum communiter terra alcalina de vegetabilium proſapia eſt, ita hujus Salis communis, ſive marini, ſive montani, ſive fontani corpus alcalinum mineralis rectius indolis exiſtit, adeoque à vulgari alcali perquam diſcrepat: ita enim hæc terra alcalina cum alia acidi ſpecie non modo facile efferveſcit & coaleſcit, ſed & productum facile cum aqua ſolvi poteſt & proinde in aëre facile colliqueſcit, id quod viciſſim v. g. acidum Vitrioli cum communi alcali ſaturatum non efficit: imo quando hoc acidum Vitriolicum cum terra alcalina Salis communis ſaturatur, tunc productum adhuc ejus capacitatis eſt, quo addita metalla quantisper alterare & ſolvere queat: viciſſim hoc acidum cum communi alcali impraegnatam corroſivam ſuam efficaciam amittit & amaritiem aſſumit: nec non acidum vitriolicum cum terra alcalina Salis communis mixtum partim per ignem facile fundi poteſt, partim etiam aliis additis ſubjectis fuſibilitatem conciliat: unde facile liquet, quam peculiaris conſtitutionis hæc terra alcalina mineralis Salis communis ſit.

§. VIII. Inter alias peculiares & diſcretas qualitates hujus Salis communis & terreæ quidem illius ſubſtantiæ non infimæ dignitatis illa eſt, quod in ſuo nexu cum acido principio aliquoties ſoluta, iterumque intenſius cocta & exſiccata denique in aliquam fatuam terram tranſeat, quæ impoſterum neque facile ſolvi, neque cum igne fundi poteſt: aliàs quidam Chymicorum hoc Sal commune in affinitatem Mercurii conjecerunt, eo quod de ſubtili tali ſubſtantia participet, quæ in aggregationibus ſicceſcit, haud tamen per ſe ſolideſcit, quin potius connexa metallica corpora in fluiditatem transfert & ita hoc Sal commune ob fluiditatem ſuam aquæ ſimile evadit, licet quoad eſſentiam multum diſcrepet, uti alias Scriptores Chymici de Mercurio vivo teſtantur, quod in aqueam fluiditatem converti queat: inde etiam eſt, cur ob hanc deliqueſcentiam & diſcretam humiditatem, imo ob volatilitatem ſuam, qua hoc ſal alia ſalia ſuperat, reputetur, quod Sal commune Mercurialis proſapiæ ſit.

§ IX. Dantur etiam plures peculiares qualitates, quas hoc Sal commune in ſicca ſua conſiſtentia habet, ita enim in eadem non modo facile ſolvi poteſt, ſed etiam in igne eandem ſubtilem ſolutionem aſſumit, præterea etiam aliorum corporum metallicorum fluxum facilitat & quæcunque ſubjecta

cta ſub fuſione ita ſubtilia evadunt, ut cum aliquo diſpendio exhalent, illa in tantum obtegit & coërcet, ne adeo facile exſpirent: alioquin hoc Sal ſubtiliter & aquæ inſtar aut ſubtilioris ſpiritus in igne fluit, quando vero adhuc de ſuperflua humiditate participat, tunc cum aliquo ſtrepitu ſeſe diſpergit; qualem inquietudinem idem Sal exhibet, ſi ſuper carbones projicitur, ubi cum impetu & ſtrepitu crepare ſolet & per hanc elaſticitatem auget flammam & inſtar florum tranſpirat: ſicut hoc culinare eſt experimentum, quod hoc Sal non modo ignem urgeat augeatque, ſed etiam ſpiſſum vaporem emittat, cum quo vapore quidam caminorum incendia extinguere iubent: flamma vero, quæ cum hoc Sale permixta eſt, diverſimode colorata conſpicitur.

§. X. Hoc Sal Commune è talibus principiis conſtat, quæ ad Sal conſtituendum requiruntur, nimirum ex acido quodam certæ ſpeciei & alcali, quod corpus alcalinum, uti antea monui, perinde à communi vegetabili alcali diſcrepat: alias purius tale Sal commune parari poteſt, quando rectificatus Spiritus Salis cum Sale Tartari, aut alio alcali miſcetur, ſiquidem illud corpus alcalinum minerale, quod acidum Salis communis è ſuis fontibus affert, paulo craſſius eſt, unde illud Sal commune, quod cum puriori corpore alcalino paratum eſt, ad magis ſingulares effectus chymicos producendos inſervit; hinc Beccherus aſſeruit, quod hoc Sal in vulgari Chymia adhuc valde abſtruſum atque incognitum ſit: neque quidem penitus experientia deeſt, quomodo per depuratum tale Sal difficilis illa Mercurificatio metallorum paulo facilius obtineri poſſit.

§. XI. Sicut Sal commune mixtum corpus eſt, quod ex ſalino acido & terreo alcalino principio conſtat, ita hæc mixtio neque melius neque facilius diſſolvi poteſt, niſi hoc Sal cum potentiori acido miſceatur, uti eſt acidum vitriolicum, ſulphureum, aluminoſum, cum quali acido & præcipue aluminoſo, Ludovici ſpiritum Salis promtiori methodo præparare docet & ſuadet: imo ſuccedit etiam hæc ſeparatio acidi Salis communis cum bolis rubicundis, licet hæc methodus difficilior & variis impedimentis magis obnoxia exiſtat: quo magis acidum potentius eſt concentratum, eo ſubtilior & concentratior ſpiritus ſalis prodit, unde cum alumine uſto ſatis potens talis ſpiritus præparari poteſt, quamvis cum ſpiritu vitrioli rectificato concentratior talis Spiritus Salis produci queat, aut cum oleo vitrioli & Sale communi Spiritus Salis fumans confici poſſit: ſi vero cum vitriolo ſimplici hæc ſeparatio inſtituitur, tunc illa difficultas proceſſum premit, quod acidum vitrioli auferat terram alcalinam Salis communis, ſed liberatus ſpiritus Salis denuo

nuo aggreditur metallum vitrioli & ſi proceſſus urgetur, tunc ſpiritus, qui deſtillat, impurior eſt & de metallico corpore participat: de reliquo hoc acidum Salis communis valde aquoſum à ſua fatua humiditate ſeparari poteſt, quando ſpiritus Salis miſcetur cum Marte aut Cadmia, deinde humiditas aquoſa leniter evaporatur & denique cum intenſiori caloris gradu à metallo concentratum acidum educitur, quod quia ſubtilius eſt, propterea facilius metallum deſerit, neque groſſiores hujus moleculas ſecum evehit.

§. XII. Dum acidum ſulphureum, ſive vitriolicum fuit, ſive aluminoſum, cum Sale communi miſcetur & hujus terreum corpus abſorbet, liberat ac in nexum ſuum aſſumit, tunc ſeſe cum eodem terreo alcalino ſubjecto impraegnat & ad ſaturitatem commiſcet, eoque ipſo corroſivitatem ſuam amittit & mediam aliquam qualitatem induit, inde propterea provenit Sal medium, quod de acido ſulphureo & alcali ſalis communis participat, quale Sal medium à Glaubero ad miraculoſos uſus commendatum proſtat, quare Sal mirabile Glauberi vocatur, quod in tantum ab aliis mediis Salibus diſcrepat, in quantum propter alcali minerale aut ſubterraneum Salis communis facilius ſolvitur, aut in deliquium abit: ſicut non modo in uſibus medicis præſtantiores effectus abſterſivos exſerit, dum citius colliquatur, aliisque ſpiſſioribus materiis inſinuatur, ſed & in uſibus chymicis facilius fundi poteſt, aliorumque corporum additorum fuſionem ſublevat: alioquin quidem mediam illam indolem conſtanter tenet & Salibus ſic dictis enixis ſive neutris jure meritoque accenſeri debet.

§ XIII. Et quemadmodum hoc Sal commune à ſuo terreo corpore per potentiſſimum acidum ſulphureum liberari poteſt, ita eadem ſeparatio ſuccedit per acidum nitri, quod ratione ordinis perinde præ acido Salis communis potentius eſt: dum vero illud acidum nitri terram alcalinam Salis communis amplectitur, tunc evenit, ut Nitrum corpus quoddam recuperet, mediante quo cryſtallinam ſiccam & ſalinam conſiſtentiam aſſumit, quod acidum, quia paulo modeſtioris activitatis eſt quam ſulphureum, eapropter etiam temperatiorem quantitatem terræ alcalinæ apprehendit: cryſtalli vero, quales inde proveniunt haud figuram Nitro alias convenientem haſtatam & hexaetram, ſed illam, quæ Sali communi competit referunt: ſubinde etiam ejusmodi cryſtalli paulo facilius humeſcunt, quoniam terreum illarum corpus alcalinum, quod antea in Sale communi hæſerat citius & facilius deliqueſcit.

§. XIV. In præſenti explicatione liberandi & ſeparandi acidi Salis communis à ſua terra ulterius ſciendum, quomodo in ſubtili perquam & vola-

tili qualitate hic Spiritus Salis præparari & colligi queat, quando ipſe antea cum Mercurio currente concrevit & deinde per additionem Stanni ab eodem iterum liberatur, ita evenit, ut dum acidum illud Mercurium deſerit, Stannum vero aggreditur, motus caloris ſuperveniens transeuntes has moleculas valde ſubtiles in altum pellat, licet quædam illarum ſubjectum Stannum aggrediantur, tamen multæ de iisdem ſecedunt & volatilem conſiſtentiam retinent: & licet aliquid hujus metalli in altum evehatur, tamen poſthac volatilis ille ſpiritus per nudam transhalationem in aliud præpoſitum vas ſeorſim & à metallo liberatus colligi poteſt.

§. XV. Hoc fundamento nititur præparatio famigerati illius concreti, quod appellationem *Mercurii ſublimati* aut per excellentiam inter antiquiores Chymicos Mercurii ſignificationem tenet: conſtat hoc productum ex acido Salis communis & Mercurio currente, quando videlicet major quantitas Salis communis cum argento vivo miſcetur & ſubinde tale ſubjectum additur, quod acidum Salis communis liberat, quo poſthac argentum vivum aggredi queat: unde ſimplex & compendioſus ille eſt proceſſus, quando Vitriolum aut Alumen calcinatum cum Sale communi & Mercurio currente commiſcetur, licet ſecundum trivialem proceſſum etiam Nitrum addatur, quamvis hoc additamentum non æque neceſſarium ſit: ſingularis vero hæc eſt concretio dum Mercurius currens, qui aliàs valde fluidus eſt & acidum Salis communis, quod tota ſua indole in fluorem propendet, nunc in hoc novo coalitu valde durum, ſiccum & ponderoſum corpus exhibet, quod ſubinde corroſivo effectu omnes aciditates reliquas ſuperat: quam firma vero hæc videtur hujus acidi cum Mercurio currente concretio, tam facile viciſſim hæc combinatio ſolvi & liberari poteſt, quando tale ſubjectum cum Mercurio ſublimato miſcetur, quod acidum Salis communis facilius arripit: hinc ſi Mercurius ſublimatus cum ferro miſcetur, evenit inde, ut hæc maſſa colliqueſcat, de qua Falloppius dicit, quod hoc experimento Mercurius in nudo aëre in liquorem converti poſſit, quod de Mercurio ſublimato intelligendum eſt: dum vero in hoc proceſſu acidum Salis communis ferrum aggreditur, tunc interea Mercurius revificatur.

§. XVI. Sicuti Mercurius ſublimatus de ſuperfluo Salis communis acido participat, adeoque corroſivum ſubjectum conſtituit, ita viciſſim evenit, ut, ſi illa ſuperflua quantitas acidi ſufficienter ſaturatur per additum Mercurium currentem, deinde hoc ſubjectum eximie dulcificetur, ut è Mercurio corroſivo & virulento, dulcis nunc & ad medicos ſive ſalutares uſus proficuus Mercurius proveniat: & quamvis ad unam partem Mercurii ſublimati

dimidia

dimidia Mercurii currentis pars ſatisfaciat, tamen pro meliori cautela vulgo in hoc proceſſu, Mercurium dulcem parandi, æqualis ſublimati & currentis Mercurii portio recipitur: qualis dulcificatus Mercurius iterum per additamentum ſimplicioris & concentratioris Salis communis acidi in priſtinam corroſivam indolem converti poteſt: id quod vero haud adeo facile in corpore humano evenit, uti quidem vulgo traditur, quaſi Mercurius dulcis in ſubjectis cacochymicis iterum in ſublimatum & corroſivum convertatur, quippe quæ aſſertio veris principiis chymicis apprime repugnat & nonniſi ludicrum quoddam refugium conſtituit.

§. XVII. Congreditur præterea acidum Salis communis cum aliis metallicis corporibus & quidem cum Marte & Venere, ſiquidem hic Spiritus à cupro abſtractus fuſilem poſt ſe relinquit materiam, quæ calori admota flammam quadantenus concipit; ita etiam Martem aggreditur & flaveſcens ſedimentum poſt ſe relinquit: non minus Stannum & præcipue raſum apprehendit, tanto magis ſi ab eodem denuo abſtrahitur: attamen ſecundum communem ſolvendi methodum neque Aurum, neque Argentum, neque Saturnum ſolvit; raſuram vero Saturni & Lunæ tunc arripit & quadantenus ſolvit, ſi ab eadem denuo abſtrahitur: paulo intimius cum Mercurio coaleſcit, ut hactenus demonſtratum fuit; non minus etiam Regulum Antimonii apprehendit & cum eodem ſub juſto proceſſu Butyrum Antimonii conſtituit: hoc minus facile parari poteſt ex Spiritu Salis communis & Antimonio pulveriſato, quem proceſſum Sulphur Antimonii connexum & debilior acidi conditio impedit; rectius præparatur, ſi Mercurius ſublimatus cum Antimonio miſcetur, in quo proceſſu acidum Salis communis in Mercurio ſublimato arripit regulinam Antimonii ſubſtantiam, unde provenit Butyrum Antimonii, Sulphur vero ex Antimonio reſiduum conjungit ſeſe cum Mercurio, & Cinnabarim Antimonii efficit, quando butyrum Antimonii præcipitatur, tunc albicans pulvis præcipitatus per decoctionem ſufficienter edulcoratus Mercurium illum vitæ producit, cujus vis emetica haud vehementior eſt, quam Tartari emetici, modo edulcoratio ſufficienter facta fuit.

§. XXVIII. Denique etiam artifices Chymici Sal commune ad alios & nonnunquam curioſos proceſſus adhibent, quando videlicet cum illius acido ſolutiones diverſorum metallorum præcipitant & præcipitata metalla eo usque alterant, ut non modo ſubtilia & volatilia evadant, ſed & aliam qualitatem cornuæ conſiſtentiæ induant, id quod præcipue cum Luna, Saturno & Mercurio contingit, hinc Luna cornua & Saturnus cornuus innotuit: ſubinde etiam Alchymicis ita dictis artificiis addicti cum ſpiritu Salis metalla

ſingulari modo præparare & alterare volunt, quo eadem tanto citius in Mercurialem ſubtilitatem & mobilitatem convertere queant, uti varii proceſſus à Becchero in ſuo Roſeto Chymico & alibi, ubi de Mercuriis Lunæ tractat, occurrunt: quando etiam cum Spiritu aut ſolutione Salis communis ſolutio Mercurii cum Aqua forti facta præcipitatur & præcipitatũ corpus cum aqua ſufficienter eluitur, tunc præcipitatus ille Mercurius iterum convenienter ſublimatus ipſum Mercurium dulcem conſtituit. Plura hoc ordine & pro ulteriori manuductione Chymica de Salibus principalibus acidis & quidem fixis addere non placet, quoniam hæ conſiderationes in præſenti Halotechnia de Salibus acidis fixis inſtitutæ ad varios utiles tam pharmacevticos, quam docimaſticos pyrotechnicos & Zymotechnicos diſcurſus præludentes occaſionem præbuerunt.

CAPUT V.
DE SALIBUS VOLATILIBUS.

§. I.

DIctum hactenus fuit de Salibus, quæ in ſimplici ſua ſpecie & indole fixiora ſunt, licet eadem etiam juſta methodo in volatilem tenuitatem converti queant, prout in ſuperioribus eadem animadverſio pluribus tradita fuit: deinde actum fuit de Salibus principaliſſimis acidis, quæ activitate potentia & in relatione ad alia corpora reliqua Salium genera antecedunt, unde nunc ad alia Salia, quæ alterius & ſpeciei & conſiſtentiæ ſunt progredior & quidem ad illa, quæ in ſimplici ſua conditione volatilia exiſtunt & quæ non acidæ, ſed magis alcalinæ eſſentiæ ſunt, unde cum acidis prædictis Salibus facile congrediuntur & mixtum quoddam Sal produnt: quoniam itaque hæc Salia volatilia peculiaris ſunt indolis, propterea de iisdem peculiarem mentionem hoc loco atque ordine facere lubet.

§. II. Et cum in præcedenti tractatione de Sale communi actum fuerit, ita mox in mentem incidit, quomodo idem Sal vulgo ad Salis volatilis urinoſi præparationem adhiberi ſoleat: hinc mox ordine primo de hoc Sale urinoſo verba facienda erunt: eſt itaque hoc Sal urinoſum non ſimplex, ſed compoſitum, quod conſtat ex acido Salis communis & alcalino volatili Sale, quale poſterius vel in urina, vel in fuligine deprehenditur: utraque hæc Salia mixta intercedente ſubtili pinguedine conſtituunt hoc Sal urinoſum, quod

in

in Arabia & ad templum Hammonis in Lybia olim nativum repertum fuit, unde Ammoniacum vocatur, licet à nonnullis ob confinia Armeniæ, Armeniacum & à quibusdam arenaceum, quia in locis arenoſis invenitur, appelletur: proinde etiam reperitur in Italia, maxime vero ad radices montium ignivomorum; licet hodienum magis per artem illud Sal producatur & ad multiplices uſus medicos, chymicos & civiles mercenarios applicetur.

§. III. Hoc Sal volatile urinoſum uti minime in addito Sale communi hæret, ſed potius in urinoſa oleoſa pingui ſulphurea & connexa terrea ſubſtantia reſidet, ita de eodem proximius ſciendum eſt, quod illud in mixtione animali actu non hæreat, neque ex eadem educatur aut liberetur, ſed potius demum producatur & è principiis in mixtione animali obviis generetur, unde hoc Sal volatile nonniſi in excrementis animalium reperitur, quæ ipſa etiam antea fermentativam aliquam commotionem ſubierunt & quo diutius hic motus fermentativo-putrefactorius in ejusmodi ſubjectis continuat, eo plus hujus Salis volatilis ex iisdem ſubjectis colligitur: participant itaque hæc Salia volatilia urinoſa partim de principio ſalino, partim de ſubtili pingui; unde quidem quoad poſterius hoc Sal Ammonicale cum Nitro flammam concipit, quale phænomenon cum Nitro non ſuccedit, niſi inflammabilis & ſubtilis pingvis ſubſtantia cum eodem convenerit: & quamvis hujus Salis volatilis urinoſi quantitas quædam reperiatur in illis ſubjectis, è quibus paratur, tamen multum ad illius augmentationem artificialis opera contribuit, quod in ſuccedentibus de aliis Salium volatilium ſpeciebus notandum erit.

§. IV. Quod itaque Salis Ammoniaci, quatenus artificioſa methodo vulgo paratur, genealogiam & proſapiam attinet, tunc conſtat, quomodo vulgaris methodus in illis requiſitis præcipue hæreat, quando urina ad mellagineam quandam conſiſtentiam inſpiſſatur, cui poſtea mediocris quantitas fuliginis commiſcetur: denique utraque hæc ſubjecta cum Sale communi impaſtantur, qualis maſſa proinde ſublimatur, unde hoc tertium Sal mixtum provenit, quod quoad plurimas qualitates à ſimplici ſtatu additorum Salium diſcrepat: interea quidem ſemi cryſtallinam conſiſtentiam atque duritiem nanciſcitur, quæ multum terreæ alcalinæ Salis communis ſubſtantiæ adſcribenda eſt: in hoc proceſſu ſatis quidem diffuſo, laborioſo & fœtido contingit, ut acidum Salis communis alcalinam partem Salium volatilium cum tenui pingvedine commixtam arripiat & in aliquam miſcelam convertat: hæc mixtio vero non adeo firma eſt propter oleoſi illius principii, licet ſubtilioris, tamen ſatis copioſi, interceſſionem: vulgo vero Sal Ammoniacale in

duplici figura demonſtrari ſolet, in qua etiam quoad bonitatem diſcrepat: aliud enim in forma campanarum altius in vaſa ſua ſublimatarum, aliud in forma placentarum prodit, quod poſterius ſedimento incumbens ultimo loco atque tempore ſublimatur, adeoque intenſiorem ignis gradum patitur, hoc purius eſt quam illud: campaniforme enim magis flavum & cum oleo empyrevmatico copioſius impraegnatum eſt, quod vero, ſi denuo cum Sale communi ſublimatur, tunc perinde purius evadit.

§. V. Inter alias notatu dignas chymicas obſervationes circa Salis Ammonicalis volatilis effectus occurrentes certe principalis eſt illa qualitas illius Salis, dum ad metallorum æque ac variarum aliarum terrarum ſubtiliſationem multum contribuit, ut propterea Chymici diverſi ad Mercurificationem metallorum eodem Ammoniacali Sale utantur: etenim hic ſpiritus aliis ſolutionibus metallorum & terrarum additus, iterumque abſtractus non exiguum numerum molecularum è terris hiſce ſive metallicis ſive aliis ſecum evehit, ut ſi deinde v. g. Aurum in ejusmodi ſpiritum immittatur, illud mox in colore ſuo mutetur, id quod etiam contingit cum Sulphure, quando hoc antea cum calce viva ſolvitur, ſolutio in melliagineam conſiſtentiam convertitur & hæc maſſa cum Sale Ammoniacali miſcetur, inde provenit Spiritus volatilis Ammoniacalis flaveſcens & palliativum illud ſive empiricum podagricorum ſolatium, quo commonſtro, quomodo hoc Sal volatile ad volatiliſanda alia corpora contribuat.

§. VI. Quamquam vero Sal Ammoniacale corpus quoddam compoſitum conſtituat, tamen illa ſubjecta, quæ hoc Sal conſtituunt iterum à ſe invicem ſeparari poſſunt, quando videlicet tales materiæ eidem commiſcentur, quæ cum acida ipſius parte promptius & citius congrediuntur: inde evenit, ut acidum Salis communis, in Sale Ammoniacali obvium additam talem materiā comprehendat & in novam mixtionē cum hac coeat, hinc reliqua volatilis urinoſa portio vel ſponte ſecedit, tanto magis vero, quando moderatus impulſus caloris adhibetur: & hac ratione nititur præparatio ſpiritus Salis Ammoniaci: ſuccedit itaque talis liberatio acidi Salis communis à Sale volatili urinoſo, quando admiſcentur vel Salia alcalia fixa, vel terræ macræ & alcalinæ, præcipue vero calx viva, vel denique metalla aridiora, ut Mars, Zincum, Luna, Antimonium, Regulus Antimonii, quin ipſe denique Lapis Hæmatites: etenim cum acidum fixum Salis communis promptius cum terris fixis congrediatur, hinc illud facilius hactenus connexum Sal volatile urinoſum à ſe dimittit, quoniam novum connubium atque commercium aſſumſit.

§. VII. Quemadmodum Sal Ammoniacale in ſingularem & diſtinctam vola-

volatilitatem convertitur, quo magis Sal alcalinum cauſticum atque concentratum eſt, quale in calce viva adhuc ſicca & bene cremata, neque cum humiditate debilitata obtingit; ita calx viva duplicem ſingularem alterationem huic Sali volatili inducit, dum hoc primò quoad conſiſtentiam ſuam immutat, quando ſubtiliſſima calcis vivæ portio illi volatili Sali ſeſe aſſociat, idque propterea in perpetua humiditate conſervat, ut tale Sal volatile nunquam cryſtallinam conſiſtentiam aſſumat: ſecundo evenit, ut ſi calcis vivæ nimis larga quantitas cum Sale Ammoniaco commiſceatur, tunc illa magnam quantitatem hujus Salis volatilis eo usque mortificet, ut in capite mortuo denique reſidua hæreat: ob id circa congruam præparationem Spiritus Salis Ammoniaci ſufficienter volatilis hæc enchireſis obſervanda eſt, ne in calcis vivæ additione exceſſus committatur.

§. VIII. Peculiares porro obſervationes chymicæ circa hujus Salis Ammoniacalis tractationes occurrunt, dum volatilis illius portio cum acida Vitrioli ſubſtantia congreditur, inde evenit, ut ſi oleum Vitrioli cum Sale Ammoniaco commiſceatur, inde Spiritus Salis tranſcendat & acidum Vitriolicum cum Sale volatili urinoſo coaleſcat, quod poſthac ſubminiſtrat Sal Ammoniacale ſecretum Glauberi, quod in operationibus metallurgicis ad varia curioſa experimenta inſtituenda inſervit, ſicut artifices cum hoc Sale ſecreto & argento depurato verum Aurum conficere volunt, quod experimentum vero nondum eo usque ſeſe comprobavit, quod lucrum habeat, de quo in relatione ad impenſas gloriari quisquam poſſet: ita etiam hoc Sal volatile in Sale Ammoniaco congreditur cum ſpiritu Vitrioli rectificato, Spiritu Sulphuris, Spiritu Nitri fixo & volatili, Spiritu Viridis æris & Aceto concentrato, & ſed in quolibet tali concreto ad diverſa experimenta inſtituenda ſatisfacit.

§. IX. Proinde Sal Ammoniacale in experimentis Chymicis vario modo cum aliis ſubjectis commiſceri & tractari ſolet, ita interdum ſublimatur cum Marte & Lapide Hæmatite, aliquando cum Antimonio & hujus Regulo, haud tamen uſitate cum Cinnabari, Coralliis & Myrrha, aliquando plane cum Sulphure, Mercurio & Stanno: communiter in tali ſublimatione aſcendunt flores, qui magnas alterationes corpori vivo inducunt, præcipue tam flores Salis Ammoniaci Martiales, quam quod inde remanet Caput mortuum, quæ valde adſtringunt, ſiquidem acidum Salis communis Ferrum aggreditur & cum eodem coaleſcit: perinde ſingularis & diſcrepantis qualitatis productum emergit, quando Vitriolum Martiale cum Sale Ammoniaco miſcetur, & ſuper tabulam lævigatam, inprimis vitream, in locum humidu-

midulum deponitur, unde provenit maſſa liquida ſive liquamen, uti aliàs ex acido Salis communis & ferro provenit, ita in tali miſcela nunc acidum Vitrioli ſeſe conjungit cum alcali volatili & acidum Salis communis amplectitur ferrum: quando Sal Ammoniacum ſublimatur cum Antimonio, aſcendunt inde flores ex flavo rubeſcentes, qui cum aqua ſoluti pulverem ejusdem coloris ad fundum dimittunt, qualis rectius Antimonium ſublimatum, quam Sulphur Antimonii conſtituit: aliàs vero acidum Salis communis in Sale Ammoniacali apprehendit regulinam Antimonii ſubſtantiam & offert productum inſtar Butyri Antimonii cauſticum.

§. X. Sicut hactenus de Sale volatili Ammoniacali dictum fuit, ita prædictæ animadverſiones ad reliquorum Salium volatilium explicationem eo magis contribuunt: ita enim reliqua Salia volatilia nituntur mixtione ſubtili tum actualis tenerioris pingvedinis, tum tenuiſſimæ terreæ ſalinæ ſubſtantiæ, unde illa ſubjecta è quibus Sal volatile paratur, ſatis evidenter pingvia, gelatinoſa & reſinoſa exiſtunt, quæ propterea ſub Chymica tractatione & deſtillatione oleum quoddam empyrevmaticum ſuppeditant: multum vero ad horum Salium volatilium genealogiam tam motus putrefactorius, quam reliquus motus ignis contribuit, quibus utrisque motibus principia ſalina & pinguia inter ſe invicem adeo teneriter commiſcentur, ut denique ſubtile tale productum volatile inde oriatur: hinc ex ſubjectis animalium pingvibus & terreis, velut ex oſſibus, ungulis, ſangvine talia Salia volatilia parantur; inde conſtat Sal volatile C. C., Eboris, Cranii humani, Sanguinis humani &c. licet vero Salia volatilia mixtum corpus è pingui & ſalino principio conſtans præbeant, tamen propterea non ſunt Sal nitroſum, ſiquidem in Nitro non tam actualis pingvedo, ut in Salibus volatilibus & Sal volatile alcalinum, ſed principium pingvedinis inflammabile & Sal fixum acidum adeſt: habet tamen in tantum Nitrum affinitatem quandam cum Salibus volatilibus, dum ex ſingulis illis ſubjectis, quæ ad Sal volatile producendum faciunt, etiam ad Nitri geneſin eſſentialia & neceſſaria principia proveniunt.

§. XI. Quemadmodum diverſæ ſpecies Salium volatilium è regno animali proveniunt, ita vegetabile regnum non penitus deſtitutum eſt diverſis ejusmodi ſpeciebus Salium volatilium, ſiquidem in illo famoſo conatu Chymicorum fixa volatiliſandi inter alios Langellotti & Ludovici methodus innotuit, quomodo Sal Tartari, quod alias fixum eſt, in volatilem tenuitatem converti queat, ubi caput mortuum è Spiritu Tartari reſiduum, ſine prævia adhibita ſolutione & repetita coagulatione cum proprio ſuo oleo empyrevmatico imprægnatur, unde denique per ſublimationem ad modum Ludovici

tale

tale Sal volatile Tartari producitur, quemadmodum ad methodum Langellotti pro hoc proceſſu adminiſtrando Sal Tartari cum Tartaro crudo commiſcetur & digeritur: ſic Helmontius in eodem negotio conſuetas ſuas, ſed minime adimpletas promiſſiones obtulit: eo etiam collineant labores Starckii & Matthæi, quin ipſius etiam Sylvii, qui diffuſo & longinquiori proceſſu Sal Tartari cum oleis deſtillatis impraegnant & tandem ad volatiliſationem diſponunt: longe meliorem methodum obtinet Baro Urbigerius, qui præcipit, quo Salia alcalia fixa primum cum mediocribus pingvedinibus & non cum oleis æthereis & deſtillatis ſaturentur, quoniam illa commixtio paulo facilius & paulo efficacius ſuccedit. Huc etiam trahendum eſt experimentum Wedelii, dum ex herba illa inter Thuringos valde nota Glaſti aut Iſatodis nomen tenente, ad Indigi Germanici præparationem uſitata, Sal volatile parare demonſtrat, inſuperque colligit, quomodo ex aliis herbis fermentatis Sal volatile parari poſſit, quamvis eapropter, quia tales herbæ volatilem fœtorem ſpargunt, non ſtatim adeo purum, ingenuum & perfectum Sal volatile iisdem inexiſtat, quale in animalibus deprehenditur.

§. XII. Singulare documentum in Chymia notatu admodum dignum occurrit, cum quo ſatis evidenter demonſtrari poteſt, quod vegetabilia Sal volatile exhibeant, quando fuligo conſideratur & tractatur, ſicut abunde innotuit exiſtentia Salis volatilis fuliginis in Chymia: in ipſa quidem fuligine nondum perfectum & formale Sal volatile adeſt, adſunt vero in eadem idonea illa principia, è quibus Sal tale volatile parari poteſt: hæc principia non alia ſunt, quam Salina & quidem acidulata, ſubtilia terrea & oleoſa, ſicut è fuligine ſimpliciori modo oleum, aqua & ſal volatile confici poteſt: quando itaque denuo adhibetur ſufficiens motus caloris, tunc ſubtilior & intimior pingvioris ſubſtantiæ interagitatio in reliqua principia ſuccedit & denique Sal volatile producitur: proinde aliud ſpecimen occurrit, ubi è ſubjecto vegetabili nimirum vini fæcibus per congruam deſtillationem Sal volatile præparari poteſt, cujus circumſtantiæ in præcedentibus mentio facta fuit. Singulis hiſce Salium volatilium commendationibus & deductionibus brevibus addere lubet, quod adhuc in Chymia concretum ſalino-pingue volatile occurrat, quod Phosphori nomine venit, qui conſtituit materiam cum principio concentrato inflammabili & ſalina ſubſtantia impraegnatam, licet hic Phoſphorus plus de pingviori quam ſalina eſſentia participet, unde ſolutioni cum aqua non eſt ſubjectus: de reliquo vero non parum volatilis eſſe obſervatur.

CAPUT VI.
DE
TARTARO.

§. I.

Cum diverſas hactenus Salium ſpecies explicaverim, nunc ſpecialis concreti Salini mentionem facere lubet, quod multiplicibus uſibus, chymicis, medicis & œconomicis abunde inſervit, unde pro illius meliori notitia etiam geneſin & indolem ejusdem explicare conveniet. Eſt itaque hic Tartarus ſal quoddam vegetabile, quod è dulci liquore provenit & ſub longiori temporis mora generatur: actus ipſe, mediante quo prima fundamenta ad illius geneſin ponuntur eſt fermentatio, per quam è prædicto ſucco vegetabili non modo principia illa ſalina ſeparantur & attenuantur, ſed cum pingvi ſubſtantia in novam mixtionem transferuntur, ut adeo hic tartarus tale concretum ſalino-pingve exiſtat, quod è muſto in vinum converſo & ſucceſſivè per vaſa ſua tranſpirante & hoc concretum ad illorum latera transferente, oritur: quare de aciditate & pinguedine vini participat: exinde etiam liquet, quam celebris actus, nimirum fermentationis & quam nobilia principia, quæ vini ſunt, ad hoc concretum concurrant; ſicut ille modus, quo tartarus generari ſolet, in Zymotechnia latius explicari ſolet.

§. II. Principia itaque quæ Tartarum conſtituunt, ſunt ſalinum acidum, ita efficax, ut corpora terrea oc. 69. conchas, cretam, corallia, quin ipſum etiam ferrum ſolvat, proinde etiam cum alcali fixo & volatili ſeſe conjungat; deinde ſatis largam quantitatem pingvioris ſubſtantiæ continet, quæ cum acido illo principio ſubtiliter & intime commixta eſt: denique copioſa terrea portio illum ingreditur, quam terream indolem ſiccitate & duritie, imo pondere abunde teſtatur: ſiquidem hæc terra multam quantitatem alcali fixi ſubminiſtrat: hinc evenit, ut ſi Tartarus igni ſubmittitur quinque notabiles circumſtantias & qualitates de ſe prodat, primo igne impulſus, dimittit aquam ſalinam, amarulentam, fremebundam ſenſum excitantem: deinde provenit oleum empyrevmaticum, porro remanet poſt deſtillationem materia nigricans carbonaria, ſi hæc materia præterea elixatur, tunc multum ſalis alcali fixi præbet, ſi poſt elixationem illa materia in libero aëre calcinatur, tunc empyrevmaticus ſapor & fœtor evaneſcit, denique remanet albicans cinis, qui ulterius ſal tale alcali ſuppeditat & quo magis ille cinis calcinatur, eo certius contingit, ut vel totus in ſalinam illam ſubſtantiam converti queat:

hoc ſal tartari vel ſponte, tanto facilius in humidulo loco deliqueſcit & oleum tartari per deliquium prodit.

§. III. Vocatur vulgo Tartarus ſal vini & quia terreo-calcareæ indolis eſt, dicitur der Weinſtein, quæ ſalina ſubſtantia lentius generatur & purior nunc evadit ſi bona vina in vaſe detenta fuere, turbida vera atque lutoſa, ſi vina recentia & ignobilia in tali vaſe aſſervata ſunt: proinde quidem impurior tartarus per diſſolutionem, decoctionem & clarificationem purior reddi poteſt: ſicut Cryſtalli & Cremor tartari, nihil aliud, quam depuratus talis tartarus exiſtunt; inde vel ſponte iterum in tali decocto tartarus ille concreſcit, præcipue ubi aër propius accedit, quod tanto magis in ſuperficie contingit, qualis ſalina cuticula collecta & exſiccata cremorem conſtituit: vix vero adeo facile tartarus talis diſſolvi poteſt, niſi partim magna quantitas aquæ, partim ſufficiens gradus ignis adhibeatur: cujus circumſtantiæ cauſa poſita eſt in abundanti pingvi ſubſtantia, quæ in tartaro continetur, qualis pingvedo è tartaro elici poteſt mediante igne, conſiſtentiam ſemi piceam & ſemi oleoſam poſſidens: quando vero tartarus cum terreo quodam ſubjecto imprægnatur, tunc copioſius aquam ingreditur: id contingit, ſi tartarus cum oc. 69. aut ſale alcali fixo conjunctus fuerit, ſive etiam cum ipſo ſale tartari; ubi magna hujus mixti ſubjecti copia aquā intrat, licet pauca quantitas terreæ ſubſtantiæ è tartaro ad fundum ſecedat: reliquus clarus liquor evaporatus præbet magma, quod ſub intenſiori igne ſicceſcit, facile tamen in libero aëre deliqueſcit & aliam qualitatem, quam tartarus, exhibet, qualis materia in pharmacia Tartarus tartariſatus audit.

§. IV. Sicut acida Tartari portio tali ratione cum terra alia, aut recenter addita alcalina combinari poteſt, imprimis quidem cum terra tartari ſeorſim collecta, ita hæc terra tartari cum alio acido, quod tamen de proſapia, aut familia tartari eſt, nimirum quod ex vino provenit & acidum aceti eſt, imprægnari poteſt: & inde provenit illa famoſa terra foliata tartari: quale productum obtinetur, ſi vel acetum, vel ſpiritus aceti adhibetur, & acidum ſuperfluum iterum convenienter abſtrahitur & abſtractio toties repetitur, donec ſpiritus acidus tranſcendat, qui in primis abſtractionibus inſipidus ſeceſſit, talis terra foliata deinde cum ſpir. vin. rectif. depurari poteſt: ſicut vero tartarus cum acido ſuo terras tales ſimpliciores aggreditur, ita etiam acidum illius metallicas terras arripit, præcipue quidem ferrum, quod ſub decoctione adhibita ſolvit, inde paratur Tinctura martis tartariſata: ſimilem energiam exhibet tartarus in cupro ſolvendo, uti ſimplex experimentum demonſtrat, quando cum tartaro argentum, in ſuperficie cupreum,

excoquitur, inde argentum dealbatur, ad quem modum adhuc ſal commune adhibetur, quod una cum tartaro in argentum, cum cupro denigratum, agere debet.

§. V. Ex hoc fundamento, quod videlicet Tartarus cuprum ſolvat, diverſi tales proceſſus circumferuntur & commendantur, quibus cum lucrum quoddam comparari queat; quale experimentum in ſubſidium pauperum Glauberus propoſuit, ſed quod experimentum etiam ſatis famelicum eſt, ubi jubet mineras ſterilius cupreas cum tartaro excoquere: ſicut nonnulli præcipiunt cum reliquiis fæcum vini, è quibus ſpiritus ardens deſtillatus fuit, cupreas tales rejectas ſteriliores mineras excoquere: ſed hic proceſſus multis impedimentis ſubjectus eſt, ut ita ex eodem admodum exiguum lucrum ſperandum ſit: ita etiam Tartarus ſolvit corallia, quod magiſterium quidam judicant arcanum illud remedium Kergeri eſſe, cum quo Febres ſine ullo habito reſpectu ſpeciei, ſubjecti, temporis, aliarumque circumſtantiarum curare inventor promittit, de cujus remedii veritate & utilitate hoc loco judicare non placet.

§. VI. Quemadmodum itaque Tartarus mixtum concretum eſt, è ſalino, oleoſo & terreo principio conſtans, ita facile hæc principia reſolvi poſſunt: inde evenit, ut, ſi tartarus deſtillatur, primo tranſcendat phlegma: quod ſi paulo intenſiori igne impellatur, tunc unà ſalina & oleoſa quædam portio divellatur, quæ ſeſe cum phlegmate conjungit & ſpiritum Tartari conſtituit: tanto facilius vero hoc acidum à tartaro ſeparari poteſt, quando tartarus comburitur & incineratur, ubi citra ullum additamentum hæc ſeparatio procedit: quo acido evulſo remanet ſubjectum quod ſali acido vulgo penitus opponitur nimirum ſal alcali fixum: quo ſimplici proceſſu nititur operatio producendi & præparandi Sal tartari: quando in vaſe clauſo ex retorta in recipientem tartarus cum igne impellitur, tunc poſt phlegmatis aut aquoſi liquoris tranſtillationem, tranſcendit oleum empyrevmaticum; in retorta remanet ſpongioſus ſubtilior carbo, qui ſub leni candeſcente calore adhibito in pulverem converti poteſt, ſi vero cum fortiori igne impellitur, tunc in pultaceam conſiſtentiam convertitur: ex hac maſſa mediante aqua, etiamſi frigidior fuerit, elixatur ſal quoddam limpidum, quod non aliud quam ſal tartari eſt, uti modo in ſuperioribus indicatum fuit.

§. VII. Separatur etiam miſcela principiorum tartarum conſtituentium per additamentum Nitri, quod cum tartaro deflagrat, adeoque & ſui ipſius & tartari diſſolutionem inducit, inde transcendit acidum & tartari & nitri, nec non plurima pars oleoſi principii tartari & inflammabilis nitri, remanet

itaque

itaque terrea alcalina portio & tartari & nitri; quando itaque deflagrans vapor colligitur, mixtus inde ſpiritus provenit, qui de prædictis principiis participat & ſpiritum illum de tribus ſive carminativum conſtituit; ita etiam ex nitro & tartaro reductorius ille pulvis reſultat, qui de ſale alcali & pingviori quadam, ad reductionem perquam apta ſubſtantia participat, de qua re ſupra actum fuit: videtur tamen quod acidum tartati nitroſæ indolis exiſtat, cum ſimul de pingvi & inflammabili principio participet, proinde etiam ſal volatile urinoſum ex parte tartarus æmulatur, unde hic ſalis ammoniaci ſpeciem refert; alibi vero differentia inter nitrum & tartarum indicata fuit, cum in nitro non tam oleoſo-pingvis materia reperiatur, ac in tartaro: miſſis pluribus rationibus.

§ VIII. Notatu proinde digna eſt illa demonſtratio, quod ſatis notabilis tartari quantitas in volatilem tenuitatem converti queat, id quod contingit, quando tartarus cum alcali fixo commiſcetur, ubi craſſius acidum ſeſe cum illo ſale alcali ſaturat, ut deinde in occluſo vaſe volatilior tartari portio tranſcendat: quo loco adhuc reminiſcor illius ſalis tartari volatilis, cujus in præcedentibus mentio etiam facta fuit, per quod ſalis volatilis duplex ſubſtantia intelligitur, videlicet ſal quoddam volatile immediatè è tartaro paratum & ſal volatile è ſale fixo factum, ſive Sal fixum tartari volatiliſatum, ut ita aliud ſit ſal volatile tartari & aliud ſit Sal tartari volatile ſiquidem communiter ſal tartari fixum eſt: aliàs quidem è tartaro ſal volatile parare, non niſi alibi per fermentationem & putrefactionem ſuſceptum fuit, adeo ut tartarus putreſcens ſpiritum ſalino volatilem præbeat: expertus vero eſt & demonſtravit Celeberrimus Stahlius illa methodo ſal volatile tartari parare, qua alia ſalia volatilia parari ſolent, nimirum ut primo deſtilletur phlegma tartari, porro oleum, deinde ſub continuatione & augmento caloris collo recipientis ſeſe ſubtilia ſemi pellucida granula volatilia ſalina affigant: quando illo tempore per aptatam aperturam atque foramen in retorta nova tartari quantitas ingeritur, tunc denuo tranſtillans ſpiritus ſive phlegma illud ſal affixum ſolvit & ſecum vehit, cui ſpiritui ſi affunditur acidum quoddam alterius ſpeciei, tunc evidens ebullitio atque efferveſcentia contingit: quo ipſo demonſtrari poteſt, quod illud ſal volatile fuerit, id quod ſine ulla additione è tartaro parari poteſt, quod quidem non candidi, ſed ob oleoſam ſubſtantiam, collo retortæ adhærentem, ſubfuſci coloris eſt.

CAPUT VII.
DE
SALE ALCALI.

§. I.

BRevibus adhuc ſalium alcalium mentionem facere lubet, quæ vulgo acidis opponuntur, eo quod diverſo ſapore & diverſis etiam qualitatibus ſeſe produnt: alcalia dicuntur à Kali herba, quæ ſal tale continet: hæc herba uti olim magis cognita fuit, ita ſalia talia cum magis cognita denominatione indicata ſunt: evidentiori vero ſenſu ſunt hæc ſalia magis lixivioſa, ſaponaria, acria, quaſi amarulenta: & hæc ſalia quidem terreæ indolis ſunt, licet utplurimum ſuam terreſtreitatem in humida fluiditate occultent, quæ tamen adhibito calore interdum facile exſiccari poſſunt; unde vel ſponte facile deliqueſcunt, ſi ſimplicia exiſtunt, quando vero cum alia craſſiori terra commixta ſunt, tunc diutius ſicca manent, neque per ſe facile ſolvuntur, niſi illa adhærens terra etiam in alcalinam illam indolem converſa ſit, quod contingit per frequentem & efficacem calcinationem talium terrarum.

§. II. Et hæc ſalia in actu ſolutionis vel activa vel paſſiva obſervantur, activa quando vel concreta ſulphureo-pingvia, vel etiam alia corpora, quin ipſa plane metalla ſolvunt, ſicut in prioribus Halotechniæ explicationibus demonſtratum fuit, quomodo & aurum & mars cum alcali ſolvi queat; quantam etiam energiam in actu ſolutionis habeant lixivia concentrata, multiplicia experimenta tam chymica, quam œconomica atteſtantur & de prioribus matresfamilias ſciunt, quantam efficaciam habeat acerrimum lixivium in corrodendo glomo & linteo: tanto magis talia ſalia cauſtica evadunt, quando cum regulis parantur, ita porro ſolvunt in ſolutionibus pingvedines ſpiſſiores cum mucilagine refertas, ſebaceas & olea craſſiora expreſſa: paulo tardius ſolvunt in fluxu ſulphura & bitumina, difficilius denique ſolvunt olea deſtillata: paſſiva viciſſim hæc ſalia deprehenduntur, quando cum acidis miſcentur; quæ poſteriora illa efficaciſſime aggrediuntur, ſolvunt aut in ſe recipiunt, ſicut communiter acida potentioris activitatis, adeoque ſal alcali in hac commixtione ad ſe rapiunt: ita paſſivè ab aqua facile ſolvuntur, etiamſi illa humiditas ex aëre accedat.

§. III. Satis fuſe hactenus dictum fuit, quomodo Nitrum, ſal commune, ſal ammoniacum & tartarus tali ſale utplurimum fixo, prædita ſint, licet ſalina volatilia, alcali volatile contineant: oriuntur talia ſalia è terris

ſuffi-

ſufficienter calcinatis, unde calcareæ indolis evadunt, quale eximium exemplar in ipſa calce viva occurrit: ſunt vero tales terræ ſive minerales, ſive animales marinæ non citò vitreſcentes, interim ſub ſufficienti ignis admotione non penitus vitrificationem reſpuentes, quapropter hoc ſal in arte vitraria non exiguum uſum habet: ſingulari etiam copia hoc ſal in cineribus vegetabilium reperitur, quare illi cineres ab acidis apprehenduntur: quamprimum vero tale ſal cum aliis terris aut cineres illi in vitrum redacti ſunt, tunc ab acido non facile ſolvuntur.

§. IV. Eſt proinde ſal alcali vel nativum, vel artificiale; illud ſatis larga copia occurrit in ſale communi, quod in eodem ſuam ſiccitatem & duritiem nanciſcitur, ſive fuerit fontanum, ſive montanum ſive marinum; cujus ſalis largior copia illo evidenti phænomeno ſeſe prodit, quod ſal tale commune facilius humeſcat: & hoc ſal alcali facili opera è ſale communi recipitur & in mixtionem alterius acidi convertitur, quando cum ſale communi miſcetur acidum vitrioli, unde ſal illud medium mirabile provenit; aut acidum nitri, unde nitrum in figura ſalis communis demonſtratur: quod ſi itaque à tali poſterioris indolis mixto, nimirum è corpore mixto ex acido vitrioli aut nitri & ſale alcali ſalis communis conſtante, certa enchireſi illud acidum ſeparetur, tunc ſal alcali illud, quod ſali communi antea ſubtractum fuit, denuo demonſtratur: allegatur etiam ſal alcali nativum, in *A. N. C. dec. 1. an. 10. obſ. 194. n. 19. p. 460.* quod ſi in ſuo generationis loco relinquitur, ſponte in nitrum ſe transmutat: denique magna quantitas hujus alcalini ſalis reperitur in Thermis.

§. V. Notari præterea meretur hujus ſalis alcali nativi convenientia & diſcrepantia cum artificiali: quod convenientiam attinet, tunc illa conſiſtit in facili deliqueſcentia & ſolubilitate in aqua, in prompta fuſibilitate in igne: in illa promptitudine, qua ſulphur & pingvia ſubjecta ſolvit; in promptitudine commixtionis cum acidis & in eadem relatione ad diverſa acida: quoad diſcrepantiam annotare convenit, quod ſal illud alcali ſalis communis nativum ſit atque ſubterraneum, quod cum diverſis acidis eandem figuram ſervet, quæ ſali communi utplurimum competit: quod facilius deliqueſcat, etiamſi cum acido commixtum fuerit & quod in igne longe facilius fundi queat, etiamſi cum aliis, imprimis vitriolico, acidis conjunctum fuerit; quod tanta acrimonia non polleat ac aliud alcali; neque, ut Celeb. Stahlius ait, in ſpecimine Beccheriano, cum acidis in ſimile concretum abeat, qualia iſta communia alcalia cum iisdem conſtituunt: quemadmodum acidum vitriolicum cum hoc alcali ſaturatum productum enixum

ſal

ſal præbet, quod metalla adhuc quadantenus ſolvit, quod aliud enixum ſal non efficit.

§. VI. Artificialia vero alcalia ſalia magno apparatu è vegetabilibus combuſtis & incineratis proveniunt, quorum prima materia in carbonibus, cum inflammabili principio intimè præditis, conſiſtit, quales ob abundantiam illius principii ab aqueo & acido menſtruo non ſolvuntur: quando vero illi carbones ſub liberiori concurſu aëris mediante igne ab inflammabili hoc principio liberantur, adeoque in tantum exuruntur, ut terrea illorum ſubſtantia remaneat, tunc ſalis notabilis copia ita attenuata eſt, ut ſalinam indolem nanciſcatur, quod ſal poſtmodum non modo facile cum aquis ſolvitur, ſed & cum acidis ſalibus citò & impetuoſè congreditur, imo cum vitris plane coaleſcit, id quod carbones minus efficiunt, quia per iteratum deliquium tale ſal alcali ita fluidum atque tenue redditur, ut ulteriorem condenſationem & exſiccationem ægre aſſumat: & tale ſal ſubinde adeo concentrari poteſt, ſi aliquoties cineribus affunditur, iterumque abſtrahitur, aut ſi cum calce viva miſcetur, ut valde cauſticum evadat, quale lixivium coriarii adhibent, ad pilos à coriis ſeparandos.

§. VII. Et tale ſal energiam ſuam cauſticam, prout ſupra indicavi, exſerit in ſubjecta tenacia, quæ in mucoſitatem convertit; pingvedines in ſaponariam conſiſtentiam, ſulphur vero in rubicundum liquorem mutat: & ſi ſal tale paulo debilius, neque ita concentratum fuerit, tunc ad hunc effectum corroſionis præſtandum, caloris adjumentum quadrat: ita in ſuperioribus ubi ſulphuris tractatio occurrit, idem indicatum fuit, quod ſulphur per alcali ſolvi queat: & quamvis tale alcali fixum ſit, tamen illud cum aqua ſolutum & coctionis igne agitatum in aërem liberum concurrentem tranſpirat; quod vero in vaſe occluſo non contingit: quale quid etiam cum alcali hoc fuſo evenit: proinde alcali potentius olea deſtillata ſub diuturna digeſtione quadantenus ſolvit & eo diſponit, ut aquæ conſiſtentiam quantiſper ingrediantur: de reliquo paulo facilius alcalia cum oleis deſtillatis junguntur, quando illa antea cum ſpiſſiori pingvi ſubjecto imprægnata ſunt.

§. VIII. Quanquam alcali alia ſubjecta ſolvat, tamen facile hæc ſuperficialis miſcela divelli poteſt, quod per nudam commixtionem acidi cujusdam, etiamſi debilius fuerit, contingit: firmiter tamen acidum ſulphuris cum alcali coaleſcit, teſtimonio ſalis enixi ex hepate ſulphuris parati: interim & hæc firma combinatio, quam nec ignis, nec aqua, nec aër, nec terreum aliud ſalinum aut metallicum corpus additum deſtruere poteſt, per nudum additamentum inflammabilis principii dirui poteſt, inde acidum ſulphuris

phuris & vitrioli cum hoc alcali ſufficienter ſaturatum ſit, tunc ex hac miſcela prodit tertium corpus quod nec purum acidum, nec nudum alcali eſt, unde tertium & medium ſaporem, videlicet amaricantem offert: in hac miſcela propterea ſal alcali prodit ſuum acorem, ſuam cauſticitatem, ſuam fluxilitatem in igne & aqua, ſuam energiam in alia acida, in ſulphur & pinguedines: interim tale concretum ſalinum cum multa aquæ copia & caloris motu ſolvi poteſt, quod etiam, ſi fortior & bulliens coctio adhibetur, penitus evaporat.

§. IX. Solvit etiam ſal alcali partim ſub fuſione, partim ſub coctione, varia metallica corpora, velut ferrum, regulum antimonii, plumbum, ſtannum & cuprum: unde regulus antimonii cum nitro mixtus & igni ſubmiſſus quoad inflammabilem ſuam portionem cum nitro deflagrat & remanens alcalina nitri ſubſtantia penitus regulinam ſubſtantiam corrodit & in acerrimam alcalinam ſcoriam convertit: idem etiam contingit, ut nitrum cum ferro mixtum deflagret, remanens alcalina nitri portio tantum ferri ſolvit, ut hoc per filtrum una ducat: huc ſpectat ille proceſſus atque modus Celeb. Stahlii, quo ferrum cum nudo alcali ſolvi poteſt: non minus etiam aliis ſubjectis hoc alcalinum ſal varias alterationes inducit, ſicut volatilia urinoſa in ſiccam compagem convertit; per præcipitationem mercurium ita diſponit, ut ab aceto ſolvi poſſit: denique etiam alcali tale concentratum in libero aëre enixam ſive mediam indolem aſſumit, ut tartarum vitriolatum æmuletur.

§. X. Adjuvant ſalia alcalia fluxilitatem metallorum in igne: unde in pyrotechnicis operationibus diverſum uſum habent: cum enim ipſa facile fluant, ita metallis ſub fuſione fluiditatem illam conciliant: hinc ſigna illa boni alcali hoc loco annotanda ſunt, quod nimirum tale ſal facile fluat, facile deliqueſcat & cauſticitate efficaci præditum ſit: acidis viciſſim commixta hæc ſalia ſiccitatem & cryſtallinam duritiem præbent; quo ſale ab acidis ſeparato, hæc in halitum reſolvantur: & quamvis ſingula alcalia, quando concentrantur, ſingulari cauſticitatis gradu prædita ſint, tamen hæc cauſticitas in illis adjuvari poteſt, ſi cum calce viva, tanto magis bona, commiſcentur: habet etiam inter alcalia ſalia, tartari ſal aliquam prærogativam, eo quod purius ſit, ſicut nitrum fixum ad puriores effectus, imprimis in arte vitraria edendos, quadrat: porro ad reducenda metalla non nudum alcali ſatisfacit, niſi adhuc cum aliquali pingviori ſubſtantia imbibitum ſit: ſicut notabili experimento ad converſionem in ſal alcali adminiſtrandam ſingulari ratione inſervit tartarus, cui ſi & acida & pingvis portio adimitur, terra illa

 alca-

alcalina tunc remanet: plura de alcalibus hoc loco addere non lubet, cum de iisdem paſſim per totum noſtrum chymicum decurſum agatur.

SECTIO III.
DE
ZYMOTECHNIA.

§. I.

FUndamenta Halotechniæ, nunc tradita, ducunt me ad theoriam Zymotechniæ exponendam, in qua ulterius præmiſſa Halotechnia tanquam in ſpecialiſſimo negotio illuſtrabitur: & ita doctrina de Fermentatione tota Chymica eſt, tam quoad modum fiendi, quam quoad motus, effectus, producta, conſecutiones & principiorum relationes, ſiquidem in hoc negotio Fermentationis multum etiam Salibus debetur: præcipue Fermentationes contingunt in diverſis & multiplicibus ſubjectis & partibus vegetabilium maxime mollibus & humidis, in quibus varius ſapor ſalinus, ſulphureo-acidus, dulcis, auſterus, acerbus occurrit, quæ principia oleoſo-ſalina cum magna quantitate humiditatis aquoſæ diluta & aliqua mucilagine ſolubili permixta ſunt: unde ſalina illa conſtitutio non modo in ſingulis illis ſubjectis, Fermentationi obnoxiis, facile obvia eſt, ſed eo eſſentialiter etiam requiritur, quo diverſa illa phænomena & producta in fermentationis familia occurrentia prodeant, quamvis alia illa eſſentialia in hiſce ſubjectis intimius hæreant, neque ita facilè, aut purè colligi & ſeparari queant.

Conf. in hac Sectione Stahlii Opuſc. phyſ. chym. med. p. 65 - 194. ſive tract. de Zymotechnia.

§. II. Quod Fermentationis appellationem attinet, tunc illa à Fermento tanquam fervimento mutuata eſt, uti fervimentum communiter denotat ebullitionem, inturgeſcentiam cum incaleſcentia conjunctam: quapropter hic actus phyſicus, in quo ſpecialis diacriſis & nova ſyncriſis occurrit ex ſuis ſenſibilibus & ſenſualibus phænomenis denominationem ſuam nactus eſt, velut è ſpumeſcentia, incaleſcentia, inturgeſcentia concurrente; propterea hæc appellatio eſt ſatis ambigua, quæ ordine primo de panaria illa fermentativa mutatione dicta fuit; ſicut deinde ob analogiam circumſtantiarum eadem notio de muſti & vini commotione & alteratione prædicata & uſitata deprehenditur: uti è veteribus Cato atque Celſus, è recentioribus Helmontius

montius & Williſius hanc acceptionem Fermentationis interpretantur: triplex interea quoad generalem Fermentationis acceptionem evitanda eſt confuſio & implicatio: primo, ne tam facile aut promiſcue ſingulis aut plurimis ſpumefactionibus, ebullitionibus & ſic dictis orgaſmis Fermentationis appellatio adſignetur, in quo caſu Chymici peccant, quando effervescentiam acidi cum alcali & Medici, quando orgaſmum ſanguinis Fermentationis actui adſcribere ſolent: ſecundo, ne tam copioſa, aut plane innumera Fermentationis ſubjecta ſupponantur, cum eadem etiam limitata & pauca ſint; tertio, ne Fermentationis & Putrefactionis proceſſus confundantur, quemadmodum vera indoles ſimplicis & genuinæ Fermentationis hanc annotatam & inculcatam differentiam ſubjectorum, motuum, proceſſuum, cauſarum & productorum abunde explicabit & illuſtrabit.

§. III. Eſt itaque fermentatio notatu admodum digna & principalis operatio phyſico-chymica, cujus cauſalis explicatio in Phyſica & Chymia neceſſaria æque ac utilis eſt, ſiquidem non modo ad nudam ſcientiam ſive theoriam ſtabiliendam contribuit, ſed etiam varium uſum practicum & oeconomicum promittit: interea negandum non eſt, quod Theoria Fermentationis diverſis inutilibus ſuperficiariis & imaginariis ſpeculationibus, principiis, regulis & poſtulatis phyſicis, chymicis & mechanicis ſuperſtructa ſit, inde non modo neceſſarius nexus, in hoc negotio obſervandus, violatus eſt, ſed & multiplex confuſa ætiologia ortum traxit: etenim in illius negotii formali deſcriptione nonnunquam accuſatur relatio & reactio acidi & alcali, quidam ad ſimplicem motus inteſtini efficaciam provocarunt, poſthabito neceſſario reſpectu ſubjectorum & objectorum in hoc actu obſervandorum; alii in nuda efficacia & alteratione principii ſulphurei oleoſi formam fermentationis conſiſtere aſſeruerunt; nonnulli ad cauſæ ſuperioris aſtralis & ætherеæ concurſum atque influxum provocarunt; quin denique quidam ad concurſum motus elaſtici aërei refugium ſuum inſtituerunt, ita ut per tot implicatos reſpectus ſingulæ circumſtantiæ, quæ cauſam formalem, inſtrumentalem, materialem, efficientem, nec non ipſos effectus & conſecutiones concernunt, inter ſe craſſo modo confuſæ & in perverſam theoriam redactæ fuerint.

§. IV. Fermentatio in ſe ſpectata eſt inteſtina commotio diverſiſſimarum & copioſiſſimarum molecularum è Sale præcipue acido, ſulphure pingviori & terreo principio combinatarum & cum vehiculo aquoſo dilutarum colliſorio & attritorio motu agitatarum, quo motu hujus mixtionis nexus diſſolvitur & principia inde prodeuntia à ſe invicem dimoventur, quid quod

ſub continuatione hujus colliſoriæ agitationis attenuantur, inde evenit, ut denuo quædam horum principiorum ſibi invicem in & connectantur & à reliquis craſſioribus principiis ſeparentur, quæ craſſiores materiæ ſeorſim ſecedunt, ſubtiliores vero mixtiones aliquandiu in hoc ſtatu perſiſtunt, licet ex eodem cum tempore & ſub acceſſione congruarum circumſtantiarum, inprimis motus caloris, ulterius diſſolvantur, ut novum inde prodeat productum, quod præſenti ſubjecto & præcedenti proceſſui reſpondet: ita hac ratione è turbido muſto evadit vinum, remanentibus ſpiſſioribus fæcibus & è vino prodit acetum: perinde è turbido decocto mulſæ hordeaceo provenit limpidior cereviſia, quo magis craſſior fæculenta impuritas ſequeſtratur & præterea è cereviſia iterum provenit acetum: ſic è maſſa panaria bene fermentata pinſitur poroſus & concoctioni obtemperans panis, qui vero cum tempore fermentativum motum continuat, ut in putrilaginem illam panariam rancidam, mucidam, ſive æruginem, quam vocant den Schimmel delabatur.

§. V. Requiruntur itaque ad proceſſum & actum Fermentationis ſubjecta mobilia compoſita è principio ſalino oleoſo & terreo conflata & cum aquoſo vehiculo diluta, ſiquidem principia oleoſa in ejusmodi ſubjectis obvia ex parte craſſiora ex parte etiam ſubtiliora ſunt: in hac ſua mobilitate hæc ſubjecta inteſtinæ commotioni tanto facilius obtemperant, prout hæc mobilitas tam in diverſis ſubjectis, quam in variis illorum principiis diſcrepat, ita etiam circumſtantiæ Fermentationis eſſentiales æque ac accidentales differunt: in hoc actu fermentationis maximæ activitatis eſt principium ſulphureum, quod ob genericam ſuam tenuitatem & mobilitatem accedente & intercedente humiditate aquea citius & ordine primum cum inteſtino motu afficitur, ut propterea priſtina compages & mixtio aliquam diſſolutionem patiatur; ſiquidem aliàs conſtat, quam infirma ſit cohæſio principii oleoſi & aquei, qui nexus tanto citius diſſolvitur, quo magis colliſoria commotio intercurrit: inde evenit, ut principia reliqua ſalina terrea & mucilaginoſa actuale divortium patiantur & denique ob novum coalitum principii ſubtilioris ſulphurei ſalini & terrei novum productum generetur.

§. VI. Subeſt adhuc in ſubjectis Fermentationis illa ſingularis differentia, quod in quibusdam firmior, in nonnullis laxior cohæſio ſit, qualis differentia eximium proinde confert ad futuram faciliorem aut difficiliorem diſſolutionem, quæ uti ſucceſſivè contingit, ita phænomena & effectus Fermentationis non uno eodemque tempore occurrunt, ſed ratione ordinis & conſecutionis variant: quemadmodum in Fermentatione antecedit ſeparatio

fæcum, ſequitur præparatio genuini liquoris ſive ſit vinum, ſive ſit cereviſia: excipit liberatio ſpiritus ardentis, conſequitur ſeparatio magmatis tartarei &c. inter alia principia ſubjectorum ad Fermentationem ſpectantium præcipue diſcrepant oleoſa & aquoſa, à mucidis & terreis connexis & confluentibus materiis; quare hæc poſteriora in primo Fermentationis proceſſu & actu non ſtatim commoventur, ſed tantum ſub continuatione motus fermentativi unà alterantur: proinde etiam ſciendum eſt, quod cohæſio horum principiorum minime intima & centralis, ſed laxa & ſuperficialis ſit; eapropter ſuperveniens motus inteſtinus cum idoneis tam aëris, quam aquæ inſtrumentis eandem mixtionem facilius ſolvere poteſt, eo usque, ut hæc diſſolutio tanto citius & impetuoſius progrediatur, niſi concurrentes reliquæ cauſæ, inprimis acceſſus aëris, motus caloris, & præſentia principii aquoſi peritè & dextre dirigantur.

§ VII. Hæc inteſtina commotio, qua mediante Fermentationis proceſſus abſolvitur, præcipuam ſuam vim in ſubjecta vegetabilia è prædictis principiis conflata exſerit, tanto magis vero in illa, quæ ſunt ſucculenta & ſapida, ſive dulcia ſive acida, uti ſeorſim conſtant poma, pyra, ceraſa, pruna, mala citria, aurantia, cydoniorum, Sorbi, Meſpili, Mori, Rubi Idæi, Ribeſiæ, Myrtilli, Fraga horumque fructuum Succi, maxime vero ſuccus uvarum & vitis, quo pertinent alii ſucci inſpiſſati dulces è Saccharo, Melle, Manna & Siliqua parati, qui ſinguli propterea, quia fluidi ſunt, aut in fluiditatem redigi poſſunt & oleoſo-ſalino-terreſtris eſſentiæ ſunt facile motui fermentativo obtemperant, qui motus in hiſce ſuccis oleoſum principium à reliquo craſſiori terreſtri reſolvit atque liberat, quod poſterius ob gravitatem ſuam cum aliqua portione craſſioris oleoſi principii ad fundum ſecedit & commune fæculentum magma conſtituit: reliqua portio ſubtilior terreſtis, ſulphurea, oleoſa & ſalina in reliquo liquore remanet & alterum novum productum ſubminiſtrat, è quo ſucceſſive ſecedit compoſitum quoddam oleoſo ſalino terreum, quod vulgarem Tartarum conſtituit: quando motus Fermentativus continuat, tunc denuo reſiduæ ſubſtantiæ terreſtres oleoſæ diſſolvuntur, ut liquor priſtinam ſuam limpiditatem amittat, iterumque turbidus evadat, donec denique vappeſcat, aut in putrilaginem ruat.

§. VIII. Huic fermentativo motui maxime ſubjecta ſunt fluida corpora, quæ propter aqueam ſuam indolem inteſtinam commotionem eo citius aſſumunt, unde etiam evenit, ut reliqua ſubtilis oleoſa portio cum eodem motu inteſtino agitetur & à connexis aliis principiis liberetur: tantæ itaque efficaciæ eſt colliſoria illa intimior commotio principiorum in ſubjectis

Fermentationi obnoxiis, è qua ſucceſſiva colliſione diverſæ Fermentationis phænomena prodeunt: primarius effectus eſt dimotio illorum principiorum, quæ antea cohæſerant; conſequens effectus eſt attenuatio tum oleoſi, tum etiam terreſtris principii, ut poſthac & odori & ſapori conſequentes novæ mixtiones ſubtiliores occurrant; denique tranſit ille motus fermentativus in novam combinationem antea attenuatorum principiorum reſiduorum: interea è quacunque tali alteratione varia & diſcreta phænomena proveniunt, quæ in hiſtoria Fermentationis bene attendenda ſunt: ſingularem proinde animadverſionem meretur Sal illud in vegetabilibus obvium & alias ſpecies vegetabilium diſtinguens, quod communiter cum principio oleoſo combinatum eſt, ita ut nunc cum eodem laxius cohæreat, proptereaque quoad ſaporem illud Sal magis emineat, alibi vero cum eodem pingvi principio paulo magis commiſceatur & propterea ſuam maturitatem obtineat.

§. IX. Sicut Fermentationis motui maxime ſubjecta ſunt vegetabilia ſapida, dulcia & acida, quorum variæ ſpecies modo recenſitæ ſunt, ita adhuc plures harum ſpecierum in regno vegetabili obviarum Fermentationis proceſſui obnoxiarum occurrunt, quæ ſub continuatione motus inteſtini denique actuali corruptioni exponuntur: præcipue adſunt duo ſingularia ſubjecta Saccharum videlicet atque Muſtum, quibus annumeranda ſunt diverſa ſemina quadantenus dulcia, velut Triticum & Secale, Germanicum æque ac Turcicum, Oryza, Avena, Hordeum, Cicer, Piſa, Lentes, Vicia, Milium, Lolium, Orobus, quibus accenſeri poſſunt nuclei dulces, nuces, amygdalæ, qualia ſubjecta, in aptam conſiſtentiam converſa, huic motui fermentativo & conſequenti putrefactorio ſubmittuntur: præterea eadem principia ad motum fermentativum ſubeundum apta oleoſa ſalina occurrunt in ſeminibus ſemi aromaticis & de dulcedine participantibus, ut in baccis Juniperi, Seminibus Aniſi, Fœniculi, Cumini, Carvi, Dauci, Nigellæ, Sileris montani, Anethi, qualia propterea Fermentationem adjuvant & acuunt: non minus huic numero accenſeri debent quælibet ſapidæ dulceſcentes & aromaticæ, aut odoratæ herbæ & radices: ſicut ipſum ſimpliciſſimum gramen & ſtramen fermentativo & putrefactorio motui ſubjacent, non excluſis Gummatibus in juſtam conſiſtentiam converſis, aliisque vegetabilium partibus.

§. X. In ſingulis hiſce ſubjectis deprehenditur partim actualis pinguedo, partim etiam ſalina acida ſubſtantia, quæ in vario ſtatu ſeſe odori & ſapori manifeſtat: quamdiu illa pingvedo ſalinis & terreis principiis intimius innexa eſt, tamdiu magis hæc ſalina principia ſapori ſeſe offerunt, donec aliqualis alteratio huic mixtioni inducta ſit: præterea etiam ſatis larga quantitas

titas terreæ ſubſtantiæ in ſubjectis illis reperitur, quæ ſeſe partim in fæculentis illis recrementis, partim in concreto Tartari, partim in carbonibus & cineribus combuſtorum horum ſubjectorum conſpectui offert: ita pinguis illa vegetabilium portio tam in ſuccis illis inſpiſſatis, quam in oleis deſtillatis & emulſionibus conſpectui exhiberi poteſt: quemadmodum ferme in quocunque producto ſalina ſubſtantia ſeſe guſtui ſubjicit, uti terreſtris portio adhuc in ſuccis vegetabilium defæcatis & clarificatis demonſtrationi ſeſe offert; ad quæ primaria principia, ſaporem, odorem, colorem & conſiſtentiam ſubminiſtrantia, omnino advertere convenit: ſiquidem ex illorum diverſa mutatione & combinatione varia producta & in Fermentationis proceſſu notatu digna phænomena occurrunt.

§. XI. Ad certiorem & evidentiorem Fermentationis explicationem plurimum contribuit notitia hiſtorica, qua illæ circumſtantiæ exponuntur, quæ ad ipſum Fermentationis proceſſum ſpectant: in hac hiſtoria Fermentationis placet nunc brevibus partim potiores ſpecies Fermentationis & ſubjectorum fermentantium explicare, partim etiam principaliores circumſtantias in Fermentationis actu obvias recenſere: principaliſſima Fermentationis ſpecies occurrit in vinoſa Fermentatione, quæ tali modo atque ordine ſuccedit: uvæ maturæ ſufficienter exprimuntur, ſuccus expreſſus conſtituit muſtum; hoc quando aliquandiu vinaceis ſuis atque acinis commixtum manet aliqualem adſtrictoriam aciditatem nanciſcitur; quæ notitia illum uſum practicum habet, quod in oenotechnia ex hoc fundamento diverſo vino major aciditatis gradus conciliari poſſit: inde etiam, dum muſtum aliquandiu vinaceis ſuis affuſum manet, futuro vino rubicundus color acquiritur: ipſum muſtum eſt liquor, qui de larga humidæ aquoſitatis copia participat, quæ per ſimplicem evaporationem & inſpiſſationem abſtrahi poteſt, inde provenit pulpamentum ſive Rob muſti, quod eſt magma mucidum ſalino pingue: ſibi relictum muſtum ſucceſſive motu inteſtino fermentativo agitatur, unde turbidum evadit, ut flocculi in illo fluctuantes conſpiciantur, quæ Fermentatio tanto impetuoſior eſt, quo plus muſtum de aqua participat, vinum vero, quod inde provenit minus ſpirituoſum, ſed vilius eſt, hinc commode valde aquoſum muſtum antea quantisper evaporatur, qualis enchiriſis circa vina exotica Hiſpanica, Cretica &c. adhibetur, inde evenit, ut ſulphureo-oleoſa portio paulo largius in vino remaneat; quid quod multum proficit juſtum moderamen obſervare & adhibere, ne impetuoſe muſtum fermenteſcat, quam Fermentationem vulgo catotericam vocant: interim utplurimum Fermentatio per autumnum & ipſam hyemem usque in primitias veris continuat

tinuat, ubi liquor alteratus paulo purior evadit, qui propterea illo tempore à fæcibus abſtrahendus eſt, quoniam eædem fæces denuo in altum vehuntur, quando vinum diutius ipſis ſuperimminet, quales fæces deinde vinum denuo turbant & in novam Fermentationem rapiunt, ut pendulum atque vappidum evadat.

§. XII. A Vinoſæ Fermentationis proceſſu, quoad principales circumſtantias ſuas modo tradito, jam ad Cereviſiariam Fermentationem progredi placet; licet ſubinde in qualibet Fermentationis ſpecie ſpeciales circumſtantiæ adhuc occurrant: hæc Fermentatio cereviſiaria multum nititur artificioſo regimine, ſiquidem per ſolam frumentorum coctionem nullus durabilis potus parari poteſt: unde etiam contingit, ut, quo magis artificioſe & perite præſens negotium tractatur, eo magis potus ſapidus, durabilis & congruus inde proveniat: vulgo quidem cereviſia paratur ex hordeo, quod primum in polentam convertitur, ubi gramina hordei germinare debent, quæ germinatio conciliatur per aliqualem hordei humectationem & poſt hanc germinationem proxime exſiccatio iterum polentæ inducitur, quæ vel nudo aëre, vel mediante calore perficitur, ex hac poſteriori provenit polenta, è qua cereviſiæ dulces albicantes & turbidæ parantur, è priori vero cereviſia, cui amarus ſapor & fuſcus puniceus color conciliatur: huic polentæ affunditur aqua ſufficienter calida, aſt non nimium fervida, aliàs liquor inde proveniens valde degenerat; inde extrahitur pinguis portio hordei per prægreſſam Fermentationem, quæ ſub germinatione contingit, reſoluta proinde hæc miſcela bene eſt interagitanda, ut polenta ſufficienter concutiatur; liquor inde proveniens turbidum colorem nanciſcitur & ſi polenta ſub aëre exſiccata fuit, albicans evadit, unde proveniunt cereviſiæ pallidæ: talis liquor abſtractus coquitur, ſub coctione in ſuperficiem ſecedit ſpumida materia ſubmucidæ conſiſtentiæ, quæ vulgo dicitur die Würtze: hinc provenit Decoctum nauſeabundum & dulce, cui in cereviſiis puniceis admiſcetur lupulus, qui in futura Fermentatione intimius cereviſiam penetrat, eidemque ſubtiliorem Fermentationem inducit, unde cereviſiæ poſtea diutius aſſervari ſolent, ſiquidem dulces potus cereviſiarii citius aceſcunt: quando itaque cocta cereviſia in vaſa ſua colligitur, tunc intra aliquot dies primarium Fermentationis punctum aſſequitur, uti cereviſiæ lupulatæ ſucceſſive modicam Fermentationem continuant & hinc proveniunt cereviſiæ optime defæcatæ atque puræ.

§. XIII. Præter Fermentationem cereviſiariam ex hordei coctione provenientem adhuc plures Fermentationes occurrunt & quidem in Tritico, quod

quod aliquando ad certas ſpecies cereviſiæ parandæ recipitur, uti exinde dulces cereviſiæ parari ſolent, adeo, ut quo plus tritici ad ejusmodi potum cereviſiarium recipiatur, eo magis dulcis evadat cereviſia, qualis vero inſuper valde fermentativa eſt & hanc Fermentationem diu continuat, quæ denique eo usque procedit, donec liquor aceſcat: inde etiam evenit, ut cereviſiæ dulces tam prompte adverſam aciditatem aſſumant: & ex hoc fonte fluit etiam, cur è tritico ſatis ſapidum acetum parari queat: hoc modo fermentant etiam noſtratia legumina, è quibus æque acetum præparari poteſt: unde Glauberus teſtatur, quod è piſo valde concentratus Spiritus ardens confici poſſit, qui dignitate & efficacia alium communem ardentem ſpiritum ſuperare debet: ſervanda vero erit in illius præparatione illa cautela, ne piſa ſub deſtillatione adurantur, unde contingit, ut Spiritus ardens empyrevmaticum adverſum ſaporem atque odorem aſſumat.

§. XIV. Singularem & ſpecialem porro notam meretur Fermentatio Panaria, quæ in plurimis locis uſitatius cum Secale, deinde etiam cum Tritico procedit, quæ utraque frumenta motui fermentativo expoſita ſunt: & quidem quod Secale attinet, illud in maſſa ſua adhuc humidula ſucceſſive motum fermentativum è primo incitamento & fermenteſcente ſeminio continuat, ut aceſcens illa paſta, quæ ſimpliciter Fermentum audit, inde prodeat: hæc deinceps farinæ ſecalinæ cum vehiculo aquoſo immixta, ulteriorem Fermentationem proſequitur, in quo proceſſu illa cautela & artificioſa & oeconomica obſervanda eſt, ne ad hunc proceſſum nimis frigida aut nimis fervida aqua adhibeatur, utraque enim legitimum Fermentationis ſucceſſum impedit, ut inde panis imperfectus mucidus, humidus, compactus, ſpiſſus prodeat: quando poſt Fermentationem rite peractam panis legitime paratus diutius aſſervatur, tunc in eodem ulterius motus fermentativ9 continuat, ut denique ipſa putredo panaria & æruginoſa illa panis inverſio conſequatur, quæ corruptela ſeſe cum odore aceſcente, ſapore acidiuſculo, colore ex viridi cœruleo & conſiſtentia ſpongioſo-fungoſa prodit; ſiquidem ex ejusmodi pane putrido acidus liquor parari poteſt: quod Fermentationem in tritico attinet, tunc illa ob principium valde craſſum & copioſum pingve in hoc frumento non tam cito ſuccedit, ſed aliquo adjumento & incitamento fermentante indiget, hinc ejusmodi maſſæ panariæ triticeæ utplurimum fæces cereviſiariæ addi ſolent, quæ ſi largius commixtæ fuerint, nimis ſpumidam reddunt maſſam, quam calor deinde irregulariter & confuſe commovet, iterumque adeo alterat, ut panis inde ſiccus, & condenſatus proveniat: ſicut artificium peritorum piſtorum eſſe ſolet, quod ſecundum diverſitates tempe-

ſtatum plus vel minus harum fæcum maſſæ ſuæ panariæ admiſcere ſoleant: non minus peritis oeconomis probe conſtant illæ locutiones: man habe den Teig zu heiß oder zu kalt eingemacht, oder zu ſcharff getrieben, oder zu naß und zu trocken gemacht.

§. XV. Præter hactenus recenſita ſubjecta Fermentationis proceſſui admodum obnoxium eſt Mel, quod eo ipſo teſtatur familiam & proſapiam ſuam è vegetabili regno provenientem, aut quod ſuccus vegetabilis ſit, ſiquidem hoc mel cum aqua dilutum & interdum cum alio quodam fermentativo ſubjecto acuatum, facile actualem Fermentationis motum ſuſcipit, è qua mellis Fermentatione provenit illud famoſum productum, quod vulgo Mulſi nomen tenet, quale in variis regionibus ut in Polonia, Moſcovia, Livonia, Boruſſia & in diverſis civitatibus Imperialibus, præcipue Ratisbonæ, parari ſolet: proinde è Melle per eundem motum Fermentationis acidiſſimus Spiritus producitur: ejusdem indolis etiam eſt Saccharum, quod è ſucco vegetabili arundinaceo præparatur, qualis ſuccus niſi mature inſpiſſetur & in ſiccam illam denſitatem convertatur, cito in tantam Fermentationem delabitur, ut poſthac facile penitus in actualem corruptionem incidat: hinc hic ſuccus cum terreſtri calcareo corpore mixtus, ita ligatur, quo in ſolidam ſiccam duritiem converſus, ulterioribus Fermentationis commotionibus non obtemperet: quando vero denuo Saccharum cum aqua diluitur & in liquidam conſiſtentiam convertitur, tunc iterum fermenteſcere inchoat, quali modo ex eodem Saccharo ſoluto ſatis potens acetum præparatur: quemadmodum quotidianum eſt experimentum, quod pharmacevtis & artificibus cum Saccharo operoſis obtingit, quam ſæpe varia è Saccharo parata liquida, ut Condita, Electuaria, Syrupi &c. fermentativæ commotioni ſubmittantur.

§. XVI. Dum hactenus variarum circumſtantiarum, ad Fermentationis negotium ſpectantium, mentio facta fuit: ita adhuc pro ulteriori hujus proceſſus illuſtratione aliæ addendæ erunt, imprimis inculcanda eſt illa ſingularis differentia ſubjectorum ante & poſt Fermentationem obvia, ſiquidem ante hanc ſubjecta talia dulcia exiſtunt, ut muſtum, recenter decocta cereviſia, frumenta in ſimplici ſua farina & pultacea conſiſtentia, mel, ſaccharum, fructus dulces, quæ ſingula poſt Fermentationem vel minorem vel majorem aciditatem & fremebundum acorem nanciſcuntur: hinc omnia vina pura & genuina, niſi antea cocta fuerint, talem cohærentem aciditatem produnt: præterea ſingulare productum è Fermentationis proceſſu annotatione dignum eſt, videlicet Spiritus ardens, qui antea in præcedente liquore eſſentialiter & ita ſimplex non adfuit, ſed qui ſub Fermentatione demum generatur, quando

do è reſolutione præcedentis mixtionis ſecedens oleoſa portio in aliqua quantitate partim attenuatur, partim cum copia quadam aquoſitatis miſcetur, ut inde tale mixtum ſubtiliter pingue oleoſum & aquoſum proveniat, quod de ſalina indole non participat, hinc per repentinam & efficacem flagrationem pinguem ſuam eſſentiam ſufficienter atteſtatur.

§. XVII. Inter alias ſpeciales & principales circumſtantias, ad Fermentationis negotium pertinentes, de vino adhuc ſciendum eſt, quod illius generoſitas non conſiſtat in ſpirituoſa illa ſubſtantia, quæ vulgo ſub nomine Spiritus Vini ſignificari ſolet, quippe qui in hac ſua ſpecie & qualitate vino additus hujus genuinam & ſinceram indolem & conſtitutionem eximie alterat, imo depravat, unde rectius ſulphurea illa ſubtilior portio nobilitatem vini conſtituit & conſervat, quæ ab ipſo vino perpetuo transhalat, quare illud deinceps debilius redditur: ea propter etiam convenit, quo vino illud ſubtile volatile ſulphureum principium reſtituatur: neque quidem per vaſa lignea ſive dolia hoc principium tranſpirat, niſi ex aperto quodam loco ſub aëris commercio hæc exhalatio contingat: inde evenit, ut epiſtomio & aperto dolii orificio impoſita lamina ferrea ab eodem exhalante Sulphure volatili arrodatur & alteretur: interim ſucceſſivè aliquid vino decedit, quapropter neceſſe eſt, quo vaſa denuo impleantur, ne ob vacuum locum aërisque acceſſum in ſuperficie vinum æruginem atque ſitum contrahat: hæc ſeceſſio non alia eſt, quam dum aquoſa portio ſubtilior ſucceſſive per poroſitatem doliorum tranſpirat, quæ ab aëre ambiente inviſibiliter diſpergitur: interea in interiori doliorum ſuperficie remanet portio terreo-ſalino-pinguis, quæ illic adhæreſcens Tartarum conſtituit, quibus circumſtantiis nititur genealogia Tartari: quo magis vero in reſiduo vino reliqua ſpirituoſa & ſulphurea portio concentratur, eo magis ſucceſſive eadem Tartari geneſis adjuvatur.

§. XVIII. Poſteaquam hactenus Fermentationis hiſtoria quoad principales ſuas circumſtantias expoſita fuit, brevibus adhuc cauſales quosdam reſpectus ſubnectere placet, ad quos eo melius inculcandos præcedentes conſiderationes inſerviunt: aſt dum proceſſus Fermentationis unicè, abſolutè & directe mediante motu abſolvitur, ita principale ſtudium in theoria Fermentationis occupatur circa veram hujus motus indagationem & cognitionem: quare hic motus, qui non alius quam inteſtinus eſt, in apto fluido ſubjecto mixtas moleculas aggreditur, easdemque ſub multiplici & efficaci colliſione è priſtina ſua cohæſione diſſolvit, adeoque mixtionem præſentem deſtruit: hic motus vero, qui principalem ſuam energiam in principia oleoſa exercet, iisdem propterea minime eſt proprius & innatus, quaſi ſemetipſa activè impellant

pellant, ſed communicatur ab extraneo accidente incitamento & corpore i-dem ille motus, è quo denique in mixtas has materias tranſcendit, easdem-que modo centraliter, modo eccentrice, modo in uno angulo, modo in u-no puncto offendit & nunc rectilineum, alibi verticillarem, interdum trans-verſalem motum, progreſſum & decurſum illius moleculis inducit.

§. XIX. Quamquam oleoſa illa ſubſtantia in ſubjectis fermentantibus admodum mobilis exiſtat, tamen ad primum Fermentationis incitamentum adhuc mobilior ſubſtantia requiritur, è qua primus motus fermentativus com-municari debet, quapropter cum ipſo aëre hic primordialis fermentativus im-pulſus communicatur, qui deinde talem materiam in ſubjecto fermentante ordine primo afficit & in motum rapit, qualis aliàs quoad diverſos effectus cum aëre convenire ſolet: eſt vero hæc materia, aquoſa humiditas, median-te qua inteſtina illa commotio in reliquas ſubjectas materias transfertur: in-de etiam eſt, cur motus fermentativus ſicca & ſolida corpora non ingredia-tur, quale exemplar occurrit in ſubjectis inſpiſſatis, quæ in fluidiori conſi-ſtentia aliàs facile motum fermentativum aſſumunt; ſicuti in liquoribus in-ſpiſſatis viciſſim motus fermentativus hebetari poteſt; unde in Saccharo & exſiccatis fructibus nulla Fermentatio occurrit, niſi hiſce ſubjectis illud flui-dum aqueum principium reſtituatur: eapropter ſeſe hoc ut externum quod-dam agens ad ſubjecta fermentantia habet, neque in tota ſua quantitate ea-dem eſſentialiter ingreditur: hinc quolibet tempore à fermentantibus ſubje-ctis ſeparari poteſt: ſicut etiam in Spiritu ardente eximia copia illius aquo-ſæ ſubſtantiæ reperitur, qui Spiritus ardens à ſubjecto fermentato ſeparatur: quare hoc aqueum fluidum principium partim motum fermentativum exci-tat & communicat, partim ſub Fermentatione cum aliis ſubſtantiis novam mixtionem adjuvat & conſtituit.

§. XX. Et quemadmodum ad Fermentationem excitandam primario aër & aqua requiritur; ita viciſſim ineptũ inſtrumentũ pro motu hoc fermen-tativo communicando eſt Spiritus ardens, qui ob nimiam ſuam ſubtilitatem alias mixtas moleculas non facile in tam efficacem motum rapit, qualis ad Fermentationem requiritur; unde etiam Spiritus ardens difficulter ad Saccha-ri ſolutionem ſatisfacit; deinde ineptum inſtrumentum pro motu fermenta-tivo excitando eſt Oleum, quod æque ſpiſſius exiſtit: neque Aqua frigida huc ſatisfacit, quæ ad illum motus gradum ſuſcipiendum, qualis Fermentationi convenit, inepta eſt: neque denique Aqua nimis calida huc convenit, quæ ir-regulares & nimis impetuoſas præcipitatas commotiones cauſatur; eapropter præter concurſum elementi aërei & aquei, ad Fermentationis proceſſum ne-

ceſſarii

ceſſarii, requiritur aptus motus in utroque elemento & quidem talis, qui inter frigus atque teporem medius eſt: inde evenit, ut Fermentatio modeſte inchoet, placidè continuet, efficaciter inſiſtat & legitimè decurrat: quo magis enim illa vel præcipitatur, vel præter neceſſitatem & utilitatem retardatur, eo minus utile, purum & idoneum inde expectandum erit productum.

§. XXI. Quando itaque mediantibus hiſce inſtrumentis primum impulſum ad Fermentationem inducentibus reliquæ mixtæ ſubſtantiæ in inteſtinum motum converſæ ſunt, tunc varii effectus exinde proveniunt, videlicet ut ſub colliſione illa mixtarum molecularum actualis reſolutio mixtionis ſuccedat & oleoſæ ſalinæ & terreſtres ſubſtantiæ à ſe invicem ſucceſſive dimoveantur, quæ deinde ſigillatim ulterius colliduntur, ut porro craſſiorum vel oleoſorum, vel terreſtrium ſubſtantiarum attenuatio contingat, quædam vero ex iisdem principiis in paulo craſſiori conſiſtentia remaneant: unde poſthac evenit, ut ſub continuatione hujus motus antea liberatæ materiæ magno numero novam quandam commixtionem aſſumant, adeoque novum productum conſtituant; licet notabilis quantitas materiarum craſſiorum atque terreſtrium ſecedat, neque in novam mixtionem abeat: hinc etiam contingit, ut poſt ſeparationem ſpiſſiorum materiarum reliqua nova mixtio limpidior, tenuior, ſubtilior & mollior evadat: teſtimonio Vini in relatione ad Muſtum, cereviſiæ bene defæcatæ in comparatione cum cereviſia recenter cocta & panis bene parati, in relatione ad maſſam panariam minus congrue fermentatam.

§. XXII Dictum fuit in præcedentibus, quod principale incitamentum ad Fermentationis negotium ſpectans ex aëre proveniat, cujus concurſus non modo ad Fermentationis initium, ſed & ad ipſum ſucceſſum illius requiritur; interim illa circumſpectio ſervanda eſt, ne aër tam libere & craſſe, aut cum immediato ſuo contactu admittatur; in eo enim ſingularis enchiriſis pro congruo Fermentationis regimine neceſſaria hæret, quo aëris acceſſus exacte mitigetur; interim eſſentialiter aër ad Fermentationem non requiritur, neque quicquam materialis principii de aëre fermentanti maſſæ ſe apponit: unde etiam in occluſo vaſe ſub defectu continuantis immediati concurſus aëris, Fermentatio procedit: interim ſubtilior illius aëris acceſſus ad conſervandam eandem Fermentationem contribuit: proinde ſciendum eſt, quod craſſior & liberior aëris admiſſio non modo Fermentationem valde augeat, ſed & magnam copiam reſolutæ & attenuatæ ſubtilioris ſubſtantiæ aquoſo-ſalino-ſulphureæ evehat, teſtimonio cereviſiæ Anglicanæ, aut vaporum in cellis vinariis, ubi Fermentatio ſuccedit, obviorum: habet eapropter omnino aliquam

activitatem aëris acceſſus in liquorem fermenteſcentem, è quo exhalantes ſubtiliſatas ſubſtantias ſatis magna quantitate aſſumit, unde etiam evenit, ut vinum fermentans, liberiori aëri expoſitum, odorem, ſaporem & colorem ſuum generoſum amittat, adeoque vappidum reddatur: quare viciſſim contingit, ut, quo magis hic aëris acceſſus temperatur & in tali temperie conſervatur, eo magis productum Fermentationis generoſum evadat: minime omnium vero pro Fermentatione aër tepidus, aut calidus conducit: & quo magis in primis ſuis acceſſibus hæc Fermentatio rite tractatur, eo magis nobile inde obtinetur productum.

§. XXIII. Proinde motus inteſtini, ad Fermentationis proceſſum neceſſarii, effectus indicato modo eximius & triplex eſt: prior ſub colliſione materiarum mixtarum eſt reſolutorius, quo principia antea connexa diſſolvuntur & liberantur; alter ſub reſolutione tali continuante contingens effectus eſt attenuatorius, quo quædam principia adhuc craſſiora per interpoſitionem aliorum principiorum & continuantem commotionem ſubtiliſantur, & ad futuram teneriorem mixtionem producendam præparantur; tertius effectus eſt, quando ſub continuatione hujus motus reſolutorii & attenuatorii quædam principia denuo combinantur, ut inde nova mixtio, quæ à priſtina valde diſcrepat, adeoque purior, ſubtilior & nobilior eſt, prodeat: & ex ejusmodi effectibus ſingulares alterationes in ſubjecto fermenteſcente occurrunt, quæ ſimplici ratione non occultis aut imaginariis, ſed realibus & phyſicis metamorphoſibus ſeſe produnt: quamquam vero in hoc proceſſu Fermentationis ſatis evidens & efficax ſit inteſtina commotio, tamen nulla ſingularis incaleſcentia ob defectum craſſiorum terreſtrium ſubſtantiarum contingit.

§. XXIV. Et hoc motu Fermentationis corpuſcula ex ſale, terra & oleo conſtantia, tam inter ſe invicem, quam cum interfluctuantibus aqueis particulis colliduntur & per nexus ſuos atque commiſſuras diſſolvuntur, præcipue vero oleoſa principia ab aliis ſeparantur, quæ propter eximiam ſuam mobilitatem non modo prompte moveri, ſed & facile dimoveri poſſunt: & hæc ita ſeparata & ab aliis liberata partim odore ſubtili ſeſe produnt, partim inſenſibiliter in auram ſecedunt & tranſpirant, partim denique in ſuperficie liquoris cuticulæ inſtar natant: magna tamen differentia conſtituenda eſt inter ſimplicem Fermentationem & Putrefactionem, quamvis hæc non modo per motum inteſtinum formetur, ſed & interdum ex præcedente Fermentatione oriatur: eſt propterea motus ille putrefactorius extremus & ultimus ille gradus motus inteſtini, quando reſidua ſubtilior mixtio intime & extre-

extreme diſſolvitur, neque propter nimiam principiorum ſubtilitatem in novam mixtionem redigitur, quapropter hic actus putrefactorius eſt, quia in nuda diſſolutione & ultima ac intima deſtructione præcedentis mixtionis conſiſtit. Ceterum ſecundum hanc Fermentationis genuinam explicationem facile liquet, quo ſenſu in theoria medica interdum Fermentatio accuſetur, cum rectius improprio & allegorico ſignificatu de animalium ſubjectorum reſolutione Fermentatio prædicetur & cum viciſſim veriori & ſimpliciori ratione vegetabilibus hactenus allegatis ſubjectis adſcribenda ſitZymotechnia.

SECTIO IV.

DE PYROTECHNIA.

§. I.

SUpereſt in præſenti conſpectu chymico brevibus adhuc Pyrotechniæ Fundamenta exponere & hoc nomine Pyrotechniæ non quidem diffuſum illum laborem ſuſcipere placet, quo ſingulos proceſſus, qui in & cum igne ſuccedunt, exponam, ſed potius ſpecialiores quasdam operationes, quæ cum metallis peraguntur explicare lubet, qualis doctrina alibi docimaſiæ metallurgicæ nomine venire ſolet: & quamquam ad præſentem tractationem in Halotechnia variæ præparationes & utiles præludentes animadverſiones occurrunt, quas hoc loco fuſius repetere haud placet, attamen ſpecialiores applicationes & circumſtantias ad præſentem ſcopum proximius ſpectantes annotare volo: & hæc ipſa Docimaſia ſive Pyrotechnica metallicorum corporum tractatio non quidem medicis, quam rectius civilibus uſibus inſervit, niſi quidam præparationes Salium, Sulphurum & Mercuriorum metallorum in hoc docimaſtico foro tractare, urgere & ad medicos uſus applicare malint, qui labor tamen non ſatis adæquate ad Metallurgiam, quam ad pompoſam illam & portentoſam Chymiam pharmacevticam, circa metalla occupatam, referendus eſt.

§. II. Quando itaque Docimaſiæ Metallurgicæ fundamenta exponere animus mihi eſt, tunc ante omnia indicare convenit, quod in hac tractatione ſermo occurrat de illa manuductione, quomodo metalla diverſæ ſpeciei vario modo conjungantur, alterentur, ſeparentur, purificentur, aut etiam à cohærentibus mineralibus, ſterilibus, terreſtribus, aut craſſis & ſuperfluis, ſulphureis recrementis liberentur, adeoque in genuinam ſuam puritatem & nobili-

nobilitatem convertantur: & quoniam ad talem depurationem ignis concurſus requiritur, ſubinde vero mineræ & metalla non promiſcue facile ignis motui obtemperant, ita præterea in hac tractatione agitur de artificio facile fundendi & liquandi metalla, quo propterea reliquus ſcopus depurationis neceſſariæ eo facilius impetrari queat: & ſicut in tractatione metallorum ignis principale inſtrumentum activum eſt, hinc in pyrotechnia probe attendere convenit, an formali & activa impellente & commovente ratione & qualitate ignis ad diverſos effectus producendos contribuat, an viciſſim aliquid materiale metallis ex igne communicetur: ubi facile liquet, quod ignis ob ſuam ſubtilitatem nihil craſſum, aut valde terreſtre communicare queat, adeoque ad ſoliditatem & augmentationem quantitatis metallorum nihil contribuat: hinc potius illud eſſentiale inflammabile ignis principium metallis tractandis, meliorandis & reducendis accedere debet.

§. III. In hoc negotio metallurgico haud principale illud eſt opus, quando tantum metalla à craſſis ſuis terreſtribus recrementis liberantur, ſed quando in genuino ſuo nitore & propria nobilitate ſiſtuntur, ubi conſtat, quomodo Sulphuris commixtio cum metallicis corporibus variarum alterationum cauſa exiſtat: quemadmodum ſuperfluum Sulphuris additamentum ipſa metalla obſcura & impura reddit & viciſſim defectus principii ſulphurei magnam metallorum quantitatem quaſi ſterilem & fatuam efficit: ob id primarium artificium docimaſticum eſt, quo metalla ita tractentur, ne ullo defectu hujus ſulphurei principii laborent: in genere quidem ſingulis metallis ineſt illa promptitudo coeundi cum ſatis notabili Sulphuris copia, quod eapropter in repurgatione metallorum in tantum exurendum & ſeparandum eſt, in quantum metallicam ſubſtantiam eo usque impedit, quo minus in juſtam ſuam puritatem redire queat: & licet inter alia metalla argentum & aurum à Sulphuris commixtione non conſtanter alterentur, ſed potius hoc Sulphur ab hiſce nobilibus metallis facile, prompte & nudo ignis motu ſeparari poſſit, ut deinde metalla illa in ſuam puritatem, ſuumque nitorem revertantur, tamen in aliis minusque nobilibus metallis Sulphuris commixtio & ſeparatio evidentiores alterationes inducit, quæ interdum eximium quoddam diſpendium involvunt, ut eapropter peritus artifex circa hujus principii tractationem omni probata & exercitata enchiriſi inſtructus eſſe debeat.

§. IV. Dum hoc Sulphur metallis diverſimode adhæreſcit, nunc craſſius & laxius, nunc ſubtilius & intimius, ita varia artificia in promptu eſſe debent, quo in utroque ſtatu Sulphur ſuperfluum à metallo ſuo liberetur: ob id etiam contingit, ut partim per ſimplicem calcinationem, cremationem & uſtu-

uſtulationem, partim per additamenta, Sulphur à metallis exurentia, illud liberetur & ſeparetur: quemadmodum præcipue Nitrum ejus efficaciæ eſt, quo tam Sulphur, quam Sulphureum principium à metallis ſeparare adjuvet: evenit etiam, ut dum à Saturno, Jove, Marte & Venere Sulphur exuritur, nunc ſimul ignis aliquam portionem eſſentialis metallicæ ſubſtantiæ comburat & metallum in cineream indolem convertatur, quales cineres dehinc per ſe minimè in genuinum metallum converti poſſunt, ſed potius velut alia vegetabilis cinerea ſubſtantia in vitrum quoddam colliqueſcunt: tanto facilius hæc intimior ſulphurei principii exuſtio à talibus metallis contingit & ſimul metallicæ ſubſtantiæ combuſtio ſuccedit, quo magis ſub tali proceſſu immediatus aëris acceſſus cooperatur: in quibusdam metallis evenit, ut ſi non ita intime & Sulphur & metallum comburatur, è Sulphure tamen acida quædam portio in metallo remaneat; hinc in ferro & cupro Vitriolum generatur: quando vero poſtea ulteriori ignis ope talis ſubſtantia in priſtinam conſiſtentiam reduci debet, tunc illud acidum non modo ſeparatur & expellitur, ſed etiam inflammabilis metalli ſubſtantia eo usque exuritur, ut deinde cum novis aliisque additamentis in metallicam, nitidam, tractabilem & duram conſiſtentiam converti debeat.

§. V. In docimaſtica metallorum tractatione principalis & fundamentalis enchiriſis conſiſtit in principii inflammabilis ſufficienti & intima introductione atque conſervatione in metallicis ſubjectis: quo magis enim peritus artifex circa hanc quantitatem principii inflammabilis conſervandam & reſtituendam perite verſari poteſt, eo magis in hoc opere metallurgico rationabiliter & cum certitudine procedit: etenim hoc principium inflammabile eſt velut anima metallorum, ſicut v. g. Martis durities, denſitas & metallica indoles eodem principio nititur: quod, ſi ſub acceſſu ignis & aëris exuritur & expellitur, poſtea ferrum in tenuem, diſſipabilem, rufeſcentem pulverem tranſit, qui quo magis hoc principio adhuc cohærente privatur, eo magis inde terrea pulverulenta ſubſtantia emergit, quæ, cum vehementi igne impulſa, denique colliqueſcit & in vitreſcens fragile magma abit: qualis Martis conſtitutio maxime diſcrepat à priori genuina ſua metallica conſiſtentia atque duritie, ſub qua tamen aliquam tractabilitatem ſub malleo conſervavit: & idem principium in aliis metallis hanc genuinam metallicam conſtitutionem & qualitatem conſervat: inde pendet cupri ſingularis ductilitas, qua in folia & filamenta deduci & extendi poteſt, cùm contra per ignem ſub aëre agitatum & exuſtum cuprum in friabilem illam conſiſtentiam pulverulentam, quam vulgo vocant den Kupffer-Staub converti poſſit,

qui

qui pulvillus, quo magis ab inflammabili hoc principio ſeparatur, eo magis metallicam ſuam ſimilitudinem perdit: idem contingit cum plumbo & ſtanno, quæ metalla ſola ignitione ſub aëris liberioris concurſu in pulverem convertuntur: ubi de Saturno incinerato illud notare convenit, quod plus quam vegetabiles cineres, imo adhuc promtius in vitreſcentem conſiſtentiam converti queat, in qua nulla veſtigia priſtinæ ductilitatis adſunt.

§. VI. Sicut porro metalla per ſubtractionem principii inflammabilis quaſi enecantur & deſtruuntur, ita per ſufficientem illius principii reſtitutionem denuo revificantur & reſtituuntur; haud tamen in hac reductione tota quantitas perfecte redintegratur, quin potius contingit, ut eidem aliquid deficiat, quod vel ſub tractatione mediante igne ſuſcepta & ſub immediato aëris concurſu tranſpirat, vel quod ex parte in ſcoriam aliquam & recrementum vitreum fatiſcit; uti v. g. evenit, quando centenarius lithargyrii in plumbum reducitur, ut quadrans aut tertia pars deinde deficiat: interim adhuc notatu digna eſt illa obſervatio, quod lithargyrium plumbo ſit ponderoſius, ſiquidem cineres plumbi calcinati ponderoſiores ſunt ipſo plumbo: quale quid etiam contingit, ſi Regulus Antimonii pulveriſatus calcinatur & à ſuo inflammabili principio tantiſper privatur, qui tunc in tali pulvere calcinato ponderoſior eſt, quam ſi eidem inflammabilis ſubſtantia reſtituta & ipſe ſubinde in regulinam conſiſtentiam converſus fuit; quam circumſtantiam fruſtra quidam inſinuationi ignearum particularum adſcribunt, cum rectius Kunkelius illam diſtinctam ponderoſitatem arctiori & denſiori coalitui particularum metallicarum adſcripſerit, ſiquidem laxius metallum præ alio compactiori & denſiori levius eſt, eximio documento plumbi, quando ad aurum comparatur: interim etiam evenit, ut diverſa metalla poſt exuſtionem principii ſui inflammabilis in vitreſcentem adeoque arctiorem conſiſtentiam tranſeant: ſicut ipſum Vitrum Antimonii præ ipſo metallico Antimonii corpore prærogantem ſuam ponderoſitatem abunde teſtatur.

§. VII. Quando itaque metallica ſubjecta deſtructa & principio ſuo inflammabili privata reduci debent, neceſſe eſſe dixi, quod hoc amiſſum principium iisdem reſtituatur; hæc reſtitutio vario modo fieri poteſt, dum illa metalla exuſta immediate per carbones transfunduntur & ſub horum proximo contactu colliquantur: ita evenit, ut dum è carbonibus tantum inflammabilis principii aſſumunt, quantum requirunt, priſtinam ſuam integram indolem recuperent; vel quando ejusmodi metallis, quaſi mortuis, hoc principium vitale ſulphureum reſtituitur cum illo Pulvere Paracelſiſtico reductorio, mediante quo commixta funduntur; unde evenit, ut ex eodem

pulve-

pulvere, in quo pinguis Tartarea ſubſtantia adeſt, tantum hujus principii recipiant, quantum ipſis deficit: vel quando ex uno metallo in alterum hoc ſulphureum principium propagatur, quæ ſingularis eſt methodus artificialis, ſiquidem unum metallum præ altero citius & facilius cum ſulphureo illo principio coaleſcit: hujus experimenti fundamenta modo in Halotechnia noſtra tradita ſunt & placet hoc loco brevibus repetere, quomodo contingat, ut, ſi Antimonium cum Argento funditur, ab illo in hoc, Sulphur ſuperfluum tranſcendat, indeque Regulus Antimonii proveniat & in ſcoria argentum cum Sulphure cohæreat: ſi hæc ſcoria cum cupro funditur, tunc Sulphur amittit Argentum, quod ad fundum decidit & Cuprum aggreditur: ſi hæc maſſa, è Cupro & copioſo Sulphure conſtans, ſub ſufficienti igne cum ferro conjungitur, tunc Sulphur amittit cuprum & arripit ferrum: in quo experimento omnino fundamentum docimaſticum hæret, quomodo metalla à ſuo Sulphure arſenicali repurgari queant: ſed cum hoc fundamentum vulgo in officinis fuſoriis incognitum ſit, mirum haud eſt, cur aliæ ſeparationes & operoſæ & pretioſæ ſint.

§. VIII. Quod vero ipſa metalla attinet, tunc de illorum geneſi, augmentatione & melioratione variæ curioſæ meditationes inter Phyſicos & Chymicos occurrunt; imprimis notatu digna eſt illa animadverſio, an nimirum metalla poſſint meliorari & quidem in ſuis ſubterraneis locis & receptaculis: quæ ipſa conſideratio ex antiquis quibusdam perſuaſionibus ortum traxit, dum ob imperitiam artis fuſoriæ & docimaſticæ nobiliora metalla in ignobilioribus remanſerunt, unde vulgo creditum fuit, quod è cupro, quo cum olim illuſtria domicilia obtecta fuerant, aurum vel argentum generetur: brevibus interim ſciendum eſt, quod talis melioratio metallorum ſubterranea non ſuccedat, interim in tantum aliqualis maturatio cum iisdem procedit, ſub qua deinde facilius igneo motu tractari queant; illud vero evenit, ut in quibusdam tractibus ſubterraneis una minera fertilior, quam in alio loco exiſtat, inde oriuntur illi doli, quando circumferuntur ejusmodi fruſta fertilia & de iisdem traditur, quaſi totus montis tractus ſimilem fertilem mineram contineat: eapropter etiam error eximius occurrit, quando ex ejusmodi pretioſiori fruſtulo metallico calculus ad totum montis tractum ducitur; quare rectius docimaſta ex tota congerie contuſarum minerarum experimenta ſua inſtituit, quantum videlicet purioris & nobilioris metalli in majore pondere & quantitate reperiatur.

§. IX. Proinde etiam ad hiſtoriam phyſicam & præcipue metallurgicam ſpectat illa obſervatio, quod metalla non ubique reperiantur, ſed quod

illa per vaſtum orbem & geocoſmum diviſa deprehendantur, uti conſtat, quod in Aſia, Turcia & circa Boſphorum Thracicum Ferrum deficiat; quod contra in locis ſeptentrionalibus ſatis largo apparatu proſtat, in quibus poſterioribus viciſſim proventus auri & argenti vel nullus, vel valde parcus eſt: unde tantum ante aliquot annos de Norwegia relatum fuit, quod tractus mineræ argenteæ demum repertus fuerit: interim de Germania eximius proventus argenti conſtat; uti etiam in Bohemia, Sileſia, Hungaria auri æque ac interdum argenti proventus innotuit; quemadmodum etiam diverſæ Germaniæ partes varia alia metalla poſſident: ita etiam hiſtoriæ referunt, quod in confiniis Variſcorum circa montem, quem vocant den Fichtelberg, & in fontibus atque rivis inde eructantibus, non minus etiam in flumine Schwartza Comitatus Schwartzburgici ſabulum aureum reperiatur: præterea in climatibus calidioribus magno apparatu reperiuntur aurum & diverſæ gemmarum ſpecies, paulo minus vero argenti: in orientali plaga Africæ atque Aſiæ in Imperiis Chinæ & Japan, nec non in regno Bengala multum auri & argenti nec non cuprum aurei coloris reperitur; ſicut in Gvinea & flumine Tago multum auri invenitur: quemadmodum etiam Rhenus & Sala talem arenam cum auro refertam continent: notatu vero dignum eſt, quod de Mercurio currente tam infrequens mentio occurrat, cujus in Europa, Aſia & Africa parum occurrit, niſi in quibusdam Auſtriæ & Carniolæ locis, ſed præterea etiam in America ad montes Peruanos ille inveniatur.

§. X. Quod itaque metallorum proventum attinet, tunc judico, quod illa non demum in montibus generentur, ſed, uti ſuperius indicavi, quod mox in prima creatione etiam hæc ſupellex tanquam ſingulare donum Dei, quod multis ſubvenit, montibus inſinuata ſit: quo magis itaque hi ductus ſecundum perpendiculum ad interiora terræ inclinant, eo fertiliores eſſe obſervantur: negandum etiam minime eſt, quod diluvium multam ruinam locis ſubterraneis & mineris introduxerit, unde illa ſingularis obſervatio attendenda eſt, quomodo nonnunquam reperiatur tractus minerarum, qui demum evaneſcit & in ſterilem montem ſeſe convertit, per quem tractum montanum interpoſitum ſi inquiſitio continuatur, denuo illa continuatio tractus minerarum reperitur: è quo phænomeno probabiliter concludere licet, quomodo per diluvium talis tractus minerarum diſruptus fuerit: præterea etiam ſciendum, quod ſi ejusmodi mineræ ſub terris inveſtigantur, ſæpe multitudo aquarum ſubterranearum hanc inquiſitionem impediat, ut propterea cum multis impenſis aquæ avertendæ & educendæ ſint: deinde ſciendum, quod quædam mineræ cum magna copia ſterilioris terræ montanæ refertæ ſint, à qua

eædem

eædem ſeparari debent, quæ ſeparatio variis modis ſuccedit, dum vel à puerulis ſuperficietenus adhærens terra montana liberatur; vel ſi talis terra intimius immixta eſt, tunc in officina contuſoria mineræ tales ſimul conquaſſantur: hinc contingit, ut aqua contuſis mineris affluens terram illam montanam abluat, unde gravius metallum ad fundum ſecedit, quod colligitur & ulteriori tractationi ſubmittitur; vel talis minera terrea antea uſtulatur, quæ uſtulatio triplex commodum habet: primo, ſterilis terra contunditur, ſecundo craſſius Sulphur exuritur & tertio ſubtilior quædam metallica portio mox colliqueſcit & ut nativa redditur: hinc poſtea eo facilius reliqua minera tractari & ab impuritatibus ſeparari poteſt.

§. XI. Interdum metalla talia ob adhærentem terreſtrem ſterilem ſubſtantiam admodum refractaria & ad igneum motum ſubeundum inepta redduntur, quare per aliquod adminiculum ad talem aptitudinem fluiditatis aſſumendæ promoveri debent: ubi metalli fuſores illo medio utuntur, quo lapidem ſiliceum, quem communiter vocant den Quaartz interfundant, qui mineram illam duriorem magis tractabilem reddit, quo in furno fuſorio promtius & intimius fluat, ubi duplex hæc enchiriſis obſervanda eſt, primo, ne ſcoria ſpiſſior foramen illud, ex quo flatus adſpirat, das Gebläſe oder die Form obſtruat; deinde, ne nimis diu & ultra ſuum congruum terminum metallum in igne detineatur: inde enim evenit, ut aliqua illius portio plane comburatur & in eo diſpendium quoddam accreſcat: hinc congruo tempore orificium furni fuſorii hactenus occluſum aperiri debet, quo ex eodem in præpoſitum receptaculum aut tigillum metallum effluere queat: deinde vera metallica portio ad fundum ſecedit & in ſuperiori parte ſcoria remanet, quæ poſtea ſeparari & reliquum metallum ulterioribus præparationibus & ſeparationibus ſubmitti debet: in quo actu nondum ſtatim metallum purum eſt, ſed adhuc multum participat de Sulphure, à quo ſub ulteriori proceſſuum continuatione metallum ſeparari debet, ſicut contingit, ut cuprum aliàs ſatis nitidum, quod vulgo vocatur das ſchwartz Kupffer adhuc magna quantitate de illo Sulphure gaudeat: quale aliud exemplum occurrit in argento, quando illud cum Sulphure liquatur, tunc evenit, ut ſeparata ſcoria argentum ſatis ſplendidum remaneat, quod ſi cum aqua forti ſolvitur, poſt ſe relinquit pulvillum nigricantem, quem perperam quidam pro auro habent, cum rectius Sulphur illud ſit, quod argento adhuc adhæſit.

§. XII. Ignobiliora metalla, ut cuprum, plumbum & ſtannum variis modis à ſuis ſcoriis liberantur, ita quidem, ne ſingularis metalli quantitas in iisdem maneat & quando tales ſcoriæ ſemel ignem transgreſſæ ſunt &

plurima pars metalli è minera fuſa collecta eſt, tunc non ſtatim ejusmodi ſcoriæ abjiciuntur, ſed denuo cum alia quantitate mineræ transfunduntur: ubi duplex ille uſus inde redundat, primo, ut reliqua mineræ quantitas facilius in fluorem convertatur, deinde ut reſidua portio metalli ex illis ſcoriis hac vice iterum ſeparetur, ſiquidem in fuſionibus metallorum duplex illud vitium facile occurrit, ut vel eximia metalli quantitas comburatur & in ſcoriam irreducibilem convertatur, vel ut ſub inſufficienti fuſione minerarum multa metalli quantitas in ſcoriis remaneat, adeoque magnum diſpendium exinde oriatur: quales deperditæ ſcoriæ in eximia ſatis quantitate rejiciuntur, in quibus tamen adhuc notabilis quantitas utilioris metalli latet: quod præcipue valet de mineris cupri & argenti: hinc viciſſim evenit, ut poſt longum temporis tractum per continuum acceſſum aëris & diverſæ mutationis tempeſtatis quædam ſcoriarum portio tractabilior reddatur, qualis poſtea denuo colligitur & in neceſſarios uſus convertitur.

§. XIII. Quemadmodum metalla per imperitam fuſionem deſtrui poſſunt, ita hoc loco de argento ſciendum eſt, quod ipſi ſingulari activitate & qualitate adverſetur Sulphur arſenicale, id quod in futura argenti tractatione multam nobilioris hujus metalli quantitatem deſtruit: & tale Sulphur arſenicale adverſo ſuo fœtore ſeſe prodit, quod antea cum diverſis metallis varia producta conſtituit, ſiquidem in aliis chymicis Arſenici tractationibus diverſa producta oriuntur, inde evenit, ut ſi Arſenicum cum oleo lini miſcetur & ſublimatur, Antimonialis quædam maſſa inde proveniat, aut ſi Arſenicum cum cupro cœmentatur, modo ſubjectum friabile inde emergat, modo albicans & argentei coloris adulterinum metallum exinde naſcatur, quod vero facile denigreſcit: & hoc Arſenicale principium multum valet in Stanno & Argento, ſiquidem in quibusdam Saxoniæ locis reperitur minera Antimonium quaſi referens, quæ vocatur Wolffram, quæ arſenicalis eſt & Stannum valde deſtruit, inde etiam ſolicite ſeparari debet, ne aliquid in Stanno aut Argento remaneat: inde facile liquet quanta ſpolia arſenicalis ſubſtantia in metalli fuſionibus committat.

§. XIV. Multum etiam in Pyrotechnia refert noſſe habitudinem metallorum ad ſe invicem, in & cum igne & quidem, quomodo ſe metallum cum alio facilius vel difficilius commiſceat & quomodo ſub tali miſcela alius color, alia durities & diſcrepans ponderoſitas inde proveniat, inde quomodo unum metallum ab altero vel facilius, vel difficilius ſeparari queat: v. g. ſi argentum cum cupro mixtum ita ſeparatur, ut cuprum perdatur, aut

reti-

retineatur: talium circumſtantiarum atque conſiderationum varia exempla in Pyrotechnia occurrunt & quidem, quomodo ſeſe metalla quædam facilius vel difficilius commiſceant: v. g. plumbum excepto Marte cum reliquis metallis in fluorem tranſit; quando vero cum Marte funditur, tunc in ſuperiori parte obhæreſcit velut ſcoria vitreſcens: ita viciſſim in frigidiori qualitate plumbum cum Mercurio amalgamationem ſubit: ferrum cum aliis tractabilibus metallis per fuſionem ſeſe commiſcet, excepto auro, à quo facile iterum ſeparari poteſt: neque aliud metallum candefactum malleationem ſubit quam Mars, chalybs vero in ſatis notabili temperie malleari poteſt & ſub tali malleatione magis incaleſcit, qualem notabilem obſervationem Borellus de chalybe proponit.

§. XV. De Stanno indicandum eſt, quod plurima metalla intractabilia reddat, ſicut etiam halitus aduſti ſtanni aliud metallum alterare & intractabile reddere poteſt, id quod etiam plumbum cupro, auro & argento inducit; ferrum vero à ſtanno non ita offenditur, quin potius quædam experimenta teſtantur, quod â ſtanno ferrum quantiſper tractabile raddatur, dum videlicet laminæ ferri cum ſtanno obductæ melius malleari poſſunt: quando ſtannum cum cupro confunditur, tunc friabilis inde provenit maſſa: interim ex hoc additamento ſtanni ad cuprum evenit, ut hoc cuprum clariorem ſonitum obtineat: hinc ad formandam illam maſſam pro campanis fundendis aptam ſtannum recipitur, ubi tamen cavendum eſt, ne talis maſſa nimis friabilis & citiori fracturæ expoſita reddatur: præterea plumbum reddit argentum molle & tractabile; aurum cum Marte fuſum & leniter candefactum hos effectus prodit, ut Mars comburatur, aurum vero durius & friabile reddatur: ita etiam Regulus Antimonii molliora & tractabiliora metalla duriora & intractabiliora efficit, hinc argentum cum Regulo Antimonii commixtum velut in pulverem contundi poteſt.

§. XVI. Mercurius excepto ferro & Regulo Antimonii reliqua metalla penetrat & diſſolvit & quidem per intima ramenta, eademque in mollius malagma convertit: qualis maſſa licet interdum duriorem conſiſtentiam aſſumere videatur, tamen durities illa facile ceſſat: ita argentum cum Mercurio, ærugo & Vitriolum cum Mercurio tale malagma conſtituunt, in qua poſteriori miſcela Mercurius è viridi æris & Vitriolo cuprum ſolvit, qualis maſſa quidem aliqualem duritiem recipit, haud vero ita eximiam, ut chalybis duritiei accedere poſſit, uti quidem Boyleus exiſtimavit: præterea de Mercurio notandum, quod dum corpuſcula metalli ſolidiora diſſolvit, tamen deinde per corium trajectus in corio aliquam quantitatem metalli remittat: ita

etiam

etiam evenit, ut ſi Mercurius cum Biſmutho miſcetur, hæc miſcela per corium transprimi queat, ſi vero eadem miſcela per unam noctem ſubſtiterit, tunc Biſmuthum in ſuperiori regione colligitur & ſucceſſive à Mercurio ſeparatur: plumbum atque ſtannum ſatis diu cum Mercurio cohæret, ſiquidem Mercurius cum hiſce metallis vulgo adulterari ſolet: unde hic vulgaris eſt character, è quo talis adulteratio colligi poteſt, ſi Mercurius per corium transpreſſus atque transfluens longiorem caudam efficit.

§. XVII. Præterea quoad combinationem Saturni cum aliis metallis hoc ſciendum eſt, quod duo metalla in igne facile ab eodem diſcedant, ut Mercurius & Stannum: ſi hoc poſterius cum plumbo fortius candeſit, tunc utraque metalla ſub continua effumatione comburuntur; contra vero cuprum argentum & aurum diutius cum plumbo remixtum manet, qualis maſſa ſæpius fundi poteſt, ubi ſemper eadem permanet: interim hoc plumbum in igne fortiori inflammabile ſuum principium perdit & ex parte vitreſcens maſſa inde provenit, quæ lithargyrium conſtituit: & hoc modo aurum & argentum à plumbo ſeparatur, ſi videlicet talis miſcela in cupella tractatur, tunc plumbum vitreſcit & auri & argenti granula in medio conſiſtunt, vitrum vero illud plumbi interdum ſeſe in laxiores & poroſiores cupellas inſinuat, remanente nobiliori metallo: & quoniam cuprum combuſtibile eſt metallum, hinc evenit, ut ſi illud cum multo plumbo commixtum fuerit, tunc cuprum cum plumbo comburatur: ſi vero cuprum cum pauco plumbo remixtum ſit, tunc quidem aliquid cupri remanet, ſed quando candefactio continuatur, tunc etiam reliquum cupri comburitur: & hoc fundamento nititur ſeparatio auri atque argenti ab aliis metallis.

§. XVIII. Hæc eſt itaque illa artificialis docimaſia, qua nobiliora metalla ab ignobilioribus ſeparantur, ubi fundamentum artis ſeparatoriæ des Abtreibens nititur hac vitrificatione plumbi, qui actus ſeparatorius das Treiben in eo conſiſtit, quando metallum quoddam in bullientem quaſi fluxum redigitur, ubi ſub acceſſu aëris aliquid de plumbo vitreſcente transhalat: & requiritur omnino ad hanc vitrificationem plumbi, concurſus aëris, quod plumbum vitreſcens ſeſe ex parte in cupellam inſinuat: & ſi impoſterum hoc vitrum plumbi reducitur, tunc veſtigia argenti præbet: cinis vero, qui à talibus metallis ſecedit nunquam vitreſcit: quando Stannum & Plumbum funduntur, tunc candeſcentes effloreſcentias ſpargunt & utrumque metallum in brevi temporis ſpatio incineratur: ſi Stannum ſub alio metallo eſt & commiſcetur cum plumbo, tunc illud impedit plumbum, quo minus vitreſcere poſſit, quare Stannum multa impedimenta in vitrificatione metallorum offert:

affert: hæc circumſtantia bene etiam notanda eſt, quod nonnulla metalla cum Stanno non miſceantur, quæ obſervatio pertinet ad illam enchiriſin depurandi metalla cum additamento plumbi bey dem Anſieden: & ad talem proceſſum requiruntur apta vaſa, maxime vero ſicca; deinde etiam neceſſe eſt, quo plumbum recte cum argento in cupella incorporetur, quando tali proceſſu argentum a ſuo ignobiliori nexu mettallico liberatum eſt, tunc fulgurat es blicket: antequam vero talis fulguratio contingat, tunc ſub actu fuſionis varii colores inſtar iridis obſervantur; qnod phænomenon Artiſtæ vocant mit Blumen gehen: denique etiam in hoc proceſſu acuratius adminiſtrando diſperſio metalli das Sprißen der Proben evitanda eſt, alias impedit docimaſiam; in officinis fuſoriis hanc methodum ſervant, quando e cupro inhærens Argentum ſeparare volunt, dum Cuprum, quod vocant das Schwartz-Kupfer & quod adhuc valde Sulphuratum eſt, cum Plumbo fundunt & illud denuo Igni admovent, hinc ex hoc Cupro tranſtillat Plumbum una cum Argento, quod in nexum ſuum duxit, ita ut poſtea ab hoc plumbo in furno ſeparatorio auf dem Seiger-Heerd ſeparatio Argenti contingat, qualis proceſſus vero cum alio Cupro, quod dicitur das Gahr-Kupfer non ſuccedit, quoniam in hoc Cuprum Plumbum intimius ſe inſinuat, neque facile iterum ſeparari poteſt, neque etiam ſecum Argentum educit.

§. XIX. Dum in præcedentibus de diverſa combinatione & ſeparatione metallorum obſervationes & experimenta quædam propoſita fuere, ita iisdem adhuc nonnullas animadverſiones addere lubet & quidem, quod Sulphur vulgo commiſceatur cum Argento, Cupro, Ferro, Stanno, Plumbo, Regulo Antimonii & Mercurio & cum hoc quidem in ſatis notabili copia: quando Sulphur & Plumbum congrediuntur, tunc maſſa inde prodit, quæ vero facile in fluorem converti poteſt & quæ diu in Igne ſubſiſtit, donec Sulphur abhinc diſcedat; ita etiam Sulphur cum Marte & Cupro ſatis firmiter cohæret; cum Stanno paulo ſuperficialius; & quando ab ejusmodi metallis in aperto Igne Sulphur exuritur, tunc cinerea ſubſtantia remanet, quæ cum forti flamma agitata denique in Vitrum tranſit. De combinatione metallorum cum Mercurio illud adhuc notare convenit, quod Mercurius Ferrum & Regulum Antimonii non aſſumat, ſed potius Aurum, Argentum, Plumbum, Stannum & Cuprum ſolvat, qualis commixtio Mercurii cum metallis curioſis quibusdam productis anſam præbet, dum impuras terreas arſenicales materias ſeparat & ad converſionem ignobilioris metalli in nobilius diſponit; ita ſi imperfectum metallum cum Mercurio ſubtiliter combinatur, deinde ſufficienter coagitatur & conteritur, porro bene eluitur, deinde digeritur, iterumque diluitur tunc in hac maſſa portio quædam inſtar Argenti & Auri reperitur: & tales proceſſus vulgo inter Artiſtas occurrunt, ſicut Paracelſus e Marte Plumbum per additamentum

Pulveris reductorii producere autumat, quale quid ſuccedit, ſi loco illius Pulveris maſſa Lithargyriata addita fuit: ita Autor Libelli vom Wunder-Drey e Plumbo, Mercurio & Solutione Cupri, nec non e puro Cupro & Mercurio Aurum & Argentum conficere præcipit: & ſi Plumbum ad tales proceſſus adhibitum cum Pulvere reductorio in priſtinam ſuam faciem convertitur, tunc ſemper veſtigium Argenti exhibet: quo loco Beccheri experimentum, quod in Chymica ſua Concordantia proponit, allegare lubet, quando Argentum & Aurum per artem conficere docet, quales proceſſus illo loco, ubi de Sulphure & Antimonio agit, profert; ſic ipſe Autor partes æquales Argenti & Cupri in Cupella tractat & ſucceſſive aliquot partes Antimonii addit, quo hoc iterum exhalet, ita evenit, ut aliqua pars Argenti ſimul ſecedat & Aurum inde oriatur; ſed hic proceſſus pretioſior eſt, quam lucrum: interim ipſa experimenta demonſtrant, quod metalla poſſint immutari: ſimiliter in additamentis Stahlianis ad Phyſicam Subterraneam Beccheri recenſetur, quomodo Plumbum in Argentum converti queat, quod Argentum ſi arte docimaſtica tractatur, evidentia veſtigia Auri exhibet.

§. XX. Denique brevibus adhuc de Separatione Auri quædam proponere placet, quando argentum ab aliis metallis ſeparatum eſt, tunc docimaſia inſtituitur, an aliquid Auri contineat: vulgare quidem Argentum vel parum vel nihil auri continet; Luneburgicum vero in una Marca aliquot Grana poſſidet: ſicut in Argento Indiæ orientalis Auri veſtigia reperiuntur: adminiſtrantur vero docimaſiæ Auri non niſi cum Aqua forti, quæ intime ex Argento Aurum ſeparat: interim etiam ad talem proceſſum idonea Aqua fortis recipienda eſt, unde rectius lenior talis Aqua fortis ſeligitur, quia potentius auri miculas diſtrahit & docimaſiam propterea adulterat; minime omnium talis Aqua fortis recipienda eſt, quæ Sal commune continet, qualis alias etiam Aurum ſolvit: ita vulgo Proba inſtituitur circa explorandam efficaciam Aquæ fortis, ut una pars Argenti cum quarta parte Auri commiſceatur (qui proceſſus dicitur das Quartiren) poſtea talis miſcela malleatur, & ſolvitur cum Aqua forti: ubi monendum eſt, quod Aqua fortis cum bono Vitriolo parata non modo illam quartam Auri partem, ſed adhuc plus perferat, id quod vocant Artiſtæ den Hinterhalt des Scheide-Waſſers, & autumant nonnulli, quaſi Aqua fortis miculas quasdam in Auro relinquat, cum potius ex Vitriolo, ad præparationem Aquæ fortis adhibito, quædam ramenta Auri illud acidum menſtrunm intrent: præſtat vero ad talem docimaſiam bene præparatam talem Aquam fortem uſurpare, qualem præparationem Erckerus in ſua Aula Subterranea latius deſcribit. Et quamvis in hac Pyrotechnia adhuc multa explicari poſſent, ſi propoſitum meum fuiſſet tantum opus pyrotechnicum conſcribere, ita modo tam in Halotechnia, quam Zymotechnia & Pyrotechnia ſecundum inſtitutum meum Fundamenta & manuductionem ſuppeditare volui: qui labor uti & ratione & utplurimum ſufficienti exploratione, operatione & experientia nititur, ita etiam minime ad illum ſcopum inſatiabilis avaritiæ dirigendus eſt, uti perperam in talem pravam Chryſopoeiam ars Chymica convertitur, quin potius convenit, quo etiam hæc egregia ars in Summi Creatoris & Principii rerum naturalium atque Autoris veritatis gloriam convertatur, quippe qui ſolus & fidus eſt Chymiæ

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM LOCUPLETISSIMUS

In omnes tres Partes Medicinæ:

Ubi notandum, quod in Indice per *P.I. partem primam* (nimirum Phyſiologiam & Pathologiam) per *P.II. partem ſecundam* (nimirum Semiologiam, Hygienem, Materiam medicam & Chirurgiam) per *P.III. partem tertiam* (nimirum therapiam, Praxin, caſus reſervatos & Phyſicam; per C. vero Chymiam intelligi velimus.

A.

ABſorbentia cur ita dicantur. P. III. p. 177. §. 4. quænam indicantia & contra indicantia §.6. quænam ſunt abſorbentia remedia §. 8. quomodo operentur. C. p. 29. §. 18.

Abortuum hæmorrhagiæ quid ſint. P. I. p. 182.

Abortuum hæmorrhagiæ in praxi quomodo tractandæ. P. III. p. 345. §. 1. 2. pathol. §. 3. 4. cautelæ pract. §. 5. quænam indicationes §. 6. abortus quando promovendus §. 7. quænam reliqua cura. §. 8 - 10.

Abortus quomodo præcavendus aut facilitandus vid. Secundinarum expulſio.

Abſtergentia quomodo in & externe adhibenda P. III. p. 176. §. 1. 2. 3. quænam indicationes & contraindicationes §. 6. quænam ſint §. 7.

Abuſus fumi tabaci vid. Tabaci fumus.

Acaciæ flores quas virtutes habeant P. II. p. 373. §. 4. & fructus p. 388. §. 5.

Acetoſæ radix quas vires poſſideat P. II p. 320. §. 2. 3. 4. herba §. 5. ſemen p. 410. §. 4.

Achores quid ſint P. I. p. 1. 2. cruſta lactea §. 3. Tinea §. 4. favi, ficus, helcydria & Ameda quid ſint. §. 5. pathol. §. 6. 7. 8

in praxi quomodo tractandi P. III. p. 433. §. 1. 2. cautel. §. 3. quænam cura poſitiva §. 4 - 7.

- - retropulſi quomodo tractandi P. III. p. 148. §. 18.

Acicularum & nummorum deglutitio quænam hiſtoria pathologica P. III. p. 1045. §. 1 - 4. cautela §. 5. cura poſitiva §. 6 - 10.

Acori radix P. II. p. 321. §. 6.

Acorus vulgaris, §. 7. 8. adulterinus §. 8.

Acriſia quid ſit P. II. p. 209. §. 53

Actus quid ſit P. III. p. 1216 §. 16

Acuti morbi quinam ſint P. I. p. 125. §. 100

Adſtringentia quomodo caute adhibenda P. III. p. 175. §. 1. ſeqq. eorum uſus

uſus quotuplex §.5 - 7. quænam indicationes §. 8. & contra indicationes §. 10. quænam ſint §. 11-15.
Aer quid ſit P. III. p. 1196. §. 47. ſeqq. differentia ab aethere §. 54. 55. qualitates aeris quænam §. 57. 60. 62. num nutriat §. 63. num ſit balſamicus §. 64 num ſit nitroſus §. 65
Aer num ad vitam contribuat P. I. p. 89 §. 19
Aeris uſus ad ſanitatem quid conferat P. II. p. 251
Æris flores, quos medicos uſus habent P. II. p. 478. §. 1
Aerugo ſive aes viride quas vires exſerit P. II. p 479
- - unde conſtet. C. p. 35. §. 4
Aeſtus marinus quid ſit P. III. p. 1228. §. 41.
Aetates quali regimine ac diæta tractandæ P. II. p 277. §. 1. ſeqq. infantilis quomodo tractetur §. 2-9. porro juvenilis §. 10 - 13. virilis quomodo tractanda. §. 14 - 18. & ſenilis aetas quomodo dirigenda § 19 - 24
Aetiologia quid ſit P. I. p. 3. & 27. p. 110. §. 24 quid ad hanc requiratur §. 26.
Aetites ſive Aquilæ lapis P. II. p. 461. §. 7.
Affectus ſoporoſi vid. Soporoſi affectus.
Agaricus quas virtutes poſſideat P. II. p. 371. §. 1
Agni caſti ſemen quas vires habeat P. II. p. 411. §. 5
Alabaſtrum num habeat effectus mecos P. II. p. 479. §. 4
Alana ſive terra tripolitana P. II. p. 479 §. 3.
Alkekengi radix quasnam vires habeat P. II. p. 322. 10. fructus & trochiſci p. 388 §. 6
Allii radix P. II. p. 322. §. 11
Althææ radix P. II. p. 322. §. 12. flores p. 374. §. 5. ſemen p. 411 §. 6
Aloes Lignum ſive Agallochum officinarum P. II. p. 356. §. 6
Aloes quid ſit & quotuplex P. II. 436. §. 4
Alvi excretionis conſideratio in Semiologia cur utilis P. II p. 150. ſeqq. In Febribus alvi liberatio aut adſtrictio quale ſignum p. 155. §. 2 In aliis morbis qualia judicia ex alvinis excrementis formari poſſint p 159. §. 1 - 33.
Alvina excretio in febribus diverſimode occurſans, quomodo ſecundum therapiam tractari debeat P. II. p. 162. §. 1 - 23.
Alvi fluxus annuus quomodo tractandus P. III. p. 153 §. 7
Alchymia quid ſit C. p. 7. §. 17
Alterantia remedia quare ordinentur P III. p. 154. §. 1 - 5. quænam ſint §. 6 - 8
Alumen quales uſus medicos habeat P. II. p. 479. §. 5. unde conſtet P. III. C. p. 32. §. 26
Ambra gryſea quas vires habeat P. II. p. 474. §. 4
Ambuſtiones quid inferant P. II. p. 585. §. 1. quænam hiſtoria pathologica §. 2-5. cautelæ §. 6. cura poſitiva §. 7 - 12

Amethyſtus lapis II, 480. 6
Amianthus ſive Asbeſtinus lapis P. II. p. 480 §. 7.
Amios veri ſemen P. II. p. 411. §. 7.
Ammoniacum gummi P. II. p 436. § 5
Amomi ſemen P. II. p. 411. §. 8.
Amputatio artuum quando ſuſcipienda P. II p 661. §. 30. ſeqq.
Amygdalæ dulces & amaræ P. II. p. 388 §. 7.
Angeli Salæ Roſa mineralis quale emeticum P. III. p. 33. §. 19. ejus ſyrupus emet. §. 20. et Manna vitrioli vomitoria num ſecura §. 23.
Anacardium P. II. p 389. §. 8.
Analeptica vide Nervina.
Anaſarca & Leucophlegmatia quidnam ſint P. I. p. 318. §. 2. ætiologia §. 3. 4.
- - in praxi quomodo tractari debeant P. III p. 657 §. 1. 2. indicationes §. 3. cura poſitiva §. 4-9.
Anatomicum ſtudium ad praxin medicam quid contribuat P. I. p. 5. §. 45 - 47
Anchuſæ radix quas vires habeat P. II. p. 323 § 13
Anethi flores P. II. p. 374. §. 6. Semen p. 412. §. 9.
Aneuriſma quid ſit P. II. p. 557. §. 1. 2. cura §. 5. ſeqq.
Angelicæ radix P. II. p. 323 §. 14 15. ſemen p. 412. §. 10.
Angina unde dicatur P. I. p. 226. § 1-3.
- - in chirurgia quomodo tractanda P. II. p. 546. §. 1 - 5. ſeqq.
- - in praxi quænam hiſtoria pathologica P. III. p. 452. §. 1-4. cautelæ §. 5. indicationes §. 6. cura §. 7-16
Anima brutorum P I. p. 25. §. 160. ſeqq.
Anima quid ſit apud Veteres P. I. p. 10. §. 21. Hippocrati quid ſit §. 23. cur quidam tres ſtatuant §. 29. animæ definitio Ariſtotelis §. 43. cur natura appelletur §. 52
Animi morbi quid ſint P. I. p. 405. §. 1. ſeqq.
- - pathemata num corpus alterent. P. I. p. 94. §. 94. §. 105-116
Animalia medica quænam ſint P. II. p. 451. §. 1. ſeqq.
Animæ gummi p. II. p. 437. §. 6.
Aniſi ſemen P. II. p. 412. §. 11.
Aniſum ſtellatum P. II. p. 389. §. 9.
Anodyna quænam huc referantur P. III. p. 223. §. 1. quomodo offerri debeant §. 2. quomodo differant §. 3. in quibus morbis indicentur §. 6. quænam ſunt mitiora §. 7. quænam fortiora §. 8. 9.
Antimonii Regulus quomodo paretur. C. p. 46. §. 31.
- - Tinctura acris ibid.
Antimonium diaphoreticum & Nitrum Antimoniatum unde conſtent p. 47. §. 32. butyrum & Cinnabaris antimonii §. 33
Anthelmintica quænam ſint & quomodo adhibenda P. III. p 139. §. 1-4
Anthophylli P. II. p. 389. §. 10
Anthoræ radix P. II. p. 324. §. 16
Anthos flores P. II. p. 374. §. 7.
Antimonium P. II. p. 480. §. 8
Antiſcorbutica quando innotuerint. P. III. p. 179 §. 1. quales virtutes habeant. §. 4. in quibus morbis adhiben-

benda. §. 5. quænam ſint. §. 6. 7. 8.
Aperientia num ſalutarem effectum habeant. P. III. p. 162. §. 1-5. apertio cum impetu num urgenda. §. 6. indicationes §. 13. contra indicationes §. 14. quænam ſunt. §. 15.
Apes P. II. p. 451. §. 1. mel. §. 2. cera §. 3.
Aphthæ quid ſint. P. I. p. 224. §. 1-3. pathologia §. 4.
-- in praxi quomodo tractandæ P. III. p. 448. §. 1. 2. cautelæ §. 3. cura §. 4-7.
Apii radix P. II. p. 324. §. 17. herba §. 18.
-- veri ſemen p. 13. §. 12.
Apophlegmatiſmi quid ſint P. III. p. 121. §. 1-3. errhina & ptarmica quid ſint §. 4. indicationes §. 7. contra indicationes §. 8. quænam ſint remedia errhina §. 9. quænam ptarmica §. 11. maſticatoria quænam ſint §. 13. 15.
Apoplexiæ ejusque ſpecies P. I. p. 425. §. 1-6. Paraplexia §. 7. hemiplexia §. 8. ſeroſa §. 13. 14.
Apoplexia quænam pathologia practica P. III. p. 911. §. 1-3. cautelæ apoplexiæ ſangvineæ §. 4. ſeroſæ §. 5. indicationes ſangvineæ §. 6. cura ejus §. 7-12. indicationes ſeroſæ §. 13. cura §. 14-19.
Apoſtaſis quid ſit. P. II. p. 209. §. 55.
Apoſtema quid ſit P. II. p. 527. §. 1. 2. differentia inter pus & ulcus. §. 3. ſuppuratio §. 4. cura §. 11. ſeqq.
Appetitus quid ſit. P. I. p. 81. §. 91.
Aqua ſubmerſorum quænam pathologia practica P. III. p. 994. §. 1-7. cautelæ §. 8. cura poſitiva §. 9-14.
Aqua quid ſit & ejus origo P. III. p. 1190. §. 30. ſeqq. circulatio ejus deſcribitur §. 41. ſeqq. calor unde §. 46.
Aqua marina ad uſus diæteticos cur non apta. C. p. 60. §. 1.
Aquæ fortis potus quid poſt ſe trahat. P. III. p. 1106. §. 1-4. cura. §. 5. 6.
Aquilegiæ flores P. II. p. 174. §. 8. ſemen p. 413. §. 13.
Arabicum gummi P. II. p. 436. §. 7.
Araneus P. II. p. 452. §. 4. telæ araneorum §. 5.
Araneorum noxæ pathologia practica P. III. p. 1098. §. 1-6. cautelæ §. 7. cura §. 8-11.
Ardens febris P. I. p. 360. appellatio unde §. 1. bilioſa & cauſus. §. 2. hiſtoria §. 3. cauſus quid ſit §. 4. aetiologia §. 5. decurſus §. 6. ſeqq.
-- In praxi quomodo tractanda P. III. p. 763. §. 1-5. cautelæ. §. 6 indicationes §. 7. cura §. 8-25.
Ardentium ſpirituum ingurgitatio nociva vid. Spirituum ardentium ingurgitatio.
Argentum P. II. p. 480. §. 9.
-- Vivum ſive Mercurius currens p. 481 §. 10.
Ari radix P. II. p. 324. §. 19. herba §. 20.
Aridura quid ſit P. II. p. 675. §. 1-6. cautel. §. 7. cura chirurgica §. 8-10.
Ariſtolochiæ radix p. II. p. 325. §. 1.
longa

longa & rotunda §. 22. 23.
Armoraciæ radix P. II. p. 325. §. 24.
Ars medica circa quod verſetur P. I. p. 4. §. 35. quomodo operetur. §. 36. quibus mediis §. 38.
Arſenicum & auripigmentum P. II. p. 481. §. 11.
Arteriotomia quidſit P. III. p. 92. §. 62. ejus genuinus uſus §. 63 - 65.
Arthanitæ ſ. Cyclaminis radix. P. II. p. 335. §. 53.
Arthritis quidſit. P. I. p. 273. §. 1. 4.
-- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 568. §. 1. 2. cautelæ §. 3. indicationes & cura §. 4 - 8.
Aſa fœtida P. II. p. 437. §. 8.
-- dulcis vid. Benzoes.
Aſari radix P. II. p. 326. §. 25
-- in therapia quomodo operetur. P. III. p. 34. §. 24.
Aſelli ſive Millepedes P. II. p. 452. §. 5.
Aſodes febris quidſit P. I. p. 400. §. 3.
Aſpalatum verum P. II. p. 367. §. 7.
Aſparagi radix P. II. p. 326. §. 26. ſemen p. 413. §. 14.
Aſphaltum ſive Pix Judaica P. II. p. 438. §. 9.
Aſphodeli radix P. II. p. 327. §. 27.
Aſphyxia quid ſit. P. II. p. 16. §. 21.
Aſthma quidſit. P. I. p. 243. §. 1. humoroſum §. 2. ſiccum §. 3. ſpaſticum §. 4. hiſtoria pathologica §. 5 - 8.
-- humidum in praxi quomodo tractandum P. III. p. 495. §. 1 - 3. cautelæ §. 4. indicationes §. 5. cura §. 6 -- 10.
-- ſicci quænam pathologia practica P. III. p. 499. §. 1. 2. cautelæ §. 3. cura §. 4 - 6.
-- convulſivum quomodo tractandum P. III. p. 502. §. 1. 2. cautelæ §. 3. indicationes §. 4. cura §. 5 - 9.
Aſtragalus ſive talus leporis P. II. p. 456. §. 2.
Atheroma in chirurgia quid ſit. vid. tumores lymphat. ſaccati. P. II. p. 569. §. 1. 2 - 5. cura. §. 6 - 11.
Athmoſphæræ uſus P. III. p. 1191. §. 32. quidſit & quid in illa generetur. p. 1192. §. 37.
Atomus quidſit. P. III. p. 1185. §. 12.
Atriplicis ſemen. P. II. p. 414. §. 15.
Atrophia unde appelletur P. I. p. 324. §. 1. hiſtoria pathologica. §. 2 - 4.
-- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 675. §. 1. 2. cautelæ §. 3. indicationes §. 4. cura §. 5 - 8.
Avellanarum cortex P. II. p. 358. §. 6
Avena P. II. p. 414. §. 16.
Aurantiorum cortex P. II. p. 358. §. 7
-- malorum pulpa p. 390. §. 11.
-- nuclei ſive ſemen. p. 414. §. 17.
Auriculæ Judæ vid. Sambuci fungus.
Auriga ab ebrietate mortuus P. III. p. 1041. §. 17.
Auripigmentum vid. Arſenicum.
Aurum P. II. p. 482. §. 12.
Autocratia naturæ quidſit. P. I. p. 111. §. 30.
Axungia variorum animalium P. II. p. 458. §. 1. ſeqq.

B.

BAlanus ſive Nux Myrepſica aut Behen P. II. p. 390. §. 12.
Balauſtiorum flores ſive Granatorum P. II. p. 375. §. 9.
Balſamica quænam dicantur P. III. p. 216. §. 1. quibus conveniant. §. 2. quotuplex uſus §. 4. cautelæ §. 5. in quibus morbis conducant. §. 6. quænam ſint. §. 7. 8. 9. Balſamatio corporis inanimati. §. 10.
Balſamus Copaivæ. P. II. p. 441. §. 18.
-- Judaicus ſive Orientalis vulgo Opobalſamus p. II. p. 438. §. 11.
-- Peruvianus P. II. p. 438. §. 10. ſive Judicus.
-- Sulphuris unde conſtet. C. p. 43. §. 24.
Bandagen quomodo applicanda vid. Ligamenta.
Bardanæ radix P. II. p. 327. §. 28.
-- ſive Lappæ maj. ſemen p. 414. §. 18.
Baſilici ſemen P. II. p. 414. §. 19.
Bdellium gummi. P. II. p. 439. §. 13.
Been radix. P. II. p. 327. §. 29.
Bellidis hortenſis & arvenſis. P. II. p. 375. §. 10.
Benzoes Gummi. P. II. p. 439. §. 12.
Berberes P. II. p. 390. §. 13. cortex. p. 358. §. 8. ſemen p. 415. §. 20.
Betæ rubræ radix P. II. p. 327. §. 30.
Betonicæ radix P. II. p. 328. §. 31.
Betulæ cortex P. II. p. 359. §. 9.
Bezoar orient. P. II. p. 459. §. 3.
Bilioſæ dejectiones infantum P. I. p. 303. §. 1. hiſtor. §. 2. 3. 4. ætiolog. §. 5.
-- in praxi quomodo tractandæ P. III. p. 625. §. 1. aetiol. §. 2. cautelæ §. 3. cura §. 4. 5.
Bilis quid ſit. P. I. p. 50. §. 90-98.
-- ſecretio P. I. p. 71. §. 81-94.
Biſtortæ radix P. II. p. 328. §. 32.
Bolus armena P. II. p. 482. §. 13.
Boylei elogia de Natura P. III. p. 1166. §. 2. & p. 1171. §. 21.
Bombacis ſemen P. II. p. 415. §. 21.
Bombyces P. II. p. 452. §. 6.
Borcellana unde conſtet. C. p. 23. §. 24.
Borraginis radix P. II. p. 328. §. 33. flores p. 375. §. 12.
Borrax quid ſit C. p. 31. §. 25.
-- Veneta P. II. p. 483. §. 14.
Botanica ad Medicinam quid contribuat P. I. p. 7. §. 59. 60.
Branchus quid ſit P. I. p. 215. §. 1. hiſtor. §. 2. ætiolog. §. 4.
-- in praxi quænam pathologia pract. P. III. p. 429. §. 1. 2. cautela §. 3. cura §. 4.
Braſſicæ rubræ ſemen P. II. p. 415. §. 22.
Braſſilienſe Lignum P. II. p. 367. §. 8.
Bruſci ſive ruſci radix P. II. p. 328. §. 34. ſemen p. 416. §. 23.
Bruta cur infrequentius ægrotent præ hominibus P. I. p. 115. §. 58.
-- num principio rationali prædita P. I. p. 25. §. 106. & P. III. p. 1179. §. 45.
-- num habeant mores, inclinationes, pathemata §. 161. ſeqq.
Bryoniæ radix P. II. p. 329. §. 35.
Bubones quid ſint P. II. p. 562. §. 1. diffe-

differentia §. 2. 3. 6. 9. 11. cura illorum. §. 12 - 19.

Bubonodei tumores quid ſint P. I. p. 223. §. 1. ſeqq.

-- in praxi quomodo tractandi P. III. p. 445. §. 1. ſeqq.

Bufones P. II. p. 452. §. 7. bufonis lapis ſive Bufonites p. 461. §. 12.

Bufones damna quænam inferunt P. III. p. 1078. §. 1 - 4. cura §. 5-7.

Buglosſæ flores P. II. p. 376. §. 13. ſemen. p. 416. §. 24.

Butyrum & lac quales virtutes habeant P. II. p. 460. §. 4.

Buxi Lignum. P. II. p. 367. §. 9.

C.

CAchexia qualis morbus P. I. p. 313. §. 1. hiſt. §. 2. pathologia §. 5. 6.

-- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 647. §. 1 - 3. cautelæ §. 4. indicationes §. 5. cura poſitiva §. 6 - 11.

Caccos & Succolata P. II. p. 392. §. 19.

Cacochymia qualis affectus P. I. p. 132. §. 1. ſeqq.

-- pathologia practica P. III. p. 253. §. 1 - 5. cautelæ §. 8. indicationes §. 9. quænam cura inſtituenda §. 10 - 26.

-- in chirurgia quomodo tractanda P. II. p. 512. §. 1 - 24. cura §. 25 - 36.

Calami aromatici radix P. II. p. 329. §. 36.

Calcatrippæ flores P. II. p. 376. §. 14.

Calculi & lapides diverſorum animalium P. II. p. 460. §. 5.

Calculus renum ſive Nephritis calculoſa P. I. p. 281. hiſtoria morbi §. 1. 4. pathol. §. 5 - 8.

-- in praxi quomodo tractandus vid. Nephritis.

-- Veſicæ qualis morbus P. I. p. 282. hiſtor. §. 1 - 4. pathologia. §. 5. 6.

-- pathologia pract. P. III. p. 590. §. 1. 2. cautelæ §. 3. indicationes & cura §. 4 - 6.

Calefacientia cur ſæpe occurrant P. III. p. 194. §. 1. 2. quomodo caute adhibenda §. 3 - 5. quænam vehementia ſunt §. 8. indicantia §. 10. contra indicantia §. 11.

Calendarium Vivum quid ſit & quænam pathologia pract. P. III. p. 1131. §. 1 - 4. cautelæ §. 5. cura §. 6 7.

Calendulæ flores P. II. p. 376. §. 15. ſemen p. 416. §. 26.

Calor ſubterraneus demonſtratur P. III. p. 1195. §. 46.

Caloris motus quid ſit. P. III. p. 1226. §. 37.

Calx viva P. II. p. 483. §. 16.

Camphora P. II. p. 439. §. 14.

Cancer quid ſit P. II. p. 634. §. 1. hiſtoria §. 2 - 9. cura §. 11 - 22.

Cancri fluviatiles P. II. p. 453. §. 8. chelæ p. 462. §. 11.

Cancrorum oculi P. II. p. 468. §. 36.

Caninus morſus quomodo tractandus P. III. p. 1087. §. 1 - 6. cautela §. 7. cura hydrophobiæ §. 8 - 11. morſus canis non rabidi cura §. 12.

Cannabis ſemen P. II. p. 416. §. 26.

Cantharides P. II. p. 453. §. 9.

Cantharidum noxa interna quomodo tractanda P. III. p. 1102. §. 1 - 5. cautela

tela

tela §. 6. cura §. 7. 8.
-- eſus innoxius *P.* III. p. 1102. §. 1. ſuſpectus caſus §. 3.
Cappares *P.* II. p. 391. §. 14. cortex p. 359. §. 10.
Carannæ Gummi *P.* II. p. 440 §. 15.
Carbo foſſilis *P.* II. p. 486. §. 31.
Carbunculus quid ſit *P.* II. p. 567. §. 1-3. medica tractatio §. 4. 5. ſeqq.
Cardamomum majus vel minus *P.* II. p. 392. § 18.
Cardiaca vid. Nervina.
Cardialgia qualis affectus *P.* I. p. 228. hiſt. §. 2. ætiologia 3. 4.
- in praxi quomodo tractanda. *P.* III. p. 462. § 1. 2 cautelæ 3. cura diverſimode inſtituenda. 4 - 11.
Cardui benedicti radix *P.* II. p. 329. §. 37. ſemen p. 416. § 27.
Cardui Mariæ ſemen p. 416. §. 28.
Caricæ ſive ficus *P.* II. p. 391. §. 15.
Caries oſſium vid. Corruptio oſſium.
Carlinæ radix. *P.* II. p. 330. §. 38.
Carminativa quid ſint *P.* III. p. 206. §. 1. circumſpecta eorum ordinatio 3. indicantia 5. contraindicatio 6. quænam ſint 8. 9.
Caro luxurians quid ſit. *P.* II. p. 599. §. 1. 2. cautelæ 3. cura 4. ſeqq.
Carthami flores *P.* II. p. 374. §. 16. ſemen p. 417. §. 29.
Carvi ſemen P. II. p. 417. §. 30.
Carus quid ſit vid. affectus ſoporoſus *P.* I. p. 211. §. 3.
Caryophyllatæ radix. *P.* II. p. 330. §. 39.
Caryophylli aromatici *P.* II. p. 391. §. 16.
Caſcarillæ cortex *P.* II. p. 360. §. 11.
- quale ſpecificum ſit vid. Diarrhoea & Vomitus.
Caſei *P.* II. p. 460. §. 6.
Caſſiæ ligneæ cortex *P.* II. p. 359. §. 12.
Caſtaneæ *P.* II. p. 393. §. 20.
Caſtrenſis febris vid. Hungarica febris.
Caſtorium *P.* II. p. 461. §. 9.
Cataputiæ ſemen *P.* II. p. 417. §. 31.
Cataracta quid ſit *P.* I. p. 201. §. 1. hiſtoria 2. ætiologia 3.
- in praxi quomodo tractanda *P.* III. p. 400. §. 1. cautelæ 2. cura 3 - 5.
Catarrhalis febris benigna *P.* I. p. 366. §. 1. hiſtoria §. 2. 3. pathologia §. 4. ſeqq.
- pathologia. practica *P.* III. p. 776. §. 1 4. cautelæ 5. indicationes 6. cura 7 - 16.
Catarrhi quid ſint *P.* I. p. 323. §. 1. frigidi 2. hiſtoria 3. 4. 5. pathologia 6. 7.
- in praxi quomodo tractandi *P.* III. p. 610. §. 1 - 4. cautelæ 5. indicationes 6. cura 7 - 11.
Catarrhus ſuffocativus qualis affectus *P.* I. p. 432. §. 1. hiſtoria 2. 3. pathologia 5.
- in praxi quomodo tractandus *P.* III. p. 924. §. 1. cautelæ 3 indicationes 4 cura 5 - 12. in infantibus quomodo tractandus 13.
Catharſis vid. Purgatio.
Catheteris applicatio in urinæ ſuppreſſionibus quomodo inſtituenda *P.* II. p. 657. §. 13.
Cauſarum cognitio in pathologia num

neces

neceſſaria *P.* I. p. 110. §. 24. 25. quotuplices ſunt §. 38. 39. 42 43. *66.* 68.
Cauſus vid. ardens febris.
- ſive exquiſite ardens in praxi quomodo tractari debeat *P.* III. p. 772. §. 1-6. indicationes 7. cura 8 10.
Centaurii maj. radix *P.* II. p. 330. §. 40
- min. flores p. 377. §. 17.
Cepæ *P.* II. p. 331. §. 41.
Cephalæa *P.* I. p. 196. hiſtoria pathol. §. 1 - 4. pathol. §. 5.
- in praxi quomodo tractanda. *P.* III. p. 384. §. 1. 2. cautelæ 3. indicationes 4. cura 5 - 10.
Cephalalgia ſangvinea quid ſit *P.* I. p. 189. §. 1. hiſtor. 2. 3. pathologia 4
- in praxi quomodo tractanda *P.* III. p. 366. §. 1 - 5. cautelæ 6. indicationes 7. cura 8 12.
Cephalg. ſeroſa quid ſit *P.* I. p. 190. §. 1. hiſtoria 2. pathol. 3. 4.
- in praxi quomodo tractanda *P.* III. p. 370. §. 1 - 3. cautelæ 4. indicationes 5 cura 6 - 10.
Cephalal. Jliaco-hæmatitica quid ſit *P.* I. p. 191. §. 1. hiſt. 2. ætiol. 4.
- quænam pathologia pract. *P.* III. p. 373. §. 1 4. cautelæ 5. indicationes 6. cura 7 10.
Cephal. Apoplexiæ prodromus. *P.* I. p. 192. §. 1. 2. 3.
- in praxi quomodo tractanda *P.* III. p. 376. §. 1. 2. cautelæ 3. indicationes 4. cura 5 9.
Cephal. Venerea quid ſit. *P.* I. p. 193. §. 1. 2. 3.
- in *Praxi* quomodo tractanda *P.* III. p. 379. §. 1. 2. cautelæ 3. cura 4. 5. *6.*
Cephal. Stomachalis quid ſit *P.* I. p. 194. §. 1. 2. hiſtoria 3. pathol. 4.
- in prax. quomodo tractanda *P.* III. p. 381. §. 1. 2. cautelæ 3. indicationes 4. cura 5 - 10.
Cera vid. Apes.
Ceraunii lapis vid. Lapis Fulminar.
Ceraſa nigra *P.* II. p. 393. §. 21.
Ceraſorum nigrorum Gummi p. 440. §. *16.*
Cerebrum quid ſit. P. I. p. 75. §. 4 - 23.
Cervariæ radix P. II. p. 331. §. 42.
Cervicariæ radix §. 43.
Ceruminis excretio P. I. p. 75. §. 120. 121.
Chaccarillæ cortex vid. Caſcarillæ.
-- quale præſtans remedium in Cholera, Vomitu & diarrhœa nimia vid. hi morbi.
Chalybs & ferrum P. II. p. 483. §. 17.
Chamomillæ vulg. & roman. flores P. II. p. 377. §. 18.
Chærefolii ſemen & herba P. II. p. 417. §. 32.
Cheiri flores ſive Viola lutea P. II. p. 377. §. 19.
Chelæ Cancrorum P. II. p. 462. §. 11.
Chelidonii maj. radix & herba P. II. p. 332. §. 44.
-- min. radix & herba §. 45.
Chinæ radix P. II. p. 332. §. 46.
Chinchinæ cortex P. II. p. 360. §. 13.
Chirurgia quid ſit P. II. p. 499. §. 1. unde dicatur §. 2. quotuplex. §. 5. ex partibus medicinæ quid petit. §. 22 - 26. quomodo circa diverſos humores verſetur. §. 31 - 35. quænam

nam

nam reliquæ circumſtantiæ obſervandæ §. 36. ſeqq.
Chloroſis qualis affectus P. I. p. 327.
-- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 680. §. 1. 2. cautelæ §. 3. indicationes & cura §. 4-7.
Cholera qualis affectus P. I. p. 302. §. 1. 2. pathologia §. 5. ſeqq.
-- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 622. §. 1. 2. cautelæ §. 3. cura §. 4-6.
Chronici morbi quinam affectus P. I. p. 123. §. 100.
Chryſocolla P. II. p. 484. §. 19.
Chryſolitus ſive Topazius P. II. p. 484. §. 18.
Chylus quid ſit. P. I. p. 49. §. 79-84.
-- motus per inteſtina. P. I. p. 82. §. 96.
-- ſecretio P. I. p. 71. §. 65-74.
Chymia ad Medicinam quid conferat. P. I. p. 7. §. 57. 58.
-- quotuplex C. p. 1. quænam inſtrumenta naturalia materialia habet p. 4. §. 4. & 19. unde derivetur §. 7. quid ſit. §. 8. ſubjecta quæ nam ſint. §. 11. quomodo ex triplici regno petita. §. 14. quomodo in Halotechniam, Zymotechniam, & Pyrotechniam dividatur §. 18.
Cibus ac potus ad vitam quid contribuant P. I. p. 90. §. 29-59.
Cicer P. II. p. 393. §. 22.
Cichorii radix. P. II. p. 333. §. 47. flores p. 378. §. 20. ſemen. p. 418. §. 33.
Ciconia P. II. p. 453. §. 10.
Cinnamomi Cortex P. II. p. 360. §. 14.
Cinæ aut Zedoariæ ſemen P. II. p. 393. §. 23.
Cinnabaris P. II. p. 484. §. 20.
-- præparatio & ſolutio C. p. 44. §. 25.
Circulus ſangvinis cur ita vocetur P. I. p. 58. §. 30-36.
Citria malus P. II. p. 393. §. 23. Cortex p. 360. §. 15. ſemen p. 418. §. 35.
Citrulli ſemen P. II. p. 418. §. 36.
Clavi pedum quid involvant P. II. p. 597. §. 1. 2. 3. cautela. §. 4. cura §. 5. 6.
Clyſteres quomodo applicandi & qualem uſum habeant vid. Purgantia.
Coagulum quorundam animalium P. II. p. 462. §. 12.
Coccionellæ P. II. p. 453. §. 11.
Coccognidii ſemen P. II. p. 419. §. 37.
Cocculus Indus P. II. p. 394. §. 24.
Cochleariæ ſemen & herba p. II. p. 419. §. 38.
Cochlearum domunculæ vid. Conchæ.
Coffee fabæ P. II. p. 394. §. 25.
Colica hæmorrhoidalis P. I. p. 256. §. 1. ſeqq.
-- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 543. §. 1. 2. cautela §. 3. indicationes & cura. §. 4-6.
Colica ſimplex P. I. p. 298. §. 1. 2. hiſtoria §. 3. ætiologia. §. 4-6.
-- quomodo tractanda P. III. p. 614. §. 1. 2. cautelæ. §. 3. cura §. 4-6.
Colli tumores glanduloſi, bubonodei dicti P. I. p. 223. §. 1. ſeqq.
Colocynthis & trochiſci de Alhandal P. II. p. 395. §. 29.
Colophonium P. II. p. 441. §. 17.
Colores diverſi in urina quomodo probe-

be obſervandi P. II. p. 42. §. 4. unde §. 5. ſeqq. quale ſignum in febribus p. 48. §. 3. ſeqq. in aliis morbis p. 56. §. 2. ſeqq. quænam therapia p. 65. §. 3. ſeqq.
Colores quid ſint P. III. p. 1227. §. 39.
Colubrinum Lignum P. II. p. 367. §. 10.
Coma quid ſit vid; affectus ſoporoſi. P. I. p. 211.
Conceptio quomodo fiat. P. I. p. 37. §. 73.
Conchæ, domunculæ cochlearum &c. P. II. p. 474. §. 3.
Concoctio quid ſit. P. I. p. 81. §. 89-95.
Concretio pulmonum cum Pleura P. I. p. 235. §. 4. ſeqq.
Condenſatorius motus P. III. p. 1228. §. 40.
Congeſtiones ſangvinis quid ſint P. I. p. 187. §. 3. 4. ſeqq.
-- in praxi quomodo tractandæ. P. III. p. 359. §. 1. 2. quænam pathologia practica §. 3-9. cautelæ. §. 10. indicationes §. 11. cura. §. 12-20.
Conſolida major ſive ſymphyti radix P. II. p. 333. §. 48.
Conſuetudinis regimen pro ſanitate tuenda vid. hæreditaria diſpoſitio.
Conſuetudo ad vitam quid contribuat. P. I. p. 82. §. 92-95.
Conſuetudo in Therapia quomodo attendenda P. III. p. 19 §. 1-13. quomodo tractanda §. 14-19.
Contractura quidſit P. II. p. 670. §. 1-5 pathologia §. 6. cautelæ §. 9. cura §. 10-13.
Contrayervæ radix P. II. p. 333. §. 49.
Contuſiones in quo conſiſtant P. II. p. 537. §. 2. ſeqq. cura §. 6. ſeqq.
Convulſionum ſpecies quænam ſint P. I. p. 287. §. 1-10.
Convulſivi morbi quidſint P. I. p. 285. §. 2. pathol. 4-6.
- in praxi quomodo tractandi P. III. p. 593. §. 1. 2. 3. cautelæ 4. cura 5-9.
Copaivæ balſamus P. II. p. 441. §. 18.
Copal reſina P. II. p. 441. §. 19.
Cor quidſit P. I. p. 77. §. 23-50.
- diverſorum animalium P. II. p. 462. §. 13.
Corallia P. II. p. 475. §. 6.
Corallina ſive Muſcus P. II. p. 474. §. 5.
Coriandri ſemen P. II. p. 419. §. 39.
Corinthiacæ paſſulæ P. II. p. 395. §. 27.
Corni P. II. p. 395. §. 28.
Cornu & Ungula alcis P. II. p. 462. §. 14.
- Rhinocerotis P. II. p. 463. §. 16.
Corpulentia nimia quomodo tractanda. P. III. p. 954. pathologia practica §. 1-9. cautelæ §. 10. cura 11-17.
Corpus mixtum quomodo differat a vivo P. I. p. 43. §. 3. mixtio quotuplex §. 22. quænam magis corruptibilis 29. ſeqq.
Corpus quomodo diſtingvatur in partes ſolidas & fluidas P. I. p. 46. §. 39. textura & ſtructura quidſit 40.
- ſolidæ partes & fluidæ quænam ſint, §. 44. 45.
Corruptio quid ſit C. p. 19. §. 14.
- oſſium quomodo contingat. P. II. p. 608. §. 1-4. cautelæ 5. cura 6-11.

Cortices materiæ medicæ P. II. p. 257. ſeqq.
Corylinus viſcus P. II. p. 372. §. 27.
Coryza quid ſit vid. *Gravedo.*
- periodica quomodo tractanda P. III. p. 153. §. 8.
- rheumatica in praxi quomodo tractari debeat vid. *Gravedo.*
Coſtarum fracturæ quomodo tractandæ P. II. 667. §. 48.
Coſti radix P. II. p. 334. § 50.
Cranii depreſſio cum fiſſura num periculoſa P. II. p. 664. §. 38. cura 34.
- fiſſura & contrafiſſura quomodo tractanda 40.
Crepitus Lupi vid. fungus Chirurgorum.
Criſis quid ſit P. II. p. 196. §. 3. 6. dies critici quinam ſint p. 201. §. 22. 23. indicatorii dies quid ſint 24. tyrannici cur ita vocentur ſeqq.
Criſeos therapeutica tractatio quomodo fiat P. II. p. 211. §. 3. ſeqq.
Criſta galli P. II. p. 463. §. 18.
Criticus dies in febribus quid ſit P. I. p. 349. §. 17.
Crocus metallorum qualem vomitum excitet P. III. p. 33. §. 22.
Cruentatio gingivarum quid ſit P. I. p. 179. §. 1. hiſtoria 2. 3. pathologia 4.
- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 335. §. 1. 2. 3. cautelæ 4. indicationes 5. cura 6 8.
Cruſta lactea quid ſit vid. P. I. p. 218. §. 3. de Achoribus
- quænam practica ejus tractatio P. III. p. 436. §. 1. cautelæ 2. cura 3. 4.
Cryſtallus montana P. II. p. 484. §. 22.
Cubebæ P. II. 396. §. 29.
Cucumeris aſinini radix P. II. p. 334. §. 51.
Cucumeris & Cucurbitæ ſemen P. II. p. 420. §. 40.
Cucumis hortenſis P. II. p. 396. §. 30.
- ſylveſtris 31.
Cucurbita P. II. p. 396. §. 32.
Cumini ſemen P. II. p. 420. §. 41.
Cupreſſi Lignum P. II. p. 368. §. 11.
Curcumæ radix P. II. p. 334 §. 52.
Cura per Expectationem & Abſtinentiam P. III. p. 14. §. 1. in febribus quomodo utilis. 6. 7. abſtinentia quid involvat. p. 16. §. 9. ſeqq.
Cyani flores P. II. p. 378. §. 21.
Cyclaminis ſ. arthanitæ radix p. 335. §. 53.
Cydonia mala P. II. p. 397. §. 34. ſemen p. 420. §. 42.
Cynanche quid ſit *P.* I. p. 227. §. 1-5. pathol. §. 6. 7. 8.
- ejus practica tractatio *P.* III. p. 458. §. 1-5.
Cynogloſſæ radix *P.* II. p. 335. §. 54.
Cynosbati ſpongia *P.* II. p. 372. §. 25. fructus p. 397. §. 33.
Cyperi rotundi radix *P.* II. p. 335. §. 55.

D.

DActyli *P.* II. p. 397. §. 3[illegible].
Dauci ſemen *P.* II. p. 420. §. 43.
Defectus motuum vid. motuum defectus.
- ſangvinis vid. ſangvinis defectus.

De-

Deglutitio acicularum & nummorum vid. acicularum deglutitio.
Dejectiones bilioſæ vid. bilioſæ dejectiones.
Deliria in febribus quid indicent *P*. II. p. 216. §. 2. ſeqq.
- in aliis morbis quale ſignum p. 219. §. 2 ſeqq.
- eorum therapeutica tractatio p. 223. §. 1-15.
Dens apri P.II. p. 464. §. 19
- Caſtoris §. 20
- Elephanti ſive Ebur §. 21
- Hippopotami §. 22
- Lupi §. 23
Dentariæ radix P. II. p. 336. §. 56
Dentitio infantum quando contingat. P. I p. 42. §. 142
Dentium extractio P. II, p. 665. §. 41. §. 1.
cur caninis nulla vis inferenda §. 42
Deus quare Medicinæ Auctor P. I. p. 1.
Diabetes qualis effectus P. I. p. 332. §. 1. 2. hiſtoria, §. 3. pathologia 4-6.
ejus practica tractatio P. III. p 689 §. 1. 2. cautelæ 3 cura 4. 5
Diæta cur Veterum arcanum pro ſanitate & longævitate P. II. p. 269 §. 2. quid ſit 3.
Diaphoreſeos ſemiotica tractatio P. II. p. 165. §. 1. ſeqq. num neceſſaria §. 3. diverſis ſudor quid indicet §. 4. ſeqq
- - in febribus quid denotet p. 170. §. 2. ſeqq. in aliis morbis quale omen p. 174. §. 3. ſeqq.
ejus therapeutica tractatio p. 178 §. 1. ſeqq.
Diaphoreſis in therapia quomodo ſuſcipienda P. III. p. 53. §. 1. ſeqq. quibus circumſtantiis ſudor provocandus §. 25. cautelæ §. 28. indicationes § 29. diaphoretica quænam §. 30 31. quænam potentiora §. 32 inſecura §. 35 - 37. ſeqq. ſudor quomodo tractandus §. 52. in febribus quomdo adminiſtrandi §. 53 - 35. regimen & diæta §. 57. 58. 60
Diaphragma. quid ſit P. I. p. 80. §. 66-71.
Diarrhoea quid ſit P. I. p. 304 §. 1. hiſtoria 2. 3. ætiologia 4-8
ejus practica tractatio P. III. p. 627 §. 1-3. cautelæ 4. indicationes 5. cura 6 - 12. Nitri & chaccarillæ uſus quomdo ſit egregius §. 9,
Diarrhoea annuæ quomodo tractandæ P. III. p. 152. § 4
Dictamni albi radix P. II. p. 336. §. 57.
Differentia corporis phyſici & vivi P. I. p. 5. §. 43
Digeſtio ciborum vid. Concoctio.
Diureſis quomodo in omni morbo neceſſaria P. III. p. 69. §. 3. et utilis §. 8. indicationes §. 15. contraindicationes §. 16
Diuretica quænam ſint §. 18-21.
Docimaſia metallurgica quid ſit. C. p. 95. §. 1 vid. Metallurgia.
Doronici radix P. II. p. 336. §. 48.
Dyſenteria P. I. p. 306. §. 1. hiſtoria §. 2-5. pathologia §. 6-8.
- tractatio practica P. III. p. 632. §. 1-3. cautelæ 4. cura 5-9. Nitrum, eſſentia milleſ. & chaccarill. quomodo quaſi ſpecifica ſint §. 7

E, Ebe-

E.

EBenum Lignum P. II. p.368. §. 12
Ebrietas quidſit P. I. p. 419. §. 1. hiſtoria 2. 3. 4
- - in praxi quomodo tractanda P.III. p. 903. §. 1 2. cautelæ 3. cura 4. 5
Ebrietas in ſpecialiori praxi quænam pathologia practica P. III. p. 1033. §. 1-8. cautelæ 9-16. indicationes §. 11. cura 17-21. præſervatio §. 22-25
- apoplexiam num æmulari poſſit P. III. p. 1033. §. 3
Ebuli baccæ P. II p. 398. §. 36. cortex p. 361. §. 16. radix p. 336. §. 59. ſemen p. 421. §. 44.
Ebur vid. Dens Elephanti.
Eccriſis vid. Criſis.
Edulcorantia num fundamento nitantur P. III. p. 182. §. 1. quænam optima edulcoratio §. 5. in quibus morbis indicentur §. 6. & contra indicentur §. 7. edulcorantia remedia quænam ſint §. 8. quomodo congrue applicanda §. 9. 10
Efflorescentiæ Varoſæ vid. Maculæ hepaticæ.
Elaſticus motus quid ſit P. III. p 1129
Elementa quid ſint P. I. p. 43. §. 6. 7. ſeqq. & P. III. p. 1183. §. 9. quid de illis ſtatuendum C. p. 9. §. 2. 3. 4
quot ſint P. III. p. 1184. §. 10. ſeqq.
- chymicorum num vera P. III p. 1186. §. 16. definitio eorum genuina p. 1187. §. 19
Elementum Aquæ quid ſit p. 1190. §. 30. Aeris quid ſit §. 47. ignis §. 66. terra 80.
Elemi Gummi P. II. p. 441. §. 20
Elephantiaſis vid. Lepra.
Ellebori albi & nigri radix P. II. p. 337 §. 60. 61
Emeſis qualis excretio P. III. p. 28. §. 1. ordinatio cauta §. 4. ad omnes morbos num extendenda §. 8. circumſtantiæ quænam attendendæ §. 11. 12 ſpontanei vomitus num urgendi §. 13. 14 contra indicantia §. 16. indicantia §. 17.
Emetica remedia quænam ſint §. 18 quænam inſecura §. 19-21. mitiora 22. 23. infantibus quænam offerenda §. 29-31. præparatio corporis §. 33. regimen 35. 37. exceſſivus vomitus quomodo mitigandus §. 39
Emollientia ad varios uſus num ſe extendant P. III. p. 188. abuſus § 3. indicantia §. 5. contraindicantia 6.
Emollientia quænam ſint §. 7. 8 circumſpectio quænam tenenda. §. 9.
Empyema quid ſit P. I. p. 241. §. 4 ejus practica tractatio P. III. p. 491 §. 1-4.
Endiviæ ſemen & herba P. II. p. 421. §. 45
Energia naturæ quid ſit P. I. p. 111. §. 28 & p. 123. §. 103.
Enulæ radix P. II. p. 337. §. 62. flores p. 379. §. 26
Ephemera febris quid ſit P. I. p. 352. § 1. hiſtoria §. 2. pathologia §. 3. 4. decurſus §. 5. 6. 7.
Practica ejus tractatio P. III. p. 733. §. 1-4. cautelæ §. 5. indicationes §. 6. cura 7-10.

Epidemicæ febres quid ſint. P. I. p. 392 §. 1. hiſtoria §. 2. 3. pathologia 4
- earum pathologia practica P. III. p. 874. §. 1-3. cura 4-7.
Epilepſia quid ſit P. I. p. 289. §. 1. hiſtoria 2. differentia ejus 3. 4. pathol 5-8 ejus practica tractatio P. III. p. 598 §. 1. cura epilepſiæ ſymptomaticae §. 2. in cura idiopathicæ quaenam ſpecifica antepileptica conveniant §. 3. 4
Epiphora vid. Ophthalmia P. I. p. 199 §. 1.
ejus tractatio practica P. III. p. 395. §. 1. 2. cautelæ 3. cura 4. 5. 6.
Erinaceus P. II. p. 453. §. 12
Erotomania & furor uterinus quid ſint P. I. p. 412. §. 1. 2. pathologia 3. 4
- - - in praxi quomodo tractari debeant P. III. p. 888. §. 1. 2. cautela 3. cura 4-7
Errhina & ptarmica quid ſint P. III. p. 122. § 4
Erucæ ſemen P. II. p. 421. §. 46
Ervi ſemen vid. Orobi ſemen.
Eryngii radix P. II. p. 338. §. 63
Eryſimi ſemen & herba P. II. p. 421. §. 47
Eryſipelas quid ſit P. I. p. 261. §. 4. hiſtoria 5. 6. pathologia 7. 8. 9
- chirurgice quomodo tractari debeat P. II. p. 532. §. 1-8. cura quaenam 9-16
Eſulæ radix P. II. p. 338. §. 64.
Evacuatio quare dignior quam alteratio P. III. p. 23. §. 1. 2. quasnam circumſtantias obſervet medicus 3. 4. evacuatio circa quod verſetur 6. 7. quænam prudentia adhibenda 8. 9. impetuoſæ evacuationes quomodo nocivæ 10. quænam primariæ evacuationes §. 16. quænam Chirurgicæ §. 17
Evacuationes periodicæ quomodo tractandæ P. III. p. 151. §. 1. ſeqq. quænam ſint §. 4. quomodo ſeorſim promovendæ §. 6. 7. ſeqq.
Evacuationes ſangvineæ ſpontaneæ in quibus brutis occurrant P. I. p. 116 §. 59.
Eupatorium Meſoes P. II. p. 442. §. 21
Euphorbium P. II. p. 442. §. 22.
Excoriationes & fiſſuræ in papillis mammarum vid. tumores mammarum.
Excreta & retenta ad ſanitatem quid contribuant P. I. p. 94. § 96-104
Exiſtentia rei quid ſit P. III. p. 1221. §. 25.
Expectoratio qualis Evacuatio P. III. p. 115. § 1. quænam circumſtantiæ obſervandæ §. 5. 6. materia quomodo tractanda 7. 9. quales reſpectus tenendi 10. quænam indicationes 11. contraindicationes 12. quomodo therapia inſtituenda 13. ſeqq. expectorantia remedia quænam ſint §. 14. 16. 17.
Experientia quid ſit P. I. p. 2. §. 16. & experimentum §. 17.
Expulſio vermium vid. Anthelmintica.
Exſiccantia vid. Humectantia.
Exuviæ ſerpentum P. II. p. 465. §. 24.

F.

FAbarum flores P. II. p. 378. §. 22.
Fabæ vid. Phaſeoli.
Fabæ Coffee vid. Coffee.
Facies quid ſit P. II. p. 70. §. 3. 4.
Facies num ſit morborum index §. 7. 8
Facies alterata in febribus quid indicet. P. II. p 75. §. 1 - 52.
in aliis morbis quid denotet p. 81. §. 1. ſeqq.
Facies Hippocratica unde p. 88 §. 1. ſeqq.
num periculoſa §. 6. in quibus morbis occurrat §. 9.
Facies alterata quam therapiam indicet. P. II p. 90. §. 30 ſeqq.
Fæcum alvinarum excretio P. I p. 74. §. 112-120.
Farfaræ radix & herba P. II p. 338. §. 65 flores p. 378. §. 23.
Faſcinati morbi vid Morbi ex faſcino.
Faucium & Colli inflammationes quænam ſint P. I. p 226. §. 1-5. pathologia 6-8.
Febris unde dicatur P. I. p. 346. §. 3. quid ſit typus & periodus §. 6. actus criticus, apoſtaſes & paroxyſmi, quid ſint 17. 18. ſomni impotentia, virium dejectio & ſitis unde §. 21. 22
Febres in praxi quomodo generaliter tractandæ P. III. p. 715. §. 1 - 20. cautelæ 21. indicationes 33.
cura quomodo inſtituenda 34-60
Febris Ephemera vid. Ephemera.
- Synocha ſimplex P. I. p. 353. §. 1. ſeqq.
-- pathologia practica p. III. p. 736 §. 1-5. cautelæ 6, indicationes 7. cura 8.
- Synocha putrida P. I. p. 355. §. 1. ſeqq.
- practica quænam tractatio P. III. p. 742 §. 1 - 4. cautelæ 5. indicationes 6. cura 7 - 16.
- Continua P. I. p. 358. §. 1 ſeqq.
- acuta continua quænam pathologia practica P. III. p. 747. §. 1 - 5. cautelæ §. 6. indicationes §. 7. cura §. 8-22.
- Ardens vid. Ardens febris.
- Inflammatoria vid. Inflammatoria.
- Catarrhalis benigna vid. Catarrhalis.
- Tertiana vid. Tertiana.
- Intermittens compoſita vid. Intermittens.
- Intermittentes periodicæ. P. III. p. 153. §. 11.
- Quartana vid. Quartana Febris.
- Hectica vid. Hectica.
- Lenta vid. Lenta.
- Maligna vid. Maligna.
- Peſtilentialis vid. Peſtilentialis.
- Petechialis vid. Petechialis.
- Petechizans vid. Petechizans.
- Epidemicæ vid. Epidemicæ.
- Hungarica vid. Hungarica.
- Scarlatina vid Scarlatina.
- Lipyrica, Typhodes, Aſodes, Lyngodes & Phricodes P. I. p. 399. §. 1-6.
illarum Practica tractatio P. III. p. 862. §. 1. cautelæ 2. cura 3-7.
- Symptomaticæ quid ſint P. I. p. 400. §. 1-4.
In praxi quomodo tractandæ P. III. p. 865. §. 1-3. cautelæ 4. cura 5-7.

- Puerperarum vid. Puerperarum febres.
- Infantum vid. Infantum febres.
Febriles commotiones quid ſint. P. I. p. 404. §. 1-5.
In praxi quomodo tractandæ P. III. p. 873. §. 1-3. cautelæ 4. cura 5. 6.
Fel diverſorum animalium P. II. p 465. §. 25.
Fermentatio quotuplex ſit vid. Zymotechnia.
Ferrum vid. Chalybs.
Feſtucarum extractio quomodo ſuscipienda P. II p. 667. §. 50. 51.
Ficus P. II. p. 398. §. 37. vid. etiam Caricæ.
Filicis radix P. II. p. 338. §. 66.
Filipendulæ radix P. II. p. 339. §. 67.
Filum Mariæ quid ſit P. III. p. 1233. §. 48.
Fiſſura & Contrafiſſura Cranii vid. Cranium.
Fiſſuræ in papillis mammarum vid. Tumores mammarum.
Fiſtula lacrymalis quid ſit P. II. p. 620. §. 1-4. cautelæ 6. cura 7-9.
- Ani quid ſit P. II. p. 623. §. 1-5. cura 6-10.
Flatulentia quænam ſubjecta corripiat P. I. p. 299. §. 1. hiſtoria §. 2-4. Pathologia §. 5.
ejus Practica tractatio P. III. p. 617. §. 1. 2. cautelæ §. 3. in cura quænam remedia ordinanda 4. 5.
Flores mat. med P. II. p. 373. ſeqq.
Fluor albus benignus vid. Gonorrhœa benig:
- - virulentus vid. Gonorrh. virulenta.
Fluxus & Refluxus maris quid ſit P. III. p. 1228. §. 41.
Fluxus hepaticus vid. Hepaticus fluxus.
Fluxus ſeminis benignus vid. Gonorrhœa benigna.
- - virulentus vid. Gonorrh. virul.
Fœminarum ſanitas quomodo promovenda P. II. p. 291. §. 1. 2. 3. ſeqq.
Fœniculi radix & herba P. II. p. 339. §. 68. ſemen p. 422. §. 48.
Fœnu græci ſemen P. II. p. 422. §. 49.
Fœtus formatio vid. formatio fœtus.
Fœtus mortui exſectio cur difficilis P. II. p. 661. §. 27. quomodo promovenda 29.
Fœtus mortui excluſio quare promovenda P. III. p. 136. §. 8. 9. impellentia num offerenda 10.
Fonticuli quomodo applicandi P. III. p. 130. §. 14. indicationes 19. contraindicationes 20. adminiſtratio quomodo fiat 22. quænam circumſtantiæ tenendæ 23-29.
Foramen ovale & ductus arterioſus ubi reperiantur P. I. p. 77. §. 30.
Formatio fœtus quomodo fiat P. I. p. 37. §. 72.
Formicæ P. II. p. 456. §. 13.
Fracturæ oſſium vid. oſſium fracturæ.
- coſtarum vid. Coſtarum fracturæ.
Fraga P. II. p. 398. §. 38.
Fragariæ radix P. II. p. 339. §. 69.
Frangulæ cortex P. II. p. 361. §. 17.
Fraxini cortex P. II. p. 361. §. 18. Lignum

gnum p. 368. §. 13. ſemen p. 422. §. 50.
Frigoris motus quid ſit P. III. p. 1227. §. 38.
Fructus mat. med. P. II. p. 387. ſeqq.
Fucata vina vid. Vina fucata.
Fulgur & tonitru quid ſit P. III. p. 1230. §. 43.
Fulmine tacti in praxi quomodo tractandi P. III. p. 971. §. 1-10. cautelæ 11. cura 12-17.
Fumariæ flores & herba P. II. p. 378. §. 24.
Fumi tabaci abuſus vid. Tabaci fumi abuſus.
Fungi quid ſint P. II. p. 590. §. 2-5. cautelæ 6.
Fungus chirurgorum P. II. p. 371. §. 23.
- Sambuci vid. Sambuci fungus.
Furor uterinus vid. Erotomania.
Furunculi in chirurg. quomodo tractandi P. II. p. 530. §. 1-5. cura §. 6-8.
Furunculus quid ſit P. I. p. 260. §. 1. 2. 3.

G.

Galangæ radix P. II. p. 339. §. 70.
Galbanum gummi P. II. p. 442. §. 23.
Gallæ P. II. p. 398. §. 39.
Galegæ ſemen & herba P. II. p. 422. §. 51.
Ganglion quid ſit P. II. p. 588. §. 1-4. cura 5-8.
Gangræna quid ſit P. I. p. 264. §. 1. hiſtor. 2. 3. 4.
- - in chirurgia quænam pathologia practica P. II. p. 602. §. 1-6. cautelæ 7. cura 8-13.
Generatio humana quomodo contingat P. I. p. 28. §. 5. fœtum num Deus ſtruat §. 14. quodnam principium formans §. 16. 17. 18. quibus rationibus probetur 31-50. unde principium formans 51-61. fœtus quomodo formetur 72. conceptio quomodo ſeſe prodat 73. 74. actus formationis ubi incipiat 85. fœtus quamdiu in utero aſſervetur 109. partum quid promoveat 113. ſeqq. quomodo infans & puerpera poſt partum tractari debeant 122. ſqq. 131. 132. 133. lactis ſecretio quando contingat p. 41. §. 134. incommoda lactantium 138. infans quomodo tractandus 141. dentitio infantum quid inferat 143. ſeqq.
Geniſtæ flores P. II. p. 379. §. 25. ſemen p. 423. §. 52.
Genitalis liquor quid ſit P. I. p. 51. §. 101.
Geocosmus cur in ſuo loco conſervetur P. III. p. 1199. §. 59.
Gentianæ radix P. II. p. 340. §. 71.
Ginſen radix P. II. p. 340. §. 72.
Glandes P. II. p. 399. §. 40.
Glandium cortex P. II. p. 362. §. 20.
Glandulæ bubonodeæ P. I. p. 223. §. 1. ſeqq.
Gonorrhœa benigna in quo conſiſtat P. I. p. 340. §. 2. fluor albus benignus 4. Pathol. 3 6.
- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 704. §. 1. 2. cautelæ 3. cura 4-7.

Go-

Gonorrhœa virulenta quid ſit P. I. p. 337. §. 1. 2. fluor albus quid ſit §. 3. pathol. 4. hiſtoria 5-7.
- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 700. §. 1-3. cautelæ 4. indicationes 5. cura 6-9.
Gradus quid ſit P. III. p. 1223. §. 31.
Graminis radix P. II. p. 341. §. 73.
Granata mala P. II. p. 399. §. 41. cortex p. 362. §. 19. flores p 375. §. 9. ſemen p. 23. §. 53.
Gravedo & Coryza P. I. p. 214. §. 1. ſeqq.
- Practica tractatio quænam ſit P. III. p. 425. §. 1-3. cautelæ 4. indicationes 5. cura 6-11.
Gravitas auditus quid ſit P. I. p. 205. §. 1. 2.
- - in praxi quomodo tractanda P. III. p. 410. §. 1. cautelæ 2. cura 3. 4.
Gravitas motus quid ſit P. III. p. 1235. §. 52.
Groſſularia ſive Ribeſium P. II. p. 399. §. 42.
Gvajaci cortex P. II. p. 362. §. 21. gvajacum Lignum p. 368. §. 14. - gummi p. 442. §. 24.
Gummata materiæ med. quænam ſint P. II. p. 435. ſeqq.
Gummi-Guttæ P. II. p. 442. §. 25.
Gypſum *P.* II. p. 485. §. 24.

H.

HÆmatologia ſemiotica quomodo tractanda *P.* II. p. 95-111.
- *P*rædictiones quænam ex ſangvine in febribus & aliis morbis formandæ p. 102. & p. 105.
Hæmatologiæ quisnam uſus practicus p. 109. ſeqq.
Hæmoptyſis qualis affectus *P.* I. p. 146. quibus ſubjectis familiaris 4. quomodo decurrat §. 5. ſeqq.
- in praxi quomodo tractanda *P.* III. p. 277 §. 5. indicationes 6. cura 7-14.
Hæmorrhagiologia Semiotica quomodo obſervanda P. II. p. 112. ſeq. ex hæmorrhagiis in febribus & aliis morbis quidnam prædici poſſit p. 115. & p. 119.
Hæmorrhagiologiæ ſemioticæ quænam therapevtica applicatio p. 122.
Hæmorrhagiæ in genere quid ſint P. I. p. 135. §. 1. 2. 8. 32.
- in praxi quomodo tractandæ P. III p. 260. §. 1-18. cautelæ 19. indicationes §. 20. cura 22-32.
- in Chirurgia quomodo dirigendæ P. II. p. 517. ſeqq.
Hæmorrhagia narium quid ſit P. I. p. 140. §. 1. quænam incongrua 13. hæmorrhagiæ criticæ quid ſint 25. in ſenibus quale ſignum 29.
- - in praxi quomodo tractanda P. III. p. 269. §. 1-5. cautelæ 7. indicationes 8. cura 9-19.
Hæmorrhagiarum pharmacevtica promotio P. III. p. 93. §. 1. ſeqq. quænam circumſtantiæ notandæ 3. 5. 6. 9. indicationes §. 12. contraindicationes 13.
Hæmorrhagiæ quomodo ſeorſim tractandæ §. 16. 20. 24.
Hæmorrhagiæ violentæ quomodo tractandæ P. III. p. 355. §. 1-4. cautelæ

læ 5. indicationes 6. cura 7-14.
Hæmorrhagicis ſubjectis quale regimen ordinandum P. II: p. 299. ſeqq.
Hæmorrhoides externæ quidſint P. I. p. 171. §. 1. ſeqq.
- internæ quidſint p. 166. §. 1. ſeqq.
- excedentes in praxi quomodo tractandæ P. III. p. 309. §. 1-6. cautelæ 7. indicationes 8. cura 9-17.
- Suppreſſæ quomodo reſtituendæ P. III. p. 314. §. 1-6. cautelæ 7. indicationes 8. cura 9.-15.
- coecæ quid ſint P. I. p. 173. §. 1. ſeqq.
- in praxi quomodo tractandæ P. III. p. 318. §. 1-4. cautelæ 5. indicationes 6. cura 7-16.
Hæmorrhoidum anomaliæ quid ſint P. I. p. 174. §. 1. ſeqq
qnænam practica tractatio P III. p. 323 §. 1-4 cautelæ 5. indicationes 6. cura 7-15.
Hæreditaria diſpoſitio pro ſanitate tuenda quomodo moderanda P. II. p. 262. ſeqq.
Halotechnia quid ſit C p. 23. §. 1. quid nam tractet 3. 5. 6. ſeqq.
Hectica febris qualis affectus P. I. p. 374. §. 1. ſeq.
- - in praxi quomodo tractanda P. III. p. 803 §. 1-7. cautel 8. indicationes 9. cura 10-22.
Hederæ baccæ P. II. p. 399. §. 43. gummi p. 443. §. 26.
Helenium vid. Elenii radix.
Helleborus vid. Elleborus.
- albus pro ſcopo emetico num concedendus P. III. p 34. §. 25.
Hemicrania quid ſit P. I. 197. §. 1. in praxi quomodo tractetur P. III. p. 87. §. 1. 2. cura 3-5.
Hepar quid ſit P. I. p. 52. §. 204-114.
- lupi qualem uſum medicum habeat P. II. p. 465. §. 29.
- ranarum p. 466. §. 27.
Hepaticæ flores P. II. p. 379. §. 27.
Hepaticus fluxus quid ſit P. I. p. 254.
- - quomodo in praxi tractandus P. III. p. 534. §. 1. 2. cautelæ §. 3. indicationes §. 4 cura 5-7.
Hepatis & Lienis ſcirrhus vid. Scirrhus P. I. p. 255.
Hermodactylorum radix P. II. p. 341. §. 74.
Herniæ quomodo differant P. II. p. 571. §. 2. Pathologia 3. ſpecialisſimæ herniæ quænam ſint 6. quænam earum tractatio medico chirurgica 8-20.
Herniotomia quid ſit & quando ſuſcipienda P. II. p. 660. §. 23-25.
Hippocratis naturæ prædicata P I. p. 10. §. 2. 3.
Hirundines P. II. p. 456. §. 14.
Hirudines P. II. p. 456. §. 15.
- applicatio ubi fiat. P. III. p. 90. §. 55. practica commendatio 56. quænam circumſtantiæ tenendæ 57-60.
Hominis partes quales uſus medicos habeant P. II. p. 454. §. 26.
Hordeum P. II. p. 423. §. 54.
Humectantia & exſiccantia qualem utilitatem habeant P. III. p. 191. §. 1. ſeqq. humectantium quænam cau-

cautela §. 3. exſiccantia qualem reſpectum habeant §. 4. eorum indicationes 7. quænam ſint humectantia 8. quænam externa 9. quænam exſiccantia 10. quænam topica 11.
Hungarica febris quid ſit P. I. p. 393 in praxi quomodo tractanda P. III. p. 849. §. 1-3. cautelæ §. 4. cura 5-7.
Hyacinthus P. II. p. 485 § 26
Hydatides P. I. p. 321. §. 1
Hydrocephalus quid ſit P. I p. 221
- in praxi quomodo tractandus P. III. p. 441
- in chirurgia num poſſit curari P. II. p. 551
Hydrophobia & lycanthropia quid ſint P. I. p. 410
- - in praxi quomodo tractanda P. III. p. 885. §. 1. 2. cautelæ 3, cura 4-6.
- - in praxi ſpecialiori quomodo curanda P. III. p. 1097. §. 8.
Hydrops Aſcites quid ſit P. I. p. 1. ſeqq.
- - in praxi num ſit curabilis P. III. p. 652. § 1-3 cautelæ 4. indicationes 5. cura 6-11
Hydrops pectoris qualis affectus P. I. p. 248. § 1.
ejus Practica tractatio P. III. p. 521. §. 1. cautelæ 2. cura 3-5
Hygiene quid ſit & circa quod verſetur P. II. p. 235 §. 3. ſeqq. Veteres quomodo in hoc ſtudio laudandi §. 6. ſimplicia cur naturæ magis conveniant, quam alia §. 7. 8. ſeqq.
Hyoſciami radix & herba P. II. p. 341. §. 75. ſemen p. 423. §. 55
Hyperici flores & herba P. II. p. 379 §. 28. ſemen p. 423 §. 56
Hypochondriacum & hyſtericum malum quid ſint. P. I. p. 294. §. 1. 2. hyſtericum malum cur ſit acerbius §. 12
In praxi quomodo tractanda ſint P. III p. 523. § 1-4. cautelæ 5. indicationes 6. cura 7-14
quænam ſpecifica in hoc affectu ſint §. 11
Hypopion vid. Ophthalmia P. I. p. 199 ejus tractatio Practica P. III. p. 394 §. 1 cautelæ 2. cura 3-5
Hyſſopi ſemen P. II. p. 424. §. 17
Hyſtericum malum vid. Hypochondriacum.

J.

Jalappæ radix P. II. p. 341. §. 76
Jaſpis P. II p. 486. §. 27
Ichor quid ſit. vid. Sanies
Ichtyocolla P. II. p. 466. §. 28
Icterus quid ſit. P. I. p. 310
in praxi quomodo tractandus P. III. p. 640 §. 1. 2. 3. cautelæ 4. indicationes 5. cura 6-14
Ictus Scorpionum quænam pathologia practica P. III. p. 1098. § 1-3 cautelæ 4. cura 5-7.
- Veſparum ſimiliumque animalium quomodo tractandus P III. p. 1098. § 1-4. cautelæ 5. cura 6 - 8
Ignis elementum quid ſit P. III. p 1201 §. 64. 65. 70 effectus quinam §. 77
Ignivomi Montes unde P. III p 1234 §. 50.

Ileus

Ileus morbus quid ſit P. I. p. 300. §. 1-3 pathologia §. 4-6
In praxi quomodo tractandus P. III. p. 629 §. 1. 2. cautelæ 3. cura 4-6
Imminutio Urinæ vid. Urinæ imminutio.
Imperatoriæ radix P. II p. 342. §. 77
Impotentiae virilis quænam hiſtoria pathologica P. III p. 978 §. 1-8 cautelæ §. 9. cura 10. 11.
Imprecationis cura vid. Sympathia
Incidentia quare ita dicantur P. III. p. 173. quænam indicantia §. 6. & contraindicantia §. 7
quænam ſint §. 8. 9.
Incraſſantia ubi & quando ordinanda P. III p. 185. §. 1. circumſpectio §. 2. cautelæ 4. 5. indicationes 6. & contraindicationes §. 7. incraſſantia quænam ſint 8. 9.
Influxus ſiderum in geocoſmum noſtrum num detur P. III. p. 1200. §. 61
Indicationes quid ſint P. I. p. 4. § 28.
Indicans quid ſit P. II. p. 9. §. 27
Indicatio §. 28.
Indicatum §. 26
Indicus balſamus vid. Balſamus Peruv.
Infantum dejectiones bilioſæ vid. bilioſæ dejectiones.
- febres quænam ſint P. I. p. 403. §. 1. ſeqq.
quænam harum therapeutica tractatio P. III. p. 670. §. 1-3. cautela 4. cura 5-10.
Infarctus Lienis & hepatis vid. Scirrhus hepatis.
Inflammatio quid ſit P. II. p. 257. §. 1. 2. hiſtoria §. 2. 3. 4. pathol. 5. ſtaſi cur opponatur 6. 7. pus quid ſit 9.
Inflammationes in praxi quomodo in genere tractandæ P. III. p. 546. §. 1-4. cautelæ 5. indicationes 6. cura 7-10.
Inflammationes retropulſæ quomodo revocandæ P. III. p. 150. §. 22
- in chirurgia quomodo tractandæ P. II. §. 1-11. cura §. 14-29
- faucium & Colli vid. faucium Inflammationes.
- pectoris vid. pectoris inflammatio.
Inflammatoria febris quid ſit P. I. p. 363 §. 1.
quænam ejus Practica tractatio P. III. p. 754. §. 1-5. cautelæ 6. indicationes 7. cura 8-15
Inſomniorum tractatio ſemiotica P. II. p. 181. ſeqq.
quænam præſagia ex illis formanda in febribus p. 185. ſeqq. & aliis morbis p. 188.
practica eorum tractatio quænam inſtituenda p. 192. ſeqq.
Intemperantia ad morbum quid contribuat P. I. p. 112. §. 98
Intermittens febris vid. Tertiana.
- compoſita quid ſit P. I. p. 372
- - in praxi quomodo tractanda P. III. p. 800. §. 1-3. cautelæ 4. cura 5-9
Intermittentes febres periodicæ quomodo tractandæ P. III. p. 154. §. 11.
Inteſtina quænam ſint P. I. p. 80. §. 75--86
Inteſtinus motus quid ſit P. I. p. 65. §. 121--136
- - a putrefactorio quomodo differat

C. p. 94. §. 24.
Ipecacuanhæ radix P. II. p. 342. §. 79.
- in therapia quomodo offerenda P. III. p. 33. §. 22
Ireos flor. & noſtras radix P. II. p. 343 §. 79.
Iſchiadicum malum quid ſit P. I. p. 274 in praxi quomodo tractandum P. III. p. 574. §. 1. cautelæ 2. cura 3-5
Iſchuria & Dysuria quid ſint P. I. p. 335 earum practica tractatio P. III. p. 696. §. 1. cura quænam §. 2-4
Judaicus lapis vid. Lapis Judaicus.
Iuglandes P. II. p. 400. §. 44. cortex p. 362. §. 22.
Jujubæ P. II. p. 400. §. 45
Juniperi baccæ P. II. p. 400. §. 49. Lignum. p. 369. §. 15. Gummi p. 443

L.

Labia nigricantia in febribus quid denotent P. II. p. 28. §. 31. diſtorta quale ſignum §. 32
Lac variorum animalium quales virtutes habeat P. II. p. 460. §. 4
Laccæ gummi P. II. p. 443. §. 29
Lac quid ſit P. I. p. 49. §. 84-90
Lactis ſecretio quomodo fiat P. I. p. 71 §. 74-88
- - in puerperis quando contingat. P. I. p. 41. §. 134
Lactucæ ſemen P. II. p. 424. §. 58
Ladanum gummi P. II. p. 443. §. 28
Laeſio quotuplex ſit P. I. p. 109. §. 14.
Lapathi, oxylapathi radix P. II. p. 314. §. 81. ſemen. p. 424. §. 59
Lapides cancrorum vid. Oculi cancrorum.
- diverſorum animalium vid. Calculi.
Lapides Carpionum & Percarum P. II. p. 466. §. 69
Lapis Calaminaris P. II. p. 483. §. 15
- Granatus p. 485. §. 23
- Hæmatites p. 485. §. 25
- Manati p. 470. §. 43
- Judaicus p. 486. §. 28
- Lazuli p. §. 30
- Nephriticus p. 488. §. 38
- Spongiæ p. 475. §. 7
- Selenites p. 493. §. 53
- Smiris - - §. 55
Lapides pretioſi quinam ſint P. III. p. 1209. §. 90
Lapis fulminaris num detur P. III. p. 1231. §. 44.
Lappæ maj. ſemen. vid. Bardanæ Sem.
Laqueo ſtrangulati in therapia quomodo tractandi *P.* III. p. 101. §. 1-7. cautelæ 8. cura *9* - 11.
Lateres P. II. p. 486. §. 29.
Lavendulæ flores P. II. p. 380. §. 29.
Lauri baccæ & folia *P.* II. p. 401. §. 47.
Laxitas partium quid ſit *P.* II. p. 673 §. 1 - *6.* cautelæ 7. cura 8. 9.
Lenta Febris quid ſit *P.* I. p. 37*6.* §. 1 - 3. ætiol. 4. 5. *6.*
- ejus therapeutica tractatio *P.* III. p. 811. §. 1 - 3. cautelæ 4. indicationes 5. cura *6* - 13.
Lentes *P.* II. p. 424. §. *60.*
Lentiſcinum Lignum *P.* II. p. 3*69.* §. *16.*
Leporini labii ſectio quomodo ſuſcipienda *P.* II. p. *666.* §. 44.

Leporis talus vid. Aſtragalus.
Lepra & Elephantiaſis quid ſint *P.* I. p. 330.
- in praxi quænam tractatio *P.* III. p. 687. §. 1. 2. cautelæ 3. cura 4 - 6.
Lepus cum partibus ſuis quales virtutes medicas habeat *P.* II. p. 461. §. 10.
Lethalitas vulnerum vid. Vulnerum Lethal.
Lethargus quid ſit vid. affectus ſoporoſi p. I. p. 211.
Leucophlegmatia vid. Anaſarca.
Leviſtici radix *P.* II. p. 344. §. 82. ſemen p. 424. §. 61.
Lien quid ſit. *P.* I. p. 83. §. 104 - 121.
Lienis & hepatis ſcirrhus & infarctus vid. ſcirrhus.
Lienteria cur ita dicatur *P.* I. p. 308.
- in praxi quomodo tractanda *P.* III. p. 637. §. 1. 2. cautelæ 3. indicationes 4. cura 5 - 9.
Ligamenta quomodo applicanda *P.* II. p. 669. §. 62.
Ligna horumque excreſcentiæ mat. med. *P.* II. p. 365.
Liliorum alborum radix *P.* II. p. 344. §. 83. flores p. 380. §. 30.
- Convallium flores. *P.* II. p. 380. §. 31.
Lingva arida, contorta ſicca in febribus quale ſignum *P.* II. p. 79. §. 34.
Limaces *P.* II. p. 456. §. 17.
Limonia mala *P.* II. p. 401. §. 48.
Lini ſemen *P.* II. p. 424. §. 62.
Lipyrica febris quid ſit. *P.* I. p. 399.
- practica tractatio *P.* III. p. 862. §. 1. cautela 2. cura 3 - 7.
Lipothymia & Syncope quales affectus *P.* I. p. 434.
- quænam tractatio practica *P.* III. p. 930. §. 1 - 3. cautelæ 4. cura 5 - 10.
Liquiritiæ radix *P.* II. p. 343. §. 80.
Literatorum Sanitas quomodo promovenda *P.* II. p. 303. ſeqq.
Lithantrax, ſive Carbo foſſilis *P.* II. p. 486. §. 31.
Lithargyrium *P.* II. p. 487. §. 32.
Lithoſpermi ſive Milii ſolis *P.* II. p. 425. §. 63.
Lithotomia quid ſit & quomodo adhibenda *P.* II. p. 658. §. 19 - 22.
Lochiorum fluxus quid ſit. *P.* I. p. 180.
- in praxi quomodo tractandus *P.* III. p. 338. §. 1 - 4. cautelæ 5. indicationes 6. cura 7 - 15.
- in therapia quomodo promovendus *P.* III. p. 100. §. 24.
- Defectus quomodo reſtituendus *P.* III. p. 341. §. 1 - 4. cautelæ §. 5. indicationes §. 6. cura 7 - 12.
Locus quid ſit *P.* III. p. 1224. §. 33.
Longævitas hominum quibus remediis conſervanda *P.* III. p. 964 §. 1. quænam hiſtoria pathologica 2 - 13. cura 14 22.
Lues Venerea qualis affectus *P.* I. p. 342.
- qua methodo tractari debeat *P.* III. p. 707. §. 1. 2. cautelæ 3. cura 4 - 6.
Lumbrici terreſtres *P.* II. p. 456. §. 18.
Lumen & Lux quomodo differant. P. III. p. 1225. §. 36.
Luminoſus motus quid ſit P. III. p. 1225 §. 35.
Lunæ motus quid ſit. P. III. p. 1237. §. 55.

Lupi-

Lupinorum ſemen P. II. p. 425. §. 46
Luxationes quomodo reſtituendæ P. II. p. 667. §. 53. 54. 55.
Lycanthropia vid. Hydrophobia.
- in praxi ſpecialiori quomodo tractanda. P. III. p. 1093. §. 1 - 3. cura §. 4 - 8.
Lympha quid ſit P. I. p. 48. §. 69 - 79.
- motus p. 82. §. 97.
- ſecretio p. 70. §. 55. - 65.
Lyngodes febris quid ſit vid. Lipyrica.
Lyſis quid ſit. p. II. p. 209. §. 54.

M.

MAculæ hepaticæ retropulſæ quomodo revocandæ P. III. p. 150. §. 24.
Magnes p. II. p. 487. §. 13
Majoranæ *ſemen* & *herba* P. II. p. 425 §. 65
Maligna febris quid ſit P. I. p. 378.
- quænam pathologia practica P. III. p. 815. §. 1 8. cautelæ 9. indicationes 10. cura 11 - 20.
Malvæ *radix* P. II. p. 345. §. 84. *flores* p. 381. *ſemen* p. 426. §. 66.
Malum Hypochondriacum. vid. Hypochondr.
- Jſchiadicum vid. Jſchiadicum malum.
- Spleneticum vid. Spleneticum malum.
Mammarum tumores vid. tumores mammarum.
Mammarum intumeſcentia poſt ablactationem quomodo tractanda. vid. tumores mammarum.
Mandibula Lucii piſcis P. II. p. 466. §. 30.
Mandragoræ mala P. II. p. 402. §. 49. radix p. 345. p. 85.
Mania quid ſit P. I. p. 406.
- quomodo in praxi tractanda P. III. p. 875. §. 1 - 4. cautelæ 5. indicationes 6. cura 7 - 13.
Mannæ P. II. p. 444. §. 30.
- Vitrioli Angeli Salæ P. III. p. 33. §. 23.
Maraſmus ſenilis quid ſit P. I. p. 435
- quænam practica tractatio P. III. p. 935. §. 1. 2. cautelæ 3. cura 4 - 6
Marga vid. Medulla ſaxorum.
Margarita ſive Perlæ P. II. p. 466. § 31.
Maſticatoria vid. Apophlegmatismi in fine.
Maſtix P. II. p. 444. §. 31.
Materiæ med. introductio P. II. p. 313
Mechanica ad Medicinam quid contribuat P. I. p. 7. §. 61 - 64.
Mechoacannæ radix P. II. p. 345. §. 86.
Medulla Saxorum P. II. p. 487. §. 35
Medicina a ratione ne diſcedat P. I. p. 1. §. 6.
- rationalis & practica quomodo debeat conjungi §. 12 - 16
- quid ſit P. I. §. 4. & p. 4. §. 34.
- num ſit phyſica ſpecialis P. I. p. 5. §. 24.
- quomodo ſine ratione cœca ac empirica ſit P. I. p. 1. §. 5.
Medicinae Auctor cur Deus P. I. p. 1. §. 1
- fulcrum quodnam P. I. p. 3. §. 18
- objectum p. 5. §. 40 ſubjectum §. 39
Medicus quotuplicem ſtatum in homine

mine inquirere debeat P.I. p. 107 §. 1. 2
Medulla P.II. p. 467
Melancholia quid ſit P. I. p. 408. §. 1. ſeqq.
quænam pathologia practica P. III. p. §. 1 - 4. cautelæ 5. indicationes 6. cura 7-12
Meliceris quid ſit. vid. tumores Lymphatici ſeccati.
Meliloti flores P. II. p. 382. §. 35
Meliſſae flores & herba P. II. p. 381. §. 34. ſemen p. 426. §. 67
Melones P. II. p. 402 §. 49. ſemen p. 426. §. 68
Menſium fluxus legitimus in quo conſiſtat P. I. p. 152. §. 1. ſeqq.
-- excesſivus quid P. I. p. 163. §. 1. ſeqq.
-- nimius qua arte ſit tractandus P. III. p. 285. §. 1--5. cautelæ 6 indicationes 7. cura 9 -- 13
- Imminutio & ſuppreſſio quid ſit. P. I. p. 156
- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 289. §. 1 - 6 cautelæ 7. indicationes 8. cura 9 - 22.
- anomaliæ quid ſint P. I. p. 159. §. 1. ſeqq.
- ejus pathologia practica quænam ſit P. III. p. 295. . 1 - 4. cautelæ 5. indicationes 6. cura 7 - 13.
- Decoloratio quid ſit p. I. p. 161. §. 1. ſeqq.
- quænam tractatio practica p. III. p. 299. § 1 4. cautelæ 5. indicationes 6. cura 7 - 15.
- viæ inſolitæ quænam ſint p. I. p. 164
- quænam therapia inſtituenda p. III. p. 304. §. 1 - 5. cautelæ 6. indicationes 7. cura 8 - 16.
Menſtrua purgatio periodica quomodo tractanda p. III. p. 152. §. 6.
Mercurialium remediorum ſuſpectorum infelix uſus quomodo tractandus p. III. p. 1062. §. 1 - 7. cautelæ 8. cura 9 - 13.
Mercurii mutatio in barometro unde p. III. p. 1229. §. 42.
Mercurius currens quid ſit C. p. 14. §. 16.
Mercurius currens quas virtutes habeat p. II. p. 481. §. 10.
- dulcis - - ibid.
- vitæ unde conſtet C. p. 48. §. 34.
- - quomodo operetur p. III. p. 33. §. 19.
- Præcipitatus unde C. p. 57. §. 17.
- ſublimatus unde C. p. 66. §. 15. dulcis 16. 28.
Meſpila p. II. p. 402. §. 57.
Metallurgia circa quid verſetur C. p. 95. §. 1. 2.
- quid ſit p. 7. §. 14.
Metallorum ſulphur quomodo tractandum §. 3. 4. quomodo principium inflammabile conſervandum §. 5. 6. ſulphur quomodo metallis reſtituendum §. 7.
Metalla num melioranda §. 8. eorum proventus ubi §. 9. num denuo generentur §. 10.
Metallorum fuſio quomodo promovenda. §. 11. 12.
- ſulphur arſenicale quomodo noceat §. 13.
- relatio ad ſe invicem quænam ſit §. 14.

ſepa-

- ſeparatio quomodo fiat §. 18. 19. præſertim auri §. 17. 20
Meteora ignea quænam ſint P. III. p. 1233. §. 48.
Meteorologia quo fundamento nitatur P. III. p. 1239. §. 58. 59.
Meu radix P. II. p. 345. §. 87.
Mezerei ſive Laureolæ cortex P. II. p. 363. §. 23.
Mictus cruentus quid ſit P. I. p. 176. §. 1.
- ejus Practica tractatio P. III. p. 328. §. 1 - 4. cautela 5. indicationes 6. cura 7 - 13.
Millepedes vid. Aſelli.
Minium P. II. p. 448. §. 36.
Miſſio ſangvinis artificialis quomodo ſuſcipienda P. III. p. 75. §. 1. ſeqq. quænam circumſtantiæ tenendæ §. 5. ſeqq. quænam loca eligenda. §. 11. quotuplici modo fiat §. 14. quænam indicationes §. 15. & contra indicationes. §. 16.
Mixtio quid ſit. C. p. 15. §. 1. ſeqq. quomodo cauſa colorum exiſtat §. 11 - 13. principium ſulphureum quomodo conſervet mixtionem §. 17. quænam diverſæ ſpecies §. 22. 23.
Mixtum corpus quid ſit C. p. 9. §. 1.
- quotuplex ſit. P. I. p. 45. §. 22.
- Phyſico - Chymica quænam ſit C. p. 15.
Molarum excluſio quare promovenda. P. III. p. 137. §. 11 - 16.
Molimina hæmorrhagica quænam ſint. P. I. p. 187. §. 2. 3.
Montes ignivomi unde P. III. p. 1234. §. 50.
Mora P. II. p. 402. §. 52.
Morbus quid ſit P. I. p. 109. §. 13. 15. 93. 97.
morbi animi vid. Animi morbi.
- convulſivi vid. Convulſivi P. I. p. 285.
Morbi retropulſi quibus difficultatibus obnoxii P. III. p. 143.
Morbi ex faſcino num dentur P. I. p. 421. §. 1. ſeqq.
- quomodo tractandi P. III. p. 906. §. 1 - 4.
- quænam cautela §. 5. cura 6 - 11.
Moroſis quid ſit P. I. p. 413. ſeqq.
- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 891. §. 1. 2. cautelæ §. 3. cura 4 - 7.
Morſus caninus vid. Caninus morſus.
- Serpentum vid. Serpentum morſus.
Morſus diaboli P. II. p. 346. §. 88
Mors quid ſit P. I. p. 55. §. 39
- Pathologia practica P. III. p. 938. §. 1 6
Mortis Semiologica conſideratio P. II. p. 226
Morbis ſigna quænam advertenda p. 229. ſeqq.
- cauſa phyſica num dari poſſit P. I. p. 116. §. 62.
- definitio quænam ſit P. I. p. 55. §. 34 & p. 436. §. 2
Moſchata Nux P. II. p. 402. §. 53.
Moſchus orientalis P. II. p. 467. §. 34
Motus & quies ad Vitam quid conferant P. I. p. 92. §. 59
Motus quomodo Medicina corporis P. II. p. 273
- vitales quid & qui nam ſint P. I. p. 56 §. 4 - 12

motus definitio §. 23. 25
- potiores quinam ſint 26
- progreſſivus ſangvinis quid ſit p. 58 §. 27.
- tonicus quid ſit p. 61. §. 67. ſeqq
- voluntarius quid ſit p. 62. §. 92. ſeqq.
- ſenſationis p. 64. §. 107. ſeqq.
- inteſtinus p. 65. §. 121. ſeqq.
Motus quid ſit in genere P. III. p. 1211 §. 2. unde pendeat §. 7. quomodo activus §. 8. abſtractus num detur §. 9 diverſa motus definitio §. 13 vera definitio §. 14. probatio quod motus immaterialis 20. quod motus innatus non ſit quænam ratio 22. motus extra materiam 24. motus diviſio 2
Motus luminoſus quid ſit P. III. p. 1225 §. 35.
- caloris P. III. p. 1226. §. 37
- frigoris quid ſit. vid. frigoris motus
Motuum defectus ubi occurrant P. I p. 424.
Moxa Indorum quid ſit III. p. 129. §. 10
Mucilago quid ſit P. I. p. 51. §. 112 - 115
Mucoſitatis excretio ubi contingat P. I p. 74. §. 108 - 112
Mumia P. II. p. 468. §. 35
Muſcus officinarum P. II. p. 372. §. 26
Myrepſica Nux vid. Balanus
Myrobalani P. II. p. 403. §. 54
Myrrha P. II. p. 444. §. 32
Myrtilli P. II. p. 403. §. 55

N.

NÆvi materni quid ſint P. II. p. 592 §. 1 - 3. cautelæ 4. cura 5
Naphtha vid. Petroleum.
Napi Semen P. II. p. 426. §. 69
Naſturtii Semen & herba P. II. p. 426 §. 70
Natura quid ſit P. I. p. 12. §. 50. & p. 1167 §. 5. 6. 25
- veteribus quid ſit p. 8. §. 6
- autocratia quid ſit p. III. §. 30
- differentia p. 9. §. 8. & P. III. p. 1175 §. 34. 35. 62
- energia quid ſit p. *III.* §. 28
- errores p. 112. §. 34 - 36
Naturæ diverſa acceptio P. *III.* p. 1169 §. 12 - 18
- prædicata p. 1172. §. 22.
Nauſea in praxi quomodo tractanda P. *III.* p. 609. §. 1. 2. cautelæ §. 3. cura 4 - 6
Nebulæ, Pruina, Ros & Nix quid ſint P. *III.* p. 1234. §. 29
Nephriticum Lignum P. *II.* p. 396. §. 17
Nephritis calculoſa quid ſit P. *I.* p. 287 §. 1. ſeqq
- practica tractatio P. *III.* p. 584. §. 1. 2 cautelæ 3. indicationes 4. cura 5 - 10
- ſimplex P. *I.* p. 279. §. 1. ſeqq
- - quomodo in praxi tractanda P. *III.* p. 580. §. 1. cautela 2. cura 3 - 7.
Nervina, Cardiaca & Roborantia P. *III* p. 210. in quibus caſibus utilia §. 3 analeptica quænam ſint 6. nervina quibus partibus dicata 7. indicationes §. 11. nervina remedia quænam ſint 13 - 16. quænam externa 18
Nicotianæ ſemen & herba P. *II.* p. 427 §. 71
- herba quomodo vomitum excitet P. *III.* p. 34. §. 26
Nigellæ ſemen P. *II.* p. 427. §. 72

Nihil

Nihili album p. *II.* p. 490. §. 41
Nitrum unde nomen C. p. 49. §. 1. quid ſit 2. ejus genealogia 3. 5. qualitas ejus 7. 13. Nitri ſpiritus fumans unde 10. Nitrum fixum quid 11. ſpiritus nitri dulcis unde 12. uſus 22
Nitrum quales virtutes medicas habeat p. *II.* p. 488. §. 39
- quale præſtans remedium in cholera p. *III.* p. 622. §. 5.
Noctambulatio qualis affectus p. *I* p. 414
- quomodo in praxi tractanda. p. *III* p. 893 §. 1. 2. cautelæ 3. cura 4 - 6
Noctambuli in ſpecialiori praxi quomodo tractandi §. *III.* p. 1141. §. 1 - 4 cautelæ §. 5. cura 6. 7. 8
Nonnaturales res quænam dicantur p. *I* p. 88. §. 2 - 7
Noſtalgia qualis affectus p. *I.* p. 415 quænam practica ejus tractatio p. *III* p. 895. §. 1. 2. cautelæ 3. cura 4. 5
Noxa cantharidum quomodo corrigenda vid. Cantharides.
- ex araneis vid. Araneorum Noxa.
- e vaporibus inimicis orta vid. Vapores inimici.
Nubes quid ſint p. *III.* p. 1232. §. 47
Nummorum deglutitio vid. Acicularum deglutitio.
Nutritio quomodo procedat p. *I.* p. 85 §. 4
- quamdiu duret §. 12. quando ceſſet 13 quænam eſculenta & potulenta optime nutriant p. 87. §. 28 - 40
Nux Moſchata p. *II.* p. 402. §. 53
- Myrepſica vid. Balanus.
- Vomica. vid. Vomica nux.
Nympheæ radix p. *II.* p. 364. §. 89. flores p. 382. §. 36.

O.

Obſervationes quid ſint p. I. p. 3 §. 24
Ochra p. II. p. 490. §. 42.
Oculi Cancrorum p. II. p. 468. §. 36
Oculi turbidi in febribus quale ſignum p. II. p. 77. §. 12 rubicundi 16. eorum diverſus ſtatus ibid.
Oculi exſectio & diſſectio quando contingat p. II. p. 665. §. 43
Odontalgia quid ſit p. I. p. 206. §. 1. ſeqq.
- in praxi quomodo tractanda p. III. p. 411. §. 1-3. cautelæ 4. indicationes 5 cura 6-12
Oedema quid ſit p. I. p. 320. §. 1. ſeqq.
- qua prudentia tractandum p. III. p. 664. §. 1-3. cautelæ 4. cura 5-12.
- in chirurgia quomodo tractari debeat p. II. p. 549. §. 1-6. cura §. 7. ſeqq.
Officinarum muſcus vid. Muſcus Offici .
Olibanum p. II. p. 445. §. 33
Olivæ & oleum arboris Oleæ p. II. p. 403. §. 56
Olsnitii radix p. II. p. 346. §. 90
Omenta p. II. p. 468. §. 37
Ononidis radix p. II. p. 347. §. 91
Onyx p. II. p. 490. §. 40
Opalus p. II. p. 490. §. 41
Operationes manuales quænam ſint & quomodo adminiſtrandæ p. II. p. 654 §. 1. 2.
Ophites p. II. p. 491. §. 43

Ophthalmia quid ſit P. I. p. 199. §. 2 ſeqq.
- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 389 §. 1-3. cautela 4. indicationes 5. cura. 6-13
Opobalſamus vid. Balſamus Iudaicus.
Opopanax ſive Gummi panacis P. II. p. 445. §. 34
Organa quid ſint P. I. p. 75. §. 2. 3
Orobi ſive Ervi ſemen P. II. p. 427 §. 73
Oſſium fracturæ quænam ſint P. II. p. 663. §. 34-37
Oryza P II. p. 428. §. 74
Oſſa quid ſint P. I. p. 47. §. 46
- ſepiæ P. II. p. 469. §. 39
Oſteocolla P. II. p. 490. §. 44.
Otalgia quid ſit P. I. p. 202
- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 402. §. 1. 2 cautelæ 3. indicationes 4. cura 5-11.
Ova gallinacea P. II. p. 469. §. 38

P.

Palpitatio Cordis qualis affectus P. 237
- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 481. §. 1-5
Panaritium quid ſit P. II. p. 552. §. 1-3 cura 4. ſeq.
Pancreaticus ſuccus quid ſit P. I. p. 50 §. 102-106
Papaveris capitum Cortex P. II. p. 363 §. 24
- erratici flores p. 382. §. 37. ſemen p. 428. §. 76.
Paracenteſis ubi & quomodo admini-ſtranda P. II. p. 654. §. 5-12
Paralyſes & pareſes quid ſint P. I. p. 429. §. 1. ſeqq.
-- quænam practica tractatio P. III. p 918 § 1-3 cautelæ 4. cura 5-15.
Paraphrenitis vid. Phrenitis.
- practica tractatio P. III. p. 418. §. 1. 2 cautelæ 3 cura §. 4. 5.
Paridis baccæ P. II. p. 404. §. 57
Parotides quid ſint P. I. p. 219. §. 1. ſeqq.
- in praxi quomodo tractandæ P. III. p. 439. §. 1. 2. cautelæ 3. cura 4. 5
- in Chirurgia qua arte dirigendæ P III. p. 543. §. 1-3. cura 4-7.
Paroxyſmus in febribus quid ſit P. I. p. 350. §. 19
Parreira brava radix P. II. p. 347. §. 92
Partus Cæſareus quid ſit P. 2. p. 661. §. 26.
Paſſeres P. II. p 456. §. 19
Paſſio Iliaca P. I. p. 300. §. 1
Paſſulæ maj. & min. vid. Corinthiacæ paſſulæ
Paſtinacæ ſylveſtris & hortenſis radix P. II. p. §. 13. *ſemen* p. 428. §. 75
Pathemata animi quid ſint & qualem efficaciam habeant alterandi corpus noſtrum P. I. p. 94. §. 105-116.
Pathematibus animi quale regimen ordinandum P. II. p. 257. §. 1. 2 ſeqq.
Pathognomonica doctrina quid ſit P. II. p. 1. §. 2. 4
Pathologia quid ſit & quid tractet P. I. p. 107. §. 3. & 7. circa quod verſetur §. 19. 24. 25. & p. 116. p. 65
Pectoris inflammationes quænam ſint P. I. p. 240. §. 1-4

Per-

Perdicum plumæ p. ll. p. 469. §. 40
Perfoliatæ ſemen & herba p. ll. p. 429 §. 78.
Pericardium quid ſit p. l. p. 77. §. 27
Pericula ex ſimultanea & exceſſiva Spirituum ardentium ingurgitatione vid. Spirituum ardentium ingurgitatio.
Periodicæ febres intermittentes quomodo tractandæ p. lll. p. 153. §. 11.
Periodus in febribus quid ſit p. l. p. 349 §. 16.
Peripneumonia quid ſit p. l. p. 240 §. 1. ſeqq.
- in praxi quomodo tractanda p. lll. p. 493. §. 1-4
Periſtalticus motus quid ſit p. l. p. 81. §. 87-90.
Perniones quid ſint p. ll. p. 583. §. 1-5. cura 6-12.
Perſica mala p. ll. p. 404. §. 58.
Perſici flores p. ll. p. 382. §. 38.
Peruvianus balſamus vid. Balſamus Peruv.
Peſtilentialis febris quid ſit p. l. p. 381 §. 1. ſeqq.
-- pathologia practica p. lll. p. 823. §. 1-6. cautela §. 7. indicationes §. 8. cura 9-20.
Petaſitidis radix p. ll. p. 347. §. 94
Petechialis febris quid ſit p. l. p. 384. §. 1. ſeqq.
-- practica tractatio p. lll. p. 831. §. 1-4 cautel. 5. indicationes 6. cura 7-12
Petechiæ retropulſæ qua methodo reſtituendæ p. lll. p. 147 §. 15
Petechizans febris quid ſit p. l. 386. §. 1 ſeqq.
-- in praxi quomodo tractanda p. lll. p. 837. §. 1-3. cura 4-7.
Petroſelini radix & herba p. II. p. 348 §. 95. ſemen p. 428. §. 77
Peucedani radix p. II. p. 348
Phagedæna vid. Ulcera Eryſipelacea.
Phaſeoli ſive fabæ p. II. p. 404. §. 59
Philoſophiæ naturalis notitia num ſit utilis p. III. p. 1155. §. 1. quotuplex uſus §. 6-14. quænam realis 44
Philtra quænam dicantur p. I. p. 418 §. 1. ſeqq.
- in praxi quomodo tractanda p. III. p. 900. §. 1. 2. cautelæ 3. indicationes 4 cura 5-7
Philtra in ſpecialiori praxi qua prudentia tractanda. p. III. p. 960. §. 1-12 cautelæ §. 13. cura §. 14-25
Phlegmatorrhagia quid ſit p. I. p. 216 §. 1. ſeqq.
- in praxi qua methodo tractanda p. III p. 431. §. 1. cautelæ 2. cura 3. 4
Phlegmone quid ſit p. I. p. 263 §. 10-12
- in chirurgia quomodo tractanda p. II p. 535. §. 1-4. cura §. 5. 6
Phrenitis quid ſit p. I. p. 208
- in praxi quomodo tractanda p. III p. 416. §. 1-3. cautel. 4. indicationes 5. cura 6-9
Phricodes febris quid ſit vid. Lipyrica.
Phthiriaſis quid ſit p. I. p. 218. §. 1. ſeqq.
- in praxi quomodo tractanda p. III. p. 438.

Phthiſis quid ſit p. I. p. 230. §. 1. ſeqq.
- quænam pathologia Practica p. III. p. 466. §. 1-4. cautelæ 5. indicationes 6. cura 7-13.
Phyſica unde dicatur p. III. p. 1162. §. 40. & p. 1166. §. 1.
- quid proprie tractet §. 42
Physicum ſtudium ad medicinam quid contribuat p. I. p. 6 §. 49-57.
- - a medico quomodo differat p. III. p. 1157. . 16-39.
Phyſiologia quid ſit p. I. p. 7. §. 65. & p. 107. §. 3.
Pili leporis p. II. p. 469. §. 39.
Pimpinellæ albæ radix p. II. p. 349. §. 97
Pineæ p. II. p. 405. §. 60.
Pingvedo variorum animalium vid. Axungia.
Pini ſylveſtris coni p. II. p. 405. §.
Piper & oleum p. II. p. 405. §. 62.
Piſtaceæ p II. p. 406. §. 63.
Piſum p. II. p. 406. §. 64.
Planetarum motus p. II. p. 1238. §. 46
Plantæ num ratione præditæ ſint p. I. p. 27. §. 169 & p. III. p. 1180. §. 67. 68
Plantaginis radix & herba p. II. p. 349. §. 98.
- ſemen p. 429 §. 79.
Plethora quid ſit p. I p. 125. §. 1. ſeqq.
- - in praxi quomodo tractanda p. III. p 244 §. 1-7. cautelæ 8. cura 9--16
- in caſibus chirurgicis quomodo tractari debeat p. II. p. 507. §. 1-25. cura 26 6
Plethoricis quale regimen ordinandum p. II. p. 296. §. 1-8.
Pleuritis quid ſit p. I. p 240 §. 1 ſeqq
- vera quomodo in cura tractanda p. III. p. 486. §. 1-3. cautelæ 4. cura 5-11.
- ſpuria quid ſit p. I. p. 272. §. 1. ſeqq. quænam ejus tractatio practica p. III. p. 566. §. 1. cautelæ 2. cura 3-5
Plumbum & ſtannum p. II. p. 490. §. 46.
Podagra qualis affectus p. I. p. 276. §. 1. ſeqq.
- in praxi num curabilis p. III. p. 576. §. 1. 2. cautelæ 3. cura 4. 5. 6
Podagricorum quodnam ſolatium palliativum C. p. 44. §. 26. & p. 70. §. 5.
Pœoniæ radix p. II. p. 349. flores p. 383 §. 39. ſemen p. 429. §. 80
Pollutio nocturna quomodo in praxi tractanda p. III. p. 1121. §. 1-6. cautelæ 7. cura 8-11
Polygoni ſemen & herba p. II. p. 429. §. 81
Polypodii Querni Radix P. II. p. 349. §. 100.
Polypus cordis p. I. p. 236. §. 1. ſeqq.
- - in praxi quomodo tractandus p. III. p. 479. §. 1-4.
Polypus narium quid ſit p. II. p. 600. §. 1-4. cautelæ 5. cura 6-9.
Poma porsdorfiana p. II. p. 406. §. 65.
Pompholyx p. II. p. 491. §. 47.
Portulacæ ſemen & herba p. 429. §. 82
Potus ad vitam quid contribuat & qualis ſit p. I. p. 90. §. 43 59.
- in febribus cur concedendus p. III. p. 724 §. 29.
Potus Aquæ fortis quomodo tractandus vid. Aquæ fortis potus.

Praxeos medicæ fundamenta quænam ſint *P.* III. p. 231. ſeqq.
Priapus ceti, cervi & tauri P. II. p. 470. §. 41.
Primulæ veris flores P. II. p. 383. §. 40.
Principia corporum quænam ſint C. p. 9. §. 2-9.
Procidentiæ ani & uteri quomodo tractandæ p. II. p. 578. §. 3 14. cura 19-21.
Prognoſtica ars quænam ſit p. II. §. 1. ſeqq.
Præſagia ex ſangvine quomodo inſtituenda p. II. p. 102. & 105.
Pruna domeſtica p. II. p. 407. §. 66.
Prunella ſive pruniolana p. 407. §. 67
Prunella qualis affectus p. I. p. 227. §. 1. ſeqq.
- in praxi quomodo curanda. p. III. p. 460. §. 1-4.
Pſyllii ſemen p. II, p. 430. §. 38.
Pterygium quid ſit vid. Ophthalmia.
- in praxi quomodo tractandum *P.* III. p. 398. §. 1. 2. cautelæ §. 3. cura 4-6.
Ptyalismus vid. Salivatio.
Puerperarum febres quaenam ſint *P.* I. p. 402
- quomodo tractandae P. III. p. 867 §. 1-3. cautelæ 4. cura 5-9
Pulmones quid ſint P. I. p. 79. §. 50-65
- Tophi. vid. Tophi pulm.
- concretio cum pleura quid ſit P. I. p. 234. §. 1.
in praxi quomodo tractanda *P.* III. p. 477. §. 1-4
Pulſus quid ſit *P.* I. p. 59. §. 37. ſeqq. in ſemiologia quomodo obſervandus P. II. p. 12. quotuplex ſit §. 21. 22.
quomodo a ſe invicem differat. p. 16. ſeqq.
qualis prognoſis ex pulſu inſtitui poſſit. p. 21. ſeqq.
in febribus p. 25. in aliis morbis p. 27.
qualis therapia pulſuum diverſæ alterationi ordinanda p. 31
Pumex P. II. p. 475. §. 8
Purgatio ſi ordinanda quænam circumſtantiæ obſervandae *P.* III. p. 37. §. 1. ſeqq. laxantia quomodo purgantibus præferenda §. 22. 23. purgantia quomodo differant §. 30 ſeqq.
Purpura quid ſit P. I. §. 1. ſeqq.
- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 852. §. 1-4. cautelæ 5. cura 6-13
- retropulſio quomodo revocanda *P.* III. p. 148. §. 16. 17
- Urticata quid ſit P. I. p. 356. §. 1. ſeqq. ejus practica tractatio P. III. p. 856 §. 1-3. cautelae 4. indicationes 5. cura §. 6-10
Pus quid ſit *P.* I. p. 259. §. 9
Putrefactio quid ſit C. p. 19. §. 14
Pyrethri radix P. II. p. 350. §. 101
*P*yropherus quomodo præparetur C. p. 21. §. 20
Pyrotechnia quid ſit & quomodo tractanda C. p. 95. ſeqq.

Q.

QUartana febris quid ſit P. I. p. 371 ejus practica tractatio P. III. p. 794

794. §.1-4. cautelæ 5. indicationes 6. cura 7-10
Quies & motus ad vitam quid contribuant P. I. p. 92. §. 59

R.

Rachitis quid ſit P. I. p. 326
in praxi quomodo tractanda P. III. p. 678. §. 1. 2. cura 3-5
Radices materiæ med. quaenam ſint. P. II. p. 319. ſeqq.
Ranæ virides P. II. p. 456. §. 20
Ranulæ liberatio quomodo promovenda P. II. p. 666. §. 45. 46
Raparum ſemen & rapa ipſa P. II. p. 430 §. 84
Raphani ſemen & raphanus ipſe P. II. p. 430 §. 85
Refractio quid ſit P. III. p. 1225. §. 34
Refrigerantia in therapia quomodo applicanda P. III. p. 199
Regnum vegetabile materiæ med. P. II. pag. 318. cap. I. de radicibus pag. 319. cap. 2. de corticibus p. 357. c. 3. de lignis p. 365. c. 4. de floribus p. 373. c. 5. de fructibus p. 387. c. 6. de ſeminibus p. 410. c. 7. de gummatibus p. 435
Regnum animale p. 449. quomodo differat c. 1. de animalibus med. p. 451. c. 2. de partibus animalium med. p. 458. c. 3. de marinis animalibus & vegetabilibus p. 473
Regnum minerale p. 477. quomodo tractet de terris, metallis, gemmis & ſalibus p. 478
Renes quid ſint P. I. p. 83. §. 121-29
Reſinae materiæ med. P. II. p. 435. quotuplices p. 445. §. 35
Res non naturales quid ſint P. I. p. 88 §. 2-7
Reſolventia quomodo ordinanda P. III p. 167. §. 1. ſeqq. indicantia §. 11. 12 & quænam ſint §. 13 - 17. externa quædam §. 18-20
Reſpirationis quænam ſemiologica tractatio P. III. p. 125. ſeqq.
prognoſes quænam in febribus ex reſpiratione formandae p. 130. ſeqq.
& quænam in aliis morbis p. 133
qualis therapeutica tractatio p. 136 ſeqq.
Retropulſi morbi quomodo revocandi P. III. p. 143
Rhabarbari veri radix P. II. p. 350. §. 102 monachorum §. 103
Rhamni baccæ ſive de Spina cervina P. II. p. 407. §. 68
Rhaponticum vulgare vid. Centaurium maj.
Rheumatiſmus quid ſit P. I. p. 238.
- in praxi quomodo tractandus P. III. p. 483 §. 1. 2. cautelæ 3. cura 4-7
Rhinocerotis Cornu P. II. p. 463. §. 16
Rhodium Lignum P. II. p. 369. §. 18.
Rhytmus quid ſit P. II. p. 16. §. 20
Ribeſium P. II. p. 399. §. 42
Roborantia vid. Nervina.
Roriſmarini flores P. II. vid. Anthos fl. p. 431. §. 86
Roſa mineralis Angeli Salæ quomodo operetur P. III. p. 33. §. 19
Roſarum flores P. II. p. 383. §. 41
Rubefacientia vid. Veſicatoria.
Rubiæ Tinctorum radix P. II. p. 350. §. 104]
Ru-

Rubinus P. II. p. 491. §. 48
- ſulphuris Rulandinus quomodo præparetur & quibus morbis conducat. C. p. 43. §. 24
Rubus Idæus P.II. p. 407. §. 69
Ructus quid ſint P. I. p. 295
- in praxi quomodo tractandi P. III. p. 607. §. 1. cautelæ 2. cura 3-5
Rutæ ſemen & herba P. II. p. 431. §. 87

S.

Saccharum P. II. p. 476. §. 10
Sagapenum gummi. p. II. p. 446. §. 36
Sal quid ſit & quomodo differat C. p. 13. §. 14.
- quænam ſpecies ſint. p. 24. §. 5.
Sal neutrum cur ita dicatur p. 28. §. 16
quænam ſint ſalia neutra p. 36. §. 5
unde eorum præparatio §. 6
Sal mirabile Glauberi quid ſit C. p. 37. §. 7.
Salia vid. Halotechnia.
Sal ammoniacum P. II. 491. §. 49
- gemmæ ibid. §. 50
- marinum p. 575. §. 9
- commune quotuplex C. p. 60. §. 1-3 principia ejus §. 7. qualitates 9. metalla quomodo ſolvat §. 28
Salia volatilia quomodo præparentur C. p. 68. §. 2
Sal Ammoniacale unde ibid. præparatio per artem §. 4. effectus 5. experimenta §. 8. 9. unde præparari poſſint Salia volatilia §. 10. 11
Sal Alcali quid ſit C. p. 78. uſus §. 9 10
Salamandra P. II. p. 457. §. 22
Saliva quid ſit P. I. p. 50. §. 98-102
quomodo ſe & excernatur p. 72. §. 94 - 97
Salivatio in therapia quomodo adminiſtranda P. III. p. 105. §. ſeqq.
Salivæ ſemiotica tractatio quomodo utilis P. II. p. 138. ſeqq.
ex ſaliva quænam prognoſes formandæ p. 144. ſeqq.
quisnam uſus practicus ſemiologiæ ex ſaliva p. 147. ſeqq.
Salſedo maris unde P. III. p. 1194. § 43
Salviæ flores & herba P. II. p. 383. ſemen p. 431. §. 88
Sambuci cortex P. II. p. 363. §. 24. flores p. 384. §. 43. baccæ p. 407. §. 70
Sandaracæ gummi vid. Juniperinum.
Sangvificatio P. I. p. 82. §. 98-102
Sangvis quid ſit P. I. p. 47. §. 48-51
Sangvis diverſorum ſubjectorum quales virtutes habeat P. II, p. 470. § 42
- Draconis P. II. p. 446. §. 37
Sangvinis defectus quomodo reſtituendus P. III. p. 101. ſeqq.
- diverſa conſtitutio vid. Hæmatologia.
- ſecretio quomodo fiat. P. I. p. 68. §. 26
Sanies ſive Ichor quid ſit P. II. p. 611. §. 11.
Sanitas quid ſit & quomodo in Hygiene conſervanda p. II. p. 241. & p. 244.
aeris uſus ad ſanitatem conſervandam quid contribuat. p. 251.
- quomodo per medicamenta conſervanda p. 307. ſeqq.

Sanitatis definitio quænam ſit P. I. p. 55. §. 43. & p. II. p. 241. §. 2.
Santalinum Lignum P. II. p. 370. §. 19.
Sapphirus p. II. p. 492. §. 51.
Sarcocolla p. II. p. 446. §. 38.
Sarcoma quid ſit p. II. p. 594. §. 1. 3. cautelæ 4. cura 5. ſeqq.
Sardius ſive Carneolus P. II. p. 493. §. 52.
Sapor quotuplex & unde C. p. 33. §. 29.
Sarſaparillæ radix p. II. p. 351. §. 105.
Saturejæ ſemen & herba. p. II. p. 431. §. 89.
Satyrii radix §. 106.
Saxifragæ radix §. 107. flores p. 384. §. 44. ſemen p. 432. §. 90.
Scabies quid ſit p. I. p. 328.
- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 683. §. 1 - 3. cautelæ 4. indicationes 5. cura 6 - 10.
- retropulſa quomodo revocanda P. III. p. 148. §. 18 20.
Scabioſæ flores p. II. 384. §. 45.
Scammonium p. II. p. 447. §. 39.
Scarabæi p. II. p. 471. §. 46.
Scarificatio quando admittenda p. III. p. 86. ſeqq.
Scariolæ ſemen p. II. p. 432. §. 91.
Scarlatina febris quid ſit p. I. p. 398.
- ejus practica tractatio p. III. p. 859. §. 1 - 8.
Scirrhus hepatis & Lienis quid ſit p. I. p. 255.
- in praxi quomodo tractandus p. III. p. 538. §. 1. 2. cautelæ 3. indicationes 4. cura 5 - 10.
Scirrhi in chirurgia quomodo tractari debeant p. II. p. 540. §. 1 - 6. cura 7 - 9.
Scleroſis quid ſit p. I. p. 321.
- practica tractatio p. III. p. 669. §. 1 2. cautelæ 3. cura 4. 5.
Scorbutus quid ſit, p. I. p. 343.
- quænam pathologia practica p. III. p. 710. §. 1. 2. cautelæ 3. indicationes 4. cura 5 - 10.
Scorpio P. II. p. 457. §. 23.
- ictus vid. Ictus ſcorpionum.
Scorzonera P. II. p. 352. §. 109.
Scrophulariæ radix. P. II. p. 110.
Scylla P. II. p. 351. §. 108.
Sebeſten fructus P. II. p. 408. §. 71.
Sectiones quomodo adminiſtrandæ P. II. p. 668. §. 56 - 64.
Secundinarum excluſio quomodo promovenda P. III. p. 135.
Se - & excretiones quid ſint & quomodo fiant P. I. p. 66. §. 2.
Schœnanthi flores P. II. p. 385. §. 46.
Selenites ſive ſpecularis lapis vid. Lapis Selenit.
Semina materiæ med. P. II. p. 410.
Seminis fluxus virulentus vid. Gonorrhœa.
Semiologia quid ſit P. II. p. 2. ſeqq.
Senſatio quid ſit p. I. p. 64. §. 107 - 120.
Senſibilium hominum regimen P. II. p. 254.
Senſuum ſemiologica Theoria quænam formanda P. II. p. 213.
- prognoſes quænam in febribus ac aliis morbis inde ſumendæ, p. 226. & 219.
- quænam practica tractatio inſtituenda p. 223.
Septicorum uſus quomodo applicandus P. II. p. 669. §. 63.

Seri ſecretio quomodo fiat. *P.* I. p. 69. §. 36. ſeqq.
Seroſi morbi quid ſint. *P.* I. p. 312.
Serpentariæ virginianæ radix. *P.* II. p. 352. §. 111.
Serpentes & Viperæ P. II. p. 457. §. 24.
- exuviæ vid. exuviæ ſerpentum.
Serpentum morſus quænam pathologia practica *P.* III. p. 1083. §. *1* - 5. cautelæ 6. cura 7 - 9.
Serpilli ſemen & herba *P.* II. p. 432. §. 92.
Seſami ſemen *P.* II. p. 432. §. 93.
Seſeleos ſive ſileris montani ſemen *P.* II. p. 433. § 94.
Setacea quomodo applicanda *P.* III. p. 133. §. 30.
Sigilli Salomonis radix *P.* II. p. 353. §. 112.
Siliqua *P.* II. p. 408. §. 72.
Sinapios ſemen. *P.* II. p. 433. §. 95.
Singultus quid ſit. *P.* I. p. 296.
- in praxi quomodo tractandus *P.* III. p. 612. §. 1 - 5.
Smaragdus *P.* II. p. 493. §. 54.
Smiris lapis vid. lapis Smiris.
Soda quid ſit. *P.* I. p. 294. §. 1. ſeqq.
Soda in praxi qualis affectus *P.* III. p. 605. §. 1 - 6.
Solani hortenſis ſemen & herba *P.* II. p. 433.
Solis & Siderum motus qualis *P.* III. p. 1236. §. 54.
Somnus & vigiliæ ad vitam quid conferant *P.* I. p. 93. §. 76 - 96.
Soporoſi affectus quinam ſint p. I. p. 210.
- in praxi quomodo tractandi p. III. p. 420. §. 1 - 6.
Sorbi p. II. p. 408. §. 73.
Spagyrica ars unde dicatur C. p. 5. §. 9. & 17.
Spaſmi quid ſint p. I. p. 269.
- in praxi quomodo tractandi p. III. p. 559. §. 1 - 3. cautelæ 4. indicationes 5. cura 6 - 11.
- retropulſi quomodo revocandi p. III. p. 50. §. 23.
Specifica remedia quænam ſint & quomodo uſurpanda P. III. p. 226.
Sperma Ceti p. II. p. 471. §. 45.
Sperma quid ſit. p. I. p. 51. §. 106 - 111.
- ſecretio quomodo fiat. p. I. p. 73. §. 98 - 108.
- fluxus virulentus vid. Gonorrhœa.
Sphacelus quid ſit p. I. p. 265. §. *1*. ſeqq.
- in praxi quomodo tractandus p. III. p. 551. §. 1 8.
- ejus chirurgica tractatio p. II. p. 605. §. 1 - 8.
Spicæ flores celticæ & Spica Nardi p. II. p. 385. §. 47.
Spiritus in corpore num dentur p. I. p. 20. ſeqq.
Spiritus ardentis ingeſtio qualia damna pariat. p. III. p. 1013. §. 1 - 9. cura 10 - 14.
Spiritus vini quomodo ſtupiditatem cauſetur p. III. p. 1014. §. 3.
Spirituum ardentium ingurgitatio ſimultanea quomodo periculoſa. p. III. p. 1007. §. 1 - 6. cura 7 - 10.
Spiſſitudo ſangvinis quænam ſit P. I. p. 129.
- in praxi quomodo tractanda P. III. p. 248.

248. §. 1-7. cura 8-18.
Spongia Cynosbati vid. Cynosbati ſpongia.
Sputum cruentum quid ſit P. I. p. 144.
- - quomodo in praxi tractetur P. III. p. 275. §. 1-4. cura 5-9.
Staphidis agriæ ſemen P. II. p. 433. §. 98.
Staſis quid ſit P. II. p. 523. §. 1-13. cura 14-18.
Steatoma vid. tumores Lymphatici.
Stercora diverſorum ſubjectorum P. II. p. 471. §. 47.
Sterilitatis fœminarum quænam pathologia practica P. III. p. 985. §. 1-10. cura §. 11-17.
Stincus marinus P. II. p. 456. §. 21.
Stœchados arab. & Citrinæ flores P. II. p. 385. §. 48.
Stomacace quid ſit P. II. p. 630. §. 1-3. cura 4-6.
Storax liquida & calamita P. II. p. 447. §. 40.
Strangulati vid. laqueo ſtrangulati.
Stranguria quid ſit P. I. p. 336. ejus practica tractatio P. III. p. 698. §. 1. cautelæ 2. cura 3-5.
Strumæ quid ſint P. II. p. 576. §. 1-7.
Succeſſus quid ſit P. III. p. 1224.
Succus Pancreaticus quid ſit P. I. p. 102-107.
- - ſecretio P. I. p. 72. §. 94-98.
Succi materiæ med. P. II. p. 435.
Succinum P. II. p. 447. §. 41.
Succolata vid. Cacoa.
Sudor colliquat. quomodo occurrat P. II. p. 169. §. 19. ſeqq.
- ſangvineus quid ſit P. I. p. 178.
- - in praxi quomodo tractandus P. III. p. 332. §. 1-4. cautelæ 5. cura 6-12.
Sudores moleſti pedum manuumque quomodo in praxi tractandi P. III. p. 1127. §. 1-3. cautelæ 4. cura 5-6.
- partiales manuum & pedum retropulſi quomodo revocandi P. III. p. 153. §. 10.
Sudoris quænam ſemiologica tractatio P. II. p. 156. ſeqq.
Suggillationes quid ſint P. II. p. 523. & p. 539.
Sulphur P. II. p. 493. §. 56.
Sulphur quid ſit C. p. 14. §. 15. ejus præparatio §. 20.
- Antimonii unde præparetur C. p. 46. §. 30.
Sumach ſemen P. II. p. 434. §. 99.
Suppoſitoria quænam ſint vid. Purgantia in fine.
Suppuratio quomodo tractanda P. II. p. 528. §. 4-11.
Surditas vid. gravitas auditus.
Suſurrus aurium vid. Tinnitus aurium.
- - in praxi quomodo tractandus P. III. p. 407. §. 1-9.
Sympathetica quænam ſint & quomodo applicanda P. III. p. 219. ſeqq.
Symphyti radix vid. Conſolida maj.
Symptoma quid ſit P. I. p. 109. §. 13.
Syncope vid. Lipothymia.
Synergia quid ſit P. I. p. 123. §. 103. & 108.
Synocha vid. febris Synocha.
Synovia quid ſit P. II. p. 651. ejus chirurgica tractatio §. 8. 10.

T.

TAbaci fumi abuſus qualia damna proferat P. III. p. 1114. §. 1-9. cura 10 13.
Tacamahaca *P.* II. p. 448. §. 42.
Talcum *P.* II. p. 494. §. 58.
Talpa *P.* II. p. 457. §. 25.
Talus Leporis vid. Aſtragalus.
Tamarindi *P.* II. p. 490. §. 74.
Tamariſci cortex *P.* II. p. 363. §. 27. lignum p. 370. §. 21.
Tanaceti flores *P.* II. p. 385. §. 49.
Tarantiſmus quid ſit *P.* I. 417.
- in praxi quomodo tractandus *P.* III. p. 897. §. 1-5.
Taraxaci radix P. II. p. 353. §. 113.
Tartarus quid ſit C. p. 74. §. 1. tartari terra foliata unde §. 4.
Tartarus *P.* II. p. 494. §. 57.
- emet. unde paretur C. p. 46.
Telæ araneorum vid. Araneus.
Temperamentorum theoria P. I. p. 96. ſeqq.
Teperamentorum ſanitas quomodo conſervanda P. II. p. 285. ſeqq.
Temperantia quomodo adhibenda P. III. p. 204. ſeqq.
Temporis regimen ad ſanitatem quid conferat. P. II. p. 265. ſeqq.
Temporum contuſio in chirurgia quomodo tractanda P. II. p. 666. §. 47.
Tempus quid ſit P. III. p. 1222. §. 30
Terra num ſit in centro totius macrocoſmi P. III. p. 1206. §. 83
- ſpecies quænam §. 89
Terra Japonica ſive de Catechu P. II. p. 495. §. 62
- Lemnia §. 60
- Samia §. 59.
- Sigillata §. 61
- Tripollitana vid. Alana.
Terreum Elementum quid ſit P. III p. 1205. §. 80. qualitas ejus §. 81. §. 87. 88
Terræ motus quid ſit P. III. p. 1235. §. 51
Tertiana febris quid ſit P. III. p. 368
- - pathologia practica P. III. p 781 §. 1 - 8. cura §. 11 - 31
Teſtes diverſorum animalium P. II. p. 472. §. 48
Tetanus quid ſit P. I. p. 287. §. 2
Textura & ſtructura quid ſit P. I. p. 46. §. 40. 41
Theoria medica quid ſit P. I. p. 3. §. 19. quid requirat §. 25
Therapia medica quid ſit & unde dicatur *P.* III. p. 3. §. 2. 3.
- quotuplici actu abſolvatur P. III. p. 23.
Therebinthina *P.* II. p. 448. §. 45.
Thlaſpi ſemen P. II. p. 434. § 100.
Thus *P.* II. p. 448. §. 43
- maſculum vid. olibanum
Thymiamatis cortex P. II. p. 364. §. 29.
Thymi ſemen & herba *P.* II. p. 434. §. 101.
Tiliæ Cortex P. II. p. 364. §. 28. flores p. 368. §. 50.
Tinea vid. Achores.
- in praxi quomodo tractanda P. III p. 437. §. 1 - 3.
Tinnitus aurium quid ſit P. I. p. 204
- tractatio practica P. III. p. 405. §. 1-3 cura §. 4 - 6
Tonica remedia quando admittenda P. III. p. 159. §. 9. 10
Tonicus motus quid ſit P. I. p. 61. §. 67 ſeqq.

Tonſillæ quid ſint P. I. p. 222
- in praxi quomodo tractandæ P. III p. 443. §. 1. Cautelæ 2. cura 3. 4
Tonitru & fulgur unde P. III. p. 1230 §. 43
Toni neceſſitas & utilitas P. I. p. 59 §. 49
Topaſius P. II. p. 495. §. 63
Tophi pulmonum quid ſint P. I. p. 234
- quomodo in praxi tractandi P. III. p. 475. §. 1 - 4
Tormentillæ radix P. II. p. 353. §. 1114
Tragacantha P. II. p. 418 § 44
Transfuſio ſangvinis num applicanda P. II. p. 654
Transplantatoria cura vid. Sympathia.
Trepanatio quid ſit & quomodo applicanda P. II. p. 657
Tribulus aquaticus P. II. p. 409. §. 75
Trochiſci Alhandal vid. Colocynth.
- de Agarico vid. Agaricus
- Alkekengi vid. Alkekengi.
Troglodites vid. Paſſeres.
Tumores diverſi glanduloſi colli quinam ſint P. I. p. 223
- in praxi quomodo curandi P. III. p. 447. §. 1. 2.
- ex retropulſis ulceribus quinam ſint P. II. p. 545. §. 1. 2. cura 3. 4. ſeqq.
- Mammarum quomodo tractandi P. II. p. 559. ſeqq.
- Lymphatici ſaccati quinam ſint P. II p. 569. §. 1 - 5. cura §. 6 - 8
- hernioſi vid. Hernia.
Tunicæ flores P. II. p. 386. §. 51
Turpethi albi radix P. II. p. 354. §. 115
Turundarum uſus quomodo applicandus P. II. p. 667. §. 52
Tusſis quotuplex ſit P. I. p. 245. §. 1 ſeqq.
- humida in praxi quomodo tractanda P. III. p. 506. §. 1. 2. cura 3 - 10.
- ſicca qua methodo dirigenda P. III p. 511. §. 1. 2. cura 3 - 6
- ferinæ quænam cura P. III. p. 513. §. 1 - 7
- Hypochondriaca qua methodo curanda P. III. p. 517. §. 1 - 5
- Stomachalis cura P. III. p. 519. §. 1 - 4
Tutia Alexandrina P. II. p. 495. §. 64
Tympanitis quid ſit P. I. p. 319. §. 1. ſqq
- quænam therapia P. III. p. 661. §. 1 - 6
Typhodes febris quid ſit P. I. p. 399. §. 2
Typus in febribus quid ſit P. I. p. 349 §. 16.

V.

Valeriana radix P. II. p. 354. §. 116
Vapores inimici qualia damna pariant P. III. p. 1024. §. 1 - 10. cura §. 11 - 17
Vari quid ſint P. II. p. 554. §. 1 - 6
Varices quid ſint P. I. p. 185
- quomodo in praxi tractari debeant P. III. p. 351. §. 1 - 5. cura 6 - 12
- in chirurgia quomodo tractandi P. II p. 555. §. 1 - 4
Variolæ ac morbilli quid ſint P. I. p. 388
- quænam cura applicanda P. III. p. 839 §. 1 - 5. cura 6 - 20
Vegetabilia quotuplici ſapore ſint prædita C. p. 33. §. 29
Vegetabilium pernicioſorum incauta comeſtio qualia damna poſt ſe trahat P. III. p. 1110. §. 1 - 3. cautela 4 cura 5 - 8
Venæ Portæ quænam ſtructura P. I p. 84. §. 129 - 138
Venæ ſectio in chirurgia cur obſervanda P. II. p. 508. §. 8. ſeqq.

Venæ Sectio in therapia quando & quomodo applicanda *P.* III. p. 79 §. 17. ſeqq.
Venenum aſſumtum in praxi quomodo tractandum P. III. p. 1051. §. 1 - 9 cura §. 10 - 19
Venti quomodo exiſtant *P.* III. p. 1232 §. 46
Ventriculus quid ſit P. *I.* p. 80. §. 70 75
Verbaſci radix & herba *P.* II. p. 354. §. 117. flores p. 386. §. 52
Vermes inopinato aures ingreſſi quomodo educendi P. III. p. 1020. §. 1 - 5 cautelæ §. 6. cura §. 7 - 9
Vermes quid ſint *P.* I. p. 311
- eorum therapia *P.* III. p. 645. §. 1 6
Vermium expulſio vid. Anthelmintica.
Verrucæ quid ſint P. II. p. 596. §. 1 - 4 cura 6. ſeqq.
Vertigo quid ſit. P. I. p. 212.
- quænam praxis P. III. p. 422. §. 1. 2. cautelæ 3. cura 4 - 10.
Veſicatoria quid ſint P. III. p. 126. § 1. ſeqq.
Veſparum ictus vid. Ictus veſparum.
Victorialis radix *P.* II. p. 355. §. 118.
Vigiliæ ad vitam quid conferant P. I. p. 93. §. 86. 96.
Vina fucata qualia damna pariant *P.* III p. 1146. §. 1 - 5. cautelæ 6. cura 7 10
Vincetoxici radix P. II. p. 355. §. 119
Violæ luteæ flores vid. Cheiri flor.
- martiæ flores P. II. p. 387. §. 53
- ſemen p. 434. §. 102
Viperæ vid. Serpentes.
Viſcus Corylinus vel Quernus P. II. p. 372. §. 27
Vita quid ſit P. I. p. 52. §. 9. 10
Vitalis motus quid ſit §. 18
Vitriolicum acidum quid ſit C. p. 33
Vitriolum P. II. p. 496. §. 65
- unde præparatum C. p. 34. §. 2. 11
Volvulus vid. Ileus morbus
Voluntarius motus quid ſit P. I. p. 62 §. 92
Vomica Nux P. II. p. 409. §. 76
Vomica pulmonum quid ſit P. I. p. 233
- in praxi quomodo tractanda *P.* III p. 471. §. 1. 2. cautelæ 3. indicationes 4 cura 5 - 10
Vomitus vid. Emeſis.
- ſpontaneus quid ſit *P.* I. p. 292 quænam hujus practica tractatio *P* III p. 601. §. 1 - 8
- cruentus quid ſit P. I. p. 148
- in praxi quomodo tractandus *P.* III p. 281. §. 1 - 4. cautelæ 5. cura 6 - 15
Vulnera in Chirurgia quomodo in genere tractanda P. II. p. 641. ſeqq.
- virulenta quomodo dirigenda p. 648 ſeqq.
Vulnerum lethalium cognitio cur neceſſaria *P.* II. p. 678. ſeqq.
Vulnerati quomodo tractandi p. III. p. 1135. §. 1 - 4. cautelæ 5. cura 6 - 9
Vulpes p. II. p. 458. §. 26
Ulcera ſimplicia quomoda tractanda p. II. p. 610
Ulcera callosa quomodo dirigenda p. II. p. 614
- ex Eryſipelate p. 116
- Sinuoſa & fiſtuloſa p. 617
- quænam ſint Scorbutica p. 628
- Serpiginoſa p. 632
- Cancroidea p. 640
- in utero quomodo tractanda p. 640 §. 4.
- retropulſa quomodo revocanda p. III p. 149 §. 19 - Venerea p. 625

quinam ſint. §. 21
Ulceratio quid ſit. p. I. p 267 §. 1. ſqq.
Ulceratio in praxi quomodo tractanda p. III. p. 555. §. 1. 2. cautelæ §. 3. indicationes §. 4. cura 5-9
Ulmariæ radix *P*. II. p. 355. §. 120.
Ulmi cortex p. II. p. 364. §. 30
Ungvium vitia quomodo tractanda p. II. p. 667. § 48
Ungula alcis vid. Cornu alcis. (49
- diverſorum animalium p. II. p. 472. §.
Unicornu foſſile p. II. p. 463. §. 17
- marinum vid. Cornu Rhinocer.
Urina quid ſit p. I. p. 69. §. 46
- cur interdum ſit coloratior §. 48.
- num uſum medicum habeat *P*. II. p. 472. §. 50
- Imminutio quid ſit *P*. I. p. 333
- - quomodo curanda *P*. III. p. 691. §. 1-5
- Incontinentia quid ſit *P*. I. p. 334. quænam ejus therapia *P*. III. p 693 §. 1--5
Uroſcopia & Uromantia quid ſit & quomodo inſtituenda p. III. p. 34. & p. 42.
in febribus ac aliis morbis qualem uſum habeat p. 48. & 56
quænam ejus therapeutica tractatio p. 64
Urticæ radix & herba p. II. p. 355. §. 121
ſemen p. 435 §. 103
Uſnea Cranii humani P. II p 478 § 15
Uteri hæmorrhagia quid ſit p. I. p 183
- - in praxi quomodo tractanda p. III. p 348 §. 1-3 cautelæ 4 indicationes 5. cura 6-9
Uvulæ prolapſio quid ſit p. I. p. 225
- - quomodo in praxi tractanda p. III. p. 450. §. 1-5

W.

WInteranus cortex p. II. p. 364. §. 31

Z.

ZEdoariae radix p. II p. 356. §. 122
Zibetum p. II. p. 473. § 122
Zingiber p. II. p 356
Zymotechnia quid ſit C p. 82. §. 2. quænam qualitas §. 3. quotuplex 4. ſubjecta fermentationi obnoxia quænam ſint. §. 7-9
fermentatio vinoſa quomodo procedat §. 11. cereviſiaria 12 - panaria quænam ſit 14. mellis & mulſi quomodo fiat 15. ad fermentationem quid requiratur §. 20. 22. effectus

Nonnulla Errata ſenſum turbantia, quæ obiter obſervata ſunt.

Pag. 3. §. 2. lin. 4. leg. eadem: p. 4. §. 8. l. 3. l. cum. e cauſæ &c. p. 18. §. 20. l. 6. l. obſervari: p. 31. §. 16. omiſſum eſt l. 10. 16) ſtatus fœminarum hyſtericus: 17) gravidæ & hyſtericæ: 18) procidentia ani & uteri: p. 46. §. 40. l. 5. k creet: p. 47. §. 45. l. facile: p. 49. §. 53. l. 6. l. Epſomenſe: p. 72. §. 15. l. 1. l. quo: p. 75. §. 2. l. 5. l. miſſionis: §. 3. l. 3. l. exiſtentiam ſuperflui ſangvinis: p. 87. § 43. l. 6. l. ſcarificatio: p. 117. §. 7. l. 8. l. poſſit: p. 233. §. 12. l. 2. l. ſolitas; p. 234. §. 18. l. 5. l. ambiguis: p. 236. §. 27. l. 5. l. decurrant; p. 240. §. 48. l. 7. l. vero: p. 257. §. 15. l. 2. 3. l. ſubjectis - - verſantibus: p. 259. §. 25. l. 5. l. ſperanda; p. 260. l. 7. l. præoccupetur; p. 267. §. 28. l. 2. l. cohibitæ: p. 284. § 12. l. 13. l. temperatiora; p. 292. §. 14. l. 2. l. promovendos & reſtituendos; p. 293. §. 16. l. 12. l. præferimus.

Cum ob anguſtiam temporis totum hoc poſteaquam e prelo emiſſum eſt opus curatiori ſtudio pervolvi haut potuerit, ita B. L. hæc aliave errata typographica, qualiacunque occurrent, amice emendabit.